BIBL. NAZ
165 III
I
25
NAPOLI

XVI. I. 10.
B. S. D. N.
N.

Digitized by Google

BULLARIUM
ORDINIS
FF. PRÆDICATORUM.
SUB AUSPICIIS

SS. D. N. D.

CLEMENTIS XII.
PONTIFICIS MAXIMI,

OPERA

REVERENDISSIMI PATRIS

F. THOMÆ RIPOLL,
MAGISTRI GENERALIS,

EDITUM,

Et ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum

A P. F. ANTONINO BREMOND, S. T. M.

PROVINCIÆ TOLOSANÆ ORDINIS MEMORATI ALUMNO.

TOMUS SECUNDUS

Ab Anno 1281 ad 1430.



ROMÆ MDCCXXX.

EX TYPOGRAPHIA HIERONYMI MAINARDI

Digitized by Google

SANCTISSIMO

D. N. D.

CLEMENTI XII

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO,

FR. THOMAS RIPOLL,

Totius Ordinis Prædicatorum

GENERALIS MAGISTER.

U*T iterum fluant ſapientiæ flumina, & in orbem latius diffundantur,* BEATISSIME PATER, *ad Apoſtolorum Principis Sedem; unde exierunt, denuo revertun-*

tur

tur, cum Tuæ Sanctitatis *auguſtiſſimo nomini nuncupatur hocce Bullarium. Verum enim vero* Petrus *ore Prædeceſſorum* Tuæ Beatitudinis *hoc in opere veneranda fundit oracula, quibus improbitas hæreticorum reprimitur, propugnatur Fides Catholica, pietas erigitur, Religio dilatatur. Ipſa veritas hic quodammodo clamat, ut tueatur Eccleſiæ dignitatem, veterem diſciplinam retineat, auctores opinionum novarum damnet. Veritatis alumnos hic Summi Pontifices præſidio ſuo tutantur, augent honoribus, ornant ampliſſimis privilegiis, aſſiduis in rem S. Sedis exantlatis laboribus, & Eccleſiæ cauſa fuſo Sanguine* Fratrum *comparatis. Jam reliqua Diplomata quos fructus afferunt, quam uberes, quam ſalutares? Diſſidia ſedant, illuſtrant hiſtoriam, Cœnobiis Fundatores, Præſules Eccleſiis, Provinciis viros illuſtres reſtituunt.*

Hæc cum ita ſint, cui potius, quam Sanctitati Tuæ *munus iſtud literarium conſecrari poſſet? Quæ multis profutura ſunt, nulli ſane convenientius dedicantur, quam* Tuæ Beatitudini, *cujus unicus ſcopus eſt, omnibus prodeſſe.*

Huc Tuæ voluntatis tendit illa propenſio ad optima quæque ſingularis. Hinc fluit tantus ille tuus propriæ utilitatis neglectus. Hinc in omnes effuſa regia liberalitas tua ſubnaſcitur. Huc ſpec-

tat

tat magna tibi graviſsimorum negotiorum toties impoſita moles. Huc reſpicit ſtudium tuum in ſuſcipiendis Eccleſiæ cauſa laboribus, conſtantia in perferendis. Huc pertinent humanitas illa tua in excipiendis hominibus: in audiendo aſsiduitas tanta, ut ceteris, non tibi vivens, propriis poſtpoſitis commodis, aliorum ſolatio te totum dare ſolitus ſis: in agendo comitas nobili gravitate condita: in precibus admittendis ſumma benignitas: mira celeritas in ſublevandis oppreſſis. Huc illa tandem ſunt conferenda quæ ſumma cum laude, & omnium admiratione huc uſque geſſiſti.

Antiquiſsima ſiquidem nobilitas viam ad æternum decus ferentem vix tibi patefecerat, cum Præſules inter aſcriptus, & Cancellarii Prætorio Præpoſitus, ſic illam provinciam ſuſtinebas, ut juſtitiam laudarent omnes, nullus humanitatem deſideraret. Cameræ Clericis annumeratus, ampliſsima Dignitate potius, quam communibus exemplis omnia certe metiebaris. Ut enim cetera ſilentio prætermittam, Urbs meminit anni illius, cum rerum neceſſariarum ſic anguſtiis premebatur, ut confuſa vidiſſet omnia, omnia perturbata fuiſſent, niſi Ripæ Præfectus ære tuo penuria laboranti populo ſubveniſſes. Vivit immortalis eorum memoria, quæ Carcerum Præſes, ad commiſerationem tenerrimus, ſæpius egiſti. Quis unquam obli-

viſcetur, quam ſplendido ſumptu, quanta magnificentia diu Præfectus ærarii Romæ fueris?

Et hæc quidem, Beatiſſime Pater, *tuis in laudibus eſſe minima nemo neſcit. Ad ardua quippe, ad omnia ſumma, ad omnem gloriam natus quid non egiſti! Quid hic ea commemorarem? Per ora mortalium volitante tuarum virtutum fama celebrantur ubique. Roma vidit, audierunt longinqui, demirati ſunt omnes. Comperta fuere Summis Pontificibus* Sanctitatis Tuæ *Prædeceſſoribus, qui tot provincias tibi delegarunt. Novit inter ceteros* Alexander VIII, *cujus ad Imperatorem Legatus renunciatus eras. Novit* Clemens XI, *qui majoris prudentiæ res tibi, nondum Cardinali, credebat. Scit quæ dico Ferraria. Novit idem S. Memoriæ Pontifex O. M. cum Cardinalitias Inſulas tibi detulit. Novit cum præcipuas Eminentiſſimorum Cardinalium Congregationes tua præſentia firmavit. Novit* Benedictus XIII, *qui te Supremo Tribunali, a Signatura Juſtitiæ vulgo nuncupato, præfecerat. Teſtantur Ordines celeberrimi, Societates, Collegia, Nationes, Univerſitates, Academiæ, alii tandem, quos ampliſſimo præſidio tuo tegebas. Te ajunt eſſe ad quem aditus omnibus pateat, cui ſit juſtitiæ, ſit pietatis antiquiſſima cura. Teſtantur Principes, Nobileſque viri, qui non modo quoti-*

die

die, verum omnibus pene horis officii, honoriſque cauſa adibant te. Dicunt, quod ſis Urbis deliciæ, quod nihil præter verum decus, veramque gloriam cogitaveris unquam, quod totus vitæ tuæ curſus in virtute ſit, quod excelſa petat animus tuus, ampla, plena dignitatis, illuſtria. Teſtantur ſpectatæ ſapientiæ viri qui ſcientias colunt. Dicunt, quod ita te literarum tractatio delectat, ut, te ſoſpite, literæ ſint futuræ felices. Teſtantur Aulici, Forenſeſque viri. Dicunt, te maximis negotiis ita parem, ut nihil tam arduum, tam difficile, tam profundum ſit, quod non conſilii altitudine expedias, conficias, abſolvas. Et, ut ceteros mittam, quid enim in re nota, & ante oculos poſita teſtibus egemus? Norunt Pauperes Chriſti, laudant affluentem illam beneficentiam, qua divitiis eos præ ceteris auges, qui mallent miſeria tacitæ egeſtatis affligi, quam publica petitione confundi. Hæc omnia ſunt plena laudis, & propria CLEMENTIS XII.

De tua gente, Beatiſſime Pater, *multos, cum Annales evolvimus, reperimus, quos gradibus aſcendentes iiſdem, ad immortalitatis decus perveniſſe conſtat. Heroum ſiquidem feraciſſima fuit, uti docent Auctores (1). Habet perpetua multorum ſeculorum ſerie quaſi per manus traditam, & ad hanc uſque diem virtutis & gloriæ conſervatam hæreditatem. Dedit Chriſtianæ Rei-*

(1) *Morerius in Dictionario Hiſtorico, Scipio Ammiratus de Nobilibus Familiis Florentinis, Ughellus in Italia Sacra &c.*

publicæ

publicæ Cardinales ampliſſimos, Sacros Antiſtites Eccleſiis Damiatinæ, Florentinæ, Feſulanæ, Aretinæ, Volaterranæ &c., Urbi Præſules, quibus Corſinæ *gentis dignitas ad omnem poſteritatis memoriam longe lateque propagatur. Dedit Summis Pontificibus Legatos, quorum prudentia Germaniam, Galliam, & Italiam admiratione complevit. Dedit Patriæ infracti animi viros ſcientia rei militaris ætate ſua facile principes; dedit Oratores ſummi conſilii, quos ad finitimas gentes mittebat: alios dedit, qui Magnis Hetruriæ Ducibus ingenium, laborem, ac fidem ſuam, promptam, expoſitamque ſæpius præbuerunt. Eos inter miram ſapientiæ, juſtitiæque laudem tulit* Nereus, *Præſul ampliſsimus, cujus hac in Urbe nunc etiam eximiæ virtutes elucent. Eccleſiæ dedit univerſæ, Carmeli Decus,* Andream *Præſulem, in album Sanctorum relatum, cujus res geſtæ, atque virtutes iiſdem quibus ſolis curſus regionibus ac terminis continentur. Ceteros mitto, quorum nomina nulla dies extinguet, nulla obſcurabit oblivio. Enim vero longum eſſet omnes referre, ex ea quippe familia natus es,* Beatiſſime Pater, *in qua verus honor, & ſplendor virtutis ſemper enituit. Nunc quo progrediatur ultra quid habet, ex quo cum univerſi Purpuratorum Senatus ſumma voluntate, tum optimi cujuſque ſingulari ſtudio magnifi-*

cen-

centiſsime poſt hominum memoriam te Chriſti Vicarium creatum vidit? Auctor omnis ſalutis Deus Optimus Maximus Sanctitatem Tuam *ſoſpitem diu ſervet ad Eccleſiæ ſanctæ decus & ornamentum.*

ERU-

ERUDITO LECTORI.

BRevitatis ergo quædam prætermiſſa fuiſſe Diplomata, liquet ex Appendicibus, & ex his quæ leguntur *pag.* 309,310,506 &c. Cur autem aliquot *Indulgentiarum* Bullæ tranſcriptæ ſint, operæ pretium fuerit, paucis hic aperire. Et ſane, primo quidem non erat animus, illas emittere: verum,licet volumen iſtud eſſet alio craſſius, editæ ſunt, plurimas ad res uſui futuræ. Enim vero non parum momenti habent, ut XIII, XIV, & ineuntis XV ſeculi Eccleſiaſtica diſciplina noteſcat. Nihil æque conducit, ut inter ſeſe de antiquiori fundatione diſſidentes Conventus concilientur. Cœnobiorum Fundatores ipſis ſæpe ſæpius indicantur. Fratrum laudes quandoque celebrant. Domorum caſus & infortunia, incendia ſcilicet, ac cetera id genus interdum produnt. Quo tempore reſtitutæ ſint, docent. De ſacris Reliquiis ibidem ſervatis aliquando loquuntur. In ipſis nonnunquam mentio fit de Societatibus ibidem conſtitutis. Earundem antiquitas Societatum illis Diplomatibus declaratur. Et, quod majus eſt, memoriam renovant plurium Cœnobiorum quæ furentes hæretici funditus demoliti ſunt in *Anglia*, *Hibernia*, *Scotia*, *Germania*, *Tartaria*, *Græcia*, *Armenia*, *Perſide &c.* Quis porro nobis jure ſuccenſeat, quod hæc vetuſtatis monimenta, quibus hæreditatis nobis ereptæ refricatur memoria, reticere, religio fuerit? Paulo ſecus fiet de ceteris Indulgentiarum Diplomatibus Seculi XV, vel XVI &c. Non enim exſcribentur, ſed eo modo quo *pag.*309 S. Sedis Capellani, ut vocant, recenſentur, annotabuntur.

De Diplomatibus , quibus Epiſcopi, ceterique Præſules creati fuere, cur ſilentio prætermittantur, dictum fuit in *Præfatione ad Primum Tomum* Numero *XXXVII pag. 62.* Verum nonnulli ſunt, de quibus apud Auctores nulla mentio, vel tanta lis eſt, ut neceſſe fuerit tranſcribi Diplomata, quibus controverſiæ dirimuntur, & Antiſtites illos recens inventos, antiquos eſſe demonſtratur.

Non eſt quod miretur aliquis, hoc in opere de multis Sacræ Theologiæ Magiſtris auctoritate Apoſtolica conſtitutis altum ſilentium. Noſtri ſiquidem non eſt inſtituti, de minimis illis tractare. Quatuor tamen circiter Conſtitutiones hac de re datæ tranſcriptæ ſunt, ut Ordinis antiqua diſciplina noſcatur.

APPROBATIO.

BUllarii Ordinis Prædicatorum Tomum alterum, cui inſcriptio — *Bullarium Ordinis FF. Prædicatorum, ſub auſpiciis SS. D. N. D. CLEMENTIS XII, Pontificis Maximi, Opera Reverendiſſimi P. Fr. Thomæ Ripoll, Magiſtri Generalis, editum, & ad autographam fidem recognitum, variis Appendicibus, Notis, Diſſertationibus, ac Tractatu de Conſenſu Bullarum, illuſtratum a P. Fr. Antonino Bremond, S. T. M., Provinciæ Toloſanæ Ordinis memorati Alumno, Tomus II ab an.* 1281 *ad* 1430. —, mandante prælaudato Reverendiſſimo Ordinis Magiſtro, accurate, acrique animo, quoad potui, per ſingula luſtravi: nihilque in eo animadverti quod Sanctiſſimæ fidei Catholicæ, boniſve moribus adverſetur. Quin immo quam ſumma animi voluptate inter legendum priorem Tomum Clariſſ. Auctoris ſingularem, omnigenamque, ſed in primis Sacram, atque ad Religionis normam compoſitam, criticen, eruditionem, doctrinam, non ſuſpexeram modo, ſed & fueram demiratus, hanc eandem, me quidem Judice, perpetuo refert & Tomus iſte. Quum itaque mihi videatur pietatem etiam ubique ſpirare, ac Eccleſiæ exaltationem promovere, dum in domeſticam utilitatem ſuprema Summorum Pontificum oracula ſapienter, ac caſtigate adornat, publicæ utilitati plurimum profuturum ipſum confido: dignumque cenſeo, quod typis mandetur. Ita ſentio &c. Romæ in Conventu ad S. Mariam ſuper Minervam die 11 Auguſti 1730.

Fr. Johannes Dominicus de Agnanis, ejuſdem Ordinis, S.T.M., Bibliothecarius Caſanatenſis, ac Sacræ Congregationis Indicis Conſultor.

I M P R I M A T U R.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro.

N. Baccarius Epiſcopus Bojanen. Viceſgerens.

APPROBATIO.

BUllarium inclyti Prædicatorum Ordinis, demandante Reverendiſſimo Patre Fr. Jo: Benedicto Zuanelli Sac. Palatii Apoſtolici Magiſtro, debita Summorum Pontificum Oraculis cum veneratione legi; doctaſque Notas, & luculentas Diſſertationes, quibus illud accurate illuſtravit, atque auxit Admodum Reverendus Pater Fr. Antoninus Bremond ejuſdem Ordinis Sac. Theologiæ Magiſter, non ſine ingenti animi mei voluptate, percurri. In his enim, non modo ſolida eruditio, verum etiam eximia pietas Auctoris mirificè elucet; adeo ut nihil, quod ab orthodoxæ Fidei Dogmatibus, aut caſtæ Ethices regulis, vel minimum diſcrepet, in ipſis deprehendere potuerim. Quamobrem egregium hoc Opus, atque omni ex parte, mea quidem ſententia, abſolutum, typis mandari poſſe cenſeo.

Tibure die 18 Julii 1729.

Fr. Placidus indignus Caſæ-Marii Abbas Epiſcopus Tiburtinus.

I M P R I M A T U R.

Fr. Jo: Benedictus Zuanelli Ordinis Prædicatorum Sac. Palatii Apoſtolici Magiſter.

BUL-

BULLARIUM
ORD. FF. PRÆDICATORUM.

MARTINUS II, DICTUS IV

Natione Gallus, Nicolaum III excepit in Pontificatu, electus (a) Viterbii Die XXII Februarii Anno MCCLXXXI. Coronatus eſt Urbe Veteri Die XXIII Martii eodem Anno. Ad immortalem vitam tranſiit (b) Peruſii Die XXIX Martii MCCLXXXV. Sedit Annos IV, Menſem I, Dies VII.

(a) Martinus IV lib. I Epiſt. I.
(b) Honor. IV lib. I Epiſt. I.

Fidei deſertores ubique, etiam in Ædibus ſacris, comprehendi poſſe, decernit (1), & jubet, Epiſcopos Inquiſitoribus auxiliarem manum præbere. Anno 1281 Die 21 Octobris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCLXXXI num. XVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Regnum Francię conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. I.

EX parte dilectorum filiorum Inquiſitorum hęreticę pravitatis, per Regnum Francię conſtitutorum, fuit nuper propoſitum coram Nobis, quod nonnulli de hęretica pravitate culpabiles, vel ſuſpecti, aut accuſati; ſeu converſi de judaica cęcitate ad fidem catholicam, poſtmodum apoſtatantes ab ipſa, ad Eccleſias confugiunt, non ad ſalutis remedium, ſed ut eorum manus effugiant, & ſuorum ſcelerum vitent judicium ultionis: ſuper quo Apoſtolicę Sedis providentiam humiliter imploravit (2). Nos igitur, ad extirpandos orthodoxę fidei inimicos, & herbam tam noxiam, tanquę peſtiferam de horto dominico radicitus evellendam ſolicitis ſtudiis intendentes, eiſdem Inquiſitoribus noſtris damus literis (3) in mandatis, ut illos, quos de hujuſmodi hęretica pravitate culpabiles, vel de illa notabiliter ſuſpectos eſſe, ipſis conſtiterit, accuſatos etiam de labe prędicta, converſos quoque judęos, & poſtmodum patenter, vel veriſimilibus indiciis apoſtatantes a fide, juxta qualitatem delicti, libere officii ſui debitum exequantur, ac ſi ad Eccleſias, vel loca prędicta minime confugiſſent. Quocirca fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eoſdem Inquiſitores non impediatis, quo minus hujuſmodi mandatum noſtrum implere valeant; Sed potius ad requiſitionem ipſorum in iis aſſiſtatis eiſdem, ſicut extiterit opportunum. Datum apud Urbem Veterem XII Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Decernit ut ſupra.

1. *Decernit.*) *Gliſcebat tum in Galliis, immunitatis Eccleſiaſticæ prætextu, abuſus, ut nefarii homines, qui vel a Fide deſciverant, vel hæreſeos nota erant infecti, cum ad ſacrum Cenſorum Fidei tribunal perduci metuerent, confugerent ad Eccleſias, ut juſto ſupplicio ſe ſubducerent. Cum vero id in perniciem Religionis redundaret, ac ſceleri dare aſylum videretur, decrevit Sanctiſſimus Pontifex hujuſmodi privilegium illis non attribuendum.* Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXXI num. XVIII.

2. *Imploravit.*) Fortaſſis: *Implorarunt*.

3. *Literis.*) Deſiderantur. *Odoricus* laudatus citat *Epiſtolam LXXVIII Libri I Martini IV.*

Magiſtro Generali, & Provincialibus, ut Concionibus habendis, & excipiendis Confeſſionibus (1) ſecularium Fratres præficere poſſint. Anno 1282 Die 10 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Provincialibus Prioribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. II.

AD fructus uberes, quos in agro dominico, prędicando verbo pariter & exemplo, confeſſiones audiendo, & per alia virtutum exercitia, ſacer Ordo veſter, & humiles ipſius Ordinis profeſſores produxerunt hactenus, & in futurum ſperantur, Deo auſpice, producturi, attentę conſiderationis aciem convertentes, ut Fratres ejuſdem Ordinis Prędicationis, & audiendi Confeſſiones officia, eo liberius, & efficacius, exequi valeant, quo certius de ipſorum circa eadem auctoritate conſtabit, tibi, fili Magiſter, per te, vobis vero Provincialibus Prioribus, cum Diffinitoribus, in Provincialibus veſtris Capitulis congregatis, committendi, auctoritate Apoſtolica, Fratribus ejuſdem Ordinis in ſacra pagina eruditis, examinatis, & approbatis a vobis, prędicationis officium, audiendi vero confeſſiones, abſolvendi confitentes, & injungendi eiſdem penitentias ſalutares, etiam Fratribus, alias idoneis: concedendi eiſdem quoque ſępefati Ordinis Fratribus, quibus dicta officia per vos taliter commiſſa, ſive conceſſa fuerint, quod eadem libere valeant exercere, plenam damus, & concedimus, auctoritate pręſentium, facultatem.

Exordium ab encomio Ordinis.

Conceſſio.

Diſtrictius inhibentes, ne quis Fratres ipſius Ordinis, quibus dicta officia taliter concedenda duxeritis, ut pręmittitur, ſeu etiam committenda, in exercitio, & executione officiorum ipſorum audeat quomodolibet impedire. Volumus autem, quod hi, qui Fratribus confitebuntur eiſdem, ſuis Parrochialibus, Presbyteris confiteri, ſaltem ſemel in anno, prout generale Concilium ſtatuit, nichilominus teneantur (3), quodque iidem Fratres eos ad hoc diligenter & efficaciter, ſecundum datam eis a Domino gratiam, exhortentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & inhibitionis infringere &c. Datum apud Urbem Veterem IV Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Confeſſionibus.*) Videas *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur *libro E fol. 75*, in *Conſtitutionibus vulgatis anno MDV num. LXVIII*, in *aliis anni MDVII num. LXVI*, *apud Rodericum in nova Collectione Privilegior. Apoſtolicor. pag. 30*, *apud Caſtellanum pag. 49.*

3. *Teneantur*) Hic locus plane decretorius eſt in *Launoium*, ut videre eſt apud *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCLXXIV pag. 314.*

Anno 1282 Die 9 Februarii.

Epiſcopo Patavien., ne quis obſtet, quo minus Fratres Prædicatores, ac Minores habeant conciones, & ſecularium confeſſiones excipiant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Patavien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

EXhibita Nobis dilectorum filiorum Prioris Prędicatorum, & Guardiani Minorum, ac Conventuum Fratrum prędictorum Ordinum Vviennen., tuę Dioceſis petitio continebat, quod Plebanus Eccleſię Vviennen., ejuſdem Dioceſis, ad eorum injurias, & turbationes aſpirans, ac ſequens proprię voluntatis impetum, non judicium rationis, dum quidam ex ipſorum Fratrum Minorum Cuſtodibus in Villa Vvienneo publice proponeret fidelibus Verbum Dei, fecit per quendam Vicarium ſuum fidelibus ipſis pręſentibus, quaſi more pręconis, altius proclamari, quod Fratres Prędicatores, & Minores pręfati, nullam omnino Confeſſiones audiendi, aut abſolvendi ſibi confitentes, habebant abſque ipſius Plebani licentia, quibus idem hoc committendum duceret, facultatem. Alias quoque dum Frater quidam ejuſdem Prędicatorum Ordinis, ejuſdem Villę dictę Dioceſis populo prędicaret, fuit per quendam alium Vicarium ipſius ex parte Plebani pręfati, pręſenti adhuc populo ſupradicto, publice ſub pęna excommunicationis injunctum, ut omnes affatim de loco, in quo dictus Frater proſecutioni huiuſmodi prędicationis inſtabat, confeſtim recederent, prędicationem ipſam, vel aliam dicti Fratris nequaquam ulterius audituri; Propter quę in villa pręfata, & adiacentibus partibus, grave ſcandalum eſt exortum, pręſertim cum, ſicut dicitur, Vicarii aſſeruerint ſupradicti, ſe non ſolum de ipſius Plebani, verum etiam de tua, necnon & venerabilis fratris noſtri Salzeburgen. (4) Archiepiſcopi, quod non facile credere poſſumus, conniventia, & ordinatione, vel verius deordinatione, ad talia proceſſiſſe. Et quamquam memoratus Plebanus pluries promiſerit, ſe facturum, quod revocarentur prędicta, ut idem ſcandalum tolleretur, hujuſmodi tamen promiſſionem ſuam adimplere, pro ſuę voluntatis libito non curavit. Quare Prior, Guardianus, & Conventus pręfati, nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ſuper hoc de benignitate Sedis Apoſtolicę curaremus. Cum itaque prędicta in noſtram, & eiuſdem Sedis, a qua eorundem Ordinum Fratribus poteſtas huiuſmodi prędicandi, confeſſiones audiendi, & ſibi confitentes abſolvendi, dignoſcitur eſſe conceſſa, injuriam, & contemptum, ac eorundem Prioris, & Guardiani, & Conventuum, non modicum pręjudicium, & gravamen redundare noſcantur, nec intendamus, ſicut nec debemus, talia ęquanimiter ſuſtinere, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Plebanum, & Vicarios ſupradictos, ut prędicta, ſublato cujuslibet difficultatis, & dilationis obſtaculo, revocent, dictoſque Fratres circa prędicationes, & confeſſiones hujuſmodi, ſuum officium exequi libere patiantur, auctoritate noſtra per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas; Sic te in hac parte ſollicite habiturus, ut poſſit exinde tua devotio non immerito commendari; Alioquin venerabili fratri noſtro Epiſcopo Olomucen. damus noſtris litteris (5) in pręceptis, ut mandatum in hac parte Apoſtolicum exequatur; contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Datum apud Urbem Veterem V Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Excipiant.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo tit. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur. Habes idem Diploma in *Bullario Bononien. fol. 15*, ex Exemplari Authentico *Bononiæ* aſſervato.

3. *Patavien.*) Vulgo *Paſſaw*, in *Germania* inter Ducatum *Bavariæ* ad occaſum, & *Auſtriam ſuperiorem* ad ortum, ad confluentes *Oeni* in *Danubium* fluvium.

4. *Salzeburgen.*) Seu *Saliſburgen.*, vulgo *Saltzburg* in Circulo *Bavariæ*.

5. *Litteris.*) Sequenti Diplomate.

Epiſcopo Olomucenſi (1), ut ſi Pontificis Mandatum neglectui ſit Epiſcopo Patavienſi, Parochos, a quibuſdam moleſtiis, Fratribus noſtris, ac Minoribus exhibendis, ipſe deterreat (2), — Anno 1282 Die 9 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo Olomucen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. — IV.

EXhibita nobis dilectorum filiorum.. Prioris Prędicatorum, & ... Guardiani Minorum, ac Conventuum, Fratrum prędictorum Ordinum Vviennen., Patavien. Dioceſ., petitio continebat, quod &c (4). Verum etiam de venerabilium fratrum noſtrorum... Epiſcopi Patavien., & ... Archiepiſcopi Salzeburgen. &c. (5). Ipſi Epiſcopo per alias noſtras litteras (6) injungimus, quod Plebanum, & Vicarios ſupradictos, ut premiſſa, ſublata cujuslibet difficultatis, & dilationis obſtaculo, revocent, dictoſque Fratres circa Predicationes, & Confeſſiones hujuſmodi ſuum officium exequi libere patiantur, auctoritate noſtra, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellat; ſic ſe in hac parte ſollicite habiturus, ut poſſit exinde ſua devotio non immerito commendari. Quocirca fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus, ſi dictus Epiſcopus mandatum noſtrum ſuper hiis neglexerit adimplere, tu in hac parte mandatum Apoſtolicum exequaris. Contradictores eadem auctoritate, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtante ſi aliquibus ab eadem Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem, Datum apud Urbem Veterem V Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex Fratrum petitio.

Mandatum;

1. *Olomucen.*) Vulgo *Olmutz*, in *Moravia*.
2. *Deterreat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
4. *Quod &c.*) Ut in precedenti ad hæc uſque verba: *Non ſolum de ipſius Plebani.*
5. *Salzeburgen. &c.*) In eodem ad hæc uſque: *Æquanimiter ſuſtinere.*
6. *Litteras.*) Præcedens nempe Diploma.

Priori Prædicatorum, & Guardiano Minorum, Bononien., ut Academiam inter & Commune Bononien. lites componant (1). — Anno 1282 Die 11 Septembris.

Ex Vvaddingo Annal. Minor. Tomo II in Regeſto pag. 154.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Prędicatorum, & Guardiano Minorum Fratrum Bononien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. — V.

NUper ad noſtrum pervenit auditum, quod olim Scholares, in Civitate Bononię morantes Poteſtati, Capitaneo, Ancianis, Conſulibus, Conſilio, & Communi Bononien., quaſdam petitiones, reſpicientes favorem dictorum Scholarium, porrexerunt, & preſtito juramento firmarunt, quod, niſi infra certum temporis ſpatium a prędicto Communi petitiones admitterentur prefatę, Scholares ipſi, uſque ad feſtum B. Michaelis proxime venturum, de Civitate ipſa recederent, ad eam ex tunc infra quinquennium cauſa ſtudii minime redituri. Et inter alia, petitiones hujuſmodi continebant, ut privilegia, Univerſitati prędictorum Scholarium conceſſa & in poſterum concedenda, integre ipſis Scholaribus conſerventur, ita quod; Si contingat dicta privilegia in totum, vel in aliqua ſui parte infringi, promittat, & teneatur dictum Commune mille libras Imperialium, nomine penę, ſolvere, Romanę Eccleſię applicandę: quodque Poteſtas, vel Capitaneus, ſeu aliquis vices eorum gerens, non poſſint Bononien. Studium impedite, prohibendo Doctoribus, ne legant contra voluntatem Scholarium prędictorum, vel alio quoquomodo. Verum quia, ſicut accepimus, prefati Poteſtas, Capitaneus, & Commune ſe ad prędictam penam teneri nolle, ac Doctores ipſos cives Bononien. pro negotiis dicti Communis velle deſtinare, quoties expedit, reſponderunt, quanquam in ceteris eędem petitiones ab eis admiſſę fuiſſe, dicantur, prędictis Scholaribus, formidantibus ſe hujuſmodi juramento teneri, fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper hoc, de benignitate Sedis Apoſtolicę, curaremus. Nos autem tanto incommodo prędictorum Scholarium deformationi ſic famoſi Studii, efferentis propagatione fertili viros induſtrios, & ſcientię claros radios diffundentis, ac prefatę Civitatis diſcrimini, quo inde poſſet affici, prędictorum quoque omnium diſpendiis obviare ſollicitius intendentes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi id ad commune commodum Scholarium eorundem, ad evidentem utilitatem Studii prędicti, ad quietem quoque Civitatis prędictę, ac plenum profectum omnium prędictorum, ac alias etiam ſecundum Deum expedire videritis, eos de prefata Univerſitate, quos ſuper hoc contigerit abſolutionis, vel proviſionis beneficium implorare, noſtra auctoritate a vinculo, ſeu obſervatione hujuſmodi juramenti abſolvatis, & nihilominus eiſdem, prout expedire videritis, providere ſalubriter ſtudeatis, ne hujuſmodi juramenti pretextu, vel tranſgreſſionis, ſeu violationis exceſſu, ipſorum ſtatus integritas alicujus inventionis aſtutia in poſterum feriatur. Non obſtante indulgentia qua vos &c. Datum apud Montem Fiaſconem III Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Factum narrat;

Mandatum.

1. *Componant.*) *Magna exorta erat inter Academicos & Cives Bononienſes controverſia*, verbis utor *Vvaddingi* Tomo II Annal. Minor. ad annum MCCLXXXII num. XX pag. 495, *contendentibus illis, ut hi ſua privilegia ſervent indemnia.*

Periculum imminebat de transferenda Academia, quod ſtudioſi ſe factivos quotidie mirabantur. Scripſit itaque Pontifex ad Priorem Prædicatorum, & Guardianum Minorum Bononienſes, ut diſcordias prudenter ſedarent.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Epiſcopi, & Legati Dignitates, Martino IV Summo Pontifice, Promotos exhibens.

EPISCOPI.

Anno 1281. F. Raymundus du Medullione Epiſcopus Vapincenſis, vulgo *Gap*, in Delphinatu, ſub Archiepiſcopo Aquenſi. *Bernardus Gnidonis in Epiſcop. Provinciæ. Gallia Chriſtiana Sammarthanorum in Archiepiſcopis Ebredunen. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXV pag.* 316 *ex Taegio, & Olmeda. Cavalerius Tomo I pag.* 51 *num. CLII. Echard Tomo I ad annum MCCXCIV pag.* 434. Archiepiſcopus *Ebredunenſis* fuit *Raymundus*, ut in Appendice ad Pontificatum *Nicolai IV*.

Anno 1281. F. Leonardus de Monteflaſcone, Epiſcopus Caſtrenſis, in Hetruria, immediate ſub Sancta Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLVIII pag.* 160 *ex Regeſt. Martini IV. Cavalerius Tomo II pag.* 34 *num. V.* Obiit *Leonardus* nondum inauguratus. Ipſius meminit *Ughellus in Epiſcop. Caſtren. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 579 *Edit. II.* Nunc *Aquipendium*, *Aquapendente*, translata hæc Sedes.

Anno 1281. F. Raymundus de Corſavino, Aragonus, Epiſcopus Maloricenſis, in ejuſdem nominis Inſula, olim ſub Tarraconenſi, nunc ſub Archiepiſcopo Valentino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXI pag.* 222 *ex Fernandez, Diago, & Plodio. Carolus a S. Vincentio in Anno Dominicano I Parte Septembris pag.* 85 *Præfation. Cavalerius Tomo I pag.* 52 *num. CLIII.* De anno quo *Raymundus* conſtitutus eſt Epiſcopus, variant auctores, ut obſervat *Cavalerius*.

Anno 1282. F. Euſtachius, Epiſcopus S. Agathæ Gothorum, in Principatu ulteriori Regni Neapolitani, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. S. Agathæ Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 349 *Edit. II ex Bulla data XV Kalendas Octobris, Pontificatus anno II, in Regeſt. Vatican. Epiſtol. CXIV fol.* 74. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXI pag.* 284. *Cavalerius Tomo I pag.* 49 *num. CXLVII.*

Anno 1282. F. Franciſcus Ariminenſis, Epiſcopus Piſauren., *Peſaro*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Urbinatenſi. *Ughellus in Epiſcop. Piſauren. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 859 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXVI pag.* 264 *ex Taegio in Monument. Ordinis. Cavalerius Tomo I pag.* 42 *num. CXVI.*

Anno 1282 Die 7 Septemb. F. Deodatus Capuanus, Epiſcopus Melitenſis, ſeu Miletenſis, *Mileto*, in Calabria, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Meliten. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 955 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXV pag.* 235. *Cavalerius Tomo I pag.* 45 *num. CXXVIII.*

Anno 1282 Die 16 Novembris. F. Raynaldus, vel Reginaldus, Huguccio Malavolta, Epiſcopus Senenſis, in Hetruria. *Cavalerius Tomo I pag.* 66 *num. CCIV ex Lombardello & Plodio. Raynaldi* meminit *Ughellus in Epiſcopis Senenſibus Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 561, ſed eum ex Canonico Epiſcopum cenſet.

Anno 1283. F. Conradus Epiſcopus Piſtorienſis, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Cavalerius Tomo I pag.* 42 *num. CXV, ex Fernandez.*

Anno 1283. F. Galvanus Epiſcopus Scardonenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXIV pag.* 252 *ex Regeſto Martini IV. Cavalerius Tomo I pag.* 43 *num. CXX.*

Anno 1285. F. Johannes Maineſco, vel Mayneſius, ex Priore Cœnobii S. Mariæ ad Gradus Viterbien., Epiſcopus Civitatis Caſtellanæ, in Ditione Pontificia, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcop. Civitatis Caſtel-*

Caſtellana Tomo I Italiæ Sacræ pag. 598 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXVII pag. 170. Cavalerius Tomo I pag. 46 num. CXXXIII.

LEGATI.

B. Latinus S. R. E. Cardinalis, Legatus Romam miſſus. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXXI num. V, & XIV*, ex Diplomate Pontificio quod partim exſcribit. Anno 1281.

F. Jacobus Legatus ad Petrum Aragoniæ Regem. *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXXI num. VIII. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag. 355 num. XIV.* Anno 1281.

FRatres Pyrronus de Aydeno, Siculus, & Antonius de Monte, Apulus, Legati in Siciliam. *Bzovius ad annum MCCLXXXIII num. III.* Anno 1283.

e

HONO-

(a) Honorius IV Libro I Epiſtola I.

(b) Bernardus Guidonis & Ptholomæus Lucenſis in Chronicis.

HONORIUS IV

Romæ, ſummo loco, e Gente ſcilicet Sabella, natus, Pontificatum iniit Peruſii electus (*a*) Die II Menſis Aprilis MCCLXXXV. Coronatus eſt Romæ Die XX Maii ejuſdem Anni. Deceſſit (*b*) ibidem Die III Menſis Aprilis MCCLXXXVII. Sedit Annos II, Diem I.

Anno 1285 Die 19 Julii.

Epiſcopo Tiburtino (1), ut ad inſtituendum Cœnobium, Fratribus noſtris Eccleſiam S. Blaſii cedat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I. Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, ven. fratri Epiſcopo Tiburtino, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a paterna ſolicitudine.

CONſiderantes attentius fructus uberes, qui ex Ordine Fratrum Prędicatorum proveniunt fidelium animabus, Ordinem ipſum, & profeſſores illius favore proſequimur ſpeciali, ad plantandum eundem Ordinem in locis congruis, opem, & operam benignius impendentes. Cum itaque, ſicut dilectus filius Muñio (3) Magiſter, Johannes Prior Provincialis in Romana Provincia, & quidam alii Fratres ejuſdem Ordinis, Nobis exponere curaverunt, locum in Civitate Tiburtin. non habent, in quo ipſi morari, & ſuum exhibere Altiſſimo famulatum, ac verbum Dei proponere populo valeant temporibus opportunis, Nobis humiliter ſupplicarunt, ut de aliqua Eccleſia Civitatis ejuſdem, eis ad hoc competenti providere ſibi paterna ſolicitudine curaremus. Nos itaque ad animarum profectus ſalubribus intendentes ſtudiis, & eorundem Fratrum, pium, laudandumque propoſitum, favore benevolo, proſequi cupientes, ac volentes, ad procurandam ſalutem populi ſuę (4) curę commiſſi, ſibi (5) adjungere ſolicitos & idoneos adjutores, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus pro noſtra, & Apoſtolicę Sedis reverentia Ordini, & Fratribus ſupradictis, Eccleſiam S. Blaſii Civitatis ejuſdem cum juribus, & pertinentiis ſuis, quę Fratribus ipſis competens & accommoda eſſe aſſeritur, ſtudeas, ſublata qualibet difficultate, conferre, ac duos ipſius Eccleſię clericos, in ea, ut dicitur, inſtitutos, auctoritate noſtra, de Canonicatibus, & Prębendis, ſi vacant ad pręſens, vel quam primum ad id obtulerit ſe facultas, in S. Petri, & Pauli pręfatę Civitatis Eccleſiis, ita quod uni eorum, in una duntaxat provideatur Eccleſia, providere procures; non obſtan. Statutis Eccleſiarum ipſarum de certo Canonicorum numero, juramento, confirmatione Sedis Apoſtolicę, aut alia quavis firmitate vallatis. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Volumus autem, quod dilectus filius Nicolaus natus Petri Sancteſii, Civis Tiburtin., cui Canonici ejuſdem Eccleſię S. Petri, ſicut aſſeritur, promiſerunt, ſe ad hoc per inſtrumentum publicum obligantes, quod eum in Eccleſia ipſa in Canonicum recipient, & in fratrem, quam cito ad id obtulerit ſe facultas, illi, quem ex duobus prędictis Clericis in eadem Eccleſia collocari contigerit, pręferatur. Datum Tibure XIV Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Tiburtino*,) Is erat *Sabatinus*, aliis *Sabbantini*, ſeu *Sabbaritius*, de quo conſulas *Ughellum in Epiſcop. Tiburtin. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1309 *Edit. II.* XVIII ab Urbe Milliario ſita eſt Civitas *Tiburtina*, vulgo *Tivoli*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar.
3. *Munio*.) *Hiſpanus*, VII Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum, hoc anno MCCLXXXV electus a Capitulo Generali *Bononiæ* celebrato. *Vir fuit virtutibus præditus, præclarus meritis, fama celebris, exemplar bonorum, & ſpeculum ſui Ordinis, tam in vitiorum extirpatione, quam in Sanctarum immiſſione virtutum, promotor ſedulus, & præcipuus zelator. Ab introitu Ordinis, annis videlicet XXXIV, non eſt uſus carnibus; in refectorio, & in Completorio ſe jugiter præſentabat. In Conventibus, per quos tranſitum faciebat, gratum Deo, & hominibus acceptum odorem ſanctæ converſationis effudit. In Capitulis autem nunquam, exceptis duntaxat quibuſdam levioribus, ſine quibus hæc vita non ducitur, quas Conſtitutio noſtra inter leves culpas connumerat, culpabilis eſt inventus. Præfuit autem Ordini annis Sex &c.* Acta Capitulor. General. Tomo II folio 401. *Adeas Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXXV pag* 398.
4. *Suæ*.) Legerem: *Tuæ*.
5. *Sibi*,) Scribendum videtur: *Tibi*.

Anno 1285 Die 13 Septembris.

Magiſtro & Fratribus, ut Interdicti tempore ſacra celebrare, & Sacramenta ſuſcipere poſſint (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

II. Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

MEritis veſtrę Religionis inducimur, ut petitionibus veſtris in hiis quę animarum ſalutem continent, favorabiliter annuamus. Sane petitio veſtra, nobis exhibita, continebat, quod contingit interdum Civitates, & alia loca, in quibus habitatis, ſupponi eccleſiaſtico Interdicto, & non obſtantibus aliquibus privilegiis, ſeu indulgentiis quibuſcunque, Religioſis ab Apoſtolica Sede conceſſis, exceptis Baptiſmate parvulorum, & Pęnitentiis morientium, omnia in eis eccleſiaſtica Sacramenta prohiberi, propter quod ſine conſcientiarum veſtrarum diſpendio, veſtra confiteri peccata, & ab ipſis abſolvi, ac divina celebrare officia, interdicto durante hujuſmodi, non poteſtis, nec etiam Euchariſtię, ac Unctionis extremę in mortis articulo recipere Sacramenta, ſuper quo per Sedem Apoſtolicam petiiſtis humiliter, vobis de ſalutari

reme-

remedio provideri. Nos itaque, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut tempore talis interdicti, veſtra confiteri peccata, & ab ipſis abſolvi, ac ſimul legere Divinum Officium, Miſſas celebrare, januis clauſis, non pulſatis campanis, voce ſubmiſſa, excommunicatis, & interdictis, ac omnibus perſonis, quę non ſint de Ordine veſtro excluſis, necnon temporibus conſuetis juxta morem veſtri Ordinis, ſacrę Communionis, & Unctionis extremę Sacramenta recipere, prohibitione hujuſmodi, ſeu aliquibus litteris, ſuper hoc a Sede prędicta impetrandis, quę de Ordine prędicto, & hac Indulgentia, ſpecialem non fecerint mentionem nequaquam obſtantibus, valeatis, vobis auctoritate pręſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Tibure Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Indultum.

Sanctio pœnalis.

1. *Poſſint.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplar Authenticum habes in Cœnobio S. Euſtorgii Mediolanen. Legitur etiam *Libro E. fol. 43, apud Uſuſmarem pag. 61, in Bullario Caſtellani pag. 52, in Conſtitutionibus Ord. Prædicatorum an. MDV num. LXXII, in aliis an. MDVII num. LXXVI.*

Archiepiſcopo Toletano, ut de moleſtiis ab Epiſcopo Zamorenſi Fratribus & Sororibus noſtris exhibitis inſtituat quæſtionem, & diem, quo ſe apud Summum Pontificem ſiſtere teneatur, Epiſcopo dicat (1).

Anno 1285 Die 17 Septembris.

Ex F. Johanne Lopez in Hiſtoria Ordinis III P. Lib. I Cap. LV.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Archiepiſcopo Toletan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

III.

Exordium.

Moleſtiæ Fratribus ac Sororibus noſtris exhibitæ.

Mandatum.

MOleſte ferimus quaſcunque inſolentias Clericorum, ſed tunc profecto gravi dolore confundimur, cum Eccleſiarum Pręlati, qui tanquam ſtellę hæ in Eccleſię firmamento lucere deberent ſibi per vitę meritum, & aliis per exemplum, in injuriam proſiliunt aliorum. Sane dilecti filii Prior, & Fratres, Ordinis Prędicatorum Zamorenſium, Nobis cum queſtu monſtrarunt, quod venerabilis frater noſter Epiſcopus Zamorenſis, ad ipſorum aſpirans injurias, clero Civitatis, & Diœceſis Zamorenſis inhibuit, ne in Eccleſiis ſuis aliquem ex eiſdem Fratribus ad prędicandum, vel divina officia celebrandum, admittant, pręcipiendo etiam laicis Civitatis, & Diœceſis, ne prędictis Fratribus confiteri, prędicationes eorum audire, & eos ad eorum teſtamenta vocare, vel ipſorum pręſumant eligere Sepulturam, in eos, ſi contrafecerint, excommunicationis ſententiam fulminando: & quod eſt gravius, quendam ex Fratribus ſupradictis, dum in quadam Eccleſia populo prędicaret, de pulpito turpiter, & ignominioſe facere dejici, non expavit; & quaſi hęc ſibi non ſufficerent ad offenſam, in eorundem Fratrum majoris confuſionis opprobrium, Priorillę, ac Sororibus Monaſterii Sanctę Marię Zamorenſis, quę ex conceſſione Sedis Apoſtolicę Regulam B. Auguſtini, & Conſtitutiones Ordinis FF. Prędicatorum, & habitum ſuſceperunt, & ejuſdem Sedis mandato Fratribus prędicti Ordinis confitebantur, & recipiebant ab eis Eccleſiaſtica Sacramenta, diſtricte pręcepit, ne Fratres prędictos ad prędicandum, vel ad earum Viſitationem ulterius admitterent, ſtatuta Ordinis non ſervarent eorum, nec confiterentur eiſdem, neque ab eis Sacramenta reciperent ſupradicta; & quia eadem Priorillà & Sorores id facere recuſarunt, idem Epiſcopus, ad earum, & prędictorum Fratrum infamias publice linguam relaxans, ad Monaſterium ipſum accedens hoſtiliter, ipſum violenter invaſit, ac in Priorillàm & Sorores prędictas inſiliens velut hoſtis, Priorillàm prędictam ibidem canonice inſtitutam, ſine cauſa rationabili deſtituere, & aliam ibidem pro libito voluntatis intrudere, ſigillum Conventus accipere, quaſdam ex eiſdem Sororibus carcerare, & in aliquas excommunicationis fulminare ſententiam, Conventui etiam Sororum ipſarum victum ſubtrahere, & demum ex eis circiter quadraginta de Monaſterio ipſo ejicere, Dei timore poſtpoſito, non expavit; aſſerens, quod niſi Sancti Auguſtini Regulam, & Inſtitutiones prędictas Ordinis Fr. Prędicatorum, & habitum, quem aſſumpſerunt, omnino dimitterent, nunquam reciperentur ulterius in Monaſterio memorato: Sicque dictę Sorores ejectę, coactę ſunt per plures annos extra dictum Monaſterium miſerabiliter evagari, in animarum ſuarum periculum, prędictorum Fratrum, & Ordinis, opprobrium, ac ſcandalum plurimorum. Quare idem Prior, & Fratres Nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ſuper hoc de opportuno remedio paterna ſollicitudine curaremus. Nolentes igitur tantam ipſius Epiſcopi, prout nec debemus, inſolentiam ſuſtinere, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi rem inveneris ita eſſe, Epiſcopum ipſum peremptorie citare procures, ut infra quatuor menſium ſpatium poſt citationem tuam perſonaliter compareat coram Nobis, ſuper his petiturus juſtitiam, ac pro meritis recepturus. Diem vero citationis, & formam, & quicquid ſuper his inveneris, Nobis per tuas literas, harum ſeriem continentes, fideliter intimare procures. Datum Viterbii XV Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Dicat.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V, VII, & XIII.*

Anno 1285 Die 1 Octobris.

Magiſtro, & Fratribus, ut Officii Divini, ſeu Diurnarum precum, ordo, quem Humbertus inſtituit, poſſit ex trium Capitulorum Generalium præſcripto mutari (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

MEritis veſtrę Religionis inducimur, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod cum vos dudum quondam Fratri Humberto, tunc Magiſtro veſtri Ordinis, concorditer commiſeritis, ut ipſe divinum officium, quod propter varias diverſarum Provinciarum conſuetudines in Ordine ipſo uniformiter minime ſervabatur, ad illam uniformitatem reduceret, quam univerſitas Fratrum ipſius Ordinis per orbis terrę latitudinem reverenter, & humiliter obſervaret, idemque Frater Officium ipſum juxta commiſſionem hujuſmodi prudenter ordinaverit, & decenter: Vos in tribus Capitulis Generalibus prędicti Ordinis, ex tunc immediate ſequentibus, diligenti deliberatione pręhabita, ſtatuiſtis, ut ordinatio hujuſmodi deberet per univerſas partes ipſius Ordinis obſervari; ac poſtmodum felicis recordationis Clemens (3) Papa Prędeceſſor noſter, ordinationem eandem, ſicut provide facta extitit, ratam habens, & firmam, eam, quam in domibus veſtris propriis dumtaxat obſervari ſtatuit, auctoritate Apoſtolica confirmavit; diſtrictius inhibens, ne aliquis ſine ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicę circa prędictum Officium, contra confirmationis, & Conſtitutionis dicti Prędeceſſoris, & ordinationis prędictę tenorem, aliquid pręſumeret immutare. Verum quia, ſicut aſſeritis, in quorundam Sanctorum, & Sanctarum feſtivitatibus, quas in Ordine ipſo contingit principaliter celebrari, interdum ad majorem eorumdem Sanctorum & Sanctarum laudem, aliqua circa Officium ipſum, videlicet antiphonas, verſus, vel ſequentias, cupitis immutare; Nos, veſtris devotis ſupplicationibus inclinati, immutandi prędictum officium, addendo ſcilicet, vel ſubtrahendo, prout per tria Capitula Generalia prędicti Ordinis fuerit ordinatum, dummodo libri ordinati, & compoſiti ſuper prędicto Officio non mutentur, nec etiam deſtruantur, liberam vobis, non obſtante inhibitione hujuſmodi, concedimus, auctoritate pręſentium, facultatem. Nulli ergo omnino &c. Datum Tibure Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

1. *Mutari.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Habes Exemplar Authenticum in Cœnobio *S. Euſtorgii Mediolanen.* Legitur etiam apud *Caſtellanum pag. 53*, in *Conſtitutionibus anni MDV num. LXXIV*, in *aliis anni MDVII num. LXXVIII.* Ejuſdem Diplomatis meminit *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXV num. XI.*

3. *Clemens.*) *IV*, Diplomate *dato VII Julii MCCLXVII.*

Anno 1285 Die 1 Octobris.

Cuncta Monaſterii Inſulenſis (1) privilegia firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii de Inſula Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Tornacenſis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a Nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri, ad debitum perducatur effectum. Eapropter, dilectę in Chriſto filię, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes affectu, omnes libertates, & immunitates, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, ſeu alias indulgentias, vobis, & Monaſterio veſtro, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum a Regibus (3), & Principibus, ac aliis Chriſti fidelibus rationabiliter vobis, & Monaſterio veſtro prędicto indultas, ſicut eas juſte, ac pacifice obtineris, & Nos eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, Nulli ergo &c. Datum Tibure Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Inſulenſis.*) Legendum *Diploma Datum VII Auguſti MCCLXXIV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Monaſterio *Inſulenſi.*

3. *Regibus.*) Aſſervatur in Archivo Ordinis Exemplar ſequentis Diplomatis, cujus Autographum eſt in *Inſulenſi* Monaſterio.

Caro-

Carolus Dei gratia Francorum, & Navarræ Rex,

NOtum facimus univerſis, tam præſentibus, quam futuris, quod Nos ſummis deſideriis affectantes ut Perſonæ Eccleſiaſticorum Regni noſtri, ſpecialiter illæ, quæ relictis mundanis honoribus, & deliciis, Religionis habitum aſſumpſerunt, ut liberius, & a conſortio Secularium ſeparatæ, poſſint Altiſſimo famulari, infra Loca ſua volunt includi, ſub tranquillitate pacis adimplere valeant ſalubriter votum ſuum, & ut ab inquietatione ſecularium, per quos nonnunquam, inſtigante maligno ſpiritu, moleſtantur, manu noſtræ potentiæ tueantur, Religioſas Mulieres Nobis in Chriſto dilectas Prioriſſam, & Conventum Monaſterii B. Mariæ Inſulen. de Ordine Prædicatorum cum familia, gentibus, & bonis ſuis quibuslibet præſencibus, & futuris in noſtra Regia, pro Nobis, & Succeſſoribus noſtris Franciæ Regibus recepimus in perpetuum, & recipimus gardia ſpeciali, præſentium tenore mandantes Balivo Inſulenſi Torneſii, & Duacenſi, qui nunc eſt, & fuerit pro tempore, ipſiuſque Locotenenti, ceteris juſtitiariis Regni noſtri, & eorum cuilibet, quatenus dictas Religioſas, familiam, & gentes ſuas, res, & bona ipſarum defendant, & faciant defendi ab omnibus injuriis, violentiis, oppreſſionibus, gravaminibus, moleſtiis, vi armorum, & novitatibus indebitis quibuſcunque, factaſque, ſi quæ fuerint, ad ſtatum debitum celeriter, & de pleno reducant, & illos, quos contra dictam noſtram ſpecialem gardiam invenerint quomodolibet attentaſſe, ad præſtandam, proinde tam Nobis, quam prædictis Religioſis emendam condignam, ſine difficultate compellant, ac alias eoſdem taliter puniant, civiliter tamen, quod ulterius talia facere non præſumant, cedereque debeant aliis exemplum, & pro præmiſſis diligentius exequendis præfatis Religioſis tradant, ſi, & cum ex parte ipſarum fuerint requiſiti, unum de ſervientibus noſtris in ſpecialem gardatorem, qui tamen de his, quæ cauſæ cognitionem requirunt, ſe nullatenus intromittat. Quod ut ratum, & ſtabile permaneat in futurum, præſentibus Literis noſtrum fecimus apponi ſigillum. Actum apud S. Germanum in Laya Anno Domini MCCCXXVII Menſe Septembri.

Mare Magnum, Diploma nempe privilegia privilegiis coacervans (1).

Anno 1285 Die 20 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Prioribus, ac Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VI.

VIrtute conſpicuos &c (3). Datum Romę apud Sanctam Sabinam XII Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Coacervans.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.
3. *Conſpicuos &c.*) Ut in *Diplomate dato XIX Junii MCCXCVI* ad finem uſque.

Magiſtro & Fratribus, ut, ſi Diœceſanus ſit difficilis, quilibet Epiſcopus primarium lapidem immittere, Templa noſtra conſecrare &c. poſſit (1).

Anno 1285 Die 25 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VII.

EX parte veſtra fuit propoſitum coram nobis &c (3). Datum Romę apud S. Sabinam VII Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Poſſit.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *S. Euſtorgii Mediolanen.* Legitur etiam *lib. E. fol. 17 & 44, apud Uſuſmarem pag. 62, Caſtellanum pag. 51, in Conſtitutionibus Ord. Prædicator. editis anno MDV num. LXXI, in aliis anni MDVII num. LXXV.*
3. *Nobis &c.*) Ut in *Diplomate VII Decembr. MCCXVII.*

Compoſitiones, & pacta, damno jurium, & privilegiorum Ordinis conficta reſcindit (1).

Anno 1286 Die 19 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VIII.

REligionis favor, ſub qua virtutum Domino deſervitis, & fructus uberes, qui ex veſtris laboribus in Eccleſia univerſali, divina gratia cooperante, proveniunt, Nos inducunt, ut illa vobis favorabiliter concedamus, per quę ab impedimentorum obſtaculis liberati, fructificare liberius in eadem Eccleſia valeatis. Exordium. Sane ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod nonnulli Priores & Fratres veſtri Ordinis, in receptionibus domorum, & locorum ejuſdem Ordinis, cum Pręlatis, Rectoribus, & Clericis Eccleſiarum, in quarum territorio domus, & loca prędicta, conſiſtunt, ſine tua, fili Magiſter, & alicujus prędeceſſorum tuorum, ac Generalis Capituli Ordinis prędicti, licentia, & aſſenſu, compoſitiones & pacta varia in prejudicium indulgentiarum, ac privilegiorum Apoſtolicę Sedis, eidem Ordini conceſſorum, inire Supplex Fratrum petitio,

temere pręſumpſerunt, cum id eis nec ex adminiſtratione competeret, nec ex ſpeciali eſſet conceſſione communium, nec a te, tuiſve prędeceſſoribus, prętate Magiſter, vel ab eodem Capitulo fuerunt compoſitiones, & pacta hujuſmodi acceptata. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut cum ex conventionibus & pactis eiſdem pręſumptis taliter, in hiis, quę Ordini pręfato, tam ex Apoſtolicę Sedis privilegiis, ac indulgentiis, quam a jure communi conceſſa eſſe noſcuntur, nimium derogetur, providere ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Nos itaque volentes ſuper hoc de benignitate Apoſtolica providere, pręſentium auctoritate, decernimus, quod ex compoſitionibus, & pactis talibus, & taliter initis, in hiis, quę ipſi Ordini, vel perſonis, aut locis eiſdem, ſive de jure communi competant, ſive per privilegia, vel indulgentias ſint conceſſa, eiſdem Ordini, locis, domibus, vel perſonis, pręjudicium nullum fiat, ſed compoſitionibus, & pactis ipſis, dummodo nec a te, memorate Magiſter, nec a prędeceſſorum tuorum aliquo, vel dicto Capitulo acceptata fuerint, nequaquam obſtantibus, tam ipſis Ordini, domibus, perſonis, & locis, quam hiis, cum quibus eadem compoſitiones, & pacta ſunt inita, jus priſtinum, abſque alicujus impedimenti obice, integrum conſervetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud Sanctam Sabinam XIV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Decernit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Reſcindit.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Aliud aſſervatur in Cœnobio Regio *Laurent.* in *Hiſpania*. Exemplar Authenticum habes in *Archivo Ordinis Lib. B. fol.* 413, & in Cœnobio *S. Euſtorgii Mediolanen.* Legitur etiam apud *Uſuſmarem pag.* 61, *Caſtellan. pag.* 52, *Confeſtium pag.* 19, *in Conſtitutionibus anni MDV num. LXXIII. in aliis anni MDVII num. LXXVII.*

Anno 1286 Die 28 Januarii.

Fratribus & Sororibus de Pœnitentia, ut tempore Generalis Interdicti ſacris intereſſe poſſint, & Sacramenta ſuſcipere (1).

Ex Bullario (2) Uſuſmaris pag. 61.

IX.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis tam viris, quam mulieribus, de Pęnitentia S. Dominici, ſub habitu Religionis Domino famulantibus, per Italiam conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Congruum exiſtimantes, ut vos, qui ſub religioſo habitu gratum Deo impendere dicimini famulatum, opportuni favoris gratia proſequamur, auctoritate vobis pręſentium indulgemus, ut tempore generalis interdicti, liceat vobis in Eccleſiis, in quibus ex indulto Sedis Apoſtolicę celebratur, audire divina Officia & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta, dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec id vobis contingat ſpecialiter interdici. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Sabinam V Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Conceſſio.

1. *Suſcipere.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam *Libro E. fol.* 43, apud *Caſtellanum pag.* 53, *& in Conſtitutionibus anni MDVII num. LXX: X.*

Anno 1286 Die 13 Februarii.

Epiſcopo Auximano (1), ut in Cœnobii S. Florentii poſſeſſionem Fratres noſtros mittat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

X.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Auximan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad ſacrum Fratrum Prędicatorum Ordinem ampliandum, eo libentius operarias manus apponimus, & Apoſtolici favoris ſuffragium impertimur, quo ipſum ſinceriori affectione proſequimur, & uberiores producere noſcitur in Eccleſia Dei fructus. Sane dilectus filius Magiſter ejuſdem Ordinis, Nobis expoſuit, quod dilecti filii Abbas, & Monachi Monaſterii S. Florentii Auximan., Ordinis S. Benedicti, diligentius attendentes, quod pręfatum Monaſterium extat in ſpiritualibus, & temporalibus non modicum deformatum, quodque illud de jamdicto S. Benedicti Ordine non poterat commode reformari, Monaſterium ipſum quantum in eis extitit, eidem Fratrum Prędicatorum Ordini ſponte, ac libere conceſſerunt. Cum autem Fratres ipſius Ordinis nullum, ut aſſerunt, in Civitate Auximan. locum obtineant, nec aliquem competentem valeant obtinere occaſione indulti ab Apoſtolica Sede Fratribus Ordinis Minorum conceſſi, ne aliqui intra centum & quadraginta cannarum ſpatium, prope loca ejuſdem Ordinis Minorum, Eccleſias, vel Oratoria, ſeu aliqua loca religioſa de novo conſtruere, vel ędificare pręſumant, pręfatus Magiſter Ordinis humiliter ſupplicavit, ut, cum tu, & Clerus, ac populus Civitatis ejuſdem, quam plurimum affecteris, ut Fratres ejuſdem Ordinis Prędicatorum inibi locum obtineant, ad veſtram ſalutem efficacius procurandam, providere ipſis ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ad Animarum ſalutem ſollicitę intendentes, & cupientes, ut iidem Ordinis Prędicatorum Fratres locum accommodum in prędicta obtineant Civitate, fraternitatem tuam rogandam attente duximus, & hortandam, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus, ſi pręmiſſis veritas ſuffragatur, prędictum Monaſterium cum domibus, & horto, ac aliis pertinentiis ſibi adjacentibus, pro noſtra, & Apoſtolicę Sedis reverentia ſi ad id dilectorum filiorum Capituli Auximan. conſenſus acceſſerit, ſublata qualibet difficultate, concedas. Pręfatos autem Abbatem, & Monachos in alio, ſeu aliis Monaſteriis ejuſdem Ordinis S. Benedicti Auximan. Civitatis, & ditionis, ſtudeas, prout expedire videritis, collocare, Monaſteriis ipſis terras,

Exordium a paterna ſollicitudine.

Supplex Magiſtri petitio.

Mandatum.

Digitized by Google

terras, & poſſeſſiones ejuſdem Monaſterii S. Florentii, prout expedire putaveris, applicando, ita quod juxta quantitatem oneris, commodi quantitas compenſetur: illam in hoc efficaciam ſervaturus, ut creſcat exinde meritis apud Deum, penes Nos gratia, & apud homines clara fama. Datum Romę apud S. Sabinam Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Auximan.*) In *Marchia Anconitana*.   2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

Epiſcopo Caſtellano, ut ab interdicto ſolvat Venetos, ſervantes ea, quæ Fratres Baxianus & Daniel Ord. Prædicatorum, ac Fidentius & Alexander Ord. Minorum, ipſorum Nuncii, ſpoponderunt (1).

Anno 1286 Die 18 Martii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXVI num. XVII.

XI.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Epiſcopo (2) Caſtellano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Olim hac de re ſancita ſcrib.

OLim tibi ſub certa forma per literas (3) noſtras iniunximus, ut interdictum quod venerabilis frater noſter Bernardus (4) Portuen. Epiſcopus, tunc in illis partibus Apoſtolicę Sedis Legatus (5), occaſione quorundam proceſſuum felicis recordationis Martini Papę IV Prędeceſſoris noſtri in Civitate Venetorum ſervari mandavit, relaxares, difficultate ſublata, & intellecto, quod nobilis vir Dux, Conſilium, & Commune Venetorum, contra illos de civitate ipſa, ejuſque districtu, qui ad requiſitionem ipſius Epiſcopi ad partes Regni Sicilię in ſervitium Romanę Eccleſię, ac clarę memorię Caroli (6) Regis Sicilię, ſeu ipſius Regis hęredum, abſque Ducis, & Conſilii, prędictorum licentia ſe perſonaliter contulerunt, graves & diverſos variis temporibus ordinavere proceſſus, & pęnas varias infligendas eiſdem; voluimus inter alia, & per alias literas tibi districte, pręcipiendo, mandavimus, ut antequam ad ipſius interdicti relaxationem procederes, prędictos Ducem, Conſilium, & Commune, ex parte noſtra diligenter monere, ac inducere procurares, ut ſtatutum illud, de quo in ipſis primis literis mentio habebatur expreſſa, declarare ſtuderent, quod ipſum in prędictorum Eccleſię, ſeu Regis, aut hęredum injuriam, vel in favorem quondam Petri (7), dudum Regis Aragonum nullatenus ediderunt, ac hujuſmodi declarationem in libro ſtatutorum ſuorum conſcribere non tardarent; quodque proceſſus prędictos totaliter revocarent, & pęnas eaſdem eis, qui, ut prędicitur, in ipſorum Eccleſię, Regis, & hęredum ſervitium perrexerunt, omnino remitterent, nullam illis hujuſmodi occaſione moleſtiam ulterius inferendo, &, ſi quid ab eis, occaſione prędicta forſitan exegerunt, eiſdem quantocius reſtituere non poſtponerent. Quibus omnibus ad effectum perductis, non differres interdictum hujuſmodi relaxare: cumque tu, ſicut accepimus, ad hujuſmodi mandati noſtri executionem intenderes, fuit tibi ex parte dictorum Ducis, Conſilii, & Communis reſponſum, quod ipſi proponebant propter hęc ad nos ſpeciales Nuncios deſtinare. Venientibus itaque ad pręſentiam noſtram ipſis Nunciis, videlicet dilectis filiis Fratribus Baxiano, & Daniele, Prędicatorum, ac Fratribus Fidentio, & Alexandro, Minorum, Ordinum, expoſuerunt nobis ex parte dictorum Ducis, Conſilii, & Communis, quod per eoſdem Ducem, Conſilium, & Commune extiterat declaratum, quod ſtatutum ipſum, ſive conſilium non fuit factum in injuriam Eccleſię prędictę, ſed pro conſervatione pacifici ſtatus eorum, & pro guerra & ſcandalo evitandis, nec fuit factum in prędjudicium vel favorem alicujus Domini de mundo, ut eorum verbis utamur, & quod ſuper proceſſibus prędictis incolę civitatis ejuſdem proponebant, ſe Apoſtolicis beneplacitis conformare. Nos autem, attendentes devotionem ſinceram, qua iidem incolę hactenus erga prędictam Eccleſiam viguerunt, ac ipſis favorabiliter annuentes, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus prędicta ipſius ſtatuti declaratione, prout iidem Nuncii retulerunt, in libris ſtatutorum conſcripta prędictis, & eiſdem revocatis proceſſibus, & pęnis omnino remiſſis, & reſtitutione, ut prędicitur, ſubſecuta, interdictum hujuſmodi, auctoritate noſtra relaxare procures, prędicens omnibus publice, quod caveant illi, qui propter favorem eidem Petro ab ipſis impenſum excommunicationis ſententiam incurrerunt, ne ſe divinis officiis immiſceant, donec ſuper hoc abſolutionis beneficium aſſequantur. Datum Romę apud S. Sabinam XV Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Venetorum Nuncii Romam miſſi.

Mandatum;

1. *Spoponderunt.*) *Hoc enim anno admiſſis jam in Eccleſia gratiam ab Honorio .... Venetis, cum ii pœnis gravioribus eos mulctaſſent, qui arma pro Eccleſia, & Carolo geſſerant, ut illius legis reos, qua ſenatuſconſulto cautum erat, ne quis inconſulta Republica exterorum Principum caſtra ſequeretur, Pontifex, qui jam ſacrorum uſum ipſis certis legibus reſtitui juſſerat, re ob nonnullas difficultates extracta, repetitis imperiis Epiſcopo Caſtellano diſſolvendi interdicti auctoritatem conſulit eo pacto, ut in legum codices referrent, ſuperius ſenatuſconſultum adverſus Eccleſiam, & Carolum, conditum non fuiſſe, ac pœnas iis incuſſas, qui pro Eccleſia, vel Carolo ſtipendia ſenatu inconſulto fecerant, reſcinderent, priſtiniſque reſtituerent juribus.* Ex *Odorico Raynaldo* loco citato, *num. XVI.*

2. *Epiſcopo.*) *Bartholomæo Quirino.* Adeas *Ughellum Tomo V Italia Sacræ pag.* 1270 *Edit. II.*

3. *Literas.*) Illas exſcripſit *Odoricus ad an. MCCLXXXV num. LXIV.*

4. *Bernardus.*) De quo *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXXXI pag.* 238.

5. *Legatus.*) Legationis Bulla legitur apud *Odoricum ad annum MCCLXXXIII num. XLIX.*

6. *Caroli.*) I.

7. *Quondam Petri.*) *Petrus* enim *III* obierat anno MCCLXXXV die VIII Novembris.

Anno 1286
Die 3 Maii.

Stipem erogantibus, ad extruendas Ædes Sacras Cœnobii noſtri Florentini, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XII.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus, per Florentinam, Piſtorien., & Aretinam Civitates, & Diœceſes, conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

QUoniam, ut ait Apoſtolus &c (2). Cum igitur, ſicut dilecti filii Prior, & Conventus Fratrum Prędicatorum Civitatis Florentinę nobis ſignificare curarunt, ipſi Eccleſiam ibidem conſtruere inceperint opere ſumptuoſo, in qua Divinis poſſint laudibus deſervire, & ad ipſius conſummationem operis fidelium ſubſidia ſint eis plurimum opportuna &c. Quadraginta dies de injuncta ſibi penitentia relaxamus; pręſentibus poſt quinquennium minime valituris; Quas mitti per Quęſtuarios, diſtrictius inhibemus, eas, ſi ſecus actum fuerit, carere viribus decernentes. Datum Romę apud S. Sabinam V Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Florentiæ* aſſervato in Cœnobio *S. Mariæ Novellæ*.

2. *Apoſtolus &c.*) Ut in Diplomate dato *XVIII Julii MCCXXIX* Tomo I pag. 30.

Anno 1286
Die 7 Maii.

Epiſcopo Parmenſi, ut Parmenſibus diem dicat (1), quo ſe apud Summum Pontificem ſiſtant.

Ex Pegna (2) ad calcem Director. Inquiſitor. pag. 69.

XIII.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, honorabili (3) Fratri Epiſcopo Parmenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Factum narrat.

OLim, ſicut accepimus, dilectus filius Frater Florius Ordinis Prędicatorum, Inquiſitor hęreticę pravitatis in partibus Lombardię a Sede Apoſtolica deputatus, quandam mulierem crimine dictę pravitatis infectam, quam poſt abjurationem ipſius criminis, in idem compererat fuiſſe relapſam, de crimine ipſo ſententialiter, exigente juſtitia, legitime condemnavit: quę ſubſequenter curię ſeculari relicta, de mandato Poteſtatis Parmenſis, fuit propter hoc incendio deputata; Verum nonnulli, qui in loco incendii

Parmenſes Fratribus plagas congerunt, ipſoſque contumeliis Aproſcindunt.

prędicti convenerant, & etiam quamplures alii, ex diverſis prędictę Civitatis partibus confluentes, diabolico ſpiritu concitati, ad locum Fratrum dicti Ordinis, in Civitate prędicta morantium, hoſtiliter concurrerunt: ac in prędictum locum impetum facientes, valvas Eccleſię confringere, tecta lapidibus obruere, & officinas loci ejuſdem violenter ingredi, pręſumpſerunt: ac libris, veſtibus, & rebus aliis, eorundem Fratrum inique direptis, nonnullos ipſorum verberibus, ac vulneribus affecerunt: quorum unus poſt paucos dies, ex illatis ſibi vulneribus, expiravit. Unde pręfati Fratres his, aliiſque diverſis injuriis, dam-

Fratres Parma demigrant.

nis, & gravaminibus, per eoſdem malefactores affecti, non audentes in prędicto loco abſque perſonarum periculo remanere, exinde, cedentes malitię, receſſerunt. Cumque tam gravis exceſſus tamque notorius, ad venerabilis Fratris noſtri L.... (4) Oſtien. Epiſcopi, tunc in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legati, noti-

Legatus S. Sedis Apoſtolicæ quæſtionem in Parmenſes inſtituit.

tiam perveniſſet, idem Epiſcopus, intellecto, quod illi, per quos tunc prędicta Civitas regebatur, & commune ipſius Civitatis, ad correctionem tam enormis, & evidentis facinoris, prout ſpectabat ad eos, procedere negligebant, Poteſtatem, Capitaneum, Ancianos, Primicerios, Conſilium, & Commune Civitatis ejuſdem, per ſuas literas ſub certa forma citavit: ut iidem Poteſtas, & Capitaneus, vel eorum alter, cum certo Ambaſſiatorum numero, & ſufficienti Syndico Civitatis pręfatę, coram eodem Epiſcopo, cer-

Vadimonium deſerit ſyndicus Parmenſis.

tis loco, & termino perſonaliter comparerent. Et licet dictus Capitaneus, cum quibuſdam Ambaſſiatoribus, & Syndico in pręfixo termino ad ipſius Legati pręſentiam acceſſiſſet, quia tamen juxta formam citationis prędictę, nullus pro dicto Communi ſufficiens Syndicus comparuit coram eo, etiam poſt dictum ter-

Ipſos excommunicatione devincit Legatus.

minum diebus pluribus expectatus, idem Epiſcopus, pręfatos Officiales, & Commune reputans contumaces, propter hoc in ipſos Officiales, & Conſiliarios Civitatis ejuſdem, excommunicationis, & in Civitatem prędictam interdicti ſententias promulgavit. Poſtmodum vero Ambaſſiatoribus & Syndicis dicti Communis, fel. rec. Martino (5) Papę Prędeceſſori noſtro humiliter ſupplicantibus, ut cum Officiales, &

In jus vocantur a Martino IV.

Commune Civitatis ipſius parati eſſent ſuper hujuſmodi contumacia ejuſdem Prędeceſſoris, & Apoſtolicę Sedis, mandato, & beneplacitis obedire: ac, de ſtando juri, ſuper exceſſibus, offenſis, & injuriis ſupradictis, impendere ſufficientem, juratoriam, & fidejuſſoriam cautionem, pręfatas excommunicationis, & interdicti ſententias faceret relaxari: Prędeceſſor ipſe, volens in hac parte non aſperitatem rigoris, ſed lenitatem manſuetudinis obſervare, cautionem eandem nomine poteſtatis, Capitanei, & aliorum prędictorum, ab Ambaſſiatoribus, & Syndicis pręfatis oblatam, & pro parte etiam adimpletam, admiſit: tibique, ſuis dedit literis (6) in mandatis, ut receptis a pręfato Communi fidejuſſoribus idoneis, perſonis ſcilicet ſingularibus, de mille marchis argenti, quod ſuper prędictis omnibus, dicti Prędeceſſoris, & Eccleſię Romanę, mandatis, & beneplacitis parerent omnino, illis, quos ejuſdem excommunicationis contingebat ſententia, juxta formam Eccleſię, beneficium abſolutionis impenderes, ſi illud a te humiliter poſtularent: ac interdictum hujuſmodi, ſublata difficultate, auctoritate Apoſtolica relaxares; injuncto talibus, quod de jure exiſteret injungendum, & nihilominus Poteſtatem, Capitaneum, Ancianos, Primicerios, Conſiliarios, & Commune pręfatos ex parte prędicti Prędeceſſoris peremptorie citare curares, ut infra unius menſis ſpatium, poſt citationem tuam, per ſe, vel per Syndicos, ſeu Procuratores idoneos, ad hoc

ſuffi-

ſufficienter inſtructos, coram Prędeceſſore comparerent prędicto, ſuper exceſſibus, offenſis, & injuriis hujuſmodi, ipſius Prędeceſſoris, & Apoſtolicę Sedis beneplacitis parituri: ac facturi, & recepturi ſuper his, quod ordo exigeret rationis: Tuque mandatum Apoſtolicum fuiſſi ſuper hoc, juxta formam per prędictas literas tibi traditam, executus: & quanquam Poteſtas, Capitaneus, Anciani, Primicerii, Conſiliarii, & Commune pręfati per Syndicos intra hujuſmodi terminum, eis a te pręfixum, coram Prędeceſſore comparuerint ſupradicto, nullus tamen in hujuſmodi negotio ulterius habitus eſt Proceſſus; Nos igitur in hujuſmodi negotio, juxta officii noſtri debitum, efficaciter procedere intendentes, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus Poteſtatem, Capitaneum, Ancianos, Primicerios, Conſiliarios, & Commune prędictę Civitatis, ex parte noſtra per te, vel per alium peremptorie citare procures, ut infra unius menſis ſpatium poſt citationem hujuſmodi, per ſe, vel per ſyndicos, ſeu procuratores idoneos, ad hoc ſufficienter inſtructos, noſtro ſe conſpectui repręſentent: ſuper exceſſibus, offenſis, & injuriis ſupradictis, noſtris, & ejuſdem Sedis parituri beneplacitis, & mandatis: ac facturi, & recepturi ſuper his quod ordo dictaverit rationis. Diem vero citationis, & formam, & quicquid inde feceris, nobis per tuas literas, harum ſeriem continentes, ſtudeas fideliter intimare. Datum Romę apud S. Sabinam Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Dicat.*) *Anno* ſiquidem MCCLXXIX *accidit Parmæ res ſatis inordinata, ſed per pœnas ad ordinem reducta. Frater Florus Inquiſitor hæreticæ pravitatis cum in eadem Civitate quandam hæreticam curiæ tradidiſſet ſeculari, & finaliter combuſta fuiſſet, quidam maligni homines ſeditionem in populo excitarunt. Cum furore autem magno ad Conventum Fratrum venientes, fractis ſeris, & oſtiis, quoſdam Fratres percuſſerunt, quoſdam autem vulneraverunt. Occidiſſent autem Inquiſitorem præfatum, ſi ad eorum manus perveniſſet. Deſtructo autem fere toto Conventu, & quaſi omnibus ad ſolum redactis, receſſerunt. Facta eſt ſuper hoc querela coram Domino Fratre Latino Cardinali Ordinis noſtri, qui tunc temporis Florentiæ Legatus erat, ille autem citavit Commune Parmenſe, ut compareret coram eo. Tandem, tempore Domini Honorii Papæ IV, citati ſunt Parmenſes per Bullam plumbeam, directam Epiſcopo Bononienſi* (Parmenſi), *qui citationem faceret. Puniti ſunt ergo & condemnati, ac diruta in melius reformarent.* Ex Actis Capitulor. General. Tomo I fol.323.

2. *Pegna.*) Idem exſcripſit *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXXV num. XII.* Citat *Bzovius Epiſtol. CCCLXVI Lib. I. Honorii IV.*

3. *Honorabili.*) Legerem: *venerabili.*

4. *L...*) *Latini*, Beati de quo ſæpius dictum eſt.

5. *Martino.*) *II*, dicto *IV.*

6. *Literis.*) Deſiderantur.

Ut Frater Jacobus (1) de Peruſio Eccleſiæ Florentinæ curam ſuſcipiat.

Anno 1286 Die 28 Maii.

Ex Ughello (2) in Italia Sacra Tomo III in Archiep. Florentin. pag. 128 Edit. II.

XIV.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Jacobo de Peruſio, electo Florentino, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

DEbitum officii noſtri continua nos pulſat inſtantia &c. Sane dudum Eccleſia Florentin. Paſtoris ſolatio deſtituta, Capitulum ipſius Eccleſię duas electiones, unam videlicet de Schiatta de Ubaldinis Bononien., Leodien., reliquam vero de Lothario della Toſa, dictę Florentinę, Eccleſiarum Canonicis, in diſcordia celebrarunt. Negotio igitur electionum earundem per appellationes ad Sedem Apoſtolicam devoluto, poſt diverſos proceſſus apud Sedem eandem habitos in eadem, Schiatta & Lotharius prędicti omne jus, quod eis ex electionibus hujuſmodi competebat, ſponte, ac libere in noſtris manibus reſignarunt. Nos autem reſignationibus ipſis receptis, attendentes, quod, ſi prędictę Eccleſię Florentinę proviſio differretur, multis ſubiiceretur periculis, & gravia in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta ſubiret, ac volentes propter hoc ei de paſtore idoneo celeriter providere, ad perſonam tuam noſtrę mentis oculos duximus dirigendos, & conſiderantes, quod cum ſis vir literarum ſcientia pręditus, morum honeſtate pręclarus, conſilio providus, ac in ſpiritualibus, & temporalibus circumſpectus, acceptuſque nobis, & fratribus noſtris tuę merito probitatis, prędicta Eccleſia Florentina per te poterit, divina cooperante gratia, ſalubriter gubernari, te tunc Priorem Fratrum Prędicatorum Sanctę Sabinę de Urbe, prędictę eccleſię in Epiſcopum, & paſtorem pręfecimus, de fratrum eorundem conſilio, & apoſtolicę plenitudine poteſtatis, tibique curam, & adminiſtrationem dictę Eccleſię Florentinę in ſpiritualibus, & temporalibus duximus committendam, ſperantes, quod tua circumſpectione laudabili, & providentia circumſpecta eadem Eccleſia Florentina tam circa ſpiritualia, quam temporalia hujuſmodi gratis, tribuente Domino, proficiet incrementis. Volumus itaque, ac diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad eandem Eccleſiam de prędictę Sedis, & noſtro favore confiſus cum divinę gratia benedictionis accedas (3), & ſuper gregem dominicum in illa tibi commiſſum noctis vigilias, diligens, ſolicituſque cuſtodias, ut liber invadendi aditus non pateat invaſori. Beatus ſiquidem eris, ſi Dominus inſuſpicabili hora venturus, te invenerit ſic agentem, quia curſu conſummato, qui ſuo labori proponitur, & horum fide ſervata, quę tuę ſolicitudini committuntur, te immarceſcibili corona juſtitię decorabit. Datum Romę apud S. Sebaſtianum V Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Jacobus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Ughello.*) Ex *Regeſto Vaticano Epiſt. IV fol. 133 An. II.*

3. *Accedas.*) *Iniit Jacobus ſui Epiſcopatus ſolemni ritu poſſeſſionem die octava menſis Julii ejuſdem anni, eo majori populi Florentini lætitia, quo diuturnior vacationis moleſtia fuerat. Sed cum vix ad quadraginta dies præfuiſſet, ſpem omnem exultantis populi brevitas illa Pontificatus abrupit, vacavitque Sedes ad menſes octo. Ipſe vero ſepultus eſt apud ſuos Prædicatores.* Ughellus loco laudato.

Archie-

Digitized by Google

Anno 1286 Die 13 Junii.

Archiepiſcopo Lugdunenſi, Eduenſi, & F. Raymundo Ord. Prædicatorum Vapincenſi Epiſcopis, ut Archiepiſcopum Viennenſem ab indebito juramento ſolvant (1).

Ex Odorico (2) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXVI num. XXIX.*

XV.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopo (3) Lugdunenſi, Eduenſi (4), & Vapincenſi (5) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Factum narrat. NUper ad noſtrum pervenit auditum, quod nobilis vir Ludovicus de Sabaudia, & alii ejus complices in hac parte, laici diverſarum civitatum, & Diœceſum, venerabilem fratrem noſtrum Guillelmum (6) Viennenſem Archiepiſcopum, Dei timore poſtpoſito, temere capientes, ſeu capi facientes, ipſum tandiu detinuere captivum, donec idem Archiepiſcopus, mediante venerabili fratre noſtro Guillelmo (7) Gratianopolitano Epiſcopo, quaſdam eidem nobili promiſſiones, & obligationes fecit illicitas, & pro illis ſervandis per vim, & metum hujuſmodi, qui cadere poterat in conſtantem, fidejuſſores exhibuit, & præſtitit juramentum. Nos autem nolentes, ſicut etiam nec debemus, ſic temerarium exceſſum ſub diſſimulatione tranſire, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, Mandatum. ſi eſt ita decens, Archiepiſcopum, & fidejuſſores, decernentes, ad obſervationem promiſſionis, ſeu obligationis hujuſmodi non teneri, non permittatis eos ſuper iis ab aliquibus moleſtari, moleſtatores hujuſmodi per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, & ab hujuſmodi juramento indebito hac vice Archiepiſcopum abſolventes eundem, impoſita ei propter hoc pœnitentia ſalutari, dictos ſacrilegos tandiu, appellatione remota, excommunicatos publice nuncietis, & denunciari faciatis diebus dominicis, & feſtivis, in locis, in quibus expedire videbitis, & faciatis ab omnibus arctius evitari, donec ſuper iis ſatisfecerint competenter, & ad Sedem Apoſtolicam venerint abſolvendi, vel alias per Sedem eandem meruerint abſolutionis beneficium obtinere. Dictum autem Epiſcopum ſuper eo, quod promiſſionum & juramenti prędictorum auctor dicitur extitiſſe, cum debuiſſet potius pro viribus repugnaſſe, ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra trium menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi perſonaliter compareat coram nobis, recepturus pro meritis, & alias mandatis noſtris ſuper iis efficaciter pariturus. Diem autem citationis hujuſmodi, & quicquid inde feceritis, nobis per veſtras literas, harum ſeriem continentes, fideliter intimare curetis. Datum Romę apud S. Sabinam Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Solvant.*) *Qua ... ſolicitudine Honorius viros eccleſiaſticos a potentioribus oppreſſos defenderet, demonſtravit*, inquit *Odoricus* loco citato, *cum Lugdunenſi Archiepiſcopo munus injunxit, ut contra Ludovicum Sabaudum, qui Guillelmum Viennenſem Archiepiſcopum captivum abduxerat, atque iniquum ab eo ſacramentum extorſerat, inquireret.*
2. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam XXXVII Libri II Honor. IV.*
3. *Archiepiſcopo.*) *Radulpho de Torote*, de quo *Sammarthani* in *Archiepiſcop. Lugdunen.*
4. *Eduenſi.*) *Æduenſi*, vel *Heduenſi*, vulgo *Autun* in Gallia. Is erat *Jacobus de la Roche*. Adeas *Sammarthanos* in *Epiſcop. Æduen.*
5. *Vapincenſi.*) Is erat *Frater Raymundus de Medullione*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Martini IV.*
6. *Guillelmum.*) *De Valence* cognominatum. De quo *Sammarthani* in *Archiepiſcop. Viennen.*
7. *Guillelmo.*) *De Saſſenage*. Iidem in *Epiſcop. Gratianopolitanis.*

Anno 1286 Die 23 Auguſti.

Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus conſecratur a Fratre Latino (1) S. R. E. Cardinali, Oſtienſi Epiſcopo, Ord. Prædicatorum.

Ex Odorico (2) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXVI num. XXXV.*

XVI.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Petro Patriarchę Conſtantinopolitano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Petri encomium. FActa ſuper hoc (3) nobis a Cardinalibus relatione fideli, nos prędictam electionem, quia eam invenimus de te, viro utique literarum ſcientia prędito, morum elegantia, & honeſtate, decore vitę munditię nitido, & virtutum fulgore pręſigni, ac ſpiritualium, & temporalium providentia circumſpecto, canonice celebratam, de fratrum noſtrorum conſilio, duximus confirmandam; tibique de mandato noſtro A F. Latino conſecratur. per venerabilem fratrem noſtrum Latinum, Oſtienſem Epiſcopum, munere conſecrationis impenſo, demum pallium de Corpore B. Petri ſumptum, inſigne Pontificalis officii, cum ea, qua decuit, inſtantia poſtulatum, tibi fecimus exhiberi, firma ſpe, fiduciaque tenentes, quod Eccleſia ipſa per tuam ſolertem induſtriam, & prudentiam circumſpectam ſpiritualibus & temporalibus, Deo auctore, proficiet incrementis, & tam clerus, quam populus tuo commiſſus regimini, tua ſalubri doctrina, & pię actionis exemplo ad ſalutem ędificabitur animarum. Tu ergo jactans in Domino cogitatum, ac juxta ſpem noſtram, & gratiam a Domino tibi traditam, commiſſum tibi ſuper gregem Dominicum virgę vigilantis officium officioſe, ac vigilanter exercens, extirpandis vitiis, & plantandis virtutibus ſolicitudine invigiles efficaci, ut, tanquam ſtella fixa in Eccleſię firmamento, tibi per vitę meritum, & aliis proficias per exemplum, dum plures erudieris ad ſalutem, in ęternitatis gloria gratulari, ac relucere inter alias clarus merearis, & nos, qui tibi in omni opportunitate favorabiliter adeſſe proponimus, in tuis delectari laudibus merito valeamus. Datum Tibure X Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *F. Latino.*) Beato de quo in *Appendice ad Pontificatum Nicolai III.*
2. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam XCVIII Libri II Honorii IV.*
3. *Super hoc.*) Hinc liquet mutilum eſſe Diploma.

Magi-

Magiſtro, & Provinciali Hiſpaniæ curam Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ Valentin. dat, ipſumque cunctis Privilegiis (1) Ordinis ornat.

Anno 1286 Die 25 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XVII.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Priori Provinciali Hiſpaniç, Ordinis Fratrum Prçdicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolicç Sedis benignitas pia humilium deſideria perſonarum, quç mundanis illecebris libello dato repudii, ſe divinis obſequiis dedicarunt, tanto propenſiori proſequitur ſtudio caritatis, quanto majori propter fragilitatem ſexus indigere ſuffragio dignoſcuntur. Ex parte ſiquidem dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſç & Conventus Monaſterii Sanctç Mariç Magdalenç Valentin., Ordinis Sancti Auguſtini, fuit propoſitum coram Nobis, quod ipſç incluſç corpore in caſtris clauſtralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, de Inſtitutionibus Fratrum Ordinis veſtri illas, quç ipſis competant, hactenus laudabiliter obſervarunt; Cum autem vobis, Magiſter, & Prior, Prioriſſa, & Conventus prçdictç, prout aſſerunt, affectent committi, Nos, pium ipſarum in Domino propoſitum commendantes, devotionis earum precibus inclinati, ipſas, & Monaſterium prçdictum, auctoritate literarum Noſtrarum dictis Magiſtro, & Priori duximus committendum, dummodo ad hoc venerabilis fratris Noſtri Epiſcopi Valentin. loci Diçceſan. accedat aſſenſus; eadem auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut ſub Magiſterio, & doctrina Magiſtri & Prioris Hiſpaniç, qui pro tempore fuerint de cetero maneant, illis gaudentes privilegiis quç prçdicto Ordini ſunt conceſſa, vel in poſterum concedentur, vosque, contraria conſuetudine prçdicti Ordinis, vel Indulgentia ab eadem Sede obtenta, vel etiam obtinenda, nequaquam obſtantibus, animarum Prioriſſç, & Conventus ipſarum ſolicitudinem gerentes & curam, ac ipſis de Conſtitutionibus ejuſdem Ordinis, illas, quç illis competunt, ſine difficultate qualibet exhibentes, eidem Monaſterio per vos, vel alios Fratres veſtri Ordinis, quos ad hoc idoneos videritis, quoties expedire videritis, viſitationis officium impendatis, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quç correctionis, & reformationis officio noveritis indigere; ac nihilominus inſtituatis, & deſtituatis, muretis, & ordinetis, prout in aliis Monaſteriis Monialium ejuſdem Ordinis fieri conſuevit. Electio tamen Prioriſſç libere pertineat ad Conventum; confeſſiones earum audiatis, & miniſtretis eis Eccleſiaſtica Sacramenta. Et, ne, pro eo quod in Monaſterio ipſo Fratres ejuſdem Ordinis continue reſidere non teneantur, pro defectu Sacerdotis poſſit periculum imminere, vos ad confeſſiones in neceſſitatis articulo audiendas & miniſtranda ſacramenta prçdicta eis deputetis aliquos diſcretos, & providos Capellanos. Ad hçc liceat eiſdem redditus, & poſſeſſiones recipere, & libere retinere, non obſtante contraria conſuetudine, vel ſtatuto ipſius Ordinis, confirmatione Sedis Apoſtolicç, aut quacunque firmitate alia roboratis. Quocirca diſcretioni veſtrç per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnia prçmiſſa, ad miniſterium veſtrum, ſpectantia, curetis diligenter, & ſolicite, juxta commiſſionis, & conſtitutionis noſtrç tenorem, ſublato cujuſlibet difficultatis diſpendio, adimplere. Datum Tibure VIII Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplex Sororum petitio.

Conceſſio.

1. *Privilegiis*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar. Aſſervatur Autographum in Monaſterio *S. Mariæ Magdalenæ Valentin.*

Ne Leodienſes (1) Parvuli Baptiſmate, & pœnitentia morientes interdicantur.

Anno 1286 Die 5 Decembris.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

XVIII.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Fratrum Prçdicatorum, Magiſtro Adnulpho de Anagnia, Capellano noſtro, Canonico, ac Officiali Pariſienſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DEcet, venerabilem fratrem noſtrum Leodienſem Epiſcopum ab his omnimode abſtinere, quç poſſent in divinç Majeſtatis offenſam, animarum periculum, & per conſequens in ſuç ſalutis & famç diſpendium, redundare. Sane Magiſtri, Scabini (3), Jurati, & communitas Civitatis Leodienſis, tranſmiſſa nobis conqueſtione, monſtrarunt, quod occaſione cujuſdam quçſtionis, quç inter dominum Epiſcopum ex una parte, & prçfatos Magiſtros, Scabinos, Juratos, & communitatem, ex altera, eſt exorta, idem Epiſcopus in eoſdem Magiſtros, Scabinos, & Juratos, excommunicationis, & in Civitatem prçdictam, Interdicti, Sententias auctoritate propria, promulgavit: & poſtmodum per Abbatem novi Monaſterii juxta Hoeyem (4), & Decanum Eccleſiç S. Mariç Hoeyenſis, Leodienſis Diçceſis, auctoritate, ipſis, ut dicebatur, ab eodem commiſſa, prçtextu quçſtionis ejuſdem, in dictos Magiſtros, Scabinos, & Juratos, ſimiles excommunicationis, & interdicti Sententiç prolatç fuerunt. Et nihilominus Baptiſma parvulorum, pçnitentia morientium, & Dominicum Viaticum in eadem Civitate ſpecialiter interdicta ſunt. Nos igitur, attendentes, quod ex hujuſmodi duorum Sacramentorum defectu, ſcilicet Baptiſmatis parvulorum & pçnitentiç morientium, manifeſtum dictç Civitatis incolis, non ſine gravi Dei offenſa, imminet periculum animarum, ac volentes provide corrigi, quod per eundem Epiſcopum in hac parte minus eſt provide attentatum, eidem Epiſcopo, noſtris damus Literis in mandatis, ut, ſi quod de interdictione prçdictorum Sacramentorum, videlicet, Baptiſmatis Parvulorum, & Pçnitentiç morientium, proponitur, veritate fulcitur, interdictum hujuſmodi quoad eadem duo Sacramenta, qualitercunque ſit, per ſe, ſeu per prçfatos Abbatem, & Decanum, ſive quoslibet alios ſuos commiſſarios, promulgatum, infra octo dies poſt receptionem Literarum ipſarum, ſine difficultate qualibet omnino relaxet. Quo-

Supplex Leodienſium petitio.

Cavet ut ſupra.

Clauſula derogans.

Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi dictus Epiſcopus mandatum noſtrum, infra pręſcriptum tempus, neglexerit adimplere, vos ex tunc interdictum hujuſmodi, quoad pręmiſſa duo Sacramenta, juxta prędictam formam, auctoritate noſtra, per vos, vel per alium, ſeu alios relaxare curetis. Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtante ſi dicto Epiſcopo, aut quibuſcunque aliis ab Apoſtolica Sede ſit indultum, quod excommunicari, interdici nequeant, vel ſuſpendi. Nolumus autem, quod per relaxationem hujuſmodi, alias juri ipſius Epiſcopi, quoad prędictam quęſtionem pręjudicium generetur: aut indulgentia, ſi qua tibi, fili Prior, vel Ordini tuo, a Sede Apoſtolica eſt conceſſa, quod non tenearis te intromittere de quibuſcunque negotiis per Literas ipſius Sedis, niſi in eis de conceſſione hujuſmodi plena, & expreſſa mentio habeatur. Quod ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Romę apud S. Sabinam Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno ſecundo.

1. *Leodienſes.*) Vulgo *Liege* in *Belgio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo aſſervato in Cœnobio noſtro *Leodienſi*.
3. *Scabini.*) Sic Conſules vocant, ut videre eſt in *Sexto Decretal. Libro III Tit. XXIII cap. 1. . . . ſane intelleximus, quod in Regno Franciæ, Communiæ, Scabini, ſeu Conſules &c.* A Gallis ſiquidem Conſules, *Echevins* vulgo nuncupantur.
4. *Hoeyem.*) Oppidum *Hoey*, latine *Hujonum*, *Huum*, & *Huyum*, ſitum eſt ad *Moſam* fluvium.

Anno 1286 Die 18 Decembr.

Provinciali Franciæ, ut ad S. Inquiſitionis officium duos Tabelliones creare poſſit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIX.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Francię, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Conceſſio.

CUm, ſicut dilecti filii Fratres Ordinis Prędicatorum Inquiſitores hęreticę pravitatis in Regno Francię, & in Civitate, ac Dioceſi Carcaſſonen. a Sede Apoſtolica deputati, nobis ſignificare curarunt, Tabelliones, ſeu Notarii publici, cum difficultate in Regno ipſo valeant inveniri, ac iidem talibus Notariis pro Inquiſitionis officio ad veritatem ipſius plenius, & firmius, roborandam, frequenter indigere noſcantur (3) alicui diſcreto, quod uſque ad certum hujuſmodi Notariorum numerum facere valeat, per noſtras concedere literas dignaremur. Gerentes itaque de circumſpectione tua fiduciam in Domino pleniorem, ac volentes, ut prędictum officium plenius, & efficacius, valeat exerceri, tibi concedendi duabus perſonis ydoneis Tabellionatus officium, juxta formam, quam ſervare in talibus Romana Eccleſia conſuevit, liberam concedimus auctoritate pręſentium facultatem. Datum Romę apud S. Sabinam XV Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Poſſit.*) Ut in *Diſſertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Noſcantur . . .*) Adderem: *Nobis humiliter ſupplicarunt, ut*,

Anno 1287 Die 4 Martii.

Pacis Carolum inter & Jacobum ineundæ conditiones a Raymundo Ordinis Prædicatorum, Epiſcopo Vapincenſi, ejuſdem Caroli Principis Salernitani Nuncio, oblatas explodit (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXVII num. IV.

XX.

Honorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Carolo (2), clarę memorię C. . . (3) Regis Sicilię primogenito, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Oratorum Caroli ſupplex petitio.

VEnerabilis Fratris noſtri R. . . . (4) Epiſcopi Vapincenſis, & dilecti filii Gaufridi de Lancello Eccleſię Aptenſis (5) Prępoſiti, Nunciorum tuorum relatione didicimus, quod nonnullis pactis tractatibus inter te, ac Alfonſum (6), & Jacobum, natos quondam Petri, olim Regis Aragonum, hactenus habitis, dictus Alfonſus tibi per Eccleſię Salſenſis (7) Prępoſitum intimavit, quod idem Jacobus & Conſtantia (8) mater ejus ipſum per Nuncios ſpeciales duxerant requirendum, ut a compoſitione, ſive concordia, pridem inter te, illoſque, tractata, dum adhuc eſſes (9) in Sicilię partibus, recedere non deberet, quodque ipſe intendebat omnino eorum in hac parte proſequi voluntatem: veruntamen procuraret, eoſque compelleret, quod contenti exiſterent, ut abſque conditione, vel retentione aliqua, Sicilię Inſulam cum Inſulis omnibus, quę ſibi adjacere noſcuntur, terramque totam infra Rheginenſis Archiepiſcopatus limites conſiſtentem, Tunitiique tributum, Regi Sicilię debitum, eidem Jacobo, & hęredibus ſuis, in perpetuum duceres concedenda; & quod inſuper procurares, & faceres, ut conceſſionem, ſeu donationem hujuſmodi Sedes Apoſtolica confirmaret, ac proceſſus contra eundem Petrum ſuper privatione Regni Aragonię, & alios quoslibet contra pręfatos Alfonſum, & Jacobum, & Conſtantiam, eorumque vaſſallos, per Sedem ipſam habitos, necnon & conceſſionem, de prędicto Aragonum Regno factam, totaliter revocaret. Adjecit quoque ſępe fatus Alfonſus per Salſenſem Prępoſitum ſupradictum, quod nec per obſides, neque per ſecuritates alias poſſes quomodolibet libertati reſtitui, donec pręmiſſa perducta fuerint ad effectum, ac etiam eundem Jacobum, natamque tuam natu majorem (10), & Primogenitum (11) tuum, ac Iſalandam Alfonſi, & Jacobi prędictorum ſororem, contingeret matrimonialiter copulari. Et, ut prędicta poſſent melius perfici, efficaciuſque compleri, treugę, quę Romanam Eccleſiam, & ejus

& ejus valitores, ut patrię verbis utamur, includerent, inirentur a medietate Menſis Maii venturi proximo inchoandę, ex tunc per biennium duraturę, ita tamen, quod idem Jacobus pręfato Alfonſo in guerra qualibet poſſet auxilium impertiri, prout hęc omnia in quadam cedula conſcripta vulgariter, ac nobis per Nuncios tuos ſupradictos exhibita, percepimus plenius contineri. Sane, fili, niſi conſideratio tui ſtatus (12) aliud ſuaderet, grandis ſubiret audientium mentes admirationis, nec minus turbationis, occaſio, ex eo, quod auditum etiam expoſito tibi per dictum Salſenſem Prępoſitum prębuiſti tractatui, vel illum per eoſdem Nuncios tentaviſti nobis exponere; dictive Nuncii miniſterium expoſitionis hujuſmodi aſſumere pręſumpſerunt. Nunquid enim dictorum Alfonſi, vel Jacobi, aut patris, & matris eorum demerita meruerunt, ut tantum de ſuis iniquitatibus commodum conſequantur? In quo unquam ipſi Alfonſus, & Jacobus, eorumve genitrix, etiam poſt memorati Petri obitum, ejuſdem Eccleſię ſe beneplacitis cooptarunt, aut quę correctionis, vel humiliationis indicia prętenderunt, ut talia poſtulare pręſumant? Nunquid per detentionem tui tam arctam, hęc, vel iis ſimilia, cogitant obtinere? Profecto contumacia, & protervia non benevolentiam provocant, ſed indignationem irritant. Cum itaque petitiones in dicto contentę tractatu, nihil rationis habeant nec petentium meritis adjuventur, ſed in ejuſdem Eccleſię, ac tuum grande pręjudicium redundare noſcantur, ut tibi, Alfonſo, & Jacobo, matrique prędictis de ipſius conſummatione, vel approbatione tractatus, ab eadem Sede ullo unquam tempore obtinenda ſpes deinceps aliqua non ſuperſit, ſed pręcidatur omnino, nos tractatum eundem tibi, ut pręmittitur, per memoratum Prępoſitum Salſenſem expoſitum, de fratrum noſtrorum conſilio, reprobantes expreſſe, ac nihilominus, ſi forte de facto proceſſit, caſſantes, & penitus revocantes, ipſum, omnemque alium ei ſimilem pręſumi de cetero diſtrictius inhibemus; & ſi quis hujuſmodi fuerit deinceps quoquo modo pręſumptus, illum ex nunc decernimus irritum, & inanem, ac nullius exiſtere firmitatis. Si tamen memorati Alfonſus, Jacobus, eorumque genitrix, ſe ipſius Eccleſię gratia habilitare ſtuderent, a ſuis deſiſtendo exceſſibus, & circa te, tuamque liberationem pręcipue, ſe humiliter, ac benigne gerendo, quia nunquam gremium redeuntibus claudit Eccleſia, ipſius miſericordiam ſe humiliantibus, &, ut res exigit, pœnitentibus exhibendam, ad tuam maxime inſtantiam eadem Eccleſia non negaret. Datum Romę apud S. Sabinam IV Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Carolum increpat, & petitiones explodit.

1. *Explodit.*) *Suſcepta* ſiquidem *conciliandi fœderis provincia, Eduardus Anglorum Rex impoſuerat iniquas adeo leges Carolo II, ac dignitati Eccleſiæ adverſantes, ut conſtitutas pactiones Honorius, ex Cardinalium conſilio, penitus reſciderit: quarum præcipuæ erant, ut Siciliæ inſula cum adjacentibus inſulis, ac Tunetani Regni vectigali, terriſque omnibus infra Rheginenſis Archiepiſcopatus limites ſitis Jacobo aſſereretur, Alfonſo Aragoniæ jura redderentur, Carolus Sedem Apoſtolicam ad ea rata habenda adduceret*. Ex Odorico.
2. *Carolo.*) *II.*
3. *C....*) *Caroli I.*
4. *R....*) *Raymundi*, De quo in *Appendice ad Pontificatum Martini IV.*
5. *Aptenſis.*) In *Gallo-Provincia*.
6. *Alfonſum.*) *III.*
7. *Salſenſis.*) In Comitatu *Ruſcinonenſi*.
8. *Conſtantia.*) *Manfredi* filia.
9. *Eſſes.*) Anno MCCLXXXV.
10. *Natu majorem.*) *Margaritam*.
11. *Primogenitum.*) *Carolum Martellum*, Regem *Hungariæ*.
12. *Tui ſtatus.*) Bello ſiquidem *Meſſanæ* captus in *Aragonum* cuſtodia erat adhuc.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Honorio IV Summo Pontifice, Promotos exhibens.

PATRIARCHA.

F. Nicolaus de Ancinis Patriarcha Jeroſolymitanus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. IV pag.* 46 *ex Libro Proviſion. Prælatorum Honorii IV, ex Ughello in Mſſ., & Plodio. Monument. Dominican. Parte I Cap. VII pag.* 123. *Cavalerius Tomo I pag.* 46 *num. CXXXII. Deceſſit* Nicolaus, inquit Fontana, *anno MCCLXXXVIII teſte Miræo de Scriptoribus Eccleſiaſticis, qui tamen hunc Nicolaum cum* Nicolao de Hanapis *confundit*. In eandem ſententiam abiere Scriptores varii, quos excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXCI pag.* 427 *col. I.* Verum cum ex *Libro Proviſion. Honorii IV* teneamus iſtum, & *Nicolaus de Hanapis* conſtitutus ſit Patriarcha anno MCCLXXXVIII, ut ex Bullis Pontificiis evincam inferius, unus ab alio omnino diſtinguendus videtur. Anno 1285

ARCHIEPISCOPI.

F. Raymundus Archiepiſcopus Armachanus, in Hibernia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VIII pag.* 54 *ex Plodio, & Luſitano in Chronicis. Monument. Dominican. Parte I Cap. VII pag.* 124. *Cavalerius Tomo I pag.* 48 *num. CXLIII.* Anno 1286.

F. Nicolaus Archiepiſcopus, in Sardinia. *Cavalerius Tomo I pag.* 45 *num. CXXXI, ex Razzio, & Plodio.* Illum crediderim *Nicolaum* de quo *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Sardiniæ.* Anno 1287.

Circa Annum 1287. **F.** Raynerius de Aquino, germanus frater Doctoris Angelici S. Thomæ, Archiepiſcopus Meſſanus, *Meſſina*, in Sicilia. *Bernardus Guidonis de Epiſcopis Siciliæ. Cavalerius Tomo I pag.* 46 *num. CXXXV ex Stephano Sampayo, ex Valle, & ex Manuſcriptis Archivi Cœnobii Neapolitani S. Dominici.*

EPISCOPI.

Anno 1285 Die 21 Julii. **F.** Paparonus de Paparonis, ex Epiſcopo Fulginatenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis IV*, Epiſcopus Spoletanus, in Umbria, immediate ſub Sancta Sede. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Romanæ Provinciæ. Leander Albertus de Viris illuſtribus. Proſper Mandozius Bibl. Roman. Ughellus in Epiſcop. Spoletan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.*1263 *Edit. II. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis pag.*421 *ad annum MCCXC. Cavalerius, & alii de quibus in Appendice mox laudata.*

Anno 1286. **F.** Jacobus Caſtelbonus, ex Priore Cœnobii S. Sabinæ de Urbe, Epiſcopus Florentinus, in Hetruria. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Romanæ Provinciæ. Bulla* -- Debitum -- *Data XXVIII Maii MCCLXXXVI. Ughellus in Epiſcop. Florentinis Tomo III Italiæ Sacræ pag.*128 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.*45 *num. CXXIX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXXXVI pag.*403. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLV pag.*75. Nunc Archiepiſcopalis eſt Eccleſia *Florentina*.

Circa Annum 1287. **F.** Petrus de S. Maxentio, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Terræ Sanctæ. Cavalerius Tomo I pag.*80 *num. CCLII.*

Anno 1287. **F.** Nicolaus Madia, Potentinus, Epiſcopus Gravinenſis, in Apulia, ſub Acheruntino & Materano Archiepiſcopo. *Ughellus in Epiſcopis Potentinis Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 118. *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 48 *num. CXLIV.*

LEGATI.

Anno 1285. **F.** Johannes Baptiſta Tolomei Legatus ad Petrum Aragoniæ Regem. *Cavalerius Tomo II pag.* 69 *num. XVII.* Quo anno miſſus ſit, *Cavalerius* non refert. Verum quia *Petrus* exceſſit e vivis anno MCCLXXXV, quo *Honorius IV* electus eſt, hinc idem annus aſſignandus videtur.

Anno 1285. **F.** Bonifatius Fieſchi, Archiepiſcopus Ravennas, Legatus ad Philippum Regem Franciæ. *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXCIV pag.*437.

Anno 1286. **F.** Idem, & Petrus Archiepiſcopus Montis Regalis Legati ad Alfonſum Regem Aragonum. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXXVI num. XIV* ex Pontificiis Diplomatibus.

NICOLAUS IV

Ordinis Minorum Alumnus, ſucceſſit Honorio, electus (*a*) Die XXII Februarii MCCLXXXVIII. Coronatus fuit Die XXV ejuſdem Menſis. Ad cæleſtem patriam migravit (*b*) Die IV Aprilis MCCXCII. Sedit Annos IV, Menſem I, Dies XIII.

(*a*) Nicolaus IV Libro I Epiſtola I.
(*b*) Bernardus Guidonis.

Magiſtro, & Fratribus, ut piis precibus ipſi ſuppetias ferant.

Anno 1288 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

I.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Definitoribus, ac Capitulo (2) Generali Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a paſtorali ſolicitudine.

DIſponente Summi Regis arbitrio, quo diſpoſitionem ſuſcipiunt univerſa, nos in eminenti Apoſtolatus ſpecula, quamvis immeriti, conſtituti, dum pręſidentię noſtrę locum, quo cunctis Eccleſiis pręſidemus, diligenter attendimus, vehementi, nec immerito, pavore concutimur, & pro incumbenti nobis generalis ſolicitudinis cura quampluribus dubitamus; dumque ſupremum Apoſtolicę Sedis gradum ſedula conſideratione diſcutimus, illumque cernimus ſuperiorem, tanquam de ſummo proſpicientes ad infima, deterremur; Officio ſiquidem ſublimi pręferimur, ſed hujuſmodi miniſterii altitudo occupationes nobis immenſas ingerit, anguſtias ſubminiſtrat, ex quibus nos jugiter afflictionum multitudo circumdat, nunc etenim ingentium cogitationum onere premimur, nunc ſolicitudinum ſarcina pręgravamur, nunc ingruentium undique agendorum turba impetimur, infeſtamur negotiis, afficimur tędiis, curis diſtrahimur, & laborioſis exercitiis fatigamur adeo, quod vix nobis interdum reſpirare conceditur, vix particula temporis reſtare nobis dignoſcitur ad quietem. Cumque in nobis tantorum molem laborum incumbere videamus, ac ex univerſali ſuſcepto regimine ſimus ſingulis debitores, digna formidine dubitamus, ne humerorum noſtrorum debilitas ſub tanti ponderis gravitate ſuccumbat; neve minus ſufficienter, propter inſufficientię noſtrę defectum, ſervitutis Apoſtolicę debitum perſolvamus: quamobrem aliorum ſuffragia fore nobis opportuna, conſpicimus, ut illorum efficaciter ope ſuffulti, poſſimus ſalubriter, divina favente gratia, injunctum nobis miniſterium adimplere. Ideoque devotionem veſtram attente requirimus, rogamus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus, cum ad ferenda tot onera vires noſtrę non ſufficiant, veſtris nos ſacris impendiis adjuvantes, intendatis pro Nobis, & Eccleſia, inſtanter ad Dominum medullata precum holocauſta, cum devotę orationis incenſo, in conſpectu ejus, ſinceris, ac totis animis, offerentes; ut nobis, ad gerendum utiliter, & ſalubriter gubernandum, commiſſum noſtrę cuſtodię, gregem ſuum, ſufficientem gratiam miſericorditer largiatur, diſcordes humiliet, conatus infringat, & per vitiorum invia gradientes, clementer revocet ad ſuorum ſemitam mandatorum, voſque de nobis, tanquam de ſpeciali, benevolo, & benigno Patre, veſtrique Ordinis amatore, firmam ſpem, ac fiduciam habeatis, cum Ordinem ipſum munire favoribus, augere gratiis, & beneficiis, intendamus. Datum Romę apud S. Petrum III Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Piis Fratrum precibus ſe commendat.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar *Tomo II Actorum Capitulorum General. fol.*422. Idem tranſcripſit *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap.VII pag.*127.

2. *Capitulo*.) *Lucæ* in *Hetruria* celebrando *Kalendis Junii MCCLXXXVIII.*

Fratribus Jacobo de Voragine (1) Ordinis Prædicatorum, & Ruffino de Alexandria (2) Ordinis Minorum, ut Genuenſes a Cenſuris eccleſiaſticis ſolvant (3).

Anno 1288 Die 18 Maii.

Ex W*addingo* (4) *Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCLXXXVIII num.XIII pag.*533.

II.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Jacobo de Voragine Prędicatorum, & Ruffino de Alexandria Minorum Fratrum Ordinum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Genuenſium ſupplex petitio.

SUa nobis dilecti filii Poteſtas, Capitanei, Conſiliarii, & Commune Januen. petitione monſtrarunt, quod nonnulli de civitate Januen., ejuſque diſtrictu, pro eo, quod Siculis contra interdictum Sedis Apoſtolicę participaſſe noſcuntur, cum eis mercimonia exercendo, latam in tales per Sedem ipſam excommunicationis ſententiam incurrerunt. Quare fuit nobis pro parte prędictorum Poteſtatis, Capitanei, Conſiliarii, & Communis Januen. humiliter ſupplicatum, ut, cum prędicti excommunicati parati ſint humiliter Eccleſię mandatis parere, provideri eis de abſolutionis beneficio mandaremus. Nos itaque dictorum Poteſtatis, Capitanei, Conſiliarii, & Communis ſupplicationibus, ob devotionem ſinceram, quam ab olim eorum univerſitas ad Romanam geſſit Eccleſiam, favorabiliter annuere intendentes, ac gerentes de veſtra circumſpectione fiduciam pleniorem, diſcretioni veſtrę prędentium auctoritate committimus, & mandamus, quatenus a pręfatis excommunicatis, cum a vobis abſolutionem hujuſmodi humiliter duxerint poſtulandam, ſufficienti de parendo mandatis Eccleſię cautione recepta, ipſos a prędicta ſententia hac vice vos, & alter veſtrum, abſolvatis, juxta formam Eccleſię, vice noſtra, injungendo eis propter hoc pęnitentiam ſalutarem, & quod deinceps Siculis prędictis, & Jacobo filio quondam Petri de Aragonia, aut eorum fautoribus, complicibus, ſeu ſequacibus, nullum in iis, pro quibus ex-

Mandatum.

excommunicati habentur, impendant auxilium, conſilium, vel favorem. Proviſo, quod ad abſolutionem illorum, qui Petro quondam Regi Aragonum, Jacobo nato ejus, ac Siculis, vel eorum quibusvis complicibus, fautoribus, ſeu ſequacibus, per ſe, vel alios in iis, pro quibus excommunicati ſunt, vel fuerunt, impenderunt alias auxilium, conſilium, vel favorem, nullatenus procedatis ſine Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali. Non obſtante indulgentia, per quam vobis. filii, Jacobe, & Ruffine, vel Ordinibus veſtris, a Sede Apoſtolica dicitur eſſe conceſſum, quod non teneamini, vos intromittere de quibuſcunque negotiis, quę vobis per literas Apoſtolicas committuntur, niſi in eis de indulto hujuſmodi & Ordine veſtro plena & expreſſa mentio habeatur. Datum Reate XV Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Jacobo de Voragine.*) Pietate, diſciplina regulari, doctrina, ſalutis animarum ſtudio, prudentia, rerumque agendarum peritia clariſſimo. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCXCVIII pag.* 454.

2. *Ruffino de Alexandria.*) De quo Waddingus laudatus.

3. *Solvant.*) Conſulendus *Bzovius ad an. MCCLXXXVIII num. VI.*

4. *Waddingo.*) Ejuſdem meminit *Bzovius* loco citato. Addit *Waddingus*, quod iſti *adjunxit aliam* Epiſtolam *Nicolaus ad Poteſtatem, Capitaneos, Conſiliarios & Commune Januenſes, monens eos de auctoritate, Jacobo, & Ruffino prædictis commiſſa, conceditque eis, ut cum Siculis commercium inire poſſint titulo cujuſcunque contractus, non tamen auxilii, aut conſilii contra Carolum, aut ſequaces, praſtandi.*

Anno 1288 Die 28 Julii.

Solius Romani Pontificis juris ac poteſtatis (1) eſſe Ordinem noſtrum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

DUm ſollicitę conſiderationis indagine perſcrutamur, quod vos, mundi ſpretis illecebris, voluntarię paupertatis ſubire onera, ut Chriſti pauperis liberius inſiſtatis obſequiis, elegiſtis, abnegando, quamvis ſalubriter, voſmetipſos: Dum etiam intra mentis archana revolvimus, quod Ordo veſter in agro dominico ſuperna diſpoſitione plantatus, uberes in orreum Domini fructus inſert, quodque ſalutis commoda grandia ex veſtrę ſollicitudinis ſtudio, quod laudabiliter continuare fatagitis, fidelium proveniunt animabus, dignum, & rationi conveniens arbitramur, ut vos, dictumque Ordinem opportuni favoris proſequamur auxilio, & ſpecialis gratię privilegio muniamus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod vobis, & Ordini veſtro, nonnullas libertates, & immunitates, Apoſtolicę Sedis benignitas duxit hactenus concedendas: Sed quidam veſtrę quietis otio invidentes, ſuper eis, vos, & Ordinem ipſum moleſtant multipliciter, & perturbant; Propter quod vobis facultas adimitur, libere divinis obſequiis inſiſtendi. Quare ſuppliciter petebatur a nobis, ut vobis, & eidem Ordini, ſuper hiis providere de benignitate ſolita dignaremur. Nos itaque diligentius attendentes, quod eo efficacius, & commodius cultui divinorum, ſalutis operibus, & animarum profectibus intendere, ac vacare poteritis, quo quietior & tranquillior fuerit ſtatus veſter: Volentes quoque pręrogativa favoris & gratię vos, & Ordinem proſequi memoratum: vos, & prędictum Ordinem, ac Eccleſias, Oratoria, domus, & loca veſtra, in quibus habitatis, & inhabitabitis, dum ea inhabitaveritis, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, a cujusvis alterius juriſdictione, ac poteſtate omnimoda, prorſus eximimus de gratia ſpeciali, decernentes ex nunc eundem Ordinem, ac perſonas, Eccleſias, oratoria, Domus & loca prępfata ſoli Romano Pontifici, & Romanę Eccleſię, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus abſque ullo medio ſubjacere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę exemptionis, & Conſtitutionis &c. Datum Reate V Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex Fratrum petitio.

Decernit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Juris ac Poteſtatis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Aſſervantur alia in Cœnobiis *Faventino, Taurenſi*, & *Tudenſi*. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplaria Authentica habes in Archivo Ordinis inter Diplomata *Nicolai IV, libro E. fol.* 73., *libro B. foliis* 191, & 419. Legitur etiam apud *Uſuſmarem pag.* 63, *Caſtellanum pag.* 50, in *Conſtitutionibus anni MDV num. LXIX*, in *aliis anni MDVII num. LXXIII.*

Anno 1288 Die 28 Julii.

Diſcedentes ab Ordine noſtro poſt Vota ſolemnia nuncupata, ad honores nullatenus aſcendere poſſe (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter cetera vobis, & Ordini veſtro ab Apoſtolica Sede conceſſa expreſſe reperitur inhibitum, ne quis poſt profeſſionem in Ordine veſtro factam ab ipſo ſine Magiſtri, vel ſui Prioris, diſcedat licentia, diſcedentem vero abſque cautione literarum alterius ipſorum, prętextu alicujus privilegii Apoſtolicę Sedis, nullus audeat retinere, quod ſi forte retinere pręſumpſerit, vobis, Magiſter, vel ſinguli Priores dumtaxat, licitum ſit in ipſos diſcedentes Fratres excommunicationis ſententiam promulgare; ſed nonnulli Ordinis veſtri Fratres poſt factam in ipſo profeſſionem, ab eis, infirmitate mentita, & aliis confictis mendaciis, ac per malignitatis aſtutias occaſionibus variis adinventis, & ambitionibus creſcentibus in eiſdem, a Superioribus ſuis interdum exeundi de Ordine ipſo licentiam poſtulant, eamque obtineut ab eiſdem, interdum vero illicentiati exeunt de eodem, ad alios Ordines convolantes, in quibus ad dignitates, pręlaturas, ac officia aſſumuntur, non ſine proprię ſalutis diſpendio, & derogatione non mo-

Decernit ut ſupra.

modica honeſtatis Ordinis memorati. Nos itaque volentes congruę medelę huic morbo remedium adhibere, & animarum obviare periculis, & evagandi materiam amputare, auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut Fratres veſtri Ordinis qui poſt profeſſionem ab eis in Ordine ipſo factam, anno probationis completo, ad quoſcumque Ordines alios profeſſionis cujuslibet, petita, vel non petita, obtenta, vel non, a Superioribus ſuis licentia, immediate, vel per alium, ſeu alios Ordines mediate tranſierunt, jam, ſive tranſierint in Ordine, vel in Ordinibus, ad quem, vel ad quos, tranſitum habuerunt, aut eos impoſterum habere contigerit, vel etiam extra illos, ad nullam omnino adminiſtrationem, vel officium, curam animarum habentia, nec etiam ad aliquam Dignitatem, vel Prælaturam, ſeu perſonatum quoquo modo poſſit aſſumi, abſque Apoſtolicę Sedis ſpeciali, & expreſſa licentia, per ipſius Sedis patentes literas concedenda, facientes plenam, certam, & determinatam de Statuto, & ordinatione hujuſmodi mentionem; Nos enim nichilominus ex nunc irritum, & inane decernimus, ſi ſecus in hac parte fuerit attemptatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri Statuti, Ordinationis, & Conſtitutionis &c. Datum Reate V Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Poſſe.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplaria Authentica *Libro B. folliis* 191, & 328, *Libro E. fol.* 74, & inter *Bullas Nicolai IV.* Autographa tenent Conventus *Leodienſis*, *Urbis Veteris*, & *Tudenſis*. Legitur inſuper apud *Uſaſmarem pag.* 63, *Caſtillanum pag.* 51, *in Conſtitutionibus anni MDV num. LXX*, *in aliis anni MDVII num. LXXIV.*

Quicquid in gratiam Monaſterii S. Annæ de Nuceria (1) teſtamento Petri, Capudaquen. (2) Epiſcopi, cautum eſt, ratum habet, & firmat.

Anno 1288 Die 5 Auguſti.

Ex Archivo (3) Ordinis.

V.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Pernę, Abbatiſſę, & Conventui Monaſterii Sanctę Annę de Nuceria Chriſtianorum, Ordinis Sancti Auguſtini, Salernitan. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PEtitio veſtra, Nobis exhibita continebat, quod olim (4) bonę memorię Petrus, Capudaquen. Epiſcopus, dum viveret, de propria ſalute cogitans, de ſpeciali licentia. & expreſſo conſenſu venerabilis Fratris noſtri Gerardi (5) Epiſcopi Sabinen., in partibus illis Apoſtolicę Sedis Legati, ſtatuit, voluit, & etiam ordinavit, quod in domo ſua, quam tunc habebat in Nuceria Chriſtianorum, fieret Eccleſia ad honorem Dei, ac cultum, & laudem, & vocabulum Sanctę Annę Matris D. Marię Virginis glorioſę: ac demum prędicta Eccleſia vocaretur Monaſterium Sanctę Annę, in quo inſtitueretur Abbatiſſa, & Collegium perſonarum, quę ſub Regula B. Auguſtini in eo perpetuo devotum virtutum Domino impenderent famulatum; ac conſiderans, quod idem Monaſterium, velut novella plantatio, per induſtriam tuam, Filia in Domino Abbatiſſa, quę Monialis Monaſterii Sancti Pauli de Podio Donado Ordinis Sancti Auguſtini, Sabinen. (6) Diœceſis, ſalutaribus proficere poterat incrementis, te ipſi Monaſterio in Abbatiſſam, ejuſdem Legati auctoritate, prefecit prefatas poſſeſſiones, & omnia alia bona ſua in Nuceria, & ejus territorio per ipſum Epiſcopum acquiſita, & ex tunc etiam inibi acquirenda. cum Domo quam Epiſcopus ipſe prope Monaſterium S. Petri ad Aram Neapolitan. emerit, tibi, prędicta Abbatiſſa, & per te omnibus, & ſingulis Abbatiſſis, & Monialibus dicti veſtri Monaſterii, quę vobis ſuccederent in futurum, liberaliter concedendo. Voluit etiam idem Capudaquen. Epiſcopus, & mandavit, quod quicquid de bonis ſuis mobilibus in dicto Monaſterio Sanctę Annę, ſeu in Territorio Nucerię ſupradictę poſſet quomodolibet reperiri, poſtquam ipſe in fata contingeret deceſſiſſe, foret prędicti veſtri Monaſterii, in ejus utilitatem totaliter convertendum, prout in Inſtrumentis publicis, inde confectis, plenius dicitur contineri: Dictuſque Legatus premiſſa omnia rata habens, & grata, illa ſuę Legationis auctoritate approbavit, & etiam confirmavit. Poſtmodum autem prędictus Capudaquen. Epiſcopus, dum de Curia Romana rediret, ad quam pro negotiis Regni Sicilię ab eodem Legato tranſmiſſus fuerat, antequam ordinationi, & conceſſioni, ſeu donationi hujuſmodi Capitulum Capudaquen. preberet aſſenſum, apud Dominum Militię Templi de Ceperanis in lecto ęgritudinis, ex qua noſcitur obiiſſe, decumbens, omnia bona ſua mobilia, quę habebat in prędicta Nuceria, & ejus diſtrictu, & haberet tempore mortis ſuę Neapoli, & in Curia ſupradicta penes mercatores Senenſes de Societate Bonaventurę Bernardini de Senis, ac ducentas, & ſexaginta Uncias auri, in quibus quondam Rugerius de S. Severino Comes Marſici, ex cauſa mutui, eidem Capudaquen. Epiſcopo tenebatur, dicto veſtro Monaſterio legavit, reliquit, atque donavit, pro emendis poſſeſſionibus ad opus Monaſterii ſupradicti, & pro Eccleſia ipſius Monaſterii fabricanda, prout prędicto Sabinen. Epiſcopo, quem ad ultimę voluntatis, quoad pręmiſſa, executionem conſtituit, expediens judicetur. Aſſeruit inſuper idem Capudaquen. Epiſcopus in hujuſmodi ultima voluntate, quod omnia bona prędicta per eum juſtis modis, antequam perveniret ad Epiſcopalem dignitatem, fuerint acquiſita (7), ſicut in eadem ultima voluntate dicitur expreſſius contineri. Demum Venerabilis Frater noſter Gobertus (8) Capudaquen. Epiſcopus, qui eidem Petro Epiſcopo immediate ſucceſſit (9) in regimine Eccleſię ſupradictę, quę in pręmiſſis per eundem Epiſcopum prędeceſſorem ſuum facta fuerant, libere acceptavit. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut quod per eundem Epiſcopum factum eſt in hac parte, ratum habentes, & gratum, id dignaremur Auctoritate Apoſtolica confirmare. Nos autem veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper iis a prędicto Capudaquenſi Epiſcopo factum eſt ratum, & gratum habentes, illud auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnem defectum, ſi quis in pręmiſſis univerſis, & ſingulis extitit, de Apoſtolicę plenitudine poteſtatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Romę Nonis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex Sororum Petitio.

Confirmatio.

1. Nu-

1. *Nuceria.*) Urbs eſt Principatus Citerioris in Regno *Neapolitano*. Vocatur *Nuceria Chriſtianorum*, ut a *Nuceria Saracenorum* diſtinguatur quæ vulgo etiam dicitur *Nuceria Paganorum*, vel quia *civitas manibus caret, & cives in Pagis XXIV habitant*, ut inquit *Ughellus in Italia Sacra ad Epiſcopos Nuceriæ*, vel, ut nonnullis placet, quia Saraceni Pagani *Nuceriam* ſæpius ſeſe receperunt.

2. *Capudaquen.*) Seu *Caputaquen.*, vulgo *Capaccio* in eodem Principatu. *Petri Caputaquenſis* Epiſcopi meminit *Ughellus in Italia Sacra inter Epiſcopos Caputaquenſes*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum eſt in Monaſterio *S. Annæ de Nuceria*.

4. *Olim.*) Obierat *Petrus* anno MCCLXXXVI. Adeas *Ughellum* loco citato.

5. *Gerardi.*) De quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCLXXVII pag.225.*

6. *Sabinen.*) In Ditione Pontificia.

7. *Acquiſita.*) Vide *Canones Quæſt. V Cauſa XIV.*

8. *Gibertus.*) *Gibertus* etiam vocatur a *Rocche Pirro* in *Notitia Agrigentinæ Eccleſiæ*. Sed *Ughellus* in *Epiſcop. Caputaquen.* ipſum nuncupat *Gibertum*. Anno MCCLXXXVI Decimo Kalendas Septembris ex *Agrigentina* Sede ad *Capudaquenſem* translatus eſt *Gibertus*, ut videre eſt *Epiſtola CXIX Libri II Honorii IV.*

9. *Immediate ſucceſſit.*) Hinc emendandus *Pirrus* mox laudatus, qui *Gibertum* anno MCCLXXXIV menſe Junio obiiſſe narrat. Cum enim *Petrus* a vivis ceſſerit anno MCCLXXXVI, ut ex *Ughello* dictum eſt, ipſique *Gibertus immediate ſucceſſerit*, ut ex hoc Diplomate conſtat; liquet, erraſſe *Pirri* librarium. Id inſuper evincit *Ughellus* ex *Regeſto Caroli II*, his verbis: *Fuit hic* (Gibertus) *Regius Conſiliarius, & Regiæ Curiæ Rationalis anno MCCXCII, ut ex Regeſto Neapolitan. Caroli II* videre eſt. *Deceſſit circa annum MCCXCIV; & cum quædam ſacra paramenta Eccleſiæ ſuæ legaſſet, Johannes ſucceſſor petiit a Rege, ut libere reſtituantur anno MCCXCV, ut narrat regium Regeſtum. Giberti, ſub nomine Goberti meminit Rocchus Pirrus Notitia III Agrigentinæ Eccleſiæ, ſed perperam refert, illum obiiſſe menſe Junio MCCLXXXIV, cum luce clarius pateat ex Regeſto Vaticano anno MCCLXXXVI ad Caputaquenſem hanc Sedem translatum fuiſſe, in eaque extrema clauſiſſe anno MCCXCIV.*

Anno 1288 Die 3 Septembris.

Fidei præconibus, ſeu Miſſionariis Ordinis, varia privilegia (1) concedit.

Ex Bullario (2) Uſuſmaris pag.64.

VI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Prędicatorum, ad terras Saracenorum (3), Paganorum, Grecorum, Bulgarorum, Cumanorum, Valacorum, ubicumque exiſtentium, Æthiopum, Syrorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zirorum (4), Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moſſelitorum (5), Tartarorum, Hungarorum majoris Hungarię, Chriſtianorum Captivatorum apud Tartaros, aliarumque exterarum Nationum Orientis communionem S. Romanę Eccleſię non habentium, proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm hora undecima ſit diei hominibus &c. (6). Nulli ergo &c. Datum Reate III Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Bullario.*) Idem Diploma legere eſt apud *Caſtellanum pag.49., in Conſtitutionibus anni MDV num.LXIX, in aliis anni MDVII num.LXXII.* Ipſius meminere *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXVIII num.XI, Odoricus ad eundem annum num.XXXII.*

3. *Saracenorum.*) Conſulandum *Diploma datum XXIII Julii MCCLIII.* Hinc videre eſt Fratrum Ordinis conſtantem ad innumeras barbaras gentes miſſionem.

4. *Zirorum.*) Seu *Zicorerum*, de quibus in Diplomate mox laudato.

5. *Moſſelitorum.*) vide *Notam V ad Bullam datam XXIII Octobris MCCCXXI.*

6. *Hominibus &c.*) Ut in Conſtitutione mox laudata in *Annotatione III* ad finem uſque.

Anno 1288 Die 5 Septembr.

Fidei Cenſoribus Ordinis Prædicatorum, & Minorum, ut Chriſtiani, Judaicos ritus ſectantes (1) plectantur.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol.566.

VII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatorum, & Minorum, Ordinum, Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, auctoritate Sedis Apoſtolicę deputatis, & in poſterum deputandis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TUrbato corde audivimus, & narramus &c. (3). Datum Reate (4) Nonis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Sectantes.*) *Creverat* enim *per eos dies rejudaizantium ſecta, cum qui ex judaiſmo Chriſtianiſmum profeſſi fuerant, denuo certis ablutionibus, eraſionibus, ac verborum formulis, abjurata fide, ad perfidiam judaicam recipiebantur. Qui vero a Chriſtianiſmo ad judaiſmum tranſibant, præterea circumcidebantur, ſed vario ritu a judæis natis, ut ab iis diſtinguerentur: contra quos omnes Nicolaus Papa hoc ipſo anno, Pontificatus ſui primo, Nonis Septembris, ad Fratres Inquiſitores Ordinum Prædicatorum & Minorum Conſtitutionem edidit.* Spondan. Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXVIII num.VII.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, ex Autographo aſſervato in *Barchinonenſi* Cœnobio. In *Bullario Romano* eſt I. Idem exſcripſerunt *Eymericus Directorii Inquiſitor. Parte II Quæſt. XLIV pag. 371, Bzovius ad annum MCCLXXXVIII num.IX.*

3. *Narramus &c.*) Ut in *Diplomate date XXVII Julii MCCLXVII.*

4. *Reate.*) Sic in *Authentico*, & apud *Bzovium*, at *Eymericus* & *Cherubinus* non *Reate*, ſed *Romæ* legendum cenſent.

Ne

Ne quis ex noſtris ſine licentia Generalis Magiſtri, vel Provincialis, fiat Epiſcopus (1). Anno 1288 Die 24 Septembris.

Ex Arch. (2) Ordinis lib. B. fol. 325, & 413.

VIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Beuedictionem.

PEtitio tua, Nobis exhibita, continebat, quod &c (3). Datum Reate VIII Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Epiſcopus.*) Videas *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Aſſervatur Authographum in Cœnobiis *Taurenſi, Urbis Veteris*, & *San-Maximinenſi*.
3. *Quod &c.*) Ut in *Diplomate dato XV Julii MCCLII.*

Leges in hæreticos latæ (1). Anno 1288 Die 23 Decembris.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXVIII num. XXVII.

IX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis nobilibus viris Comitibus, Baronibus, Seneſcallis, Caſtellanis, Vicariis (3), Ballivis, Rectoribus, Judicibus, Conſulibus, Conſiliariis, & Communitatibus Civitatum, caſtrorum, & aliorum locorum infra Arelatenſis (4), Aquenſis, & Ebredunenſis Provinciarum terminos conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm adverſus hęreticam pravitatem quondam Fridericus Romanorum Imperator, tunc in Eccleſię Romanę devotione perſiſtens, promulgaverit quaſdam Leges, per quas, ne pervagetur, compeſci poſſit peſtis illa, Nos illas volentes ad robur fidei, ac ſalutem fidelium, obſervari, univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eas, quarum tenores vobis mittimus inſertos pręſentibus, faciatis ſinguli in veſtris Capitularibus annotari, contra hęreticos ſectę cujuslibet ſecundum eas exacta diligentia proceſſuri. Alioquin dilectis filiis Fratribus Inquiſitoribus hęreticę pravitatis Ordinis Prędicatorum, vel Minorum, ac eorum ſingulis, literis noſtris injungimus, ut vos ad id, per excommunicationem in perſonas, & interdictum in terram, appellatione remota, compellant. Tenores autem Legum ipſarum hi ſunt. Fridericus &c (5). Datum Romę apud S. Mariam Majorem X Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Latæ.*) Qua de cauſa leges illas renovaverit *Nicolaus*, docet *Odoricus* loco citato, his verbis. *Ne fidei catholicæ cultus in nonnullis Galliarum Provinciis, quas Vvaldenſium lues infecerat, obſoleſceret, illarum Magiſtratibus, Præfectiſque, conſtitutas a Friderico Imperatore in hæreticos leges tranſmiſit, ut in notatos ea infamia diſtringerent.*
2. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam CCLX Libri I Nicolai IV.*
3. *Vicariis.*) Gallice *Viguier*.
4. *Arelatenſis.*) In *Gallo-Provincia*, ubi ceteræ civitates de quibus in hoc Diplomate.
5. *Fridericus &c.*) Ut in *XXXIV Conſtitutione Innocentii IV ſuperius exſcripta pag. 125.* Conſulendus *Odoricus* citatus.

Vivæ vocis oraculo Monialibus Monaſterii S. Pauli de Urbe Veteri, Ord. S. Benedicti, ut Fratribus noſtris peccata ſua confiteri poſſint conceditur. Anno 1289 Die 5 Julii.

Ex Archivo (1) Ordinis lib. B. fol. 331.

X.

Fr. Latinus (2), permiſſione Divina Oſtien. & Velitrin. Epiſcopus Religioſis Ancillis Chriſti Abbatiſſę & Conventui Monaſterii S. Pauli de Urbe Veteri, Ordinis S. Benedicti, Salutem in Domino ſempiternam.

Conceſſio.

AUctoritate Sanctiſſimi Patris D. Nicolai Papę IIII, commiſſa Nobis oraculo vivę vocis, liberam vobis tenore pręſentium concedimus facultatem; confitendi peccata veſtra Priori Conventus Fratrum Prędicatorum de Urbe Veteri, & tribus aliis Fratribus eiuſdem Conventus, quos idem Prior, cum conſilio diſcretorum Fratrum, ad hoc duxerit deputandos, ita quod ſinguli eorundem ſingulas veſtrum poſſint a peccatis, de quibus eis confeſſę fuerint, necnon a ſententiis Canonis, cum fuerit opportunum, abſolvere, ac penitentias vobis iniungere ſalutares, in illis duntaxat caſibus, in quibus Dięceſani Epiſcopi Monialibus ſibi ſubiectis poſſunt hujuſmodi abſolutionis officium impertiri; Vos autem, Abbatiſſa, ordinabitis, prout videritis expedire, quę de Monialibus veſtris, quibus ex memoratis quatuor Fratribus, debeant confiteri. In cujus rei teſtimonium pręſentes literas vobis concedimus, ſigilli noſtri appenſione munitas. Datum Reate III Nonas Julii, Pontificatus prędicti D. Nicolai Papę IIII Anno Secundo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Monaſterio *S. Pauli Urbevetani*.
2. *Latinus.*) Beatus, de quo ſæpius dictum eſt.

Inqui-

Anno 1289 Die 26 Auguſti.

Inquiſitoribus Ordinis, quos variis privilegiis donat, agenda præſcribit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum, Inquiſitoribus hęreticę pravitatis in Lombardia & Marchia Januen. deputatis auctoritate Apoſtolica, & in poſterum deputandis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet ex omnibus mundi partibus &c (3). Datum Romę VII Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Præſcribit.*) Dicetur in *Diſſertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *S. Euſtorgii Mediolan.* Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Partibus &c.*) Ut in *Diplomate Dato XX Martii MCCLXII.*

Anno 1289 Die 13 Septembris.

F. Nicolao (1) de Hanapis, Patriarchæ Jeroſolymitano, viginti triremes Terræ Sanctæ ſubſidio profectas eſſe ſignificat (2).

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXIX num. LXIX.

XII. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Patriarchę Jeroſolymitano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Nunciorum petitio.

Nunciorum ipſorum (4) petitio facta nobis hoc inter cetera potiſſimum, & ſpecialius habuit, ut viginti galeas (5), gente, ac aliis neceſſariis, plene munitas, ad ultra marinas partes, pro ejuſdem Terrę Sanctę cuſtodia, impręſentiarum mittere dignaremur. Cum itaque petitionem eandem ad exauditionis gratiam benignius admittentes, hujuſmodi viginti galeas, gente, ac aliis neceſſariis munitas, ut expedit, & inſtructas uſque ad annum, de pecunia dictę Terrę deputata ſubſidio, ad partes ipſas pro hujuſmodi cuſtodia ſub ducatu, ſeu cura venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Tripolitani (6) deſtinemus ad pręſens, te, & eodem Epiſcopo, ac dilecto filio nobili viro Johanne de Grilli (7) Capitaneo gentis cariſſimi In Chriſto filii noſtri Philippi, Regis Francorum Illuſtris, in Civitate Aconenſi ſuper gubernatione, cura, ſeu regimine galearum ipſarum, & perſonarum exiſtentium in eiſdem, poſtquam ad partes ipſas pervenerint, per noſtras literas conſtitutis, fraternitatem tuam rogandam attente duximus, & hortandam, nihilominus tibi per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus tanquam vir conſtans, & ſtrenuus, aſſumens vigorem ſpiritus in adverſis (8), ſpemque tuam fiducialiter ponens in Domino, qui ſperantes in ſe non deſerit, ſed aſſiſtit opportunis favoribus ſervis ſuis, ſeque timentibus exhibet firmamentum, animo (9) intrepido perſiſtas ad continuam Civitatis Aconenſis prędictę, ac aliarum terrarum, & locorum, quę a Chriſtianis tenentur, cuſtodiam, cunctis ſtudiis, cunctiſque viribus intendendo, ut illa, favente Domino, ab inſidiantis nequitia tuta permaneant, & ab ejus fraudulentis aggreſſibus ſit (10) ſecura. Nos enim ad ſtatum Terrę Sanctę prędictę proſperum votis ardentibus aſpirantes, ad alia ejuſdem Terrę continua, & potiora exhibenda ſubſidia diligenter & ſolicite vigilamus. Datum Reate Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Ipſis Summus Pontifex aſſentitur.

1. *Nicolao.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Martini IV.*
2. *Significat.*) Ut enim docet *Odoricus* loco laudato, numero LXVIII, *imminebat victor barbarus Chriſtianorum reliquiis, cum Henricus Jeroſolimorum, & Cypri Rex, inducias a Sultano flagitavit, quas barbarus conceſſit, ne occidentem in ſe nimiis progreſſibus concitaret. Quibus pactis Henricum abiiſſe in Cyprum, refert Sanutus* (lib. III Parte XII Cap. XX) *ipſo tempore Rex Henricus exiſtens Ptolemaide firmavit treugam cum Soldano, & ex utraque parte juramento firmata, in Cyprum rediit de menſe Auguſti, Almericum fratrem relinquens ad cuſtodiam civitatis. Infregiſſe poſtea eas inducias Chriſtianos, ac Saracenos in ſe efferaſſe*, narrat idem *Raynaldus*; ut igitur auxilio ſit Catholicis, viginti triremes, rebus omnibus inſtructas, Summus Pontifex mittit, & hac de re Patriarcham *Jeroſolymitanum* certiorem facit.
3. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam LXV Libri II Nicolai IV.*
4. *Ipſorum.*) Hinc mutilum videtur Diploma.
5. *Galeas.*) Seu *triremes*.
6. *Tripolitani.*) Legendum Diploma tranſcriptum ab *Odorico ad annum MCCXC num. VIII.*
7. *Johanne de Grilli.*) De quo *Sanutus* loco laudato, & *Jordanus in Mſ.* apud *Odoricum ad annum MCCXC num. VII.*
8. *In adverſis.*) Conſulendus *Anonymus* coætaneus Patriarchæ apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCXCI. pag. 422 &c.*
9. *Animo intrepido.*) Infracti animi virum fuiſſe *Nicolaum*, conſtat ex *Anonymo* mox citato; nec enim adduci potuit Paſtor bonus, ut, *Aconenſi* Civitate a Saracenis capta, gregem ſibi commiſſum deſereret, ſed invitus ab eo divulſus eſt. *Miniſter hoſpitalis*, inquit Anonymus, *pluribus in locis lethaliter vulneratus, equo quem inſederat interfecto, a ſuis ſubtractus uſque ad mare portantibus recipitur in dromonem* (navim ſcilicet.) *Patriarcha ſimiliter ſe invito ſuorum conatibus uſque ad portum vi trahitur, voce reclamitans queruloſa: En vobis delirus ego ſum, qui me invitum trahitis, & gregem mihi commiſſum in tali dimittam periculo peremturum* (periturum.)..... *De his.... qui a conſpectu Saracenorum in domum templi ſe receperant, plures eorum natando per mare, ſe maris periculis exponentes, uſque ad illas, qui naves aſcenderant, pervenerunt. De quibus pius Patriarcha in ſua navi tot recepit, quod navis fundum petens periclitata eſt præ pondere perſonarum, & ſic ſubmerſi ſunt univerſi.* Conſule *Cavalerium Tomo I pag. 694 num. 4.*
10. *Sit.*) *Sint.*

Ceno-

Cenomanenſes increpans, cavet, ne quis Fratribus noſtris moleſtias exhibeat (1).

Anno 1289 Die 6 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Rectoribus Eccleſiarum, Civitatum, & Diœceſis Cenomanen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIII.

SI ad illum, prout vos deceret, haberetis reſpectum, qui nullum bonum irremuneratum relinquit, nec malum etiam impunitum, illi ſoli ſtuderetis placere, & non ſolum pia loca non offenderetis, & proximos, verum etiam tanto libentius manu teneretis, & defenderetis eadem ab incurſibus malignorum, quanto ex hoc ipſo vobis poſſetis divinam gratiam comparare. Sane, dilectis filiis Fratribus Cenomanenſibus Ordinis Prędicatorum nobis exponentibus, accepimus admirantes; quod vos Fratres eoſdem, ac eorum Ordinem divinitus inſtitutum, indebite moleſtantes, ipſos, quos ad reverentiam divinam & Apoſtolicę Sedis, cui Ordo ipſe nullo medio eſt ſubjectus, & ab omni Ordinariorum juriſdictione prorſus exemptus, deberetis ab aliis, quantum in vobis eſſet, pro viribus defenſare, quominus, prout ad eorum ſpectat officium, & eis eſt ab Apoſtolica Sede conceſſum, proponere valeant in Eccleſiis veſtris Fidelibus verbum Dei, & eorum confeſſiones audire, & eos abſolvere, eiſque pęnitentias injungere ſalutares, pro veſtrę voluntatis libito, non abſque Redemptoris injuria, impeditis, &, quod non leve ferimus, quidam in ſuperbiam erecti non modicam, operum impugnatores horum, eorundem famam, & vitam, morſu diffamationis dilacerant, illorum facta reprobant, privilegia & indulgentias, dictis Fratribus ab eadem Sede conceſſas moliuntur, ſuperſtitioſis interpretationibus, & frivolis appellationibus annullare; nec attendentes, quod de omni verbo otioſo reddituri ſunt homines rationem, quamplura minus licita impingunt eiſdem, quibus rei veritas obviat, eorumque innocentia contradicit; Nec his contenti; ſed de malo proſilientes in pejus, contra privilegiorum ipſorum tenores de facto, cum de jure non poſſint, excommunicationis proferunt ſententias in eoſdem, licet eos minime excommunicare valeant; idque redundet in Apoſtolicę Sedis contemptum, & ſcandalum fidelium plurimorum: propter quod eiſdem Fratribus eorundem Fidelium ſubſidia conſueta, dictiſque fidelibus ſalutaria conſilia & animarum remedia ſubtrahuntur. Cum autem pietas, compaſſio, & importunitas, tria hęc ſpecialiter Nos inducant, minime talia ſub ſilentio pręterire, dum prima promiſſionem habens vitę, quę nunc eſt, & futurę, Religioſis deeſſe minime patitur; Secunda, quę Magiſtrorum Magiſtro mandatum de dilectione proximi, primo proximum, ex legis vigore ſuſcepit, afflictis perſuadet ſubvenire: Tertia vero, quę opportune, & importune, inſtanter, clamoribus ſępius aures noſtras ſine intermiſſione fatigat; Univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta vobis pręcipiendo mandantes, quatenus non ſolum colligationes omnes impietatis, & deprimentes faſciculos, diſſolventes, verum etiam redeuntes ad cor, tanquam viri providi, & diſcreti, Fratres ipſos, quos Nos favore decet proſequi ſpeciali, utpote qui relictis pro Deo, quę primitus poſſidebant, non quę ſua ſunt, ſed quę Jeſu Chriſti quęrentes, voluntariam eligunt paupertatem, & divinę ſe ſubiiciunt ſervituti; Quorum utique deſideriis, tanto eſt favorabilius annuendum, quanto per opera pietatis, gratiorem pręſtant Altiſſimo famulatum, conſcientię veſtrę conſulentes, & famę, a pręnominatis, & aliis prędictorum Fratrum gravaminibus deſiſtatis omnino, & a ſimilibus quieſcatis; non permittentes eos, quantum in vobis fuerit, ab aliquibus indebite moleſtari; ſic vos in iis benignos exhibeatis, & promptos, obtemperando precum, & pręcepti, noſtrorum inſtantię in hac parte, ut dicti Fratres ſe de vobis teneantur, non immerito, commendare, vobiſque proinde pręmium ex alto proveniat, quod pro piis actibus Dominus recompenſat; Noſque devotionis, & obedientię veſtrę promptitudinem piis in Domino laudibus commendare poſſimus, nec oporteat ſuper hoc aliud remedium adhiberi. Datum Reate II Non. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Exordium. — Ordo noſter divinitus inſtitutus. — Ordo Prædicatorum ſolius Summi Pontificis juris, ac poteſtatis eſt. — Cenomanenſes increpat. — Cavet ut ſupe

1. *Exhibeat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Titulis V, & VII.*
2. *Archivo.*) In quo exemplar Authenticum, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Rotomagen.* Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Cenomanen.*) Vulgo *Le Mans* in *Gallia Lugdunenſi.*

Fratrem Guillelmum de Houdon (1), Ordinis Prædicatorum, Eduardi Regis Angliæ Nuncium, ad eundem Regem remittens, Anglos Eccleſiaſtica jura uſurpaſſe conqueritur (2).

Anno 1289 Die 10 Novembris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCLXXXIX num. LXXII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Eduardo Regi Anglię illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIV.

SIncerę caritatis affectio, qua perſonam tuam, claris ejuſdem exigentibus meritis, Apoſtolica Sedes amplectitur, noſtrum non immerito excitat animum, ut de iis, quę tuę ſalutis profectum, necnon famę pręconium reſpicere dignoſcuntur, pie ac ſolicite cogitemus. Sane per dilectum Fratrem Guillelmum de Houdon Ordinis Prędicatorum, Nuncium tuum, ad pręſentiam regiam redeuntem, Apoſtolicas literas, quas ſuper nonnullis petitionibus regiis, negotium Terrę Sanctę tangentibus, nobis ex parte tua porrectis, & reſponſionibus noſtris ſubſecutis ad eas confici fecimus, tuę celſitudini deſtinamus. Verum, fili cariſſime, latere te nolumus, ad audientiam noſtram relatione multiplici perveniſſe, quod nonnulla in partibus Anglicanis auctoritate regia committuntur, quę cedunt apertius in ſubverſionem eccleſiaſticę libertatis, non abſque prelibatę Sedis injuria, & Divinę Majeſtatis offenſa. Super quo per

Exordium. — De juribus Eccleſiaſticis violatis queritur.

nos, & aliquos ex Fratribus noſtris, cum eodem Fratre Guillelmo colloquium habere curavimus, noſtram ei ſuper hoc, & fratrum noſtrorum intentionem paterne, ac familiariter, exponentes, tibi per ipſum ſerioſius explicandam: nihilominus alias literas (3) noſtras, & Nuncium (4) ſpecialem, ad tuam excellentiam deſtinare proponimus, ut & illarum ſerie, ac illius relatibus, eadem noſtra, & dictorum fratrum, intentio tibi plenius innoteſcat. Magnis quidem deſideramus affectibus, ut prȩfatum Terrȩ Sanctȩ negotium, a te ferventer aſſumptum, &, actore Domino, efficaciter proſequendum, proſpero ſucceſſu proficiat, & proſperiori exitu conſummetur, & idcirco decet, fili cariſſime, ut tu prȩmiſſa, quȩ protecto miniſterium tuum ei, cujus negotium agitur, poſſent reddere minus gratum, ita corrigere ſtudeas, quod exinde ipſius in te gratia cumulata, de tantis laboribus, quos pro ejus amore ſubire diſponis, votivum fructum te cum ejuſdem adjutorio conſequi gratuleris. Nolumus autem, ut pro eo, quod Nuncium ad te intendimus mittere, ea quȩ, aliarum literarum noſtrarum, quas prȩfatus Frater Guillelmus defert, tenore penſato, circa memoratum Terrȩ Sanctȩ negotium facienda cognoveris, vel omittas perficere, vel retardes. Datum Romȩ apud S. Mariam Majorem IV Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Guillelmum de Houdon.*) Virum percelebrem, cujus cum laude meminere Scriptores extranei, & domeſtici, quos citat *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad annum MCCXCVIII pag. 459 & 460.*

2. *Conqueritur.*) Adeas *Odoricum* loco laudato, *num. LXX &c.*

3. *Literas.*) Exſcribendas *XX Maii MCCXC.*

4. *Nuncium.*) Epiſcopum *Groſſetenſem*, de quo in *Diplomate* mox citato.

Anno 1289 Die 8 Decembris.

Bullam Innocentii IV, Fratres noſtros Monialibus (1) Ordinis præficientem, in hoc Diplomate inſcribit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Prioribus Ordinis Fratrum Prȩdicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Tenor Bullæ Innocentii IV.

TEnorem quarundam litterarum fel. rec. Innocentii PP. IV Prȩdeceſſoris noſtri de ipſius Regeſto ſumptum, ut de ipſo certitudo habeatur impoſterum, ad veſtrȩ ſupplicationis inſtantiam, de verbo ad verbum prȩſentibus fecimus annotari, qui talis eſt. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Prioribus Ordinis Fratrum Prȩdicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Licet olim quibuſdam veſtrum per noſtras litteras, formas diſſimiles continentes, quȩdam Monialium Monaſteria duxerimus committenda, cupientes tamen ipſarum utilitatibus ſic veſtro miniſterio provideri, ne curſus prȩdicationis quam ex injuncto vobis officio diligentius exercetis, animarum curandis langoribus fructuoſus, occurſu occupationum multiplicium valeat retardari; prȩſentium auctoritate ſtatuimus, ut dictȩ Moniales, vel aliȩ, ſi quas vobis de cetero ſub quacumque forma committi contigerit, Apoſtolicȩ Sedis indulgentia conceſſa, vel concedenda impoſterum non obſtante, niſi expreſſam fecerint de prȩſentibus mentionem, hoc ſolum a vobis commiſſionis noſtrȩ beneficio conſequantur, videlicet, ut ipſȩ ſub Magiſterio & doctrina veſtra, & eorum, qui pro tempore fuerint, debeant permanere, illis gaudentes privilegiis quȩ veſtro Ordini ſunt conceſſa, vel impoſterum concedentur, & contraria Conſtitutione ipſius Ordinis non obſtante, animarum ſuarum ſollicitudinem gerentes, & curam, ac eis de Conſtitutionibus veſtri Ordinis, quȩ ipſis competunt, exhibentes, eiſdem Monaſteriis per vos, vel per alios Fratres veſtros, quos ad hoc idoneos videritis, quotiens expedierit, viſitationis officium impendere ſtudeatis, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris, quȩ correctionis, ſeu reformationis officio noveritis indigere; Inſtituatis, mutetis, & ordinetis, prout ſecundum Deum videritis expedire. Electio tamen Prioriſſȩ libere pertineat ad Conventum, Confeſſiones earum audiatis, ac miniſtretis eis Eccleſiaſtica Sacramenta; &, ne pro eo, quod in eiſdem Monaſteriis Fratres veſtri Ordinis reſidere continue non tenentur, pro defectu Sacerdotis poſſit periculum imminere, ad Confeſſiones earum in neceſſitatis articulo audiendas, & miniſtranda Sacramenta prȩdicta, deputetis aliquos diſcretos & providos Capellanos; Quocirca diſcretioni veſtrȩ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus omnia prȩmiſſa, juxta Conſtitutionis hujuſmodi tenorem, cum eas veſtro incorporari Ordini Nos velimus, curetis, diligenter, & ſollicite adimplere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrȩ Conſtitutionis &c. Datum Lugduni II Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Datum Romȩ apud Sanctam Mariam Majorem VI Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Monialibus.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Anno 1289 Die 12 Decembris.

F. Salvius (1) Recanatenſis Epiſcopus Eccleſiæ ſuæ curam ſuſcipiat.

Ex Ughello Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcop. Recanaten. pag. 1219 Edit. II.

XVI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio (2) Fratri Salvio Epiſcopo Recanatenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

QUoniam humana conditio, tanquam vas figuli, fragilitati ſubjecta, varietate agitata fluctuum de facili errat a via, errantibus filiis, ad matris redeuntibus gremium, veri patris familias exemplo delectamur, occidere vitulum oleo miſericordiȩ ſaginatum. Dudum ſiquidem Recanatenſis popu-

populus, velut tunc degeneres filii adverſus Romanam Eccleſiam matrem ſuam & dominam alas deteſtabilis elationis diſtendens, ipſam, perſecutoribus ejuſdem Eccleſię adherendo, variis perſecutionis jaculis, & inſecutionis artibus, quantum in eis fuit, fategit, proh dolor! notabiliter vacillare, propter quod fel. recordationis Urbanus (3) Papa Predeceſſor noſter tactus nimium dolore cordis intrinſecus, adverſus ejuſdem populi obſtinationem paterna provocatione conſurgens, & ejuſdem populi volens cum miſericordia, tam deteſtabiles admodum in eandem Eccleſiam commiſſos exceſſus virga caſtigationis debitę caſtigare, ut caſtigati denique ejuſdem Eccleſię gratiam poſſent facilius per humilitatis myſterium promereri, civitatem Recanaten. Epiſcopalis dignitatis titulo de fratrum ſuorum conſilio privavit perpetuo, qua ipſum tunc (4) Caſtrum Sedes Apoſtolica gratioſe inſigniverat. Poſtmodum quidem idem populus juxta illud Apoſtoli, non mortificati, ſed caſtigati, hujus ſuarum humiliter culparum penitentię lachrymis, & doloris ſuſpirio diu peractis, ac ſatisfactionis remediis, & ſincerę devotionis ſuffragiis laudabiliter abolentes, ad ejuſdem Sedis pietatem humiliter acceſſerunt, reſtitutionem dignitatis hujus humilius, & inſtantius flagitantes. Nos itaque in hac parte propheticum ſequentes eloquium miſeratio ejus, videlicet, ſuper omnia opera ejus, ac propterea volentes paterno affectu correctis filiis miſereri, eoſque conſolari conceſſione petitę gratię, miſerando, dignitatem Epiſcopalem reſtituimus de fratrum noſtrorum conſilio Eccleſię Recanatenſi prefatę, ipſam ſtatuendo Eccleſiam Cathedralem. Unde de ipſius ſalutari ordinatione tanto ſolertius cogitantes, quanto ea diutius proprii Paſtoris deſtituta ſolatio inter gravia diſpendia conſpicimus fortius languere, meritorum inveſtigatione premiſſorum, in te, Fratrum Ordinis Predicatorum profeſſorem, utpote virum vitę laudabilis, converſationis honeſtę, diſcretionis maturitate conſpicuum, & ſpiritualium, & temporalium providentia circumſpectum duximus (5) oculos noſtrę mentis. Quare ſperantes in illo Paſtore, qui aliorum argento, & ſine ulla commutatione paſcit univerſos abunde, quod predicta Recanatenſis Eccleſia ſub ſolicitudine tui regiminis ſpiritualibus, & temporalibus, auctore Domino, proficiet incrementis, te ipſi Recanatenſi Eccleſię de Fratrum noſtrorum conſilio in Epiſcopum prefecimus, & paſtorem, tibique ſubſequenter per venerabilem fratrem noſtrum Latinum (6) Oſtienſem Epiſcopum fecimus munus conſecrationis impendi. Rogamus itaque fraternitatem tuam, per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad dictam Recanatenſem Eccleſiam in ſpiritu humilitatis accedens, ipſius curam ſic agas ſolicite, ſic eam prudenter gubernare ſtudeas, ſic diligenter tibi oves creditas ab invaſoris inſultibus cuſtodire; quod tuis actibus ſuper iis apud Deum & homines plenius laudibus conſtitutis retributor omnium bonorum Deus, una cum tuis ſubditis ſupernorum civium conſtituat te collegam. Datum (7) Romę apud S. Mariam Majorem II Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Eccleſia Recanatenſis Epiſcopali dignitate privatur.

Eadem dignitati ipſi reſtituta.

F. Salvius Epiſcopus conſtitutus.

A. F. Latino inauguratur.

1. *Salvius.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Dilecto filio.*) Sic *Ugbelli* typographus. Legendum: *Venerabili Fratri*. Salvius enim jamjam inauguratus erat Epiſcopus, ut ex ipſomet Diplomate conſtat.

3. *Urbanus.*) *IV*, ut ex *Ughello* loco laudato videre eſt. *Anno MCCLXIII*, inquit, *IX Kalendas Julii Urbanus IV Caſtrum Recanatenſe ob inobedientiam populorum Epiſcopali dignitate privavit, illamque ad Auximanam Eccleſiam tranſtulit, ac ſub Humanatenſis Epiſcopi poteſtate, una cum Eccleſia S. Flaviani eſſe voluit.*

4. *Tunc.*) Sedente ſcilicet *Gregorio IX*, ut liquet ex Diplomatibus, quæ tranſcripſit *Ughellus pag.* 1217.

5. *Duximus.*) *Direximus.*

6. *Latinum.*) Beatum de quo pluries in *præcedentibus Appendicibus.*

7. *Datum.*) *Ad Salvium Epiſcopum Recanatenſem, Urbis Vicarium idem ſcribit Nicolaus IV Idibus Maii anno IV, Epiſtola CCIII fol.* 40, inquit Ughellus. Hinc probat *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. I Tit. VI pag.* 342 F. Salvium inter Urbis Vicarios recenſendum.

Nonnullis decimis ſolvendis Moniales Ordinis eximit (1).

Anno 1289 Die 13 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus univerſis Prioriſſis, & Conventibus Monaſteriorum Sororum incluſarum, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Predicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exemptio.

DEvotionis augmentum vobis, Deo propitio, provenire confidimus, ſi ſuper his, quę digne cupitis, nos vobis inveniſſe propitios, gaudeatis. Hinc eſt, quod nos, veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate vobis preſentium indulgemus, ut de fructibus, redditibus, & proventibus veſtris Eccleſiaſticis ſolvere non teneamini decimam (3) pro negotiis Aragonię, Valentię, ac Sicilię Regnorum in quibuſcunque partibus a Sede Apoſtolica deputatam, diſtrictius inhibentes, ne quis pretextu ejuſdem decimę aliquid a vobis, vel Monaſteriis veſtris, ſeu quibusvis aliis, pro vobis, aut Monaſteriis ipſis, exigere, vel extorquere preſumat, nos enim excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias, ſi quas in vos, vel predicta Monaſteria, aut aliqua ipſorum promulgari contigerit, ex nunc decernimus irritas, & inanes, & nullius exiſtere firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Conceſſionis, inhibitionis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Sanctio pœnalis.

1. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum habes *Mediolani* in Cœnobio *S. Euſtorgii.*

3. *Decimam.*) Adeas *Odoricum Raynaldum Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXXVIII num. XV.*

Anno 1290
Die 6 Maii.

Magiſtro, & Generali Capitulo, ut in Fratres, qui excommunicatos admiſerint ad divina, animadvertant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Generali Capitulo Ordinis Fratrum Prędicatorum apud Ferrariam congregando, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRoceſſit ex intimę dilectionis affectu, quo ab olim ante noſtrę promotionis initia veſtrum in agro dominico plantatum Ordinem fuimus proſecuti, eumque, benevolis ſtudiis continuando, proſequimur, quod Ordinem ipſum, & profeſſores ipſius exemptionis (3) gratia duximus decorandos, ſpe nobis ſuggerente non dubia, ut profeſſores ipſi, a quibusvis turbationibus, diſſenſionibus, & ſcandalis ſummopere abſtinentes, eo magis virtutibus creſcerent, & humilitatis meritis rutilarent, quo ſtatus eorum per Apoſtolicę Sedis clementiam tranquillior redderetur; ſed, ſicut mirantes, & turbati non modicum, nuper audivimus, in quibuſdam partibus nonnulli ex Fratribus ejuſdem Ordinis, ſuis finibus non contenti, ſed potius pręſumptuoſis exceſſibus, quos cautius evitare deberent, operam tribuentes, excommunicatos, & interdictos per Diœceſanos eorum, & alios juriſdictionem habentes, ad divina paſſim admittere non verentur, tanquam ad Diœceſanorum, & aliorum prędictorum gravem turbationem, & ſcandalum temerariis auſibus ſatagentes. Cum itaque tantę pręſumptionis audacia non ſit a Nobis, ſi veritatis adminiculo ſoveatur, aliquatenus toleranda, eaque nobis non immerito debeat quamplurimum diſplicere, cum exinde vobis, & eidem Ordini poſſit de facili gravis turbatio ſuboriri; univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus provide attendentes, & conſiderantes ſolicite, quod vobis, & eidem Ordini non modicum expedit, ut Pręlatorum, & etiam aliorum fidelium, favorem, & gratiam, non turbationem, vel odium habeatis, ſuper pręmiſſis corrigendis exceſſibus ſtudeatis taliter providere, quod ulterius non contingat, & nos, qui veſtrum, & ipſius Ordinis ſtatum pacificum, & quietum deſideranter appetimus, aliud in hoc adhibere remedium non cogamur. Datum Romę apud S. Mariam Majorem II Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Animadvertant.*) Adeas *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. VII pag.*129.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar *Tomo II Actorum Capitulor. General. fol.*438. Aliud Exemplar Authenticum habes *Libro B. fol.*434. ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Taurenſi*.
3. *Exemptionis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

Anno 1290
Die 20 Maii.

De juribus Eccleſiaſticis, in Anglia violatis, cum Fratre Guillelmo de Heudon, Ordinis Prædicatorum, Eduardi Regis Angliæ Nuncio, ſe expoſtulaſſe ſignificat, & eadem de re Legatum in Angliam mittit (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCXC. num. XXXIII.

XIX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Eduardo, Regi Anglię illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Legationis cauſa.

IN ſuaſionibus, & exhortationibus noſtris, accipe, fili cariſſime, manifeſtum paternę caritatis inſigne; idque in ſpiritu devotionis gratanter accepta. Sane per dilectum filium Fratrem Guillelmum de Heudon (2) Ordinis Prędicatorum, ſuper quibuſdam, quę in Regno tuo contra libertatem Eccleſiaſticam regia dicuntur auctoritate committi, noſtram, & fratrum noſtrorum, intentionem regię celſitudini exponi mandavimus, teque ſalubribus perſuaſionibus ad correctionem illorum induci. Super quibus conſcientia nos, & ad perſonam tuam ſpeciali affectione, urgentibus, paternis exhortationibus utimur, aliaque opportuna remedia, ſi res exegerit, exquiremus, quoad illorum nobis deſiderata correctio innoteſcat; pręſertim cum in quibuſdam literis (3), ejuſdem Fratris miniſterio tibi miſſis, id per alias ſubſecuturas literas, & ſpecialem Nuncium prędixerimus nos facturos, & de illis agatur, quę in divinam offenſam, & grandem Apoſtolicę Sedis cedunt injuriam, tuę ſaluti obviant, & ſalutari propoſito, quod, tanquam Princeps Chriſtianiſſimus, de ſubveniendo perſonaliter Terrę Sanctę neceſſitatibus aſſumpſiſti, non abſque famę tuę diſpendio, adverſantur. Intelleximus etenim, & non ſolum fama communis, ne dicamus infamia, ſed & evidentia, evidenſque frequentia dicitur facti teſtari, quod frequenter cum in Regno prędicto ſuper negotiis ad eccleſiaſticum forum ſpectantibus literas contingit Apoſtolicas emanare, ſicut in aliis Chriſtianorum Regnis quotidiano uſu emanant, & conſueverint (4) emanare, tam in tuo, quam in dictis Regnis, temporibus retroactis, illas judicibus impune pręſentare non licet; & ſi forſitan pręſententur, currit ſtatim Breve regium, ut patrię verbis utamur, & uſum illarum ſub pęnę comminatione, immo & executione, ſi fiat contrarium, interdicit. Sępe namque capiuntur illis utentes, etiamſi Eccleſiaſticę ſint perſonę. Pro levibus inſuper offenſis perſonas hujuſmodi abſque dignitatis, ſtatuſve delectu, pro regali, & regalium Miniſtrorum libito, regius carcer includit, nec perſonę eccleſiaſticę permittuntur extra Regnum ipſum, auctoritate Apoſtolica evocari, regiaque curia ſe de nonnullis cauſis, ad eccleſiaſticum forum indubitanter pertinentibus, quarum cognitio non cadit in laicum, ſpretis ſacris Canonibus, intromittit: aliaſque in Regno pręfato multimode libertas eccleſiaſtica non ſervatur, nec ipſam ſervari Miniſtri regii patiuntur. Et nunc igitur, Rex, intellige, qui terram judicas: in iis ſequere, non voluntatis arbitrium, ſed judicium rationis, & patenter advertes, quod iſta graviter oculos divinę Majeſtatis offendunt, in gravem illius, dictę Sedis, & juſtitię, ac noſtram injuriam committuntur.

Si

Si enim Princeps quilibet impedientem ſuę juriſdictionis exercitium, cuivis ſuo Miniſtro commiſſum, ſibi, ac eidem Miniſtro injurium non immerito reputaret, multo magis credendum eſt Redemptorem noſtrum offendi, ſibi, prędictę Sedi, & Nobis contumeliam irrogari, dum ſingulari pontificio univerſalis Paſtoris officio, plenitudini poteſtatis, Apoſtolorum Principi, & in ipſo ejus Succeſſoribus, Vicariis ſuis, in clavibus illi traditis, & ovibus creditis indiſtincte ab eodem Redemptore conceſſis, ita periculoſe detrahitur, ſic enormiter contraitur, ſic non ſolum in oppreſſionem, ſed etiam in ſubverſionem pręfatę libertatis, & juſtitię, ac derogationem tui nominis per captionem, ſive detentionem prędictarum perſonarum, quę procuidubio ſuo Domino ſtant, & cadunt, aliena meſſis invaditur, juriſdictio eccleſiaſtica uſurpatur, animadverſione canonica proviſa contra violatores perſonarum hujuſmodi non vitata, cum multo ſit gravius ęternam, quam temporalem offendere Majeſtatem. Advertes inſuper, quantum hęc ſuę ſaluti ſint obvia, quantumque a laudabili ſuo propoſito memorato diſſideant; quinimmo ei prorſus obſiſtant, cum illud ad obtinendum ęternę ſalutis pręmium dirigatur, iſta vero id prępediant obtineri; quia non ſufficit vacare piis operibus, niſi peccata, & vitia deſerantur, & pro errantis poſſibilitate corrigantur errata. Idenque ſerenitatem regiam rogamus, & obſecramus per viſcera miſericordię Dei noſtri, nihilominus in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus ſi conſonent in iis ſacta relatibus, circumſpecte conſiderans per ſe ipſum quam ſit abſonum, quam abſurdum, ſic deteſtanda in tam catholico Regno patrari, ſic damnanda ſub tam orthodoxo Rege permitti, quam ſit periculoſum patrantium, & permittentium animabus, quodque in talibus prolixitas temporis peccatum non alleviat, ſed aggravat, non extenuat, ſed augmentat, circa ea nullius temporis conſuetudini, quę potius reputanda eſſet abuſio, innitaris; cum ſecundum veritatem juſtitię nulla uſus diuturnitas, nulla longevitas, malas conſuetudines, maleque adinventa confirmet; ſed tuę ſaluti providens, tuęque famę conſulens, ipſa ſic celeriter, ſic omnino corrigas, & emendes ea edicto generali, omnibus prohibens, omnibus interdicens, quod illa de ipſius finibus penitus effuges, prorſus expiodas, & correctionis, ac emendationis plenę celeritas corrigentis, & emendantis puritatem inſinuans, & commendans, ſic te Altiſſimo gratum reddat, ſic ad gratiam Divinę retributionis habilitet, quod ſalutem, quam, ut pręmittitur, tuo pręfato commendando propoſito ſequeris, ipſo pręduce aſſequaris. Alioquin ſcire te volumus, quod circumſpectio dictę Sedis non poterit talia ſub diſſimulatione tranſire, quin contra eos, qui culpabiles fuerint in pręmiſſis, juſtitia ſuadente, procedat, prout viderit expedire. Ceterum quia ſaltem iis, qui literalis ſcientię ſtudio non vacarunt, abſentium vota ſolet apertius exprimere lingua, quam litera, & expreſſa imprimere preſſius vivus ſermo quam ſcriptus, venerabilem fratrem noſtrum B... (5) Epiſcopum Groſſatenſem (6), virum utique probatę fidei, ac virtutis, latorem pręſentium, ob hujuſmodi expreſſionis, & impreſſionis miniſterium, circa noſtrum, & fratrum noſtrorum beneplacitum, procuidubio ſpiritualiter & temporaliter commodis tuis accommodum, in pręmiſſis diligentius proſequendum, ad excellentię regalis pręſentiam deſtinamus. Datum Romę apud S. Mariam Majorem XIII Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Ne jura Eccleſiaſtica violentur in Anglia, cavet.

Epiſcopus Groſſetanus Legatus in Angliam miſſus.

1. *Mittit.*) Adeas *Odoricum* loco citato, & *num. XXXV.*
2. *Guillelmum de Heudon.*) *De Heudon* vocatur in *Diplomate dato X Novembris MCCLXXXIX*; a nonnullis *Hodon* ab aliis *de Hozum*, *de Odone*, vel *de Hotun* nuncupatur. *Quæ diverſitas*, inquit *Echard* Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXCVIII pag. 459, *ex varia idiomatum flexione, pronuntiandique ratione petenda.*
3. *Literis.*) Datis *X Novembris MCCLXXXIX.*
4. *Conſueverint.*) Forſan: *Conſueverunt.*
5. *B...*) *Bartholomæum*, Ordinis Minorum, de quo *Ughellus in Epiſcop. Groſſetan. Tomo III Ital. Sacræ pag. 664 Edit. II.*
6. *Groſſaten.*) *Groſſetan.* in *Hetruria.*

Provinciali Franciæ, ut ſex ex Fratribus Inquiſitores conſtituat (1).

Anno 1290 Die 22 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Francia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRę cunctis &c. (3) eo ſtudemus attentius, quo cariſſimum in Chriſto filium... (4) illuſtrem Francorum Regem ferventiorem ſentimus &c. (5), eligas ſex de Fratribus ejuſdem Ordinis Provinciarum Francię, & Provincię, idoneos ad hujuſmodi opus &c. (6). Nos enim prędictos ſex Fratres &c. (7). Datum apud Urbem Veterem X Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Conſtituat.*) De his in *Diſſertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum.
3. *Cunctis &c.*) Ut in *Diplomate dato XXVI Februarii MCCLXVI* ad hæc uſque verba: *Per nos & alios.*
4. *Filium.*) *Philippum.*
5. *Sentimus &c.*) Ut in Conſtitutione mox laudatâ ad hæc uſque: *De Conſilio Diſcretorum Fratrum tui Ordinis.*
6. *Opus &c.*) Ibidem ad hæc uſque: *Exequi diligenter;*
7. *Fratres &c.*) In eadem Bulla ad finem uſque.

Provinciali Provinciæ Franciæ Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut tres ex iiſdem Fratribus Fidei Cenſores (1) conſtituat.

Anno 1290 Die 27 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Francia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRę cunctis noſtrę mentis deſiderabilibus, catholicę incrementum Fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus aliquos, vel ſentimus, ad illius depreſſionem quali cunque malignitate Exordium.

fata-

ſatagere, vel damnabilibus ipſam depravando reprehenſionibus, aut detractionibus, & abrogabilibus derogando, ſeu commentis eandem mendacibus pervertendo; ad quorum iniqua conſternenda molimina, eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem pernicioſius eos agnoſcimus conſpirare. Sane licet ubilibet Sedis Apoſtolicę diligentia contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius hujuſmodi ſerpat morbus, remedium libenter adhibeat opportunum, in Biſuntin. (3) tamen, Gebennen. (4), Lauſanen. (5), Sedunen. (6), Tullen. (7), Meten., & Virdunen., Civitatibus, & Dięceſibus ſuis, cupientes anxie, ut negotium Fidei jugi profectu, eliſis omnino quibuslibet erroribus, fortius convaleſcat, ad hęc per nos, & alios ſtudemus attentius vigilare. Providimus igitur, in eiſdem locis ad pręſens perſonas aliquas circumſpectas pro tanto negotio deputari, quarum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem, ut ſacro ipſarum miniſterio pręfata loca prorſus ab hujuſmodi contagiis expurgentur. Verum quia de prudentię tuę induſtria firmam in Domino fiduciam obtinemus, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta, firmiter pręcipiendo, mandamus, quatenus de conſilio aliquorum diſcretorum Fratrum tui Ordinis eligas Tres de Fratribus ejuſdem Ordinis tuę Provincię idoneos ad hujuſmodi opus Dominicum exequendum, eiſque in virtute obedientię diſtricte Apoſtolica pręcipere auctoritate procures, ut Inquiſitionis officium in locis pręd1ictis contra hęreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta formam in aliis literis noſtris expreſſam, quas Fratribus prędicti Ordinis Inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis in eiſdem locis deputatis auctoritate Apoſtolica, & in poſterum deputandis, non expreſſis aliquorum nominibus, ſuper exequendo dicto Inquiſitionis officio, deſtinamus, ſtudeant exequi diligenter. Nos enim prędictos tres Fratres, quos ad hoc elegeris, & quemlibet ipſorum, pręfatum Officium exequi juxta formam in ipſis literis expreſſam, ac ipſos illam poteſtatem, & auctoritatem plenarie habere volumus, quę in eiſdem literis continetur. Si vero tu, vel Vicarius tuus aliquem Inquiſitorem hujuſmodi ex aliqua forte cauſa nonnunquam fore videritis amovendum, ipſum amoveatis, & ſubſtituatis loco ejus alium, quem ſimilem poteſtatem, & auctoritatem habere volumus, quoties vobis, deliberatione cum aliquibus diſcretis Fratribus dicti Ordinis pręhabita, hoc fore videbitur faciendum; & ſi aliquem, vel aliquos Inquiſitorum ipſorum decedere forte contigerit, Nos ſubſtituendi, de conſilio aliquorum Fratrum diſcretorum ejuſdem Ordinis, alium, vel alios loco illius, vel illorum, qui deceſſerint, ita quod hujuſmodi ſubſtituti eiſdem omnino auctoritate, ac poteſtate fungantur, tibi, dictoque Vicario, ſi tu abſens fueris, plenam, & liberam, concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum apud Urbem Veterem V Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Fidei Cenſores*.) De quibus in *Diſſertatione I Tomo ultimo*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar inter Bullas *Martini V* ex ejuſdem *Martini Libro XXV. fol.*178.
3. *Biſuntin.*) In Comitatu *Burgundiæ*.
4. *Gebennen.*) Vulgo *Geneve*, urbs *Allobrogum* in finibus *Sabaudiæ*.
5. *Lauſanen.*) Seu *Lauſonien.*, vulgo *Lauſanne* in *Helvetiis*.
6. *Sedunen.*) Vulgo *Sien* in *Valeſia* ad *Rhodanum* flumen;
7. *Tullen.*) In *Lotharingia*, ubi Civitas *Metenſis* & *Virdunenſis*, ſeu *Verodunenſis*, vel *Virodunenſis*.

Anno 1290 Die 9 Novembris.

Confirmans Diploma Clementis IV, declarat, Fratres noſtros hæreditates adire, ac tenere poſſe (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Tenor Bullæ Clementis IV.

CUm olim ex parte veſtra felicis recordationis Clementi Papę Prędeceſſori noſtro fuiſſet expoſitum, quod nonnulli Pręlati, Clerici, & Laici in diverſis mundi partibus conſtituti, aſſerentes, vos fore mortuos, nec valentes Proprium poſſidere, vos occaſione hujuſmodi a quibuslibet ſucceſſionibus excludere nitebantur, & nihilominus ab eodem Prędeceſſore humiliter poſtulatum, ut, ne contingeret, vos, propter hujuſmodi pręſumptionem talium, aliquod incurrere nocumentum, congruum ſuper hoc remedium adhiberet. Idem Prędeceſſor auctoritate Apoſtolica declaravit (3), quod vos in temporalibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſeculo exiſtentes, licite poteratis ſuccedere, & bonorum ipſorum poſſeſſionem apprehendere, ac illa vendere, ipſorum pretium in utilitatem veſtram convertere, prout vobis melius expediens videretur. Univerſas autem interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, quas contra hujuſmodi declarationis tenorem per quemcunque ferri contingeret, decrevit irritas, & inanes. Nos itaque, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ejuſdem Prędeceſſoris inhęrendo veſtigiis, quod in bonis eiſdem ſuccedere, ac illorum poſſeſſionem apprehendere, prout fuerit juſtum, poteſtis, ac inſuper eorum pretium in pręmiſſam utilitatem convertere, tenore pręſentium declaramus. Univerſas autem interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, quas contra pręſentis declarationis tenorem per quemcunque ferri contigerit, decernimus irritas, & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum apud Urbem Veterem V Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Confirmatio, & Declaratio.

Decretum irritum faciens.

1. *Poſſe*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum tenet Conventus *Urbevetanus*. Legitur etiam in *Bullario Bononienſi fol.*16, ex Authentico *Bononiæ* aſſervato.
3. *Declaravit.*) *Diplomate dato XII Februarii MCCLXVI.*

Fra-

Fratrem Muñionem (1) Ordinis Generalem Magiſtrum a Magiſterio depellit.

Anno 1291 Die 12 Aprilis.

Ex Echard (2) Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXXXV pag. 399.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. XXIII.

CErtis nuper emergentibus cauſis, propter quas ſtatui Ordinis Fratrum Prędicatorum expedire cognovimus, quod dilectus filius Muñio, Magiſter ipſius Ordinis, a commiſſo ſibi ejuſdem Magiſterii quieſcat officio: cujus curam ex cauſis ipſis nec commode poſſe creditur, nec profectibiliter exercere, Magiſtrum ipſum, in noſtra, & Fratrum noſtrorum preſentia perſonaliter conſtitutum, monendum duximus vivę vocis oraculo attentius, & hortandum, precipientes eidem, ut pro quiete, & ſtatu proſpero dicti Ordinis in Generali Capitulo (3) ejuſdem Ordinis proxime celebrando, in manibus Diffinitorum futurorum in ipſo Capitulo, abſolute, & libere hujuſmodi reſignet officium, eique cedat omnino: Diffinitoribus ipſis nihilominus per alias noſtras ſub certa forma literas (4) injungendo, ut reſignationem, & ceſſionem hujuſmodi, faciendam ab ipſo, abſque dilatione recipiant, & admittant. Verbum itaque noſtrum effectum in hac parte habere volentes, ex nunc auctoritate Apoſtolica de prędictorum Fratrum conſilio, ſtatuendo, decernimus, & ſtatuimus, decernendo, ut ſive dictus Magiſter reſignaverit, & ceſſerit, ut prędicitur, ſive non, & ſive prępati Diffinitores reſignationem, & ceſſionem eandem duxerint, ſive non duxerint admittendam, in omnem eventum, ſtatim cum prędictum Capitulum fuerit celebratum, ſeu tempus, quo ſecundum Conſtitutiones ſępe dicti Ordinis terminari debet, effluxerit, ſit ex ipſo prępatus Magiſter ab hujuſmodi officio Magiſterii totaliter abſolutus: quodque deinceps non ipſe, ſed alia perſona idonea ſecundum Conſtitutiones aſſumatur eaſdem, ad memoratum Officium exercendum. Nulli ergo &c. Si quis &c. Datum apud Urbem Veterem II Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Decernit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Muñionem.*) Adeas *Echard* loco laudato, & *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. VII pag.* 129. Videas etiam, ſi placet, *Notam III in Diploma datum XIX Julii MCCLXXXV.*

2. *Echard.*) Autographum habes *Pariſiis* in Cœnobio noſtro *Sancti Jacobi*. Plumbum ſericis filis appenditur.

3. *Capitulo.*) *Palentiæ* in *Hiſpania* celebrando *IV Idus Junii MCCXCI.*

4. *Literas.*) Deſiderantur hæ literæ.

Moniales Ordinis noſtri tributis omnibus reddit immunes (1).

Anno 1291 Die 1 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus, Prioriſſis, & Conventibus Monaſteriorum Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum, viventium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXIV.

QUanto ſtudioſius devota mente, ac humili contemplationis Divinę vacatis obſequiis, tanto libentius veſtrę pacis procuramus commodum, & quietem. Attendentes igitur, quod licet quamplurima Monaſteria veſtri Ordinis varias Poſſeſſiones obtineant, idem tamen Ordo in paupertate fundatur, voſque voluntarię pauperes, Chriſto pauperi deſervitis, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut vos, ſeu veſtrarum aliquę, ad exhibendum procurationes aliquas, Legatis, vel Nunciis Apoſtolicę Sedis, ſive ad pręſtandum ſubventionem quamcunque, vel ad contribuendum in exactionibus, vel collectis, ſeu ſubſidiis aliquibus, per literas dictę Sedis, aut Legatorum, vel Nunciorum ipſorum, ſeu Rectorum Terrarum, vel regionum, quaſcunque impetratas, vel etiam impetrandas, minime teneamini, nec ad id cogi poſſitis, etiamſi in hujuſmodi Sedis ejuſdem contineatur literis, quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, & Monaſteria, ſe extendant, & aliqua eis, cujuſcunque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia, non obſiſtat, niſi forſan literę ipſę dictę Sedis, de indulto hujuſmodi, & Ordine veſtro, plenam, & expreſſam fecerint mentionem, auctoritate vobis prędentium indulgemus. Nos enim decernimus irritas, & inanes interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas in vos, vel aliquam veſtrarum, aut aliquod Monaſteriorum veſtrorum, ſeu quoſcunque alios, occaſione veſtri, pręmiſſorum prętextu, contra hujuſmodi conceſſionis noſtrę tenorem, per quemcunque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtrę Conceſſionis infringere &c. Datum apud Urbem Veterem Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium. Immunitas. Nota verba.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Immunes.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Ariminenſi*.

Anno 1291 Die 9 Junii.

Omni tributo Moniales Ordinis eximit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 188, 221, & 313.

XXV. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Priorifſis, & Conventibus Sororum incluſarum Monaſteriorum Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtitutum, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUanto ſtudioſius &c (3). Datum apud Urbem Veterem V Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Eximit.*) Dicam in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplaria Authentica, ex Autographis aſſervatis in Cœnobiis *Taurenſi*, *Laudienſi* & *Patavienſi*; ac in Monaſterio *Madritenſi S. Dominici*.
3. *Studioſius &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

Anno 1291 Die 11 Junii.

Archiepiſcopo Antibarenſi (1), ut, de conſilio Prioris Prædicatorum, & Guardiani Minorum Fratrum, Raguſin., Epiſcopi Savenſis electionem confirmet.

Ex Oderico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCXCI num. XLII.

XXVI. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Antibarenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis cauſa. PEr tuas, & etiam cariſſimę in Chriſto filię noſtrę, Elenę Reginę Servię (2) illuſtris, literas, nuper nobis tranſmiſſas, accepimus, quod in Albanię partibus juxta Sclavos (3) quędam habetur civitas, Sava (4) nomine, & quę jam longi temporis ſpatio deſtructioni ſuccubuit. ejus incolis per diverſa loca diſperſis; ſed de novo in civitate prędicta quamplures viri Catholici de incolarum ipſorum progenie, ut dicitur, exiſtentes, & alii etiam diverſarum partium convenerunt, moramque in illa continuam contrahunt, Epiſcopum cum inſtantia poſtulantes, propter quod prędictę civitatis Clerici ad electionem procedentes Epiſcopi, quendam Presbyterum, Petrum nomine, virum utique Catholicum, & fidelem, in ſuum, & ejuſdem civitatis elegerunt Epiſcopum, & paſtorem, petendo a te, utpote Metropolitano ipſorum, humiliter, & inſtanter, ut electionem hujuſmodi, auctoritate tibi tradita, confirmares; ſed petitioni eorum annuere noluiſti, niſi prius ſuper hoc a nobis licentiam obtineres. Quare tu, & prędicta Regina, Mandatum. nobis ſupplicaſtis humiliter, ut ſuper hoc providere de benignitate ſolita dignaremur. Nos igitur ad augmentum Catholicę fidei ſolicitis ſtudiis intendentes, & volentes, ut expedit, ſalubriter, & mature procedere, ac tuis, & ipſius Reginę deſideriis benigne annuere in hac parte; gerentes quoque de tuę circumſpectionis induſtria fiduciam in Domino ſpecialem, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi inquiſita de modo electionis, eligentium ſtudiis, & electi meritis, diligentius veritate, dictam electionem canonicam, & de perſona idonea inveneris celebratam, ipſam de conſilio dilecti filii .... Prioris Prędicatorum, & .... Guardiani Minorum Fratrum, Ordinum, de Raguſio (5), auctoritate noſtra confirmare procures, ac eidem electo munus conſecrationis impendas, faciens ſibi a ſuis ſubditis obedientiam, & reverentiam debitam exhiberi. Alioquin electione prędicta rite caſſata, eiſdem Clericis de aliqua perſona catholica, idonea, & Apoſtolicę Sedis devota, quę tanto congruat oneri, & honori, hac vice, auctoritate prędicta, de ipſorum tamen Prioris, & Guardiani conſilio, providere non differas in Epiſcopum, & paſtorem. Contradictores &c. Datum apud Urbem Veterem III Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Antibarenſi.*) In *Dalmatia*.
2. *Serviæ.*) Pars eſt *Hungariæ* late ſumptæ. Quædam Diplomata *Elenæ* Reginæ *Serviæ*, & *Stephano* Regi, ipſius viro, inſcripta tranſcripſit *Odoricus ad an. MCCXCI num. XL*, & *XLI.*
3. *Sclavos.*) Seu *Slavos*, vulgo *Schiavoni*, Gallice *Sclavons*.
4. *Sava.*) *Quæ ... bellorum injuria everſa conciderat*, ut notat *Odoricus num. XLII.*
5. *De Raguſio.*) In *Dalmatia*.

Anno 1291 Die 18 Julii.

Ædes Sacras Viterbienſis Cœnobii feſtis Beatæ Mariæ Virginis, S. P. Dominici, b. Petri Martyris, & S. Crucis, ac per Octavas eorundem, necnon Anniverſaria die Dedicationis, viſitantibus Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXVII. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia. SPlendor paternę glorię, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium de clementiſſima ipſius Majeſtate ſperantium, tunc pręcipue benigno favore proſequitur, cum devota ipſorum humilitas, Sanctorum precibus, & meritis adjuvatur. Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum Viterbienſium congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam ipſam in B. Marię Virginis, Sancti Petri Martyris, Beati Dominici Confeſſoris, & Sanctę Crucis, feſti-

feſtivitatibus, & per Octo dies, feſtivitates ipſas immediate ſequentes, necnon in Anniverſario die Dedicationis ejuſdem Eccleſię, venerabiliter viſitaverint, annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies de injunctis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum apud Urbem Veterem XV Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*

Provinciali Lombardiæ, ut ad ſubſidium Terræ Sanctæ Crucem ſuſcipiendam (1) populis ſuadeat, cum quadraginta aliis Fratribus ejuſdem Provinciæ.

Anno 1291 Die 1 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVIII.

Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali (3) Fratrum Ordinis Prędicatorum in Provincia Lombardię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Terrę Sanctę miſerabilem ſtatum non abſque gravi amaritudine intra mentis noſtrę pręcordia recenſentes, atque ad liberationem ipſius noſtra ſimul & deſideria convertentes, & ſtudia, inter multa operoſa ſubſidia, quę ipſi Terrę, Deo auſpice, fructuoſa procurare, atque impendere ſtuduimus, & ſtudemus, generale paſſagium pro ejuſdem Terrę ſubſidio in feſto Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, quod erit Anno milleſimo ducenteſimo nonageſimo tertio, de fratrum noſtrorum conſilio, duximus ſtatuendum, ſicut in aliis literis (4) noſtris, per quas ad ſubventionem ejuſdem Terrę univerſos chriſticolas exhortamur, quaſque tibi una cum pręſentibus mittimus, declaratur. Ut autem ad ſuccurrendum promptius in eodem paſſagio Terrę pręfatę, per Divini Verbi virtutem mentes fidelium ſalubriter excitentur, chriſticolis per diverſas Chriſtianitatis partes proponendum deliberavimus verbum Crucis, ad exequendum in Provincia (5) tibi commiſſa deliberationem hujuſmodi, te, & Fratres Ordinis tui eo confidentius eligentes, quo magis ad compatiendum & ſubveniendum pro viribus Terrę prędictę Religionis veſtrę pietas vos invitat.

Quam affectus Ordo in rem Terræ Sanctæ.

Ideoque prędicandę ipſius vivificę Crucis myſterium in eadem Provincia, tibi, & quadraginta Fratribus ejuſdem Ordinis, religioſa converſatione probatis, atque ad hujuſmodi aptis officiis, quos diſcretorum Fratrum conſilio duxeris eligendos, pręſentium auctoritate committimus, in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus tu, & iidem eligendi Fratres, hujuſmodi miniſterium, juxta datam vobis a Deo prudentiam, non obſtante, quod idem aliis ſit commiſſum, ſolerter & efficaciter exequi ſtudeatis, omnes fidei ortodoxę cultores ad tam pii negotii proſecutionem idoneos, prędicationibus crebris, & ſedulis exhortando, ut ad liberandam prędictam Terram de manibus impiorum victorioſum ejuſdem vivificę Crucis ſignum devote ſuſcipiant, & propriis affigentes humeris, ac magis cordibus imprimentes, reverenter, & publice deferant, atque ad ejuſdem Terrę ſuccurſum in prędicto paſſagio generali promptis animis, totiſque viribus ſe accingant: quod quidem venerabile ſignum volumus, ut cunctis devote petentibus concedatis, generaliterque omnibus prędicetis, quod qui eandem Crucem ſuſceperint, in prędictę Terrę ſubſidium, vel perſonaliter in propriis aut alienis expenſis accedere, vel juxta qualitatem, & facultatem ſuam, bellatores, ſeu alias perſonas idoneas deſtinare, vel ſaltem ſi ex cauſis legitimis Eccleſię opportunum fore videbitur, ſuſceptę crucis votum ad arbitrium Apoſtolicę Sedis, ſeu ad eorum, qui ad hęc fuerint deputati per ipſam, de facultatibus ſuis redimere tenebuntur.

Commiſſio.

Nos autem eos, qui taliter hujuſmodi votum redemerint, remiſſionis, & Indulgentię quę transfretantibus in ſubſidium antedictum conceditur, volumus, & concedimus, eſſe participes, juxta quantitatem ſubſidii, quod impendent, & ejus, qua hoc facient, devotionis affectum; aliorum vero privilegiorum, & immunitatum, ſeu gratiarum, quę ipſius (6) transfretantibus per pręſentes & alias univerſis directas fidelibus noſtras literas, conceduntur, plenaeos volumus commoditate (7) gaudere.

Indulgentia conceſſa.

Inſuper omnes, qui hactenus idem ſignum pro eodem ſubſidio ſuſceperunt monere ac inducere procuretis, ut illud, ſi forte dimiſerint, reſumentes, alacriter votum Domino reddere ſtudeant, quod voverunt, Terrę pręfatę ſubveniendo efficaciter, ut tenentur. Cum autem omnibus Chriſti fidelibus, qui eidem Terrę ſuccurſum impenderint opportunum unicuique ſecundum proprium meritum indulgentiarum ſalutarium, ac maxime illis, qui Cruce ſuſcepta, in ipſius Terrę Sanctę ſubſidium vel perſonaliter ibunt, vel perſonas idoneas, juxta qualitatem, & facultatem ſuam, in propriis ſumptibus deſtinabunt, multiplicium gratiarum, beneficia concedimus, ſicut in aliis noſtris literis prelibatiserioſus (8) continetur earundem literarum tenor, per te, ac Fratres a te, ut pręmittitur, ad prędicandum Crucis officium eligendos, volumus populis Chriſtianis frequenter, & diligenter exponi. Ita ſiquidem providere (9), quod beneficia ſupradicta, quę ipſis in terra concedimus, & copioſam mercedem, quę ipſis pręparatur in cęlo, cognoſcere valeant, & amare, nec tamen ex verbis veſtris concipiant, ſe aut plenam in caſibus, in quibus nequaquam conceditur, aut majorem, quam concedatur, Indulgentiam promereri. Sane ipſos Populos, ad certa & idonea loca, quoties expedire videritis, convocandi ad verbum Crucis humiliter audiendum, ac omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad hujuſmodi veſtras Prędicationes convenerint, & idem Verbum audierint reverenter, centum dies de injunctis pęnitentiis relaxandi, vobis auctoritate pręſentium concedimus facultatem. Si quando autem ad Eccleſias Interdicto ſuppoſitas vos devenire contigerit, liceat vobis ad ipſas Populos convocare, ac Verbum Crucis proponere in eiſdem; necnon, excommunicatis, & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, ſummiſſa voce, januis clauſis, cum veſtris ſociis Divina officia celebrare.

Facultas ſolvendi a Cenſuris Eccleſiaſticis.

Ad hęc ſi qui eorum, quos ad transfretandum perſonaliter, vel juxta qualitatem, & facultatem ſuam perſonas idoneas deſtinandum, votum aſſumptę jam Crucis aſtringit, vel aſſumendę deinceps obligabit ad idem, excommunicationis, pro violenta injectione manuum in perſonas Eccleſiaſticas eſſent vinculo innodati, dummodo non fuerit exceſſus difficilis, & enormis, & paſſis injuriam ſatisfaciant competenter, ſive pro eo, quod Sepulcrum Dominicum viſi-

viſitare, ſeu ad quaslibet Sectas accedere, vel aliquibus communicare, non tamen, in crimine, contra prohibitionem Eccleſię, pręſumpſerint, dumodo equos, arma, ferrum, ſeu lignamina, quibus Chriſtianos impugnant, non portaverint Saracenis, abſolvendi eoſdem in forma Eccleſię, ac diſpenſandi cum Clericis, qui, cum excommunicationis ſententiam latam a canone, vel ab homine incurrillent, irregularitatis notam, immiſcendo ſe Divinis officiis, ſeu miniſtrando in ſuſceptis Ordinibus, contraxerint, tibi, & quindecim ex Fratribus antedictis, quos ad hoc ſpecialiter de conſilio diſcretorum Fratrum elegeris, concedimus poteſtatem. Ita videlicet quod beneficium abſolutionis, & diſpenſationis hujuſmodi tu, & quilibet eorundem quindecim Fratrum omnibus, qui de manibus veſtris, aut aliorum Fratrum, qui a te, ſicut pręmiſſunt eſt, fuerint ad officium antedictę prędicationis electi, crucem ſuſceperint, dummodo perſonę ſint cognitę, diſcretione pręambula, impertiri poſſiſ. Porro quia dignus eſt operarius mercede ſua, tibi, & Fratribus memoratis, in hoc divino fideliter laborantibus opere, pręter mercedem ęternam, quam merito ſperare poteſtis, quotieſcunque ſtudueritis populis ad hoc ſpecialiter convocatis proponere Verbum Crucis, centum dierum Indulgentiam elargimur, ac vos Indulgentię memoratę quę transfretantibus in ſubſidium ſępedictum conceditur, juxta laboris veſtri menſuram, volumus participatione gaudere; Ceterum ſi quos ex Fratribus, quos, ut prędicitur, ad exequenda pręmiſſa duxeris eligendos, ab executione hujuſmodi, ſive per mortem, ſive alias quomodolibet impediri, vel per tuam forte providentiam removeri, contigerit, facultatem tibi concedimus loco ipſorum alios ſubrogandi. Cum autem hoc idem prędicandę Crucis officium venerabilibus fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac nonnullis aliis per alias noſtras literas commendamus, te, ac Fratres Ordinis tui ad hujuſmodi miniſterium per te, ut pręmittitur, eligendos, cum omni diligentia volumus obſervare, ut eiſdem Pręlatis humili reverentia deferentes, cum ipſorum aliquem in quavis Civitate, Caſtro, vel oppido prędicare contigerit, vos ibidem eadem hora nullatenus, ſed nec eadem die, niſi de ipſorum ſpeciali conſenſu, convocare Populos ad Prędicationem hujuſmodi pręſumatis; caventes omnino, ne Pręlatorum ipſorum prędicatio per vos, ſeu occaſione veſtri, impediatur quomodolibet, vel turbetur. Cum aliis etiam, qui eiuſdem prędicationis, auctoritate noſtra, officium exercebunt, ſic loca prędicationis, & tempora curetis dividere, ut vos mutuo non turbetis, nec impediatis aliquatenus per concurſum, ſed vobis invicem, alternis vicibus in omni patientia & quiete cedatis, ita quod ex veſtra modeſtia principali bonam ędificationem accipiant, & conſequenter ex prędicationibus veſtris fructus uberior valeat provenire. Denique diſcretione veſtra volumus provideri, ut ſinguli Fratres, quos ad officium ſupradictum elegeris, tam pręſentium, quam aliarum literarum noſtrarum, quę chriſticolis omnibus diriguntur, ſub manu publica, vel ſaltem ſub tuo ſigillo copiam habeant, quam inſpiciendo frequenter, de his quę agenda committuntur eiſdem, reddantur plenius informati. Poſtremo, quia diverſis olim temporibus nonnullę ſuper prędicatione Crucis in ſępefatum ſubſidium commiſſiones a Sede Apoſtolica emanarunt, ne forte occaſione aliarum turbatio ulla, ſive confuſio valeat ſuboriri, volumus (10), ut auctoritate commiſſionum aliarum in locis, ad quę pręſens commiſſio veſtra pervenerit, crux de cetero prędicetur, ſed prędicationi hujuſmodi eos duntaxat inſiſtere volumus, qui pręſentis noſtrę commiſſionis fuerint auctoritate ſuffulti. Datum apud Urbem Veterem Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Suſcipiendam.*) *Rebus ... Chriſtianorum in Syria ſupra modum afflictis*, inquit *Bzovius* Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCXCI num. VI, *eas omnes calamitates Nicolaus Pontifex imprimis Regi Galliarum ſignificavit, & eundem ad auxilia ferenda quantocius invitavit. Monuit proinde, ut huic rei in comitium omnes Regni ſui Proceres congregaret, deque ſubſidiis tranſmittendis una cum eis decerneret, atque de omnibus Pontificem redderet certiorem. Reliquos etiam Reges & Proceres Europaeos ad ſacrum Bellum gerendum hortatus eſt, injuncto officio prædicandæ Sanctæ Crucis Fratribus tum Prædicatoribus, tum Minoribus, qui in univerſis Provinciis verba ad populum facerent, atque univerſos & ſingulos ad ſuppetias ferendas allicerent, propoſita remiſſione peccatorum his, qui vel pecunias, vel arma, vel commeatum reliquum Cruceſignatis contuliſſent, vel ipſi arma contra Saracenos aſſumpſiſſent.* Conſulendus etiam *Odoricus Raynaldus ad eundem annum numero I &c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum eſt in Cœnobio *Faventino*.

3. *Provinciali.*) Is erat *F. Bertoldus Civitatenſis*, cujus mentio in *Actis Capitulor. General. Tomo II fol.* 449.

4. *Literis.*) Eas exſcripſit *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCXCI num.II.*

5. *Provincia.*) Quid egerint *Mediolani* refert *Bzovius* ſupra laudatus, *num. XI*, de his etiam *Waddingus Annal. Minor. Tomo II ad annum MCCXCIII numeris I & II pag.* 640.

6. *Ipſius.*) Legerem: *Ipſi*.

7. *Commoditate.*) Forte: *Communitate*.

8. *Serioſus.*) Id eſt: *Totus*.

9. *Providere.*) Forſan: *Providete*, vel *Providere debetis*.

10. *Volumus.*) Legerem: *Nolumus*.

Anno 1291 Die 5 Auguſti.

Ad Cœnobii noſtri Neapolitani ſacras Ædes conſummandas ſubſidium ferentibus Indulgentiam impertitur.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXIX. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, per Neapolitan., Capuan., & Averſan., Civitates, & Diœceſes conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUoniam, ut ait Apoſtolus, omnes &c (2). Cum igitur, ſicut dilecti filii Prior & Conventus Fratrum Prędicatorum Civitatis Neapolitan. nobis ſignificare curarunt, ipſi Eccleſiam conſtruere inceperint opere ſumptuoſo, in qua Divinis poſſint laudibus deſervire, & ad ipſius conſummationem operis fidelium ſubſidia ſint eis plurimum opportuna &c. Unum Annum, & quadraginta dies &c. Datum apud Urbem Veterem Nonis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Autographum eſt *Neapoli* in Cœnobio *S. Dominici Majoris*.

2. *Omnes &c.*) Ut in *Diplomate dato III Maii MCCLXXXVI*, ubi quæ hic deſunt invenies.

APPEN-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Nicolao IV Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS.

F. Hugo de Billon, ſic ab ejuſdem nominis patria, quæ in Alvernia ſita eſt, nuncupatus, ab aliis de *Bilhonio*, *Billomo*, *Biliomo*, *Bilomio* dictus, ex Aicelina gente, S. R. E. Cardinalis, tituli S. Sabinæ, dein Oſtien. & Velitrinus Epiſcopus, ut dicetur in *Appendice ad Pontificatum S. Cæleſtini*. *Bernardus Guidonis in Catalogo Cardinalium*. *Nicolaus Trivetus in Chronicis*. *Acta Capituli Generalis Anno MCCXCVIII Metis celebrati*. *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcop. Oſtien. pag. 70 Edit. II*. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCLXXXVIII pag. 267*. *Cavalerius Tomo II pag. 185 num. VI*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. VI pag. 17*. *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXCVII pag. 450*. Anno 1288.

PATRIARCHÆ.

F. Nicolaus de Hanapis, ſic a patria, quæ eſt in Remenſi Diœceſi, vocatus, Patriarcha Jeroſolymitanus. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Terræ Sanctæ*. *Spondanus ad annum MCCLXXVIII num. XVII, & MCCXCI num. IX*. *Odoricus Raynaldus ad annum MCCLXXXVIII num. XLI*. *Acta Capitulorum Generalium Tomo II fol. 425*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. IV pag. 46*. *Cavalerius Tomo I pag. 44 num. CXXIV, & pag. 694 num. IV*. *Echard Tomo I ad annum MCCXCI pag. 422*, ceterique paſſim Scriptores tum extranei, tum domeſtici, ſed de anno diſſident inter ſe. Audiendus videtur *Bernardus Guidonis* auctor æqualis, cujus hæc verba: *F. Nicolaus de Hanapis de Provincia Franciæ, Remenſis Diœceſis, fuit Patriarcha Jeroſolymitanus. Hic cum eſſet Pœnitentiarius in Curia Romana, vir probatus Deo & hominibus, vita & moribus acceptus, D. Nicolao Papa IV ſingulis Cardinalibus imponente, quod quilibet in craſtino nominaret ſibi tres viros idoneos, non ſine nutu Divino Frater Nicolaus fuit Patriarcha a ſingulis nominatus, & ſic per Summum Pontificem ad Patriarchatum Sanctæ Civitatis Jeruſalem eſt promotus*. Hanc *Bernardi* ſententiam firmant varia Diplomata Pontificia, quæ laudat, & partim exſcribit *Odoricus* ſupra citatus. Anno 1288.

F. Iſnardus, Patriarcha Aquilejenſis. *Cavalerius Tomo I pag. 46 num. CXXXIV, ex Plodio*. *Leander Albertus de viris illuſtribus Ord. Prædicatorum*. *Taegius in Monumentis Ordinis*. Circa Annum 1288.

F. Laurentius de Parma, Patriarcha Gradenſis. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Marchiæ Triviſanæ*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. VI pag. 48 ex Libro Proviſion. Prælator. Nicolai IV, Plodio, & Ughello*, quem excipit & emendat. *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCLXXIV pag. 328 col. II*. *Cavalerius Tomo I pag. 52 num. CLIV*. Anno 1289 Die 15 Decembris.

ARCHIEPISCOPI.

F. Hugo de Billon Archiepiſcopus Lugdunenſis in Gallia. *Chronica Ordinis Prædicator*. *Leander Albertus de viris illuſtribus*. *Laurentius Pignon*. *Antonius Senenſis, ſeu Luſitanus, in Epiſcop. Galliæ*. *Stephanus Sampajo*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LVI pag. 82*. *Altamura Biblioth. Dominican. ad annum MCCXCVIII pag. 75*. *Cavalerius Tomo I pag. 54 num. 161*. *Severtius de Præſulibus Lugdunen. Edit. II*. Brevi tempore *Lugdunenſem* rexit Eccleſiam. Hinc fortaſſis *Bernardi Guidonis*, aliorumque ſilentium, quo ducti Recentiores nonnulli, negant *Hugonem* Archiepiſcopum *Lugdunenſem* fuiſſe. Sed quam parvi momenti ſit hoc genus argumentorum, ſæpius dictum fuit. Circa Annum 1288.

F. Raymundus de Medullione, ex Epiſcopo Vapincenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Martini IV*, Archiepiſcopus Ebredunenſis, *Ambrun*, in Delphinatu. *Gallia Chriſtiana Sammarthanorum in Archiep. Ebredunen*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLIII pag. 73*. *Cavalerius*, ceterique laudati in *Appendice* mox citata. Anno 1289.

F. Ivo, vel Guido, Gallus, Archiepiſcopus Nazarenus, in Palæſtina. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Terræ Sanctæ*. *Ughellus in Archiep. Nazarenis Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 773 Edit. II ex Regeſt. Vatican*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXVI pag. 88*. *Cavalerius Tomo I pag. 54 num. CLXII*. *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis in Indice Archiepiſcop. pag. 27 col. II*. Anno 1290.

Anno 1291. F. Johannes, ex Epiſcopo Finlanden., Archiepiſcopus Upſalenſis, in Suecia. *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXCI pag. 427. Cavalerius*, ceterique Scriptores laudati in *Appendice ad Pontificatum Clementis IV.*

Anno 1292. F. Jacobus de Voragine, Archiepiſcopus Genuenſis, in Liguria. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Provinciæ Lombardiæ. Ughellus in Archiepiſcop. Genuen. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 888. *Acta Capitulor. General. Tomo II fol.* 454. *Spondanus ad annum MCCXCII num. VIII. Cavalerius Tomo I pag. 55 num. CLXIV. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXCVIII pag.* 454.

EPISCOPI.

Anno 1288. F. Nicolaus de Hanapis Patriarcha Jeroſolymitanus, Epiſcopus Aconenſis. *Auctores, & Diplomata, ſuperius laudata.* Aliud aſſervatur in Archivo Cœnobii noſtri *Raguſini*, in quo ſic legere eſt: *Univerſis &c. F. Nicolaus permiſſione Divina ſacroſanctæ Jeroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarcha, Eccleſiæ Aconenſis Miniſter humilis, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, Salutem &c. Datum Raguſii in Vigilia B. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ Anno Domini MCCLXXXVIII.*

Anno 1289. F. Raymundus Summæ Ripæ, Epiſcopus Laudenſis, *Lodi*, in Lombardia, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Lombardiæ Superioris. Ughellus in Epiſcop. Lauden Tomo IV Italiæ Sacræ pag. 677 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXVII pag.* 211 *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 53 num. CLVII.*

Anno 1289. F. Albertus de Terracina, ex Priore Capuano, Epiſcopus Fundanus, in Regno Neapolitano, immediate ſub Sancta Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLIII pag. 195 ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 46 num. CXXXVI.*

Anno 1289 Die 12 Decembris. F. Salvius Epiſcopus Recanatenſis, in Piceno, immediate ſub Sancta Sede. *Bulla* - Quoniam - *Data XII Decembris MCCLXXXIX. Bernardus Guidonis in Epiſcopis Marchiæ Anconitanæ. Ughellus in Epiſcop. Recanaten. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1219 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXXVIII pag. 278. Cavalerius Tomo I pag. 56 num. CLXVIII.*

Circa Annum 1290. F. Petrus Boncherius, Gallus, Epiſcopus Tinien., in Dalmatia circa limites Boſniæ, ſub Spalatenſi Archiepiſcopo. *Ludovicus Valleoletanus. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXIX pag. 309 ex Luſitano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 48 num. CXLII.* Hunc *Echard Tomo I pag.* 698 vocat *Baucherium*, & ablegat ad annum MCCCXC.

Anno 1290. F. Petrus Scaligerus, Bergomas, Epiſcopus Veronenſis, in Marchia Tarviſina, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Lombardiæ ſuperioris. Leander Albertus de Viris illuſtribus. Fernandez in Epiſcopis Italiæ. Luſitanus in Chronicis. Plodius, Altamura, Rovetta &c. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXIX pag. 320 ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 52 num. CLV. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXC pag.* 417.

Circa Annum 1290. F. Thomas Teuto, Epiſcopus Wormacienſis in Germania, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLVI pag. 326 ex Fernandez in Epiſcopis Germaniæ, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 49 num. CXLIX.*

Anno 1290. F. Bernardus Claromontanus, Epiſcopus Claromontanus, in Alvernia, ſub Archiepiſcopo Bituricenſi. *Laurentius Pignon. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXXIV pag 173 ex Taegio, Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 49 num. CXLV.* Electum quidem, ſed non inauguratum fuiſſe *Bernardum*, docet *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCIII. pag.* 492, *& Tomo II in Supplemento pag. 5 col. II.* Idem cenſet vir clariſſimus *Dionyſius Sammarthanus in Nova Gallia Chriſtiana ad Epiſcop. Claromontan.*

Anno 1290. F. Henricus Germanus, Epiſcopus Ratiſponenſis, in Bavaria, ſub Archiepiſcopo Salisburgenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 48 num. CXLI.*

Anno 1290. F. Petrus Marilati, quem *Plodius* nominat *Marelito*, Epiſcopus Vencienſis, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Provinciæ. Acta Capitulor.* Gene-

Generalium Tomo II fol. 458. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXI pag.* 317 *ex Luſitano in Chronicis, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.*68 *num.CCXIII.*

F. Cherubinus, Epiſcopus Albingaunen., in Liguria, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. XX pag.* 119 *ex Vghello. Cavalerius Tomo II pag.*69 *num.XVI.* Anno 1290.

F. Ruffinus Placentinus, Epiſcopus Montis Marrani, in Principatu ulteriori Regni Neapolitani, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit.CCCC pag.*240 *ex Vghello. Cavalerius Tomo I pag.* 54 *num. CLXIII.* Epiſcopum *Caſtrenſem* fuiſſe *Ruffinum* dicetur in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII.* Anno 1291.

F. Adymarus Epiſcopus Oſcenſis, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Cæſarauguſtano. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Hiſpaniæ. Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Libro II Cap.XCII pag.*269. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXVIII pag.*252 *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 56 *num.CLXIX.* Anno 1291.

F. Franciſcus de Arpo, Tarviſinus, Epiſcopus Cenetenſis, in Marchia Tarviſina, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Lombardiæ Superioris. Vghellus in Epiſcop. Ceneten. Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 194 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLVI pag.* 162. *Cavalerius Tomo I pag.*57 *num. CLXX. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCX pag.* 512 *col. I.* Anno 1291.

F. Petrus de Alamanon, vel Alamon, Epiſcopus Siſtaricenſis, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Aquenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ. Claudius Robertus & Sammarthani in Gallia Chriſtiana ad Epiſcopos Siſtaricenſes. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. DLII pag.* 296. *Cavalerius Tomo I pag.*60 *num. CLXXXIII. Echard Tomo I de Scriptorib. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23 *col. II.* Anno 1291.

F. Salvus, Epiſcopus Piſaurenſis, *Peſaro*, in Umbria, ſub Archiepiſcopo Urbinatenſi. *Vghellus in Epiſcopis Piſauren. Tomo II Italiæ Sacræ pag.*859 *ex Regeſt. Vatican. Epiſtola DCXCVII fol.* 140 *An. IV Nicolai IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXVI pag.* 264. *Cavalerius Tomo I pag.* 53 *num.CLVIII.* Anno 1292 Die 26 Januarii.

F. Johannes a Cruce, Raguſinus, Epiſcopus Stagnenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. In Inſulam maris Adriatici *Corcyram nigram*, vulgo *Curzola*, nuncupatam, Sedem anno MCCC tranſtulit *Johannes*, jus in *Stagnenſem* retinens. Id habetur ex antiquis monumentis Archivi Cœnobii noſtri *Raguſini*. Hinc *Johannem* hoc anno circiter Epiſcopum fuiſſe, conſtat: quo fuerit inauguratus, incertum. Circa Annum 1292.

LEGATI.

F. Bonifatius Fieſchi, Archiepiſcopus Ravennas, Petrus Montis Regalis Archiepiſcopus, & F. Raynerius de Viterbio Legati in Siciliam. *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXXVIII num. II. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap.II Tit. II pag.*355 *num.XV.* Anno 1288.

F. Johannes Baptiſta Tolomei Legatus in Palæſtinam. *Cavalerius Tomo II pag.*69 *num.XVII.* Circa Annum 1288.

F. Nicolaus de Hanapis Patriarcha Jeroſolymitanus, & Epiſcopus Aconenſis, Legatus in Syria, Jeruſalem, Cypro, ac Armenia. *Diplomata*, & Auctores hac in *Appendice* citati. *Nec ommittendum*, inquit *Echard* Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXCI pag. 422 col. II, *quod narrat Philippus a Limborch in Hiſtor. Inquiſitionis. Anno, inquit, MCCXC Inquiſitionis officium in Syria & Palæſtina inſtitutum eſt, graſſantibus illic hæreticis, ac judæis, quibus bellorum tumultus impunitatem promittere videbantur. Amplo dato Diplomate ad Nicolaum Patriarcham Jeroſolymitanum, Apoſtolicæ Sedis Legatum, juſſit Papa, ut in terris ſuæ legationis Inquiſitores hæreticæ pravitatis, de conſilio Provincialium Prædicatorum earundem partium, vel eorum vices gerentium, deputaret.* Anno 1288.

S. CÆLESTINUS V

(a) Decretum Electionis.

(b) Bonifatius VIII Lib. I Epiſtol. I.

Ex Eremo ad Summum Pontificatum ſublimatus (a) eſt Peruſii Die V Julii MCCXCIV. Conſecratus fuit Aquilæ in Veſtinis. Coronatus eſt Die XXIX Menſis Auguſti. Sponte ceſſit (b) eodem Anno Die XIII Menſis Decembris. Sedit Menſes V, Dies VIII. Obiit in arce Fumonis non longe a Ferentino in Hernicis, atque in Eccleſia Sanctæ Agathæ prope mœnia hujuſce urbis ejus corpus tumulatum fuit, ſed poſtea Sulmonem tranſlatum eſt, excepto corde, quod adhuc incorruptum aſſervatur Ferentini apud Moniales Clariſſas.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, & Epiſcopi Dignitates, S. Cæleſtino V Summo Pontifice, Promotos exhibens.

PATRIARCHA.

Anno 1294. FR. Radulphus de Grandi-Villa, Patriarcha Jeroſolymitanus. *Bernardus Guidonis in Episcopis Terræ Sanctæ. Johannes Canonicus Victorinus &c., & Guillelmus de Naugis apud Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCXCI pag.425, & 427. Acta Capitulor. General. Tomo II fol.463. Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCXCI num.XII. Cavalerius Tomo I pag.68 num.CCXIV.* Idem *Radulphus* Adminiſter fuit Archiepiſcopatus *Brunduſini*, ut in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI.*

EPISCOPI.

Anno 1294. FR. Muñio Zamorenſis, Epiſcopus Palentinus, in Hiſpania, olim ſub Archiepiſcopo Toletano, nunc ſub Burgenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Provincia Hiſpaniæ. Acta Capitulor. General. Tomo II fol.* 458. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit. CCCCXLVII pag.257 ex Ægidio Gonzalez D'Avila in Theatro Eccleſiaſt. Cavalerius Tomo I pag.57 num.CLXXI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXXV pag.398. Medranus Hiſtor. Provinciæ Hiſpan. Tomo II Parte I Lib. VII Cap.XXIII* pag.641.

Anno 1294. F. Guillelmus de Monte Cathano, ex antiqua familia de Moncada, Epiſcopus Urgellenſis, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Provinciæ Aragoniæ. Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Libro II Cap.XCIII pag.270. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.V Tit.DCXLVIII pag.326 ex* Brovio, *& Olmeda. Cavalerius Tomo I pag.68 num.CCXII. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXXXV pag.399.* Ex *Actis Capituli Generalis* apud *Montem-Peſſulanum* coacti anno MCCXCIV liquet jam ab anno MCCXCIII Fratres *Guillelmum*, & *Muñionem* electos eſſe Epiſcopos. Annum MCCXCIV, quo confirmati, & inaugurati ſunt, aſſignavi.

Circa Annum 1294. F. Franciſcus de S. Georgio, ſic ab ejuſdem nominis patria, in Diœceſi Bononienſi ſita, nuncupatus, Epiſcopus Salubrienſis, in Græcia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano, Vices-gerens *Leodienſis* fuit Franciſcus. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Græciæ. Cavalerius Tomo I pag.*118 *num.CXIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.22 col.I.* Quo anno deceſſerit e vivis, vel inauguratus fuerit *Franciſcus*, incertum. Id unum ſcimus, inquit *Cavalerius*, ipſum vixiſſe ſedente *Benedicto XII*, circa MCCCXL, & *Bononiæ* mortuum, ibi enim viſitur ſepulcrum, ubi hoc breve Epitaphium: *Fratris Franciſci Epiſcopi Salubrienſis.* Anno MCCXCIV Ædes ſacras Cœnobii noſtri *Trajectenſis* Deo dicavit *Franciſcus*, ut ex antiquis monimentis ejuſdem Domus conſtat.

Anno 1294. F. Hugo de Billon S. R. E. Cardinalis, ex titulo S. Sabinæ Epiſcopus Oſtienſis, & Velitrinus renunciatus eſt. Conſulendi Scriptores in Appendice præcedenti citati.

Circa Annum 1294. F. Raynoldus, vel Reginaldus, de Spoleto, Epiſcopus Tanitin., vulgo *Tanes*, in Ægypto, ſub Archiepiſcopo Damiatenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Græciæ. Cavalerius Tomo I pag.302 num.CCCVII*; ex *Lopez, Plodio*, & *Altamura*, qui, ut obſervat ibidem *Cavalerius*, de anno diſſident inter ſe, & vel *Theanenſi*, vel *Teatinæ* Sedi præficiunt *Raynoldum*. Sed ipſos hallucinari, ac *Tanenſem*, ſeu *Tanitin.* Epiſcopum fuiſſe *Raynoldum*, ſuſpicatur *Cavalerius*, & quam bene, liquet ex Ms. *Bernardi Guidonis*.

BO-

BONIFATIUS VIII

Antea Benedictus Cajetanus vocatus, Patria Anagninus, poſt ſpontaneam S. Cæleſtini abdicationem electus fuit (*a*) Neapoli Die XXIV Decembris Anno MCCXCIV. Coronatus eſt Romæ Die XVI Ianuarii MCCXCV. Diem ſupremum obiit (*b*) ibidem Die XI Menſis Octobris MCCCIII, Sedit Annos VIII, Menſes IX, Dies XVIII.

(*a*) Bonifatius VIII. Lib. I Epiſtol. I.
(*b*) Ciaconius in Bonifatio VIII.

Male parta, quibus ignoti fraudati ſunt, conſummandis Ædibus Sacris S. Mariæ ſupra Minervam (1) deſtinat uſque ad certam ſummam.

Anno 1295 Die 21 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatoribus S. Marię ſupra Minervam de Urbe, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

I.

CUm, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram Nobis, Eccleſiam in loco veſtro, de novo conſtruendam inceperitis opere plurimum ſumptuoſo, Nos, neceſſitatibus veſtris paterno compatientes affectu, quod de uſuris, rapinis, & alias male acquiſitis, ſive, edictis publice propoſitis in locis comparentibus, quibus horum reſtitutio fieri debeat, omnino ſciri, vel inveniri non poſſint, uſque ad ſummam duarum millium librarum Turonen. parvorum (3) convertendam in opus hujuſmodi, recipere valeatis, auctoritate vobis pręſentium indulgemus; Ita quod illi, qui vobis pręmiſſa conferent, ad reſtitutionem aliam faciendam eorum, quę vobis contulerint, & per vos ipſos ſub fraudis commento, non fuerint reſtituta, minime teneantur, ſed ad reſtituendum reſiduum acquiſitorum taliter, ſi quid fuerit, remaneant nihilominus obligati. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XII Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Conceſſio.

1. *Minervam*.) Vide *Notam I in Diploma datum XXIV Junii MCCLXXX*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio S. *Mariæ ſupra Minervam*.
3. *Parvorum*.) Supple *Denariorum*. Hæc enim libra duplex fuit, una majoris unciæ, altera minoris, majorum nempe, vel minorum denariorum. Adeas *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo: *Moneta*.

Epiſcopo (1) Bononienſi, ne quis Fratres Prædicatores Provinciæ Lombardiæ moleſtiis afficiat.

Anno 1295 Die 8 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Bononien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

II.

SUb religionis habitu vacantibus pię vitę ſtudio, ita debemus eſſe propitii, ut in divinis beneplacitis exequendis malignorum non poſſint obſtaculis impediri. Cum itaque dilecti filii Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum in Provincia Lombardię, a nonnullis, qui Nomen Domini in vacuum recipere non formidant, diverſas, ſicut accepimus, patiantur injurias, & jacturas; Nos, volentes eorundem Prioris, & Fratrum providere quieti, & perverſorum conatibus obviare, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, dictos Priorem & Fratres pro noſtra & Apoſtolicę Sedis reverentia favoris opportuni pręſidio proſequens, non permittas, ipſos contra indulta privilegiorum ipſius Sedis ab aliquibus indebite moleſtari: moleſtatores hujuſmodi per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; Attentius proviſurus, ne de his ſuper quibus lis eſt forte jam mota, ſeu quę cauſę cognitionem exigunt, & quę indulta hujuſmodi non contingunt, te aliquatenus intromittas, ne in Epiſcopos, alioſve Superiores Prçlatos, excommunicationis, ſeu ſuſpenſionis, aut in Univerſitatem aliquam interdicti, ſententias, promulgare pręſumas; Nos enim, ſi ſecus pręſumpſeris, tam pręſentes literas, quam etiam proceſſum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus, ac nullius fore decernimus firmitatis. Hujuſmodi ergo mandatum noſtrum ſic prudenter, & fideliter exequaris, quod ejus fines quomodolibet non excedas. Pręſentibus poſt triennium minime valituris. Datum Laterani VIII Id. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Mandatum.

1. *Epiſcopo*.) Adeas *Ughellum* in *Epiſcop. Bononien.* Tomo II *Italia Sacra pag.* 22. *Edit. II.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi fol.* 16, ex Autographo *Bononia* aſſervato.

Anno 1295 Die 6 Aprilis.

Carolo (1) Regi Siciliæ, ut in honorem S. Mariæ Magdalenæ Prioratum inſtituat San-Maximinenſem, quem Monaſterii S. Victoris, & Epiſcoporum juriſdictione reddit immunem.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib.* B. *fol.* 17, 212, *&* 305.

III.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Carolo, Regi Siciliȩ illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

OB tuorum excellentiam meritorum, quibus Regalis ſublimitas dignoſcitur inſignita, non indigne petitiones tuas, quantum cum Deo poſſumus, libenti animo exaudimus, illas prȩcipue, quȩ cultus Divini Nominis augmentum reſpicere dignoſcuntur. Sane habet tua inſinuatio, facta nobis, quod (Supplex petitio Regis.) ob magnȩ devotionis affectum, quem ad B. Mariam Magdalenam geris interne in Eccleſia Sancti-Maximini (3), Ordinis Fratrum Prȩdicatorum (4), Aquen. Diœceſis, tunc ad Monaſterium Sancti Victoris Maſſilien., Ordinis S. Benedicti, immediate ſpectante, in qua eſt Corpus dictȩ Sanctȩ reconditum, cultum Divini Nominis adaugeri deſideras, & in honorificum ejuſdem Sanctȩ prȩconium per celebre miniſterium ſolemnius deſerviri, propter quod devotius ſupplicaſti, quod Eccleſiam ipſam cum domibus, & (Conceſſio.) officinis, ac vacuis aliis ſibi conjunctis, necnon Theſauro, Reliquiis, ornamentis eccleſiaſticis, & oblationibus eidem Eccleſiȩ proventuris pro executione tam laudandi propoſiti, per quod hujuſmodi tuum deſiderium efficacius, & liberius adimplere valeas, ad hoc deputare miniſterium, de Apoſtolicȩ Poteſtatis prȩſidio dignaremur. Nos igitur attendentes, quod tu eximiam devotionem a te habitam ad prȩfatam Sanctam ex eo prȩcipue per operis evidentiam oſtendiſſe dignoſceris, quod olim dum incertus exiſteret (Sacris Sanctæ Mariæ Magdalenæ Reliquiis in San-Maximinenſi civitate conditis fidem facit.) locus ubi ſepultum fuerat Corpus ipſum, ad illum inquirendum, & inveniendum, efficax ſtudium impendiſti, & tandem eodem invento, ipſum in dicta Eccleſia feciſti, cum debita devotione, & reverentia, conveniente ad hoc Cleri & Populi partium illarum copioſa multitudine, tumulari: Ac intendentes in hac parte favorabiliter annuere votis tuis, prȩcipue cum de prȩdictis, multa fide viderimus oculata, prȩfatam Eccleſiam cum Domibus, Officinis, & vacuis aliis ſibi conjunctis, necnon theſauro, Reliquiis, ornamentis eccleſiaſticis, ac omnibus oblationibus eidem Eccleſiȩ proventuris, ſic ad prȩfatum miniſterium ſpecialiter deputamus, ut licentiam habeas Prioratum inibi de Ordine Fratrum Prȩdicatorum, ſub ipſius Ordinis approbata obſervantia regulari, cum illo Fratrum numero (5), qui tibi expedire videbitur, or- (Eximit ut ſupra.) dinandi. Nos enim ipſam Eccleſiam cum prȩtactis pertinentiis ſuis, ac Prioratum, ut prȩmittitur, inibi ordinandum, in jus & proprietatem, ac protectionem B. Petri, & Apoſtolicȩ Sedis recipimus, & ipſos ab omni poteſtate, juriſdictione, ac dominio (6) dicti Monaſterii, ac Abbatis, & Conventus ejuſdem, & quorumlibet Ordinariorum, perpetuo ex certa ſcientia duximus eximendos: amplius tibi prȩſentium auctoritate conceſſo, quod Prior, qui prȩerit in Prioratu prȩdicto pro tempore, ad tuȩ requiſitionis, & informationis inſtantiam, correctionem, & reformationem in loco ipſo facere teneatur. Non obſtanti- (Clauſula derogans.) bus quibuſcunque privilegiis, ab Apoſtolica Sede ſub quacunque verborum forma Ordini Prȩdicatorum prȩfato conceſſis, quȩ huic noſtrȩ deputationi, receptioni, exemptioni, & conceſſioni fortaſſis obſiſterent, etiam ſi oporteret de illis expreſſam, vel de verbo ad verbum prȩſentibus fieri mentionem. Nulli ergo &c. noſtrȩ deputationis, receptionis, exemptionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Lateran. VIII Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Carolo.*) *II*, cujus laudes celebrant *Henricus Sedulus* in *ipſius vita*, *Ruffi* in *Hiſtoria Maſſiliæ*, *Bouche* in *Hiſtoria Gallo-Provinciæ &c.*

2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar Authenticum. Aliud ibidem typis mandatum legere eſt inter *Monumenta Conventus San-Maximinenſis*. Autographum habes in *San-Maximinenſi* Cœnobio.

3. *Sancti Maximini.*) Sic nuncupatur Civitas in *Gallo-Provincia*, *Aquas ſextias* inter & *Briucolam* ſita, quæ quondam *Villa lata*, vel, ut nonnullis placet, *Tegulata*, ſeu *Tegulata* vocata eſt. Ibi vigilantiſſimæ Patronæ Prædicatorum Ordinis *S. Mariæ Magdalenæ* Corpus quieſcit in urna porphyritica Aræ præcipuæ ſuperpoſita, ubi conditum fuit anno MDCLX Regnante *Ludovico XIV*, ipſo Rege, Aulaque regia præſentibus. Sacrum vero ejuſdem Sanctæ Caput ibidem in Sacello ſubterraneo viſitur. Ubinam, & quo tempore pretioſum illum theſaurum *Carolus II* invenerit, narrat auctor coætaneus *Richardus Cluniacenſis in Nicolao III* apud *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCLXXIX num. XIX*, ubi hæc habet Bzovius. *Anno Domini Milleſimo ducenteſimo ſeptuageſimo nono., Menſis Aprilis die nono, Carolus Princeps, filius Caroli Regis Siciliæ, Comes Provinciæ, poſtea Rex Siciliæ, perquirens Corpus Beatæ Mariæ Magdalenæ, illud in Oratorio, in Villa ad Sanctum Maximinum nuncupata, ſolicite, reperit. Rem quemadmodum accidit, verbis ipſis Richardi Cluniacenſis Hiſtoriographi dare adlibuit. Apertis, inquit, tumulis a latere Oratorii hinc & inde, & effoſſa humo invenitur Corpus Sanctiſſimæ Magdalenæ, non in Tumulo de Albaſtro, quo primum a Sancto Maximino Aquenſi Epiſcopo conditum fuit, ſed in alio marmoreo e regione ad dexteram introeuntibus collocato: cum ingenti odoris fragrantia, ſequentibus Miraculis glorioſis, & ex ejus lingua adhuc tunc capiti & gutturi adhærente, radix quædam cum ramuſculo fœniculi prominebat in longum, ſicut a præſentibus audivi qui hoc ſcribo, quæ radix diviſa in particulas in multis locis pro Reliquiis conſervatur. In eodem quoque tumulo in teſtimonium veritatis juxta Corpus ſanctiſſimum inventus fuit chartellus quidam vetuſtiſſimus, in ligno quodam conſervativo a putrefactione, continens hanc ſcripturam. Anno Nativitatis Dominicæ ſeptingenteſimo decimo, ſexto die Menſis Decembris in nocte ſecretiſſime, regnante Odoino piiſſimo Rege Francorum, tempore infeſtationis gentis perfidæ Saracenorum, translatum fuit corpus chariſſimæ ac venerandæ Beatæ Mariæ Magdalenæ de Sepulchro ſuo Alabaſtri in hoc marmoreo, timore dictæ gentis perfidæ, & quia ſecretius eſt hic, amoto corpore Sedonei. Hunc chartellum vidi, & legi ego, qui hæc ſcribo. Memoratus autem Carolus viſis & inventis prædictis, convocatis Narbonenſi, Arelatenſi, & Aquenſi Archiepiſcopis, Aliiſque Epiſcopis, Abbatibus, & Religioſis, ac Nobilibus ſuis cum Clero & populo congregato die ad hoc ſtatuta, ſcilicet tertio Nonas Maji, Anno Domini Milleſimo ducenteſimo octuageſimo, Pontificatus Domini Nicolai Papæ Tertii Anno Tertio & ultimo, levavit, & in capſa pretioſa, ad hoc auro, argento & gemmis præparata locavit. Caput vero in theca ex auro puro introcluſit. Reperta eſt etiam Scriptura alia vetuſtiſſima, adeo quod vix legi potuit in tumulo memorato, in chartello cera exterius cooperto. Hic requieſcit Corpus Mariæ Magdalenæ. In eodem loco idem Princeps Carolus, Rex Siciliæ jam effectus, Conventum Fratrum Prædicatorum, translatis auctoritate Bonifatii Octavi, Monachis Sancti Victoris Maſſilien. Anno Domini Milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, inſtituit, & in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ, & aliorum Sanctorum in eodem Oratorio quieſcentium, ſcilicet Sancti Maximini, Sedonei,*

nei, qui cæcus natus a Chriſto illuminatus, & Marcella ancilla Sanctæ Marthæ, quæ dixit Chriſto Domino, Beatus venter, qui te portavit; etiam idem Rex pulchram fieri fecit Eccleſiam ſumptibus regiis, quam ornamentis pretioſis honorans ditavit. Hæc *Richardus*, de quibus nos, Deo bene favente, alias lato calamo differemus.

4. *Ordinis Fratrum Prædicatorum.*) Ibi enim Fratres Prædicatores, licet numero pauci, jam ab anno, quo venerandum *Sancta Maria Magdalena* Corpus inventum fuerat, & ſervandis Reliquiis, & Ædibus Sacris ac Cœnobio conſtruendis operam dabant.

5. *Numero.*) Hoc in Regio *San-Maximinenſi* Cœnobio ſeptuaginta circiter Fratres nunc vitam degunt.

6. *Dominio.*) Solum ſiquidem, ſeu area, ubi Fratres Prædicatores celeberrima ædificia condidere, juris ac poteſtatis erat Monaſterii *San-Victorini Maſſilienſis*.

San-Maximinenſe (1) Cœnobium variis privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Anno 1295 Die 7 Aprilis.

IV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei; cariſſimo in Chriſto filio Carolo, Regi Siciliæ illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DEſideriis tuis in his libenter annuimus, per quę ſummi Regis redderis conſpectui gratioſus, tibique ſalutis proveniat incrementum. Nuper ſiquidem ex inſinuatione regia intellecto, quod ob magnę devotionis affectum, quem ad Beatam Mariam Magdalenam geris, in Eccleſia Prioratus Sancti Maximini Ordinis Fratrum Prędicatorum, tunc ad Monaſterium Sancti Victoris Maſſilienſis, Ordinis Sancti Benedicti, immediate ſpectantis, in qua eſt Corpus dictę Sanctę reconditum, affectabas cultum divini Nominis adaugere, & in honorificum ejuſdem pręconium per celebre miniſterium ſolemnius deſerviri; Nos, intendentes in hac parte favorabiliter annuere votis tuis, Eccleſiam, & Prioratum prędictos, cum domibus, officinis, & vacuis aliis ſibi conjunctis, necnon theſauro, Reliquiis, Ornamentis eccleſiaſticis, ac omnibus oblationibus eidem Eccleſię proventuris, ſic per alias noſtras literas (3), tibi directas, pro executione tam laudandi propoſiti duximus deputandos, quod in loco ipſo Prior, & decens Conventus Fratrum ejuſdem Ordinis Prędicatorum, per quos ibidem perpetuo ſub ipſius Ordinis Fratrum Prędicatorum obſervantia divinis inſiſtatur laudibus, ordinentur, prout tibi viſum fuerit expedire; Dictum que locum cum domibus, & aliis ſupradictis, & perſonas inibi ordinandas, in jus, & proprietatem, ac protectionem Beati Petri & Apoſtolicę Sedis, recipimus: illum ab omni juriſdictione Abbatis, & Conventus dicti Monaſterii, ac venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Aquenſis, qui nunc eſt, & pro tempore fuerit, ac quorunlibet Ordinariorum aliorum, perpetuo eximentes, prout in prędictis literis plenius continetur. Nunc autem ad pręſentationem tuam de dilecto filio Fratre Guilielmo de Toneux (4), prędicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſore, pręſentialiter nobis factam, eundem Fratrem Guilielmum in Priorem inſtituimus dicti loci, auctoritate Apoſtolica, ſtatuentes, ut idem Prior pro Conventu inibi ordinando, illum numerum Fratrum profeſſorum dicti Ordinis, qui tibi expedire videbitur, aſſumere valeat, & illos in loco collocare prędicto; iidemque Fratres, qui ſic aſſumpti fuerint, teneantur prędicto Fratri Guillelmo, & ſucceſſoribus ſuis, tanquam Prioribus ſuis in omnibus obedire; nec iidem Prior, aut ſucceſſores ejus, qui pro tempore in eodem loco fuerint aſſignati, ſine tuo conſenſu ab officio adminiſtrationis ejuſdem loci abſolvi valeant; quodque locus, qui nunc Prioratus exiſtit, ubi pœnitentiam dicta Sancta egiſſe dicitur, & qui Balma (5) vulgariter nuncupatur, in conceſſione tibi facta per alias prędictas noſtras literas ſit incluſus, & pari cum ceteris in ipſa conceſſione contentis, exemptionis privilegio gaudeat, & eiſdem conditionibus cenſeatur. Electio (6) vero Prioris ipſius loci, quotiens opus erit ad dictos Conventum, ac ejus Confirmatio ad Provincialem Priorem, vel ad Magiſtrum dicti Ordinis Prędicatorum pertineant; eo modo videlicet, quod poſt electionem celebratam ab ipſis de Priore, iidem Conventus tuum aſſenſum requirere teneantur, & ſi illum ſuper hoc pręſtare nolueris, poſſint procedere ad electionem aliam faciendam, nec aliqua electio, quam de Priore in loco ipſo celebrari contingat, pręſentari Superiori, ſeu confirmari valeat, niſi tuus aſſenſus primo ſuper hoc requiſitus fuerit, & obtentus; & quod eidem Priori, ſuiſque ſucceſſoribus, habitatorum Villę dicti loci Sancti Maximini, & illuc advenientium, quandiu ibi fuerint, cura immineat animarum, quę per .... Presbyteros idoneos, inſtituendos, & deſtituendos per ipſum, quotiens viderit opportunum, valeat exerceri, quibus idem Prior, & Succeſſores ejus teneantur in vitę neceſſariis congrue providere, & quod ratione dictę Curę Prior, ſeu Presbyteri ſupradicti, juriſdictioni Diœceſani in nullo penitus ſint ſubjecti, nec teneantur ſibi, vel alii reddere rationem: quodque pręfati Prior, & Conventus, cum ad prędictum locum accedere perſonaliter te contingat, te tanquam verum Patronum ipſius loci recipere proceſſionaliter teneantur. Non obſtantibus quibuslibet ejuſdem Ordinis Prędicatorum, ſeu quarumcunque perſonarum contrariis conſtitutionibus, ordinationibus, ſeu ſtatutis, vel privilegiis, quę premiſſis, vel eorum alicui poſſent in aliquo obviare, etiamſi oporteret de illis expreſſam, vel de verbo ad verbum pręſentibus fieri mentionem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę inſtitutionis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Laterani VII Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Corpus S. Mariæ Magdalenæ in Eccleſia, S. Maximini conditum, teſtatur.

Tenor præcedentis Diplomatis.

Prioratus San-Maximinenſis exemptus ab omni Monaſterii S. Victoris, & Aquenſis Archiepiſcopi Juriſdictione.

Prioratum S. Balmæ privilegiis San-Maximinenſi conceſſis donat.

Prior Conventus eligendus a Fratribus, & a Provinciale, vel Generale, de Regis Aſſenſu, confirmandus.

Prioris Juriſdictioni Civitas San-Maximinenſis ſubjicitur.

Rex hujuſce Prioratus patronus declaratur.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *San-Maximinenſe.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo quod tenet Conventus *San-Maximinenſis*.

3. *Literas.*) Præcedentes.

4. *Toneux.*) Seu *Tonens*, vel *Tenais*, vir multis dotibus & gratiis a Deo donatus, ut teſtatur *Bernardus Guidonis* apud *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis Prædicator. ad an. MCCXCIX pag. 463.* De eodem Fratre dictum eſt ſupra.

5. *Balma.*) Id eſt Antrum, IX Milliaribus diſtat a Cœnobio *San-Maximinenſi*, *Maſſiliam* verſus. Ibi vicarialis domus Fratrum Prædicatorum.

6. *Electio.*) Sunt quædam hac de re in *San-Maximinenſibus* ſingularia, quæ hic annotanda: quoties enim eligendus eſt Prior, non unus duntaxat, ſed tres canonice creantur a Fratribus. Horum unus ad Prioratum a Rege Chriſtianiſſimo deſignatur, a Provinciale poſtmodum confirmandus.

Anno 1295 Die 7 Aprilis.

Epiſcopo Maſſilienſi (1), ut Epiſcopum Siſtaricenſem (2) nomine Regis in poſſeſſionem San-Maximinenſis, & S. Balmæ Prioratuum mittat (3).

Ex Archivo (4) Ordinis.

V.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Maſſilien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

OB excellentiam meritorum, quibus cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli, Siciliç Regis Illuſtris, ſublimitas dignoſcitur inſignita, petitiones ipſius Regis, quantum cum Deo poſſumus, libenti animo exaudimus, illas pręcipue, quę cultus Divini Nominis augmentum reſpicere dignoſcuntur.

Supplex Regis petitio.

Sane habuit nuper ejuſdem Regis inſinuatio, facta nobis, quod ob magnę devotionis affectum, quem ad B. Mariam Magdalenam gerit interne in Eccleſia Prioratus S. Maximini Ordinis Fratrum Pręedicatorum, Aquen. Diçceſis, olim ad Monaſterium Sancti Victoris Maſſilien., Ordinis S. Benedicti, immediate ſpectante, in qua eſt Corpus dictę Sanctę reconditum, affectabat cultum Divini Nominis adaugeri, &, in honorificum ejuſdem pręconium, per celebre miniſterium deſerviri.

Preces Regis ſe audiſſe teſtatur.

Nos, intendentes votis ipſius Regis annuere favorabiliter in hac parte, prędictos Eccleſiam & Prioratum cum domibus, officinis, & vacuis aliis ſibi conjunctis, necnon theſauro, Reliquiis, ornamentis Eccleſiaſticis, ac omnibus oblationibus eidem Eccleſię proventuris, ſic per alias literas (5) noſtras, eidem Regi directas, pro executione tam laudandi propoſiti duximus deputandos, ut in loco ipſo Prior, & decens Conventus Fratrum, ejuſdem Ordinis Prędicatorum, per quos ibidem perpetuo ſub ipſius Ordinis obſervantia divinis inſiſtatur laudibus, ordinentur, prout ipſi Regi viſum fuerit expedire, dictumque locum cum domibus, & aliis ſupradictis, & perſonas inibi ordinandas, in jus, & proprietatem, ac protectionem B. Petri & Apoſtolicę Sedis recipimus, illum ab omni juriſdictione Abbatis, & Conventus dicti Monaſterii, & venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Aquen., qui nunc eſt, & pro tempore fuerit, ac quorumlibet Ordinariorum aliorum, perpetuo eximentes, prout in prędictis literis plenius continetur.

San-Maximinenus Conventus ab Aquenſis Archiepiſcopi, & Monaſterii S. Victoris juriſdictione exemptus.

Demum vero ad pręfati Regis pręſentationem de dilecto filio Fratre Guillelmo de Toneux, prędicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſore, pręſentialiter nobis factam, eundem Fratrem Guillelmum in Priorem inſtituimus dicti loci Apoſtolica auctoritate ſtatuentes, ut idem Prior pro Conventu inibi ordinando, illum numerum Fratrum profeſſorum dicti Ordinis, qui pręfato Regi expedire videbitur, aſſumere valeat, & illos in loco collocare prędicto. Iidemque Fratres, qui ſic aſſumpti fuerint, teneantur prędicto Fratri Guillelmo, & Succeſſoribus ſuis, tanquam Prioribus ſuis in omnibus obedire, nec iidem Prior, & Succeſſores ejus, qui pro tempore in eodem loco fuerint aſſignati, ſine Regis prędicti conſenſu ab officio adminiſtrationis ejuſdem loci abſolvi valeant, quodque locus, qui nunc Prioratus exiſtit, ubi pęnitentiam egiſſe dicitur ipſa Sancta, & qui Balma vulgariter nuncupatur, in conceſſione facta pręfato Regi per alias prędictas noſtras literas ſit incluſus, & pari cum ceteris, in ipſa conceſſione contentis, exemptionis privilegio gaudeat, & eiſdem conditionibus cenſeatur:

Prior San-Maximinenſis ſine Regis aſſenſu non poteſt a Prioratu dimitti.

S. Balmæ Prioratus ornatur privilegiis San-Maximinenſis Cœnobii.

Electio vero Prioris ipſius loci, quoties opus erit, ad dictos Conventum, & ejus confirmatio, ad Provincialem Priorem, vel ad Magiſtrum prędicti Ordinis Prędicatorum pertineant, eo modo videlicet, quod poſt electionem celebratam ab ipſis de Priore, iidem Conventus ſupradicti Regis aſſenſum requirere teneantur, &, ſi illum ſuper hoc pręſtare noluerit, poſſint procedere ad electionem aliam faciendam, nec aliqua electio, quam de Priore in loco ipſo celebrari continget, pręſentari Superiori, ſeu confirmari valeat, niſi Regis ejuſdem aſſenſus primo ſuper hoc requiſitus fuerit, & obtentus; & quod eiſdem Priori, ſuiſque ſucceſſoribus habitatorum Villę dicti loci S. Maximini, & illuc advenientium, quandiu ibi fuerint, cura immineat animarum, quę per Presbyteros .... idoneos inſtituendos, & deſtituendos per ipſum quoties viderit opportunum, valeat exerceri: quibus iidem Prior, & ſucceſſores ejus teneantur in vitę neceſſariis congrue providere.

Prior eligendus a Conventu Fratrum, confirmatur a Provinciale, vel Generale de Regis aſſenſu.

San-Maximinenſis Civitas Prioris juriſdictioni ſubjecta.

& quod ratione dictę curę Prior, ſeu Presbyteri ſupradicti juriſdictioni Dięceſani in nullo penitus ſint ſubjecti, nec teneantur ſibi, vel alii reddere rationem, quodque Pręfati Prior, & Conventus, cum ad dictum locum accedere perſonaliter dictum Regem continget, ipſum tanquam verum Patronum ipſius loci recipere proceſſionaliter teneantur:

Clauſula derogans.

Non obſtantibus quibuslibet ejuſdem Ordinis Prędicatorum, ſeu quarumcunque perſonarum contrariis conſtitutionibus, ordinationibus, ſeu ſtatutis, vel privilegiis, quę premiſſis, vel illorum alicui poſſent in aliquo obviare, etiamſi oporteret de illis expreſſam, vel de verbo ad verbum in pręſentibus fieri mentionem.

Mandatum.

Quocirca fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Siſtaricen. pręfati Regis nomine in corporalem poſſeſſionem Eccleſię, Prioratus, & loci Balmę, ac domorum, officinarum, & aliorum vacuorum eidem Eccleſię conjunctorum, necnon theſauri, Reliquiarum, ornamentorum Eccleſiaſticorum, pertinentiarum, & jurium prędictorum, per te, vel alium, ſeu alios, auctoritate noſtra inducas, & defendas inductum. Contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo.

Clauſula derogans.

Non obſtante ſi aliquibus, cujuſcunque ſtatus, conditionis, ſeu dignitatis exiſtant, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Lateran. VII Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Maſſilienſi.*) In *Gallo-Provincia*. Ceterum quid actum ſit habetur ex ſequenti Inſtrumento. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti, Amen. Anno Incarnationis ejuſdem milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, die vigeſima Junii, octavæ indictionis. Noverint univerſi præſentes pariter & futuri, quod Reverendus in Chriſto Pater Dominus Pencius Dei gratia Siſtaricenſis Epiſcopus obtulit & præſentavit, in præſentia Notarii & teſtium ſubſcriptorum, nobis Durando miſeratione Divina Maſſilienſi Epiſcopo, quaſdam Patentes literas, ſeu Privilegia Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini D. Bonifatii Dei gratia Romanæ & Univerſalis Eccleſiæ Summi Pontificis, cum veris Bullis, & vero filo de ſerico & cannapo, non vitiatas, nec in aliqua parte ſui abolitas, petens inſtantia quanta poteſt, a nobis executioni mandari, & expediri ea omnia & ſingula, quæ in literis commiſſionis inde nobis factæ plenius continentur. Quarum literarum, prioris videlicet cum ſerico tenor dignoſcitur eſſe talis. Bonifatius Epiſcopus Servus Servorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem, &c. Secunda vero litera cum vera Bulla & ſerico tenor dignoſcitur eſſe talis.*

Boni-

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Siciliæ illuſtri, &c. ut ſupza: Tertiæ vero literæ executoriæ cum vera Bulla & filo de cannapo, quæ nobis dirigitur, tenor dignoſcitur eſſe talis. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Maſſilienſi, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem, &c. ut ſupza. Datum Laterani ſeptimo idus Aprilis Pontificatus noſtri anno primo. Viſis igitur & intellectis plenarie conceſſionibus & Privilegiis factis Domino Regi prædicto, & commiſſione executionis hujuſmodi nobis factæ, ac volentes ſicut obedientes filii obedire, & exequi quæ mandantur: Nos prædictus Durandus miſeratione Divina Maſſilienſis Epiſcopus, ad Prioratum prædicti loci Sancti Maximini perſonaliter accedentes, venerabilem in Chriſto Patrem Dominum P. Dei gratia Siſtaricenſem Epiſcopum antedictum præſentem, & per ipſum dictum Dominum Summum Pontificem ſpecialiter deputatum, præfati Domini Regis nomine, in poſſeſſionem Eccleſiæ, & Prioratus, ac domorum, officinarum, & aliorum vacuorum Eccleſiæ eidem conjunctorum, necnon Theſauri, Reliquiarum, ornamentorum eccleſiaſticorum, pertinentiarum, ac jurium prædictorum, auctoritate Apoſtolica induximus corporalem; Cum nihil per aliquam legitimam perſonam ſit oppoſitum rationabile, propter quod minus exequi debeant ſupradicta, vel eorum debeat executio retardari, in omnes impedientes & turbantes quomodolibet, publice vel occulte, cujuſcunque ſtatus, conditionis ſeu dignitatis exiſtant, in his ſcriptis præſentibus, auctoritate pravia, excommunicationis ſententiam promulgantes, quam faciemus, quandocunque nobis videbitur, tam generaliter quam ſpecialiter, ubi expediens fuerit, præcipere (Publicari). Præcipientes tibi Jacobo Jordano Notario publico, de his omnibus per te fieri publicum inſtrumentum, vel publica inſtrumenta, ſigilli noſtri munimine roborandum, vel etiam roboranda. Acta fuerunt hæc & publicata apud S. Maximinum in Eccleſia S. Maximini, in gradu ante altare S. Michaelis, quod eſt in dicta Eccleſia, extra cledas coram teſtibus ad hæc vocatis, & rogatis, ſcilicet Domino Berengario Gantelmi milite, D. Paulo Fabro majore Judice, D. Guidone de Tabia Regis Procuratore & advocato in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, D. Hugone Laucaudo, D. Guillelmo Amalrico Capellanis, Bernardo Audiberto, Guillelmo Ebrardi, & me Jacobo Jordano Notario publico infraſcripto.

Poſt hæc vero, anno Incarnationis Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, die viceſimo primo Junii octavæ indictionis: Viſis ſimiliter & intellectis plenarie conceſſionibus & Privilegiis ſupra ſcriptis Papalibus, factis dicto Domino Regi, & commiſſione executionis hujuſmodi nobis memorato Durando miſeratione Divina Maſſilienſi Epiſcopo factæ, ac volentes ſicut obedientes filii obedire, & exequi quæ mandantur: Nos prædictus Durandus, ad Prioratum prædicti loci ubi dicta Sancta Pœnitentiam egiſſe dicitur, qui Balma vulgariter nuncupatur, perſonaliter accedentes, dictum venerabilem Patrem Dominum P. Dei gratia Siſtaricenſem Epiſcopum præſentem, & per jamdictum Dominum Summum Pontificem ad hoc ſpecialiter deputatum, præfati D. Regis nomine, in poſſeſſionem Eccleſiæ, & Prioratus, ac domorum, officinarum, & aliorum vacuorum Eccleſiæ eidem de Balma, & Prioratui conjunctorum, necnon Theſauri, Reliquiarum, ornamentorum eccleſiaſticorum, pertinentiarum, & jurium prædictorum omnium & ſingulorum, auctoritate Apoſtolica induximus corporalem, cum nihil per aliquam legitimam perſonam ſit oppoſitum rationabile, propter quod minus exequi debeant ſupradicta, vel eorum debeat executio retardari: In omnes impedientes & turbantes quomodolibet, publice vel occulte, cujuſcunque ſtatus, conditionis, ſeu dignitatis exiſtant, in his ſcriptis præcedentibus auctoritate prævia excommunicationis ſententiam promulgantes, quam faciemus quandocunque nobis videbitur, ubi expediens fuerit publicari. Præcipientes tibi Jacobo Jordano Notario publico, de his omnibus per te fieri publicum inſtrumentum, vel publica inſtrumenta, noſtri ſigilli munimine roborandum, vel etiam roboranda. Acta fuerunt hæc & publicata in dicto loco, qui Balma vulgariter nuncupatur, coram teſtibus ad hæc vocatis, & rogatis, ſcilicet Domino Paulo Fabro majore judice, & D. Guidone de Tabia Procuratore Regio & Advocato in Comitatibus Provinciæ & Forcalquerii, Dominis Hugone Laucaudo, & Guillelmo Amalrico Capellanis, Bernardo de Lanxaco, & pluribus aliis teſtibus præſentibus; Et me Jacobo Jordano prænominato, ab illuſtriſſimo D. Carolo felicis recordationis Jeruſalem & Siciliæ Rege, in dictis Comitatibus Notario publico conſtituto, qui ſupra nominata reſcripta Papalia, ut prædictum eſt, veris Bullis bullata, vidi, & legi, atque publicavi, mandatoque dicti D. Maſſilienſis Epiſcopi, ad requiſitionem memorati D. Siſtaricenſis Epiſcopi, nomine quo ſupra Regio requirentis, nihil addito vel diminuto in dictis reſcriptis Papalibus, per quod in aliquo mutentur, vel varientur, niſi forte litera pro ſillaba, titulo, vel puncto, quæ ſenſum, vel rei ſubſtantiam non mutant, & prædicta omnia alia acta, quibus omnibus præſens fui, manu propria in præſentem publicam formam redegi, & hoc meo ſigno conſueto ſignavi. In quo ſigno tres cruces apparent.

Nos autem prædictus Durandus miſeratione Divina Maſſilienſis Epiſcopus, in præmiſſorum omnium & ſingulorum teſtimonium, & ad majus & perpetuum rei robur, hoc publicum inſtrumentum manu prælibati Jacobi Jordani, Regia auctoritate publici Notarii, ut prædictum eſt, ſcriptum, proprii ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri. Datum & actum annis & diebus Domini & locis quibus ſupra. Sigillum eſt impreſſum in cera rubea.

2. Siſtaricenſem.) Vulgo Siſteron in eadem Provincia.

3. Mittat.) Legenda præcedentia Diplomata.

4. Archivo.) In quo Exemplar impreſſum. Aſſervantur Autographa in Cœnobio San-Maximinenſi.

5. Literas.) Præcedentes. Hic autem non abs re ſit tranſcribere ſequens Diploma Regium.

Carolus Secundus Dei gratia Rex Jeruſalem & Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ, Provinciæ, & Forcalquerii Comes: Ballivo ac univerſis hominibus Sancti Maximini fidelibus ſuis, gratiam ſuam & bonam voluntatem.

Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus D. Bonifatius Octavus Divina Providentia Sacroſanctæ Romanæ ac univerſalis Eccleſiæ Summus Pontifex, inſinuatum ei noſtræ devotionis affectum, quem ad B. M. Magdalenam habemus, in conſiderationem adducens, Eccleſiam & Prioratum Sancti Maximini Ordinis FF. Prædicatorum, olim ad Monaſterium S. Victoris de Maſſilia, Ordinis S. Benedicti, immediate ſpectantis, in qua eſt corpus dictæ Sanctæ reconditum, & affectamus in illa ob reverentiam ejuſdem Sanctæ, cultum Divini Nominis adaugeri, cum domibus, officinis, & vacuis aliis ſibi conjunctis, necnon Theſaurum, Reliquias, ornamenta Eccleſiaſtica, ac omnes oblationes eidem Eccleſiæ proventuras, locum etiam qui nunc Prioratus exiſtit, ubi dicta Sancta Pœnitentiam egiſſe dicitur, qui Balma vulgariter nuncupatur, ad noſtræ petitionis inſtantiam ad certum Divinum obſequium faciendum inibi juxta noſtrum arbitrium deputavit, prout in literis ejuſdem Domini Summi Pontificis ſuper hoc indultis plenius continetur, injunxerat per alias literas ſuas Venerabili in Chriſto Patri Maſſilienſi Epiſcopo, ut venerabilem Patrem Siſtaricenſem Epiſcopum, nomine noſtro, ceſſante cujuslibet difficultatis & objectionis anfractu, in corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ, loci, & aliorum omnium prædictorum inducat, & tueatur inductum. Cum itaque executio dicti negotii ſic cordi noſtro reſideat, quod dilatio vel obſtaculum, ſi quod ingereretur in illa, cauſam nobis non modicæ commotionis afferret, fidelitati tuæ firmiter & diſtricte præcipimus, quatenus prædicto Maſſilienſi Epiſcopo, ut prædictum mandatum Apoſtolicum efficaciter exequi valeat in hac parte: Necnon dicto Siſtaricenſi Epiſcopo, ut Eccleſiæ & loci, & aliorum omnium poſſeſſionem, poſtquam illam adeptus fuerit, noſtro nomine retinere, gubernare, ac de eis, prout ſibi mandatur, ordinare poſſit, & diſponere, quoties opus fuerit, & exinde fueritis requiſiti, aſſiſtatis, auxiliis, favoribus, & conſiliis opportunis, ut poſſitis de devotionis, & diligentiæ promptitudine propterea merito commendari. Datum Anagniæ per Bartholomæum de Capua Militem, Regni Siciliæ Protonotarium, & magnæ Curiæ noſtræ Magiſtrum Rationalem. Anno Domini milleſimo ducenteſimo nonageſimo quinto, die vigeſima ſecunda Maii, octavæ indictionis, Regnorum noſtrorum anno undecimo. Sigillatæ in cera rubea.

Anno 1295 Die 8 Aprilis.

Epiſcopo Siſtaricenſi, ut nomine Regis in Prioratuum San-Maximinenſis, & S. Balmæ poſſeſſionem veniat, & in eoſdem Prioratus Fratres noſtros inducat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri..... Epiſcopo Siſtaricenſi Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Corpus S. Mariæ Magdalenæ in Eccleſia San-Maximinenſi conditum.

CUM Eccleſiam Prioratus S. Maximini, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquenſis Dięceſis, in qua eſt Corpus B. Marię Magdalenę reconditum, necnon & locum ubi penitentiam egiſſe dicitur dicta Sancta, qui Balma vulgariter appellatur, & quos per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Carolum, Sicilię Regem illuſtrem, ad certum divinum miniſterium deputavimus ordinari, per venerabilem fratrem noſtrum...... Epiſcopum Maſſilienſem, qui ſuper hoc executor eſt deputatus a nobis, tibi ejuſdem Regis nomine, cum domibus, officinis, & vacuis aliis ſibi conjunctis, necnon cum theſauro, Reliquiis, ornamentis eccleſiaſticis, ac omnibus juribus & pertinentiis ſuis, mandaverimus aſſignari; fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus Eccleſiam & Locum prędictos, cum pręfatis aliis bonis, nomine dicti Regis recipiens, poſtquam ipſi tibi fuerint aſſignati, viginti Fratres prędicti Ordinis Prędicatorum in eadem Eccleſia, & in pręfato Loco quatuor, duos videlicet Presbyteros, & duos converſos, de Locis ejuſdem Ordinis Prędicatorum adjacentibus aſſumendos, auctoritate pręſentium deputare ſtudeas ad Divina officia celebranda: Inſtituens nihilominus in ſupradicta Eccleſia Supriorem ſecundum ipſius Ordinis inſtituta, donec dilectus filius Frater Guillelmus de Toneux Ordinis memorati, quem ad pręſentationem Regis ejuſdem in Priorem inſtituimus hujuſmodi Prioratus, perſonaliter ad ipſum acceſſerit Prioratum, vel idem Rex, juxta literarum noſtrarum tenorem, quas ſuper hoc ſibi conceſſimus, de perſonis idoneis Ordinis pręlibati, quę inibi virtutum Domino ſerviant, duxerit aliter ordinandum. Datum Laterani VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Inducat.*) De his in Bullis præcedentibus.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar impreſſum ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Sancti Maximini*.

Anno 1295 Die 5 Auguſti.

Provinciam Romanam dividit, & Regni Siciliæ Cœnobia juris ac poteſtatis Provincialis Siciliæ eſſe, declarat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

VII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Provincię Regni Sicilię, Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diviſio Provinciarum.

AD tranquillum ſtatum, & proſperum tui Ordinis, & Fratrum ipſius paternę ſolicitudinis ſtudio intendentes, pridem Regnum Sicilię, quod Romana Provincia includebat, ab ipſa Provincia duximus auctoritate Apoſtolica excludendum, ut idem Regnum ex tunc per ſe ſolum exiſteret Provincia ſpecialis. Volentes igitur pręfatis Ordini & Fratribus, in hac parte plenius providere, & ut ad te ſuper ipſorum negotiis valeant habere recurſum, tibi exercendi per te, vel per alium, ſeu alios, in Provincia dicti Regni omnia, & ſingula, tam ſuper inquiſitionis (2) hęreticę pravitatis officio, quam alias etiam, quę Prior Romanę Provincię ante diviſionem ipſius, ſicut pręmittitur, per nos factam, in ejuſdem Regni partibus exercebat, plenam, & liberam, pręſentium auctoritate, concedimus facultatem. Nulli &c. Datum Anagnię Non. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facultas Provinciali Siciliæ facta.

Sanctio pœnalis.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Autographum aſſervatur *Neapoli* in Cœnobio *S. Dominici Majoris*.

2. *Inquiſitionis.*) Anno MCCCCXVIII Die I Octobris *P. Antonius de Botonto* Provincialis *Siciliæ P. Laurentium de Sulmona* Inquiſitorem ex hoc Diplomate creavit, ut conſtat ex antiquo Inſtrumento, ex quo præſentem Bullam tranſcripſi.

Anno 1295 Die 20 Septembris.

Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum Eccleſiæ, Feſta, duplici ritu in Eccleſiis Ordinis celebranda (1).

Ex Bullario (2) *Uſuſmaris pag.* 64.

VIII.

Bonifatius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, vel ejus locum tenenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

GLorioſus Deus in Sanctis ſuis, & in Majeſtate mirabilis, cujus ineffabilis altitudo prudentię, nullis terminis comprehenſa, recti cenſura judicii cęleſtia pariter & terrena diſponit, etſi cunctos ejus miniſtros magnificet, altis decoret honoribus, & cęleſtis efficiat beatitudinis poſſeſſores, illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit inſigniis dignitatum, & prętniorum uberiori retributione proſequitur, quos digniores agnoſcit, & commendat ingentior excellentia meritorum. Sic & alma mater Eccleſia, ejus ſacra veſtigia proſequens, & exemplo ducta laudabili, licet univerſos in regnis cęleſtibus conſtitutos, ſtudiis honorare ſolicitis, & ſonoris efferre pręconiis non deſiſtat, glorioſiſſimos tamen Chriſtianę Fidei Principes, athletas Dei electos, juſtos ſeculi judices, lumina vera mundi, videlicet, Chriſti Redemptoris Apoſtolos, numero duodeno contentos, qui viventes in carne prędictam Eccleſiam ſuo

Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Eccleſiæ Doctorum encomium.

ſuo pretioſo Sanguine plantaverunt, ipſam erigendo ſublimiter, & diſciplinis ſanctiſſimis dirigendo, reverendiſſimos etiam Patres, viroſque clariſſimos, quatuor Evangeliſtas Domini, per quorum diligentiſſima & fideliſſima ſtudia, eidem Eccleſię ſacra Evangelia illuxerunt, egregios quoque ipſius Doctores Eccleſię Beatum Gregorium, qui meritis inclytus Sedis Apoſtolicę curam geſſit, Auguſtinum, & Ambroſium. venerandos Antiſtites, ac Hieronymum ſacerdotii predicum titulis, eximios Confeſſores ſummis attollere vocibus, laudibus perſonare pręcipuis, & ſpecialibus dicta diſponit Eccleſia honoribus venerari. Horumquippe Doctorum prelucida & ſalutaria documenta prędictam illuſtrarunt Eccleſiam, decoraverunt virtutibus, moribus informarunt. Per ipſos preterea quaſi luminoſas, ardenteſque lucernas ſuper candelabrum in domo diſpoſitas (3), errorum tenebris profligatis, totius corpus Eccleſię, tanquam ſydus irradiat matutinum. Eorum etiam fęcunda facundia, cęleſtis irrigui gratia influente, Scripturarum ęnigmata reſerat, ſolvit nodos, obſcura dilucidat, dubiaque declarat. Profundis quoque, ac decoris illorum ſermonibus, ampla ipſius Eccleſię fabrica, velut gemmis vernantibus rutilat, & verborum elegantia ſingulari, glorioſius ſublimata coruſcat. Ideoquo circumſpecta prudentia dictę Sedis, quę actibus intenta ſalubribus, & operibus expoſita pietatis, libenter, & ſolerter exequitur, quę ſunt Dei, pręmiſſa ſolicite, digneque, conſiderans, & debita meditatione perluſtrans, nuper ad Divini Nominis honorem, ut (4) gloriam, exaltationem catholicę Fidei, ſalutemque Fidelium, merito cenſuit, riteque providit, Apoſtolos, Evangeliſtas, & Confeſſores eoſdem, in univerſali Eccleſia honorificentię Mandatum.
potioris impendiis attollendos, ut ab ea tanto propenſius honorari ſe ſentiant, quanto ipſam prę ceteris excellentius illuſtrarunt. Nos itaque piis ducti conſiliis, dignisque ſtudiis excitati, nonnullos Prędeceſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, qui ſpecialis devotionis proſequentes affectum, aliquorum Feſta Sanctorum ſub duplici ordinaverunt Officio celebranda, imitari ſolicite intendentes, eorum Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Confeſſorum Feſtivitates pręcipuas, licet per aliquem Prędeceſſorum ipſorum hactenus fuerit ordinatum. ut ejuſdem Beati Gregorii ſimili modo feſtivitas celebretur; quanquam, nulla de hoc teſtimonium ſcriptura fide digna prohibeat (5), nec alias plenaria innoverit (6) certitudo, de Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, ſub officio duplici per univerſas orbis Eccleſias, volumus, pręcipimus, ſtatuimus, & etiam ordinamus annis ſingulis, perpetuis futuris temporibus, ſolemniter celebrari: diſcretionem tuam rogantes attentius, & hortantes, nihilominus tibi per Apoſtolica ſcripta diſtrictius injungendo, quatenus devote in hoc beneplacitis Apoſtolicis te conformans, & humiliter mandatis obediens, Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & Confeſſorum ipſorum feſta prędicta, ſub ejuſdem obſervatione officii devotis & ſolemnibus ſtudiis annuatim in cunctis Eccleſiis tui Ordinis facias celebrari, eam in his efficaciam & ſolicitudinem impenſurus, ut ipſorum Sanctorum ſuffragia tibi uberius vendices, & a benigna illius clementia, qui ſibi totaliter reputat exhiberi, quicquid honoris ejus famulis erogatur, condigna conſequi pręmia merearis, Noſque devotionem tuam, quam in hoc promptam cupimus inveniri, plenius in Domino laudibus attollamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, pręcepti, ſtatuti & ordinationis infringere &c. Datum Anagnię XII Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Celebranda.*) Adeas *Odericum Raynaldum Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCXCV numero LV.*
2. *Bullario.*) Idem, paucis exceptis, legitur apud *Odoricum* laudatum, ibique inſcribitur *Archiepiſcopo Remenſi, & ejus ſuffraganeis.*
3. *Diſpoſitas.*) Ex Erratis authentice correctis *pag.* 261 *Bullarii* Uſuſmaris legendum: *Domini poſitas.*
4. *Ut.*) Ibidem notatur ſcribendum: *Et.*
5. *Probibeat.*) Ex iiſdem erratis lege: *Perhibeat.*
6. *Innoverit.*) Ex iiſdem: *Innotuerit.*

Eccleſiam S. Mariæ Sandomirien. variis Indulgentiis donat.

Anno 1295 Die 11 Novenbris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Filiis ſuis in Chriſto dilectis, ac fidelibus, ad quos pręſens ſcriptum pervenerit, ſalutem ſempiternam, & Apoſtolicam Benedictionem. IX.

VEnientes ad nos filii noſtri, dilecti Bodreta Decanus Sandomirien. Eccleſię, cum ſuo ſocio nomine Supplex petitio.
Alberto. qui dicebat, ſe eſſe Canonicum ejuſdem Eccleſię, nobis lachrimoſe narraverunt, quod venientes impii Pagani, quos dicebant Tartaros, terram Sandomirienſem ſubintrantes, & caſtrum Sandomirienſe ſubvenientes, multimodam ibi multitudinem Chriſtianorum occiderunt, quorum non erat numerus, & quorum ſanguis defluebat uſque ad fluvium, qui vocatur Ovisla (2). Hoc facto intraverunt (3) Eccleſiam Sanctę Marię, quę ibi eſt, & ipſam ſpoliaverunt, & incenderunt, & multos ibi Chriſtianos interfecerunt, captivaverunt, & cremaverunt, & multas Sanctorum Reliquias, quę ibi erant, diſperſerunt, & hoc factum eſſe dixerunt in feſto Purificationis Sanctę Marię Virginis, & ſub Anno Domini MCCLIX (4). Prędicti pagani, ſic talia mala facientes, receſſerunt. Nos vero eorum petitionibus, & lachrymis annuentes, interrogavimus, quid poſtularent. Qui dixerunt, petimus, ut Eccleſia prędicta poſſit relevari, & reparari, adhuc a veſtra Paternitate aliquibus Indulgentiis communiri. Nos Indulgentiæ conceſſæ.
vero, inito conſilio Fratrum Noſtrorum Cardinalium, auctoritate Omnipotentis Dei & Sanctorum Petri & Pauli, & auctoritate noſtra eidem Eccleſię Sanctę Marię Sandomirien. dedimus, donavimus, & aſſignavimus, eaſdem Indulgentias, quas habet Eccleſia noſtra Romana quę Sanctę Marię ad Martyres nuncupatur. Ut ergo ad eandem ſolemnitatem avidius, & cupidius fideles convenirent, chriſtianis pęnitentibus, omnibus, & confeſſis, in die S. Marię ad Martyres, in Eccleſia S. Marię, Sandomirien. exiſtentibus, ſecunda die Menſis Junii ſtipendia ſpiritualia Apoſtolica largitione concedimus CCCLXVI Annos, vel tot quot ſunt dies in Anno de vera Indulgentia, cum totidem Carenis. Carena autem continet in ſe XXX (5) dies, quibus anima in purgatorio pęnitere debet, una carena delebitur, & eandem Indulgentiam vere pęnitentes, & confeſſi fideles, in eadem Eccleſia per octavas feſti ejuſdem, quęrentes miſericordiam conſe-

conſequentur. Statuimus etiam in eadem Eccleſia Sanctę Marię ad Martyres Romę, & ſimiliter Sandomirię, quod fiat Proceſſio omni feria ſexta, cum vexillis & Reliquiis Sanctorum, excepto feſto duplici, vel novem lectionum, cum offertorio: Protege: & litania, & a prędicta Proceſſione, toties, quoties contingat, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui ibi tunc interfuerint, ſeptem Annos & totidem Carenas miſericorditer preſentibus indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum III Idus Novembris Anno Domini MCCXCV.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar; ſed, ut ingenue loquar, ipſummet Autographum vellem inſpicere. Nec enim hoc exemplar, mea quidem ſententia, ſtylum ſapit Pontificiorum Diplomatum; &, quod caput eſt, ipſamet Inſcriptio, dies aſcripta, totum Diploma, multum offenſionis præ ſe ferre, videntur. Hac de re tamen penes lectorem judicium eſto: nec ex his in dubium vocet aliquis tot Indulgentias Eccleſiæ *S. Mariæ Sandomirien.* certo conceſſas. Vide *Notam III.*

2. *Ovisla.*) Seu *Viſtula*.

3. *Intraverunt.*) Audiendus hic *Bzovius ad an. MCCLX num. III.* En ipſius verba. *In Polonia hoc anno innumerabilis Martyrum numerus ad Cælum migravit a Scythica manu .... & tanta ... cædes in arce tunc facta fuiſſe dicitur, ut ſanguis cæſorum ad Viſtulam uſque deflueret. Sævierunt etiam in Fratres Ordinis Prædicatorum, tunc ſive ad D. Jacobi, ſive ad D. Mariæ Magdalenæ Cœnobium degentes. Mirum eſt quod tunc accidiſſe ferunt. Nocte antecedente eam cladem B. Sadoch Prior Cœnobii, devoto Fratrum grege cinctus, matutino officio intererat. Ibi pro antiquo Religionis more, Tiro Indiculum Martyrologii ad diem ſequentem pronuntiaturus, extemplo literis aureis novos & inſolentes characteres exaratos aſpexit eum in modum: Sandomiriæ Paſſio Quadraginta novem Martyrum: legeret, an taceret, animi dubius fuerat. Timore tamen abjecto, cygnea, licet trepidante, voce, recitavit aureum edictum: Sandomiriæ Paſſio Quadraginta novem Martyrum. Lectione inaudita, obſtupuit Sadochus, atque ceteri Fratres obriguerunt... Diariam illam lectionem poſtulavit Prior videre, deſiderarunt & reliqui, pavore nimio perculſi, Sodales: porrexit librum tiro, aurea interim litera cum notis Sandomiriæ, inter manus Fratrum legentium ſenſim evanuere. Divina hæc eſt, ait Sadochus, præmonitio, Fratres. Cælitus exaratæ illæ notæ non fruſtra innocentis oculis objectæ ſunt. Auctor vitæ & mortis certo certius nos ad vitam feliciorem & immortalitatem perenniorem invitat. Eia per gladios etiam ancipites poſt trahentem indefeſſo pede curramus ..... Animati Fratres Divino oraculo, quod ſuperfuerat temporis totum impenderunt præparationi adventus magni Dei ..... ſupervenerunt truculentiſſimi Scythæ ... & paſtorem Sadochum cum grege illo Fratrum devotiſſimo, in medio Eccleſiæ, velut Cygnos aliquos extremam illam hymnodiam Salve Regina, matri miſericordiæ ſuaviter occinentes interemerunt ..... Mathias Mechovius rerum Polonicarum Scriptor refert, quod hoc malum, cum Boleslaus Pudicus, & Prandotha Cracovienſis Eccleſiæ Pontifex Alexandro IV Papæ per Nuncios Bodzantam Decanum, & Albertum Canonicum Cracovienſem declaraſſent, viſitantibus Eccleſiam S. Mariæ Sandomirien. parem Indulgentiam conceſſit Polonis, & peregrinis, quotannis die II Junii, quam habet Eccleſia Sanctæ Mariæ ad Martyres, ſeu etiam Majoris in Urbe. In hodiernam ſane uſque diem ſtrages illa quaſi Martyrum Chriſti, anniverſaria celebritate poſtridie Kalendas Junii, Sandomiriæ magno populi concurſu recolitur, magna iſta Alexandri IV Pontificis Maximi Indulgentia cumulata atque dedicata.*

4. *MCCLIX.*) Stylo veteri, novo autem *MCCLX.*

5. *XXX.*) Legendum: *XL.* Enim vero *Carena*, idem eſt ac *Quarentena*, ſic vulgo dicta a quadraginta dierum ſpatio.

Anno 1295 Die 25 Novembris.

Fratres Ordinis B. Mariæ de Monte Carmelo Cappis albis utantur ex præſcripto F. Latini (1) & Gervaſii Cardinalium.

Ex Bullario (2) Carmelitarum Tomo I Bonifatii VIII Conſtitut. III pag. 45.

X. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali, ac ceteris Prioribus, ac Fratribus Ordinis B. Marię de Monte Carmeli, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. JUſtis petentium deſideriis dignum eſt, nos facilem prębere conſenſum, & vota, quę a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente complere. Sane lecta coram Nobis veſtra petitio continebat, quod olim bonę memorię Latino Oſtienſi Epiſcopo, & Gervaſio (3) Tituli S. Martini in Montibus Presbytero Cardinali (4) ſignificantibus per ſuas literas, inter alia continentes, Priori Generali, ceteriſque Fratribus veſtri Ordinis in generali tunc inſtanti Capitulo congregandis: quod felicis recordationis Honorius papa quartus Prędeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum conſilio, eis pia, ac provida deliberatione conceſſerat; ut eorum Habitum, ſive varietatem ipſius minus decentem, & diſplicentem quampluribus, in alium decentem commutarent. Idemque Prior Generalis, & Fratres poſtmodum in Capitulo congregati prędicto, deliberatione ſuper mutationem hujuſmodi pręhabita diligenti, unanimiter ſtatuerunt, ut ex tunc ceteri Priores, & Fratres ipſius Ordinis Mantellis diverſorum colorum, quibus uti conſueverant, dimiſſis omnino, Cappis albis in poſterum uterentur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, quod circa hujuſmodi mutationem habitus in hac parte provide factum eſt, ratum, & firmum habentes, id auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum VII Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum F. Latini, & Gervaſii Cardinalium.

Capituli Generalis ordinatio.

Eadem confirmatur.

1. *F. Latini.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*, & pluries alibi. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCXCIV pag. 436.* De hac Habitus commutatione conſulendus *S. Antoninus Parte III Tit. XX Cap. V*, ubi hæc habet. *Eo tempore cum Fratres Ordinis Carmelitarum deferrent habitum, qui minus convenire videbatur viris Religioſis, ſcilicet Cappam circulatam largis virgis albis & griſeis ..... Papa Honorius IV propter majorem honeſtatem mandavit, habitum illum dimittere, & deſuper Cappas ex toto albas, & tunicas ſubtus griſeas cum ſcapularibus aſſumere &c.*

2. *Bullario.*) In *Bullario Romano* eſt *III.*

3. *Gervaſio.*) De quo *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCLXXXI pag. 241.*

4. *Cardinali,*) *Cardinalibus.* Quæ ſequuntur, mutila videntur.

Rimi-

Anno 1296 Die 10 Maii.

Rimulis, & apicibus juris, ac Appellatione, ſublatis, ſecundum Ordinis ſtatuta tantummodo, nocentes plectantur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, ac Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD augmentum continuum Religionum,, & Ordinum, quos Romana ſuſcepit, & approbavit Eccleſia, paternis ſtudiis intendentes, & conſiderantes attentius, quod non intermiſſa ſedulitas diſciplinę, Religiones, & Ordines ſupradictos, ſtatuſque regulares ſalubriter dirigit, & conſervat, quodque ſi eam perire, vel remitti, contingeret, Ordo quilibet collabi neceſſario cogeretur; Penſantes etiam, quod ſi regularium perſonarum correctio, rimas juris, & apices ſequeretur, hujuſmodi rigor lenteſceret, ac multiplici laxatione torperet: Nos, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis, auctoritate Apoſtolica, indulgemus, ut ad correctiones, & punitiones Fratrum ejuſdem Ordinis delinquentium infligendas, Pręlati Ordinis ſupradicti, ad quos eadem ſpectare noſcuntur, rimulis & apicibus ipſis poſtpoſitis, libere procedere valeant, ſecundum conſuetudines approbatas, & generalia, facta, & etiam facienda ipſius Ordinis, Inſtituta. Nec volumus eiſdem licere Fratribus ab eiſdem correctionibus, & punitionibus appellare, provida in hoc deliberatione, ac maturitate debita obſervatis. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Decernit ut ſupra.

1. *Plectantur.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, ex alio quod habes in Cœnobio *Faventino*. Legitur etiam apud *Uſuſmarem pag.66, Caſtellanum pag.54, Confettium pag.20.* Extat inſuper in *Bullario Romano*. Eſt *IV*. In *Conſtitutionibus editis anno MDV num. LXXVI, in aliis anni MDVII num. LXXXI.*

Anno 1296 Die 10 Maii.

Ordinem Fratrum Prædicatorum omni cujuslibet juriſdictione exemptum, ſolius Romani Pontificis juris ac poteſtatis eſſe (1), declarat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, ac Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis Fratrum Prædicatorum.

INter ceteros Ordines, quos cęleſtis Agricolę ſumma benignitas in horto plantavit Eccleſię ſacrum veſtrum Ordinem, jam per orbis Provincias, ſuperna gratia propagante, diffuſum, dum minori fungeremur officio ſincera caritate diliximus, ad ſtatum ejus feliciter promovendum, ſolicitis ſtudiis intendentes. Nec minuit utique, ſed auxit potius, circa ipſum pręhabitę dilectionis affectum, perſonę noſtrę ſubſecuta promotio ad apicem Apoſtolicę dignitatis; cum tanto propenſius ad ipſius Ordinis intendamus augmentum, quanto nobis facultas pręſtantior, quanquam noſtris non exigentibus meritis, noſcitur cęlitus attributa. Licet igitur nonnulli Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri pręfatum Ordinem a Pręlatorum juriſdictione quorunlibet prorſus exemerint, ipſumque fore decreverint, per ipſorum literas ſpeciales exemptum, Nos tamen Ordinem ipſum ob ſalutis fructus innumeros, qui ex ipſo noſcuntur animabus Fidelium provenire, gerentes in viſceribus caritatis; Et propterea nolentes omnino, ut quiſquam cujuſcunque ſit ordinis, dignitatis, & conditionis, aut ſtatus, vos generaliter, vel ſpecialiter, ac pręfatum Ordinem, ſuper exemptione ipſius, ac aliis veſtris, dictique Ordinis, libertatibus, & immunitatibus quibuſcunque, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, vobis & eidem Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis, impugnare, impetere, ac turbare valeat, vel quomodolibet moleſtare, vos, & Ordinem ipſum, ab omnium, & ſingulorum quorunlibet Pręlatorum, & perſonarum eccleſiaſticarum omnimoda poteſtate, ac juriſdictione prorſus eximimus, de Apoſtolicę plenitudine poteſtatis. Decernentes, vos, & Ordinem ſupradictum immediate, nulloque medio, eidem Sedi, & ſoli tantummodo Romano Pontifici ſubjacere, Eccleſias inſuper, oratoria, domos, & loca, quę tenetis, & inhabitatis ad pręſens, ac tenebitis, & inhabitabitis in futurum, dum, & quoties vos illa tenere, ac inhabitare contigerit, exempta prorſus exiſtere, nulloque medio Sedi ſubeſſe decernimus pręlibatę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę exemptionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum VI Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Decernit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Eſſe.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex alio aſſervato in Cœnobio *Faventino*. Legitur etiam apud *Uſuſmarem pag.65, Caſtellanum pag. 53*, in *Conſtitutionibus vulgatis anno MDV num. LXXV, in aliis anni MDVII num. LXXX.* Alia Exemplaria habes in Archivo Ordinis *Lib.B. fol.24, & 220* ex Autographo Cœnobii *S. Michaelis Brunen.*

Anno 1296 Die 19 Junii.

Mare magnum, Diploma ſcilicet privilegia (1) privilegiis cumulans.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Prioribus & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VIrtute conſpicuos, ſacri veſtri Ordinis Profeſſores qui contemplationi cęleſtium ferventer invigilant, & pię vitę ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicę circumſpectionis auxilium ſic provide dirigi, & ſollicite confoveri, ut alicujus pretextu calumnię nullum internę pacis excidium, nullumque Religioſi ſtatus perferant detrimentum, ſed in his robur & vigorem habeant per quę circa cultum divini nominis devotis & quietis mentibus invaleſcant. Hinc eſt quod cum, ſicut nobis exponere curaviſtis, tu, fili Magiſter, & Prędeceſſores tui, juxta ejuſdem Ordinis conſuetudinem obſervatam hactenus, & a Sede Apoſtolica toleratam, ſtatim poſtquam electi ſecundum prędicti Conſtitutiones Ordinis extitiſtis, Fratrum ipſius curam geſſeritis, Magiſterii officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devote & humiliter obedierint, & intenderint reverenter, & in eodem Ordine ſit ſtatutum; ut Magiſter ipſius qui pro tempore fuerit a Magiſterii officio amoveri valeat a Diffinitoribus Capituli generalis, Nos volentes ambiguitatis ſcrupulum in hac parte de veſtris cordibus amputare, ac Ordinem ipſum prefatę Sedi immediate ſubiectum (3), a Sede approbatum eadem, honeſtate floridum, prędclarum ſcientia, & virtute ſecundum, privilegio Apoſtolicę gratię attollere ſingulari, veſtris ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtrę, ut ſucceſſores tui, fili Magiſter, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquam electi ſecundum Conſtitutiones fuerint ſupradictas, eo ipſo veri ejuſdem Ordinis Magiſtri effecti, curam animarum Fratrum ipſius plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria ligare, ac ſolvere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quę ipſi, & prefati Diffinitores juxta prędictas Conſtitutiones eiſdem Ordini & Fratribus ſecundum Deum viderint expedire, aliaſque poſſint officium Magiſterii licite in omnibus exercere; iidemque Fratres tibi, Magiſter, & Succeſſoribus ipſis, devote, ac humiliter obediant, & intendant, & prefati ſucceſſores, & tu, Magiſter, a Diffinitoribus Capituli generalis ipſius Ordinis ſecundum Ordinis Conſtitutiones ejuſdem abſolvi, & amoveri, poſſitis, auctoritate Apoſtolica indulgemus; ratum habentes, & firmum quidquid ſuper premiſſis per te Magiſter, dictoſque Predeceſſores & Fratres Diffinitores factum, & obſervatum eſt hactenus, conceſſa tibi exequendi Magiſterii officium quoad premiſſa omnia, & alia, libera facultate. Fratres autem de Ordine veſtro, quos ſecundum Conſtitutiones ipſius Ordinis Conventibus veſtris deputandos duxeritis in Lectores, ſine cujuſquam alterius licentia libere in domibus prędicti Ordinis legere, ac docere valeant in Theologica facultate, illis locis exceptis in quibus viget Studium generale, ac etiam quilibet in ſcientia ipſa docturus ut Magiſter ſollempniter incipere conſuevit. Et licet Epiſcopis & Diœceſanis veſtris debitam & devotam obedientiam & reverentiam impendatis; Nolumus tamen, quod circa inſtituta, & precipue ſuper inſtitutione, & deſtitutione, Priorum ejuſdem Ordinis ex hoc prejudicium aliquod incurratis. Quando vero in aliquo Capitulo, vel Conventu veſtri Ordinis de Provinciali, vel Conventuali, Priore contigerit electio facienda, ſi ex aliqua cauſa factam electionem a Fratribus ejuſdem Ordinis, quorum intereſt, non contingat forſitan confirmari, Superior ad quem confirmatio electionis hujuſmodi pertinet, aliquem de illis Fratribus quos ipſi electores, vel major pars eorum per litteras ſuas ab eo petierint, quando ad ipſum pro electi confirmatione tranſmittunt, eis de noſtra licentia concedere valeat in Priorem. In electionibus quoque eorundem Magiſtri, & Priorum Provincialium ipſius Ordinis, Fratribus, qui debent electionem hujuſmodi celebrare, cum eos frequenter de remotis partibus oporteat convenire, tempus ſuper hoc a Jure ſtatutum non currat, nec ipſi in hac parte juris hujuſmodi regulis coarctentur. Et quia ejuſdem Ordinis Fratres de locis ad loca ipſius Ordinis ſępius tranſmittuntur, propter quod ſtabilem & perpetuam in certis & determinatis ejuſdem domibus Ordinis non faciunt manſionem, quia etiam bonos & idoneos & approbatos a vobis Fratres facitis ad Ordines promoveri, liceat vobis ordinandos Fratres ejuſdem Ordinis quibuſcumque malueritis Catholicis Pontificibus, Communionem Apoſtolicę Sedis habentibus, preſentare, ipſiſque Pontificibus preſentatos a vobis Fratres ſine qualibet examinatione per eoſdem Pontifices facienda, & abſque omni promiſſione, vel obligatione ipſorum Ordinandorum Fratrum ad Ordines promovere. In locis quoque in quibus degitis liceat vobis habere Oratoria, in quibus cum Altari portatili poſſitis Miſſarum Sollempnia, & alia divina officia celebrare, ac etiam Eccleſiaſtica recipere Sacramenta. Cum autem generale interdictum terrę fuerit, in Eccleſiis & in Oratoriis veſtris, & aliis quibuſcumque, cum ad loca perveneritis Eccleſiaſtico ſuppoſita interdicto, clauſis januis, interdictis & excommunicatis excluſis, non pulſatis campanis, & ſubmiſſa voce liceat vobis celebrare divina, & Eccleſiaſtica recipere Sacramenta, dummodo cauſam non dederitis interdicto, nec contingat id vobis ſpecialiter interdici, neque eccleſię, & oratoria eadem fuerint ſpecialiter interdicta. His vero qui veſtris immorantur obſequiis cuncta libere miniſtrare poſſitis Eccleſiaſtica Sacramenta, & ipſos cum deceſſerint, in veſtris cimiteriis ſepelire. Si quando autem in terras in quibus reſidetis, vel earum perſonas, excommunicationis, ſeu interdicti, ſententias contigerit promulgari, pueri veſtris ſervitiis deputati, negotiorum quoque veſtrorum Procuratores, & operarii, qui in veſtris locis eorum operibus perſonaliter continuo inſtiterint, hujuſmodi ſententiis obnoxii minime habeantur, ibique poſſint audire divina juxta formam, quę locis ipſis in eo caſu a Sede Apoſtolica eſt conceſſa, niſi eiſdem cauſam dederint, vel excommunicari ſpecialiter ſeu interdici contingat eoſdem. Et quia vos extremam patientes pro Chriſti nomine paupertatem, exhortationis pio ſtudio, bonos ad potiora dirigitis, & errantes in rectitudinis ſemitam laudabiliter revocatis, concedimus, ut in excommunicatorum terris libere commorari, & ab eis tunc, & etiam quando per ipſos vos tranſire contigerit, neceſ-

Magiſter Ordinis ſtatim poſt ſui electionem ſine alia confirmatione curam Ordinis habeat. A definitoribus Capituli Generalis amoveri poteſt.

Fratres ab Ordine conſtituti Theologiam docere poſſunt.

Ne Fratrum negotiis Epiſcopi ſe admiſceant. Prioris electione reſciſſa, poſtulatoria firmari poteſt.

A quovis Epiſcopo Catholico Fratres ſuſcipere poſſunt Ordines.

Sacra celebrare poſſunt Fratres in Ædibus Ordinis.

Ab interdicto generali ſolvuntur.

Famulis noſtris Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare poſſumus. Procuratores noſtri exempti ſunt ab Interdicto generali.

In terris excommunicatorum degere poſſumus.

Facultas ſolvendi a cenſuris.

neceſſaria vitę depoſcere ac recipere valeatis. Magiſter quoque & ſinguli Priores Provinciales, & Conventuales, ac vices eorum gerentes in Provinciis, & Conventibus, & locis ſibi commiſſis prędictis Fratribus conſtitutis ibidem, necnon, & Fratribus aliis ejuſdem Ordinis interdum ad eos declinantibus undecumque abſolutione, & diſpenſatione, indigentibus, ſive priuſquam intraverint in Ordinem, ſive poſt in caſibus exceſſerint, pro quibus excommunicationis, vel interdicti, aut ſuſpenſionis incurrerunt ſententias, a jure, vel Judice generaliter promulgatas, & hujuſmodi ſententiis innodati, aut in locis ſuppoſitis Eccleſiaſtico interdicto, divina officia celebrantes, vel ſuſcipientes Ordines ſic ligati, notam irregularitatis incurrerunt, abſolutionis beneficium valeant impertiri; niſi adeo gravis fuerit, & enormis exceſſus, quod ſint ad eandem Sedem merito deſtinandi. Fratres etiam veſtri, quos pro tempore, vos, Magiſter, & Priores tam Provinciales, quam Conventuales, necnon, & vices veſtras gerentes, in proprios habueritis Confeſſores, abſolutionis, & diſpenſationis beneficium vobis, cum expedierit, valeant impertiri juxta formam conceſſionis ſuper abſolutione & diſpenſatione Fratrum ejuſdem Ordinis ſuperius vobis factę. Ad hoc volentibus veſtro aggregari Collegio, qui ſupenſionis, aut interdicti, vel excommunicationis ſententiis, a jure vel a Judice promulgatis generaliter ſunt ligati, abſolutionis beneficium, obſervata forma Canonica, impertiri, ipſoſque in Fratres recipere, ac eos qui poſt aſſumptum habitum, vel profeſſionem emiſſam, recoluerint, ſe talibus in ſeculo fuiſſe ſententiis innodatos; ſecundum formam ipſam, vos, Magiſter, & ſinguli Priores Provinciales, & Conventuales, & vices veſtras gerentes, valeatis abſolvere, & cum irregularibus diſpenſare, ſi forſan talibus innodati ſententiis, vel in locis interdicto ſuppoſitis divina pręſumpſerint officia celebrare, vel Ordines receperunt, ita tamen quod ſi aliqui ex hujuſmodi eiſdem ſententiis propter debitum ſunt adſtricti ſatisfaciant, ut tenentur. Ceterum veſtra diſcretio caute provideat, ut Apoſtolicę Sedis, Legatorum ipſius, & Ordinariorum locorum in abſolutionibus hujuſmodi ſcandalum evitetur.

Fratres multis oneribus levat.

Porro quieti veſtrę providere volentes, quod per litteras Apoſtolicę Sedis, aut Legatorum, ſeu delegatorum ipſius, conveniri a quoquam minime valeatis, & quod ad pecuniam colligendam cogi non poſſitis inviti, per litteras ipſius Sedis de cetero impetrandas, quodque nullus veſtrum correctionis, ſeu viſitationis, vel inquiſitionis officium Monaſteriis, vel Eccleſiis, ſeu quibuſcumque perſonis impendere, vel ad cognitiones cauſarum, citationes partium, & denuntiationes ſententiarum interdicti, & excommunicationis procedere, aut recipere curam Monialium, ſeu religioſarum quarumlibet perſonarum teneantur per Apoſtolicas litteras impetratas, & impetrandas impoſterum, niſi hujuſmodi Apoſtolicę litterę de hoc indulto, & Ordine veſtro, expreſſam fecerint mentionem, auctoritate vobis Apoſtolica indulgemus. Concedimus etiam, ut ad viſitandum aliqua Monaſteria Monialium cujuſcumque Ordinis compelli aliquatenus non poſſitis, aut ad recipiendum commiſſiones cauſarum, ſeu ſententiarum executiones, vel alia contingentia cauſas ipſas, per litteras pręfatę Sedis Apoſtolicę in quibus facta non fuerit de indulgentia hujuſmodi mentio ſpecialis, ſive per Legatos, vel Delegatos ipſius. Nullus inſuper Archiepiſcopus, vel Epiſcopus, nulluſque alius Pręlatus Eccleſiaſticus, nec eorum Vicarii, vel officiales, ad portandum, vel deferendum litteras, vel exequendum, vel denuntiandum ſententias contra Principes Seculares, Communitates, populos; ſeu quoſcumque benefactores veſtros; nulluſque delegatus, vel ordinarius Judex ad faciendum citationes, vel commiſſiones recipiendas, ſive quod litis in cauſis aliquibus Aſſeſſores, ſeu ad alia, lites ſeu controverſias contingentia, in illis cauſis, quę coram ipſis tractantur, quemquam veſtrum compellere valeant ſine prędictę Sedis mandato, vel licentia ſpeciali, expreſſam faciente de hac indulgentia mentionem, nec quiſquam veſtrum parere, vel intendere, teneatur ſuper his monitionibus, mandatis, aut juſſionibus eorundem, aut facere, vel implere, quod in hac parte duxerint injungendum.

Socios Legatis, & Epiſcopis datos repetere & corrigere poſſunt Præpoſiti noſtri.

Ceterum Magiſter, & ſinguli Priores Provinciales, atque ipſorum Vicarii illos ex Fratribus de quibus auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicę, vel Legatorum ipſius, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, vel aliis quibuſcumque proviſum exiſtit, vel impoſterum contigerit provideri, corrigere, ac etiam non obſtante contradictione aliqua, poſſint ad ſuum Ordinem revocare, nec per litteras ejuſdem Sedis, ſeu Legatorum ipſius jam obtentas, vel de cetero obtinendas, aliquos de Fratribus ipſius Ordinis, pręfatis Archiepiſcopis, & Epiſcopis aut aliis teneantur in Socios deputare niſi dictę litterę Apoſtolicę obtentę, de indulto hujuſmodi, & Ordine ipſo, expreſſam fecerint mentionem, & alias id honeſtati Ordinis, & illorum ſaluti viderint expedire. Nullus autem Legatus, niſi de Latere noſtro miſſus, auctoritate litterarum Sedis Apoſtolicę ſpecialem de hoc indulto, & Ordine veſtro, non facientium mentionem, nulluſque Prelatus, nec aliqua Perſona religioſa, vel ſecularis, de Fratribus ejuſdem Ordinis, ſeu Cardinalis Romanę Eccleſię, ad ſua, ſeu Eccleſię negotia procuranda, vel ſecum manendum aliquos aſſumere valeat, niſi quos Magiſter, vel Prior Provincialis ipſorum tanquam idoneos, & diſcretos, ſibi duxerit aſſignandos, quos etiam ſubjacere volumus Ordinis diſciplinę.

Ab iiſdem Fidei Cenſores revocari poſſunt.

Illos vero ipſius Ordinis Fratres, qui ad prędicandam Crucem, vel inquirendum contra pravitatem hereticam, ſeu ad alia hujuſmodi negotia, ſunt, vel fuerint ubicumque a Sede Apoſtolica deputati, tu, fili Magiſter, tuique Succeſſores removere, ſeu revocare, penitus transferre, ipſiſque quod ſuperſedeant injungere, alioſque ſubſtituere, cum expedire videritis, licite ac libere valeatis, & in eos, ſi contravenerint, Cenſuram Eccleſiaſticam exercere, ac quilibet Prior Provincialis, vel ejus Vicarius, ejuſdem Ordinis, idipſum in ſua Provincia circa Fratres ipſius Ordinis quibus ab eadem Sede ſimilia contigerit in illa committi, facere poſſit, non obſtantibus aliquibus litteris, vel indulgentiis Apoſtolicis impetratis, vel etiam impoſterum impetrandis, quę de hoc non fecerint mentionem.

Nullus ab Ordine diſcedat, votis ſolemnibus nuncupatis.

Inhibemus quoque ne quis poſt profeſſionem in Ordine veſtro factam, ab ipſo Ordine ſine Magiſtri, vel ſui Prioris, licentia diſcedat, diſcedentem vero abſque cautione litterarum alterius ipſorum, pretextu alicujus Privilegii Apoſtolicę Sedis nullus audeat retinere, quod ſi forte retinere pręſumpſerit, vobis, Magiſter, vel ſinguli Priores dumtaxat licitum ſit in ipſos diſcedentes Fratres excommunicationis ſententiam promulgare. Detinentes vero ſecum, vel in Monaſteriis, aut Eccleſiis ſuis, niſi eos ejecerint poſtquam eis denuntiatum fuerit, excommunicationis ſententię volumus ſubjacere. Non obſtante quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes pie-

plenam & expreſſam de indulto hujuſmodi mentionem. Si vero aliqui de Fratribus veſtri Ordinis poſt obtentam licentiam a Sede prędicta, aut a vobis, ad Religionem aliam tranſeundi, infra duos, vel tres menſes, ſe ad illam Religionem ſuę ſaluti congruam, non contulerint, & ipſius non ſuſceperint habitum regularem, licitum ſit vobis ſingulis, Magiſter, & Priores, ac vices veſtras gerentibus, contra ipſos tanquam contra alios Ordinis veſtri Apoſtatas procedere ſecundum quod honeſtati ipſius Ordinis videritis expedire.

In diſcedentes animadvertit.

Illud idem intelligi volumus de illis, qui poſt ſuſceptionem habitus alterius Religionis infra tempus probationis, nulla poſeſſione facta, inde pręſumpſerint reſilire, aut etiam ſi poſt profeſſionem hujuſmodi ad Religionem laxiorem, ſeu mitiorem Ordinem tranſiverint, vel, quod abſit, ad ſeculum revertantur, nos volumus contra ipſos rigorem veſtri Ordinis exerceri. Apoſtatas quoque veſtri Ordinis excommunicare, capere, ligare, incarcerare & alias ſubdere diciplinę rigori, poſſitis per vos, ac etiam alios, in quocumque habitu eos contigerit inveniri, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Inhibemus etiam, ne Fratres, quos ab Ordine veſtro pro ſuis culpis per Magiſtrum, vel Priores, aut eorum Vicarios expelli contigerit, vel qui egreſſi fuerint proprio ſuo motu, pręedicare, confeſſiones audire, ſeu docere preſumant niſi ad alium Ordinem, in quo licite hujuſmodi exerceantur officia tranſiverint, de veſtra, vel Magiſtri, ſeu Priorum, aut vicariorum ipſorum licentia ſpeciali. Quod ſi forte ipſi contra inhibitionem noſtram aliquid ſuper pręmiſſis temere attemptare pręſumpſerint, Magiſter, & ſinguli Priores, vel ipſorum Vicarii in illos, quos infra pręedicationis ſuę fines juxta conſuetudinem Ordinis veſtri diſtinctos (4) invenerint talia pręſumentes, monitione pręmiſſa, auctoritate noſtra excommunicationis ſententiam valeant promulgare. Ejectos autem de Ordine veſtro, vel egreſſos qui receptione in eodem Ordine, ſuis culpis exigentibus, reddiderint ſe indignos, & alios Fratres ejuſdem Ordinis ex rationabili cauſa ad quoſcumque Ordines approbatos, pręterquam ad B. Auguſtini, Templariorum, Hoſpitalariorum, & aliorum arma portantium ad vitandam occaſionem evagandi, Magiſter, vel ſinguli Priores, ſeu ipſorum Vicarii cum ſuis teſtimonialibus litteris auctoritate noſtra licentiandi liberam habeant facultatem. Nos enim diſtrictius inhibemus, ne tales ad alium Ordinem aliter tranſire, vel aliqui eos recipere, ſeu retinere pręſumant abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicę faciente de hoc plenariam mentionem.

Nullus ſimiles noſtris, vel eaſdem veſtes poteſt induere.

Inhibemus etiam, ut nulli, ſive ſit in Religionis Ordine, ſive extra Religionem conſtitutus, habitum veſtrum aut ita conſimilem, quod propter eum Frater Pręedicator credi poſſit, deferre liceat abſque mandato Sedis Apoſtolicę ſpeciali, & ut dicta inhibitio majorem conſequatur effectum, ſtatuimus, ut hii, qui habitum veſtrum, vel ſibi pręedicto modo conſimilem deferre pręſumpſerint, ad deponendum ipſum per Dioceſanos locorum, cum a vobis requiſiti fuerint, monitione pręmiſſa, per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compellantur.

Ordo noſter Decimis ſolvendis immunis.

Ceterum cum humilitas veſtra ſibi de latitudine orbis terrę nihil pręter domos, aut hortos, cum virgultis, pręmiorum obtentu cęleſtium, duxerit reſervandum, nos pie volentes quod illorum fructus integre veſtrę paupertatis uſibus applicentur, ut de dictis hortis, & virgultis nullam decimam teneamini exhibere, vobis auctoritate pręſentium indulgemus, diſtrictius inhibentes, ne quis vobis de pręmiſſis aliquid exigere, vel extorquere, pręſumat.

Priori permittit quæ reſtituenda ſunt a Novitiis.

Quia vero nonnulli veſtrę Religionis habitum aſſumentes, diverſis perſonis, quę ſciri aut inveniri non poſſunt, interdum aliqua bona reſtituere tenentur, vobis, Magiſter, & Priores, ac Vicariis pręedictis concedimus, ut ſinguli veſtrum in locis ſibi commiſſis bona ipſa in pios uſus convertere valeant, prout ſecundum Deum viderint expedire.

In cœmeteriis noſtris libera ſepultura.

Sepulturam quoque in Eccleſiis veſtris concedimus, & eam liberam eſſe cenſemus, ut eorum devotioni, & extremę voluntati, qui ſe illic ſepeliri deſideraverint, niſi excommunicati, & interdicti, aut etiam publici Uſurarii fuerint, nullus obſiſtat, ſalva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus corpora mortuorum aſſumentur; diſtrictius inhibentes, ut nulli Religioſi, vel Seculares, vobis invitis, aliquorum corpora defunctorum in veſtris Cimeteriis aut in Eccleſiis veſtris Miſſarum ſollempnia, vel pro animabus eorum, qui ad loca veſtra tumulandi feruntur, ibidem exequias celebrare ſine veſtro aſſenſu & voluntate pręſumant.

Quinam poſſint excipere confeſſiones Fratrum.

Inhibemus inſuper univerſis Fratribus veſtri Ordinis, ne aliquis eorum, niſi neceſſitatis urgente articulo, aliis quam Pręlatis ſuis peccata ſua confiteri pręſumat, niſi forſan Magiſter, vel Prior proprius, alicui Fratri dederit alteri Fratri Ordinis licentiam confitendi.

Quædam Epiſcopis interdicit. Exemptio a canonica portione.

Univerſis autem Eccleſiarum Pręlatis, & aliis inhibemus, ne Confeſſiones veſtras, vobis invitis, audire, vel compellere vos ad Synodos, ſeu convocationes ſuas accedere, vel cum eis extra Civitates, vel intra, proceſſionaliter exire, ſuis Conſtitutionibus ſubjacere, vel Capitula, ſcrutinia, & inquiſitiones in locis veſtris, vel alibi de vobis facere, aut fidelitatem juramento firmatam, & manualem obedientiam a Prioribus, & Supprioribus veſtris exigere, aut de ipſorum inſtitutionę, vel deſtitutione, ſive de ſtatutis veſtri Ordinis ſe aliquatenus intromittere, ſeu prohibere, ne ad Civitates vel ad Villas ubi religioſe, ac honeſte, commorari poſſitis a populis evocati audeatis accedere, ibique pro veſtris uſibus conſtruere ędificia, Eccleſias, ſeu Oratoria, aut in accedentes Fratres, ſeu conſtruentes hujuſmodi, vel receptatores ipſorum excommunicationis ſententias ferre, pręſumant.

Tranſlatis Cœnobiis ſupellex, ceteraque hujuſmodi transferenda.

Concedimus quoque vobis, ut de hiis, quę in ornamentis vel pro eis, aut libris, fabrica, luminaribus, Anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ſive aliis ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pictantiis, aut victu ad ſuſtentationem veſtram, vel indumentis, aut calceamentis veſtris, necnon annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquę domus obligatę noſcuntur, vel de domibus, pręediis, & hortis, aliiſque locis, vobis ſecundum inſtituta veſtri Ordinis opportunis, aut de hiis quę pro hujuſmodi domibus, pręediis, hortis, & locis emendis, vobis legantur, dummodo pręmiſſa non convertantur in uſus alios ſed in illos dumtaxat, quibus relinquuntur, aut alios etiam, qui in hac conceſſione, vel indulgentia continentur, nulli canonicam juſtitiam, aut portionem aliquam, teneamini exhibere, & ne quis a vobis, vel ultimarum executoribus voluntatum, ſeu decedentium heredibus de pręmiſſis aliquid exigere, vel extorquere pręſumat, diſtrictius inhibemus. Ad hęc liceat Fratribus veſtri Ordinis, cum de prioribus locis ſuis, ad alia ſe transferunt, tam ędificium, ſeu omnem ędificiorum materiam, locorum, quę dimittunt, dedicatis (5) Eccleſiis dumtaxat exceptis, quam libros, Calices, & paramenta ſecum ad alia loca transferre, ac ędificia ipſa cum ſolo, & aliis ad eadem loca pertinentibus, pręter Eccleſias, vendere, ipſorumque pretium per perſonas ad hoc a Sede Apoſtolica de-

deputatas in aliorum locorum, ad quę dicti Fratres ſe transferunt, ędificationem, ſeu alias in eorum utilitatem convertere, ſecundum quod eis melius videbitur expedire, & ne aliqui Archiepiſcopi, vel Epiſcopi, aut alii Eccleſiarum Prelati, ſeu quęvis alia perſona Eccleſiaſtica, vel ſecularis, prędicta loca, ſeu bona, occupare, accipere, vel uſurpare, aut quoquo modo ſibi vindicare pręſumat abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, diſtrictius inhibemus, indulgentes vobis, ut ad pręſtationem procurationum Legatorum dictę Sedis, vel Nunciorum ipſius, ſeu Dioceſanorum locorum, aut exactionum, vel Collectarum, ſeu ſubſidiorum, vel proviſionum, quorumcumque minime teneamini, nec ad ea ſolvenda per litteras dictę Sedis, aut Legatorum, vel Nunciorum ejuſdem, ſeu Rectorum terrarum Eccleſię Romanę impetratas, vel imposterum impetrandas, cujuſcumque tenoris fuerint in perpetuum, compelli poſſitis, niſi dictę Sedis litterę impetrandę plenam & expreſſam de Induito hujuſmodi, & dicto Ordine fecerint mentionem. Ceterum cum fel. rec. Innocentius P.P. IIII. Prędeceſſor noſter, olim duxerit ſtatuendum, ut exempti, quantacumque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſeu contractus, aut rei, de qua contra ipſos agitur, rite poſſint coram locorum Ordinariis conveniri, & illi, quoad hoc, ſuam in ipſos juriſdictionem, prout jus exigit, exercere, Nos vobis, ut occaſione Conſtitutionis hujuſmodi nullum libertatibus, & immunitatibus vobis, & veſtro Ordini per privilegia, & Indulgentias ab Apoſtolica Sede conceſſas, vel impoſterum concedendas, prejudicium generetur, auctoritate pręſentium indulgemus. Decernimus ergo irritum, & inane quidquid contra tenorem Conceſſionum, Conſtitutionum, & inhibitionum hujuſmodi per quoſcumque fueris attemptatum, & interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conceſſiones, Conſtitutiones, & inhibitiones eaſdem, in vos, vel veſtrum aliquos, aut loca veſtra, ſeu benefactores veſtros, vel executores, aut heredes prędictos impoſterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum Conceſſionum, Conſtitutionum, & inhibitionum infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XIIII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Exemptio ab omni tributo.

Et ab Juriſdictione proprii Epiſcopi.

Decretum irritans.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplar Authenticum ibidem habes ex Autographo *Neapoli* in Cœnobio *S. Dominici Majoris* aſſervato.
3. *Immediate ſubjectum.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
4. *Diſtinctos.*) Nota morem, de quo alias dictum eſt.
5. *Dedicatis.*) Excipiuntur Eccleſiæ dedicatæ, *ligna enim Eccleſiæ dedicatæ, non debent ad aliud opus jungi niſi ad aliam Eccleſiam: vel igni ſunt comburenda, vel ad profectum in Monaſterio fratribus: in laicorum vero uſum non debent admitti*, ut ſancitum eſt *De Conſecratione Diſtinct.* 1. *Can. XXXVIII.* Hinc Eccleſiarum Rectores ſummopere caveant, ne eleemoſyna unius, alterius peccatum fiat.

Ex his quibus ignoti fraudati ſunt, Mille libras in extruendum Cœnobii Viterbienſis Valetudinarium, & debita ſolvenda inſumendas decernit.

Anno 1296 Die 22 Novembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Ordinis Fratrum Prędicatorum Viterbien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PEtitionibus veſtris in his libenter annuimus, quę veſtrorum incrementa profectuum, & animarum ſalutem reſpicere dignoſcuntur. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod cum Fratres veſtri Ordinis in loco veſtro Viterbienſi degentes, frequenter infirmari contingat, vos ad Fratrum ipſorum commodum, quandam domum, quę Infirmaria vulgariter nuncupatur, conſtruere incepiſtis opere plurimum ſumptuoſo. Verum quia vobis, utpote paupertatis, & debitorum oneribus pręgravatis, proprię non ſuppetunt facultates, & propterea ad conſummationem ipſius operis ſunt vobis fidelium ſuffragia non modicum opportuna, Nobis humiliter ſupplicaſtis; ut providere ſuper hoc de benignitate Sedis Apoſtolicę dignaremur. Nos itaque dignum reputantes, ut ſicut divinis vacatis operibus, ſic caritativa vobis ſubſidia miniſtrentur, ne ob neceſſariorum defectum, in tam pii operis proſecutione tepeſcere vos contingat, & ut circa paupertatem veſtram, & ſolutionem debitorum veſtrorum providere poſſitis, vobis, ut de uſuris, rapinis, & alias male acquiſitis uſque ad ſummam mille librarum Paparinorum (2): dummodo his, quibus eorum reſtitutio fieri deberet, edictis in competentibus locis publice propoſitis, omnino ſciri, & inveniri non poſſint, libere recipere, ac in expenſas prędicti operis, & veſtras neceſſitates convertere valeatis, ipſique ad aliam reſtitutionem de illis faciendam minime teneantur, auctoritate pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum X Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplex Fratrum petitio.

Conceſſio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*
2. *Paparinorum.*) Supple denariorum.

Anno 1296 Die 27 Novembris.

XV.

Moniales Ordinis noſtri a quibuſdam tributis pro Sicilia ſolvendis eximit (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus univerſis Prioriſſis, & Conventibus, ac Sororibus Monaſteriorum, & Prioratuum Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & Inſtitutionibus Fratrum Prędicatorum viventibus, per Italiam conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Caritatis opera, quibus aſſidue bonorum contemplatione cęleſtium vacare noſcimini nos inducunt, ut honeſtas petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Volentes itaque favore vos proſequi gratię ſpecialis, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut vos & Monaſteria, Prioratus, Membra, & alia loca veſtri Ordinis ubilibet conſtituta, ad pręſtationem decimę, in Concessio. ſubſidium negotii Regni Sicilię per Sedem Apoſtolicam deputatę, hac vice minime teneamini, nec ad id compelli a quoquam aliquatenus valeatis invitę, vobis auctoritate Apoſtolica indulgemus. Sententias Sanctio pœnalis. quoque ſuſpenſionis, interdicti, & excommunicationis, ſi quę propter hęc contra hujuſmodi exemptionis, & indulti noſtri tenorem, in vos, Monaſteria, Prioratus, Membra, & loca prędicta dudum forſitan ſunt prolatę, & ex nunc ferri contigerit, irritas decernimus & inanes. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum V Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Eximit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

Anno 1297 Die 18 Januarii.

XVI.

Magiſtro Generali, & Provinciali Lombardiæ, ut Monaſterii S. Catharinæ V. & M. Ferrarien. curam gerant.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Generali, & Priori Provinciali Provincię Lombardię, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Apoſtolicę Sedis benignitas prudentes Virgines, quę ſe parant accenſis lampadibus obviam ire Sponſo, tanto propenſiori debet ſtudio proſequi caritatis, quanto majori, propter fragilitatem ſexus, indigere ſuffragio dignoſcuntur. Cum igitur, ſicut ex parte dilectarum in Chriſto filiarum, Prioriſſę, & Conventus Sororum Monaſterii Sanctę Catharinæ de Ferraria, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis veſtri, fuit propoſitum coram nobis, ipſę incluſę corpore in clauſtris clauſtralibus, mente tamen libera, devote Domino famulantes, ſecundum Beati Auguſtini Regulam, & Inſtituta Ordinis memorati vixerint hactenus, illa ex inſtitutis ipſis, quę eiſdem Prioriſſę, & Conventui competunt, laudabiliter obſervando, & eidem incorporari Ordini affectent plurimum, vobiſque committi; Nos, pium ipſarum propoſitum in Domino commendantes, devotionis earum precibus inclinati, prędictas Prioriſſam, & Conventum, ac Monaſterium prędictum, auctoritate literarum noſtrarum pręfato incorporavimus Ordini, ac vobis duximus committenda. Eadem auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut ſub magiſterio, & doctrina, tam veſtra, qui eſtis, quam qui pro tempore fuerint, debeant de cetero permanere: Supplex Sororum petitio. Illis gaudentes privilegiis, quę Ordini prędicto ab Apoſtolica Sede conceſſa ſunt, vel in poſterum concedentur: Voſque, contraria conſuetudine ipſius Ordinis non obſtante, animarum Prioriſſę, & Conventus prędictarum ſolicitudinem gerentes, & curam; ac eis de inſtitutionibus ejuſdem Ordinis illas, quę ipſis Prioriſſę, & Conventui competunt, exhibentes, monaſterio prędicto per vos, vel alios Fratres ipſius Ordinis, quos ad hoc idoneos videritis, quoties expedierit, officium viſitationis impendatis, corrigendo, & reformando ibidem, tam in capite, quam in membris quę correctionis, & reformationis officio videritis indigere; nihilominus inſtituatis, & deſtituatis, mutetis, & ordinetis, prout ſecundum Deum noveritis expedire. Confeſſiones earundem Prioriſſę & Conventus audiatis, & miniſtretis eis eccleſiaſtica Sacramenta. Adhęc liceat eiſdem Prioriſſę, & Conventui redditus, & poſſeſſiones acquirere, recipere, ac libere retinere, non obſtante contraria conſuetudine, vel ſtatuto ipſius Ordinis, confirmatione Sedis Apoſtolicę, vel quacunque firmitate alia roboratis. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apo- Mandatum. ſtolica ſcripta mandamus, quatenus, pro divina, & Apoſtolicę Sedis, ac noſtra reverentia, hujuſmodi commiſſionem, & curam liberaliter aſſumentes, ſic eam ſolicite, ac laudabiliter, juxta pręmiſſę commiſſionis, & conſtitutionis noſtrę tenorem, gerere ſtudeatis, quod Prioriſſa, Conventus, & Monaſterium ſupradictum commodius, & efficacius ędificent, & fructificent, dante Domino, ad ſalutem: voſque poſſitis exinde dignis in Domino laudibus commendari. Datum Romę apud Sanctum Petrum XV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien. fol.* 16.

So-

Sorores Reginenſes (1), Ordinis Prædicatorum, FF. Minoritis quaſdam poſſeſſiones cedant.

Anno 1297 Die 22 Junii.

Ex *Waddingo Annal. Minor. Tom. II in Regeſto pag.* 233.

XVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Proſperi Regin., & Archidiacono Bononien., ac Prępoſito Parmen. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex FF. Minorum petitio.

EXpoſuerunt Nobis dilecti filii Guardianus, & Fratres Ordinis Minorum Regin., quod licet ipſi locum cum officinis in Civitate Regin. obtineant, jam dudum eis a bonę memorię Guillelmo Epiſcopo Regin. conceſſum, & poſtmodum per Sedem Apoſtolicam confirmatum, cupiantque locum ipſum per adeptionem vicinarum poſſeſſionum convenientius dilatare; tamen dilectę in Chriſto filię Sorores Sancti Petri Martyris, Ordinis Prędicatorum Regin. ne dicti Fratres Minores ſuum in hoc propoſitum valeant adimplere, quam plures hortos, domos, Caſalina, & poſſeſſiones alias, prędicto loco contigua & vicina, quę dictę Sorores nequaquam inhabitant, jam dudum habere, & tenere, ac etiam de novo plura emere, & ad penſionem, ac in emphiteuſim aliis ad longum tempus concedere, & ne apparere poſſit, quod ad eas horti, domus, caſalina, & poſſeſſiones hujuſmodi pertineant, ea per alienationes, permutationes, locationes alias & venditiones abſque Sedis Apoſtolicę, & Dięceſani Epiſcopi licentia transferre in alios temere pręſumpſerunt, in eorundem Guardiani, & Fratrum pręjudicium, & gravamen, ac ſcandalum plurimorum. Quare dicti Guardianus, & Fratres, Nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere eis ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel per alium, ſeu alios, inquiſita ſuper pręmiſſis celeriter abſque ſtrepitu, & figura judicii diligentius veritate, ſi rem inveneritis ita eſſe, Sorores eaſdem, ac omnes alios detentores hortorum, domorum, caſalinorum, & poſſeſſionum hujuſmodi abſque productione temporis ad vendendum eos prędictis Guardiano, & Fratribus, ſeu Procuratori ad eorum negotia per Sedem Apoſtolicam deputato, pro pretio competenti ſecundum ęſtimationem bonorum virorum, quos per vos, vel aliquem veſtrum duxeritis eligendos, monitione pręmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, prout juſtum fuerit, appellatione poſtpoſita, compellatis. Invocato ad hoc, ſi neceſſe fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtante, ſi memoratis Sororibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod per Delegatos Sedis ejuſdem, ſeu Subdelegatos ab eis, conveniri, ſeu ad judicium trahi, aut ad teſtificandum in cauſis quę coram Delegatis, ſeu Subdelegatis, eiſdem tractantur, cogi, quodque interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & prędicto Prędicatorum Ordine, mentionem, & quibuslibet aliis literis, & indulgentiis generalibus, vel ſpecialibus, cujuſcunque tenoris exiſtant, per quas effectus pręſentium impediri valeat, vel differri, & de quibus in noſtris literis fienda eſſet mentio ſpecialis. Datum apud Urbem Veterem X Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Reginenſes*.) In Ditione Ducis *Mutinenſis*, in *Italia*.

Moniales Ordinis noſtri Decimis, & quibuſcunque tributis eximit (1).

Anno 1297 Die 23 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiabus in Chriſto Prioriſſis, & Conventibus Sororum incluſarum Monaſteriorum, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta, & ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

LAudabilis Sacra Religio, quę in Monaſteriis veſtris a vobis, & perſonis aliis in eis degentibus, ſub onere voluntarię paupertatis jugiter colitur, ſic, a vobis mundanę diſſolutionis relegavit illecebras, ut inter alia clauſtralis abſtinentię nexibus religatę, puritate fulgeatis obſervantię regularis, & voluntatis libitum coarctantes omnino ſub obedientię debito, dignam, & ſedulam exhibeatis Domino ſervitutem. Hinc eſt, quod nos pium, & congruum reputantes, ut vos illa proſequamur gratia, quam veſtris neceſſitatibus fore proſpicimus opportunam, vobis univerſis & ſingulis, auctoritate pręſentium, indulgemus, ut ad pręſtationem decimarum, de quibuſcumque poſſeſſionibus, & aliis omnibus bonis veſtris, quę impręſentiarum habetis, & juſtis modis, pręſtante Deo, acquiſiveritis in futurum; vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet Ordinariorum, & Legatorum, & Nunciorum Sedis Apoſtolicę, & quibuslibet tailiis, collectis, ac ad exhibendum pedagia, telonea, ac alias exactiones quibuſvis Regibus, Principibus, ſeu aliis perſonis ſecularibus, minime teneamini, nec ad id compelli aliquatenus valeatis. Nulli ergo &c. Datum apud Urbem Veterem X Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Exemptio.

Sanctio pœnalis.

1. *Eximit*.) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplar Authenticum habes ibidem *Lib. B. fol.* 585, ex alio Authentico aſſervato in Cœnobio noſtro *Barchinonenſi*. *Uſuſmaris pag.* 66 excripſit aliud ejuſdem tenoris *Diploma Datum XV Kalendas Auguſti Pontificatus Bonifatii VIII Anno III.*

In-

Anno 1297 Die 13 Octobris.

Inquiſitori Carcaſſonenſi, ut in Biterrenſes inquirat (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCXCVII num. LVII.

XIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Inquiſitori hęreticę pravitatis, in partibus Carcaſonenſibus (3) a Sede Apoſtolica deputato, vel ejus locum tenenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Biterrenſes in hæreſeos ſuſpicionem vocati.

AD audientiam noſtram pervenit, quod plures ex civibus Biterrenſibus, multa dicunt, & faciunt, ex quibus pręſumptiones validę contra eos inſurgunt, quod paternę (4) imitatores perfidię velint eſſe; quid antiquis eorum patribus pro ſua perfidia, & eccleſiarum perſecutione, gladio atque ultoribus provenerit, minime attendentes. Libertatem enim eccleſiis a Sanctis Patribus, & Principibus tam eccleſiaſticis, quam ſecularibus, dudum datam, quantum poſſint, in pluribus articulis evertere moliuntur, tallias, exactiones extraordinarias eccleſiis, & perſonis eccleſiaſticis civitatis pro ſuę voluntatis libito imponendo, ac unanimiter invadendo perſonas, & bona eccleſiaſtica, Sanguine Chriſti empta, eaque injurioſe ſuę ditioni per violentiam ſubmittendo; ſubtrahendo inſuper jura, eiſdem eccleſiis debita, diverſis fraudibus exquiſitis. Et ut licentius ſecundum eorum opinionem, atque inceſſabilius faciant ſupradicta, ſe ad eadem facienda ſtatutis, pactis, & conventionibus deteſtabilibus & iniquis, juri divino contrariis & humano, aſtringunt; & excommunicationis & interdicti ſententias a Nobis contra imponentes & exigentes hujuſmodi tallias, & collectas, hactenus promulgatas, in contemptum Eccleſię & clavium vilipendunt: nonnullis ex eis aſſerentibus, quod tempore interdicti melius quam alio tempore ſit eiſdem; & quod propter excommunicationem cibus non minus ſit eis ſapidus temporalis, nec minus bene dormiunt propter ea; innuentes per hęc quodammodo, quod eccleſiaſtica Sacramenta, quę interdictis & excommunicatis ſunt regulariter interdicta, abominabilia ſint eiſdem, & ipſis etiam magis obſint, quam proſint. De Succeſſore inſuper Petri, ac Vicario Jeſu Chriſti, qui non puri hominis, ſed veri Dei vicem gerit in terris, quidam ex eis pollutis labiis obloquentes, proferre turpiſſima minime formidarunt: & quaſi auctoritas ligandi non ſit apud Eccleſiam, vel ſolvendi, cum a ſuis judicibus eccleſiaſticis cenſura eccleſiaſtica conſtringuntur, pro ſententiarum in eos latarum relaxatione non ad ipſos excommunicatores, vel ſententiarum hujuſmodi prolatores, aut illorum ſuperiores eccleſiaſticos Judices, vel Pręlatos, ſed ad Curiam temporalem recurrunt, impetrare intendentes, ſententias revocari eaſdem per violentiam & injuriam Curię ſecularis. Plures etiam ex eiſdem biennio, & amplius, jam elapſo in excommunicatione manſerunt, & adhuc manent animo pertinaci. Quia vero ſupradicta ſcrupulo non carent hęreticę pravitatis, diſcretioni tuę pręſentium auctoritate mandamus, quatenus ex tuo procedens officio, de pręmiſſis veritatem inquiras: & ſi ea, vel eorum aliqua, ſeu etiam alia, per quę levi etiam argumento ſupradictos cives appareat a judicio catholicę religionis, & veritatis tramite deviare, inveneris eſſe vera, officium Inquiſitionis hęreticę pravitatis in eadem civitate ſic ſolerter ſtudeas exercere, ut perfidię filiis, vipereis morſibus contra Deum, & ejus ſponſam Eccleſiam inſultantibus, tanquam materni uteri corroſoribus, per quorum ſeductionem mundus inficitur, & per eos velut per oves morbidas gregi fidelium gravior infligitur corruptela, exterminatis, & penitus profugatis, hęreticę labis zizania non permittatur in necem catholici ſeminis pervagari. Taliter autem ad pręd cta peragenda exercere te ſtudeas, quod a Deo meritum, & laudem merearis a Nobis. Contradictores &c. invocato &c. Datum apud Urbem Veterem III Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum.

1. *Inquirat.*) Adeas *Odoricum Raynaldum ad annum MCCXCVII num. LVII.*
2. *Odorico.*) Laudat *Epiſtolam CCCCLXIX Libri III Bonifatii VIII.*
3. *Carcaſonenſibus.*) Seu *Carcaſſonenſibus* in *Occitania.*
4. *Paterna.*) *Albigenſium* ſcilicet hæreticorum.

Anno 1298 Die 22 Aprilis.

Ut Cujuslibet Ordinis extruenda Cœnobia &c. Centum & quadraginta cannis diſtent ab Ædibus ſacris Ordinis noſtri; & ut infra hoc ſpatium conſtructa diruantur, ex Clementis IV Conſtitutione decernit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Senen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

SUa nobis dilecti filii Magiſter, & Provinciales, Priores, ac Fratres Ordinis Prędicatorum, petitione monſtrarunt, quod olim fel: rec: Clemens (3) P.P. Prędeceſſor noſter, ut inter Religioſos potiſſime ęmulationis, & diſſenſionis tolleretur occaſio, & charitatis integritas ſervaretur, per ſuas ſub certa forma litteras ordinavit, & diſtricte inhibuit, quod ex tunc nulli liceret de Fratrum Minorum, Pęnitentię Jeſu Chriſti, B. Marię de Monte Carmelo, Heremitarum S. Auguſtini, S. Clarę, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique Mulierum, ſeu Sororum de pręmiſſis, ſeu quibuslibet aliis Ordinibus, aliquod Monaſterium, Eccleſiam, vel Oratorium ędificare, ſeu conſtruere, nulli quoque ſeculari, ſeu Religioſo cujuſcumque profeſſionis, Eccleſiam, vel Monaſterium, ſeu Oratorium jam ędificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis infra ſpatium Trecentarum Cannarum ab Eccleſiis Magiſtri, Priorum, ac Fratrum Prędicatorum, menſurandarum per aerem, etiam ubi alias recte non permitteret loci diſpoſitio menſurari; ſtatuens, ut quidquid contra hujuſmodi ſuę Ordinationis & Inhibitionis tenorem ex tunc ędificatum exiſteret, dirueretur omnino. Verum, quia quod ad pacem eo-

eorumdem Magiſtri, Priorum, & Fratrum, ac Ordinum, proviſum fuerat, non ſolum eis, ſed multis aliis, qui propter dictum diffuſum cannarum ſpatium in hujuſmodi inhibitione, ac ordinatione contentum quaſi ab omnibus, etiam ſoliempnibus Civitatibus, inveniebantur excludi, ad ſcandalum ceſſiſſe comperiit, diverſis propterea litigiorum materiis ſuſcitatis, idem Prædeceſſor, ſuper hiis cum Fratribus ſuis deliberatione prçhabita, hujuſmodi ſpatium, de conſilio Fratrum ipſorum, reſtringens ipſum, ad centum & quadraginta cannas reduxit, omnibus aliis, quç in ſuis prçmiſſis continebantur litteris, in ſuo nihilominus robore duraturis. Verum nonnulli Fratrum Minorum, Heremitarum S. Auguſtini, & aliorum Ordinum prçdictorum, contra Ordinationem, & Inhibitionem hujuſmodi venientes, Eccleſias & Oratoria quamplura infra prçdictum ſpatium centum & quadraginta cannarum prope Eccleſias, & loca, prçdictorum Fratrum Prçdicatorum conſtruere temeritate propria prçſumpſerunt, in dictorum Magiſtri, Priorum, ac Fratrum dicti Ordinis Prçdicatorum non modicum prçjudicium, & gravamen. Quare Magiſter, ac Provinciales, Priores, & Fratres prçdicti nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere ſibi ſuper hoc, & ne ſimilia impoſterum prçſumantur, paterna ſollicitudine curaremus. Quocirca Fraternitati tuç per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te, vel alium, ſeu alios, Eccleſias, & Oratoria prçdicta infra prçfatum ſpatium, ſic poſt hujuſmodi ordinationem, & inhibitionem conſtructa, ſeu etiam inchoata in Provincia... (4). Nihilominus prçdictis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus Apoſtolicç defenſionis aſſiſtens prçſidio, Eccleſias, ſeu Oratoria, infra prçdictum ſpatium centum & quadraginta cannarum contra prçdictarum Conſtitutionis, & Inhibitionis memorati Prçdeceſſoris tenorem conſtrui deinceps aliquatenus non permittas, juriſdictionem plenarlam de piano, & ſine ſtrepitu, & figura judicii, ſuper hiis tanquam conſervator, & Delegatus Apoſtolicus a Nobis, etiam circa ea omnia & ſingula quç judicialem requirunt indaginem, exercendo, & contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, modo, & cenſura ſimili, appellatione ceſſante, veritati compellas teſtimonium perhibere. Non obſtante ſi dictorum Fratrum, vel Sororibus, aut eorum, Ordinibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod Fratres ipſi, vel Sorores conveniri, aut interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas, quç de indulto hujuſmodi plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, & eiſdem Ordinibus, non fecerint mentionem, & Conſtitutione de duabus dietis edita in Concilio generali, & illa per nos edita, qua cavetur, ut nullus extra ſuam Civitatem & Dioceſim ad judicium evocetur. Datum Romç apud S. Petrum X Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Decernit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Clemens.*) *IV.*
4. *Provincia.*) Quædam hic deſunt.

Anno 1298 Die 5 Maii.

XXI.

Declarat Ordines Prædicatorum, ac Minorum non eſſe ex eorum numero, quos Lugdunenſe Concilium extinctos voluit.

Ex *Bullario Carmelitar. Parte I in Bonifat. VIII. Eſt VII pag.* 48.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis prçſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TEnorem cujuſdam Conſtitutionis editç a fel: record: Gregorio Papa X. Prçdeceſſore noſtro in Generali Concilio Lugdunenſi (1), cum quibuſdam mutationibus, & detractionibus per nos nuper Romç apud S. Petrum V Nonas Martii Pontificatus noſtri Anno IV in eadem Conſtitutione factis, prçſentibus fecimus adnotari, qui talis eſt. Religionum diverſitatem nimiam, ne confuſionem induceret, Generale Concilium conſulta prohibitione vetavit. Sed quia non ſolum importuna petentium inhiatio illarum poſtmodum multiplicationem extorſit; verum etiam aliquorum &c. (2). Datum Romç apud S. Petrum III Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Concilio Lugdunenſi.*) *II.*
2. *Aliquorum &c.*) Ut in *Diplomate dato XXXI Martii MCCLXXV.*

Anno 1298 Die 5 Decembris.

XXII.

F. Nicolaum de Tarviſio S.R.E. Cardinalem creatum (1) in partem curarum vocat.

Ex Fontana (2) *Monument. Dominican. Parte I Cap. VII pag.* 146.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Nicolao de Tarviſio, quondam Magiſtro Ordinis Fratrum Prçdicatorum, in Sacroſanctç Romanç Eccleſiç Presbyterum Cardinalem aſſumpto, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter ceteros Ordines, in agro plantatos dominico, ſacrum Fratrum Prçdicatorum dileximus hactenus, & diligere non ceſſamus; ad ea, quç proſperum ſtatum ejus, ſuique honoris, reſpiciunt incrementa, paternis ſtudiis intendentes. Volentes itaque perſonam tuam, quam laudabilis fama refert, ac fide digna clamat aſſertio, claris virtutum inſigniis decorari, & in te prçfatum Ordinem multipliciter honorare, te nuper de Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, in Presbyterum Cardinalem Sanctç Romanç Eccleſiç duximus aſſumendum (3). Quocirca diſcretioni tuç per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus a Domino prompta devotione ſuſcipiens, te, ſubmoto dilationis obſtaculo, prçpares ad noſtram prçſentiam quamcitius acceſſurum. Datum Reate Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium.

Mandat ut ſupra.

1. *Crea-*

3. *Creatum.*) *Celebrato Generali Capitulo*, inquit *Fontana* loco laudato, *Magiſter Ordinis Provinciæ Franciæ Cœnobia luſtrans, ad Monaſterium Pruliani die IV Decembris acceſſit, ibique quatuor hebdomadibus, & duobus diebus continuæ exhortationibus ſacris Sorores illas ad Dei amorem inflammando, permanſit. Cum autem in Die Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti conventualem Miſſam ſolemniter ibidem celebraret, rumor quidam repente inſonuit in Eccleſia, quod idem Magiſter factus eſſet S. R. E. Cardinalis. Die tertia autem menſis Januarii ex Pruliano diſcedens, Carcaſſonam petiit, ubi certiora nuncia de ſua promotione recepit. Viſitato vero eodem Conventu, Die XIX ejuſdem menſis diſceſſit Narbonam verſus. Cum autem ad Leſinianum perveniſſet, ibi eodem ſero ſuæ promotionis Apoſtolicum Breve per Pontificium Nuncium recepit, & ſequenti mane in Narbonenſem Civitatem ingeſſus, ibidem in publico Capitulo Fratrum noſtrorum, majoris Eccleſiæ præſentibus Canonicis, copioſoque populo Apoſtolicas Literas publicari fecit.... Lectis ergo... Literis, deliberato conſilio, Magiſterio Ordinis, lacrymantibus Fratribus, ceſſit, ſigillumque Officii ſui in omnium oculis frangi demandavit, & conſenſum electioni de ſe factæ per ſummum Pontificem præbuit.* Adeas *Bernardum Guidonis* apud *Echard Tomo primo Scriptor. Ord. ad an. MCCXCVI pag.445.*

2. *Fontana.*) Legitur etiam apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCXCIV pag.330.*

3. *Aſſumendum.*) Ut in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Anno 1299 Die 10 Februarii.

F. Johannes (1) Archiepiſcopus Piſanus creatus, & Pallio donatus.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCXCIX num. XXIX.

XXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Archiepiſcopo Piſano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

F. Johannes Archiepiſcopus Piſanus conſtitutus.

PIſana eccleſia per promotionem dilecti filii noſtri Theoderici (3) tituli S. Crucis in Jeruſalem Presbyteri Cardinalis ad apicem Cardinalatus aſſumpti, quem olim eidem eccleſię, tunc per obitum bonę memorię R.... (4) Piſani Archiepiſcopi paſtoris ſolatio deſtitutę, prefeceramus (5) in Archiepiſcopum & paſtorem, vacante; Nos de ipſius eccleſię Piſanę ordinatione celeri, ne diu viduitatis ſubjaceret incommodis, ſolicite cogitantes; ac cupientes, illum eidem eccleſię per noſtrę providentię ſtudium Pontificem preſidere, de quo certam haberemus notitiam, & quod ipſum clara meritorum ſuorum inſignia redimirent, nec dubia eſſet ipſius caritas erga plebem ſuo regimini commendandam, & in cujus fide fida recumberet ſecuritas ſubditorum; ad perſonam tuam, generis nobilitate conſpicuam, literarum ſcientia, munditia vitę, religionis obſervantia, ac honeſtate morum, & aliis virtutibus decoratam direximus aciem noſtrę mentis: teque, Ordinis Fratrum Predicatorum profeſſorem, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę plenitudine poteſtatis, eidem eccleſię Piſanę prefecimus in Archiepiſcopum & paſtorem, ipſius curam & adminiſtrationem plenariam tibi ſpiritualiter & temporaliter committendo: tibique ſubſequenter per venerabilem fratrem noſtrum M.... (6) Portuenſem Epiſcopum munus conſecrationis impendi, ac poſtmodum per dilectum filium noſtrum Mattheum (7) S. Marię in Porticu Diaconum Cardinalem Pallium de Corpore B. Petri ſumptum, plenitudinem videlicet officii Pontificalis, a te cum ea, qua decuit, inſtantia poſtulatum, fecimus exhiberi, ut utaris eo intra eccleſiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ei ab Apoſtolica Sede conceſſis. Datum Laterani IV Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Præconium F. Johannis.

Pallio donatur.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.* Adeas *Odoricum Raynaldum ad an. MCCXCIX num. XXIX.*

2. *Odorico.*) Citat *Epiſtol. VIII Lib. V Bonifatii VIII.*

3. *Theoderici.*) Seu *Theodorici Rayneriі, Urbevetani,* cujus meminerunt *Ughellus Tomo I Ital. Sacræ in Epiſcop. Præneſtin., & Tomo III in Archiepiſcopis Piſanis, Oldoinus* apud *Ciaconium Tomo II Vit. Pontificum & Cardinal. ad an. MCCXCIV pag.328 &c.*

4. *R....*) *Rogerii Duraldi*, de quo *Ughellus* in *Archiepiſcopis Piſanis.*

5. *Præfeceramus.*) Anno MCCXCV, die XX Septembris. *Ughellus ex Regeſto Vaticano Epiſt. CCCXCIX fol. 90, Anni Primi Bonifatii VIII.*

6. *M....*) *Matthæum de Aquaſparta*, Ordinis FF. Minorum. *Ciacon. Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXXXVIII pag.265.*

7. *Matthæum.*) Is erat *Matthæus Rubeus Urſinus*, qui vixit in Cardinalatu quadraginta tres annos, ut docet *Ciaconius Vit. Pontific. & Cardinal. Tomo II* ad an. MCCLXI pag. 264. *Anno noſtræ ſalutis MCCCVI Peruſii diem clauſit extremum. Novo poſt anno, ſcilicet MCCCXV, ſepultura illius aperta, corpus ejuſdem integerrimum, nullaque ex parte læſum repertum eſt, & Romam translatum. Jacobus Stephaneſcus Diaconus Cardinalis S. Georgii ad Velum aureum hæc ad poſteritatis memoriam in Matthæi Cardinalis laudem reliquit in Libro, quem de rebus Cœleſtini V, Bonifatii VIII, & Clementis V ſcripſit.*

..... Non ſic datur omnibus unum
Vivere, quo cauti vigilemus, & inſcia fortis,
Atque horæ, meus ipſa vacet cogitare ſalutem:
Quantæ promeritum, miſeratio pauperis effert,
Quæque Sacro Cliſtæa (ſic olim Peruſium nuncupabant) *dedit, Corpuſque repoſtum*
Illæſum miranda tuum (Matthæum alloquitur) *vei fudit in Urbem*
Membra genis, ungueſque manu, flemoſque capillos
Vertice, quoſque artus novo redolentia Phœbo,
Quæ ſtabili alluſere animo, niveoque pudori.

Anno 1299 Die 23 Martii.

Prioris, & Conventus S. Mariæ ad Gradus juriſdictioni Hoſpitalem Domum (1) Viterbienſem ſubjicit, & ipſam variis privilegiis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

DEvotorum vota, quę ſalutis operibus obſecundant, libenter Apoſtolico favore proſequimur; & eis benignum aſſenſum, & gratioſum patrocinium impertimur. Sane petitio noſtri filii Nobilis viri, Viſconte, dicti Gatti, militis Viterbien. nobis exhibita, continebat, quod ipſe de propria ſalute cogitans, & cupiens terrena pro cęleſtibus & tranſitoria pro ęternis ſalubri commercio commutare, quoddam Hoſpitale prope Eccleſiam Sanctę Marię ad Gradus Ordinis Fratrum Predicatorum Viterbien., ſub vocabulo Domus Dei, de bonis propriis fecit conſtrui, pariter & dotavit (3), pro ſuę ac parentum ſuorum ani-

animarum remedio ſalutari; ut autem Hoſpitale ipſum eo amplius in ſpiritualibus valeat & temporalibus proſperari, eoque facilius & efficacius circa receptionem, & refectionem infirmorum, & pauperum, & executionem aliorum pietatis operum, inſiſtatur in illo, quo potiori fuerit libertate munitum, ac ſtudio diligentioris curę fulcitum, dictus Nobilis nobis humiliter ſupplicavit, ut ſuper ſtatu Hoſpitalis ejuſdem, & perſonarum nunc & impoſterum degentium in eodem providere miſericorditer dignaremur. Nos itaque devotionem ſuam ſuper hoc multipliciter in Domino commendantes, ipſius ſupplicationibus ſpecialiter inclinati, Hoſpitale prędictum, in quo nondum eſt, ut aſſeritur, Rector aliquis inſtitutus, necnon & Rectores ipſius Hoſpitalis, qui pro tempore fuerint, ceteraſque perſonas, quas in eodem Hoſpitali continue manere, ac ei dedicari contigerit, ſe, ac ſua cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis ſuis, quę impręſentiarum rationabiliter poſſidet, aut in futurum, pręſtante Domino, juſtis modis, & titulis, poterit adipiſci, ſub noſtra, & Apoſtolicę Sedis protectione ſuſcipimus: illud cum Rectoribus, perſonis, bonis, juribus, & pertinentiis ſupradictis, ab omni juriſdictione, poteſtate, atque dominio tam Epiſcopi, & Capituli, & Eccleſię Viterbien., quam cujuslibet alterius judicis ordinarii totaliter & perpetuo, auctoritate Apoſtolica eximentes; ita quod nec dictus Epiſcopus, vel pręfatum Capitulum, nec quęvis alia perſona, jure ordinario, ipſum Hoſpitale, nec perſonas, quę inibi, ut prędicitur, morabuntur, interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valeant, ſeu quocumque modo alias in pręfatum Hoſpitale, vel perſonas ipſas poteſtatem, vel juriſdictionem aliquam exercere. Et, ne pro defectu Paſtoris dictum Hoſpitale in temporalibus, & ſpiritualibus contingat incurrere detrimentum, ſed, ut advenientes pauperes, ſani, vel infirmi, melius recipiantur ibidem, & commodius ſerviatur eiſdem, Hoſpitale ipſum, & perſonas, quę, ut pręmittitur, ſunt & impoſterum fuerint in eodem, dilectis filiis Priori & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum prędictę Eccleſię Sanctę Marię ad Gradus Viterbien. totaliter & perpetuo, auctoritate ſubmittimus ſupradicta, ſub ejuſdem Prioris cura, cuſtodia, viſitatione, correctione, ac obedientia permanſura, cui Priori cum conſenſu dicti Conventus tam per ſe, quam per aliquem, ſeu aliquos ex Fratribus ſupradictis, curam, cuſtodiam, viſitationem, correctionem hujuſmodi, exercendi, inſtituendi etiam, & deſtituendi, ponendi & removendi Rectorem, & familiares in Hoſpitali pręfato, quotiens, & quando expedire viderit, nec non corpora pauperum & infirmorum, aliorumque decedentium in eodem, ſepeliendi in Cimiterio dictorum Fratrum, & miniſtrandi eis omnia Eccleſiaſtica Sacramenta, plenam & liberam, auctoritate pręfata, licentiam impertimur. Nichilominus prelibatis Hoſpitali, ac Rectoribus, & perſonis ipſius, ut privilegiis, indulgentiis, ac aliis gratiis, & libertatibus omnibus eis competentibus, & quibus poterunt eſſe capaces, ab Apoſtolica Sede Ordini pręfato conceſſis, & impoſterum concedendis, gaudere libere valeant, de ſpeciali gratia concedentes. Volumus tamen, quod nulla Mulier, hiis duntaxat exceptis quę honeſtę fuerint in obſequiis ipſius Nobilis, dum vixerit, & in ſuperioribus ejuſdem Hoſpitalis domibus habitant, niſi quinquageſimum ſuę ętatis annum exceſſerit, moretur ibidem, vel etiam hoſpitetur, alioquin hujuſmodi noſtra gratia eo ipſo ſit in omnibus irrita, & inanis. Nulli ergo &c. Datum Laterani X Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex Fundatoris petitio.

Decernit ut ſupra.

Ipſam privilegiis ornat.

1. *Domum.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

3. *Dotavit.*) Conſulendum ſequens Inſtrumentum: *In nomine Domini Amen. Anno ejuſdem Nativitatis MCCXCIII, Apoſtolica Sede vacante per mortem fel. rec. Nicolai PP. IV, die ultima Menſis Junii &c. Nobilis vir D. Viſconte Gattus de Brictonibus de Viterbio, pro redemptione ſuorum peccaminum, ac nobilis D. Theodora Conjugis ſuæ, & Parentum ſuorum, donavit &c., de bonis a ſe acquiſitis jus, & proprietatem unius Palatii cum toto ſuo Tenimento, Horto, Platea: Quod quidem Palatium, dicitur, Domus Dei: cum vigintiquinque lectis fornitis ſcilicet de Fiſconibus, palmareis, Mataratiis duplis, & Cultris, poſitum in pertinentiis Civitatis Viterbien. in Burgo S. Mariæ ad Gradus, juxta rem Hæredum &c. Religioſis viris Fratri Hugoni de Ubertinis Priori, & Conventui S. Mariæ ad Gradus de Viterbio Ordinis Prædicatorum, Præſentibus & recipientibus pro ſe ſuiſque Succeſſoribus. Hoc pacto ſcilicet quod dicti Prior, & Conventus dictam Domum Dei, & pertinentias ejus, & ea, quæ in dicta Domo ſunt, debeant tenere, & ad uſum, & neceſſitatem Pauperum, & Egenorum infirmorum, qui declinare voluerint pro tempore in dictam Domum Dei, & manere prætexta paupertatis, & egeſtatis ſuæ; Et quod dicta Domus Dei cum pertinentiis ſuis, non poſſint in alio tempore, ad alium uſum transferri per prædictos. Quod quidem Palatium, ſive Domum Dei, idem Nobilis emit a Fr. Johanne de Urbe Ordinis Prædicatorum Provinciali Provinciæ Romanæ dicti Ordinis, & a Capitulo S. Mariæ in Gradibus, ut conſtat publico Inſtrumento facto Anno MCCXCI. Quod Palatium, ſive Domum Dei, magnifici viri Petrus de Vico, almæ urbis Præfectus, & Manfredus ejus Frater pro remiſſione peccatorum egregii viri olim Petri de Vico eorum Patris, titulo donationis inter vivos donaverunt Conventui ſupradicto, anno MCCXC, ut &c.*

Chriſti Fidelibus, ut Hoſpitali domui Viterbien. ſtipem largiantur.

Anno 1299 Die 23 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

XXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

IMmenſa benignitas Conditoris omnium, homini, quem ad ſuam creavit ſimilitudinem, primi lapſu parentis, ſuorumque labe criminum deformato, innumera pręſtat beneficia, & adminicula multa parat, quibus expiare commiſſa, ſuorum diſrumpere vincula delictorum, promereri veniam, & reformari, & reconciliari ſuo valeat Creatori: inter quę hoſpitalitatis opera tanto pręſtantiora, & utiliora, ad promerendam ſalutis gratiam ſtabilivit, quanto per ipſam majora, & acceptiora obſequia Patri luminum in perſonis egenorum, & pauperum, impenduntur. Nam vix ſuavius, & delectabilius thurificium poteſt facere quiſquam Deo, quam curam gerere infirmorum, pauperibus, & indigentibus ſubvenire, egere ſibimet, & abundare pauperibus, ut egenorum relevare valeat egeſtatem. Cum igitur Hoſpitale, Domus Dei, prope Eccleſiam Sanctę Marię ad Gradus Ordinis Fratrum Prędicatorum Viterbienſium, ut reficiantur, & recipiantur pauperes, & infirmi; & exerceantur hoſpitalitatis, & pietatis opera in eo-

eodem, ſit conſtructum, univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur in Domino, ac vobis in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus provide attendentes quam ſit utile; quam ſalubre, pro rebus tranſitoriis & caducis, ac bonis mundanis, quę fluunt, & refluunt, Chriſti gratiam, & coronam gloriç promereri, aſſequi vitę gaudium ſempiternę, ac indeficientes delicias, & divitias adipiſci, de bonis vobis collatis a Deo, prędicto hoſpitali, pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogetis: ut per ſubventionem veſtram, pauperibus, & infirmis, ad illud concurrentibus, magis abunde valeat ſubveniri, & vos per hęc, & alia bona, quę, Domino inſpirante, feceritis, ad ęternę poſſitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad hęc ei manus porrexerint adjutrices, juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum, delictorum ſuorum veniam indulgemus. Datum Laterani X Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Hortatur ut ſupra.

Indulgentia concesſa.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo *Viterbii* aſſervato.

Anno 1299 Die 23 Martii.

Archiepiſcopo Tarraconenſi; ne quis Fratres noſtros Barchinonenſes moleſtiis afficiat.

Ex *Archiv.* (1) *Ord. lib. B. fol.* 551.

XXVI.

Boniſatius Epiſcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri .... Archiepiſcopo Tarraconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SUb Religionis habitu vacantibus pię vitę ſtudio ita debemus eſſe propitii, ut in divinis beneplacitis exequendis malignorum non poſſint obſtaculis impediri. Cum igitur dilecti filii .... Prior & Conventus domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Barchinonen., ſicut iidem nobis ſignificare curarunt, a nonnullis, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, diverſas patiantur injurias, & jacturas; Nos volentes eorum Prioris, & Fratrum providere quieti, & perverſorum malitiis obviare, Fraternitati tuę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem Priori, & Fratribus, pro noſtra, & Apoſtolicę Sedis reverentia, pręſidio defenſionis aſſiſtens, non permittas eos contra indulta privilegiorum Sedis ejuſdem ab aliquibus indebite moleſtari; Moleſtatores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Attentius proviſurus, ne de his ſuper quibus lis eſt forte jam mota, vel quę cauſę cognitionem exigunt, & quę indulta hujuſmodi non contingunt, te aliquatenus intromittas, nec in Epiſcopos, alioſve Superiores Pręlatos, excommunicationis, vel ſuſpenſionis, aut in univerſitatem aliquam, interdicti ſententias promulgare pręſumas. Nos enim, ſi ſecus pręſumpſeris, tam pręſentes literas, quam etiam proceſſum, quem per te illarum auctoritate haberi contigerit, omnino carere viribus, & nullius fore decernimus firmitatis. Hujuſmodi ergo mandatum noſtrum ſic prudenter, & fideliter exequaris, ut ejus fines quomodolibet non excedas. Pręſentibus poſt triennium minime valituris. Datum Laterani X Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Barchinonenſi*.

Anno 1299 Die 10 April.

Præcones fidei, ſeu Miſſionarios Ordinis, variis facultatibus, & privilegiis donat (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCXCIX num. XXXIX.

XXVII.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Sanctio de Bolea, Guillelmo (2) Bernardi, Bernardo Guille &c. Ordinis Prędicatorum ad Terras Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum. Æthiopum, Syrorum, Hiberorum (4), Alanorum, Gazarorum, Gotorum, Zichorum (5), Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Moſcelitorum (6), Tartarorum, aliarumque terrarum Orientalium, & Aquilonarium Nationum proficiſcentibus, Nunciis (7) Noſtris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

IMmaculata lex Domini verę lucis venientis in mundum claris irradiata fulgoribus, ſubverſas cauſas ab erroribus, & peccatis, Sabatharii (8) Magiſtro per ſemitas rectas dirigens, ut de errorum invio, ad viam poſſint redire juſtitię, lumen eis ineffabilis veritatis oſtendit. Hęc ſiquidem primitus a Patriarchis, & Prophetis pręcognita, & Apoſtolicis poſtmodum eloquiis mirabiliter divulgata, tanto magis eſt evangelizantium pręconiis attollenda, quanto ex ipſius publicatione melliflua animarum fructibus gratioſius ſucceſſione continua prodeunt facultates. Hujuſmodi namque legis etſi pręconia ſint longe lateque diffuſa, per Nos tamen, qui Chriſti vices in terris gerimus, dum ſingulas ejus partes, ſuper quas humilitatem noſtram, prout ſibi placuit, providentia divina conſtituit, intenta ſolicitudine circuimus, occurrit ſenſibus noſtris, non ſine anxietatis multę moleſtiis, quemadmodum quędam nationum gentes diabolica fraude veri luminis claritate privatę, in invium perdentium tenebrarum miſerabiliter deruentes, Jeſum Chriſtum Dominum non cognoſcunt: quodque nonnulli ſubtractionis filii Sacroſanctę Romanę Eccleſię inobedientes exiſtunt. Propter quod movetur pietatis paternę compaſſio, animi noſtri zelus accenditur, & anxio quodam affectu ſitiunt ſenſus noſtri, dum ad memoriam noſtram reducimus beneficia omnium Conditoris, qui ut hominem redimeret perditum, Dominus noſter Jeſus Chriſtus homo naſci, pati voluit, & occidi, quod gentes ipſę, & ſubtractionis filii per illuminantis prędicationis antidotum, ad ipſum, qui eſt lux vera, & omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, convertantur. ita quod,

quod, ignorantiarum, & errorum hujuſmodi nebulis, & frandibus profligatis, ipſius ęternę ſelici commercio participes lucis fiant. Quare, ut prędicitur, Chriſti Vicarius, & B. Petri, diſponente Domino, licet immeriti, ſucceſſores effecti, hęc in interna ſępius, & debita meditatione penſantes, ut pro tantorum populorum procuranda ſalute ſervitutis noſtrę debitum exſolvamus, ad vos, quos novimus viros religioſos, claritate fulgentes, morum honeſtate conſpicuos, & diverſarum virtutum titulo divinitus inſignitos, ac literarum ſcientia pręditos, propriam mentem convertimus, & oculos fiducialiter aperimus; ut vobis, de quorum ſtudioſis operibus fructus utiles, Deo placidos, & nobis acceptos, ſperamus, & credimus proventuros, ſuper hoc onus noſtrę ſollicitudinis imponamus, vos ad gentes, & filios ſubtractionis hujuſmodi, ac terras ipſorum, pro hujuſmodi proſecutione negotii, de Fratrum noſtrorum conſilio, fiducialiter deſtinando. Quocirca diſcretionem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem vobis peccaminum diſtrictius injungentes, quatenus accipientes devotione, qua convenit, officii ſalutaris onus vobis impoſitum, exſurgatis, accincti gladio Verbi Dei, liberi ab onere carnalium voluptatum, ſtrenui bellatores, contra doloſitates ſubdoli ſatanę cauſam Domini vindicantes, pro qua mori eſt vitę perennis initium, tranſitorię mortis finis, & retributionis ęternę ineſtimabilis certitudo. Ut autem miniſterium veſtrum honoretur plenius, & honorabilius impleatur, pręſentium vobis, & cuilibet veſtrum, auctoritate concedimus; ut in terris, quę adhuc Sedis Apoſtolicę magiſterio non intendunt, proponere Verbum Dei, & ut conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqua ſint excommunicatione ligati, in verbis, officio, & cibo, ac in aliis ſacris communicare, & ipſos, ſeu etiam alios converti ad veritatem Chriſtianę Fidei cupientes, recipere, baptizare, & aggregare Eccleſię filiis valeatis, & Presbyteri ex vobis ipſos aggregatos poſſint inſignire charactere clericali, & eos ad Acolytatus Ordinem promovere. Liceat etiam cuilibet veſtrum ibidem redeuntibus ad obedientiam Sedis Apoſtolicę qui ſunt excommunicatione nodati, abſolutionis beneficium, juxta formam Eccleſię impertiri, & ſuper eo diſpenſare cum ipſis qui ſacros forſitan ceperint Ordines, & divina celebrarunt officia ſic ligati. Hoc ipſum vobis ſit licitum circa illos de terris eiſdem, qui temporibus indebitis, vel infra ętatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel ſuperiores prętermiſſis inferioribus conferre, ſeu recipere Ordines pręſumpſerunt; ſi tamen in hoc ſervata talis forma extiterit, per quam Ordines recepiſſent. Vobis pręterea diſpenſare liceat, ut illi ex nationibus veſtrę prędicationi commiſſis, qui in caſibus, & gradibus a divina minime lege prohibitis matrimonia contraxerunt, remaneant in eiſdem, & ii qui ad Eccleſię Catholicę redierint unitatem, ut inter ſuos habitent, eiſque communicent; necnon quod Clerici nationum ipſarum, publice ad obedientiam Sedis Apoſtolicę redeuntes, gaudeant privilegio Clericali. Sit etiam vobis licitum omnium Fidelium in terris prędictis confeſſiones audire, ac ipſis injungere pęnitentias ſalutares, & excommunicatos a Canone, vel alio modo, juxta formam Eccleſię, abſolvere, dummodo injurias, & damna paſſis ſatisfaciant competenter. Cum irregularibus inſuper partium illarum in caſibus, in quibus ſolent Legati Sedis Apoſtolicę diſpenſare, & etiam cum Clericis ipſarum partium, patientibus defectum natalium, dummodo non ſint de adulterio, vel inceſtu, aut regularibus procreati, ſit vobis diſpenſandi facultas: quam circa illos ſimiliter habeatis, qui ab unitate Eccleſię Catholicę, ſeu Religione, vel Clericali Ordine diſceſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, & digne ſatisfacere de commiſſis; ita quod ipſi Religioſi ad ſua loca, ſalva diſciplina Ordinis, reſumantur, ac illos qui ex jam dictis excommunicationis vinculo ſunt aſtricti, juxta pręmiſſam formam, & prędictę ſatisfactionis modum, abſolvere valeatis, & cum irregularibus, ſicut eſt expreſſum ſuperius, diſpenſare. Ad hęc ſit vobis abſolvendi facultas occiſores clericorum, & religioſarum perſonarum, in prędictis partibus conſtitutos, fundandi ibidem de novo Eccleſias, & reconciliandi ipſas, quę ſunt caſu aliquo proſanatę, ac de novo fundatis Rectores idoneos providendi: & illis, qui de gentibus, vel ſchiſmaticis noviter ſunt converſi, dandi licentiam, ut uxores ſuas, cum quibus in gradibus lege divina non prohibitis contraxerunt, valeant retinere; de cauſis matrimonialibus, quas in partibus illis ad audientiam veſtram ferri contigerit, legitime cognoſcendi, & diſcordantes inter ſe ad invicem, quod ad pacem, & concordiam redeant, necnon quod inordinate viventes de ſuis exceſſibus, ſicut juſtum fuerit, ſatisfactionem exhibeant, compellendi per cenſuram eccleſiaſticam, vobis libera ſit facultas. Inſuper in locis, in quibus vos contigerit hoſpitari, vel in locis partium earundem, in quibus reſidentiam facietis, Miſſam, & cetera Divina celebrare officia, & in eiſdem partibus cęmeteria benedicere, ac dare Indulgentias, commutare vota, ultramarinę peregrinationis, continentię, & Religionis exceptis, facultatem, & licentiam habeatis. Ceterum vobis concedimus, quod a Catholicis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis poſſitis Ordines, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipere, & Altaria portatilia, more ipſorum, a pręfatis Epiſcopis benedicta, habere, & eis uti, ſi contingat vos aliquo caſu veſtra altariola non habere, ac Veſtes Sacerdotales Altaris, pallas, & corporalia per eos, qui ex vobis ſunt Presbyteri, cum neceſſe fuerit vobis, benedicere, ubi catholicorum Epiſcoporum copia non habetur. Nulli ergo &c. Datum Lateran. IV Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Fratrum Miſſio.

Eorundem commendatio.

Facultates ipſis conceſſæ.

Tonſuram, & Ordines Minores conferre poſſint.

1. *Donat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*
2. *Guillelmo.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. ad annum MCCXCVIII pag.* 460.
3. *Saracenorum.*) De his & ſequentibus dixi *XXIII Julii MCCLIII.*
4. *Hiberorum.*) *Seu Iberorum.*
5. *Zichorum.*) *Zicocorum.*
6. *Moſcelitorum.*) Vide *Notam V ad Bullam datam XXIII Octobris MCCCXXI*
7. *Nunciis.*) De quibus in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
8. *Sabathariì.*) Turbatus videtur locus. Sciendum tamen Hebræos *Sabbatarios* a *Sabbato* nuncupatos fuiſſe. Hine *Martialis* Lib. IV Epiſt. IV *de Jejuniis Sabbatariorum* mentionem habet.

Anno 1300 Die 11 Aprilis.

Ordinem laudibus celebrat, & ad eligendum Generalem virtutibus ac doctrina præſtantiſſimum Electores Capituli Generalis (1) hortatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVIII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Electoribus (3) Magiſtri Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ordinis encomium.

CÆleſtis Agricolę mira benignitas Ordinem veſtrum Prędicatorum pro ſalute fidelium in horto plantavit Eccleſię, qui velut ager virtutum fertilis, ſuperni roris benedictione perfuſus, dono Domini, cultores habet induſtrios, & viros bonę vitę producit, ac fructus profert uberes, & ſalubres, ſeminaque in eo ſparſa non pereunt, flores editi non areſcunt, & tandem ex eo, multiplicatis manipulis, grana perennis glorię colliguntur. Propterea nos Ordinem ipſum, quem ſic in Eccleſia Univerſali fructificare, conſpicimus, tenerrime diligimus, & corde tenemus, paterna circa eum ſolicitudine vigilantes, ut, Deo propitio, protegatur a noxiis, ſalutaria ſemper incrementa ſuſcipiat, & in vigore perſiſtat ſolidę caritatis. Verum, ut, circa Ordinem ipſum debitum Paſtoralis exequentes officii, ad illa vos paternis monitis, & benignis exhortationibus invitemus, per quę idem Ordo in pacis abundantia perſeveret, & ubertate quietis aſſidue perfruatur, caritatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, quatenus devotos animos paternis affectibus exhibentes, illum per electionem unanimem, & concordem, ad gerendum Magiſterii ejuſdem Ordinis officium ſtudeatis eligere, qui tanto congruat oneri, & honori, quique ſit Religionis zelo fervidus, conſilii maturitate pręclarus, diſcretionis prudentia pręditus, & induſtria providentia circumſpectus: bonę converſatione vitę, dono manſuetudinis, & gratia humilitatis reſplendeat: ſit plantator virtutum ſedulus, & extirpator vitiorum aſſiduus, qui ſciens ſibi per meritum vitę proficere, & alios exemplis ſalubribus exhortari, & erudire, & in eo Marthę ſolicitudo non deſinat, & contemplationis Magdalenę noo deficiat altitudo; ſicque provideat Ordini, ejuſdem negotia ſalubriter, ſui regiminis cautela dirigere, quod diverſitas nationum, & conditiones varię perſonarum, circa Ordinem ipſum in unum devotionis cumulum aggregentur. Preces igitur Apoſtolicas in hac parte taliter adimplere curetis, illamque inprimis efficaciam adhibere, quod ex hujuſmodi electione veſtra gratus honoris, & commodi, fructus Ordini memorato proveniat, quod deſiderabiliter expectamus, voſque propter hoc Divinam, & Apoſtolicę Sedis, ac noſtram benedictionem, & gratiam valeatis uberius promereri &c. Datum Laterani III Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Hortatur ut ſupra.

1. *Generalis.*) *Maſſiliæ* celebrati. Ibi electus eſt *Albertus Clavarius*, de quo legendus *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. X pag.* 148 & 149.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter *Acta Capitul. General.*
3. *Electoribus.*) Ex quibus *Viginti octo* ad Epiſcopi, Archiepiſcopi &c. Dignitates evecti ſunt, ut ex antiquis Manuſcriptis Cœnobii *Maſſilienſis* conſtat.

Anno 1300 Die 12 Aprilis.

Generalem Magiſtrum ad Curiam vocat (1), ut ſecum de multiplicandis Ordinis noſtri Provinciis agat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIX. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Definitoribus Capituli Generalis, Ordinis Prędicatorum Maſſilię proxime celebraodi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ordinis laudes.

INter Religiones ſingulas, quas ad Curię cęleſtis obſequia, & Salutem Fidelium populorum ſtatuit in terris providentia divina in conſilium, Ordo veſter Prędicatorum, pręcellentium operum claritate pręfulgens, Deo ſe placitum exhibet, & apud ſingulos gratiam glorioſę opinionis effundit: Circa cujus ſtatum eo perſpicacius aciem mentis extendimus, ejuſque perſpicacem gloriam eo deſiderabilius affectamus, quo per eum tam Apoſtolicę Sedis, quam Univerſalis Eccleſię ampliores fructus commodi, & honoris, accreſcunt. Cum itaque dudum per nonnullos a nobis fuerit poſtulatum cum inſtantia, ut dividere (3) quaſdam Ordinis ejuſdem Provincias dignaremur. Nos, paterna meditatione penſantes, quod hujuſmodi diviſio Ordini pręfato eſſe poterit plurimum fructuoſa, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, mandantes, quatenus circumſtantias univerſas, quę in hujuſmodi negotio fuerint attendendę, ſub diligentis examinationis examine diſcurrere ſtudeatis, & expedito Generali Capitulo dicti Ordinis, Maſſilię proxime celebrando, volumus, quod Magiſter Ordinis, quem in eodem eligi, & aſſumi contigerit, necnon aliqui pauci, & diſcreti viri, ejuſdem Ordinis Fratres, quos ad hoc idem Magiſter aſſumpſerit, una cum eodem Magiſtro ad pręſentiam Sedis Apoſtolicę accedant, ut noſtra per eos deliberatione audita, ad diviſionem hujuſmodi, prout ſtatui, & utilitati ejuſdem Ordinis expedire viderimus, procedamus &c. Datum Laterani II Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

1. *Vocat.*) Adeas *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. X pag.* 149.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Acta Capitulor. Generalium.
3. *Dividere.*) Legeſis Acta Capituli Generalis, *Biſuntii* celebrati anno *MCCCIII.*

Quar-

Quartam funerariam proprie dictam duntaxat, non vero tertiam, aliamve partem, Parochis ſolvendam decernit (1).

Anno 1300 Die 26 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Quæ hac de re ipſemet ſanxerit, refert.

NUper, ut materia diſcordię tolleretur, quę inter vos, ex parte una, & Prelatos, Rectores, Sacerdotes, ſeu Clericos Parochialium Eccleſiarum, per diverſas Mundi Provincias conſtitutos, ex altera, ſuper nonnullis articulis conſueverat exoriri, ſtatuendum inter alia duximus, & etiam ordinandum, ut omnes poſſitis admittere ad Eccleſiaſticam ſepulturam, qui apud Eccleſias & loca veſtra eligerent ſepeliri, quodque de obventionibus omnibus, tam funeralibus, quam quibuſcumque, & quomodocumque relictis indiſtincte, vel diſtincte, ad quoſcumque certos, & determinatos uſus, de quibus etiam quarta Eccleſiaſtica portio dari, ſeu exigi, non conſuevit, ſeu non debet de jure, necnon de datis, ſeu qualitercumque donatis, in morte, ſeu mortis articulo, aut in infirmitate donantis, vel dantis, de qua deceſſerit, quomodocumque, directe, vel indirecte, vobis, vel aliis pro vobis quartam partem, quam Apoſtolica auctoritate taxavimus, & etiam limitavimus, Parochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis, integre teneamini elargiri. Verum quia, ſicut ex parte veſtra fuit expoſitum coram nobis, in quibuſdam locis conſuevit ſolvi medietas, & in aliis tertia, ſeu alia pars, de prędictis pro hujuſmodi Eccleſiaſtica portione, propter quod ſuper medietate, vel tertia, ſeu alia parte hujuſmodi, pręſertim de cera, ultra prędictam quartam partem per Nos taxatam, aliquando impeti vos contingit, Nos, ſuper hoc vobis ex habundanti, cum hujuſmodi ſtatutum, & ordinatio noſtra evidenter id habeant, providere volentes, auctoritate Apoſtolica declaramus, ut ad exhibendum de pręmiſſis, eiſdem Parochialibus Sacerdotibus, & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis, niſi dictam quartam per Nos, ut pręmittitur, taxatam, & limitatam in quibuſcumque locis, prętextu alicujus conſuetudinis minime teneamini, nec poſſitis etiam coarctari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę taxationis, limitationis, & declarationis infringere &c. Datum Anagnię VII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Declaratio.

1. *Decernit.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo triplex Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

F. Nicolaum (1) Cardinalem, Oſtienſem, & Velitrinum Epiſcopum, Legatum mittit in Pannoniam (2).

Anno 1301 Die 13 Maii.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCI num. IV.

XXXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Nicolao Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopo, Apoſtolicę Sedis Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

QUamvis univerſis & ſingulis regionibus, Deo & Apoſtolicę Sedi devotis, favorem apoſtolicum, quotiens neceſſitas ingruit, impendere debeamus, & ad eas noſtrę mentis diffundamus intuitum, levando in circuitu vigiliis more paſtoris tam corporeos quam mentales oculos, viſuri quid gregi, commiſſo nobis, expediat, & quid operis impendi debeat circa ipſum, ut illius fulti pręſidio, cui cogitationes hominum pręparantur, quique fortium arcus ſuperat, & infirmos robore potenter accingit, miniſterii noſtri ſolicitudinem, ad ea pręſertim, quę fidelibus populis neceſſario expedire viderimus, & noverimus profutura, ſalubriter, & utiliter exponamus; impręſentiarum tamen Hungarię Regni nobilis neceſſitates pręcordialiter intuemur, profundis meditationibus, laborioſiſque vigiliis inſudando, ut eidem in hujuſmodi neceſſitatum articulis opportunum adhibeatur, Domino auxiliante, conſilium, ſalubreque remedium impendatur. Unde cum hoſtis humani generis, pacis ęmulus, & zizanię ſeminator, ab olim in eodem Regno turbationes & ſcandala ſuſcitarit, ex quibus regale ſolium, ipſiuſque regni regimen multipliciter ſunt depreſſa, vaſtatis fidelium bonis, eccleſiarum, & locorum eccleſiaſticorum direptis juribus, conculcata damnabiliter eccleſiaſtica libertate, ac ſubſecutis exinde animarum periculis deplorandis, perſonarum nefandis excidiis, & aliis fere innumeris detrimentis; nos exinde graves, & amaras geſſimus, & portamus in mente noſtra puncturas, dum miſerabilis illius Regni conditio, & commiſſorum inibi enormitates exceſſuum infra noſtra pręcordia revolvuntur. Et utinam deſuper datum eſſet, ut cum honore Dei, & Eccleſię, ac aliorum ſalubri ſtatu fidelium poſſet commode circa tantum negotium exhiberi noſtra pręſentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi pręſentialiter noſtrum deſiderium panderemus. Sed quia id conditio noſtra non patitur, & innumera negotiorum undique concurrentium varietate diſtrahimur, illos in partem Apoſtolicę ſolicitudinis de Latere noſtro nonnunquam aſſumimus quibus fore percipimus cęleſti dono proviſum, ut in aliis & arduis negotiis ſciant & poſſint conſulere provide, ac utili conſilio providere. Attendentes itaque, quod perſonam tuam Altiſſimus, gratiarum Dominus, ſcientiarum magnitudine, providentię munere, circumſpectionis gratia, induſtrię claritate, multiſque virtutibus inſignivit, humeris tuis fortitudinis robur adiciens, ut ad laudem ſui nominis frequenter onera grandia ſupportares; pleniſſimam quoque de tuis meritis fiduciam obtinentes, licet apud Sedem Apoſtolicam ex eminentia tui conſilii valde neceſſarius habearis, Noſque inviti quodammodo tanti viri pręſentia careamus: tamen propter urgentem, & Inevi-

Legationis cauſa.

Preconium Cardinalis Nicolai.

Ipſius Legatio.

inevitabilem neceſſitatem dicti regni, cui ſperamus in prędictis per tuam induſtriam circumſpectam, illo tibi auxiliante, qui poteſt ſalubriter conſuli, & utiliter ſubveniri (4); te ad pręfatum regnum, commiſſo, tibi plenę Legationis officio in eodem Regno, & in Polonię (5), Dalmatię (6), Croatię (7), Ranię (8), Servię (9), Lodomerię (10), Galatię (11), Cumanię (12) partibus illi (13) conterminis, ut in eis evellas, & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ędifices, plantes, & ſtatuas in nomine Domini, ſicut videris expedire, de fratrum noſtrorum conſilio tanquam pacis Angelum deſtinamus: injuncto tibi nihilominus, ut in regno ipſo inter ejuſdem regni perſonas, necnon tam ibidem quam in Provinciis memoratis inter Eccleſiaſticos, & mundanos viros, & univerſos alios cujuſcumque conditionis, pręeminentię, ſive ſtatus, agas, & tractes quę ad cultum Dei & prędictę Sedis honorem, obſervantiam eccleſiaſticę ſanctionis, redintegrationem eccleſiaſticę libertatis, robur proſperi ſtatus regni, & Provinciarum, prędictorum, honeſtatis cultum, reformationem pacis, relevationem pauperum, ac animarum ſalutem, & tranquillitatem corporum pertinebunt. Et ut circa legationis officium, quod in eodem regno Hungarię tibi duximus committendum, eo poſſis proſperari facilius, quo ſolitis Legatorum qui miſſi de Latere mare tranſeunt, adornatus inſigniis, perſonam noſtram quodammodo pręſentabis; de ſpeciali gratia, apoſtolica tibi auctoritate, concedimus, ut eiſdem inſigniis, infra prędictum Hungarię regnum duntaxat, uti libere valeas prędictę legationis officium proſequendo; ita tamen, quod pręmiſſis inſigniis in aliis commiſſis tibi partibus, Provinciis, & locis, aliquatenus non utaris, & quod id quod in hac parte tibi pro evidentibus neceſſitatibus, & utilitatibus regni prędicti, & terrarum earundem conceditur, ad aliquam conſequentiam prętextu conceſſionis hujuſmodi in regno, & terra eiſdem propter hoc in poſterum non trahatur. Quocirca fraternitati tuę per apoſtolica ſcripta firmiter pręcipiendo mandamus, quatenus injunctum tibi onus laboris hujuſmodi pro divina & noſtra reverentia devote ſuſcipiens, illud ſic ſolicite, ſic viriliter, & laudabiliter juxta datam tibi a Deo prudentiam exequaris, quod, tuis ſtudioſis laboribus cęleſti favente clementia, ſperati fructus adveniant, tuque per ſolicitudinis tuę miniſterium illam quę pias cauſas gerentibus pro retributione rependitur, palmam glorię feliciter conſequi merearis. Datum Anagnię III Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Nicolaum.*) Beatum ſcilicet *Benedictum XI*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Pannoniam.*) *Cum Hungari*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCI num. IV, *alii Carolum Caroli II Siciliæ Regis ex Carolo Martello primogenito defuncto nepotem, ab Archiepiſcopo Strigonienſi regia inunctione delibutum, Regem ſalutarent, alii Regis Bohemiæ filium elegiſſent, illumque a Colocenſi Archiepiſcopo corona redimiri curaſſent, atque ita inteſtino bello Hungaria laboraret, & barbarorum inſidiis ac periculis eingeretur, Bonifatius Oſtienſem Epiſcopum, Legati a Latere dignitate auctum, in Pannoniam miſit; munuſque illud etiam in Polonia, Dalmatia, Croatia, Raſcia, Servia, Lodomeria, Galatia, & Cumania, ita gerere juſſit, ut tamen in Hungaria tantum inſignibus, quibus in tranſmarina expeditione Cardinales Legati ornari ſolent, uteretur.*

3. *Odorico.*) Ex *Epiſtola XV Libri VII Bonifatii VIII.*

4. *Subveniri.*) *Subvenire.*

5. *Poloniæ.*) *Polonia* terminatur a ſeptentrione mare *Baltico, Livonia*, & *Moſcovia*, a qua etiam terminatur ab ortu, ab occaſu *Germania*, & a meridie *Hungaria*, *Tranſylvania*, & *Moldavia*.

6. *Dalmatiæ.*) *Illyrici* pars major eſt *Dalmatia*.

7. *Croatiæ.*) *Croatia* provincia eſt antiqui Regni *Hungariæ*, ſeu verius *Sclavoniæ*.

8. *Ramæ,*) Regio eſt *Dalmatiæ*.

9. *Serviæ.*) *Servia* extenditur inter *Croatiam*, & mare *Adriaticum*, ac flumina *Danubium* & *Moravam*.

10. *Lodomeriæ.*) *Lodomeriam*, *Galatiam*, & *Comaniam* juris ac poteſtatis *Hungariæ* Regis fuiſſe conſtat ex inſtrumento, quod legitur apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCLXXI num. XXX.*

11. *Galatiæ.*) Seu *Galliciæ*, ut in Inſtrumento mox laudato vocatur.

12. *Cumaniæ.*) De *Cumanis* ſæpius dictum eſt, hic audiendus *Ferrarius* noſter de rebus Hungar. Provinciæ Ord. Prædicator. Parte I Lib. unico Cap. IV. *Cumani*, inquit, *qui fuerint non una ſententia eſt. Non mihi diſplicet, quod apud Maginum a nonnullis eſt annotatum, Tartarorum Præcoperitum tractum inter Boriſthenem & Tanaim circa Pontum Euxinum & Meotidem paludem Cumaniam appellatam, cum Theodoricus aſſerat, Cumaniæ flumen conterminum fuiſſe Neper, quem latine ſcimus dici Boriſthenem, ad quem denique venerint Fratres in Cumaniam proficiſcentes .... In Hungariam porro multi ex eis convenientes, in ea tandem regione conſederunt, quæ ultra Temeſvarum, & Tibiſcum, hodie Cumania vocatur, viginti quinque Hungariæ milliaria in longum, & quindecim in latus amplectens.*

13. *Illi.*) *Hungariæ* ſcilicet.

Anno 1301 Die 17 Octobris.

Wenceslao Regi Bohemiæ, ut F. Nicolai Cardinalis, S. Sedis Legati, monitis acquieſcat (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCI num. X.

XXXII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Cariſſimo in Chriſto filio Wenceslao, Regi Bohemię illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ETſi Reges, & Principes orbis terrę Catholicę Fidei profeſſores, & Eccleſię Romanę devotos paterna benevolentia proſequamur; perſonam tamen tuam dignitate regia inſignitam, ſincera caritate conſtringimus, & ſingularis benevolentię brachiis amplexamur: ideoque tibi familiarius ſcribimus, teque alloquimur confidenter. Miramur ſiquidem, & turbamur, quod ſerenitas tua ſuſtinuit, & pręſtavit aſſenſum, quod dilectus filius Wenceslaus natus tuus in Regem Hungarię ſit aſſumptus, & a Colocenſi (3) Archiepiſcopo, & nonnullis ſuis complicibus paſſus eum fueris coronari. Utinam diſcuſſiſſes ex quo capite, ex quo jure, qua ſucceſſione, quo titulo pręfatus natus tuus ad ipſius regni regimen ſit aſſumptus; & quomodo coronam ab eo recipere debuit, qui auctoritatem Reges Hungarię coronandi non habebat de conſuetudine, vel de jure. Nec debuit Apoſtolica Sedes, mater omnium, & magiſtra, contemni, quin ſaltem in dubiis, & majoribus cauſis ad ipſam fuerit recurſus habendus; ſine cujus etiam auctoritate ſanctę memorię Stephanus (4) Rex Hungarię, divina revelatione pręmonitus, noluit in ipſius regni ſolium ſublimari; ſed tanquam Aaron vocatus a Deo, ab ipſa Sede accepit humiliter coronam & regnum. hunc Stephanum Deus de tenebris infidelitatis eripuit, & vocavit in admirabile lumen ſuum: qui fuit primus Rex Hungarię Chriſtianus, a quo deſcenderunt perſonę (5) magnę ſanctitatis, miręque virtu-

Wenceslaus junior Rex Hungariæ coronatur inconſulta S. Sede Apoſtolica.

S. Stephanus Hungariæ Rex a S. Sede conſtitutus.

virtutis, quorum beatitudines tranſierunt aliis in exemplum. Sed heu! Hodie regnum tam nobile, tam pręclarum, & in ſpiritualibus & in temporalibus eſt collapſum, & quaſi datum in prędam; & per Cumanorum, Tartarorum, Schiſmaticorum, & Paganorum hoſtiles incurſus fere ad nihilum eſt deductum: & ideo plus turbamur de novitatibus per dictum Colocenſem Archiepiſcopum circa prędictum natum tuum noviter attentatis, quę diſcordiam pariunt, & diſpendia graviora minantur, niſi Deus ex alto in regno ipſo pacem effundat, quę eſt vinculum caritatis, ad quam procurandam inter diſſidentes in eo venerabilem fratrem noſtrum Nicolaum (6), Oſtienſem & Velletrenſem Epiſcopum, Apoſtolicę Sedis Legatum, magnum utique Romanę eccleſię membrum, cum plenę legationis officio duximus deſtinandum (7). Quapropter ſerenitatem tuam rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta diſtricte pręcipiendo mandantes, quatenus per te ipſum corrigere ſtudeas, & remediare procures quę circa pręfatum natum in hac parte minus provide & inconſulte attentata noſcuntur; & tam tu, quam tui, & filii memorati ſequaces, ejuſdem Legati acquieſcatis ſalubribus monitis reverenter, & vos ejus beneplacitis coaptetis (8) qui ut pacis Angelus, nunciuſque ſalutis, non abſque multis ſolicitudinibus, & laboribus ad regnum acceſſiſſe noſcitur prelibatum. Ceterum ſi qua jura tibi, vel memorato nato tuo competerent in regno Hungarię ſępe dicto, aliiſque Provinciis, eaque proſecuti fueritis coram nobis, illa diſponimus illibata ſervare, nec minuere, ſed augere. Sic igitur habere te ſtudeas in pręmiſſis, quod a Deo pręmium, & dictę Sedis gratiam merearis, noſque reddas ad tua, & ejuſdem nati tui, promovenda commoda prompptiores. Datum Laterani XVI Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

F. Nicolaus Legatus in Hungariam.

Mandat ut ſupra.

1. *Acquieſcat.*) *Querelas apud Regem Bohemiæ* Summus Pontifex *effudit*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCI num. X, *urſitque, ut ſua ſponte, quæ minus prudenter tentata erant, revocaret: perpenderet animo, quo tandem ſucceſſionis jure vel titulo filius ſceptrum Hungaricum ſibi arrogaret: temeritatem Colocenſis Archiepiſcopi, qui Regis conſecrandi provinciam, ad ſe non ſpectantem affectarat, nullum ipſi jus tribuere; regni ſupremum dominium ad Romanum Pontificem ſpectare, atque in ea controverſia excipienda ejus imperia: labefactatum jam Tartarorum, & Cumanorum armis jacere illud Regnum, quod antea in ſummum ſplendorem effloruerat, ac magis jam hoc temerario facto lacerandum. Si qua jura ſibi in Hungaria, aut Provinciis ſibi vindicet, coram Sede Apoſtolica diſceptet, ea omnia integra atque illibata ſervatum iri.*

2. *Odorico.*) Laudat *Epiſtolam LXXVII Libri VII Bonifatii VIII.*

3. *Colocenſi.*) Videas præcedens Diploma.

4. *Stephanus.*) Sanctus, de quo in Diplomate mox laudato.

5. *Perſonæ.*) Eas inter recenſetur *Emericus* vitæ ſanctitate percelebris.

6. *Nicolaum.*) Beatum ſcilicet *Benedictum XI.*

7. *Duximus deſtinandum.*) Bullam Legationis habes *XIII Maii MCCCI.*

8. *Coaptetis.*) Notat *Odoricus num. X*, quod *extant... aliæ ad eundem Regem Pontificiæ literæ* (citat Epiſtolam XLIX) *antea, tertio nimirum Idus Maii, datæ, quibus ipſi Legatum impenſe commendavit.* Deſiderantur hæ Literæ.

F. Nicolao, Oſtienſi, & Velitrino Epiſcopo, S. Sedis Apoſtolicæ Legato, ut diem dicat (1) Archiepiſcopo Colocenſi, quo ſe ſiſtat apud Summum Pontificem.

Anno 1301 Die 17 Octobris.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCI num. VII.

XXXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Nicolao Oſtienſi, & Velletrenſi Epiſcopo, Apoſtolicę Sedis Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Romanus Pontifex ſuper Reges & Regna conſtitutus a Deo in Eccleſia militanti Hierarcha ſummus exiſtit, & ſuper omnes mortales obtinens principatum, ſedenſque in ſolio judicii, cum tranquillitate judicat, & ſuo intuitu diſſipat omne malum. Provide Sanctę memorię Prędeceſſores noſtri Romani Pontifices, etſi eos diverſorum Regum & regnorum cura ſolicitaverit officii paſtoralis, ſpecialiter tamen ſua ſtudia converterunt, ut regnum Hungarię, quod ad Apoſtolicam Sedem peculiarius pertinet, pręſervaretur a noxiis, & ſalubria ſuſciperet incrementa, & maxime contra Cumanorum, Tartarorum, & paganorum, ac ſchiſmaticorum hoſtiles incurſus, quibus extitit hactenus plurimum impugnatum, & ex quibus ad magnum exterminium, & diminutionem habitatorum fidelium eſt deductum. Nos quidem prędictorum ipſorum veſtigia imitari volentes, intellecto nuper ſtatu miſerabili dicti Regni, quod proh dolor! in ſpiritualibus & temporalibus multipliciter eſt collapſum, & in quo undique bella fremunt; eccleſiarum Prelatis, & perſonis eccleſiaſticis, necnon Baronibus, & nobilibus, ac popularibus diſſidentibus in eodem, de tua circumſpectione confiſi, te ad regnum ipſum cum plenę Legationis officio duximus deſtinandum. Verum poſt tuum diſceſſum a Nobis ad notitiam noſtram digna relatio, ſed nimis amara, perduxit, quod venerabilis frater noſter Colocenſis (3) Archiepiſcopus, ſi tamen, dum conſonent facta relatibus, venerabilis ſit dicendus, ſtipatus nonnullis Epiſcopis, & eccleſiarum Prelatis, ac Baronibus dicti regni, in tantam prorupit audaciam, & temeritatis exceſſum; quin potius ad tantam devenit inſaniam, quod dilectum filium Wenceſlaum natum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Wenceſlai Bohemię Regis illuſtris, in Regem ejuſdem Regni Hungarię de facto, cum de jure non poſſet, coronare pręſumpſit, ingreſſum tuum in ipſum regnum nequaquam expectans, cum eſſes illud cum hujuſmodi Legationis officio e veſtigio intraturus. Nec attendit dictus Archiepiſcopus, quod nunquam ad ſe, vel Prędeceſſores ſuos Colocenſes Archiepiſcopos, Regum Hungarię coronatio de jure, vel de conſuetudine, pertinuerat, nec aliquatenus pertinebat; ſed hujuſmodi Reges ſolent per Strigonienſem (4) Archiepiſcopum, qui eſt pro tempore, coronari, ut non proſequamur ad pręſens quomodo, nec ex ſucceſſione, ſeu jure aliquo quod occurrat, regnum ipſum debebatur Wenceſlao nato prędicto, ſuper quibus, in dubio ſaltem, Nos, vel te, qui gerebas in illis partibus vices noſtras, conſulere debuiſſet. Cum enim inter lepram & lepram variaretur judicium, erat ad nos, qui ſummi Sacerdotis Levitici generis vices gerimus, locumque tenemus, in tam arduis caſibus recurſus habendus; maxime cum magnificus vir Carolus, nepos

Wenceſlaus junior Rex Hungariæ coronatur ab Archiepiſcopo Colocenſi.

Archiepiſcopi Strigonienſis, non vero Colocenſis, eſt, Reges Hungariæ corona redimire.

Carolus Hungariæ Rex inauguratus ab Archiepiſcopo Strigonienſi. Hungariæ Regnum S. Stephanus offert Apoſtolicæ Sedi.

nepos cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (5) Sicilię Regis illuſtris per dilectum filium Strigonienſem electum, & adminiſtratorem auctoritate noſtra in ſpiritualibus & temporalibus Strigonienſis Eccleſię conſtitutum, in ejuſdem regni Hungarię Regem fuiſſet antea coronatus. Ad hęc nolumus te latere, aut in dubium revocari, quod memoratum Hungarię Regnum ſacroſanctę Romanę Eccleſię a Beato Stephano (6) primo Rege (7) Hungarię Chriſtiano, cum omni ejus jure, ac poteſtate devote oblatum fuit, & traditum (8) reverenter: qui etiam ad ipſius regni ſolium noluit auctoritate propria ſublimari, ſciens quod nemo ſibi ſumere debet honorem niſi qui vocatur a Deo: ideo non a quolibet, ſed a Vicario Jeſu Chriſti, & Succeſſore Petri aſſumpſit (9) regium Diadema. Fuerat quidem divinitus revelatum, quod ei primum in gente Hungarica corona debebatur, & regnum, ſicut hęc plenius documenta (10), quę ſervantur in Archiviis memoratę Eccleſię Romanę teſtantur, & ad ipſius Archiepiſcopi potuerunt notitiam perveniſſe. Unde cum ſupradictus Archiepiſcopus culpabilior fuerit in hac parte, eſt amplius puniendus. Nolentes igitur hujuſmodi audaciam in exceſſus, & inſaniam dicti Archiepiſcopi, ſicuti nec debemus, ſub diſſimulatione tranſire, quamvis adeo ſint notorii, quod nulla poſſunt tergiverſatione celari; ut tamen, ſi quam forſan habet, defenſio relinquatur, quę ipſum, etſi non excuſaret a toto, ſaltem excuſaret a tanto, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te, vel per alium, ſeu

Mandatum.

alios, prefatum Archiepiſcopum Colocenſem ſub pena privationis & depoſitionis Archiepiſcopalis oneris, officii, & honoris, quam, ſi ſecus fecerit, ipſum incurrere volumus ipſo facto, ex parte noſtra peremptorie citare procures, ut infra quatuor menſium ſpatium poſt citationem hujuſmodi, ſuſpenſus ab omni beneficio & officio, perſonaliter compareat coram Nobis, ſuam, ſi poterit, innocentiam oſtenſurus, ac pariturus noſtris beneplacitis & mandatis. Ceterum, ſi preſentiam ipſius Archiepiſcopi tute vel commode adiri non poſſe credideris, ad citationem hujuſmodi faciendam, tu in aliquo, vel aliquibus, ipſi Archiepiſcopo, vel Colocenſi civitati vicinis, ſeu alio, vel aliis, loco, vel locis ſolemnibus; de quo, vel quibus expedire videris, ſimiliter per te, vel alium, ſeu alios, ejuſdem citationis edictum publice ac diligenter proponere ſtudeas; ita quod veriſimile ſit, quod citatio ipſa pervenire poſſit ad eum. Quam quidem citationem, ut predicitur, faciendam, ſufficere volumus, atque decernimus, ac ſi fieret coram Archiepiſcopo prelibato. Diem autem hujuſmodi citationis, & propoſitionis, & formam, & quicquid fieri contigerit in premiſſis, Nobis per tuas literas, harum ſeriem continentes, fideliter intimare procures. Datum Laterani XVI Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Diem dicat.*) Conſulendum *Diploma datum XIII Maii MCCCI.* Audiendus etiam *Odericus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCI num. VII*, ubi hæc habet: *Profectus in Hungariam Legatus, cum Regnum ingreſſurus eſſet, Colocenſis Archiepiſcopus Wenceslaum juniorem, Regis Bohemiæ filium corona Hungarica cingere præſumpſit. Quo accepto audaci facinore, Bonifatius Legato provinciam demandavit, ut iacuſſo amittendæ dignitatis terrore, Sedi Apoſtolicæ illum ſe ſiſtere juberet, ut objecta ſibi crimina dilueret. Hæc vero ipſi maxime impoſita ſunt, inungendi Regis munus ſibi non debitum invaſiſſe: illum diademate ornaſſe, qui nulla ſucceſſionis jura obtineret: ſi quid dubii in eligendo Rege viſum eſſet, Sedem Apoſtolicam conſulendam fuiſſe: rem tentaſſe, cum jam Carolus Siculi Regis nepos a Strigonienſi electo ſacro oleo in Regem fuiſſet delibutus: jura Sedis Apoſtolicæ, ad quam Hungaria ex Stephani primi Regis conceſſione jure ſtipendiario pertineret, infregiſſe.*

2. *Oderico.*) Ex *Epiſtola LXXVIII Libri VII Bonifatii VIII.*

3. *Colocenſis.*) Vulgo *Colocz.* Sedet ad *Danubium*, infra *Uriam* inſulam.

4. *Strigonienſem.*) Ab incolis *Gran*, ab Italis *Strigonia* vulgo nuncupatur. Sita eſt ad *Danubium* fluvium, ubi *Granum* recipit.

5. *Caroli.*) *II.*

6. *Stephano.*) *Sancto*, cujus feſtum celebramus die II Septembris.

7. *Primo Rege.*) Nullus enim ex Regibus, quos ante *Stephanum* Hungaris imperaſſe, ferunt, puræ Religioni nomen dederat, & *Geiſa* pater *Stephani*, non Regis, ſed Ducis titulo duntaxat inſignitus erat.

8. *Traditum.*) Id ex variis Epiſtolis *Sancti Gregorii VII* probat *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. M num. III.*

9. *Aſſumpſit.*) Rem fuſius narrat *Spondanus* loco laudato, *num. II, & III.*

10. *Documenta.*) Quibus exploditur opinio nonnullorum, qui *S. Stephanum* non a *Silveſtro II* Summo Pontifice, ſed ab *Henrico* Regem conſtitutum fuiſſe, cenſent.

Anno 1302 Die 22 Januarii.

Magiſtro Generali, & Provinciali Lombardiæ, ut in Civitatibus & Diœceſibus Patavin., ac Vicentin. fidei cenſores conſtituant (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis... Magiſtro, &.... Priori in Provincia Lombardię Ordinis Fratrum Predicatorum, ſalutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a paſtorali ſollicitudine.

AB exordio naſcentis Eccleſię paſtores vigilare ceperunt contra pſeudo-Diſcipulos, qui non intrantes in dominicum Ovile per oſtium, aliunde conſcendunt, & vineam Domini Sabaoth, Catholicam videlicet Eccleſiam, diffuſam per Orbem, quaſi vulpeculę, demoliri conantur: quorum paſtorum exemplo laudabili fel. rec. Predeceſſores noſtri Romani Pontifices, qui fuerunt pro tempore, ſe murum pro domo Domini opponentes, ardore chriſtianę fidei, & religionis accenſi, circumſpecta vigilantia ſtuduerunt ordinare per diverſa mundi climata Inquiſitores contra tales pravitate heretica maculatos, eorumque fautores diverſarum Sectarum, ad inſtar vulpium caudas habentium colligatas: Eiſdem Inquiſitoribus auctoritate conceſſa per penas canonicas, & civiles, ſub certa forma, certiſque limitibus procedendi; quorum Predeceſſorum veſtigia, libenter affectibus ferventibus imitamur. Sane ad audientiam noſtram gravi dudum, & clamoſa inſinuatione deducto, quod nonnulli de Ordine Fratrum Minorum Inquiſitores heretice pravitatis in Provincia S. Antonii auctoritate Sedis Apoſtolicę deputati qui fuerunt pro tempore..... Sicque nos ex his, nec immerito, commoti graviter, & turbati, volentes inde ſcire plenius veritatem, ut poſſemus in talibus opportunum remedium, ſaltem in poſterum adhibere, venerabilem Fratrem noſtrum G.... Epiſcopum Xantonen. (3), de quo digne poteramus in hac parte confidere, ad partes illas duximus propterea deſtinandum, ut ſuper his diligenter inquireret, &

alia

alia faceret, quę circa hęc, & ea contingentia ſibi duximus committenda, Nobis quod inveoiret, fideliter relaturus. Qui juxta mandatum noſtrum illuc ſe perſonaliter conferens, in exequendis ſibi commiſſis prudenter, & diſcrete proceſſit. Ex cujus fide digna relatione comperimus, Inquiſitores prędictos in pręmiſſis graviter deliquiſſe, & nonnulla ex his ſuper quibus apud Nos inſurrexerat clamor, & delatio contra eos, veritate fulciri. Nequeuntes igitur, ſicuti nec debemus, hujuſmodi prędictorum Inquiſitorum exceſſus conniventibus oculis ſana conſcientia pręterire: ac propterea intendentes tranſgreſſioni talium obviare, & in his apponere opportunum remedium in futurum: eadem auctoritate duximus per alias noſtras literas (4) ſtatuendum ut uſque ad dictę Sedis beneplacitum per ipſius Sedis literas apparens, facientes plenam, & expreſſam de pręſentibus mentionem, per perſonas dicti Ordinis Fratrum Minorum Inquiſitionis contra pravitatem eandem non exerceatur officium in Paduan., & Vicentin. Civitatibus & Dięceſibus ſupradictis, ſed illud volumus per Fratres veſtri Ordinis, Auctoritate Sedis deputandos ejuſdem, uſque ad hujuſmodi beneplacitum exerceri; & decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſcienter, vel ignoranter fieri contingeret, & nullius exiſtere firmitatis. Ideoque (5) diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta Mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, de cetero, dum beneplacitum hujuſmodi perdurabit, per Fratres prędicti veſtri Ordinis, unum, vel plures, ſicut expedire videritis, quos ad id auctoritate noſtra, juxta modum per Sedem eandem dudum in talibus ordinatum, deputare curetis, pręfatum Inquiſitionis officium contra hęreticam pravitatem faciatis diligenter, & fideliter in eiſdem Paduan. & Vicentin. Civitatibus, & Dięceſibus exercere. Sic vos in his prudenter & ſolicite habituri, quod pręter Divinę retributionis pręmium, noſtram, & pręfatę Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi valeatis. Datum Laterani XI Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandatum.

1. *Conſtituant.*) De his in *Diſſertatione I Tomo ultimo.*
2. *Archive.*) In quo Exemplar Authenticum, ex Autographo, quod aſſervatur in Cœnobio *Patavino*. Aliud exemplar authenticum habetur *Faventiæ*.
3. *Xantonen.*) Seu *Santonen.*, vulgo *Saintes*, in *Gallia Aquitanica*, ad *Carentonum* fluvium.
4. *Literas.*) Quarum Autographum aſſervatur in Cœnobio noſtro *Patavino*. Paucis exceptis ejuſdem tenoris eſt ac præſens Diploma.
5. *Ideoque.*) Quæ ſequuntur ex Authentico *Faventino* reſtituta ſunt.

Wenceslao Bohemiæ Regi, ne Poloniæ Regnum ambiat, & Wenceslaus junior jus quo contendit ad Hungariæ Regnum proponat (1).

Anno 1302 Die 10 Junii.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCII num. XX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio W... (3) Regi Bohemię illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXV.

Dilectum filium magiſtrum Ulricum de Pabenia Doctorem Decretorum, Canonicum Pragenſem Nuncium tuum, & literas regias, quas ipſe nobis ex parte tua detulit, paterna benignitate recepimus, & ipſarum literarum tenore diligenter inſpecto, & auditis iis, quę dictus Nuncius coram nobis expoſuit viva voce, ex eis in ſumma percepimus, quod ad hoc tua tendebat intentio, tuaque id petitio poſtulabat, ut tui nati (4) negotium, quem in Regem Hungarię concorditer & canonice proponis electum, & te, ac tuos, & ſuos in hac parte ſequaces in benevolentiam noſtram reciperemus, & gratiam; ac tibi, & ipſis adjutores, directores, favorabiles, & benignos Nos in ipſo negotio redderemus. Sane, fili cariſſime, ſicut alias tibi per literas (5) noſtras ſcripſiſſe meminimus, Regnum Hungarię, tam nobile hactenus, tam pręclarum, in ſpiritualibus & temporalibus, modernis temporibus, heu multipliciter collapſum agnoſcitur, & quaſi datum in prędam, per Cumanorum, Tartarorum, Schiſmaticorum, & Paganorum hoſtiles incurſus, ac propter diſſenſiones, & novitates periculoſas noviter attentatas in ipſo, ex quibus diſcriminoſe vaſtatur, fere ad nihilum eſt deductum: ſicque Nos, his non ſine gravi mentis amaricatione recenſitis, deſiderantes, prout nobis ex officii debito Summi Apoſtolatus incumbit, ſuper eis de ſalubri remedio providere, ad procurandam in ipſo regno pacem, quę vinculum caritatis exiſtit; & ad tollenda inde diſſenſiones, & ſcandala, quę miſerabilem deſolationem inducunt, venerabilem fratrem noſtrum Nicolaum Oſtienſem Epiſcopum, Apoſtolicę Sedis Legatum, religione pręclarum, virum magni conſilii, & grande Romanę membrum Eccleſię, cujus pręſentiam nobis non abſque magna incommoditate ſubtraximus, duximus pridem illuc cum plenę legationis officio deſtinandum; teque per ipſum, & literas noſtras hortati fuimus diligenter, ut nonnulla, quę circa pręfatum natum tuum dicebantur minus provide attentata, prudenter corrigeres per te ipſum, & regali providentia emendares; ac tam tu, quam tui, & nati memorati ſequaces acquieſceretis ipſius Legati ſalubribus monitis reverenter, voſque beneplacitis coaptaretis ipſius, qui ad dictum regnum, ut pacis Angelus nunciuſque ſalutis, acceſſit; Significantes tibi, quod ſi qua jura in eodem regno, aliiſque Provinciis, tibi, vel nato memorato competerent, ea proſequeremini coram Nobis, illa diſponebamus illibata ſervare, nec minuere, ſed augere. Licet autem Legatus ipſe multos propterea non ſolum mentales, ſed etiam corporales ſubierit ſolicitudines, & labores, qui apud Deum erunt meritorii, & glorioſi fructus eorum; non tamen, ut ſperabamus, quietis, & pacis effectum per viam compoſitionis, vel concordię amicabilis, labores, & ſolicitudines hujuſmodi habuerunt; nec alias etiam regni prędicti ſtatus, ad quietis commoda eſt reductus: quinimmo guerrarum turbines in Regno ipſo, proh dolor! invaleſcunt. Attendentes igitur, quod thronus apoſtolici culminis conſtitutus eſt a Domino ſuper Reges & regna, ut ęquitatis virga unicuique tribuat, prava dirigat in directa, & morbis, qui fomentorum non recipiunt medicinam, aſperius medicamen apponat; ſuper petitione tua prędicta, deliberatione pręhabita diligenti, eidem Nuncio in pręſentia fratrum noſtrorum viva voce reſpondimus, tibique pręſentibus reſpondemus, quod

Ulricus de Pabenia Bohemiæ Regis Orator ad S. Sedem miſſus.

Hungarię Regni ſtrages.

F. Nicolaus, Cardinalis, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Legatus in Hungariam.

Quonam jure Regnum Hungariæ ambiat, Wenceslaus dicat.

qnod perſonam tuam paterna, & ſpeciali ſumus benevolentia proſecuti, & proponimus tam tua, quam nati prędicti, jura conſervare ubilibet, ac tibi, & ei ſine juris alieni pręjudicio plenitudinem debitl favoris impendere, dum tu, & natus ipſe, filialis devotionis affectibus, & gratis ae laudabllibus operibus vos noſtris, & Apoſtolicę Sedis, beneplacitis coaptetis. Verum cum longo jam tempore dilata ſit reformatio dicti regni deformati taliter & collapſi; & a tempore obitus clarę memorię Watislai (6) Regis Hungarię: ac deinde dum Andreas (7) in eodem regno ſe pro Rege gerebat (8), cariſſima in Chriſto filia noſtra Maria (9) Regina Sicilię Illuſtris ad ſe, ac dilectum filium nobilem virum Carolum (10) nepotem ejus (11), prętatum regnum aſſeruerit, & adhuc aſſerat, pertinere de jure: hujuſmodi petitionem tuam propoſitam, ut prętertur, abſque juris injuria, & alieno pręjudicio, ad gratiam exauditionis admittere non valemus: ſed iis qui in regno pręfato jus ſe proponunt habere, nos ad reddendam juſtitiam convertentes, per alias literas noſtras te, ac Reginam, nepotem ipſius, ac filium tuum prędictos, veſtrumque ſequaces, & alios qui ſua crediderint intereſſe, de quibus expedire viderimus, per peremptorię citationis edictum, proponimus ad noſtram facere pręſentiam evocari, ut cum omnibus juribus, actis, & munimentis, hujuſmodi negotium contingentibus, compareatis legitime coram Nobis, recepturi juſtitię complementum, & facturi quę pro bono ſtatu dicti Regni duxerimus ordinanda (12). Ad hęc ignorare te

Uſurpatum Poloniæ Regis titulum Wenceſlaus abiiciat.

nolumus, quod cum in prędictis tuis literis te Regem non ſolum Bohemię, ſed etiam Polonię duxeris deſcribendum, cauſa nobis exinde magnę turbationis advenit, dum auctoritate propria, quinimmo temeritate non modica, non vocatus a Domino tanquam Aaron, ſed Apoſtolica Sede Matre omnium, & Magiſtra contempta, ad quam Provincię Polonię pertinere noſcuntur, regium in ipſa Polonia nomen uſurpas (13), te Regem Polonię nominando, in quę autem crimina aſſumptio falſa regię dignitatis, immo & ſimplicis Magiſtratus, ac ſeditio, & commiſſio violentię cum armis, incidant, quibus ſubiiciendi ſint pęnis talium patratores, non eſt opus exprimere, quia id nota, & vetuſtiſſima decreta ſanxerunt. Ne igitur in te tantę temeritatis audaciam in tuę ſalutis diſpendium, pręfatę Sedis injuriam, & pluriorum ſcandalum abſque dubitatione pręſumpta diſſimulare quodammodo videamur; magnificentię tuę per Apoſtolica ſcripta ſub ſpiritualibus pęnis, quas ſi contrarium feceris, tibi volemus inferre, diſtrictius prohibemus, ne te ulterius Regem Polonię nomines, ſigillum regium ſub intitulatione Polonię regni aſſumas, vel utaris aſſumpto; neque privilegia, immunitates, feuda, donationes, bona, & jura quęcumque in ipſa Polonia, vel aliqua ejus parte concedas, aut tanquam Rex Polonię quicquam agas. Nos enim tibi paratos offerimus ad manutenendum, & conſervandum jura, ſi qua in ipſa Polonia (14) oſtenderis tibi competere legitime coram Nobis. Datum Anagnię IV Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Proponat.*) *Ardebat eodem tempore bellis civilibus Hungaria*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCII num. XIX, *& Chriſtianorum diſcordiis evertebatur, quæ infidelium excurſionibus attrita vix e tot cladibus aſſurgere potuerat, dum Wenceslaus junior Regis Bohemiæ filius electionis, Carolus vero ſucceſſionis jure freti, miſerum Regnum inter ſe ferro, flammaque partirentur. Cui malo creſcenti, confirmantique ſeſe in dies remedium adhibiturus Pontifex, miſerat jam ante Legatum Cardinalem, cujus geſta hoc anno deſcribit his verbis Auſtralis Hiſtoriæ Auctor*: Cardinalis dictus Nicolaus Oſtienſis a Latere Domini Apoſtolici Bonifacii miſſus ad prædictos Reges concordandos, honorifice Auſtriam tranſiens, Hungariam intrat, & omnes Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Prælatos ejuſdem Regni auctoritate Apoſtolica convocat, & de pace Regni conſilio eorundem, in quantum poteſt, cogitat, & pertractat. Sed in hujuſmodi negotio nihil proficiens Hungaria exit, Viennamque in partibus Auſtriæ eſt reverſus, ubi Nuncios ſolemnes dirigit ad prædictum Dominum Papam Bonifatium, ſui negotii tractatus per ordinem deferentes. *At Pontifex & muneris Apoſtolici, & ſupremi in Hungariam Dominii cauſa, controverſiam æquitate dirimere decrevit, atque ad Bohemiæ Regem ſcripſit, ut ſi quæ jura in Pannoniam contenderet, non illa ferro perſequeretur, ſed in Romana aula diſceptaret. Cumque idem Rex ſibi Regis Poloniæ titulum arrogaſſet, graviter ipſum arguit, juſſitque abiicere.*

2. *Odorico.*) Ex *Epiſtola XXVII Libri VIII Bonifatii VIII.*

3. *W....*) *Wenceslao.*

4. *Nati.*) *Wenceslai* nempe junioris.

5. *Literas.*) Superius exſcriptas *XVII Octobris MCCCI.*

6. *Watislai.*) *Ladislai*, ut optime monet *Odoricus*, ſeu *Wladislai*, ut *Poloni* pronunciant. Regnavit *Ladislaus* ab anno MCCLXXII ad MCCXC.

7. *Andreas.*) Hujus nominis *III*; *Venetus* dictus, quod *Venetiis* natus & educatus fuit, inquit *Ferrarius de Rebus Hungar. Provincia Parte II Lib. II Cap. XXXVI pag. 388.*

8. *Gerebat:*) Quia mortuo *Ladislao*, jure ſucceſſionis ad *Mariam Stephani* filiam, *Ladislai* ſororem, *Caroli II* Regis *Siciliæ* uxorem, Regnum *Hungariæ* pertinebat.

9. *Maria.*) De qua dictum eſt in præcedenti nota.

10. *Carolum.*) Hujus nominis *II* Regem *Hungariæ*, ab Hungaris *Carobertus*, ſeu *Carolus Robertus* vocatur. Succeſſit *Carolo Martello* Primogenito *Mariæ*, quæ decem filios, & filias quinque pepererat ex *Carolo II* Rege *Siciliæ*; *Carolum* ſcilicet *Martellum* Regem Hungariæ, *S. Ludovicum* Epiſcopum Toloſanum, *Robertum* Regem Siciliæ, *Philippum* Principem Tarentinum, *Raymundum Berengarium* Comitem Provinciæ, *Johannem*, *Triſtanum*, *Johannem* Ducem Duracenſem, *Ludovicum* Ducem Duracenſem, & *Petrum* Comitem Gravinæ.

11. *Nepotem ejus.*) Ejus, id eſt *Mariæ*, cujus filius fuit *Carolus Martellus*, ut mox dictum fuit hujus nominis Primus *Hungariæ* Rex.

12. *Ordinanda.*) *Extant de his ad Legatum Cardinalem Literæ*, inquit *Odoricus* num. XXI, *quibus data imperia de accerſendis judicio apud ſubſellia Apoſtolica Sceptri Hungarici æmulis. Functum ſuis partibus Legatum, ac Regibus Wenceſlao & Carolo, edicto propoſito, diem indixiſſe tradit Auſtralis Hiſtoria. Ut vero anno inſequenti lata ſit a Bonifatio ſententia ad Caroli gratiam, ac jura hæreditaria electionis juribus potiora pronunciata fuerint proximo anno dicetur.* Deſiderantur hæ Literæ.

13. *Uſurpas.*) Enim vero in pœnam necis *S. Stanislai* Martyris Regia dignitate *Poloni* ſpoliati erant ab anno MLXXIX, ut notant *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCX num. IV*, & *Bzovius ad an. MCCCXX num. XVII*. Regium nomen ipſis reſtituit *Johannes XXII*, ut apud *Bzovium* mox laudatum videre eſt.

14. *Polonia.*) Vertebatur ea de Regno *Polonico* controverſia *Wenceslaum* inter & *Wladislaum Loktekum*. Conſulendus *Odoricus ad annum MCCCII num. XXIV.*

De

De legatis, teſtamento Fratribus Ord. Prædicatorum & Minorum relictis ab iis, qui ſepulturam non eligunt apud Fratres illos, nihil ex Conſtitutione, quæ incipit : *Super Cathedram* : ſancitum fuiſſe, declarat (1).

Anno 1303 Die 16 Januarii.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

VIVÆ VOCIS ORACULUM BONIFATII VIII.

XXXVI.

Matthęus, miſeratione divina S. Marię in Porticu Diaconus Cardinalis, univerſis pręſentes literas inſpecturis, Salutem in Domino.

TEnore vobis pręſentium nunciamus, quod Sanctiſſimus Pater, & Dominus Noſter Dominus Bonifatius, Divina providentia Summus Pontifex, hodie, pręſentibus fratribus ſuis, in Conſiſtorio declaravit, quod Conſtitutio facta per ipſum, quę incipit : Super Cathedram : non habet locum, nec vult, quod extendatur, ad legata & relicta, Fratribus Prędicatoribus, & Minoribus facta, quando legantes, vel dimittentes in eorum loco non eligunt Sepulturam, in cujus declarationis teſtimonium, pręſentes literas fecimus ſigilli noſtri munimine roborari. Dat. Lateran. XVII Kal. Februarii Anno Domini MCCCIII, Pontificatus Pręfati Domini Bonifatii PP. VIII Anno Octavo. — Declaratio.

1. *Declarat.*) Videas *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum.

Indulgentiam (1) Ædes ſacras S. Mariæ de Portiuncula viſitantibus conceſſam, elargitur iis, qui Annunciationis die viſitaverint Eccleſiam S. Mariæ ad Gradus Viterbien.

Anno 1303 Die 16 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CUpientes (3) igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum S. Marię Virginis ad Gradus Viterbien. congruis frequentetur honoribus, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei Miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus Auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas Feſtivitatis Annunciationis ejuſdem Beatę Marię, prędictam Eccleſiam, devote viſitaverint, annuatim illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marię de Portiuncula, alias de Angelis, extra muros Aſſiſinaten. primo, & ſecundo diebus Auguſti, annuatim quomodolibet conſequuntur. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam Domus ejuſdem, vel ad ejus fabricam manus porrigentibus adjutrices, ſeu aliqua alia inibi Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus, nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum XVII Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono. — Indulgentia.

1. *Indulgentiam.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Diplomata *Sixti V*, qui hocce Diploma renovâvit, & confirmavit.
3. *Cupientes.*) Exordium deſideratur.

Narrat ea quæ F. Nicolaus, Ordinis Prædicatorum, S. Sedis Apoſtolicæ Legatus geſſit in Hungaria, & Mariam Reginam, ac Carolum Regem Hungariæ conſtituit (1).

Anno 1303 Die 31 Maii.

Ex Odorico (2) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCIII num. XVII.*

XXXVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

SPectator omnium, cunctorum pręſcius Rex ęternus civitatem Jeruſalem ruituram pręvidens, flevit compaſſibiliter ſuper illam. Nunquid igitur & Nos, ejus officium Vicarię poteſtatis habentes, fletus arcere poſſumus, mitigare punctionis aculeos, gemitus cohibere, videntes acerbe Regni Hungarię collapſi per plurium diſſidia gravia inculcata frequentius, diminutionis incommoda, & ruinam totaliter imminentem? Illud utique violenti diripiunt, & apprehenderunt jam inter anguſtias perſequentes : gemunt Sacerdotes ipſius, luget populus confuſionis involutione perplexus, parvuli ejus captivi ſunt ducti ante faciem tribulantis : ſilet ibi belli diſſidio coacta juſtitia : corrupti ſunt mores hominum, eradicatis virtutibus, vitiis propagatis : Zelus chriſtianę fidei tepuit, immo jam friguit : & divini cultus obſervanda religio dormitavit : & dum inibi de regnandi jure contenditur, promiſcuis actibus ſurſum deorſum miſcentur confuſe ſingula, & in aperto caduco ruit populus, cum certus non appareat gubernator. Dolendum in iis pariter & lugendum, illa maxime ratio pię conſiderationis inducit, quod regnum ipſum, retrorſum rediens, Reges lactavit hactenus Reginaſque Catholicos, & in eminentiam cęleſtis exercitus mira vigente ſanctitate produxit : Literatos utique viros aluit, intelligentes & providos, ſcientię claritate conſpicuos, & eloquentię facun- — Exordium. Strages Hungariæ flens deſcribit.

facunditate diſertos. In quorum vices ſucceſſere proh dolor! diſſidentes & ſtolidi, modicę devotionis & fidei, abiicientes jugum diſciplinę laudabilis, & debacchantes improbe ſine fręni conſtrictione pro libito vaſtatores. Nunquid igitur ſuper iſtis noſtra conſilia inhumane deficient, opportuna remedia, eclipſante caritatis fomite, & omiſſa lima juſtitię, delitefcent? Neceſſe quidem adeſſe conſpicimus, ut ruinas hujuſmodi paſtoralis cura noſtrę proviſionis impleat, collapſa reparet, juſta confovear, vaſtata reſtauret, & paterna benignitas apta pręſidia pro ipſorum congrua reparatione producat, ſedando pręcipue, quantum nobis ex alto permittitur, contentionis prefatę de jure regnandi turbinem, & de regno ipſo auferendo pro viribus omnem per noſtrę reparationis ſuffragium tempeſtatem. Sane diebus non longe pręteritis cariſſimus in Chriſto filius noſter Wenceſlaus (3) Bohemię Rex illuſtris per ejus Nuncium, & expreſſas literas Nobis ſupplicavit attente, ut negotium dilecti filii nobilis viri Wenceſlai ejuſdem Regis filii, quem in Regem Hungarię concorditer, & canonice proponebat electum, & eundem Regem Bohemię, ac tam ſuos, quam ejuſdem filii in hac parte ſequaces in benevolentiam noſtram reciperemus, & gratiam, ac nos eis adjutores & directores benignos & favorabiles in ipſo negotio redderemus. Super cujus ſupplicationis inſtantia pia & rationabili meditatione penſantes, quod prefatum regnum Hungarię tam nobile hactenus, tam pręclarum, in ſpiritualibus & temporalibus per colliſiones varias, ſicut pretangitur, eſt collapſum, quodque cariſſima in Chriſto filia noſtra Maria (4) Regina Sicilię in eodem Regno Hungarię tanquam heres proximior habere ſe jus aſſerebat, & aſſerit; & dilectus filius nobilis vir Carolus (5), nepos ejus, regnum ipſum in parte non modica ex perſona jam dictę ſuę paternę avię poſſidebat, & poſſidet. De quo etiam in Strigonienſi Eccleſia juxta ritum antiquum Hungarię per perſonam idoneam regale ſuſceperat diadema; ut tolleremus invicem peccandi materiam & concertandi diſcrimen, exhiberemus juſtitię debitum, ac viam reformationis dicti regni accommodam ſumeremus inter contendentes eoſdem; tractatum pacis & compoſitionis amabilis, more patrio, ſimiliter aſſumere cupientes, memoratos Reges Bohemię, ipſius filium, & ſępedictum Carolum, eorumque ſequaces, & alios, qui ſua crederent intereſſe, per venerabilem fratrem noſtrum Nicolaum Oſtienſem Epiſcopum, tunc prefati regni Hungarię Legatum, peremptorie citari mandavimus, ut infra determinati, & convenientis temporis ſpatium, in ipſa citatione prefixum, cum omnibus juribus, actis, & munimentis ſuis, contingentibus memoratum negotium, coram nobis legitime comparere deberent, ſuper iis complementum recepturi juſtitię, ac facturi quę pro dicti regni ſtatu proſpero per Nos eſſent provide ordinanda. Eodem vero Legato prędictos Regem, & filium, ac Carolum citante legitime, ſicut per ipſius certas literas, & verbum (6) poſtea nobis evidenter innotuit, ac adveniente peremptorio termino, in ipſa citatione ſtatuto; prefata Regina Sicilię, intimato jam ſibi ex noſtra parte per alium, quod ipſa etiam, ſi ſua intereſſe putabat, in memorato termino compareret, & jam dictus Carolus per Procuratores idoneos ſufficienter inſtructos, tanquam devotionis & reverentię filii comparuerunt cum debita obedientia coram nobis, venerabilibus Fratribus noſtris, N.... Archiepiſcopo Colocenſi (7), M.... Zangabrienſi (8), T.... Jeurienſi (9), & B.... Veſprien. (10) Epiſcopis, ac dilectis filiis nonnullis Archidiaconis & Prępoſitis de ipſo regno Hungarię, ex citationis prefatę vigore comparentibus ſimiliter cum eiſdem. Jam dicti vero Bohemię Rex, & natus non comparuerunt per ſe, vel per alium in termino prefinito, nec poſtea; ſed ſub cujuſdam palliationis aſtutia excuſatores miſerunt ad noſtram preſentiam dilectos filios Unrior. Doctorem Decretorum, Johannem Cantorem Eccleſię de Veteri Buda (11) Clericos, ac Johannem Romanum juriſperitum laicum, excuſantes eoſdem, quod procuratores ad nos non miſerant ſufficienter inſtructos, cauſas circa hoc minus rationabiles, immo inanes & frivolas, pretendentes. Et in pluribus Conſiſtoriis per Nos ab ipſis ſerioſe petito, ſi alias cauſas rationabilis excuſationis haberent, vel ampliori forent poteſtate fulfulti, in excuſatione culpę contumaciam geminantes, dixerunt improbe, quod prefatus Rex Bohemię nullo unquam intendebat tempore de ipſo Regno Hungarię litigare: Procuratoribus ipſis, & Nunciis eorundem Reginę Sicilię ac Nepotis inſtantibus, ut ob contumaciam ipſorum Bohemię Regis & filii ad declarationem, & determinationem juris Reginę ac nepoti competentis eiſdem, procedere deberemus. Nos vero, habita ſuper iis cum Fratribus noſtris examinatione ſolemni, profunda maxime meditatione penſantes ſtatum prefati Regni Hungarię miſerabilem, & depreſſum, flebili quidem compaſſione condignum, quod revera ex pretacta maxime contentione regnandi in pejus continue labitur; quia dum utrinque contenditur involuto diſſidio, animarum & corporum pericula prodeunt, & ipſius cives & incolę in illo regnantibus cum debita obedientia non intendunt; quodque, ſicut factum notorium permanens evidenter oſtendit, &, licet non in figura judicii, nobis eſt notum, prędicta Regina Sicilię, ſicut primogenitur ę jus obtinens clarę memorię Stephani (12) Regis Hungarię patris ſui, in eodem regno propinquior eſt ſucceſſor & heres quondam Latiſlao (13) Regi Hungarię fratri ſuo ex utroque parente, per quod opitulatur eidem communis juris preſumptio, quę tali caſu probandi onus in adverſarium juſte transfert; quia etiam quondam Carolus (14) ipſius Reginę primogenitus, dicti Caroli (15) genitor, habitus eſt quaſi communiter, & pręcipue per Romanam Eccleſiam pro Hungarię Rege, dum vixit, nec ex parte dictorum Bohemię Regis & filii de jure competente ipſis in Hungarię regno prędicto allegatum eſt aliquid, vel aſſertum, niſi ſola electio, quę de ipſo filio Regis facta proponitur, quę procuidubio diverſis ex cauſis, prout rationum prima facies indicat, minus legitima, immo prorſus inutilis eſſe videtur; eo maxime quod, ſicut ſcripti Canonis ſeries aperit, regnum ipſum Hungarię ſucceſſionis jure provenit, electionis arbitrio non defertur; rationibus premiſſis, & cauſis, aliiſque motivis pluribus, quę religionem debent judicantis inſtruere, in trutina rectę deliberationis appenſis, expedientia commixta licentię (16), ac benigna humanitate ſervata; de plenitudine poteſtatis in apertam contumaciam eorundem Bohemię Regis, & filii, in preſentia Prelatorum plurium, Capellanorum, familiarium noſtrorum, & aliorum in Conſiſtorio vocatorum, preſentibus eorundem Bohemię Regis filii Nunciis ac excuſatoribus ſupra ſcriptis, de Fratrum noſtrorum conſilio decernimus, diffinimus, declaramus, & volumus, quod prędicta Maria in toto ipſo regno Hungarię & pertinentiis ſuis omnibus, ac ubique terrarum Regina Hungarię, & dictus Carolus nepos Rex nuncupentur apertis labiis, ſcriptionibuſque vulgatis, & in documentis publicis titulentur; quodque Prelati, Clerici, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, aut conditionis fue-

Wenceſlaus junior Hungariæ Rex electus.

Carolus hæres Hungarici Regni.

Wenceſlaus & Carolus a F. Nicolao vocantur in judicium.

Maria, & Carolus obeunt vadimonium.

Effugia utriuſque Wenceſlai.

Lis diligenter cognoſcitur.

Hungariæ Rex naſcitur, non eligitur.

Maria Regina, & Carolus rex Hungariæ renunciantur.

fuerint, & Religioſi alii cujuſcunque ſint Ordinis; necnon Comites, ſive Banri (17), Barones, milites (18), cives, incolę cujuſcunque ſtatus, pręeminentię, dignitatis, aut conditionis exiſtant jam dicti Regni Hungarię, omnium jurium, & pertinentiarum ejus, ac aliarum regionum annexarum ſibi, etiamſi regnorum titulum habeant, dictis Reginę Hungarię, & Regi nepoti, tanquam ejuſdem Regni Hungarię Reginę & Regi legitimis parere, & intendere; ac de fructibus, redditibus, ſervitiis, juribus, & obventionibus aliis conſuetis, & Regi Hungarię debitis, devote reſpondere procurent: Pręlatis, Clericis, & Religioſis, Comitibus, ſive Banris, Baronibus, militibus, civibus, incoliſque pręſcriptis ſub pęna excommunicationis injungentes expreſſe, quam eo ipſo, ſi fecerint ſecus, incurrant, ut iiſdem Reginę ac Regi Hungarię circa recuperationem, defenſionem, & conſervationem Regni prędicti auxiliis, conſiliis, & favoribus opportunis aſſiſtant. Et quia in prędictis eoſdem efficaciter, obedienter, & placide ſic agere cupimus, ut a contrariis prorſus abſtineant, & deſiſtant; Pręlatis, Clericis, & Religioſis, Comitibus, ſive Barnis (19), Baronibus, militibus, civibus, incoliſque prędictis ſub ſimili pęna excommunicationis, & eodem modo pręcipimus, ne memoratos Regem Bohemię, vel ejus filium Regem Hungarię nominare, vel titulare aliqua nominatione, vel deſcriptione pręſumant; neve ipſis, aut miniſtris eorum, de fructibus, redditibus, proventibus, ac juribus aliis dicti regni, & pręfatorum ſibi adjacentium reſpondeant quoquo modo, vel aliis circa occupationem, invaſionem, detentionem, ſeu uſurpationem memorati Regni Hungarię, & pręmiſſorum, quę annexa ſunt ſibi, occulte, vel publice, conſilium, vel auxilium afferant, vel alicujus pręſidium favoris impendant. Nos enim Pręlatos, Clericos, & Religioſos, Comites, ſive Barnos, Barones, milites, cives, & incolas memoratos ab omnibus homagiis, ſacramentis fidelitatis, colligationis, aut conjurationis, quę pręlibatis Regi Bohemię, filio, aut miniſtris eorum prędicti erunt, aut cum ipſis in pręjudicium dictorum Reginę & Regis Hungarię aliquatenus inierunt; etiam ſi ea fuerint juramentorum, perſonarum adjectione, vel quovis alio vinculo roborata, quę viribus vacua & nulla fore cenſemus, & carere decernimus omni robore firmitatis, abſolvimus, & ad eorum obſervationem quomodocunque, aut quantumcunque ſe aſtrinxerint pro obſervandis eiſdem, ipſos decernimus non teneri. Ceterum ut quę gravitati Sedis Apoſtolicę congruunt cum debita maturitate ſervemus, nec excludamus a noſtris proceſſibus amicam in throno ſedentibus ęquitatem; Regi Bohemię, filioque prędictis peremptorium terminum quatuor menſium, a die datę prętentium numerandum in antea, & peremptorie, pręfinimus, infra cujus temporis ſpatium ipſi per ſe, vel alios, aut alium, ſi qua jura de proprietate dicti Regni Hungarię habere ſe credunt, nobis & Apoſtolicę Sedi reverenter oſtendant, illaque gerant & proſequantur, ut expedit, ordine debito, & rationabile fuerit, ſicut ipſis melius videbitur expedire, ſuper poſſeſſorio tamen cujuſcunque ſpeciei, vel generis, pro dicto regno Hungarię memorato Regi Bohemię, vel filio competente, propter eorum contumaciam ſic contractam perpetuum ſilentium eis duximus imponendum: ultra pręmiſſi vero temporis ſpatium quadrimeſtre, ne in poteſtate ſit dictorum Bohemię Regis & filii inquietare pro libito, ac moleſtare frequenter, & ut vitandi ſcandali occaſionem tollamus, & cauſam; ex nunc, prout ex tunc in jure, ac proprietate, competentibus ipſis forſitan in regno prędicto, juriſdictionis noſtrę & Apoſtolicę Sedis denegamus immutabili edictione pręſidium, & eis in tribunali quocunque tam de juſtitię fomite, quam de ipſius poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium imponimus de fratrum conſilio prędictorum. Ita quidem, quod prędicta termini pręfinitio, juriſdictionis denegatio, impoſitio ſilentii, ex nunc, elapſo jam dicto quadrimeſtri ſpatio, perinde vigorem habeant, & effectum, ac ſi in ejuſdem Bohemię Regis, & filii notitiam per formam citationis ſolitę perveniſſent, cum magiſtratus alii, etiam non majores, de juris licentia per edicta in ſcriptis publice, vel in ędes propoſita citare valeant; nec ſit veriſimile, vel pręſumptum, ut pręmiſſa in notitiam & conſcientiam dictorum Bohemię Regis & filii debito tempore devenire non valeant, quę in pręſentia ipſius Conſiſtorii, prędictorum Pręlatorum, aliorumque plurium, & eorundem Nunciorum, ac excuſatorum maxime, ſunt tam vulgare, tamque ſolenniter publicata, de reformatione prędicti regni collapſi diſponere cum ipſorum fratrum conſilio, prout tempora ſe apta prębuerint, pręmiſſis conſiliis opportuniſque remediis, auctore Domino, ſolicite proponentes, ut in ipſo, gratia diſponente ſuperna, tranquilla tempora redeant, inquieta recedant; ſicque ipſius regni ſtatus reformetur in proſperum, quod lęta pax & amęnitas in locum tam gravium adveniat ſcandalorum. Nulli ergo &c. Datum Anagnię II Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Conſtitutum quadrimeſtre Wenceslao, ut jus proponat, ſi quod obtinet in Hungariam.

1. *Conſtituit.*) Adeas *Odoricum Raynaldum ad an. MCCCIII num. XVI*. Conſulas etiam Diplomata hac de re ſuperius exſcripta.

2. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam XXXIII Libri IX Bonifatii VIII.*

3. *Wenceslaus.*) Cui inſcribitur *Diploma datum X Junii MCCCII.*

4. *Maria.*) Vide *Notam VIII* ad *Conſtitutionem* mox laudatam.

5. *Carolus.*) *Carolus Robertus*, de quo in *Nota X* ad idem Diploma mox laudatum.

6. *Verbum.*) Frater ergo *Nicolaus* redux erat ex *Hungaria*.

7. *Colocenſi.*) Cujus Epiſtolam *Bonifatio VIII* datam tranſcripſit *Odoricus ad an. MCCCIII num. XXII.*

8. *M... Zangabrienſi.*) *Michaeli Zagabrienſi*, ut ex *Epiſtola* mox laudata videre eſt.

9. *Jeurienſi.*) *Jaurinenſi*, & *Javarinenſi*, a Germanis *Gevver*, ab Italis *Giavarin*. Urbs eſt Epiſcopalis in *Hungaria* ſub Archiepiſcopo *Strigonienſi*.

10. *Veſpricn.*) *Veſprinien.*, vulgo *Veſprin.*, in *Hungaria*.

11. *De veteri Buda.*) In *Pannonia inferiori* ad *Danubium*.

12. *Stephani.*) Vide *Notam VIII* ad *Conſtitutionem datam X Junii MCCCII.*

13. *Latislao.*) *Ladislao.*

14. *Carolus.*) *Martellus* nuncupatus.

15. *Caroli.*) *Caroli Roberti.*

16. *Expedientia commixta licentiæ.*) Id eſt: *Cum expediat, & liceat*, ut interpretatur *Odoricus*.

17. *Banri.*) *Bani*, ſeu Gubernatores Provinciarum. *Banus*, inquit *Du Cange* in Gloſſario, verbo: Banus, *dignitas notiſſima apud Dalmatas & Hungaros, penes quos ita dictus Provinciæ Gubernator.*

18. *Milites.*) Id eſt *Nobiles*.

19. *Barnis.*) *Banis*, ut in penultima *Nota*, Sic etiam ſcribebat *Odoricus ad an. MCC num. XLVI*, ubi *Innocentius III Epiſtola II Lib. III* ſic loquitur: *Accepimus, quod cum nuper venerabilis Frater noſter Spalatenſis Archiepiſcopus Patarenos non paucos de Spalaten., & Traguricn. Civitatibus effugaſſet, nobilis vir Culinus BANUS Boſſinus*, ſeu Boſniæ Gubernator, *iniquitati eorum non ſolum tutum latibulum, ſed & præſidium contulit manifeſtum ...... & niſi Banus prædictus univerſos hæreticos de terra ſuæ poteſtati ſubjecta proſcripſerit, bonis eorum omnibus confiſcatis, tu ipſum, & hæreticos ipſos non ſolum de terra ejus, ſed de toto Hungariæ Regno proſcribas, & bona talium ubicunque per terram ſuam poterunt inveniri, confiſces, nec parcat oculus tuus Bano prædicto, quin contra eum juriſdictionem exerceas temporalem, ſi alias ad viam rectitudinis non poterit revocari.*

Judi-

Anno 1303 Die 9 Auguſti.

Judicium (1) inter Rectores Romanæ Fraternitatis, Clerumque Romanum, ex una parte, & Fratres Prædicatores ac Minores, ex alia, ſuper Mortuis ſepeliendis, & excipiendis confeſſionibus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

De Mortuis ſepeliendis decernit.

INter dilectos filios Rectores Roman. Fraternitatis, & Clerum Urbis, ex parte una, & Religioſos viros Fratres Prędicatores, & Minores, Ordinum de eadem Urbe, ex altera, ſupra infraſcriptis articulis, & eos contingentibus gravis turbationis materia, & diſſenſionis, exorta, hujuſmodi negotium ad audientiam noſtram providimus reducendum, terminandum per Nos, prout pro bono pacis, & concordię inter eos expediens videremus. Procuratoribus igitur ipſarum partium comparentibus coram Nobis, & auditis, quę pro dictis partibus fuerunt propoſita. auctoritate Apoſtolica providemus, ordinamus, atque ſtatuimus; quod quandocumque Clerici Eccleſiarum Patriarchalium, vel aliarum Eccleſiarum Secularium, aut Fratres Eccleſiarum S. Marię de Minerva, & de Capitolio, ſeu Ara Cęli, Sanctę Sabinę, & Sancti Franciſci de trans Tiberim, eorundem Ordinum, ſive quorumcumque Monaſteriorum, locorum, & Eccleſiarum Regularium, Religioſi de Civitate Romana de voluntate executorum, vel conſanguineorum alicujus defuncti, vel defunctę, vocandi, vel invitandi fuerint, ad Jaconiam ejuſdem defuncti, vel defunctę pro ejus faciendis exequiis, vocatio, vel invitatio fiat per Miniſtros Presbyterorum, ſeu Clericorum Eccleſiarum, de cujus Parochia erat defunctus, vel defuncta, dum viveret, & a qua recipiebat Eccleſiaſtica Sacramenta, & quod per eoſdem Presbyteros, ſeu Clericos, mortis tempore Sacramentum Euchariſtię, & Extremę Unctionis miniſtrentur, & animę recommendatio fiat, & vigilię mortuorum dicantur, nec Religioſi ad miniſtranda hujuſmodi Sacramenta & recommendationem animę faciendam, & dicendas vigilias, ſine licentia Presbyterorum, & Clericorum hujuſmodi, aliquatenus admittantur. Vivis autem ſanis, aut infirmis, Fratres in ſuis Eccleſiis, vel aliis Sacramentum Euchariſtię adminiſtrent.

Defuncti Cadaver non deferendum prius ad Parochialem Eccleſiam.

Quando vero defunctorum Corpora portanda erunt ad ſepulturam, quam defunctus, vel defuncta elegerit, in Eccleſiis, ſeu Cimiteriis Fratrum ipſorum, vel locis, Fratres portandi ipſa proceſſionaliter cum Cruce, cantando, vel legendo officium mortuorum, vel pſalmos, cum turibulo, incenſo, & aqua benedicta, liberam habeant facultatem, abſque Clericorum Parochialium requiſitione, vel invitatione, defuncti corpore non portato ad Parochialem Eccleſiam, nec aliquo officio dicto in ea; liceat tamen Parochialibus Presbyteris, & Clericis in ea proceſſione, in qua Corpora portabuntur per Fratres, Crucem Eccleſiarum ſuarum juxta Crucem Fratrum, ante, vel poſt eam portare;

Parochi, & Fratres habeant propriam Crucem.

Illorum tamen corporum dumtaxat declaramus Fratres habere liberam ſepulturam, quibus non eſt a Canone, vel ab homine interdicta legitime ſepultura: vel quia hujuſmodi defuncti mortis tempore erant excommunicationis, vel interdicti ſententia innodati, vel publici uſurarii, aut ex alia juſta cauſa, & rationabili, non erant ſepulturę capaces, fraude in his, & dolo prorſus excluſis; proviſo, quod tali tempore fiat denuntiatio Fratribus, quod tales ad ſepulturam per eos admitti non debeant; atque proviſo, quod, dum de talibus diſceptatur, corpora non remaneant congruo tempore inſepulta. Quod ſi Clerici non denuntiaverint, vel probaverint quod proponunt tempore competenti, liceat nihilominus Fratribus corpora talium ſepelire. Quod ſi Fratres ſepeliverint illorum Corpora, quibus ſepultura eſt, ut pręmittitur, interdicta, erunt talium corpora exhumanda, & ea ex nunc pręcipimus exhumari, poſtquam conſtiterit, quod talia corpora capacia digne non fuerint ſepulturę. Pręcipimus etiam, quod Eccleſiarum Secularium, & Regularium, & Fratrum perſonę quando in eorumdem Fratrum Eccleſiis, vel Cimiteriis non eligitur ſepultura, ad Jaconiam non veniant, niſi per Eccleſiarum Parochialium Presbyterum, & Clericos fuerint invitatę. Hujuſmodi tamen Eccleſiarum Parochialium Presbyteri, & Clerici teneantur invitare perſonas dictarum Eccleſiarum, & Fratres prędictos, quando de executorum, conſanguineorum, vel amicorum defuncti proceſſerit voluntate, qui Jaconiam, & funerales ſunt expenſas facturi. Nichilominus tamen non venient, ſi per dictos Presbyteros & Clericos non fuerint invitati. Teneantur tamen Parochialium Eccleſiarum Presbyteri, ſeu Clerici miniſtrare Sacramenta Euchariſtię, & Extremę Unctionis, & facere recommendationem animarum illis, qui confeſſi fuerint Fratribus ſupradictis, & receperint pęnitentiam ab eiſdem, niſi Parochiales Presbyteri, ſeu Clerici aliquid rationabile propoſuerint, & oſtenderint, quare hujuſmodi adminiſtratio Euchariſtię, & Unctionis extremę, ac recommendatio animarum, non fuerint faciendę. Similiter puniri volumus Presbyteros, & Clericos ſupradictos, ſi hujuſmodi invitationem non fecerint, aut fuerint in mora, vel culpa invitandi Eccleſias Seculares, & Religioſas, & ſpecialiter ipſorum Fratrum, & ipſos Fratres ad Jaconiam, & exequias ſecundum beneplacitum executorum, conſanguineorum, & amicorum defuncti; diſtrictius inhibentes, ut per dictos Rectores, & Clerum, vel eorum aliquem, non impediantur Fratres euntes, morantes, & redeuntes, pro eleemoſynarum ſubſidio conquirendo, & etiam exercendo prędicationis, & audiendi confeſſiones, & imponendi pęnitentias ſalutares, officio, in caſibus in quibus a nobis hęc ipſis Fratribus ſunt conceſſa.

Executores deputati.

Demum, quia parum eſt jura eſſe in Civitatibus, niſi ſint qui ea tueantur, providemus, quod qui eſt, vel erit Noſter in Urbe prędicta Vicarius, vel, eo non exiſtente, dilecti Filii Sancti Gregorii & Sancti Sabę de Urbe Monaſteriorum Abbates, vel alter eorum, de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, cognoſcat de inobedientiis, exceſſibus, ſive culpis prędictorum Rectorum, & Cleri Presbyterorum, & Clericorum Parochialium, & Fratrum, in pręmiſſis, vel circa pręmiſſa commiſſis, ipſoſque per Cenſuram Eccleſiaſticam noſtra auctoritate puniant, prout ſecundum Deum viderint expedire, ſtudeantque ipſos Rectores, Clerum, & Fratres in pace, benivolentia, & caritate tenere; & ne per concurſum dicti

Ab-

Abbates mutuo ſe impediant, ordinamus, ut in cognoſcendo, alter alteri pręferatur, apud quem, per eum, qui conqueritur, querela primitus proponetur. Portato autem corpore defuncti ad Eccleſiam, vel Cimiterium Fratrum, in quo ſepeliendum erit corpus, Officium defunctorum more ſolito fiet per Seculares Clericos Urbis cum Cantu Romano, & Fratribus ipſis licebit facere officium pro defuncto, legendo, vel cantando, ſecundum morem proprium, prout volent, non in navi, nec circa Corpus, dum Seculares Clerici cantant. Parochiali vero Eccleſię dabitur Quarta plene, & integre, non ſolum de torticiis, ſed etiam de ſaculis quibuſcumque, & etiam de palliis, & omnibus aliis, ſecundum Conſtitutionem noſtram, quę incipit: Super Cathedram: ac inſuper de oblationibus pecuniariis, & minutis, quę a convenientibus, ad hujuſmodi officium, & ſepulturam, offeruntur celebranti Miniſtro, aut ſuper Altari ponuntur. Ceterum illi Fratres, qui ad audiendas Confeſſiones, & miniſtrandum Pęnitentię Sacramentum ſunt aſſumpti, vel aſſumentur impoſterum, ſecundum teoorem Conſtitutionis ejuſdem, confeſſiones non audiant, nec imponant Penitentias in Monaſteriis, vel Eccleſiis aliorum, ſine licentia Clericorum, vel perſonarum ipſarum. In Eccleſiis tamen, Cimiteriis, ſeu locis ſuis, vel quę inhabitant, & in quibuſcumque aliis locis, poſſint hujuſmodi Confeſſiones audire & imponere pęnitentias ſalutares. Nomina autem Fratrum aſſumptorum, vel aſſumendorum, ad Confeſſiones audiendas, & pęnitentias imponendas, in Civitate Romana, aſſignari volumus Vicario noſtro, qui eſt, vel erit pro tempore, vel alteri, cui hoc duxerimus committendum, & fieri inde per Vicarium ipſum copiam Rectoribus dictę Fraternitatis, ut Rectores, Clerus, & Parochiales Presbyteri cognoſcant, qui ſunt illi Fratres, quibus liceat Confeſſiones audire, & pęnitentias imponere ſalutares. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Proviſionis, Ordinationis, Statuti, Declarationis, Pręcepti, & Inhibitionis infringere &c. Datum Anagnię V Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Clerus Secularis Exequias in Eccleſia Ordinis peragere poſſit.

Ex quibusnam Quarta Parocho ſolvenda.

De Confeſſionibus excipiendis.

Sanctio pœnalis.

1. *Judicium.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulis VII. & IX.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Bonifatio VIII Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS.

BA Nicolaus Bocaſinus de Tarviſio, ex Magiſtro Generali Ordinis, S. R. E. Cardinalis tituli S. Sabinæ, dein Oſtienſis & Velitrinus Epiſcopus, ut infra dicetur, demum Summus Pontifex Benedictus XI. *Bernardus Guidonis. Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ pag.70. Edit. II. Acta Capitulor. General. Tomo II fol* 472. *Bulla* - Inter - *Data V Decemb. MCCXCVIII, Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. VII pag.*17. *Cavalerius Tomo I pag.62 num.CLXXXIX, & Tomo II pag.185 num.VII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXCVI pag.* 444.

Anno 1298 Die 4 Decembris.

PATRIARCHA.

F. Ægidius Ferrarienſis, Patriarcha Gradenſis. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Marchiæ Triviſanæ. Ughellus in Patriarchis Gradenſibus, Tomo V Italiæ Sacræ pag.*1139 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. VI pag.* 48 *ex Regeſt. Vatican. Cavalerius Tomo I pag.* 75 *num. CCXXXVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXXIV pag.* 328 *col. II.* Patriarcham *Alexandrinum*, & Legatum fuiſſe *Ægidium*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Clementis V.*

Anno 1295 Die 1[illegible] Maii.

ARCHIEPISCOPI.

F. Matthæus de Oſenio, Archiepiſcopus Corinthius, ſucceſſit immediate Guillelmo, de quo ad annum MCCLXXVII. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Græciæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXIII pag.*70 *ex S. Antonino, & Luſitano. Cavalerius Tomo I pag.* 209 *num. CCCCLVI. Echard Tomo I ad annum MCCLXXXII pag.*389 *col. II.*

Circa Annum 1294.

F. Guillelmus de Hottun, Archiepiſcopus Dublinenſis, in Hibernia. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Provinciæ Hiberniæ. Trivethus in Chronicis. Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCXCVII num.IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XL pag.* 73 *ex S. Antonino, Leandro Alberto, Luſitano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 55 *num. CLXV. Echard Tomo I ad annum MCCXCVIII pag.* 459. Ipſius etiam meminere *Laurentius Pignon, Altamura, Lelandus, Baleus, Simlerus, Varæus, Pitſeus*, qui ex varia ſuorum idiomatum flexione varie *Guillelmum* nuncupant *Hodon, de Hozum, Bothum, de Odone, de Houden, Heddonem, Heddon, Ochumium*. Unus ille & idem eſt, ut notavi ſuperius. Hinc emendandus *Poſſevinus*, qui

Anno 1297 Die 16 Junii.

Digitized by Google

qui in *Apparatu* ſuo *Guillelmum* noſtrum dividit in duos, quorum unum nominat *de Odone*, alterum *de Hothun*. Errat etiam *Lobineau* in *Hiſtoria Armoricæ*, ubi *Guillelmum* Epiſcopum *Dumblanienſem* vocat. Sedes hæc *Dumblanienſis* eſt in *Scotia*. *Guillelmus* Archiepiſcopus *Dublinenſis* fuit, in *Hibernia*.

Anno 1299. F. Johannes de Polo Archiepiſcopus Piſanus, in Hetruria. *Bulla - Piſana - Data X Februarii MCCXCIX. Bernardus Guidonis in Epiſcopis Romanæ Provinciæ. Acta Capitulor. General. Tomo II fol.* 463. *Razzius de Viris illuſtribus. Ughellus in Archiepiſcop. Piſanis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 445. *Edit. II ex Regeſt. Vatican. Epiſt. VIII fol.* 136 *An. V Bonifatii VIII. Fontana Theatro Dominican. Parte I Cap. IV Tit. LXXV pag.* 93 *ex Luſitano, Fernandez, Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 76 *num. CCXXXVIII. Echard Tomo I ad annum MCCCXXV pag.* 559. Hinc, ut optime monet *Cavalerius*, emendandi *Plodius*, & *Souegius*, qui *Johannem* a *S. Cæleſtino V* electum cenſent. Archiepiſcopus *Nicoſienſis* fuit *Johannes*, ut dicetur in *Appendice ad Pontificatum Clementis V.*

Anno 1299. F. Conſilius Gattus, Viterbienſis, Archiepiſcopus Arborenſis, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VI pag.* 54 *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 66 *num. CCVII.*

Anno 1300. IDem ex Archiepiſcopo Arborenſi, Archiepiſcopus Compſanus, in Regno Neapolitano. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Romanæ Provinciæ. Ughellus in Archiepiſcopis Compſanis Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 816 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXX pag.* 68. *Cavalerius loco mox laudato.*

Anno 1300 Die 3 Januarii. F. Gentilis Urſinus, Romanus, Cœnobii S. Sabinæ alumnus, Epiſcopus Catanen., ut hac in *Appendice* dicetur, Adminiſtrator Archiepiſcopatus Acheruntin. & Materan., in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. I pag.* 50 *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 61 *num. CLXXXV.*

Circa Annum 1300. F. Stephanus Mangiatero, Archiepiſcopus Athenienſis, in Græcia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. X pag.* 58 *ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 58 *num. CLXXIII.*

Anno 1300. F. Dietherius, ſeu Theodericus, Teuto, Archiepiſcopus Trevirenſis, in Germania. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Provinciæ Teutoniæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CVII pag.* 108 *ex S. Antonino, Gallia Chriſtiana, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 65 *num. CCII.*

Anno 1301 Die 13 Novembris. F. Georgius, Capuanus, Archiepiſcopus Tarentinus, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiep. Tarentin. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 138 *num XLI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XCVIII pag.* 102. *Cavalerius Tomo I pag.* 108 *num. LXXXIV.*

EPISCOPI.

Circa Annum 1294. F. Laurentius de Ballachis, Epiſcopus Ariminenſis, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Romaniolæ. Ughellus in Epiſcopis Ariminen. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 424 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LII pag.* 131. *Cavalerius Tomo I pag.* 59 *num. CLXXX.*

Anno 1295 Die 21 Januarii. F. Stephanus Taſca, Romanus, Epiſcopus Balneoregienſis, in Hetruria, immediate ſub Sancta Sede. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Romanæ Provinciæ. Ughellus in Epiſcopis Balneoregien. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 515 *ex Regeſt. Vatican. Epiſt. CCCLVI fol.* 199. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXII pag.* 136. *Cavalerius Tomo I pag.* 64 *num. CXCIX.* Hunc *Romæ conſecravit Johannes Epiſcopus Cardinalis Tuſculanus*, inquit *Ughellus*. Ex quo patet, quam merito *Cavalerius* emendet *Plodium*, qui *Stephanum* remittit ad annum MCCCCLXXXVI.

Circa Annum 1295. F. Guido Lombardi de Pontadera, Hetruſcus, ex Provinciali Terræ Sanctæ, Epiſcopus in Græcia. *Cavalerius Tomo I pag.* 53 *num. CLVI ex Plodio.*

Anno 1295 Die 21 Aprilis. F. Raynaldus, Romanus, Epiſcopus Theatin., vulgo *Chieti*, in Aprutio. *Ughellus in Epiſcop. Theatin. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 734 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CI pag.* 103. *Cavalerius Tomo I pag.* 60 *num. CLXXXIV.* Nunc Metropolis eſt hæc Sedes.

Circa Annum 1295. F. Jagardus, vel Gerardus, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Terræ Sanctæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag.* 141 *ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 204 *num. CCCCXIX*, ubi ex *Feuillet in*

Anno

Anno Dominicano docet, *Jagardum* diem extremum obiiſſe anno MCCC. Conſentit *Bernardus Guidonis*, in cujus Ms. codice *Jagardo* locus eſt inter *Galardum de Urſiſaltu*, & *Hugonem de Curtis*.

F. Jacobus Buſce, Epiſcopus Marſicanus, in Regno Neapolitano, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcop. Marſican. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 911 *Edit. II ex Regeſt. Vatican. Epiſt. CCCI fol.* 92 *An. I Bonifatii VIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXVIII pag.* 229. *Cavalerius Tomo I pag.* 95 *num. XLIV.* Anno 1295 Die 2 Octobris.

F. Jordanus Savelli, Romanus, avita nobilitate, integritate vitæ, præſtantiſſimaque Doctrina ſpectabilis, quem nonnulli *Johannem Jordanum*, alii vero *Jordanum Urſinum*, vel *Johannem Sabellum* vocant, Epiſcopus Patavinus, in Marchia Tarviſina, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Provinciæ Lombardiæ. Ughellus in Epiſcop. Patavinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 447 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLVI pag.* 261. *Cavalerius Tomo I pag.* 59 *num. CLXXVIII.* Dein *Bononienſis* Epiſcopus fuit *Jordanus*, ut ad annum MCCXCVIII. Anno 1295 Die 14 Novembris.

F. Johannes de Catania, Epiſcopus Liparenſis, & Pactenſis, in Regno Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXVII pag.* 215 *ex Pirro. Cavalerius Tomo I pag.* 93 *num. XXXVIII.* Anno 1296.

F. Ruffinus Strictus, Placentinus, ex Epiſcopo Montis Marani, ut in *Appendice ad Pontificatum Nicolai IV*, Epiſcopus Caſtrenſis, in Hetruria, immediate ſub Sancta Sede. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Romanæ*, ubi hæc habet. *F. Ruffinus Strictus de Placentia, Epiſcopus in Caſtro juxta Viterbium. Ughellus in Epiſcop. Caſtren. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 580 *ex Regeſt. Vatican. Epiſtol. CCCCLX fol.* 108. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLVIII pag.* 160 *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 54 *num. CLXIII.* Anno 1296 Die 9 Auguſti.

F. Petrus de Bobio, Placentinus, Epiſcopus Bobienſis, in Statu Mediolanenſi, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Lombardiæ Superioris. Leander Albertus de viris illuſtribus. Ughellus in Epiſcop. Bobien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 941 *Edit. II, ex S. Antonino. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCV pag.* 143 *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 61 *num. CXXXVII. Echard Tomo I ad an. MCCXCVI pag.* 450. Anno 1296.

F. Dominicus Cæſarauguſtanus, Epiſcopus Syracuſanus, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Montis Regalis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCCLXX pag.* 302 *ex Pirro. Cavalerius Tomo I pag.* 62 *num. CLXXXVIII.* Anno 1296.

F. Gentilis Urſinus, cujus mentio inter Archiepiſcopos hujus *Appendicis*, Epiſcopus Catanen., in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Montis Regalis. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Siciliæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLI pag.* 160 *ex Pirro. Cavalerius Tomo I pag.* 61 *num. CLXXXV.* Anno 1296.

F. Fazius, ſeu Bonifatius, Epiſcopus Sagonenſis, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. *Ughellus in Epiſcopis Sagonen. Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 516 *ex Regeſt. Vatican. Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCXCVII num. IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DIII pag.* 281 *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 65 *num. CC.* Epiſcopus *Chironenſis* fuit *Fazius*, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis V.* Anno 1297.

F. Hugutio, Spoletanus, Epiſcopus Strongylenſis, ſeu Macellenſis, vulgo *Strongoli*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo S. Severini. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXIII pag.* 299 *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 83 *num. I.* Anno 1297 Die 18 Martii.

F. Otto, vel Odo, Sala, Piſanus, ex Priore Piſani Cœnobii, Epiſcopus Teralben., in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXVIII pag.* 305 *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 89 *num. XXV.* Idem Epiſcopus *Polanus*, ut ad annum MCCCII. Circa Annum 1297.

F. Agniſius, Epiſcopus Pergamenſis, in Myſia Aſiatica, ſub Archiepiſcopo Epheſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLX pag.* 262 *ex Olmeda. Cavalerius Tomo I pag.* 53 *num. CLIX.* Circa Annum 1297.

Anno 1297 Die 29 Novembris. F. Conradus de Vecſloria, Epiſcopus Chryſopolitanus, in Arabia majori, ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXI pag.* 169 *ex Regeſt. Bonifatii VIII, & Ughello in Mſs. Cavalerius Tomo I pag.* 56 *num. CLXVII.*

Anno 1298. F. Antonius de Gaeta, ſeu Cajetanus, Epiſcopus Minerbien., in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Ughellus in Epiſcopis Minerbien. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 746 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXIX pag.* 236 *ex Taegio, Cavalerius Tomo I pag.* 59 *num. CLXXIX.*

Anno 1298 Die 10 Januarii. F. Jordanus Savelli, ex Epiſcopo Patavino, ut in hac Appendice dictum eſt, Epiſcopus Bononienſis, in Longobardia. *Ughellus in Epiſcop. Bononien. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 23 *Edit. II ex Regeſt. Vatican. Epiſtola CCCCXLIII fol.* 113 *An. IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit XV pag.* 61 *ex Leandro Alberto. Cavalerius Tomo I pag.* 59 *num. CLXXVIII.* Nunc Metropolis eſt *Bononienſis* Eccleſia.

Circa Annum 1298. F. Petrus Polonus, Epiſcopus Caminenſis, ſeu Pomeranienſis, vulgo *Camin*, in Pomerania, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Provinciæ Poloniæ. Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCXCVIII num. XV. Acta Capitulor. General. Tomo II fol.* 474. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXV pag.* 151 *ex Bzovio de rebus geſtis in Poloniæ Provincia Ord. Prædicatorum. Cavalerius Tomo I pag.* 56 *num. CLXVI.*

Anno 1299 Die 1 Junii. F. Nicolaus de Albertis, de Albertinis, vel de Martinis, Epiſcopus Spoletanus, in Umbria inferiori, immediate ſub Sancta Sede. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Romanæ. Ughellus in Epiſcopis Spoletanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1264 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLVIII pag.* 298. *Cavalerius Tomo I pag.* 86 *num. XVI, & Tomo II pag.* 21 *§. VII, & pag.* 189 *num. VIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXI pag.* 546. S. R. E. Cardinalis fuit *Nicolaus*, ut in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI* dicetur.

Anno 1299 Die 22 Novembris. F. Matthæus Medices, Epiſcopus Cluſinus, *Chiuſi*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi. *Ughellus in Epiſcopis Cluſinis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 639 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCI pag.* 175. *Cavalerius Tomo I pag.* 73 *num. CCXXX. Echard Tomo I pag.* 521 *ad annum MCCCXIII.*

Anno 1300 Die 2 Martii. B. Nicolaus Bocaſinus, S. R. E. Cardinalis, ex Titulo S. Sabinæ, Epiſcopus Oſtienſis, & Velitrinus. *Cavalerius*, ceterique hac in *Appendice* laudati.

Anno 1300. F. Leonardus Romanus, Epiſcopus Aquilanus, in Aprutio, immediate ſub Sancta Sede. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Romanæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLIV pag.* 127 *ex S. Antonino. Proſper Mandoſius apud Ughellum in Epiſcop. Aquilanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 382 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 59 *num. CLXXXI.*

Anno 1300. F. Dominicus, Epiſcopus Brixienſis, in Longobardia, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 58 *num. CLXXII, ex Taegio in Monument. Ord., Plodio, & Bernardino Fayno in Catalogo Præſulum Brixien.*

Circa Annum 1300. F. Petrus Comenſis, Lombardus, Epiſcopus Veronenſis, in Marchia Tarviſina, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 58 *num. CLXXIV.*

Circa Annum 1300. F. Arnoldus Federicus, Epiſcopus Cæſarienſis, in Bitinia, ſub Nicomedienſi Archiepiſcopo. *Cavalerius Tomo I pag.* 58 *num. CLXXVI ex Plodio.*

Circa Annum 1300. F. Nicolaus, Italus, Epiſcopus Burglavienſis, in Nort-jutlandia Daniæ, ſub Lundenſi Archiepiſcopo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CX pag.* 148 *ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 58 *num. CLXXV.*

Circa Annum 1300. F. Gualterus Meldenſis, *Meaux*, Gallus, Epiſcopus Savonenſis, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXVII pag.* 289. *Ughellus in Epiſcop. Savonen. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 737 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 63 *num. CXCIV.*

F. Wlfran-

F. Wlfrannus de Abbatiſvilla, *Abbeville*, Gallus, quem *Vlfanum Dealbato* nonnulli vocant, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Terræ Sanctæ. Laurentius Pignon. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit LXXXVIII pag.* 140 *ex Vallo, Plodio, & Tacgio. Cavalerius Tomo I pag* 63 *num. CXCV. Echard Tomo I in Indice Epiſcopor. pag.* 23 *col. II.* Anno MCCCXIII adfuit *Wlfrannus* ſolemni dedicationi Baſilicæ *Scojenſis*, vulgo *Eſcouy*, in *Normannia*. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXXIV pag.* 557 *col. I.* — Circa Annum 1301.

F. Lucas Piſanus, Epiſcopus N...., in Oriente. *Cavalerius Tomo I pag.* 59 *num. CLXXVII ex Razzio, & Plodio.* — Anno 1301.

F. Landulphus, Ridolphus, vel Rodulphus, Epiſcopus Vicoæquenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Surrentino. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Siciliæ. Vghellus in Epiſcopis Vicoæquen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 632 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXIV pag.* 323. *Cavalerius Tomo I pag* 67 *num. CCVIII.* Archiepiſcopus *Acheruntinus* fuit *Landulphus*, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis V* videre eſt. — Circa Annum 1301.

F. Otto, vel Odo, ex Epiſcopo Teralbenſi, ut dictum eſt in hac *Appendice*, Epiſcopus Polenus, vel Polanus, in Dalmatia, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Romanæ Provinciæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXIV pag.* 267 *ex Vghello. Cavalerius Tomo I pag* 89 *num. XXV.* Archiepiſcopus *Arborenſis*, dein *Piſanus*, tandem Patriarcha *Alexandrinus* fuit *Otto*, ut in ſequentibus *Appendicibus* dicetur. — Anno 1302 Die 7 Februarii.

F. Petrus de Armis Prowala, Rutenus, Epiſcopus Camenecenſis, ſeu Kamenienſis, vulgo *Kamenieck*, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi, in Polonia. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 59. *Dominicus Frydrychowicz in Sancto Hyacintho Regni Poloniæ Patrono pag.* 229. *Cavalerius Tomo I pag.* 60 *num. CLXXXII.* — Anno 1302.

F. Rambertus, vel Rampertus, Polus, Bononienſis, Epiſcopus Caſtellanus, ſeu Venetiarum. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Lombardiæ Superioris. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLV pag.* 158 *ex Vghello in Patriarchis Venetis. Cavalerius Tomo I pag.* 69 *num. CCXIX. Echard Tomo I pag.* 504 *ad annum MCCCVIII.* Ille eſt *Rambertus*, quem *Kambertum*, *Calbertum*, vel *Cambertum* vocant. — Anno 1303 Die 2 Februarii.

LEGATI.

F. Guillelmus de Montecathano, ſeu de Moncada, Epiſcopus Urgellenſis, ut in *Appendice ad Pontificatum S. Cæleſtini*, Legatus in Siciliam. *Cavalerius Tomo I pag.* 68 *num. CCXII. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 355 *num. XVII ex Bzovio. Echard Tomo I ad annum MCCLXXXV pag.* 399. *Odoricus ad an. MCCXCV num. XXXVI* laudat tria Diplomata, quæ *Bonifatius* hac de Legatione dedit. — Anno 1295.

F. Dietherius, ſeu Theodericus, Teuto, Legatus ad Adolphum Romanorum Regem, ipſius Dietherii fratrem. *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCXCV num. IV.* Diploma datum X Kalendas Septembris Pontificatus *Bonifatii* Anno Primo. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 355 *num. XVI. Bzovius ad annum MCCXCV num. XVIII ex Regeſto Vaticano Epiſtola CLXXV Libri I Bonifatii VIII.* Idem Archiepiſcopus *Treviren.* fuit, ut ad annum MCCC dictum eſt. — Anno 1296.

F. Guillelmus Durandus, Epiſcopus Mimatenſis, ut in *Appendice ad Pontificatum Nicolai III*, Legatus ad Sultanum Ægypti miſſus. *Cavalerius Tomo II pag.* 164 *num. XIV, ceterique ſupra laudati.* — Anno 1296.

F. Gentilis Urſinus, Epiſcopus Catanenſis, ut ad annum MCCXCVI dictum eſt, Legatus in Siciliam. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 356 *num. XXI ex Vghello. Cavalerius Tomo I pag.* 61 *num. CLXXXV.* — Circa Annum 1296.

B. Nicolaus Bocaſinus, de quo ſupra, Legatus ad pacem Reges inter Romanorum & Angliæ componendam. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 355. *Bernardus Guidonis apud Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCXCVI pag.* 445 *col. I. Bzovius ad an. MCCXCVI num. VIII. Spondanus ad an. MCCXCVIII num. I. Waddingus Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCXCVIII pag.* 697. — Anno 1298.

Circa Annum 1299. F. Nicolaus de Albertis, Epiſcopus Spoletanus, ut in hac *Appendice*, Legatus ad Philippum Galliæ, & ad Eduardum Angliæ Reges. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 556 *num. XX ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 86 *num. XVI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXI pag.* 546.

Anno 1299. FRatres Sanctium de Boiea, Guillelmum Bernardi, Bernardum Guille, alioſque Fidei Præcones Nuncios ſuos creat Bonifatius *Bulla data X Aprilis MCCXCIX.*

Anno 1301. B. Nicolaus Bocaſinus, S. R. E. Cardinalis, ut ſupra, Legatus *a Latere* in Hungariam, & adjacentia Regna, Poloniam, Dalmatiam, Raſciam, Serviam, Lodomeriam, Galatiam, & Cumaniam miſſus. Auctores ſupra laudati. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCI num. IV &c. Conſtitutiones XXXI, XXXII, XXXIII, XXXV, & XXXVIII* ſuperius exſcriptæ. *Ughellus in Epiſcop. Oſtien. Tomo I Italia Sacra pag.* 70 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag.* 344 *num. VI.*

BEATUS BENEDICTUS XI

F. Nicolaus Bocaſinus de Tarviſio nuncupatus, Ordinis Prædicatorum alumnus, electus eſt Romæ Die XXII (*a*) Menſis Octobris, & ibidem Conſecratus fuit Die XXVII (*b*) ejuſdem Menſis, Anno MCCCIII. Cælos petiit, Peruſii mortuus Die VII Julii MCCCIV. Sedit Menſes VIII (*c*) Dies XIV.

(*a*) Benedict. XI Lib. I Epiſt. I. (*b*) Bernard. Guidonis in Chronicis. (*c*) Idem ibidem, & alibi paſſim.

B. Benedictus XI, Ordinis Prædicatorum alumnus, Præſules de ſua electione certiores facit (1), ipſorumque precibus ſe commendat.

Anno 1303 Die 1 Novembris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCIII. num. XLVII.

I.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Mediolanenſi, & ejus Suffraganeis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

OPera divinę potentię plerumque mens humana miratur dum mirabiles perſonarum & temporum immutationes attendit, in quorum contemplatione ſenſus hominis hebetatur, dum conatur perquirere inveſtigabiles vias Domini, & ejus occulta conſilia perſcrutari. Ipſe namque nonnunquam potentes humiliat, ponit humiles in ſublimi, & diſpenſat munera gratiarum, plenam & perfectam habens ad ſingula, tanquam palmo concludens omnia, poteſtatem. Nos autem nimirum in admirationem protrahimur, ac timor & tremor nos vehementer invadunt, dum infra mentis arcana revolvimus quot & quantas immutationes receperit hactenus ſtatus noſter, qui ab olim Ordinem Fratrum Prędicatorum profeſſi (2) putabamus abjecti eſſe in domo Domini cum humilibus ſervis eius, & ſub obedientię jugo Creatori reddere votum noſtrum: ſed Divini diſpoſitione conſilii poſt miniſteria varia (3), in Ordine prędicto nobis impoſita, ſuſcepimus (4) Magiſtri Generalis officium; ac ſubſequenter ad Cardinalatus apicem dignitatis per Apoſtolicam Sedem aſſumpti (5), cum aliquandiu noſtri miniſterii debitum in gradu Sacerdotii (6) egiſſemus, pręfecti fuimus per Sedem eandem in Epiſcopum Oſtienſem (7). Noviſſime (8) vero fratrum noſtrorum inſtantia, prout ſeries infraſcripta declarat, Nos ſubire coegit ſarcinam Apoſtolicę ſervitutis. Nuper (9) enim felicis recordationis Bonifacio Papa VIII Prędeceſſore noſtro, ſicut Domino placuit, de hac luce ſubtracto; &, ſicut ſperamus, poſt labores impenſos ad pręmium evocato, ejuſque corpore cum exequiarum ſolemnitate debita tradito eccleſiaſticę ſepulturę (10), Nos tunc, ut prętangitur, Epiſcopus Oſtienſis, ceteríque fratres noſtri Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. E. Cardinales (11) ad tractandum de Romani ſubſtitutione Pontificis in Palatio S. Petri de Urbe, in quo deceſſerat pridem ipſe, convenimus: nobiſque, ac ipſis, ad id eligentibus per viam procedere ſcrutinii, contigit, illo faciente, qui concordiam diligit, quod unico facto ac publicato ſcrutinio, tanta finaliter in votis eorundem fratrum eſt inventa concordia, quod per eos de Nobis, licet immeritis, fuit ad Apoſtolatus officium XI Kalendas Novembris proxime futuri (12) electio celebrata. In quo prę admirationis magnitudine redditi, nec immerito, ſumus attoniti: ſtupor noſtrum animum hebetavit, eumque timor & tremor pariter concuſſerunt. Nunquid enim non admiratione dignum, quod inter tot & tantas eorundem fratrum perſonas vitę ac famę claritate pollentes, virtutibus redimitas, abundantes inſuper multiplicium ſufficientia meritorum, in pręſidendo Apoſtolico culmini humilitas noſtra, quę illis fuerat merito poſtponenda, pręfertur. Nonne dum injuncti oneris molem attendimus, & noſtram inſufficientiam comparamus, digne invaleſcunt timor & tremor, ne portantis debilitas ſub tantę molis gravitate ſuccumbat? Nonne timendum iterum & tremendum, ne juſtus judex ſi rationem de talentis creditis veniat exacturus, ſervum minus utilem a bono torpentem opere damnet? Hęc, & alia plura, quę prolixitatis vitandę gratia ſermo ſuccinctus omittit, inſufficientiam noſtram a tantę gravitatis onere ſubducendam, adeo efficaciter ſuggerebant, quod eorundem fratrum importunitati diverſarum excuſationum obicem opponendo, ea qua potuimus reluctatione reſtitimus. Sed fratres ipſi noſtrę reſiſtentię obviantes, noſtris excuſationibus non admiſſis, nos ad conſcendendum Petri cathedram multę importunitatis inſtantia devicerunt, noſque, licet ex noſtrorum defectuum conſcientia diffidentes, de Illius tamen confiſi omnipotentia, qui non ſolum ſufficit eoſdem ſupplere defectus, ſed & potens eſt omnem gratiam abundare facere in nobis; ne ſub obedientia nutriti diutius eam contemnere pertinaciter, graviaque pericula, quę imminere ipſi Eccleſię, totique terrarum orbi ex ejus vacatione veriſimiliter timebantur, damnabiliter negligere, cenſeremur; votis tandem fratrum acquievimus eorundem, ac ad deferendum ſarcinam Summi Apoſtolatus ſubmittentes humeros imbecilles, recepti ab eis unanimiter in Romanum Pontificem, recepimus conſequenter ſolemnia Benedictionis, & cetera ſecundum morem pręficiendorum Romanorum Pontificum in perſonis Prędeceſſorum noſtrorum hactenus obſervatum: anxiato & humiliato ſpiritu Domino ſupplicando, ut ipſe, qui Nos hujuſmodi jugum ſubire conceſſit, ſic ad ipſum portandum debilitatem noſtram robore fulciat, ſic illud faciat ſua benignitate portabile, quod ſub eo Nos non contingat ex noſtra debilitate deficere; ſed ita nobis & gregi dominico, noſtrę vigilantię credito, ſua virtute proficere, quod de talento nobis tradito dignam poſſimus in extremo judicio reddere rationem. Quocirca fraternitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus nobis compatientes in tanti ponderis gravitate, ad ſupportandum illud miniſtretis, quantum in vobis eſt, velut in partem Apoſtolicę ſolicitudinis evocati, veſtri auxilii fulcimentum, commiſſas vobis eccleſias, gregeſque Dominicos in eis vobis creditos gubernando ſolicite, fideliter, & prudenter; ac fundendo pro nobis pias orationes ad Dominum, ut ipſe in

Varios dignitatis gradus geſſit B. Benedictus XI.

SS. Pontifex creatur.

Præſulum preces implorat.

in executione paſtoralis officii ſic ſua pietate nos dirigat, quod gratum noſtrum miniſterium fiat; & ſpem certam de nobis & fiduciam habituri, quod vobis in iis, quę ad laudem Dei, veſtrarumque ſtatum Eccleſiarum ſpectare videbimus, favorem libenter Apoſtolicum impendemus. Datum Laterani Kalendis Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Certiores facit.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCIII num. XLVI*. Aliud ejuſdem fere tenoris Diploma tranſcripſit *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCIII pag.* 344.

2. *Profeſſi.*) Quod ætatis anno *XIV* Prædicatorum familiæ nomen dederit *B. Benedictus XI*, docet *Bernardus Guidonis*, auctor æqualis, cujus hæc verba in Chronicis Magiſtrorum Ordinis: *Hic venerabilis Pater* (B. Benedictus) *Dominus, & Magiſter, quandoque retulit de ſe ipſo, qui noverat plenius veritatem, quod XIV ætatis ſuæ anno Prædicatorum Ordinem eſt ingreſſus, in quo XIV annis primis ſtuduit, & profecit: & aliis XIV annis ſequentibus exercuit officium Lectoris, & XIV aliis annis in Prælationis officio in Ordine laboravit.*

3. *Miniſteria varia.*) Ut in præcedenti *Nota*. Semel & iterum Provinciæ *Lombardiæ* præfuiſſe *B. Benedictum* liquet ex *Actis Capitulorum Generalium*.

4. *Suſcepimus.*) Anno *MCCXCVI* die *XII Maii*, in Comitiis Generalibus *Argentinæ* celebratis. *In iſto Generali Capitulo*, inquit Bernardus Guidonis, *fuit electus in Magiſtrum Ordinis venerabilis ſemper & omni laude dignus pater, ac vere Iſraelita F. Nicolaus de Treviſio, Lombardus, virtutum jubar, Religionis ſpeculum, devotione Sanctus, zelo fervidus, ſapientia clarus, Deo & hominibus gratioſus. Lucebat inſuper in ipſius exteriori homine veneranda humilitas, admiranda ſanctitas, multa benignitas, mira in converſatione ſimplicitas, accepta maturitas in inceſſu.*

5. *Aſſumpti.*) Conſulendum *Diploma datum V Decembris MCCXCVIII*,

6. *In Gradu Sacerdotii.*) Titulo *S. Sabinæ*.

7. *Oſtienſem.*) *Paulo poſt cum Romam veniſſet*, ut docet *Ciaconius* mox laudatus.

8. *Noviſſime.*) Die nempe *XXII Octobris* Anno *MCCCIII*.

9. *Nuper.*) Die ſcilicet *XI Octobris* Anno *MCCCIII*.

10. *Sepulturæ.*) Apud *S. Petrum*, ut *Ciaconius* narrat loco laudato, pag. 319. *Sepultus fuit* Bonifatius VIII *apud S. Petrum, ſecus altare S. Andreæ in ſepulcro, quod vivus ſibi extrui curaverat; in quo jacuit uſque ad annum MDCV, quo anno poſt trecentorum volumina annorum, eodem die, quo vita exceſſerat, repertum eſt illæſum & integrum.*

11. *Cardinales.*) Numero *XXII*, ut *Ciaconio* placet, ex Panvinio *XX*, ex Oldoino *XVIII*.

12. *Proxime futuri.*) Hic nodus perdifficilis. Enimvero ſi *Kalendis* Novembribus datum ſit Diploma, quonam modo Menſis ille Novembris *proxime futurus* hic dici potuit? Vel igitur irrepſit mendum in aſcripta die, vel reſpectu electionis, de qua hic ſermo eſt, Menſis Novembris *futurus* aſſeritur.

Anno 1303 Die 6 Novembris.

Litis inter Prædicatores & Minores, ac Parochos Metenſes motæ cognitionem ſibi adſciſcit (1).

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III in Regeſto ad an. MCCCIII pag. 18.

II. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Manſueti extra muros Tullen. (3), & Archidiacono majoris (4), ac Decano Sancti Eengulphi Tullen. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Huſuſce Diplomatis cauſa.

DUdum felicis recordationis Bonifatius Papa Octavus Prędeceſſor noſter cupiens, diſcordiam, quę inter Prelatos & Rectores, ſeu Sacerdotes & Clericos Parochialium Eccleſiarum ex una parte, & Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratres ex altera ſuper Prędicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum Confeſſionibus, pęnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui eligunt apud Fratrum ipſorum loca, vel Eccleſias ſepulturam, prorſus evellere, quandam ſuper his Conſtitutionem (5) edidit, in qua ubi, quando, & quomodo liceat eiſdem Fratribus prędicare, hujuſmodi Confeſſiones audire, pęnitentias injungere, qualiter etiam ipſi Fratres liberam habeant Sepulturam, & de Quarta obventionum per eos eiſdem parochialibus ſacerdotibus & Eccleſiarum Rectoribus, ſeu Curatis integraliter exhibenda plenius continetur. Nuper vero ex parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Prędicatorum ac Guardiani Fratrum Minorum Meten. fuit expoſitum coram Nobis, quod cum idem Prędeceſſor ſub obſervatione dictę Conſtitutionis ad inſtantiam Rectorum, ſeu Curatorum Presbyterorum, & Clericorum Parochialium Eccleſiarum Meten. Civitatis, & Dięceſis ſuas vobis certi tenoris literas direxiſſet, vos eiſdem Priori, & Guardiano, & Fratribus Meten., plura gravamina contra juſtitiam intuliſtis, propter quę ex parte ipſorum ad Sedem fuit Apoſtolicam appellatum. Verum vos appellationi non deferentes hujuſmodi vices veſtras in hac parte dilectis filiis Jofrido Cancellario, Johanni Cercatori, & Magiſtro Petro de Vinea Canonico Eccleſię commiſiſtis, qui talis commiſſionis prętextu Priorem, Guardianum, & Fratres Meten. prędictos multipliciter contra juſtitiam aggravantes, appellatione prędicta contempta, diverſas in eos excommunicationum & interdicti ſententias pro eorum voluntatis libito promulgarunt. Cum autem ſuper his omnibus ex parte dictorum Prioris, Guardiani, & Fratrum Meten. ad nos habitus ſit recurſus, Nos quieti partium providere, ac obviare ſcandalis, quę pręmiſſorum occaſione dicuntur in illis partibus exoriri, ſalubriter intendentes, ac propterea poteſtatem vobis in eiſdem literis traditam, totumque negotium ad examen Apoſtolicum revocantes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper his ulterius per vos, vel alium, ſeu alios, procedere nullatenus pręſumatis, quin potius eiſdem Subdelegatis veſtris inhibere curetis, ne ſe de his quomodolibet intromittant. Nos enim nihilominus ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper hoc a quoquam contigerit attentari. Omnes vero ſententias latas, & proceſſus habitos ſuper his per vos, vel Subdelegatos eoſdem, omnemque ipſorum ſententiarum & proceſſuum effectum ſuſpendimus uſque ad Apoſtolicę Sedis beneplacitum voluntatis. Datum Laterani VIII Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Litis cognitionem transfert.

Decretum irritum faciens.

1. *Adſciſcit.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII & IX.*

2. Waddingo.) Ex *Epiſtola XX Libri Benedicti XI.*

3. *Tullen.*) *Toul*, in *Lotharingia*, ubi *Metenſis* Civitas.

4. *Majoris.*) Cathedralis ſcilicet Eccleſiæ.

5. *Conſtitutionem.*) Quæ incipit: *Super Cathedram.*

In

In Ordinem noſtrum, & Romanam Provinciam Monaſterium S. Pauli de Urbe Veteri (1) cooptat, ipſumque variis Privilegiis (2) donat.

Anno 1303 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (3) *Ord. lib. B. fol.* 331.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus S. Pauli de Urbe Veteri, Ordinis S. Benedicti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. III.

Exordium.

APoſtolicę Sedis benignitas prudentes Virgines, quę ſe parant accenſis lampadibus obviam ire Sponſo, tanto propenſiori debet ſtudio proſequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem ſexus indigere ſuffragio dignoſcuntur. Cum igitur, ſicut ex parte veſtra fuit propoſitum coram nobis, vos incluſę corpore in caſtris clauſtralibus, mente tamen libera, devote Domino famulantes, Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Priori Provinciali Romanę Provincię ipſius Ordinis, atque eidem Ordini affectetis committi; Nos pium veſtrum propoſitum in Domino commendantes, devotionis veſtrę precibus inclinati, vos, & Monaſterium veſtrum, auctoritate pręſentium, Magiſtro, & Priori, ac Ordini prędictis committimus; eadem auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut ſub magiſterio & doctrina Magiſtri, & Prioris prędictorum, qui pro tempore fuerint, debeatis de cetero permanere, illis gaudentes privilegiis, quę ipſi Ordini Prędicatorum ſunt conceſſa, vel in poſterum concedentur; ipſique Magiſter, & Prior animarum veſtrarum ſolicitudinem gerentes, & curam, ac vobis de Inſtitutionibus ejuſdem Ordinis illas, quę vobis competunt, exhibentes, Monaſterio veſtro per ſe, vel alios Fratres ipſius Ordinis, quos ad hęc idoneos viderint, quoties expedierit, officium Viſitationis impendant, corrigendo, ac reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio viderint indigere. Electio (4) tamen Prioriſſę libere pertineat ad Conventum, ac nihilominus inſtituant, & deſtituant, moveant, & ordinent, prout ſecundum Deum viderint expedire, confeſſiones veſtras audiant, & miniſtrent vobis eccleſiaſtica Sacramenta. Ad hęc liceat vobis redditus, & poſſeſſiones recipere, ac eas libere retinere; non obſtantibus contrariis conſuetudinibus, vel ſtatutis ipſius Ordinis, confirmatione Sedis prędictę, vel quacunque firmitate alia roboratis. Vobis prętereа, ut ad prętandam ſubventionem quamcunque, vel ad contribuendum in exactionibus, vel collectis, aut decimis, ſeu ſubſidiis (5) aliquibus per literas dictę Sedis, aut Legatorum ejus, vel Ordinariorum, vel Nunciorum ipſorum, ſeu Rectorum Terrarum, vel Regionum, quaſcunque impetratas, vel etiam impetrandas, minime teneamini: nec ad id cogi poſſitis, etiamſi in hujuſmodi Sedis ejuſdem contineatur literis, quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, & Monaſteria ſe extendant, & aliqua eis, cujuſcunque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia non obſiſtat, niſi forſan literę ipſę dictę Sedis de Indulto hujuſmodi, & Monaſterio veſtro plenam, & expreſſam fecerint mentionem, auctoritate pręſentium indulgemus. Ipſum quoque Monaſterium, & Sorores ejuſdem cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis a venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Urbevetan., & dilectorum filiorum Abbatis, & Conventus Monaſterii S. Pauli de Urbe, Ordinis S Benedicti, qui quidem Abbas, & Conventus in vos, dictumque Monaſterium veſtrum juriſdictionem aliquam aſſerunt ſe habere, & vobis olim ſuper hoc hactenus litem pendentem moverunt, & cujuſcunque alterius, juriſdictione, ac poteſtate prorſus eximimus de gratia ſpeciali; decernentes irritas, & inanes, interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas in vos, vel aliquam veſtrum, aut dictum Monaſterium veſtrum, contra hujuſmodi exemptionis noſtrę tenorem, per quemcunque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę commiſſionis, ſtatuti, conceſſionis, exemptionis, & decreti infringere &c. Datum Laterani Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex Monialium petitio.

Concedit ut ſupra.

Monaſterii Conventus eſt Prioriſſam eligere. Monialibus Sacramenta miniſtrent Fratres. Bona poſſidendi ſit ipſis poteſtas. Quibuſcunque Decimis, ſubſidiis ac Juriſdictione eximit ipſas.

Sanctio pœnalis.

1. *Urbe Veteri.*) *Orvieto.* Ditionis eſt Pontificiæ, in *Hetruria.*
2. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Monaſterio *S. Pauli de Urbe Veteri.*
4. *Electio.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. III.*
5. *Decimis, ſeu ſubſidiis.*) Ibidem de hac materia *Tit. X.*

Magiſtro, & Provinciali Romanæ Provinciæ, ut Monaſterii S. Pauli de Urbe Veteri curam ſuſcipiant (1).

Anno 1303 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ord. lib. B. fol.* 332.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Priori Provinciali Romanę Provincię Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. IV.

Exordium.

APoſtolicę Sedis benignitas prudentes Virgines, quę ſe parant accenſis lampadibus obviam ire Sponſo, tanto propenſiori debet ſtudio proſequi caritatis, quanto majori propter fragilitatem ſexus indigere ſuffragio dignoſcuntur. Cum igitur, ſicut ex parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii S. Pauli de Urbe Veteri, Ordinis S. Benedicti fuerit propoſitum coram Nobis, eędem incluſę corpore in caſtris clauſtralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, vobis, & eidem Ordini veſtro affectent committi; Nos, pium ipſarum propoſitum in Domino commendantes, earum devotis precibus inclinati, ipſas, & Monaſterium prędictum vobis, & dicto Ordini auctoritate Apoſtolica duximus committendas: eadem auctoritate nihilominus ſtatuentes, ut ſub Magiſterio, & doctrina veſtris,

Mandatum.

veſtris, & ſucceſſorum veſtrorum, Magiſtri, & Prioris Provincialis Romanę Provincię, qui pro tempore fuerint, de cetero debeant permanere, illis gaudentes privilegiis quę veſtro Ordini ſunt conceſſa, vel in poſterum concedentur; Voſque, & ſucceſſores prędicti Animarum earum ſolicitudinem gerentes & curam, atque eis de inſtitutionibus ejuſdem veſtri Ordinis, illas, quę eis competunt exhibentes, eidem Monaſterio per vos, vel alios Fratres veſtri Ordinis, quos ad hoc idoneos videritis, quoties expedierit, viſitationis officium impendatis, corrigendo, & reformando ibidem tam in Capite, quam in membris quę correctionis, & reformationis videritis indigere: confeſſiones earum audiatis, & miniſtretis eis eccleſiaſtica Sacramenta. Ad hęc liceat prędictis Prioriſſę & Sororibus redditus, & poſſeſſiones recipere, & eos libere retinere, non obſtante contraria conſuetudine, vel ſtatuto ipſius veſtri Ordinis, confirmatione Sedis prędictę, vel quacunque firmitate alia roboratis. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, ut omnia premiſſa ad miniſterium veſtrum ſpectantia curetis diligenter, & ſolicite juxta hujuſmodi commiſſionis, & conſtitutionis noſtrę tenorem, ſublato cujuslibet difficultatis diſpendio, adimplere. Datum Lateran. Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Suſcipiant.*) Legendum præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum aſſervatur in Monaſterio *S. Pauli de Urbe Veteri*.

Anno 1303 Die 12 Decembris.

Quicquid Hoſpitali Viterbienſi (1) conceſſum voluit Bonifatius VIII, ratum habet, firmat, & auget.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

V.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Supplex Fundatoris petitio.

DEvotorum vota, quę ſalutis operibus obſecundant, libenter Apoſtolico favore proſequimur, & eis benignum aſſenſum, & gratioſum patrocinium impertimur. Sane petitio dilecti filii Nobilis viri Viſconti, dicti Gatti, Militis Viterbien., nobis exhibita continebat, quod ipſe de propria ſalute cogitans, & cupiens terrena pro cęleſtibus, & tranſitoria pro ęternis, ſalubri commercio, commutare, quoddam Hoſpitale prope Eccleſiam Sanctę Marię ad Gradus Ordinis Fratrum Prędicatorum Viterbien., ſub vocabulo Domus Dei, de bonis propriis fecit conſtrui pariter, & dotavit pro ſuę ac parentum ſuorum animarum remedio ſalutari. Ut autem Hoſpitale prędictum eo amplius in ſpiritualibus valeret, & temporalibus, proſperari, eoque facilius, & efficacius circa receptionem, & refectionem infirmorum, & pauperum, & executionem aliorum pietatis operum inſiſteretur in illo, quo potiori foret libertate munitum, ac ſtudio diligentioris curę fulcitum: Dictus Nobilis fel. rec. Bonifatio PP. VIII Prędeceſſori noſtro humiliter ſupplicavit, ut ſuper ſtatu Hoſpitalis ejuſdem, & perſonarum, tunc, & impoſterum degentium in eodem, providere miſericorditer dignaretur: Idemque Prędeceſſor devotionem ſuam ſuper hoc commendans in Domino, ipſius ſupplicationibus inclinatus, Hoſpitale prędictum, in quo nondum erat Rector aliquis Inſtitutus; necnon & Rectores ipſius Hoſpitalis, qui pro tempore forent, ceteraſque perſonas, quas in eodem Hoſpitali continue manere, & ei dedicare contingeret ſe, ac ſua, cum omnibus bonis juribus & pertinentiis ſuis, quę tunc rationabiliter poſſidebat, aut in futurum pręſtante Domino juſtis modis, & titulis adipiſci valeret, ſub ſua, & Apoſtolicę Sedis protectione ſuſcepit, illud cum Rectoribus, perſonis, bonis, juribus, & pertinentiis ſupradictis, ab omni juriſdictione, poteſtate, atque dominio tam Epiſcopi, & Capituli Viterbien., quam cujuslibet alterius Judicis Ordinarii, perpetuo auctoritate Apoſtolica eximens, ita quod nec dictus Epiſcopus, vel pręfatum Capitulum, nec quęvis alia perſona, jure ordinario, ipſum Hoſpitale, aut perſonas, quę ibi, ut prędicitur, morarentur, interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valerent, ſeu quocunque modo alias in pręfatum Hoſpitale, vel perſonas ipſas, poteſtatem, vel juriſdictionem aliquam exercere; Et ne pro defectu Paſtoris dictum Hoſpitale in temporalibus & ſpiritualibus contingeret incurrere detrimentum, ſed ut advenientes pauperes ſani & infirmi melius reciperentur ibidem, & commodius ſerviretur eiſdem: Hoſpitale ipſum, & perſonas, quę, ut premittitur, forent in eo, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum ſupradictę Eccleſię Sanctę Marię ad Gradus Viterbien. perpetuo, auctoritate commiſit prędicta, ſub ejuſdem Prioris cura, cuſtodia, viſitatione, correctione, ac obedientia permanſura; Cui quidem Priori cum conſenſu dicti Conventus tam per ſe, quam per aliquem, ſeu aliquos ex Fratribus ſupradictis, curam, cuſtodiam, viſitationem, & correctionem hujuſmodi exercendi, inſtituendi etiam, & deſtituendi, ponendi, & removendi, Rectorem, & familiares in Hoſpitali prędicto quotiens, & quando expedire videret, necnon corpora pauperum, & infirmorum, aliorumque decedentium in eodem, ſepeliendi in Cymiterio dictorum Fratrum, & miniſtrandi eis eccleſiaſtica ſacramenta, plenam, & liberam, auctoritate pręfata, duxit licentiam concedendam. Nichilominus pręfatis Hoſpitali, ac Rectoribus, & perſonis ipſius, ut privilegiis, indulgentiis, & gratiis aliis, & libertatibus omnibus, eis competentibus, & quorum poſſent eſſe capaces, ab eadem Sede Ordini prędicto conceſſis, & impoſterum concedendis libere gaudere valerent, de ſpeciali gratia concedendo, voluit tamen Prędeceſſor pręfatus, quod nulla mulier, hiis dumtaxat exceptis, quę honeſtę fuerint in obſequiis ipſius Nobilis, dum vixerit, & in ſuperioribus ejuſdem hoſpitalis domibus habitant, niſi quinquageſimum ſuę ętatis annum exceſſerit, moretur ibidem, vel etiam hoſpitetur, alioquin hujuſmodi ſua gratia eo ipſo eſſet in omnibus irrita & inanis.

Commiſſio.

Nos autem prędicti Nobilis ſupplicationibus inclinati, quę ab eodem Predeceſſore, ut premittitur, acta ſunt, approbantes, & decernentes, ut ſuperius continetur, in ſuo robore permanere, ac hujuſmodi dicti Prędeceſſoris gratiam ampliantes, Rectori, ac Fratribus dicti Hoſpitalis eadem auctoritate concedimus, ut ipſi, & Succeſſores eorum, qui pro tempore fuerint, non ſolum prędictis privilegiis, indulgentiis, & aliis gratiis ibi contentis, ſed etiam privilegiis aliis,

aliis, continentibus indulgentias, & remiſſiones peccatorum, dictis Priori, & Fratribus, a quibuſcunque Prędeceſſoribus noſtris conceſſis, & in poſterum concedendis, libere, ſicut & ipſi Prior & Fratres, gaudeant, & utantur. Datum Laterani II Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Viterbien.*) De quo dictum fuit ad *Diploma datum XXIII Martii MCCXCIX.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

Ne quis Hoſpitali Viterbienſi (1) moleſtiam exhibeat, cavet.

Anno 1303 Die 13 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Epiſcopis, & dilectis filiis, electis Abbatibus, Prioribus, & Archipresbyteris, & aliis Eccleſiarum Pręlatis, per Patrimonium Sancti Petri in Tuſcia conſtitutis, necnon Rectoribus, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus; & nobilibus viris Comitibus, Baronibus, Poteſtatibus, Capitaneis, aliis Officialibus, & Communitatibus Civitatum, Caſtrorum, & terrarum dicti Patrimonii, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ETſi locorum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum omnium curam gerere vigilem debeamus; illis tamen propenſius, & efficacius adeſſe debemus favoribus opportunis, quę fore noſcuntur ad hoſpitalitatis opera, & caritatis obſequia deputata. Cum igitur dilectus filius nobilis vir Viſconte, quondam Ranerii Gatti, Miles Viterbien., pro ſuę ac parentum ſuorum animarum remedio ſalutari, Hoſpitale, quod dicitur domus Dei, prope Eccleſiam Sanctę Marię ad Gradus Ordinis Fratrum Prędicatorum Viterbien. nuper de bonis propriis conſtrui fecerit, ac dotaverit: ac felicis recordationis Bonifatius Papa VIII Prędeceſſor noſter illud cum perſonis degentibus tunc, & in poſterum, in eodem, quę inibi continue morabuntur, ac dedicaverint ſe, & ſua, ſub ſua, & Apoſtolicę Sedis protectione receperit, atque ab omni juriſdictione, poteſtate, ac dominio Epiſcopi, & Capituli Eccleſię Viterbienſis, & cujuſlibet alterius judicis ordinarii, duxerit eximendum, ac nihilominus hoſpitale, ac perſonas hujuſmodi dilectis filiis Priori, & Conventui, Eccleſię Fratrum Prędicatorum commiſerit certo modo, Noſque poſtmodum, eodem Prędeceſſore viam univerſę carnis ingreſſo, licet indigni ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, quę ab eodem Prędeceſſore in hac parte acta fuerant, approbantes, ac decernentes, ea in ſuo robore permanere, hujuſmodi dicti Prędeceſſoris gratiam, quoad certum articulum duxerimus ampliandum, prout in noſtris, ſuper hęc confectis literis plenius continetur; diſcretionem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, quatenus pro divina, & noſtra, ac prefatę Sedis reverentia, Hoſpitali, & perſonis eiſdem opportuni favoris pręſidio efficaciter aſſiſtentes, non permittatis, eos ab aliquibus injuriis affici, vel alias indebite moleſtari. Moleſtatores, ac injuriatores, quoslibet ſpiritualiter, & temporaliter, prout ad veſtrum ſpectat officium, compeſcendo: hujuſmodi preces noſtras taliter impleturi; quod Divinę retributionis pręmium, & laudis humanę pręconium, ac noſtram, & prędictę Sedis Benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi valeatis. Datum Laterani Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Cavet ut ſupra.

1. *Viterbienſi.*) Ut in pręcedenti Diplomate.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo Cœnobii *Viterbien.*

Monaſterii S. Dominici Forolivienſis (1) curam delegat Generali Magiſtro & Lombardiæ Provinciali.

Anno 1303 Die 21 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Priori Provinciali Lombardię inferioris, Fratrum Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolicę Sedis benignitas &c (3). Cum igitur, ſicut ex parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii Sancti Dominici Forolivien., Ordinis Sancti Auguſtini, fuit propoſitum coram Nobis &c (4). Prioris Provincialis Provincię Lombardię Inferioris, qui pro tempore &c (5). Datum Laterani XII Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Forolivienſis.*) *Forli*, in *Romandiola.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo aſſervato in Monaſterio *Forolivienſi.*

3. *Benignitas &c.*) Ut in *Diplomate dato V Decembris MCCCIII* ad hæc uſque verba: *Suffragio dignoſcuntur.*

4. *Nobis &c.*) In eodem ad hæc uſque: *Magiſtri & Prioris.*

5. *Tempore &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Anno 1303 Die 23 Decembris.

Ex male partis mille florenos deſtinat Cœnobio S. Severini (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis . . . Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum de Sancto Severino, Camerinen (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Meritis veſtrę Religionis inducimur, ut vos proſequamur gratia, quę vobis fore dignoſcitur opportuna. Hinc eſt, quod Nos neceſſitatibus veſtris, quas propter Deum voluntarie ſuſtinetis, paterno compatientes affectu, ac volentes vobis ex noſtra providentia ſubſidium aliquod provenire, per quod eaſdem neceſſitates poſſitis facilius ſupportare, auctoritate pręſentium vobis duximus concedendum, ut Conceſſio. de uſuris, rapinis, & aliis male acquiſitis, ſi, propoſitis in locis competentibus publicę denuntiationis edictis, illi quibus horum reſtitutio fieri debeat, omnino ſciri, & inveniri non poſſint, uſque ad ſummam Mille florenorum auri recipere valeatis, ita quod ſi aliquid de dictis Mille florenis dimiſeritis, reſtitueritis, aut dederitis illis, a quibus eos receperitis, hujuſmodi dimiſſum, reſtitutum, ſeu datum, nihil ad eorum liberationem proſit, nec quantum ad illud habeantur aliquatenus abſoluti. Nulli ergo omnino hoSanctio pœnalis. minum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis &c. Datum Laterani X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Jo. Fulg.

1. *S. Severini.*) Vulgo *S. Severino, in Piceno.* Latine *Septempeda* vocatur hæc civitas.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo, quod habetur in Cœnobio *S. Severini.*

3. *Camerinen.*) Vulgo *Camerino* in Marchia *Anconitana.*

Anno 1304 Die 5 Januarii.

Quæ de Cœnobiorum Fratrum Prædicatorum & Minorum diſtantia Cardinales S. Sabinæ & S. Martini ſanxerant, confirmat (1).

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag. 19.

IX.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Provincialibus, ceteriſque Fratribus Prędicatorum, ac Generali, & Provincialibus Miniſtris, ceteriſque Fratribus Minorum, Ordinum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Licet ea, quę de mandato Sedis Apoſtolicę fiunt, plenam obtineant firmitatem, nos tamen illis aliquando Apoſtolicę confirmationis robur adiicimus, ut magis illibata perſiſtant, cum noſtro fuerint Supplex Fratrum petitio. pręſidio communita. Petitio ſiquidem veſtra, nobis exhibita, continebat, quod olim inter vos Prędicatorum, ex parte una, voſque Minorum Ordinum Fratres, ex altera, ſuper nonnullis locis, & Cannarum diſtantiis, quęſtionibus, litibus, & diſcordiis pluribus in diverſis mundi partibus, non abſque gravi fidelium ſcandalo inſurgentibus, quarum aliquę coram nonnullis Romanę Eccleſię Cardinalibus, aliiſque judicibus, Conſervatoribus, eorumque Subdelegatis pendebant, & in eorum aliquibus nonnulli habiti erant proceſſus, latęque ſententię, & appellationes, hinc inde etiam interjectę, fel. rec. Bonifatius Papa VIII Prędeceſſor noſter bonę memorię M . . . (3) Epiſcopo Portuenſi, nobiſque tunc Tit. S. Sabinę Presbytero Cardinali, omnes lites, & cauſas hujuſmodi tunc exortas, & quę poſſent inter vos occaſione hujuſmodi exoriri, judicio, vel compoſitione amicabili, decidendas commiſit oraculo vivę vocis; Noſque ac idem Epiſcopus, in his auctoritate commiſſionis hujuſmodi procedentes per viam amicabilis compoſitionis ſtatuendum duximus, & etiam ordinandum, ut in his cauſis, & negotiis, quę inter vos nondum deciſa, vel definita eſſent, per amicabilem compoſitionem, vel judicialem ſententiam, quę in rem tranſiſſet judicatam quibuſcunque privilegiis de Cannis a Sede memorata vobis conceſſis & quibuſvis aliis ſententiis latis, proceſſibus ſuper hoc habitis, aut appellationibus interjectis, nequaquam obſtantibus, utraque pars Eccleſias, & loca veſtra, ſicut ea primo tenebatis, & inhabitabatis, ſic teneatis in antea, & habitetis libere in eiſdem. Verum quia hujuſmodi ſtatutum, & ordinatio propter varias occupationes, ac propter abſentiam dicti Epiſcopi, ſe, de mandato Prędeceſſoris ipſius, ad partes alias transferentis, non fuerunt effectum ſortita, idem Prędeceſſor poſtmodum Nobis tunc Epiſcopo Oſtienſi, ac dilecto filio noſtro G . . . (4) Tituli S. Martini in Montibus Presbytero Cardinali, omnes lites, cauſas, & negotia hujuſmodi commiſit modo ſimul (5) decernenda. Noſque ac idem Cardinalis ſtatutum, ſeu ordinationem prędicta mandavimus perpetuis futuris temporibus obſervari, ac nihilominus de veritate (6) Procuratorum utriuſque partis ordinavimus, atque ſtatuimus, quod ſi aliqui ex vobis Eccleſias, vel Oratoria ſua ex tunc ampliare, vel conſtruere vellent, hoc eis quoad omnem plagam liceat, illa duntaxat excepta, quę reſpicit locum Ordinis alterius, verſus quam conſtructio, vel ampliatio nulla fiat, niſi forſan ultra duodecim Cannarum ſpatium, ab eorum Eccleſiis menſurandarum per aera, etiam ubi alias ſecundum locorum diſpoſitionem, & ędificiorum regularium legem, conſtrui, vel ędificari non poſſet, ſed ſicut ſtabatis antea, privilegiis, & de Cannarum ſpatiis, vel quibuſvis proceſſibus nequaquam obſtantibus, ita ubilibet perſiſteretis. Per hoc autem noluimus impedire, quin vobis invicem de Cannarum ſpatiis, ſi velletis gratiam poſſetis facere ampliorem, prout in patentibus literis, inde confectis, noſtro, quo tunc utebamur, dictique Confirmatio. Cardinalis ſigillis munitis, hęc omnia ſerioſius continentur. Statuta, & ordinationes hujuſmodi provide, ac rite facta, rata, & grata habentes, ea auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem dictarum literarum pręſentibus inſeri facientes, qui talis eſt.

Miſe-

Tenor ſententiæ latæ a Cardinalibus S. Sabinæ & S. Martini.

Miſeratione divina Frater Nicolaus Oſtien., & Velletren. Epiſcopus, & Frater Gentilis Tituli S. Martini in montibus Presbyter Cardinalis (7), univerſis Judicibus, Conſervatoribus, Delegatis, & Subdelegatis ab eis, a Sede Apoſtolica deputatis, ſeu in antea deputandis, Salutem in Domino Sempiternam. Cęleſtis agricolę mira benignitas Sacros Prędicatorum, & Minorum Fratrum Ordines pro ſalute fidelium in horto plantavit Eccleſię, qui velut agri virtutum fructiferi, ſuperni roris benedictione perfuſi, dono Domini cultores habent induſtrios, viros beatę vitę producunt, ac eis in Eccleſia univerſali ad Divini Nominis laudem, & gloriam, fideliumque ſalutem fructus ſuccreſcunt uberes, & ſalubres; propterea nos ad eorum, quantum cum Deo poſſumus, intendentes augmentum, efficax ſtudium libenter impendimus, & diligentem ſolicitudinem adhibemus, ut iidem Ordines ſopitis diſcordiis, in ſincerę dilectionis fervore perſiſtant, & in gratia perſeverent ſolidę caritatis. Sane, quia ex eo, quod inter hujuſmodi Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum, quos omnimodam decet ſanctitatem, & pacem, in diverſis mundi Provinciis ſuper ipſorum Ordinum locis, & Cannarum diſtantiis coram nonnullis Eccleſię Romanę Cardinalibus, & aliis etiam diverſis judicibus, conſervatoribus, delegatis, & ſubdelegatis ab iis non abſque fidelium gravi ſcandalo plurimorum, quęſtiones inſurgebant varię, & nonnulli ſuper illis habiti proceſſus, latęque ſententię, ac etiam hinc inde appellationes erant ad Sedem Apoſtolicam interjectę, ipſorum Fratrum tamę laudabili derogari quam plurimum videbatur, Sanctiſſimus Pater, & Dominus noſter, Dominus Bonifatius Papa VIII, velut pius pater, & pacis amator, cupiens, ut inter Fratres ipſorum Ordinum ad invicem pax, & concordia jugiter vigeat, regnet amor, caritas ferveat, & animorum identitas perſeveret, venerabili Patri Fratri Mattheo Portuen., & S. Ruffinę, Epiſcopo, ac Nobis Fratri Nicolao prędicto, tunc temporis Tituli Sanctę Sabinę Presbytero Cardinali (8), omnes cauſas, lites, controverſias, & quęſtiones hujuſmodi, quę ad invicem inter Fratres ipſorum Ordinum vertebantur, ſeu verti uſque nunc poterant & oriri, Anno Pontificatus ſui Quinto, Kal. Auguſti, decidendas judicio, ſeu amicabili compoſitione terminandas, commiſit oraculo vivę vocis, & hujuſmodi commiſſione reverenter recepta ſuper his cauſis, & negotiis, quę nondum deciſa, ſeu definita judiciali ſententia dignoſcebantur, a qua appellatum non fuerat, & ubi alias negotium non dignoſcebatur, amicabili fuiſſe compoſitione ſopitum, auctoritate commiſſionis hujuſmodi diligenti collatione pręhabita proceſſimus, & ſtatuimus, per viam compoſitionis amicabilis, & ordinavimus, quod dicti Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum, ubicunque videlicet, ſicut premittitur, negotium fuiſſe deciſum, non dignoſcebatur, itaquod jam in rem tranſiviſſe judicatam dignoſceretur, ſicuti tenebant, & inhabitabant Eccleſias, Monaſteria, & loca quęlibet ante tempus quęſtionum, & proceſſuum, appellationum, commiſſionum hujuſmodi, ſic, & in perpetuum libere teneant, ſtent, inhabitent, celebrentque divina, quibuſcunque privilegiis de Centum quadraginta cannis Fratribus Ordinum prędictorum, ſive de trecentis Cannis certis locis Ordinum eorundem, a Sede memorata conceſſis, & quibuſvis proceſſibus citra definitivas ſententias nulla appellatione ſuſpenſas, & quę jam in rem tranſiviſſe judicatam, dignoſcebantur, & appellationibus, & hinc inde propoſitis, & probatis, & aliis premiſſorum occaſione ſecutis, nequaquam obſtantibus, ac ſi ea lata, habita, interpoſita, propoſita, & approbata a principio non fuiſſent. Verum quia id, ſicut premittitur, ſuper premiſſis, & ſingulis ſtatutum, & ordinatum fuerat, auctoritate prędicta propter varias occupationes, necnon, & abſentiam prędicti Patris Portuen. & Sanctę Ruffinę Epiſcopi, quem idem Dominus noſter Papa Bonifatius VIII, extra Romanam Curiam ex certis cauſis Legatum (9) Sedis Apoſtolicę duxit poſtmodum deſtinandum, remanſerat incompletum, tandem prefatus Dominus noſter Papa Bonifatius quieti, & paci Fratrum ipſorum Ordinum volens paterna ſolicitudine providere. Nobis Fratri Nicolao Oſtien. & Velletren. Epiſcopo, & Fratri Gentili Tituli S Martini in Montibus Presbytero Cardinali prędictis, ipſo Portuen. Epiſcopo in Legatione hujuſmodi abſente, mox omnes cauſas, lites, quęſtiones, controverſias, & negotia hujuſmodi eadem auctoritate oraculo vivę vocis commiſit modo ſimili terminanda. Qui, hujuſmodi commiſſione reverenter recepta, ſuper premiſſis cauſis, & negotiis omnibus auctoritate commiſſionis prefatę proceſſimus, eaque modo, quo ſupra narratur prius ordinatum fuiſſe amicabili compoſitione, terminavimus, & terminabamus, & ſupradictam Ordinationem, ſive compoſitionem, & terminationem, & compoſitionis ejuſdem, ſive ordinationis, & terminationis modum, & formam ratam habentes, & approbantes, eam innovavimus, & etiam innovamus, & adhęrentes eidem, a Fratribus ipſorum Ordinum propter bonum pacis, quod exinde utrique Ordini provenire conſpeximus, per omnia teneri, & obſervari perpetuo eadem auctoritate ſtatuimus, & ordinavimus, atque decrevimus, omni impedimento ceſſante. Statuimus inſuper, & ordinavimus auctoritate, qua ſupra, & de voluntate Procuratorum Ordinum prędictorum, quod ſi forte aliqui ex Fratribus antedictis, Eccleſias, vel ipſorum Oratoria ex tunc ampliare, vel conſtruere voluerint, quod hoc eis quoad omnem plagam liceat, excepta illa parte, quę directe reſpicit locum alterius Ordinis eorundem Fratrum, verſus quam partem conſtructio, vel ampliatio Oratorii, vel Eccleſię nulla fiat, niſi forſan per duodecim Cannarum ſpatium, ubi alias ſecundum locorum diſpoſitionem, & ędificiorum regularium legem, conſtrui, vel ędificari non poſſet, ſed ſicut ſtabant ante tempus proceſſuum, & appellationum, ac commiſſionum hujuſmodi, privilegiis de Cannarum ſpatiis, & quibuſvis proceſſibus nequaquam obſtantibus, ita ſtabunt ubilibet Fratres Ordinum prędictorum. Per hoc tamen non intendimus impedire quin Fratres ipſi ſibi adinvicem de Cannarum ſpatiis, ſi voluerint, gratiam facere valeant ampliorem. In cujus rei teſtimonium preſentes literas fecimus ſigillorum noſtrorum appenſione muniri. Datum Anagnię Anno Domini MCCC die XXVIII Menſis Julii Pontificatus dicti Domini Bonifatii Papę VIII Anno VI. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Confirmationis &c. ſi quis &c. Datum Laterani Nonis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Confirmat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Waddingo.*) Ex *Regeſto Vaticano Epiſt. LXII Lib. I B. Benedicti XI.*

3. *M...*) Fratri ſcilicet *Matthæo de Aquaſparta*, Ordinis Minorum; de quo *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCLXXXVIII pag. 265.*

4. *G...*) Is erat *F. Gentilis de Monte-Floris*, Ordinis Minorum. *Ciaconius* mox laudatus, *ad annum MCCXCIV pag. 329.*

5. *Simul.*) Fortaſſis: *Simili.*

6. *Veri-*

6. *Veritate.*) Legerem: *Voluntate.*
7. *Cardinalis.*) *Cardinales.*
8. *Cardinali.*) *Cardinalibus.*
9. *Legatum.*) *In Galliam Ciſalpinam ea potiſſimum de cauſa* miſſum, *ut Cæſenam, Forolivium, Faventiam, & Forum Cornelii, quæ Pontificis, & Romanæ Eccleſiæ detrectabant imperium, ad parendum induceret*, ut ex Udorico, & Bzovio teſtatur *Ciaconius* ſupra citatus.

Anno 1304 Die 20 Januarii.

Privilegia Cœnobio San-Maximinenſi conceſſa, Caroli Regis & Fratrum rogatu confirmat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

X.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatoribus S. Maximini, ac de Balma, Aquen. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Privilegia San-Maximinenſi Cœnobio conceſſa recenſet.

QUę pro Religionis favore, & divini cultus ampliatione, pie fieri conſpicimus, grata ſunt plurimum votis noſtris, eiſque libenter, ut magis illibata perſiſtant, adjicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus (4) Rex Siciliæ Illuſtris, ob magnę devotionis affectum, quem ad B. Mariam Magdalenam exhibet, in Eccleſia noſtra S. Maximini, tunc ad Monaſterium S. Victoris Maſſilien., Ordinis S. Benedicti, ſpectante, in qua Corpus ejuſdem Sanctę noſcitur eſſe reconditum (5) cultum divini nominis adaugeri deſiderans, fel. rec. Bonifatio Papę VIII Prędeceſſori noſtro humiliter ſupplicavit, ut Eccleſiam ipſam cum domibus, & officinis ei conjunctis necnon theſauro, Reliquiis, ornamentis eccleſiaſticis, & oblationibus eidem Eccleſię proventuris deputare pro executione tam laudandi propoſiti dignaretur: idemque Prędeceſſor attendens devotionem hujuſmodi dicti Regis, quam per operum exhibitionem oſtenderat, dum olim locus incertus exiſteret, ubi ſepultum fuerat Corpus ejus, ad inquirendum, & inveniendum illud efficax ſtudium impendendo, illudque inventum procurando in eadem Eccleſia cum debita reverentia collocari, dictam Eccleſiam cum domibus, & officinis, theſauro, Reliquiis, ornamentis, & oblationibus antedictis, ex certa ſcientia ad hujuſmodi miniſterium deputavit, ſibi conceſſa licentia Prioratum inibi de Ordine noſtro (6). cum illo Fratrum numero, qui ſibi videretur expediens, ordinandi, & Eccleſiam ipſam cum pręmiſſis omnibus, & Prioratum inibi ordinandum in jus, & proprietatem, & protectionem B. Petri, & Apoſtolicę Sedis recepit, & ipſos ab omni juriſdictione, poteſtate, & dominio dicti Monaſterii, Abbatis. & Conventus ipſius, & quorumlibet Ordinariorum prorſus exemit, pręfato Regi nihilominus concedendo, quod Prior, qui pro tempore pręerit in Prioratu prędicto, ad ipſius requiſitionis, & informationis inſtantiam, correctionem, & reformationem in loco ipſo facere teneatur. Ille poſtmodum Prędeceſſor ipſe ad ipſius Regis pręſentationem quendam Fratrem Guillelmum (7) ejuſdem Ordinis Profeſſorem in Priorem inſtituit dicti loci, ſtatuens, ut Fratres ibi aſſumendi tenerentur ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus, obedire; nec Prior, qui pro tempore eſſet ejuſdem loci, ab officio adminiſtrationis dicti loci poſſet abſolvi ſine dicti Regis, vel hęredum ſuorum licentia, & aſſenſu, & quod locus ubi pęnitentiam egiſſe dicitur dicta Sancta, qui Balma vulgo nuncupatur, in conceſſione hujuſmodi facta de Eccleſia, & aliis prędictis, includi deberet, & pari cum ceteris in ipſa Conceſſione contentis, exemptionis privilegio, gaudeat, & eiſdem conditionibus cenſeatur. Electio vero Prioris ipſius loci ad dictum Conventum, ac ejus confirmatio ad Priorem Provincialem, vel ad Magiſtrum dicti Ordinis pertineat, eo modo, quod poſt electionem celebratam ab ipſis de Priore iidem Conventus dicti Regis aſſenſum requirere teneantur, & ſi illum ſuper hoc pręſtare noluerit, poſſint procedere ad electionem aliam faciendam. Nec aliqua electio, quam de Priore in loco ipſo celebrari continget, pręſentari Superiori, ſeu confirmari valeat, niſi ejuſdem Regis aſſenſus prius requiſitus fuerit, & obtentus; & quod eidem Priori, ſuiſque ſucceſſoribus, habitatorum Villę dicti loci S. Maximini, & illuc accedentium, quandiu ibi fuerint, cura immineat animarum, quę per Presbyteros Seculares idoneos inſtituendos, & deſtituendos per ipſum, quoties viderit opportunum, valeat exerceri, quibus ipſi Prior, & ſucceſſores teneantur in vitę neceſſariis congrue providere, & quod ratione dictę Curę Prior, & Presbyteri ſupradicti, juriſdictioni Dięceſani, in nullo penitus ſint ſubjecti, nec teneantur ſibi, vel aliis reddere rationem, quodque vos Regem eundem, cum ad locum ipſum accedere perſonaliter continget, tanquam verum Patronum ipſius loci recipere proceſſionaliter teneamini; mandans venerabili fratri noſtro Epiſcopo Maſſilien., ut venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Siſtaricen. nomine dicti Regis in corporalem poſſeſſionem Eccleſię, Prioratus loci Balmę, domorum, & officinarum, theſauri, Reliquiarum, ornamentorum, pertinentiarum, & jurium prędictorum, per ſe, vel alium, ſeu alios induceret, & tueretur inductum, contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Dicto etiam Epiſcopo Siſtaricen. mandavit, quod Eccleſiam, & locum prędictos, cum pręfatis aliis bonis, nomine dicti Regis recipiens, poſtquam ſibi aſſignati eſſent, viginti Fratres dicti Ordinis in eadem Eccleſia, & in pręfato loco de Balma quatuor, duos videlicet Presbyteros, & duos Converſos de locis ejuſdem Ordinis adjacentibus aſſumendos, collocare ſtuderet, ad divina officia celebranda, & inſtitueret nihilominus in eadem Eccleſia Suppriorem ſecundum ipſius Ordinis inſtituta, donec idem Frater Guillelmus Prior, ut pręmittitur, inſtitutus, ad Prioratum accederet antedictum, vel idem Rex de perſona idonea Ordinis pręlibati, juxta conceſſionem hujuſmodi ſibi factam, aliter ordinaret. Dicti vero Maſſilien., & Siſtaricen Epiſcopi, pręmiſſa, quę per eundem Prędeceſſorem fuerunt injuncta, literarum eis ſuper his directarum forma ſervata, fuerunt diligenter. & fideliter executi: ac idem Rex vobis nonnullas libertates, & immunitates Regia liberalitate conceſſit, prout in Inſtrumentis publicis, inde confectis, hęc omnia plenius continentur.

Confirmatio.

Nos itaque veſtris, & ipſius Regis ſupplicationibus inclinati, quę in pręmiſſis pie, ac provide acta ſunt, rata, & grata habentes, Eccleſiam, ac locum prędicta, cum eiſdem domibus, & officinis, theſauro, Reliquiis, ornamentis, & oblationibus antedictis, ceteriſque juribus, & pertinentiis eorum, ac hujuſmodi privilegiis, im-

immunitatibus, indulgentiis, & libertatibus, tam a Prędeceſſore, quam a Rege prędictis vobis conceſſis, vobis, & ſucceſſoribus veſtris auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nlli ergo omniuo hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere &c. Datum Laterani XIII Kal. Februarii, Poutificatus noſtri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Confirmat.*) Conſulenda *Diplomata data VI, VII, & VIII Aprilis MCCXCV.*
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum, & aliud typis mandatum.
3. *Aquea.*) *Aix*, in *Gallo-Provincia*. Hujus Diœceſeos eſt Civitas *San-Maximinenſis*; *Balma* vero, ſeu *S. Balma*, eſt in *Maſſilienſi* Diœceſi.
4. *Carolus.*) *II.*
5. *Reconditum.*) Vide *Notam* III ad *Diploma datum VI April. MCCXCV.*
6. *Noſtro.*) Prædicatorum ſcilicet, cui nomen dederat *B. Benedictus XI.*
7. *Guillelmum.*) *De Tonneat* nuncupatum, de quo ſæpius dictum eſt.

F. Nicolaum (1) Epiſcopum Oſtienſem, Ordinis Prædicatorum, S. R. E. Legatum in Hetruriam mittit (2).

Anno 1304 Die 31 Januarii.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCIV. num. I.

XI.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri noſtro Nicolao Epiſcopo Oſtienſi, Apoſtolicę Sedis Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium:

TRanſiturus ad Patrem Dominus de hoc mundo hereditatem pacis ſuis legavit Diſcipulis teſtamento, dicens: pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis; hęc verba in ultimo quaſi proponens, ut verbum pacis in omnibus altius figeretur, & prębere deberemus operas efficaces, quę inter diſcordes pacis vinculum reformarent. Ipſius itaque vices gerentes in terris, pia ejus permittente potentia, qui pacem ſuper omnia diligit, inter multiplices curas, quę pro malitia temporis plus ſolito animo noſtro ſe ingerunt, curam pacis pręcipuam reputamus; & quia cunctorum fidelium ſolicitudinem gerimus paſtoralem, ad id ſpecialiter mens noſtra diſtrahitur, ad id noſtri ſenſus invigilant, inſudant ſtudia, & labores intendunt, ut fideles ipſos, qui Dei ducti conſilio perambulant viam pacis, in pacifici ſtatus ſtabilitate ſervemus, & quos cathenas (4) ille malignus ſpiritus, inimicus pacis, contemptor fidei & adverſarius veritatis in diſſenſiones & odia irrepit & involvit, ad rectitudinis ſemitas reducamus, ipſis voluntariis vel invitis, de reformatione pacis & concordię ſalubriter, prout ad noſtrum ſpectat officium, providendo, ut fiat pax in diebus noſtris, & ſancta mater Eccleſia ex noſtri miniſterii ſtudio, divini conſilii ſuſteotatione ſuſtulto, in ſuis fidelibus poſſideat locum pacis, quę exſuperat omnem ſenſum. Cum igitur te ad Provincias Tuſcię, Romaniolę, Marchię Terviſinę, ac partes circumadjacentes, commiſſo tibi inibi per noſtras ſub certa forma literas (5) plenę legationis officio, deſtinemus; attendentes, quod multi ex incolis ipſarum partium, tam univerſitates videlicet, quam ſingulares perſonę, abutentes per inſolentiam Sedis Apoſtolicę patientia, pacem perturbant, & unitatem nequam diſſolutione diſſolvunt: quodque ipſos incolas, atque partes inveterata diſſentientium malitia, cujus rubigo excreſcit admodum per domeſtica, proh dolor! & particularia ſcandala, concutit, ſubvertit, diſſipat, & conſumit; de pacis remedio nedum generaliter, ſed particulariter fore putavimus providendum. De te igitur quem largitor bonorum omnium ſcientiarum, & aliarum virtutum munere decoravit, & cujus magnam in magnis & arduis experti ſumus induſtriam; quique tuę probitatis intuitu nobis, & fratribus noſtris carus es quamplurimum & acceptus, indubitatam fiduciam obtinentes; in eiſdem Provinciis Tuſcię, Romaniolę, Marchię Terviſinę, ac partibus circumadjacentibus conſtituimus pactis (6) de ipſorum fratrum conſilio ſervatorem, ac paciarium in eiſdem Provinciis, & partibus te ordinantes, ut inter quoslibet in ipſis Provinciis, & partibus conſtitutos, quos fędere pacis videris reformandos, pacem & concordiam reformare, & conſervare procures &c. (7). Datum Laterani II Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Legatio.

1. *Nicolaum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Mittit.*) *Benedictus Romanus Pontifex*, inquit, *Odoricus* ad an. MCCCIV num. I, *ut Regis pacifici vices, quas in terris gerebat, impleret, ſtudium omne hoc ineunte anno quarto ſupra milleſimum treceteſimum, Indictione Secunda, ad diſſidentes filios in mutuam concordiam revocandos contulit. Ardebant inteſtino bello Hetruria, Æmilia, Marchia Tarviſina, aliaque Italiæ Provinciæ, in quibus humani generis hoſtis exitiales diſcordias alebat: ac præter Guelphorum, Gibellinorumque vetuſtas factiones, Alborum & Nigrorum ..... odia ad mutuam ipſorum internecionem accenderat. Ad quæ extinguenda, eoſque populos mutuo amore conjungendos Nicolaum virum magni ingenii, qui inter Prædicatores religioſa diſciplina excultus ad magnas virtutes adoleverat, ac ſuperiori anno exeunte in Cardinalium Collegium cooptatus, e Spoletana Sede ad Oſtienſem a Benedicto traductus fuerat, paciarium creavit.* Conſulendi *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCIV num. I, Bzovius ad an. MCCCIII num. XVII, & Fontana Monumen. Dominican. Parte I Cap. XII ad annum MCCCIII pag.* 154, ubi laudat Ughellum, & *ad annum MCCCIV pag.* 157.
3. *Odorico.*) Laudat *Epiſtolam I XIX Lib. I Benedicti XI*, Ejuſdem Diplomatis mentio apud Auctores mox citatos.
4. *Cathenas.*) *Sathanas*, ut monet *Odoricus*.
5. *Literas.*) *Extant aliæ ad Nicolaum literæ*, verba ſunt *Odorici* num. II, *quibus ipſum in iis Provinciis Legatum creavit, ejuſque auctoritatem ad alias etiam Provincias extendit. Te, inquit*, de fratrum prædictorum conſilio illuc tanquam pacis Angelum deſtinamus, fraternitati tuæ in partibus ejuſdem Tuſciæ in Imperio conſtitutis, Romaniola, & Marchia ſupradictis, & nominatim in Aquilejenſi, & Gradenſi Patriarchatibus, de eodem tantum Gradenſi Patriarchatu Jadrenſi cum Provincia ſua excepto; necnon in toto Archiepiſcopatu & Provincia Ravennate, & Ferrarienſi Civitate & Diœceſi, ac Venetiarum partibus, plenæ Legationis officium committentes, ut evellas & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ædifices & plantes, ac facias auctoritate noſtra quodcunque ad honorem Dei, & proſperum ſtatum partium earundem ac reformationem pacis fidelium videris expedire &c. Datum Laterani II Kalendas Februarii Anno Primo. *Quo vero majorem Legato ad gerendam pro dignitate provinciam auctoritatem conciliaret, pluribus ipſum prærogativis ornavit. Inſtruxit etiam ſumma auctoritate, ut imperii ipſius rebelles eccleſiaſtica cenſura percelleret.*
6. *Pactis.*) *Pacis.*
7. *Procures &c.*) Hic deſunt nonnulla, quibus ut inquit *Odoricus*, Summus Pontifex *inſtruit Legatum Cardinalem auctoritate, ut diſcordiis implicitos ad pacem ineundam cogat.*

Mil-

Digitized by Google

Anno 1304 Die 5 Februarii.

Mille florenos auri, ex male partis, in uſus Fratrum Cœnobii Patavini (1) transfert.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Paduan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UT circa ea quę Dei ſunt liberius intendere valeatis, Nos volentes vobis de illa ſubventionis gratia ſubvenire, quam veſtris fore conſpicimus neceſſitatibus opportunam, quod de uſuris, & aliis illicite acquiſitis, dummodo ii, quibus horum reſtitutio fieri debeat, omnino ſciri non poſſint, uſque ad ſummam mille florenorum auri recipere valeatis, in neceſſitates veſtras totaliter convertendam, ſi alias pro ſimilium receptione gratiam a Nobis non fueritis conſecuti, vobis auctoritate prępentium indulgemus: ita quod ii qui prędicta vobis contulerint ad reſtitutionem eorum quę per eos taliter collata fuerint cuiquam faciendam minime teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prępumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Lateran. Non. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Patavini*.) *Padova*, in ditione *Venetorum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo *Patavii* aſſervato.

Anno 1304 Die 13 Februarii.

Ædes Sacras Ordinis noſtri Feſtis B. Mariæ Virginis, S. Patris Dominici, S. Petri Martyris, Sanctorum ſub quorum invocatione Deo eædem dedicantur, necnon dedicationis anniverſaria die, & per Octavas eorundem, viſitantibus Indulgentiam concedit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, prępentes litteras inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

IN Ordine Fratrum Prędicatorum quaſi ſolis radius habitantibus in hac lachrimarum valle, lux eruditionis illucet, dum ipſius Ordinis Profeſſorum fructuoſa ſtudia mentes, fidem orthodoxam confitentium, fragiles, in tenebris erroris inimici hominis ſuggeſtione illapſas, lumine veritatis illuſtrant, & ſpinas punctionis letiferę, in orto ſuccreſcentes dominico, novacula labiorum ſuccidunt, in quibus ęternę ſapientię gratia eſt diffuſa. Quare dictus Ordo, qui nempe in medio Eccleſię in germine ineffabilis utilitatis ſuccreſcens, ut ſpiritualium fructuum ubertatem multipharian multiplicet, non laſſatur labore, votivis per Sedem Apoſtolicam eſt confovendus favoribus, & a cunctis, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, devotione multiplici venerandus. Rogamus itaque univerſitatem veſtram, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatinus ad loca Fratrum dicti Ordinis, imploraturi a Domino in locorum ipſorum Eccleſiis veniam delictorum, in humilitate ſpiritus accedatis. Nos enim cupientes, ut eadem loca eo libentius a fidelibus frequententur, quo per hoc fideles ipſi potiori dono cęleſtis gratię ſenſerint ſe refectos, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui Eccleſias locorum dicti Ordinis, prępentium, & futurorum, ubicumque conſiſtentium, in ſingulis B. Marię Virginis, S. Dominici Confeſſoris, & S. Petri Martyris, ac aliorum Sanctorum, in quorum honore hujuſmodi Eccleſię ſunt conſtructę, vel impoſterum conſtruentur, feſtivitatibus, & per octo dies, feſtivitates ipſas
Indulget ut ſupra.
immediate ſequentes, necnon in diebus, & Anniverſariis Dedicationum earundem Eccleſiarum, annis ſingulis venerabiliter viſitarint, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies, de injunctis ſibi pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Lateran. Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Concedit*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo*.) In quo duplex Autographum. Aliud aſſervatur *Toloſæ*. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplaria authentica habes in Archivo Ordinis *Lib. B. fol. 295*, *Lib. E. fol. 72*, & apud *Uſuſmarem pag. 67*.

Anno 1304 Die 14 Februarii.

Quas ipſemet Conſecrarat, Patavinas (1) Ædes ſacras, Ordinis noſtri, viſitantibus Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 517.

XIV.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, prępentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VItę perennis gloria, qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium Supernorum, a redemptis pretio ſanguinis ſuſi de pretioſo Corpore Redemptoris, meritorum debet ac-
Indulgentia.
quiri virtute, inter quę illud eſſe pergrande dignoſcitur, ut ubique, ſed prępcipue in Sanctorum Eccleſiis, Majeſtas Altiſſimi collaudetur. Cum itaque accedentibus ad Eccleſiam dilectorum filiorum Prioris, &

Fra-

Fratrum Ordinis Prędicatorum Paduan. certis anni diebus, tam per nos, tunc Epiſcopum Oſtien., ex poteſtate ſuper hoc Nobis ab Apoſtolica Sede conceſſa, qui eam conſecravimus, quam per Ven. Fratres noſtros Leonardum Conſtantinopolitanum, & Ægidium (3) Graden. Patriarchas, Petrum Archiepiſcopum Duracen. (4), Paganum (5) Paduan., Guillelmum (6) Equilin., Franciſcum (7) Ceneten, Auguſtinum (8) Civitatis novę, Johannem (9) Caprulan., Nicolaum Vallon. (10), & Gratiadeum Salvin. (11) Epiſcopos tempore conſecrationis (12) ejuſdem Eccleſię, cui interfuerunt, quędam peccatorum Indulgentię conceſſę fuerint, Nos, ad eandem Eccleſiam ſpecialem affectionem habentes, & cupientes, quod ipſa congruis honoribus frequentetur, omnes hujuſmodi Indulgentiarum conceſſiones a Nobis, & eiſdem Patriarchis, Archiepiſcopo, & Epiſcopis, ut pręmittitur, factas, ratas, & gratas habentes, eas Auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; Et, ut Chriſti fideles eo concurrant devotius ad eandem, quo ſe magis ibidem ſpiritualia munera ſperaverint adipiſci, ultra Indulgentias prędictas, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui eandem Eccleſiam, devote viſitaverint annuatim in die Dedicationis ipſius, unum Annum, & quadraginta dies de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę Confirmationis, & Conceſſionis infringere &c. Datum Laterani XVI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Sanctio pœnalis.

1. *Patavinas.*) in Statu *Veneto*.
2. *Archivo.* In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio noſtro *Patavino.* Legitur in *Actis Sanctorum Julii Tomo I pag.474.*
3. *Ægidium.*) *Ferrarienſem*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII.*
4. *Duracen.*) Seu *Durracen.*, vulgo *Durazzo*; urbs eſt Archiepiſcopalis *Macedoniæ* inter *Brunduſium*, & *Theſſalonicam*, in ora occidua maris *Jonii*. Aliter *Dyrrachium*, & *Epidamnus* vocatur.
5. *Paganum.*) De quo Ughellus in *Epiſcopis Patavinis*.
6. *Guillelmum.*) Conſulendus idem *Ughellus* in *Epiſcopis Equilinis*, Urbs Epiſcopalis, ſub *Aquilejenſi* Patriarcha, fuit *Equilium*, vulgo *Jeſol*, cujus rudera viſuntur ad oſtia *Planis* fluvii.
7. *Franciſcum.*) Illius mentio in *Appendice ad Pontificatum Nicolai IV.*
8. *Auguſtinum.*) Cujus meminit *Ughellus* in *Epiſcopis Civitatis novæ*, vulgo *Citta nova*, latine *Æmonia*. Urbs eſt Epiſcopalis *Iſtriæ*, ſub *Aquilejenſi* Patriarcha.
9. *Johannem.*) Adeas *Ughellum* in *Epiſcopis Caprulan.*, vulgo *Caborle*, in Statu *Veneto*, ſub *Aquilejenſi* Patriarcha.
10. *Vallon.*) *Vallonenſis*, ſeu *Valonenſis* Epiſcopatus, vulgo *Valona*, latine *Aulonen.*, in *Albania Superiori*, tunc ſub *Dyrrachina* Metropoli, dein Archiepiſcopatus evaſit.
11. *Salvin.*) Vulgo *Salvia*, in *Achaja* latine *Niſſanus*, *Niſanus*, & *Megarenſis* vocatur Epiſcopatus iſte.
12. *Conſecrationis.*) Quandonam facta ſit habes ex ſequenti Diplomate, cujus Autographum eſt in Archivo Cœnobii *Patavini*.

Frater Nicolaus Miſeratione Divina Oſtien., & Velletren. Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus.

Univerſis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino ſempiternam. Quia decorem Domus Dei tota mentis affectione complectimur, ejus cultum intendimus ex affectu. Unde, & Eccleſiam dilectorum Nobis in Chriſto Fratrum noſtri Ordinis Prædicatorum Paduæ in honorem pretioſi Confeſſoris Auguſtini de voluntate ac aſſenſu Venerabilis Patris Domini Pagani tunc Paduani Epiſcopi, qui Nobis perſonaliter cum Venerabilibus Patribus Dominis Leonardo Conſtantinopolitano, & Ægidio Graden. Patriarchis, Antonio (Legendum Petro Archiepiſcopo Duracen.,) *Duraceno Epiſcopo, Franciſco Ceneten., Johanne Caprulano, Guillelmo Eſculano* (Equilin.) *Alberico* (Auguſtino Civitatis novæ, Nicolao Vallon.) *Valonen., & Gratiadeo Salvinen. Epiſcopis, aſtitit, conſecravimus Anno Domini Milleſimo trecenteſimo tertio. Tertio Idus Aprilis. Verum ejuſdem Conſecrationis anniverſarium diem, dictorum Venerabilium Patrum, Patriarcharum, Archiepiſcopi, ac Epiſcoporum conſilio, & aſſenſu proxima Dominica ante Aſcenſionem, certis quibuſdam, ac rationabilibus cauſis decernimus annis ſingulis celebrandum. Ut igitur dicta Eccleſia in præfata feſtivitate a fideli Populo devotius frequentetur, omnibus vere pænitentibus, & contritis, qui ad eandem in die ſupradicta, & per ſeptem dies ſequentes immediate, cauſa devotionis acceſſerint, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi cum beneplacito ſupradicti Paduani Epiſcopi, unum annum, & quadraginta dies de injunctis eis Pænitentiis miſericorditer relaxamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conſtitutionis, & conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. In cujus rei teſtimonium præſentes literas ſigilli noſtri fecimus appenſione muniri. Datum Paduæ eodem Die, id eſt tertio Idus Aprilis, Pontificatus Domini Bonifatii Papæ Octavi Anno Nono.*

Utrumque Provincialem utriuſque Lombardiæ (1) eadem auctoritate donat circa Fidei Quæſitores.

Anno 1304 Die 16 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

XV.

Licet olim unus tantum Prior Provincialis Ordinis Fratrum Prędicatorum eſſe conſueverit in Provincia Lombardię, eadem tamen poſtmodum Provincia per dictum Ordinem in duas diviſa, quarum una Lombardia ſuperior, & altera inferior appellatur, duo inibi Provinciales Priores inſtituuntur, unus videlicet in alterutra earundem. Ut autem ipſi duo Priores commiſſum eis officium exequi libere valeant, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, quod uterque ipſorum tam circa conſtituendos Inquiſitores hereticę pravitatis, eoſque ab hujuſmodi Inquiſitionis officio abſolvendos, & eis alios, cum oportuerit, ſubrogandos, quam circa omnia alia, quę ſibi ejuſdem ſui officii ratione invenerint facienda. illam in Provincia ſibi decreta habeat per omnia poteſtatem, quam Prior Provincialis Lombardię, priuſquam hujuſmodi diviſio fieret, obtinebat; quodque iidem Priores, & etiam Inquiſitores deputati, vel deputandi ab eis, omnibus privilegiis, & literis Apoſtolicis, quibus, ante dictam diviſionem, Prior Lombardię, qui erat pro rem-

Decretum.

Digitized by Google

tempore, ac Inquiſitores, quos deputabat, gaudebant, & utebantur, libere gaudeant, & utantur. Circa numerum autem dictorum Inquiſitorum, qui in eadem Provincia Lombardię ante dictam diviſionem conſueverant eſſe octo, ſtatuimus eadem auctoritate, quod in Lombardia ſuperiori Septem, in Inferiori vero tres de cetero deputentur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti infringere &c. Datum Laterani XIV Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Lombardia*.) De hac diviſione Provinciæ *Lombardiæ* ſic loquitur *Echard* in *Notitia Ordinis* Tomo I Scriptor. Ord. Prædicator. pag. 7. *Anno Domini MCCCIII in Actis Capituli Generalis Biſuntini fuit Conſtitutio confirmata, quæ in præcedentibus duobus Capitulis inchoata fuerat, & etiam approbata, quod Provincia Lombardiæ divideretur in duas hoc modo, videlicet, quod Conventus omnes Marchiæ Anconitanæ, & Romaniolæ, tum Benonia, Mutina, Regio, Parma, & Ferraria, & omnes Conventus Patriarchatus Aquilegienſis, & Gradenſis, excepto Cumano (id eſt Novo-Comenſi) ſint una Provincia, & vocetur Lombardia Inferior; & teneat ſecundum locum in choro ſiniſtro poſt Provinciam Toloſanam. Omnes autem Conventus de Archiepiſcopatu Mediolanenſi, & Januenſi cum Conventibus Papienſi, Placentino, & Cumano ſint alia Provincia, & Lombardia Superior nominetur, & teneat locum in choro dextro poſt Provinciam Provinciæ.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum, cujus Autographum aſſervatur in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiarum*. Aliud Authenticum legitur *Libro B. fol.* 407 ex Autographo *Paduano*, ſeu *Patavino*.

Anno 1304 Die 17 Februarii.

Abrogans Conſtitutionem quæ incipit; *Super Cathedram*: Fratres Prædicatores, & Minores variis privilegiis ornat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

INter cunctas ſollicitudines noſtras, quibus nos paſtorale premit officium, & debitum Apoſtolicę ſervitutis aſtringit, illa debet eſſe pręcipua, ut gregi dominico nobis ſuperna diſpoſitione, commiſſo, animarum cura non deſit, ne illum lupus rapax, antiquus ſerpens, humani generis inimicus, invadat, ejuſque ſanguis de noſtris, quod abſit, id clamante propheta, manibus requiratur. Debemus inſuper, quantum ex alto permittitur, pacem inſerere, removere ſcandala, jurgiorum amputare materiam, & intelligere ſuper pauperem & egenum, quia non in finem oblivio erit pauperis, & patientia pauperum non peribit in finem. Sane dudum bonę mem. Boniſatius PP. VIII Prędeceſſor noſter, quandam ſpecialem inter Prelatos, Rectores, ſeu Sacerdotes, & Clericos Parochialium Eccleſiarum, ex parte una, & Prędicatorum, ac Minorum Ordinum Fratres, ex altera, ſuper faciendarum prędicationum, audiendarum confeſſionum per eoſdem Fratres, ac de eis relictis, & de funeralibus canonicę portionis articulis, Conſtitutionem (3) edidit, certum hiis modum imponens, prout in eadem Conſtitutione plenius continetur. Sed pro, quam intendebat, quiete, turbatio nata eſt; pro concordia ſunt ſuborta diſſidia; & pullulatę inquietudines pro tranquillitate noſcuntur. Sicque dum anſam ſolviſſe ſe credidit, nodum ligaſſe videtur, & ſeptem, uno ydrę amputato capite, ſuſcitaſſe. Nec mirum quia plerumque pariunt novitates diſcordiam, pręſertim dum ab eo, quod diu ęquum viſum eſt, per novam Conſtitutionem receditur, nec quare recedatur utilitas evidens, vel alia cauſa ſubeſt. Ideoque cupientes, ut ipſi gregi cura noſtra eo plenior impendatur, quo amplior in agro Domini operariorum numerus operetur, ſuper egenum intendentes, & pauperem, ac novitatem removentes per eandem Conſtitutionem inductam, ſtatuimus de Fratrum noſtrorum Conſilio, ut ipſorum Ordinum Fratres, qui ad hoc deputati fuerint in Eccleſiis, & locis eorum, quę in preſentiarum habent, & imposterum obtinebunt, ac in plateis communibus, ſeu publicis, libere abſque Dioceſanorum, & aliorum Prelatorum petita licentia valeant Clero, & populo prędicare (4), eiſque proponere Verbum Dei; Caveant tamen omnino, ne hora, in qua Dioceſani prędicti prędicarent, vel coram ſe facerent prędicari, prędicent iidem Fratres; putamus etenim dignum, ut majori minor, & ſuperiori inferior deferat in hac parte; niſi forſan aliud circa hoc facerent de voluntate Dioceſanorum ipſorum, aut in ſtudiis Generalibus, diebus illis dumtaxat, quibus ſermones ad Clerum fieri ſolent, & ſolemniter prędicari, ſive mortuorum funeribus, vel eorumdem Fratrum feſtis ſpecialibus, ſeu peculiaribus, quia his caſibus cum Dioceſanis in prędicatione concurrere poterunt, prędicarent; Ubi vero iidem Dioceſani convocarent generaliter ad ſe Clerum, aut aliqua ratione, vel urgente cauſa, illum ducerent congregandum, ea hora, in ſtudiis, memoratis diebus, ſępedicti Fratres ab hujuſmodi prędicatione ceſſabunt. In Eccleſiis autem Parochialibus Fratres ipſi, invitis eorum Rectoribus, ſeu Sacerdotibus, niſi juſſi a ſuperioribus eorundem, non audeant prędicare. Sed quia multotiens propoſitum Verbum Dei, audientem a peccando non retrahit, idcirco poſt peccatum neceſſarium eſt Pęnitentię Sacramentum, circa quod, niſi articulus neceſſitatis occurrat, oris Sacerdoti facienda confeſſio, prout ſcriptum eſt: corde ad juſtitiam creditur, ore autem fit confeſſio ad ſalutem, exigitur; alias fruſtra eſſet in Sacramento eodem Sacerdotis, qui inter lepram, & lepram debet diſcernere, miniſterium inſtitutum. Electi igitur ab eiſdem Fratribus ad audiendum Confeſſiones (5), & pęnitentias injungendas, libere auctoritate Apoſtolica, abſque licentia Dioceſanorum, vel aliorum Prelatorum inferiorum, exemptorum, & non exemptorum, quibus ſubſunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis peccata ſua confiteri volentes, non Religioſos, qui ſecundum ſtatuta ſuorum Ordinum, propriis Prelatis confiteri debent, aut ab eis, ne confiteantur aliis, prohibentur, abſolvant, ipſiſque pęnitentias ſalutares injungant, infra ſibi deſignatos terminos ad hujuſmodi exercendum officium conſtitutos. Excommunicationes vero, vel alias ſententias per Prelatos latas contra hoc, vel in ejus fraudem, denunciamus irritas & inanes. Nec confeſſi ipſis Fratribus peccata illa, de quibus confeſſi ſunt eis, & abſoluti pęnitentes, de illis Sacerdotibus propriis teneantur, ſicut & non tenentur, iterum confiteri. Non obſtante Conſtitutione Generalis Concilii (6), quę ſano intellectu, ne ſequatur abſurdum, quod per pęnitentiam dimiſſa peccata quis confiteri debeat, & quod liberatus debitor, adhuc ad ſolvendum remaneat obligatus, intelligenda eſt, ut ex ea patet, de illis, qui ſua peccata legitime confiteri aliis ne-

Hujuſce Diplomatis cauſa.

Prædicandi Verbi Dei facultatem facit Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus.

Confeſſiones excipiendi facultas.

Quo ſenſu intelligendus ſit Canon - *Omnis utriuſque ſexus*.

neglexerunt. Sed Sacerdotes ipſi taliter confeſſis, & abſolutis, aſtricti ſint miniſtrare Euchariſtię, & Extremę unctionis etiam Sacramenta. Super confeſſione autem facta Fratribus memoratis, cum hic de confitentis ſolius prejudicio, ſi falſum dicat, agatur, in judicio animę, ſeu penitentiali foro, ſtabitur verbo ſimplici illius, qui ſacramenta petit predicta, & dicit, dictis Fratribus ſe confeſſum. Duos tamen caſus excipimus, ſi Sacerdos aſſerat eum excommunicatum, aut notorie peccatorem. Sed videat, ne id dicat mendaciter, aut in dolum, vel fraudem, quia, ſi hoc egerit, a delicto tali, niſi plene ſatisfecerit, preterquam in morte abſolvi nequeat, nec de illo ad penitentiam aliter admittatur. Ut autem Dioceſanis honor debitus reſervetur, precipimus, ut Provinciales Priores Predicatorum, & Miniſtri Minorum Ordinum prefatorum, per ſe, vel alios, verbo, vel ſcripto, eis ſignificent, ſe Fratres ad hujuſmodi confeſſionum audiendarum, & penitentiarum injungendarum officium elegiſſe; & non nominando, aut coram ipſis ſiſtendo eos, nec illorum numerum exprimendo, petant humiliter a Dioceſanis eiſdem, quod iidem electi Fratres, de ipſorum beneplacito & licentia, dictum poſſint in eorum Civitatibus, & Dioceſibus, infra eis determinatos fines officium exercere. Quod ſi denegens, vel intra triduum non concedant, extunc iidem Fratres nichilominus auctoritate eadem hujuſmodi officium exequantur. Datam vero licentiam, per Dioceſanorum mortem nolumus terminari (7). Per hoc autem non intendimus, quod ię pedicti Fratres, qui ad hoc eligentur officium exercendum, plus habeant in audiendis confeſſionibus, & penitentiis injungendis, quam Parochiales Sacerdotes noſcuntur habere. Sicque de caſibus (8), Epiſcopis & Superioribus, quos inferius annotamus, ac Sedi Apoſtolicę, reſervatis, ſe nullatenus intromittant. Obſervent ergo ſollicite dicti Fratres, ne ad confeſſionem recipiant criminoſos criminibus, pro quibus eſſet ſolemnis penitentia (9) indicenda. Modo eodem excommunicatos reſpuant, & Clericos, qui propter delictum irregularitatem aliquam incurrerunt. Inconveniens etenim exiſtimamus, ut a peccato abſolvat qui penitentiam ei debitam imponere, aut irregularitatis penam, peccati ſequelam, vel excommunicationem, quę infligitur, maxime a jure quandoque pro crimine, queve quem ab Eccleſia, & per conſequens a participatione Eccleſiaſticorum Sacramentorum excludit, removere, non poteſt; Incendiarios etiam, eoſque, qui tam enormibus ſunt irretiti peccatis, quod ea rationabilis conſuetudo preſcripta canonice in Epiſcopatibus aliquibus reſervavit Epiſcopis, ſimiliter non admittant: Quam conſuetudinem ex cauſa, quę juſte ad id animum noſtrum movet, ſolummodo (10) circa voluntarie homicidas, falſarios, Eccleſiarum Immunitatis, & Libertatis Eccleſiaſticę violatores, & ſortilegos approbamus. Quod ſi forſan ante quam ab eo, qui poteſtatem habet, abſolvi poſſint, mors talium confiteri volentium veriſimiliter timeatur, etiam in predictis caſibus, ſepefati Fratres, eos confiteri volentes, audiant, ipſiſque beneficium abſolutionis impendant. Sed ſubeant juramentum, quod liberati ſe ſuis Epiſcopis, & excommunicatoribus preſentabunt, excommunicatorum ſuper hiis, pro quibus ab eis excommunicati erant, & Epiſcoporum pro peccato hujuſmodi parituri mandatis. Verum quia poſt Baptiſmum inter cetera magis ad ſalutem propoſitio Verbi Dei, quo audientes illud, quę eſt victoria noſtra, inſtruuntur in fide, docentur fugienda fugere, & ſectanda ſectari, ac, quo per peccatum lapſi reſurgunt, penitentię Sacramentum, proficiunt, grandis nobis ſollicitudo incumbit, ut tales ad hęc promoveantur Fratres, qui oleo dulcedinis verbi ejuſdem noſtros foveant ſubditos, a peccatis prohibeant, increpationis vino peccatorum ſuorum mordeant vulnera, eoſque ad illa penitentię acrimonia purgandum, & tegendum provocent, & inducant. Ad id vero exequendum, ſcientia divinę legis expoſcitur; deſideratur ordo; & vitę integritas etiam poſtulatur; ſcriptum eſt enim: tu ſcientiam repuliſti, & ego te repellam, ne Sacerdotio fungatis michi, quia labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem exquirunt ex ore eius, alias, prout ad eum pertinet, inter peccatum & peccatum non poſſet diſcernere, nec peccator exiſtens, Dei deberet narrare juſtitias, & teſtimonium illius aſſumere per os ſuum. Nam cujus vita deſpicitur, conſequens eſt, ut ejus predicatio contempnatur. Quare decernimus, ut Magiſter, & Miniſter Generalis, ac Priores, & Miniſtri Provinciales, Predicatorum, & Minorum Ordinum prefatorum, vel eorum Vicarii, de Diſcretorum conſilio, ad tam ſalubre officium Fratres divina ſcientia doctos, diſcretione vigentes, vita probatos, & expertos moribus, alioquin diſtrictam reddant in futuro examine rationem, eligant, & aſſumant. Sic enim quod predicabunt, facient, quę arguent, operari ceſſabunt, & in eis ędificabitur populus verbo pariter & exemplo. Ceterum licet, ſicut predicitur, de neceſſitate non ſit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubeſcentiam, quę magna eſt penitentię pars, ut eorundem peccatorum iteretur confeſſio, reputamus ſalubre, diſtricte injungimus, ut Fratres ipſi confitentes attente moneant, & in ſuis predicationibus exhortentur, quod ſuis Sacerdotibus ſaltem ſemel confiteantur in anno, aſſerendo id ad animarum profectum proculdubio pertinere. Porro ut circa ſepulturam apud loca eorundem Fratrum eligentium ſepeliri, & portionem canonicam, de relictis eiſdem Fratribus minime detrahendam, nequeat impoſterum dubitari, jubemus, ut corpora defunctorum, qui apud eos elegerunt, dum viverent, ſepulturam, proceſſionaliter, cum Cruce, turribulo, & aqua benedicta, cantando, ſeu legendo officium mortuorum, vel pſalmos, & alienas ingrediendo Parochias, poſſint aſſumere, & ad ſuas deferre Eccleſias tumulanda; De quibuſcumque vero relictis prefatis Fratribus in communi, vel ſingulis, in ultimis decedentium voluntatibus, ſive apud eos ſepeliendi ſint, ſive alibi, nulla per Parochiales Sacerdotes morientium, a qua Fratres ipſos liberos eſſe volumus, canonica portio (11), multominus per Epiſcopos, Epiſcopalis Quarta, cum eis tanquam exempti (12) non ſubſint, nec etiam debita jure Parochię, ſi forſitan Cathedralis defunctorum eſſet Parochialis Eccleſia, detrahatur. De funeralibus autem, medietatem, ſi commode diviſionem recipiant, alias ejuſdem medietatis extimationem ſolvant Parochiali Eccleſię, & Sacerdotibus ante dictis. Funeralia vero intelligantur hoc caſu quę cum funere deferuntur; de Candelis tamen, quas Fratres portant, portio non petatur. Moneant autem iidem Fratres, & pro poſſe inducant confitentes ſibi, ut de propriis bonis ſuis Parochialibus Eccleſiis, earumque Sacerdotibus competenter relinquant, & quę eis debent Parochialia jura reddant. Ad hęc non murmuret, quęſumus, Secularis Clerus, non gerant moleſte Prelati, quod circa premiſſa ſic duximus providendum. Attendant, quanta ex hiis quę in primis duobus articulis ſtatuta ſunt ſalus animarum

Nota:

Ab exceptis nonnullis caſibus Fratres ſolvere non poſſe declarat.

Quid in mortis diſcrimine ſit agendum.

Verbi Dei precones conſtituendi facultatem eſſe penes Generales Magiſtros, necnon Provinciales Prædicatorum, ac Minorum Fratrum.

Ut ad proprium Sacerdotem peccatorum Confeſſiones, ſaltem ſemel in anno, deferat, Fratres unumquenque debent inducere.

De ſepultura, Canonica parte, Quarta funerali, ceteriſque id genus, contra Conſtitutionem: *Super Cathedram*: decernit.

Exponit quid per *Funeralia* ſit intelligendum.

proveniat. Advertant, quanta tollantur jurgia, & prudenter conſiderent, quod eorum onera cum aliis noſtro beneficio ſalubriter, & quaſi neceſſario partiuntur. Circa tertium vero Articulum diligenter intelligant, quod Fratres ipſi hęc per privilegia Roman. Pontificum eis benigne conceſſa ante Conſtitutionem eandam hactenus habuerunt. Quodque ſunt pauperes, nichil habentes ſinguli, nec in communi ruſtica prędia, immo nec urbana, vel mobilia eorum alteri etiam univerſi. Mendicant victum, quęrunt veſtitum, & eatenus ſubſiſtere poſſunt, quatenus vel vivorum pietas, aut morientium caritas, eis neceſſaria ſubminiſtrat. Quis ergo non miſereatur eorum, qui omnia, voluntatem habendi etiam, reliquerunt? Quis non compatiatur eiſdem, operantibus tam utiliter in agro prędicto? Certe nullus niſi qui triturantis bovis os impie alligare velit, aut eos, ſubtractis alimentis, necare. Inopes patrimonii onera ipſa, non habendi neceſſitate, non ſuſtinent: & a Curialibus res, Eccleſiis, vel piis locis donatas, a Quartę pręſtatione, ſeu lucrativorum inſcriptionibus, lex facit immunes. Relicta pauperibus non patiuntur Falcidiam (13) & legata ad fabricam, vel pro ornamentis Eccleſię, aut ad divinum cultum perpetuum, ſolutioni non ſubjacent (14) canonicę portionis. Pauperes autem, ut eſt dictum, ſunt Fratres, & quod eis relinquitur, aut in ſua alimenta erogantur, aut in fabricam, ſive cultum divinum, & Eccleſię ornamenta convertuntur. Propter quę Nos, qui debemus intelligere ſuper egenum, & pauperem, & non obliviſci eorum, cum humanitatis ſit, etiam ſecularis Principis, proſpicere egenis & dare operam, ut pauperibus alimenta non deſint, non tam pie, quam quodammodo juſte, in eodem Articulo egimus, eoſdem, ut prę-
Clauſula derogans. mittitur, reddendo Fratres ab onere Canonicę portionis exemptos. Hęc autem, dicta Conſtitutione quę incipit: Super cathedram: quam penitus revocamus, aliiſque quibuſcumque Conſtitutionibus, Specialibus, & Generalibus ſtatutis, privilegiis, indulgentiis, ſub quacumque forma verborum conceſſis, etiam ſi de eis de verbo ad verbum, vel aliquorum nominibus, in noſtris litteris oporteret fieri mentionem, conventionibus, pactis, juramentis, ſententiis, & conſuetudinibus contrariis, nequaquam obſtan-
Sanctio pœnalis. tibus, inviolabiliter obſervari ſancimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, denuntiationis, exceptionis, pręceptorum, approbationis, juſſionis, voluntatis, exemptionis, revocationis, & ſanctionis infringere, vel ei auſu temerario contraire &c. Dat. Lateran. XIII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Ornat.*) Audiendus hac de re *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCIV num. XXI*, cujus hæc verba: *Exarſerat jamdiu gravis inter Clerum & Religioſa ſodalitia controverſia, an qui apud Monachos ſacra exhomologeſi crimina expiarant, ad illa iterum Parocho aperienda obſtricti eſſent: nec illam Bonifatius, quamvis de pluribus aliis controverſis ſententiam tuliſſet, diremerat: quam primum in Pariſienſi Academia ventilatam tradit Eberhardus* (apud Caniſium antiq. Lection. Tomo I pag. 325). *Neceſſitatis vero non eſſe ea repetere Benedictus pronuntiavit: tum cenſuras, ac ſententias in Religioſos viros, qui fidelium confeſſiones ſacras exceperant, latas non valere. Auſus tamen poſtea eſt Johannes e Poliaco, Pariſienſis Doctor, inanes argutias contra hæc effutire, quas ipſemet in Cardinalium Conſiſtorio, Johanne XXII Summo Pontifice, damnavit*, ut dicetur inferius. Adeas *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCIV num. VII.*

2. *Archivo.*) In quo Duplex Autographum, & Exemplar ex Authentico aſſervato *Cremonæ*. Aliud Autographum tenet Cœnobium *Tolosanum*. Exemplar eſt in Archivo Ordinis. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplaria authentica habes in *Bullario Brixienſi fol.* 1, & apud *Uſuſmarem pag.* 68. Legitur etiam inter *Extravagantes communes Lib. V Tit. VII de Privilegiis Cap. I.* Ejuſdem Diplomatis Exemplar authenticum reperitur in Cœnobio *Raguſino*.

3. *Conſtitutionem.*) Incipit - *Super Cathedram* - Extat inter *Extravagantes communes Lib. III Tit. VI De Sepultura Cap. II.*

4. *Prædicare.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

5. *Confeſſiones.*) Ibidem de hac materia.

6. *Concilii.*) *Lateranenſis IV, Capitulo XXI*, cujus initium: *Omnis utriuſque Sexus fidelis.*

7. *Terminari.*) In *Tractatu* mox citato.

8. *Caſibus.*) De quibus ibidem dicetur.

9. *Solemnis.*) Quænam ſit hæc Solemnis Pœnitentia? Quandonam inſtituta? Quis uſus Decimi quarti ſeculi? Quænam ſint illa crimina de quibus hic mentio? Cur, & quandonam Religioſi reos ab ipſis ſolvere non valebant? diſſeretur in *Diſſertatione VII Tomo ultimo.*

10. *Solummodo.*) Conſulendus *Tractatus* laudatus.

11. *Portio.*) Ut in eodem *Tractatu Tit. X.*

12. *Exempti.*) Ibidem *Tit. V.*

13. *Falcidiam.*) Sic ab auctore ſuo, *Falcidio* Tribuno Plebis, lex, *Auguſti* tempore lata, vocatur: ut autem Donationibus lex *Cincia*; Dotibus *Papia*; Manumiſſionibus *Caninia*; ita Legatis lex *Furia* primum, deinde lex *Voconia*, tandem lex *Falcidia* modum præſcripſit. De Lege *Falcidia* conſulendi Juriſperiti ad *Lib. XXXV Digeſtorum Tit. II, & III.*

14. *Non ſubjacent.*) Vide *Novellam CXXXI Cap. XII*, ubi ſic legere eſt: *Si autem hæres, quæ ad pias cauſas relicta ſunt, non impleverit, dicens relictam ſibi ſubſtantiam non ſufficere ad iſta: præcipimus OMNI FALCIDIA VACANTE, quicquid invenitur in tali ſubſtantia proficere proviſione ſanctiſſimi locorum Epiſcopi ad cauſas, quibus relictum eſt.*

Anno 1304 Die 23 Februarii.

Monaſterium S. Annæ de Nuceria (1) in Ordinem noſtrum, & Provinciam Siciliæ cooptatum declarat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii S. Annę de Nuceria Chriſtianorum, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolicę Sedis benignitas &c (3). Provinciali Regni Sicilię ipſius Ordinis &c (4). a venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Nucerin. &c (5). Datum Laterani VII Kalend. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Nuceria.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem V Nicolai IV Datam V Auguſti MCCLXXXVIII pag.* 21.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Bullas *Bonifacii IX.*

3. *Benignitas &c.*) Ut in *Diplomate Dato V Decembris MCCCIII* ad hæc uſque verba: *Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, &.*

4. *Ordinis &c.*) Ut in eodem ad hæc uſque: *Pertinentiis ſuis.*

5. *Nucerin. &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Abbati

Abbati Monaſterii Sancti Severi Urbevetan. (1), ut hortum quendam Fratribus noſtris vendendum curet.

Anno 1304 Die 23 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Severi Urbevetan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XVIII.

EX parte dilectorum filiorum.... Prioris, & Conventus Ordinis Prędicatorum de Urbe Veteri fuit propoſitum coram nobis, quod inter.... Priorem & Monachos Monaſterii Sanctę Crucis Urbevetan., Ordinis Sancti Benedicti, ad Monaſterium Saxivinum ejuſdem Ordinis, Fulignat. Diœceſis, pleno jure ſpectantis, ex parte una, & quoſdam Nobiles Cives Urbevetan., ex altera, ſuper quodam Orto ſito in Civitate Urbevetan. juxta dormitorium dictorum Prioris, & Conventus Prędicatorum, quęſtio ventilatur, propter quod hujuſmodi Ortus penitus non colitur, immo a convicinis, & aliis ibidem immunditię congregantur, & alię turpitudines fiunt, ita quod propter fętorem inde provenientem feneſtras dormitorii ipſorum, quę reſpiciunt locum ipſum coguntur claudere, & ipſas abſque gravi detrimento, & ſcandalo aperire non poſſunt, in eorumdem Prioris & Conventus Prędicatorum prędjudicium, & gravamen. Quare pro parte dictorum Prioris & Conventus Prędicatorum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ipſi parati ſint Ortum ipſum emere pro pretio competenti, providere eis ſuper hoc paterna ſollicitudine curaremus. Quocirca diſcretioni tuę, de qua in Domino gerimus fiduciam ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Abbatem, & Conventum Monaſterii Saxivini, ad quos dictum Monaſterium Sanctę Crucis, ut pręmittitur, dicitur pertinere, necnon Priorem, ac Monachos, & Nobiles ſupradictos, qui in dicto Orto ſe jus habere prętendunt, per te, vel alium, ſeu alios, ex parte noſtra moneas & inducas, & ſi neceſſe fuerit per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellas, quod Ortum ipſum, juxta extimationem alicujus boni viri, quem tu duxeris eligendum, vendant Priori, & Conventui ſupra dictis, quęſtione pendente, ut prędicitur, non obſtante. Pretium ipſum apud fidelem aliquem faciens fideliter cuſtodiri, donec hujuſmodi quęſtio fuerit terminata, aſſignandum illis, qui de jure illud habere debebunt. Dat. Lateran. VII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex Fratrum petitio.

Mandatum.

1. *Urbevetan.*) *Orvieto*, in Ditione Pontificia.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aliud aſſervatur in Cœnobio *Urbevetano*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

Epiſcoporum Juriſdictione, Decimis, & Tributis immunes (1) reddit Moniales Ordinis noſtri.

Anno 1304 Die 27 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus univerſis Prioriſſis, & Sororibus, Monaſteriorum Ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, tam pręſentibus, quam futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XIX.

SAcra veſtra Religio, ſub qua devotum Creatori noſtro famulatum impenditis, promeretur, ut Apoſtolica Sedes favorabilem ſe vobis exhibeat, & in veſtris opportunitatibus gratioſam. Hinc eſt quod Nos, pium, & congruum reputantes, ut vos illa proſequamur gratia, quę veſtris neceſſitatibus fore conſpicitur opportuna, vobis, auctoritate pręſentium, indulgemus, ut ad pręſtationem decimarum, de quibuſcumque poſſeſſionibus, & aliis omnibus bonis veſtris, quę in pręſentiarum habetis, & juſtis modis, pręſtante Domino, acquiſiveritis in futurum, vel ad exhibendum annuum redditum, ſeu cenſum, veſtris Dioceſanis Epiſcopis, necnon pedagia, tholones (3), & alias exactiones, quibuſvis Regibus, ſeu aliis perſonis ſecularibus, & etiam ad dandum procurationes aliquas Legatis, vel Nunciis Apoſtolicis, ſive ad decimam, vel aliam portionem, aut ſubventionem aliquam, de veſtris proventibus cuiquam exhibendam, vel ad contribuendum in exactionibus, vel collectis, ſeu ſubſidiis aliquibus, minime teneamini, nec ad id compelli poſſitis per litteras Sedis ejuſdem, vel Legatorum ejus, aut quorumcumque aliorum, etiamſi in ejuſdem Sedis litteris contineatur expreſſe, quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, & Monaſteria ſe extendant, & aliqua eis, cujuſcumque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia non obſiſtat, niſi forſan dictę litterę Sedis ejuſdem de indulto hujuſmodi, & Monaſteriis veſtris plenam, & expreſſam fecerint mentionem; ac nihilominus a juriſdictione, & poteſtate Patriarcharum, Archiepiſcoporum, Epiſcoporum Dioceſanorum veſtrorum, & quorumcumque aliorum eximimus vos, & loca, & Monaſteria veſtra, de gratia ſpeciali; Illis inſuper gaudentes privilegiis, gratiis, & indulgentiis, quę ipſi Ordini Prędicatorum ſunt conceſſa, & impoſterum concedentur. Nos enim ex nunc irritas decernimus, & inanes, interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas in vos, vel aliquas veſtrum, aut loca, & Monaſteria veſtra, ſeu quoſcumque alios, occaſione veſtri, pręmiſſorum prętextu, contra hujuſmodi conceſſionis noſtrę tenorem, per quemcumque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, exemptionis, & Conſtitutionis, infringere &c. Datum Laterani III Kalend. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo,

Exordium.

Exemptio.

Privilegiis Ordinis Prędicatorum Moniales donat.

Sanctio pœnalis.

1. *Immunes.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aſſervantur alia in Monaſterio *Taurenſi*, & in Cœnobio *Urbevetano*. Plumbum ſericis filis

Digitized by Google

filis appenditur. Exemplar habes *Lib. B. fol.* 334, & apud *Uſuſmarem pag.* 73.

3. *Tholonea.*) *Tholoneum*, *Theloneum*, *Teloneum*, *Tolonium*, & *Telonium* a Greca voce Τέλος vectigal vocatur. *Tholoneum* tamen, ſeu *Telonium*, Græce Τελώνιον locum ſignificat, ubi vectigalia perſolvuntur: *Cum tranſiſſet inde Jeſus, vidit hominem ſedentem in Telonio, Matthæum nomine*. Matth. IX. Et in *Gloſſario Ducange*, *verbo*: Teloneum. *Papias* hæc habet: *Teloneum dicitur ubi merces navium, & nautarum emolumenta redduntur: ibi enim vectigalis exactor ſedet, pretium rebus impoſiturus, & voce a mercatoribus flagitans*. Mendoſe *Teloneum* in Bullario *Caſinenſi* ſcriptum eſſe queritur *Macri in Sacro Dictionario*, *verbo*: Telonium; & Bullarii verba tranſcribens emendat ipſa. Illius pace dixerim, errat: & in hoc culpandus eſt *Macri*; laudandus vero Bullarii librarius, quod Autographi verba deſcripſerit optima fide.

Anno 1304 Die 7 Martii.

Mille florenis, ex male acquiſitis, Cœnobium Savillianenſe (1) donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Savillianen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. UT circa ea, quę Dei ſunt, liberius intendere valeatis; Illa vos ſubventionis gratia libenter proſequimur, quam veſtris fore conſpicimus neceſſitatibus opportunam, vobis itaque, quod de uſuris, rapinis, & aliis illicite acquiſitis, dummodo hi, quibus horum reſtitutio fieri debeat, omnino ſciri non (Conceſſio.) poſſint, uſque ad ſummam mille Florenorum auri recipere valeatis, in neceſſitates veſtras totaliter convertendam, ſi alias pro ſimilium receptione, gratiam a Nobis non fueritis conſecuti, auctoritate pręſentium indulgemus, ita quod ii, qui prędicta vobis contulerint, ad reſtitutionem eorum, quę per eos to- (Sanctio pœnalis.) taliter collata fuerint, cuiquam faciendam, minime teneantur. Nulli ergo &c. Datum Laterani Nonis Martii, Pontificatus Noſtri Anno Primo.

1. *Savillianenſe.*) *Savigliano*, in *Pedemontio*, tunc juris erat Provinciæ *Lombardiæ Superioris*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo, quod habetur in Savillianenſi Cœnobio.

Anno 1304 Die 10 Martii.

Ordinis noſtri Privilegiorum (1) Conſervatores creat pro Provincia Lombardiæ Superioris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Mediolanen. (3), & Aſten., Brixien., & Papien. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SUper egenum intendentes nuper & pauperem, & dantes curam animarum ſaluti, quandam inter Pręlatos, Rectores Parochialium Eccleſiarum, & Clerum ſecularem, ex parte una, & Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum, ex altera, tam ſuper prędicationibus libere ab eiſdem Fratribus faciendis, & audiendis confeſſionibus eis peccata ſua confiteri volentium, quam ſuper canonica portione, & Epiſcopali Quarta, de relictis ipſis Fratribus, ſive in communi, ſive eorum ſingulis minime detrahenda, ſpecialem Conſtitutionem (4) edidimus, prout in eadem Conſtitutione quę incipit: Inter cunctas: hęc, & alia plenius, & ſerioſius continentur. Sed quia parum eſſet jura condere, niſi qui ea tuerentur (Conſtituit ut ſupra.) exiſterent; Nos, volentes Conſtitutionem prędictam irrefragabiliter obſervari, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum Provincię Lombardię Superioris efficacis defenſionis prędidio aſſiſtentes, ac facientes, Conſtitutionem eandem, quoad omnia ejus Capitula, prout jacet, firmiter obſervari, non permittatis, contra tenorem ipſius, memoratos Fratres moleſtari a prędictis Pręlatis, Rectoribus, & Clero, ſive aliis, vel eis gravamina, aut injurias, irrogari, facturi ipſis Fratribus, de illatis eis injuriis, moleſtationibus, & gravaminibus, ac de extorta ab eis canonica portione, & Quarta Epiſcopali, prędictis, contra tenorem eundem, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem, per viam judicii, in aliis vero, prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitię complementum; Ita quod officium, poteſtas, & juriſdictio veſtra, ex nunc perpetua cenſeantur. Moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores, & rebelles, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, per cenſuram eccleſiaſticam, (Clauſula derogans.) appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus tam de duabus dietis in Concilio (5) Generali, quam fel. rec. Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri, quarum prima cavetur, ne quis, certis exceptis caſibus, extra ſuam Civitatem, & Dioceſim, ſecunda vero, ne reus alterius Dioceſis, ultra unam dietam a finibus ejuſdem Dioceſis ad judicium evocetur, & aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de judicibus delegatis, quam Conſervatoribus, aut aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio, quomodolibet obviare: ſeu ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis indulgentiis, privilegiis, & literis Apoſtolicis quibuſcunque, & in quacunque forma verborum conceſſis, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, dictę juriſdictionis, ſive poteſtatis explicatio, poſſit quomodolibet impediri: & de quibus, quorumque totis tenoribus, de verbo ad verbum oporteat in noſtris literis fieri mentionem. Eandem inſuper vobis, eiſdem modo, & forma, per omnia juriſdictionem, & poteſtatem concedimus, circa conſervationem aliorum privilegiorum, quę iidem Fratres a Nobis habent, vel a Romanis Pontificibus hactenus habuerunt. Dat. Lateran. VI Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. Privi-

1. *Privilegiorum*.) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Aliud reperire eſt *Brixiæ*. Plumbum filis cannabinis appenditur. Exemplaria authentica habes in *Bullario Brixienſi fol.* 8, & apud *Uſuſmarem pag.* 74.
3. *Mediolanen.*) In *Italia*, ubi ceteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.
4. *Conſtitutionem.*) *XVI* datam *XVII Februar. MCCCIV.*
5. *Concilio*.) *Lateranen. IV Cap. XXXVII.*

Conſervatores Privilegiorum pro Provincia Lombardiæ Inferioris inſtituit (1).

Anno 1304 Die 10 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Ravennaten., & Bononien., Paduan., & Firman. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUper egenum &c (3). Provincię Lombardię Inferioris &c (4). Datum Lateran. VI Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Inſtituit*.) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo *Tarviſii* aſſervato. Legitur etiam *Lib. B. fol.* 407 ex Autographo *Patavini* Cœnobii. Idem exſcripſit *Waddingus Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag.* 22.
3. *Egenum &c.*) Ut in præcedenti ad hæc uſque verba: *Ordinis Prædicatorum*.
4. *Inferioris &c.*) In eodem ad finem uſque.

Piis Fratrum, quos laudat, precibus ſe commendat.

Anno 1304 Die 10 Martii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXIII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Fratrum Prędicatorum apud Toloſam (2) in Generali Capitulo, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ordinem Prædicatorum laudibus celebrat.

EX horto delicioſo Eccleſię ſacroſanctę ineffabilis providentia Conditoris, pro ſui nominis attollenda gloria, & ſalute fidelium procuranda, pręclarum Ordinem Prędicatorum diebus noviſſimis inter ſpecioſa, & fęcunda plantaria, quaſi lignum vitę produxit, quod ſuperni roris benedictione perfuſum, ſic a ſuis primordiis laudabilibus incrementis ſucceſſive proceſſit, ſic ſe, divina operante gratia, in altum provexit, ſic ſe longe lateque diffudit, ut ſublimitate ſua cęlos pertigerit, & ad fines ultimos orbis terrarum ſuos extenderit palmites generoſos. Iſti ſunt palmites pretioſi Chriſto viti verę inhęrentes, Fratres, videlicet, Ordinis S. Dominici, qui a ſuperfluitatibus terrenorum purgati, & ſarcinis divitiarum abjectis, abnegaverunt ſalubriter ſemetipſos, & amplexi paupertatem, & Regularem vitam profeſſi ad convivium Regis cęleſtis honoris, & honeſtatis flores ſuaves, & fructus uberes attulerunt. Iſti ſunt electi Chriſti miniſtri, conſpicua religione fulgentes, & honeſtate vitę clariſſimi, quos in lucem gentium Dei ſapientiam dediſſe dignoſcitur, velut ſplendentia ſydera in Eccleſię firmamento, & tanquam lucernas ardentes in domo Dei, illuminantes cunctos evangelicis documentis, & ſpiritualibus radiis oſtendentes mortalibus viam vitę. Iſti ſunt egregii bellatores, qui hoſtes animę, & inimicos Sanctę Eccleſię per fidei ſcutum, gladium ſpiritus, & arma juſtitię, debellantes, obtinere conati ſunt, ut Catholicis univerſis virtutum augmenta proveniant, via ſalutis peccatoribus pateat, & hęreticę pravitatis inſania deſtruatur. Conſideretis igitur, dilectiſſimi nobis, & vigili attentione penſetis pręfati Ordinis firmiſſima fundamenta, duces inſignes, milites ſtrenuos, pugiles indefeſſos, ex quibus aliqui jam ad ſupernam provecti patriam, in Sanctorum numero ſolemniter ſunt aſcripti, menſę cęleſtis convivę, & ſecuri ęternę patrię poſſeſſores: & ideo talium vos non degeneres, ſed legitimi filii, fideles imitatores eſſe debetis: ac indeſinenter eorum tuta ſequi veſtigia, qui vobis tam clara, tam certa, religioſe, & ordinate vivendi, reliquerunt exempla, & Ordinem ipſum habentem in ſe perfectę pulchritudinis decus, divinę, & Apoſtolicę Sedis clementia, tot gratiis dotatum, ſublimatum donis, & privilegiis roboratum, immunem prorſus ab omni macula conſervare. Verum quia proni ſunt ab adoleſcentia ſua hominis ſenſus ad malum, & indomita caro facile vergit in culpam, ſumma cum diligentia ſtudeatis, ut inveniantur in vobis Religionis fervor, juſtitię zelus, judicii rectitudo, & in reſecandis vitiis correctionis vigeat diſciplina: in moribus veſtris humilitas pretioſa reſplendeat, pia devotio creſcat, obedientia ſancta complaceat, vera patientia perſeveret: ſitis in cunctis agendis unanimes, caritate concordes, pace tranquilli, & in iis, quę regularis requirit honeſtas, coram Deo, & hominibus ordinati; ut etiam a ſpiritualibus nequitiis ſitis tuti, nec per otii deſidias callidi hoſtis inſidiis pateatis. Circa ſtudium Doctrinę Sacrę, per quod magnum conſequimini meritum, & honorem, ſitis aſſidue vigiles, & attenti prędicationum frequentię, & confeſſionum audientię, ad quas eſtis ſpecialiter deputati (3), diligenter, & ſolicite inſiſtendo, & ſic vitam veſtram circa prędicta, & alia honeſta, ſeu licita occupetis, quod in vobis illicita locum habere non poſſint; totam in auctore ſalutis, ſpei, & conſolationis veſtrę, ancoram ſtatuentes. Porro Eccleſiarum Pręlatis, quorum patrociniis, & favoribus plurimum indigetis, tantam exhibeatis reverentiam, & honorem, ſicque ad eos vos humiliter habeatis, ſic ab ipſorum injuriis, & diſplicentiis abſtineatis omnino, ut eorum gratiam, & benevolentiam merito conſequi valeatis: taliter enim vobis per vitę meritum, & aliis proficere poteritis per exemplum: taliter ſemina veſtra cum labore mittentes, reportabitis cum lętitia in cęleſtem aream manipulos glorioſos: taliter vobis, & proximis, ſicut veſtram decet ſanctitatem, gloriam acquiretis perpetuę claritatis: Nos autem, quos, licet immeritos, ad apicem Apoſtolicę dignitatis, & curam univerſalis Eccleſię diſpo-

Fratres ad perſeverantiam cohortatur.

Verbo Dei prædicando, & excipiendis confeſſionibus Ordinem Prædicatorum deſtinatum declarat.

B. Benedictus XI a teneris annis Ordinis Prædicatorum profeſſor.

diſpoſitio divina promovit, vos, & Ordinem ipſum, cujus a juventute (4) noſtra fuimus voluntarii profeſſores, cujus alimentis fuimus temporibus multis, tam in vita, quam in ſcientia, & moribus educati, ſinceriſſima affectione diligimus, & intimę caritatis viſceribus amplexamur, tanto propenſius veſtra ſalutifera commoda intendentes, & Ordinis incrementa gratiis Apoſtolicis, & favoribus proſequi, ac diligenti ſolertia procurare, quanto facultas potior nobis cęlitus eſt conceſſa: Ita vos, & Ordo prędictus ſemper, Domino tribuente, de bono proficiatis in melius, & ubique terrarum tranquillo ſtatu, & pacifico gaudeatis. Sane quia debilibus noſtris humeris Summi Apoſtolatus onus impoſitum, quod vires noſtras ſupra modum excedit, ſupportare, niſi ſuffragante Dei gratia, non valemus, caritatem veſtram, de cujus meritis, & virtute grandis fiducia Nobis ineſt, rogamus, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, quatenus devotas mentes paternis affectibus exhibentes, aſſiduis Orationibus oſtium divinę clementię propulſetis, ut ſolicitudines noſtras, & labores paſtoralis officii beneplacitis ſuis coaptare dignetur, & Nobis ſua pietate concedere, ut gregem Nobis creditum ſic in pręſenti utiliter gubernemus, quod abſtrahatur a noxiis, & ad ſalutaria dirigatur, & in futuro Nos cum eodem ſempiterna conſequi gaudia valeamus &c. Datum Laterani VI Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Seſe commendat ut ſupra.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Actis Capituli Generalis Toloſæ celebrati anno MCCCIV pag.* 169. Legitur etiam apud *Fontanam Monument. Dominican. Parte I Cap. XII pag.* 155.
2. *Toloſam.*) In *Occitania*; Quo convenerunt Fratres die XVII Maii.
3. *Deputati.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
4. *Juventute.*) Ætatis ſcilicet anno XIV, ut liquet ex *Bernardo Guidonis*, cujus hæc verba in Chronicis Magiſtror. Ordinis: *Nonus Magiſter Ordinis ſucceſſor F. Stephani Biſuntini Frater ac Beatiſſimus Pater Nicolaus de Tarviſio. Hic fuit electus in Magiſtrum in Capitulo in Argentina in Provincia Theutoniæ celebrato Anno Domini MCCXCVI. Erat autem tunc Prior Provincialis Lombardiæ. Hic in pace, & humilitate rexit Ordinem annis duobus & dimidio, magnus amator & ſectator communitatis. Hic venerabilis Pater, Dominus & Magiſter quandoque retulit de ſe ipſo, qui noverat plenius veritatem, quod XIV ætatis ſuæ anno Prædicatorum Ordinem eſt ingreſſus, in quo XIV annis primis ſtuduit, & profecit, & aliis XIV annis ſequentibus exercuit officium Lectoris, & XIV aliis annis in Prælationis officio in Ordine laboravit.*

Anno 1304 Die 10 Martii.

Conſervatores Privilegiorum (1) conſtituti pro Provincia Romana.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIV.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Lucan., Senen. Peruſin., & Reatin. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUper egenum &c (3). Provincię Romanę &c (4). Datum Lateran. VI Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Privilegiorum.*) Videas *Conſtitut. XXI.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.
3. *Egenum &c.*) Ut in Conſtitutione mox laudata ad hæc uſque verba: *Ordinis Prædicatorum.*
4. *Romanæ &c.*) In eadem ad finem uſque.

Anno 1304 Die 11 Martii.

Hoſpitali (1) Viterbienſi illata damna ſarcienda curat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXV.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Poteſtati, Conſilio, & Communi Civitatis Tuſcan. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

EX parte dilectorum filiorum Rectoris, & Fratrum Hoſpitalis, quod dicitur Domus Dei de Viterbio, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Prędicatorum viventium, fuit expoſitum, quod nonnulli ex civibus veſtris, quędam Molendina, & Domos ad dictum Hoſpitale ſpectantia, quorum fructus, redditus, & proventus, convertebantur in uſus infirmorum, & pauperum, ad Hoſpitale ipſum confluentium, nequiter devaſtarunt, eis alias gravia damna, & injurias irrogando. Quare iidem Rector, & Fratres, a Nobis humiliter petierunt, ut providere eis in hac parte paterna ſolicitudine dignaremur. Nos itaque, dictis Rectori, & Fratribus in ſuo jure favorabiliter aſſiſtere intendentes, qui ſumus omnibus in juſtitia debitores, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta vobis mandantes, quatenus eiſdem Rectori, & Fratribus, de hujuſmodi damnis, & injuriis, tam in deſtructione dictorum molendinorum, & domorum, quam alias, ut pręmiſſum eſt, eis illatis, faciatis debitam, & plenam ſatisfactionem impendi, alioquin Fratri noſtro Epiſcopo Viterbien. noſtris damus Literis (4) in mandatis, ut vos ad id, monitione pręmiſſa, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, compellat. Datum Laterani V Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Hoſpitali.*) De eoſo in *Diplomatibus datis XXIII Martii MCCXCIX, & XII Decembris MCCCIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*
3. *Tuſcan.*) Vulgo *Toſcanella*, Urbs eſt *Hetruriæ*, in *Ditione Pontificia.*
4. *Literis.*) Sequentibus.

Epiſco-

Epiſcopo Viterbienſi, ut Hoſpitali S. Mariæ ad Gradus Viterbien. illata damna Tuſcanenſes reſarciant (1).

Anno 1304 Die 11 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVI.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Viterbienſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

EX parte dilectorum filiorum Rectoris, & Fratrum Hoſpitalis, quod dicitur Domus Dei, de Viterbio ſecundum Inſtituta, & ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, fuit propoſitum coram Nobis, quod nonnulli ex Civibus Tuſcanen., quędam Molendina, & Domos ad dictum Hoſpitale ſpectantia, quorum fructus, redditus, & Proventus convertebantur in uſus infirmorum, & pauperum, ad Hoſpitale ipſum confluentium, nequiter devaſtarunt, eis alias damna gravia, & injurias irrogando. Quare iidem Rector, & Fratres a Nobis humiliter petierunt, ut providere eis in hac parte paterna ſolicitudine dignaremur. Nos itaque, dictis Rectori, & Fratribus in ſuo jure favorabiliter aſſiſtere intendentes, qui ſumus omnibus in juſtitia debitores; dilectos filios Poteſtatem, Conſilium, & commune Civitatis Tuſcan. per alias Literas (3) duximus rogandos, & monendos attente, dantes eis nihilominus in mandatis, ut eiſdem Rectori, & Fratribus de hujuſmodi damnis, & injuriis, tam in deſtructione dictorum Molendinorum, & domorum, quam alias, ut pręmiſſum eſt, eiſdem illatis, faciant plenam, & debitam ſatisfactionem impendi. Quocirca Fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi prędicti Poteſtas, Conſilium, & commune, preces & mandatum noſtrum, in hac parte neglexerint adimplere, interdicti ſententiam proferas, niſi a Nobis ſuper hoc mandatum receperis ſpeciale. Datum Laterani V Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Reſarciant.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Viterbii* aſſervato.
3. *Literas.*) Præcedentes.

Omni prorſus Epiſcoporum Juriſdictione eximit (1) Ordinem noſtrum.

Anno 1304 Die 12 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, ac Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a paterna ſollicitudine.

INter ceteros Ordines, quos cęleſtis agricolę ſumma benignitas in Orto plantavit Eccleſię, ſacrum veſtrum Ordinem, jam per orbis provincias, ſuperna gratia propagante, diffuſum, dum minori fungeremur officio ſincera caritate dileximus, ad ſtatum ejus feliciter promovendum ſollicitis ſtudiis intendentes; nec minuit utique, ſed auxit potius, circa ipſum pręhabitę dilectionis affectum, perſonę noſtrę ſubſecuta promotio ad apicem Apoſtolicę dignitatis; cum tanto propenſius ad ipſius Ordinis intendamus augmentum, quanto Nobis facultas pręſtantior, quanquam noſtris non exigentibus meritis, noſcitur cęlitus attributa. Licet igitur nonnulli Romani Pontifices (3) Prędeceſſores noſtri, pręfatum Ordinem a Pręlatorum juriſdictione quorumlibet prorſus exemerint, ipſumque fore decreverint, per ipſorum literas ſpeciales exemptum; Nos tamen Ordinem ipſum, ob ſalutis fructus innumeros, qui ex ipſo noſcuntur animabus fidelium provenire, gerentes in viſceribus caritatis, & propterea nolentes omnino, ut quiſquam cujuſcumque ſit ordinis, dignitatis, conditionis, aut ſtatus, vos generaliter, vel ſpecialiter, ac pręfatum Ordinem ſuper exemptione ipſius, ac aliis veſtris, dictique Ordinis libertatibus, & immunitatibus quibuſcumque, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, vobis, & eidem Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis, impugnare, impetere, ac turbare valeat, vel quomodolibet moleſtare, vos & Ordinem ipſum, ab omnium, & ſingulorum quorumlibet Pręlatorum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum omnimoda poteſtate, ac juriſdictione prorſus eximimus, de Apoſtolicę plenitudine poteſtatis: itaquod nec etiam ratione delicti commiſſi, vel initi contractus, aut rei ſitę, poſitę, vel exiſtentis, extra loca veſtra exempta, poſſitis coram eis, non obſtante Conſtitutione fel. rec. Innocentii Papę IV Prędeceſſoris noſtri, in contrarium edita, impeti, moleſtari, ſeu quomodolibet conveniri; decernentes, vos, & Ordinem ſupradictum immediate eidem Sedi, & Soli tantummodo Romano Pontifici ſubjacere. Eccleſias inſuper, Oratoria, domos, & loca, quę tenetis, & inhabitatis ad pręſens, ac tenebitis, & inhabitabitis in futurum, dum & quotiens vos illa tenere, & inhabitare contigerit, exempta prorſus exiſtere, nulloque medio Sedi ſubeſſe decernimus pręlibatę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę exemptionis, & Conſtitutionis infringere &c. Dat. Lateran. IV Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ordinis encomium.
Eximit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aſſervantur alia in Cœnobiis *Faventino*, *Moguntino*, & *Patavino*. Plumbum ſericis filis appenditur. Exemplaria authentica habes in eodem Archivo Ordinis, & apud *Uſuſmarem pag.* 75. Legitur etiam *Libro B. fol.* 519. Aliud tenet Conventus *Raguſinus*.
3. *Pontifices.*) De quibus in *Tractatu* mox laudato.

Anno 1304 Die 15 Martii.

Ut mille Florenos Toloſani Fratres accipiant ex reſtituendis pecuniis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

XXVIII.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prędicatorum Toloſę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

UT circa ea, quę Dei ſunt, liberius attendere valeatis, Nos, volentes vobis, de illa ſubventionis gratia providere, quam veſtris fore conſpicimus neceſſitatibus opportunam, quod de uſuris, rapinis, & aliis male acquiſitis, ſi illi, quibus horum reſtitutio fieri debeat, omnino ſciri, & inveniri, non poſſint, uſque ad ſummam mille florenorum auri (2), recipere valeatis, in neceſſitates veſtras totaliter convertendam, ſi alias pro ſimilium receptione gratiam a Nobis non fueritis conſecuti, vobis auctoritate prędentium indulgemus. Ita quod hi, qui prędictam (3) vobis contulerint, ad reſtitutionem eorum, quę per eos taliter collata fuerint, nunquam faciendam, minime teneantur. Nulli ergo &c. Datum Lateran. Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Toloſæ* aſſervato. Legitur *lib. B. fol.* 295.
2. *Florenorum auri*.) *Florenis* nomen inditum fuit a *Flore* lilii in una parte inſculpti. Altera *S. Joannis Baptiſtæ* referebat effigiem. Anno MCCLII *Florentiæ* primum cudi cœpit hæc monetæ ſpecies titulo XXIV ceratiorum. De *Florentinis* iſtis hoc in Diplomate ſermonem eſſe, nullus dubito. *Florenorum* ſiquidem *de Camera*, ut loquuntur, primus parens fuit *Joannes XXII* circa annum MCCCXXII, ut teſtatur *Villaneus lib. IX Cap. CLXX* apud *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo; *Floreni*.
3. *Prædictam*.) Supple *Summam*.

Anno 1304 Die 19 Martii.

Ne Moniales Ordinis noſtri Monaſteriis alterius Ordinis præficiantur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXIX.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Cavet ut ſupra.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

UT Moniales ſecundum inſtituta, & ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum viventes, ad quas gerimus benevolentię ſpecialis affectum, eo devotius in inſtitutorum obſervantia prędictorum, virtutum Domino, cujus ſunt obſequiis deditę, famulentur, quo magis ab aliis occupationibus fuerint expeditę, Apoſtolica auctoritate ſtatuimus, ut nulla earum ad Abbatiam, vel regimen alicujus Monaſterii alterius profeſſionis poſſit aſſumi, abſque ſpeciali licentia Sedis Apoſtolicę; faciente plenam & expreſſam de ſtatuto hujuſmodi mentionem. Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtri ſtatuti, & Conſtitutionis &c. Datum Lateran. XIV Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Præficiantur*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII*.
2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

Anno 1304 Die 31 Martii.

Ut Ædes ſacræ Cœnobii Raguſini (1) perficiantur, Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXX.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prędentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Indulgentia conceſſa.

ECcleſiarum fabricis manum porrigere adjutricem pium apud Deum, & meritorium reputantes, frequenter Chriſti fideles ad impendendum Eccleſiis ipſis hujuſmodi auxilium noſtris monemus literis, & hortamur; & ut ad id eo fortius animentur, quo magis ex hoc animarum commodum ſperaverint adipiſci, nonnunquam pro iis temporalibus ſuffragiis, ſpiritualia eis munera, videlicet remiſſiones, & Indulgentias elargimur. Et quidem conveniens eſt, & dignum, ut fideles ipſi loca Divino deputata cultui, devotione congrua venerentur, debitum illis honorem exhibeant, & ad eorum decorem ſua etiam impendant ſtudioſe, ut cooperantibus caritativis eorum ſubſidiis, poſſint decentius, conſummatione ſtructurę, Superni Regis laudibus apta reddi. Cum igitur Eccleſia dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Raguſin. in honorem B. Dominici opere ſumptuoſo, ut aſſeritur, ſit incepta, ad cujus conſummationem operis ſint fidelium auxilia opportuna, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccatorum injungentes, quatenus attendentes provide, quod inter holocauſta virtutum, illud Deo acceptabilius creditur, quod de pinguedine caritatis affertur, de bonis vobis a Deo collatis, eiſdem Priori, & Fratribus, vel eorum nunciis pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram opus hujuſmodi valeat conſummari, & vos per hęc, & alia bona, quę, Domino inſpirante, feceritis, ad ęternę poſſitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad hoc eis manum porrexerint adjutricem, unum annum & quadraginta dies de injunctis ſibi pęnitentiis miſericorditer relaxamus, prędentibus poſt ſeptennium minime valituris, quas mitti per quęſtuarios diſtricte prohibemus, eas, ſi ſecus factum fuerit, omnino carere viribus decernentes. Datum Romę apud S. Petrum II Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Raguſini*.) In ejuſdem nominis Republica.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo, quod habetur in Cœnobio *Raguſino*.

Ædi-

Ædibus Sacris Raguſini (1) Cœnobii conſtruendis centum libras ex male partis attribuit. Anno 1304 Die 31 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Raguſin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXI.

FElix & laudanda Ordinis veſtri Religio, quę in Domo Domini relucere conſpicitur, ac veſtrę ſincerę devotionis affectus digne nos excitant, ac inducunt, ut vobis, in veſtris opportunitatibus paterno ſuccurrentes affectu, petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque, ſicut aſſeritis, Eccleſia veſtra ſumptuoſo opere ſit incepta, & ad ipſius conſummationem operis ſint fidelium auxilia opportuna, Nos volentes vobis ſuper hoc favorabiliter ſubvenire, ut de uſuris, rapinis, ac aliis male acquiſitis, dummodo ii quibus horum reſtitutio fieri debeat, omnino ſciri non poſſint, uſque ad ſummam centum Librarum Venetorum Groſſorum (3), in proſecutionem dicti operis totaliter convertendam, dummodo alias a Nobis pro ſimilium receptione gratiam non fueritis conſecuti, recipere valeatis, ita quod illi, qui prędicta vobis contulerint, ad reſtitutionem aliam cuiquam faciendam de eo, quod taliter vobis dederint, minime teneantur, auctoritate vobis pręſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis &c. Datum Romę apud S. Petrum II Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. Conceſſio. Sanctio pœnalis.

1. *Raguſini.*) Videas præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Raguſino*.
3. *Groſſorum.*) Supple: *Denariorum*.

Ut Cremonenſes (1) Fratres Locum S. Gulielmi diſtrahere poſſint. Anno 1304 Die 4 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum Cremonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXII.

MEritis veſtrę Religionis inducimur, ut votis veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram nobis, quod in conceſſione dudum facta vobis per bonę memorię Dominum Epiſcopum (3) Cremonen. de loco veſtro Sancti Gulielmi Cremonen., qui tunc erat Eccleſia ſecularis, cum ſuis Domibus, & pertinentiis ea conditio intervenit, quod ſi vos Eccleſiam aliquo tempore dimitteretis eandem, Eccleſia ipſa ad Cremonen. Epiſcopum, qui eſſet pro tempore, deveniret. Poſtmodum quoque quondam Frater Muñio (4) tunc Magiſter Ordinis veſtri vobis inhibuit, ne alienaretis.. (5) locum prędictum abſque ipſius licentia ſpeciali. Cum autem vos demum ad locum alium in Civitate Cremonen. vobis magis... (6) duxeritis transferendos, ac propterea vobis expediat locum ipſum Sancti Gulielmi cum Domibus, & pertinentiis ſuis pro neceſſitatibus veſtris diſtrahere, Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vendendi, vel diſtrahendi locum eundem Sancti Guilielmi cum eiſdem Domibus, & pertinentiis ſuis, conditione, & inhibitione prędictis, ſeu Conſtitutione felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri per quam alienationes locorum hujuſmodi abſque licentia dictę Sedis fieri prohibentur, nequaquam obſtantibus, liberam vobis concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Non. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. Conceſſio. Clauſula derogans.

1. *Cremonenſes.*) In Ducatu *Mediolanenſi*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo aſſervato *Cremonæ*.
3. *Epiſcopum.*) Cui nomen *Homobonus Medalbertus*. Adeas *Ughellum in Epiſcop. Cremonen. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.606 Edit.II*, ubi laudat antiquum Manuſcriptum, cujus hæc verba: *Sub hoc eodem Pontifice* (Homobono Cremonenſi) *ædificatum fuit Monaſterium S. Guilielmi a B. Rolando, & B. Moneta Cremonenſibus, Diſcipulis S. Dominici, extra, & prope mœnia Civitatis*.
4. *Muñio.*) *Zamorenſis*. Anno MCCLXXXV in Comitiis Generalibus *Bononiæ* coactis ad clavum Ordinis regendum, communi ſuffragio vir venerabilis Muñio electus fuerat.
5. *Alienaretis....*) Tempus edax rerum quædam hic verba expunxit: legerem: *Quovis prætextu*.
6. *Magis...*) Adderem: *Accommodum*.

Quibuſcunque Cenſuris (1) Eccleſiaſticis Fratres Capituli Generalis abſolvit. Anno 1304 Die 13 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Electoribus Magiſtri Ordinis Prędicatorum, apud Toloſam congregandis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXIII.

CUm incumbat vobis proximo Feſto Pentecoſtes, creatio novi Magiſtri Ordinis, Nos, volentes, ut omnia circa hęc, & alia dicti Ordinis recte, & rite procedant, nullumque ſubſit impedimentum, adverſus quod poſſit noſtra providentia ſubveniri, pręſentium tenore, omnes, & ſingulas ſententias excommunicationis, ſive ſuſpenſionis, vel interdicti, a jure, vel ab homine prolatas, ex cauſa quacunque natas, & undecunque contractas, ſi quas vos, aut veſtrum aliquis, ſeu ad hujuſmodi Magiſterium aſſumendus (3), forſitan incurriſtis, de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine penitus revocamus. Voſque ac veſtrum ſingulos ab eis abſolvimus, & abſolutos fore cenſemus; ita quod obſtaculum aliquod electioni, quam

quam de Magiſtro dicti Ordinis facietis, propterea nequeat interponi. Sic ergo ad id prudenter intendite, ſic in meliorem veſtra conſideratio dirigatur, quod, Deo propitio, Magiſter diſcretione vigens, ſcientia pollens, conſilio providus, in ſibi committendo officio fidelis, & exemplo vitę, & regularis diſciplinę obſervantia, quam inconcuſſe cuſtodiri volumus, Ordini fructuoſus, veſtro miniſterio ſubrogetur. Datum Laterani Idibus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Cenſuris.*) Anathemate ſiquidem, interdicto, aliiſque cenſuris *Gallos* perculerat *Bonifatius VIII*, ut conſtat ex *Epiſt. CXLV Lib. I B. Benedicti XI*, Cum igitur Generale Capitulum *Toloſę* celebrandum eſſet, ne forſitan Magiſtri Generalis electioni cenſuræ forent impedimento, & ut omnimoda libertate donaret electores, ipſos, & eligendum, omni cenſura ſolutos voluit *B. Benedictus*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur apud *Piodium Della Progenie di San Domenico Lib. II Cap. XXV pag. 325*, & *Ferdinandum de Caſtillo in Hiſtor. Ord. Parte II Lib. I Cap. VII.*

3. *Aſſumendus.*) F. Aymericus Placentinus Generalis Magiſter hoc in Capitulo renunciatus eſt.

Anno 1304 Die 14 Aprilis.

Epiſcopum inter Barchinonenſem, & Fratres noſtros de Sepultura initam, compoſitionem confirmat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 551.

XXXIV. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Fratrum Ordinis Prędicatorum Barchinonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Religionis veſtrę, ſub cujus obſervantia continuum impenditis Domino famulatum, meretur honeſtas, ut votis veſtris, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Sane petitio veſtra, nobis exhibita, continebat, quod cum olim inter vos, ex parte una, & bonę memorię Petrum Epiſcopum, & Capitulum Barchinonen., ac Rectores Parochialium Eccleſiarum Barchinonen. Civitatis. & Diœceſis, ex altera, ſuper jure recipiendi ad Sepulturam Eccleſię veſtrę corpora illorum de dictis Civitate, & Diœceſi qui apud vos eligebant ſepeliri, necnon ſuper obventionibus, quę ratione ipſius Sepulturę proveniebant, ac aliis articulis, orta fuiſſet materia quęſtionis, demum amicabilis ſuper his inter partes compoſitio intervenit, prout in Inſtrumento publico, inde confecto, plenius continetur; quam fel. recor. Innocentius Papa V Prędeceſſor noſter, ad veſtrę, ac bonę mem. Arnaldi Epiſcopi Barchinonen., prędicti Petri Succeſſoris, ſupplicationis inſtantiam per ſuas Literas (3) confirmavit, eamque partes ipſę poſtmodum obſervarunt. Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, volentes eandem compoſitionem inviolabiliter in poſterum obſervari, illamque ratam, & gratam habentes, eam, Conſtitutionibus, noſtra quę incipit:
Confirmatio. Inter cunctas: & quibuſcunque aliis eidem compoſitioni contrariis, nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere &c. Datum Viterbii XVIII Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Confirmat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo Cœnobii *Barchinonenſis*.

3. *Literas.*) *Conſtitutionem ſcilicet I Innocentii V.*

Anno 1304 Die 13 Maii.

Confirmat quæ Gofredus, S. Sedis Apoſtolicæ Legatus, in gratiam Cœnobii Bergomenſis ſanxerat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXV. Benedictus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Ordinis Fratrum Prędicatorum Pergamen (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Ordinis veſtri ſancta Religio digne meretur, ut Ordinis ejuſdem profeſſoribus, ea, quę quietum ipſorum ſtatum reſpiciunt, libenti animo concedamus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum
Supplex Fratrum petitio. coram nobis, quod bo. me. Gofredus, tituli S. Marci Presbyter Cardinalis, tunc in partibus Lombardię Apoſtolicę Sedis Legatus, volens utilitati Eccleſię veſtrę S. Stephani vocabulo inſignitę, in qua ad prędens degitis, & tunc inſtituti erant Clerici ſeculares, & de novo conceſſa Ordini veſtro fuerat, providere, inter alia ſtatuit quod iidem Clerici contenti eſſent Beneficiis, quę in ipſa Eccleſia obtinebant, & eis cedentibus, vel decedentibus, alii non ſuccederent ipſis in Beneficiis ſupradictis, ſed eadem Beneficia ſecundum diſpoſitionem Epiſcopi Pergamenſis, qui eſſet pro tempore, in fabricam ipſius Eccleſię, ac domorum ejus, necnon in ornamenta paramentorum, & librorum ejuſdem Eccleſię, vel in uſus pauperum libere converti deberent: & poſtmodum felicis record. Gregorius PP. IX Prędeceſſor noſter ſtatutum hujuſmodi auctoritate Apoſtolica confirmavit (4). Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut cum pręfata diſpoſitio, quę per dictum Epiſcopum eſt juxta ſtatutum facienda, inter vos, & ipſum Epiſcopum poſſet materiam ſcandali generare, providere in hac parte veſtrę quieti, ac ſcandalo hujuſmodi obviare, pater-
Confirmatio. na diligentia, dignaremur. Nos itaque veſtris ſupplicationibus inclinati, ut memoratam Diſpoſitionem vos exequi valeatis, vobis, tenore pręſentium, liberam concedimus facultatem. Datum Peruſii III Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Sanxerat.*) Conſule *Conſtitutionem XXXVII Gregorii IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo Cœnobii *Bergomenſis*.

3. *Ber-*

3. *Pergamen.*) Sic *Bergomenſe* Cœnobium quondam nuncupatum fuiſſe, dictum eſt ſæpius, & probatur hoc Inſtrumento. *In Nomine Domini Amen. Die Lunæ V, exeunte Julio, in Civitate Pergami in Epiſcopali Palatio. D. Johannes Dei gratia Pergamenſis Epiſcopus de conſilio, & aſſenſu D. Henrici de Seſſo Archidiaconi Pergamenſis, & D. Presbyteri Bruni Primicerii Pergamen., & D. Martini de Roxate, Confratrum ſuorum ibi præſentium, & etiam de conſilio, & aſſenſu Capituli Pergamen. ſicut dicebat, inveſtivit P. Melioratum Priorem Collegii Fratrum Prædicatorum de Pergamo, nomine, & voce ipſius Collegii de Eccleſia S. Stephani Pergamenſis, & de Præbenda Sacerdotali ipſius Eccleſiæ, itaut ipſi Patres Prædicatores, ipſam Eccleſiam habere debeant, & ei deſervire debeant, & Parochiam ejus, ſecundum quod cum honeſtate fieri poterit, & ſalva Regula Fratrum Prædicatorum, & reſpondere debeant Eccleſiæ Pergamenſi de honoribus, & ſervitiis illis, quæ conſuevit Eccleſia illa Pergamen. Capitulo exhibere, & ſpecialiter inveſtivit eum, & ei ſupradicto modo, & nomine conceſſit, pro luminaribus Eccleſiæ, & libris habendis, & reparatione domorum, & aliis, quæ utilia ipſi Eccleſiæ viderentur, vineam, & hortum, & quicquid prædicta Eccleſia habet in ſuperficie Montis S. Stephani, & conceſſit ei ſupraſcripto modo, & nomine, jus habendi, & faciendi viam in ipſo Monte in terris Eccleſiæ, ubi melius, & commodius fieri poſſet, & retinuit etiam in ſe poteſtatem ipſe D. Epiſcopus, addendi, eis de bonis ipſius Præbendæ Sacerdotalis; Et hoc factum eſt præſentibus Oratio, & Alberto de Coloneo, & Michaele de Comelonio Clericis, & Confratribus ſupraſcriptæ Eccleſiæ S. Stephani. Factum eſt hoc Anno Domini MCCXXVI Indictione XIV. Interfuere ibi teſtes Albertus de Mura, & D. Presbyter Rodulpus, Canonicus Plebis de Giſalba, & Johannes de Albano, Clericus de Albano. Ego Lanfrancus Sozena, Socius Palatii Notarius interfui, & rogatus ſcripſi &c.*

4. *Confirmavit.*) Die XXIV Aprilis MCCXXX.

De injuria F. Nicolao, S. R. E. Cardinali, Ordinis Prædicatorum, & S. Sedis Legato, illata queritur, ac in Florentinos, & Lucenſes hac de cauſa animadvertit (1).

Anno 1304
Die 22 Maii.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCIV num. IV.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. XXXVI.

Exordium.

REx pacificus, qui pacis cogitationes cogitat, non afflictionis, pro mundi pace venit in mundum in ultimis dum tranſiturus eſſet ad Patrem, pacem nobis quaſi proprio Teſtamento relinquens. Id velut pręcipuum etiam in veteri Teſtamento promittit, cum per Prophetam (3) dicit: Orietur in diebus ejus juſtitia & abundantia pacis donec auferatur luna: & Iſrael habitabit confidenter. Dabo pacem in finibus veſtris, dormietis, & non erit qui exterreat. In pace namque dies videntur boni, pacemque jubemur inquirere, & perſequi eam; unde ſcriptum eſt (4): Diſſidentes Fratres ſive clericos, ſeu laicos, Epiſcopi hortentur ad pacem, & quicunque odio, aut longinqua inter ſe lite diſſenſerint, & ad pacem revocari diuturna obſtinatione nequiverint, a Sacerdotibus civitatis primitus arguantur: quod ſi inimicitias deponere perniciosa intentione noluerint, de Eccleſię cętu juſtiſſima excommunicatione pellantur. Mandant quoque ſeculares Principes, providendum, ut nulli populi ſeditiones faciant, & omnem pacem habeant civitates. Ad id conſtringit ratio: ad id exempla nos admonent; quia ſubditorum ſanguis de Pręlatorum exigitur manibus, & agricultor bonus agrum ſuum ſolicite colit, & tribulis ac herbis nocivis diligenter expurgat. Odia autem, ſemen iniqui hominis, cum ex corde exeant, coinquinant animas: & ideo ſi ex illorum, ad quos eorum cura pertinet, negligentia non purgentur, hoc ab ipſis, qui hujuſmodi curam habent, procul dubio requiretur. Nuper ſiquidem, dum Florentina civitas, olim florida, quam dies verni roſarum, flores, & lilia circumdabant convallium, deformis facta, odiis repleta mutuis, in ſe vertiſſet crudeliter gladium ſuorum civium, lamentaretur exilia, fleret cędes & carceres, de divite pauper, de felice miſera deploraret; compatientes ſpiritualiter ei, aliiſque Tuſcię civitatibus, peſte laborantibus ſimili, pie cogitavimus, & ex debito paſtoralis officii, ſupradictis coacti, neceſſario propoſuimus tollere in eis, Domino favente, odia; inſerere pacem, & quietis dulcedinem ipſis ſalubriter pręparare: Sicque de conſilio Fratrum noſtrorum ad hęc procuranda venerabilem Fratrem noſtrum Nicolaum Oſtienſem & Velletrenſem Epiſcopum, in quo circumſpectionem prudentię, puritatem fidei, & conſtantię firmitatem longa experientia noſcebamus, & noſcimus, ad illas partes tranſmiſimus confidenter: nec deſiderio noſtro fuiſſemus fraudati, niſi multorum perverſorum iniquitas, qui ſe demeritis ſuis beneficio pacis reddiderunt indignos, noſtris obviaſſet propoſitis; & mali, deſiderantes ut Saul bonos ſemper opprimere, & oppreſſos ad David fugientes repellere, eiſque refugii locum denegare propriam civitatem, pro ſano conſilium pravum nequiter aſſumpſiſſent. Cum enim Legatus ipſe pacis negotium cęptum feliciter, & jam fere in conſummationem deductum, vellet perficere, nonnulli Florentini cives, ac certi Pratenſes, ęmuli pacis, turbatores quietis, & juſtitię inimici, quibus pax malorum ſuorum, quę, ut non egeant, exercere cupiunt, finis, & bellum initium fore noſcuntur, Lucanis conſciis, prout per literas memorati Legati accepimus, Prati (5), dum ibi idem Legatus (6), non reveriti faciem ejus, nec Romanam reſpicientes Eccleſiam, cujus, inanibus verbis honorantes labiis, ſed corde longinqui, ſe jactant eſſe devotos, ad impedimentum pręfatę pacis, ſeditionem cum impiis acclamationibus, & tumultum, non ſine pręcedenti conjuratione, fecerunt, & Pratum ipſum nihilominus occupantes. Propter quod ſępeſatus Legatus de ſe, ſuaque familia, in quorum machinabantur vitam, merito timens; & ne idem dicta Florentina Civitas pateretur, redire Florentiam eſt compulſus: dictique Lucani, ſeditioſis hujuſmodi prębituri ſubſidium, in equitum & peditum multitudine gravi acceſſere Ficechium (7): ſed cum pręctactus Legatus ab incepto pacis negotio propterea non ceſſaret; immo duodecim advocaſſet Florentinos extrinſecos, & totidem intrinſecos elegiſſet, de modo pacis tractaturus cum eis, finemque laudabilem negotio prębiturus; inteſtina bella Lucanis eiſdem, Ficechii morantibus, per adverſarios pacis, quibus iidem favebant Lucani, ſunt mota; propter quę ſedanda dicti duodecim extrinſeci Florentini de voluntate Legati Florentia exiverunt. Sed, proh dolor! non ex hoc ſedata ſunt, quin immo incaluerunt magis, & quaſi ſtatim Roſſelinus de Lacoſa, Pazzinus de Pazzis, Tegghia de Freſcobaldis, Milites, Synibaldus de Donatis, Buondelmontes, Tonaquinci, Rubei, Vicedomini, Cavicaulil, Gaudagni, Ferrutii, Rondoni, Accajoli, & Medici, cum ſuis complicibus, Florentini cives, civitatem currentes, cędes fecerunt, & vulnera, & ex hoc tota eſt commota civitas, & ſub armis miſerabiliter conſtituta,

Cauſa Legationis F. Nicolai.

Legatus male accipitur.

bella in locis diverſis plurima commiſſa ſunt, immiſſi ignes, & homicidia perpetrata. Interea autem Lucanis de Ficechio cum Exfortio (8) maximo Florentiam propinquantibus, idem Legatus, qui cum nocentibus innocens, cum doloſis rectus, cum duplicibus ſimplex, fidelis cum proditoribus, cum iniquis ęquus, & cum injuſtis juſtus extiterat; vitę ſuę, quam extinguere Lucani ſitiebant, conſulens, exiit civitatem; quę poſt paucis interjectis horis, completa bellis, ſuorum civium fędata ſanguine, plena Lucanis effecta eſt, violata prędis, & incendiis deformata: nobiles & populares viri, amatores pacis & Legati fautores ejecti ſunt, & relicta civitas in manibus ipſorum: ſicque Lucani propriorum ſine cauſa, niſi temeritatis, & ſuperbię, occiſores civium, Lucanę & Lunenſis (9) deſtructores Eccleſię, Tuſcię incendium; qui paulo ante prope Piſtorium (10), dum ibi eſſet Legatus, multos Piſtorienſes occiderant, nec prędictum fratrem noſtrum pati potuerunt nominare (11) Legatum; quique hactenus verſantes cuncta, omniaque tentantes, paci prędictę una cum Florentinis prętatis prębuerant propter conſcientiam criminum ſuorum obſtacula, ſunt, neſcimus quo Dei judicio, ſuum ſceleſtum propoſitum executi; poſt idem impletum propoſitum ad palatium, in quo Florentię dictus degebat Legatus, turmatim accedere, minas, blaſphemiaſque proferre, nihilominus pręſumentes. In iis ultra parricidium, & fere cuncta facinora, graviſſimum ſcelus, patrię proprię proditionem agnoſcimus. In iis non ſolum contra Legatum noſtrum, ſed verius contra Nos, ac Romanam, cui pręſidemus, Eccleſiam, in perſona Legati ejuſdem intolerabile facinus, & offenſa commiſſa, notamus: in iis homicidii, vulnerum, cędis, violentię, rapinę, incendii, & tot alia, quot ex hoc ſecuta ſunt, & ſequuntur, crimina perpetrata videmus. Non perfidior Catilinę (12) conjuratio, vix ſuperior Syllana (13) crudelitas, & Mariana (14) ferocitas parum minor. Sunt hęc, quęſumus, fidelium opera? Sunt devotorum Eccleſię actiones? Quis infidelis, quis indevotus, aut quis ſceleratus hęc faceret, niſi qui in pace more ſolito graſſari non poſſet, vel de ſuis timeret ſceleribus ultionem? hęc ſunt deſperatorum flagitia, & in profundum ſcelera demerſorum. An ergo qui egerunt talia ſunt Eccleſię filii, an fideles, ſive devoti? Certe iſtos indevotos, reliquos vero, qui paſſi ſunt, & ejecti, cum in bono pacis ſequerentur Legatum, appellamus fideles. Mirabile dictu! Volunt ii etiam dum contra Eccleſiam agunt, filii reputari? Nunquid iſta poterimus tolerare, quin in eos, quos Dei timor a malo non revocat, exſurgamus; quin ipſorum in Dei, cui adverſantur, virtute, maxillas in fręno conſtringamus & camo? Nunquid, ut mali quieſcant, bonos vexari patiemur? Nunquid inter improbos innocentiam permittemus perire? Abſit a nobis, abſit a Romano Pontifice, abſit a Chriſtianorum omnium Epiſcopo & Paſtore. Nam puniuntur mali, ut boni quiete vivant: ac putreſcunt palpata vulnera, & impunitas audaciam deteriora committendi miniſtrat. O miſerabilis Florentina civitas, quam triſte de te prębuiſti, prębeſque ſpectaculum! quia jam in te langueratjuſtitię rigor, tepuerat animi fortitudo, & tibi libertatis guſtus modico tempore nauſeam generaverat. Sub paucorum, qui te devoraverunt, & devorant ſicut eſcam panis, ſervitutis jugo redacta es, eorum ſis victorię pręmium, atque pręda. Tibi terrori facti ſunt, a quibus conſueviſti timeri. Facies tua, quam non ſol decoloravit, ſed ignis, mutata eſt. Facta es tabida, data in ſibilum, & poſita in deriſum. Cecidiſti lucifer, qui mane oriebaris. Urbs frequens, & exultans civitas, in mœrorem verſa cognoſceris, omnis lapis pretioſus quondam operimentum tuum: nunc autem para cilicium, induere ſacco, & aſpergere cinere caput tuum, quia perdidiſti filios, & privigni, quibus ſua, eo quod modica, diſplicent, aliena placent, dominantur tibi. Narrent filii tui poſteris ſuis quę paſſa es, & a quibus, ut oblivioni quouſque ulla fueris, non tradantur. Compatimur, condolemus, urget Nos paſtorale officium, angit honor Eccleſię, ſceleratorum, qui te fere ſtrangulatam detinent, habenda correctio, cogit, ut pro te, filia noſtra, capiamus conſilium, morbo tuo apponamus remedium, & Eccleſię injuriam vindicemus. Citamus (15) ergo de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, pręſente hac multitudine copioſa, civitatum Florentię, & Lucę Communia, ut per procuratores idoneos; ſuperius vero expreſſos, necnon & Roſſum de la Toſa, Curſum de Donatis, utrumque Nerium de Buondelmontibus, Gerardum de Tonaquincis, Jacobum de Rubeis, Gerium Spinam, Milites, Burgerium de eadem domo de Tonaquincis, Paganum Bordonum, Florentinos, Orlandum Salamoncellum, Henricum de Bernarduciis, Orlandum dictum Malapreſa, Parentem de Porcara, Milites, & Nicolaum Maconis, Lucanos, perſonaliter; infra octavas Feſtivitatis Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, proxime venturę, peremptorie compareant coram Nobis ſuper pręmiſſis & aliis mandatis & juſſionibus noſtris humiliter pariturí. Alioquin, eorum non obſtante abſentia, ad graviſſimas pęnas tanquam ſuper notorio contra eos, auctore Domino, ſpiritualiter & temporaliter, procedemus. Prohibemus inſuper omnibus & ſingulis, cujuſcunque ſtatus, dignitatis, aut conditionis exiſtant; civitatibus, univerſitatibus, & locis quibuslibet, ne prędictis Communibus, aut illa regentibus, ſive parti intrinſecę civitatum dictarum dent auxilium, conſilium, vel favorem: alias contrafacientes ſimiles pęnas poterunt merito formidare. Hanc autem citationem & prohibitionem noſtram, quam non ſine cauſa ex certa ſcientia facimus, ipſos omnes arctare volumus, ſicut ſi eorum quemlibet apprehendiſſet; non intendentes, nec volentes per hęc in aliquo derogare poteſtati dicti Legati, quin poſſit ea uti, ſicut ſi iſta per Nos minime proceſſiſſent. Ut autem hujuſmodi noſter proceſſus &c (16). Actum Peruſii XI Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Florentiæ ſtrages.

In ſeditioſos animadvertit.

1. *Animadvertit.*) Adeas *Odoricum ad an. MCCCIV num. IV, & VI, & Bzovium ad eundem annum num. VI.*
2. *Odorico.*) Ex *Epiſtola CLXX libri I Benedicti XI.*
3. *Prophetam.*) *Pſalmo LXXI. 7.*
4. *Scriptum eſt.*) In Jure Canonico *Diſtinctione XC Canone IX.*
5. *Prati.*) In *Hetruria* inter *Florentiam* ad ortum, & *Piſtorium* ad occaſum.
6. *Legatus.*) *Odoricus* monet addendum: *reſideret.*
7. *Ficecbium.*) Seu *Feſulas*, vulgo *Fieſoli*, apud *Florentiam.*
8. *Exfortio.*) Seu *Auxilio*, ex Gallica voce *Effort.* Conſulendus *DuCange* in *Gloſſario*, verbo, *Exforcium.*
9. *Lunenſis.*) In *Liguriæ* confinio.
10. *Piſtorium.*) Vulgo *Piſtoja*, in *Hetruria.*
11. *Nominare.*) *Nominari.*
12. *Catilinæ.*) De quo legendus *Cicero Oration. XIX, XX, XXI, & XXII in Catilinam.*
13. *Syllana:*) Sic a *Lucio Cornelio Sylla* nuncupatur. Adeas *Plutarchum in Sylla.*
14. *Mariana.*) Auctore *Cajo Mario.* Legendi *Plutarchus* in *Mario, Titus Livius, Aurelius Victor &c.*
15. *Citamus.*) Conſulendus *Odoricus* loco laudato, *num. VI.*
16. *Proceſſus &c.*) Nonnulla deſunt.

Cœno-

Cœnobium noſtrum Peruſinum (1) Parochia, certiſque poſſeſſionibus donat. Anno 1304 Die 31 Maii.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Conventui Ordinis Prędicatorum Peruſin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXVII.

SAcrę veſtrę Religionis merita, ſub qua virtutum Domino militantes, vobis per vitę meritum, & aliis proficitis per exemplum, inſtanter expoſcunt, ut illa vos gratia favorabiliter proſequamur, quam veſtris fore conſpicimus neceſſitatibus opportunam. Cum itaque, ſicut ex parte veſtra fuit expoſitum coram Nobis, locus veſter adeo arctus exiſtat, quod ibi ędificare Eccleſiam congruam, ac Domum, & officinas alias, veſtris opportunas uſibus, non poteſtis; Nos, ſuper hoc vobis providere volentes, Capellam S. Stephani de Caſtellari, dicto loco vicinam, ſubjectam Eccleſię Peruſinę, ac conſuetam gubernari per Canonicos dictę Eccleſię, cujus inſtitutio, & deſtitutio ad Capitulum dictę Eccleſię pertinet, cum Parochia, domibus, caſalenis, hortis, ceteriſque bonis, juribus & pertinentiis ſuis, infra muros Burgi S. Petri conſiſtentibus, vobis pro ejuſdem loci veſtri ampliatione, Apoſtolica auctoritate concedimus, & pia liberalitate donamus, & ab ea ex nunc dilectum filium Nicolaum Peruſinum, cui ejuſdem Eccleſię gubernatio commiſſa fuerat, amoventes, apprehendendi corporalem poſſeſſionem Eccleſię, Parochię, domorum, caſalenorum, hortorum, bonorum, jurium, & pertinentiarum prędictarum, alterius conſenſu minime requiſito, vobis licentiam liberam exhibemus. Volumus autem, & auctoritate dicta ſtatuimus, quod infra Eccleſiam veſtram teneamini in honorem S. Stephani prędicti conſtruere Capellam, in qua per Capellanum, divina officia celebrentur, cui teneamini in vitę neceſſariis congrue providere. Cura vero parochianorum dictę Eccleſię S. Stephani, tibi, fili Prior, & ſucceſſoribus tuis, Prioribus dicti loci, qui pro tempore fuerint, immineat; ipſamque per Capellanum exerceatis eundem, cujus inſtitutionem, & deſtitutionem, quoties videritis opportunum, ad vos decernimus pertinere. Nolumus tamen, quod venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Peruſino, vel ejus ſucceſſoribus, qui pro tempore fuerint, ſitis in aliquo vos, vel idem Capellanus, ratione dictę Curę, ſubjecti, vel ſibi teneamini de cura Plebis aliquatenus reſpondere, aut aliquam de ſpiritualibus, vel temporalibus reddere rationem. Poſſeſſiones autem, & alia bona immobilia dictę Eccleſię S. Stephani prędictis Archipresbytero, & Capitulo dictę Peruſinę Eccleſię reſervamus; illas perpetuo eorum uſibus applicando. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, donationis, amotionis, apprehenſionis, exhibitionis, ſtatuti, decreti, voluntatis, & reſervationis infringere &c. Datum Peruſii II Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. Conceſſio. Sanctio pœnalis.

1. *Peruſin.*) In *Hetruria* Ditionis Pontificiæ.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Peruſino*.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, B. Benedicto XI Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALES.

F. Nicolaus de Albertis, vel Albertinis, ex genere materno a nonnullis nuncupatus de Martinis, patria Pratenſis, Provinciæ Romanæ alumnus, ex Epiſcopo Spoletano, ut dictum eſt in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII*, S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Oſtienſis & Velitrinus. *Bernardus Guidonis in Indice Cardinalium. Ughellus in Epiſcopis Oſtien. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 70 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. VIII. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCIII pag. 348. Cavalerius Tomo I pag. 86 num. XVI, & Tomo II pag. 189 num. VIII*, ubi variis Legationibus *F. Nicolaum* clarum fuiſſe, docet. *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXXI pag. 546.* Anno 1303 Die 18 Decembris.

F. Guillelmus Mackelelfield, Anglus, S. R. E Cardinalis, quem variis nominibus Scriptores donant, *Maclefeldus* enim, *Manusfeldus*, *Meſſelechus*, *Maſſebt*, *Maſſet*, *Mallisvielt*, *Maſflet*, *Marlesfeldius*, *Mareſfeldius*, & *Magliſſit* ab ipſis nuncupatur, ut videre eſt apud Auctores mox laudandos. De eo hæc habet *Bernardus Guidonis* in antiquo Ms. Archivi Ordinis. B. Benedictus XI *fecit, quantum in ipſo fuit Preſbyterum Cardinalem Fratrem Gwillelmum, Anglicum, de Ordine Prædicatorum, Bacalarium Theologiæ Pariſius, Magiſtrum vero Oxoniæ, quem viventem eſſe credebat in Anglia; Veruntamen obierat in præcedenti Auguſto, cum rediſſet* (rediret) *de Generali Capitulo Biſuntino, in quo fuerat pro Provincia Angliæ Diffinitor Anno Domini MCCCIII. Cui, ſicut pie credendum eſt, Chriſtus aſſiſtens Pontifex futurorum bonorum providit de Cardinalatus vitæ peremnis titulo meliori*. In *Actis* vero *Capituli Generalis Toloſæ celebrati Anno MCCCIV* ſic legitur: *Denuntiamus Fratribus univerſis, quod tenentur ad ſuffragia pro Fr. Guillelmo de Macleſfeld Diffinitore Angliæ* Anno 1303 Die 18 Decembris.

in

in Capitulo Biſuntino, defuncto poſt ipſum Capitulum, antequam ad Conventum proprium perveniſſet. Hic Frater Guillelmus Anglicus, Magiſter in Theologia., factus fuit Cardinalis Romanus, erat tamen mortuus, ſed Papa neſciebat, in jejuniis quatuor temporum Adventus MCCCIII. Conſulendi *Trivetus in Chronicis Regum Angliæ ad an. MCCCIII, Leander de viris illuſtribus, Laurentius Pignon, Luſitanus, Fernandez, Pirſeus, Altamura, Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. IX pag.* 19, *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCIII pag.*353,*Cavalerius Tomo II pag.*190 *num. IX, Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCIII pag.*493.

Anno 1304. F. Gualterus de Winterburn, Anglus, S. R. E. Cardinalis tituli S. Sabinæ. *Bernardus Guidonis* ſupra laudatus. *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCIII pag.* 354. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. X pag.*20. *Cavalerius Tomo II pag.*191 *num. X. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCV pag.* 496.

PATRIARCHA.

Anno 1304. F. Radulphus de Grandi-Villa, Burgundus, ex Patriarcha Jeroſolymitano, ut in *Appendice ad Pontificatum S. Cæleſtini V* dictum fuit, Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. XI ad an. MCCCIV pag* 158. *Carolus a Sancto Vincentio in Chronologia Miſſionum Parte I Septembris pag.* 92 Conſule *Cavalerium Tomo I pag.* 68 *num. CCXIV*, ceteroſque Scriptores, de quibus in *Appendice* mox laudata.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1303. F. Andreas Gezzius, Antonii filius, patria Senenſis, Archiepiſcopus Antibarenſis, in Albania. *Cavalerius Tomo I pag.* 84 *num. IV. Altamura in Bibliotheca Dominicana. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. III pag.* 52, *ex Ugurgerio in Pompis Senenſibus, & Ughello in Mſs.* Adfuit *Viennenſi* Concilio. Legatione functum fuiſſe, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Johannis* vulgo *XXII.*

Anno 1304. F. Guido, Cyprius, Archiepiſcopus Arborenſis, in Sardinia. *Plodius Parte II Lib. I pag.*125. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VI pag.* 54. *Cavalerius Tomo I pag.* 70 *num.* 220. Adfuiſſe Concilio *Viennenſi*, teſtis eſt *Fontana Monum. Dominican. Parte I Cap. XII ad an. MCCCXI pag.*164.

Anno 1304 Die 7 Julii. F. Radulphus de Grandi-Villa, Patriarcha, ut ad annos *MCCXCIV*, & *MCCCIV* dictum eſt, Adminiſter Archiepiſcopatus Brunduſini, in Regno Neapolitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 68 *num.* 214. *Fontana Theatro Dominican. Cap. III Tit. IV pag.*46 *num. V ex Ughello in Mſs., & ex Lib. Proviſion. Prælator. B. Benedicti XI.*

EPISCOPI.

Anno 1303. F. Raymundus de Ponte, Epiſcopus Valentinus, in Hiſpania Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXII pag.* 110. *Cavalerius Tomo I pag.*265 *num. XV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXII pag.* 519. Nunc Metropolis eſt Eccleſia *Valentina*, ubi ab annis aliquot ſedebat *Raymundus*, cum hoc anno *MCCCIII* Prædicatorum familiæ nomen dedit.

Anno 1303. F. Lucas, Neapolitanus, Epiſcopus Caſtrenſis, *Caſtro*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hydruntino. *Ughellus Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 94 *Edit. II*, *ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLIX pag.* 160. *Cavalerius Tomo I pag.*97 *num. LII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXIX pag.* 565. Archiepiſcopus *Hydruntinus* fuit *Lucas*, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* videre eſt. Unus fuit ex Patribus *Viennenſis* Concilii.

Anno 1304 Die 11 Januarii. F. Jacobus, Bononienſis, Epiſcopus Mantuanus, in Gallia Transpadana, immediate ſub Sancta Sede. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Lombardiæ inferioris. Acta Capitulor. General. Tomo II pag.* 489. *Ughellus ex Regeſt. Vatican. Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcop. Mantuanis pag.*868 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXIV pag.* 224, *& in Monument. Dominican. Parte I Cap. XII ad annum MCCCIV pag.*158. *Cavalerius Tomo I pag.* 66 *num. CCIII.*

Anno 1304 Die 5 Aprilis. F. Guido, Vicentinus, Epiſcopus Ferrarienſis, in Æmilia, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Lombardiæ Inferioris. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLIV pag.* 192, *& in Monumen. Dominican. Parte I Cap. XII ad an. MCCCIV pag.* 158. *Cavalerius Tomo I pag.* 103 *num. LXXIII.* Ille eſt *Vido de Pileo*, cujus meminit *Ughellus in Epiſcop. Ferrarienſibus Tomo II Italiæ Sacræ pag.*545, ubi ex *Regeſto Vaticano* laudat *Epiſtolam DXL datam Nonis Aprilis Anno MCCCIV.*

B. Au-

B. Auguſtinus Gazothus, Epiſcopus Zagabrienſis, in Hungaria, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Hungariæ. Ferrarius De Rebus Hungar. Provinciæ Parte I Lib. I a Cap. XII ad XIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCLII pag.* 328. *Cavalerius Tomo I pag.* 90 *num. XXVI. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXXIII pag.* 553. Ex *Zagabrienſi* ad Sedem *Lucerinam* tranſlatum eſſe *B. Auguſtinum*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII.* Anno 1304.

F. Petrus Monticellus, Epiſcopus Comaclenſis, in Gallia Togata, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Lombardiæ Superioris. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCIV pag.* 175. *Cavalerius Tomo I pag.* 95 *num. XLV. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXXVII pag.* 561. *Ughellus in Epiſcopis Comaclen. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 483 *Edit. II*, ubi ex incuria Typographi *Mancinellus* vocatur *Petrus Monticellus*. Anno 1304.

F. Raymundus, Epiſcopus Londinenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Plodius in Appendice ad Partem II. Cavalerius Tomo I pag.* 63 *num. CXCI.* Circa Annum 1304.

F. Johannes Beroaldi, Epiſcopus Eugubinus, in Umbria, immediate ſub Sancta Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 63 *num. CXCIII.* Metropoli *Urbinaten.* ſubiicitur *Eugubina* Sedes; ut conſtat ex *Bulla* - Circumſpecta Romani - *Dat. an. MDCCXXV, X Kal. Jun.* Pontificat. Benedict. XIII, nunc feliciter regnantis, an. I. Circa Annum 1304.

F. Rubertus, ſeu Robertus, Normannus, Epiſcopus Paphen., *Baffo*, in Regno Cypri, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Terræ Sanctæ. Plodius in Appendice ad Partem Secundam. Cavalerius Tomo I pag.* 313 *num. CCCXXXV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLI pag.* 260. Anno 1304.

LEGATI.

F. Nicolaus de Albertinis, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* videre eſt; Legatus in Hetruriam. *Bulla* - Tranſiturus - *Data XXXI Januar. MCCCIV. Cavalerius Tomo I pag.* 86 *num. XVI*, ceterique Scriptores ſuperius laudati. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag.* 344. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXI pag.* 546, & *ad an. MCCCV pag.* 497, ubi tranſcribit Epiſtolam Regis Angliæ, quæ ſic incipit: *Venerabili in C. P. D. Nicolao D. G. Oſtienſi & Velletrenſi Epiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, amico ſuo cariſſimo, Eduardus &c.* Anno 1304 Die 31 Januarii.

F. Thomas de Averſa, aliique nonnulli Legati in Siciliam miſſi. *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCIV num. XIX*, ubi Bullas hujuſce Legationis laudat. Anno 1304.

CLEMENS V

(a) Decretum Electionis apud Cicconium in Clemente V.
(b) Bernardus Guidonis in Chronicis.

Gallus, natione Vaſco, patria Villendraucenſis, Bertrandus Del Got nuncupatus, abſens electus eſt Peruſii die V (*a*) Junii MCCCV. Eodem Anno Coronatus fuit Lugduni die XIV Novembris. Obiit apud Roccam-Mauri ad Rhodanum Die XX (b) Aprilis MCCCXIV. Sedit Annos VIII Menſes X Dies XV.

Anno 1307 Die 10 Auguſti.

Refert ea, quæ B. Benedictus XI, tunc S.R.E. Cardinalis Legatus, egit in Hungaria, & jura Caroli Regis Hungariæ tuetur (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCVII num. I.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

I.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

DUdum claræ memorię Wenzeslao (3) Rege Bohemię tunc vivente, per ejus Nuncium, & literas ſupplicante felicis recordationis Bonifatio Papę VIII Predeceſſori noſtro ut negotium quondam Wenzeslai (4) ejuſdem Regis filii tunc viventis, quem in Regem Hungarię concorditer & canonice proponebat electum, & eundem Regem Bohemię, ac tam ſuos quam ejuſdem filii in hac parte ſequaces in benevolentiam & gratiam ejus reciperet, ac ſe ipſis adjutorem, directorem benignum, & favorabilem in ipſo negotio exhiberet; idem Prędeceſſor ſuper hoc pia & rationabili meditatione perpenſans, quod prędictum Regnum Hungarię, tam nobile hactenus quam pręclarum, in ſpiritualibus & temporalibus, per colliſiones varias dignoſcebatur eſſe collapſum; quodque cariſſima in Chriſto filia noſtra Maria (5) Regina Sicilię illuſtris in eodem Regno Hungarię, tanquam hęres proximior, ſe jus aſſerebat habere, & cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus (6) Rex Hungarię illuſtris nepos ejus Regnum ipſum in parte non modica ex perſona jam dictę ſuę paternę avię poſſidebat, de quo etiam in Strigonienſi Eccleſia, juxta ritum antiquum Hungarię per perſonam idoneam regale ſuſceperat Diadema; memoratos Regem Bohemię, ipſius filium, & prędictum Carolum, eorumque ſequaces, & alios, qui ſua crederent intereſſe, per pię memorię Benedictum Papam XI Prędeceſſorem noſtrum, tunc Nicolaum Oſtienſem & Velletrenſem Epiſcopum, & in pręfato Hungarię Regno Apoſtolicę Sedis Legatum peremptorie citari mandavit, ut infra certi temporis ſpatium, in literis ejus expreſſum, cum omnibus actis, juribus, & munimentis ſuis, negotium contingentibus memoratum, coram Prędeceſſore ipſo Bonifatio deberent legitime comparere, ſuper iis complementum recepturi juſtitię, ac facturi quę pro dicti Regni ſtatu proſpero per ipſum Prędeceſſorem Bonifatium eſſent provide ordinanda.

B. Benedicti XI, tunc Cardinalis Legatio.

Eodem autem Legato prędictos Regem, & filium, ac Carolum, citante legitime, ac adveniente dicto termino, pręfata Regina Sicilię, intimato jam ſibi ex parte Prędeceſſoris ejuſdem, ut, & ipſa, ſi ſua intereſſe putabat, in eodem termino compareret, & jam dictus Carolus nepos ejus per Procuratores idoneos ſufficienter inſtructos coram eodem Prędeceſſore Bonifatio comparere cum reverentia debita curaverunt; venerabilibus Fratribus noſtris M.... (7) Zagabrienſi, T.... Jaurienſi (8), & B. Weſprimienſi (9) Epiſcopis, & bonę memorię S... Archiepiſcopo Colocenſi, ac dilectis filiis nonnullis Prępoſitis, & Archidiaconis de ipſo Regno Hungarię ex vigore pręfatę citationis comparentibus ſimiliter cum eiſdem: jam dicti vero Bohemię Rex, ac natus ejus in prędicto termino, vel etiam poſtea comparere per ſe, vel alium non curarunt; ſed ſub cujuſdam palliationis aſtutia excuſatores dilectos filios Henricum (10) Doctorem Decretorum Clericum, Johannem Cantorem Eccleſię de Veteri Buda, & Johannem Romanum juriſperitum laicum, ad pręfati Prędeceſſoris Bonifatii pręſentiam deſtinarunt: qui eoſdem Regem Bohemię, ac natum ejus excuſare ſuper eo quod juxta pręfatę citationis edictum ad eundem Prędeceſſorem Bonifatium Procuratores ſufficienter inſtructos non miſerant, nitebantur; cauſas ſuper hoc minus rationabiles, immo inanes & frivolas, prętendentes: & nihilominus in pluribus Conſiſtoriis per eundem Prędeceſſorem Bonifatium ab ipſis excuſatoribus ſerioſe petito, ſi alias cauſas rationabiles excuſationis haberent, vel ampliori forent poteſtate ſuffulti, in excuſatione culpę contumaciam geminantes, dixerunt improbe, quod pręfatus Bohemię Rex nullo unquam tempore intendebat de ipſo Regno Hungarię litigare; Procuratoribus ipſis, & Nunciis eorundem Reginę Sicilię, ac nepotis inſtantibus, ut in contumaciam ipſorum Bohemię Regis & filii ad declarationem & determinationem juris Reginę ac nepoti competentis eiſdem, Prędeceſſor procederet memoratus. Idem vero Prędeceſſor, habita ſuper iis cum fratribus ſuis examinatione ſolemni, profunda maxime meditatione recogitans ſtatum pręfati Regni Hungarię miſerabilem & depreſſum, flebili quidem compaſſione condignum, quod revera ex prętacta prĕſertim contentione regnandi in pejus continuo labebatur; quodque ſicut facti notorium permanentis evidentius oſtendebat, notum Prędeceſſori erat eidem, prędicta Regina Sicilię, ſicut primogeniturę jus obtinens claræ memorię Stephani Regis Hungarię, patris ſui, in eodem regno, propinquior erat Succeſſor, & hęres quondam Ladislao Regi Hungarię Fratri ſuo ex utroque parente, per quod opitulabatur eidem communis juris pręſumptio, quę in tali caſu probandi onus in adverſarium juſte transfert; quia etiam quondam Carolus (11) ipſius Reginę primogenitus, dicti Caroli genitor, habitus erat quaſi communiter, & pręcipue per Romanam Eccleſiam pro Hungarię Rege, dum vixit; nec ex parte dictorum Bohemię Regis, & filii de jure competente ipſis in Hungarię Regno prędicto allegatum erat aliquid, vel aſſertum, niſi ſola electio, quę de ipſo filio Regis proponebatur facta fuiſſe, quę proculdubio diverſis ex cauſis, prout ratio prima facie indicabat, minus legitima, immo prorſus videbatur inutilis, ex eo maxime quod, ſicut ſcripti Canonis ſeries aperit, Regnum ipſum Hungarię

ſuc-

ſucceſſionis jure provenit, & electionis ſuffragio, arbitrioque non defertur; rationibus pręmiſſis, & cauſis, aliiſque motivis plurimis, quę religionem debent judicantis inſtruere, in trutina rectę deliberationis appenſis, expedientia commixta licentię, ac benigna humanitate ſervata; de plenitudine poteſtatis, in apertam contumaciam eorundem Bohemię Regis, & filii, in pręſentia plurium Prelatorum, Capellanorum, familiarium Prędeceſſoris ejuſdem, & aliorum in Conſiſtorio vocatorum, & pręſentibus eorundem Bohemię Regis, & filii, Nunciis, ac excuſatoribus ſuprascriptis; idem Prędeceſſor decrevit, definivit, declaravit, & voluit, de Fratrum conſilio prędictorum, quod prędicta Maria in toto ipſo Regno Hungarię, ac pertinentiis ſuis omnibus, ac ubique terrarum, Regina, & dictus Carolus nepos Rex Hungarię nuncuparentur apertis labiis, ſcriptionibuſque vulgatis, & intitularentur in publicis documentis; quodque Prelati, Clerici cujuſcunque dignitatis, ſtatus, aut conditionis exiſterent, ac Religioſi alii cujuſcunque forent Ordinis, nec non Comites, ſive Bani, Barones, milites, cives, incolę cujuſcunque ſtatus, pręeminentię, dignitatis, aut conditionis exiſterent, jam dicti Regni Hungarię, omniumque jurium & pertinentiarum ejus, ac aliarum regionum annexarum ſibi, etiam ſi regnorum haberent titulum, dictis Reginę, Regique nepoti, tanquam ejuſdem regni Hungarię Reginę, ac Regi legitimis, parere, & intendere, ac de fructibus, redditibus, ſervitiis, juribus, & obventionibus aliis conſuetis, & Regi Hungarię debitis, devote reſpondere curarent: Prelatis, Clericis, & Religioſis, Comitibus, ſive Banis, Baronibus, Militibus, Civibus, incoliſque prędictis ſub pęna excommunicationis injungens expreſſe, quam incurrerent eo ipſo, ſi ſecus facerent, ut eiſdem Reginę & Regi Hungarię circa recuperationem, defenſionem, & conſervationem Regni prędicti, aſſiſterent auxiliis, conſiliis, & favoribus opportunis; quodque memoratos Regem Bohemię, vel ejus filium Regem Hungarię nominare, vel titulare, nulla nominatione, vel deſcriptione pręſumerent, neve ipſis, aut miniſtris eorum de fructibus, redditibus, proventibus, aliiſque juribus dicti regni, & pręfatorum ſibi adjacentium quomodolibet reſponderent, vel ipſis circa occupationem, invaſionem, detentionem, ſeu uſurpationem memorati Regni Hungarię, ac pręmiſſorum, quę annexa ſunt illi, publice, vel occulte pręſtarent auxilium, vel conſilium, ſeu pręſidium favoris alicujus impenderent. Prelibatus enim Prędeceſſor, Prelatos, Clericos, & Religioſos, Comites, ſive Banos, Barones, Milites, Cives, & incolas memoratos ab omnibus homagiis, ſacramentis fidelitatis, colligationis, aut conjurationis, quę prelibatis Regi Bohemię, filio, aut miniſtris eorum pręſtiterant, vel cum ipſis in pręjudicium dictorum Reginę ac Regis Hungarię aliquatenus inierant; etiam ſi ea forent juramentorum, pęnarum adjectione, vel quovis alio vinculo roborata, quę vacua juribus, & nulla fore cenſuit, & carere decrevit omni robore firmitatis, abſolvit, & ad eorum obſervationem quomodocunque, aut quantumcunque ſe aſtrinxiſſent pro obſervandis eiſdem, ipſos non teneri, decrevit. Et, ut quę gravitati Sedis Apoſtolicę congruebant, Prędeceſſor idem cum debita maturitate ſervaret, nec excluderet a ſuis proceſſibus amicam in throno ſedentibus ęquitatem, Regi Bohemię, filioque pręfatis certum peremptorium terminum aſſignavit, infra quem ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios, ſi qua jura de proprietate dicti Regni Hungarię ſe habere credebant, eidem Prędeceſſori, & Apoſtolicę Sedi reverenter oſtenderent, illaque peterent, & proſequerentur ordine debito, & ut rationabile foret, ſicut eis videretur melius expedire. Super poſſeſſorio tamen cujuſcunque ſpeciei, vel generis de dicto Regno Hungarię memorato, Regi Bohemię, vel filio competente, propter eorum contumaciam, ſic contractam, perpetuum eis duxit Prędeceſſor ipſe ſilentium imponendum. Ultra pręmiſſi vero termini ſpatium, ne in poteſtate foret dictorum Bohemię Regis, & filii, inquietare pro libito, moleſtare frequenter, & ut vitandi ſcandali occaſionem tolleret, ad quam cauſam ex tunc in jure & proprietate competentibus ipſis forſitan in Regno pręfato juriſdictionis ſuę, ac Sedis Apoſtolicę denegavit Prędeceſſor idem incommutabili edictione pręſidium, & eis in tribunali quocunque tam de juſtitię fomite, quam de poteſtatis plenitudine perpetuum ſilentium impoſuit, de Fratrum conſilio prędictorum. Ita quidem, quod prędicta termini pręfinitio, juriſdictionis denegatio, impoſitioque ſilentii ex tunc elapſo ipſo termino perinde vigorem & effectum haberent, ac ſi in eorundem Bohemię Regis, & filii, per formam citationis ſolitę notitiam perveniſſent: cum non foret veriſimile, ut pręmiſſa in notitiam, & conſcientiam dictorum Bohemię Regis, & filii, debito tempore devenire non poſſent, quę in pręſentia ipſius Conſiſtorii, prędictorum Prelatorum, aliorumque plurium, & eorundem Nunciorum, & excuſatorum maxime, erant tam vulgata, tamque ſolemniter publicata, prout hęc, & alia in ipſius Prędeceſſoris Bonifatii bullatis literis, inde confectis, plenius, & ſerioſius continentur: quę omnia poſtmodum fuiſſe dicuntur in locis ſolemnibus dicti regni Hungarię de mandato Prędeceſſoris ejuſdem, tempore, debito ſolemniter nihilominus publicata. Nos autem ejuſdem Prędeceſſoris Bonifatii in hac parte veſtigiis inhęrentes, ipſorum Reginę ac Regis Hungarię ſupplicationibus inclinati, Conſtitutionem, definitionem, declarationem, voluntatem, mandatum, ſive mandata, cenſuram, abſolutionem, termini pręfixionem, ſilentii impoſitionem, pręſidii denegationem, & alia ſupradicta, quę per eundem Prędeceſſorem Bonifatium taliter facta ſunt, rata habentes, & grata, ea ex certa ſcientia, de Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus: excommunicationis vero ſententiam ſupradictam volumus uſque ad ſatisfactionem condignam auctoritate noſtra, appellatione remota, inviolabiliter obſervari. Verum, ſicut, fama publica, quinimmo infamia, referente, non abſque grandi admiratione, ſeu potius turbatione, didicimus, quod etiam ſic manifeſtum, atque notorium, nedum in ipſo Regno Hungarię ac vicinis, ſed in remotis etiam partibus, eſſe dicitur, quod nulla poteſt tergiverſatione celari, nonnulli ex Prelatis, Clericis, Religioſis, Comitibus, ſive Banis, Baronibus, Militibus, civibus, & incolis memoratis, Pręfatorum Bohemię Regis, & filii, in hac parte fautores, atque ſequaces, immemores ſalutis eorum, hujuſmodi pręcepta, ſententias, & proceſſus Prędeceſſoris ejuſdem damnabiliter contemnentes, ac venientes temere contra ea, pręfatis Reginę, ac filio Regi Hungarię, juxta pręmiſſum mandatum ipſius Prędeceſſoris aſſiſtere circa recuperationem, defenſionem, & conſervationem jam dicti Regni Hungarię, ipſiſque parere, intendere, ac reſpondere minime curaverunt: quin potius ipſi Bohemię Regi, & filio, dum vivebant, eorumque miniſtris adverſus eoſdem Reginam, & Carolum Regem Hungarię, ac in eorum pręjudicium pręſtiterunt poſtmodum auxilium, conſilium, & favorem, prędictos Reginam & Carolum Regem ſuper ipſo Regno, ac ejus bonis, & juribus inquie-

Digitized by Google

inquietando nequiter, & multipliciter moleſtando; propter quod prędictam excommunicationis ſententiam, latam per eundem Prędeceſſorem Bonifatium, damnabiliter incurrerunt. Eodem autem Rege Bohemię viam deinde univerſę carnis ingreſſo, pręfato, adhuc ipſius Regis vivente filio, nonnulli ex

Caroli Regis jura tuetur.

pręmiſſis Pręlatis, Clericis, & Religioſis, Comitibus, ſive Banis, Baronibus, Militibus, incolis, atque civibus, in ſenſum dati reprobum, & ſpiritu obcęcati nequitię, in multiplicationem exceſſuum, injuriarum, contemptus, & offenſarum auſu pręcipiti collabentes, contra eoſdem Carolum Regem, & Reginam Hungarię, nobilem virum Othonem (12) Bavarię Ducem nequiter convocarunt, ſeu potius obduxerunt, adhęrendo, & aſſiſtendo ſibi patenter, & publice, ad invaſionem, occupationem, & detentionem dicti Regni Hungarię, vel alicujus partis ipſius, ac prędando auxilium, conſilium, & favorem, ex quo etiam ipſos tenet excommunicationis pręfatę laqueus alligatos; idemque Dux, ipſorum, & aliorum potentia fultus, & auxiliis communitus, prętextu convocationis, ſeu obductionis hujuſmodi, ad invaſionem, occupationem, detentionem prędictam Hungarię Regni temeraria pręſumptione ſe transferens, per ipſum B.... Veſprimienſem, & quondam A... Chanadienſem (13), Epiſcopos ſe coronari, ut dicitur, in Regem Hungarię procuravit, in hoc etiam officium juriſdictionis Strigonienſis Archiepiſcopi, ad quem Regis Hungarię coronatio pertinet, faciens uſurpari: & eoſdem Carolum Regem & Mariam Reginam Hungarię in adiudicata, ut prefertur, eis poſſeſſione dicti Regni nequiter moleſtare, inquietare, & perturbare pręſumit, invadendo, occupando, & uſurpando violenter, & injuſte pro viribus terras, loca, bona, & jura Regni ejuſdem, ac etiam detinendo in ipſius Regni ſubverſionem, & ſcandalum, ſuę ac ſuorum complicum, & ſequacium in hac parte ſalutis diſpendium, & prędictorum Reginę, ac Regis, grave damnum, & prejudicium, & jacturam: propter quę pro parte prędictorum Reginę ac Regis Hungarię pro adhibendo ſuper iis optimo remedio ad noſtram & dictę Sedis providentiam humiliter habitus eſt recurſus. Nos itaque nolentes hęc, non abſque divinę & pręfatę Sedis injuria, & contemptu, attentata taliter & pręſumpta, ſicuti nec debemus, conniventibus oculis pręterire, quin circa ea, cum ſimus omnibus in juſtitia debitores, officii noſtri debitum, prout tenemur, & expedire credimus, exequamur, Pręlatis, Clericis & Religioſis, Comitibus, ſive Banis, Baronibus, Militibus, civibus, incolis, complicibus, & ſequacibus memoratis, excommunicationis in perſonas, & interdicti in terras, & loca eorum, ac privationis omnium officiorum, & beneficiorum, privilegiorum, & gratiarum, atque bonorum, quę a Romana, ſive ab aliis, vel in aliis quibuſcunque tenent, vel habent Eccleſiis, pęnis, atque ſententiis, quas ipſo incurrant facto, ſi ſecus egerint, diſtricte pręcipimus, ut a pręmiſſis omnibus, contra prędictos Carolum Regem, ac Reginam Hungarię, in auxilium, & favorem Ducis pręfati, per eos attentatis taliter, & pręſumptis, ceſſent penitus, & deſiſtant: & tam eoſdem Pręlatos, Clericos, & Religioſos, Comites ſive Banos, Barones, Milites, cives, incolas, complices, & ſequaces, quam omnes alios, & ſingulos, tam de pręfato Regno Hungarię, ac ipſius pertinentiis, & juribus, quam de aliis Regionibus quibuſcunque, ſive annexis, ſive non annexis eidem Regno, cujuſcunque ſint pręeminentię, dignitatis, ordinis, conditionis, & ſtatus, etiamſi regali, vel alia quavis pręfulgeant dignitate, attente monemus, eis omnibus, & ſingulis auctoritate prędicta, ſub eiſdem pęnis, & ſententiis, quas, ſi contrafecerint, eos incurrere volumus ipſo facto; diſtrictius injungentes, ne in prejudicium prędictorum Reginę, ac Regis Hungarię pręfatum Bavarię Ducem, vel quemvis alium Regem Hungarię nominare, titulare, vel deſcribere, ſeu habere, vel tenere pręſumant: neve ipſum, vel Miniſtros ejus quomodolibet recipiant, vel admittant: nec ei, vel hujuſmodi miniſtris ipſius in invaſione, occupatione, uſurpatione, vel detentione dictorum Regni Hungarię, jurium, & pertinentiarum ejus, aut annexorum ſibi, vel alicujus partis eorum, prędent auxilium, conſilium, vel favorem, publicum vel occultum, vel de aliquibus ejuſdem Regni redditibus, bonis, & juribus quoquomodo reſpondeant, vel miniſtrent: neque cum eis, vel pro eis, ullam faciant colligationem, ſeu alias noxiam novitatem, donec de juribus, & proprietate dicti Regni, per eandem Sedem plene fuerit definitum. Ipſum quoque Ducem Bavarię attente monemus, ſibique diſtricte injungimus ſub ſimilibus excommunicationis, & interdicti, ac privationis pęnis, & ſententiis, quas ex nunc, prout ex tunc, ſi contra fecerit, proferimus contra eum, ac eas ipſo facto eundem incurrere volumus, ne ſe Regem Hungarię nominet; neve de illo titulum ſibi dignitatis Regię, vel alterius denominationis aſcribat; neque prędictum Regnum, vel aliquam ejus partem occupare, invadere, vel detinere pręſumat; neve pręlibatum Carolum Hungarię Regem, vel miniſtros ipſius in poſſeſſione prędictorum Regni Hungarię, jurium, & pertinentiarum ejus, vel quorumcunque annexorum eidem, per ſe, vel per alium, ſeu alios, impediat, perturbet quomodolibet, vel moleſtet: ſed a qualibet eorum occupatione, invaſione, uſurpatione, ac detentione ceſſet, & deſiſtat omnino, quouſque ſuper ipſius regni jure, ac proprietate plena pręfatę Sedis, ut pręmittitur, definitio ſubſequatur. Et, ne dici poſſit, quod quenquam a proſecutione ſui juris ſuper proprietate dicti Regni excludere intendamus, ipſi Duci Bavarię uſque ad annum continuum, poſtquam hęc in dicto Regno, vel vicinis partibus juxta tenorem aliarum literarum noſtrarum extiterint publicata, peremptorium aſſignamus terminum, infra quem per ſe, vel alium, ſeu alios, ſi qua de proprietate prędicti Hungarię Regni jura ſe habere crediderit, illa nobis & Sedi Apoſtolicę reverenter oſtendere, petere, ac coram Nobis, vel ipſa Sede proſequi debito procuret ordine, ac ſicut rationis extiterit, & melius

Sanctio poenalis.

ſibi videbitur expedire: parati enim ſumus exhibere ipſi favorabiliter & benigne ſuper hoc juſtitię complementum. Ceterum, ne moleſtandi, & turbandi pro velle ſit ei exceptionis cujuſcunque facultas, ultra pręmiſſum deſignatum ſibi terminum, niſi prius oſtenderit, petierit, & proſecutus fuerit, ut prefertur, ſuper jure proprietatis, ſi quod dicto Duci forſitan in Regno ipſo competeret, a noſtrę & dictę Sedis ſit prędidio juriſdictionis excluſus: & in quocunque judicio tam de rigore juſtitię, quam de Apoſtolicę plenitudine poteſtatis, ei ſuper hoc perpetuum ſilentium imponimus, de prędictorum Fratrum conſilio, & aſſenſu. Nulli &c. noſtrę confirmationis, pręcepti, monitionis, mandatorum, aſſignationis, & impoſitionis infringere, &c. ſi quis &c. Datum Pictavii IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Tuetur.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCVII num. XV.* Videas etiam *Conſtitutiones XXXI, XXXII, XXXIII, XXXV, & XXXVIII Bonifatii VIII.*

2. *Odorico.*) Laudat *Epiſtolam CCCII Libri II Clementis V.*

3. *Wen-*

3. *Wenceslao.*) *Wenceslao*, de quo in *Conſtitutionibus* mox citatis.
4. *Wenceslai.*) *Wenceslai*, junioris, cujus mentio in iiſdem *Conſtitutionibus*.
5. *Maria.*) Vide *Notas* ad eadem Diplomata.
6. *Carolus.*) Ibidem de *Carolo*.
7. *M....*) *Michaele*.
8. *Jaurienſi.*) *Jaurinenſi*.
9. *Weſprimienſi.*) *Veſprimienſi*.
10. *Henricum.*) Quem Librarius Odorici *Unter*. vocavit in *Conſtitutione XXXVIII Bonifacii VIII.*
11. *Carolus*) De *Stephano*, *Ladislao*, & *Carolo* dictum eſt in *Notis* ad Diplomata mox laudata.
12. *Othonem.*) *Henrici* filium.
13. *Chamadienſem.*) *Canadienſem*, vulgo *Chonad*, in *Hungaria*.

Officiali Wratislavienſi, ne Parochi Privilegiis (1) noſtris intercedant.

Anno 1307 Die 8 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

II.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Wratislavienſi (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

SUa Nobis dilecti filii Prior, & Conventus Ordinis Fratrum Prędicatorum Wratislavien. petitione monſtrarunt, quod Hermannus S. Eliſabeth, Chriſtinus S. Spiritus, Johannes S. Mauritii, & Gerlaus S. Nicolai, Wratislavienſium Eccleſiarum Rectores Parochianis ipſarum Eccleſiarum, qui ad confitendum eorum peccata Patres ejuſdem Ordinis a Patre Provinciali dicti Ordinis. ad hoc electos adiverint, & eis eorum confitentur peccata, tandiu Euchariſtię, & Extremę Unctionis Sacramentum. contra tenorem Conſtitutionis (4) felicis recordationis Benedicti Papę Sexti (5), Prędeceſſoris noſtri, ſuper hoc editę, denegant exhibere, donec prędicti Parochiani eis bona fide promittant, quod de cetero dictis Fratribus, eorum non confiteantur peccata, & iterato confiteantur peccata eadem, in ipſorum Prioris, & Fratrum, prejudicium non modicum, & gravamen. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint vocandi, & auditis hujuſmodi propoſitis, quod canonicum fuerit, appellatione poſtpoſita, decernas, faciens, quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas, veritati teſtimonium perhibere. Datum Pictavii (6) VI Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Privilegiis.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio *Wratislavien.*
3. *Wratislavien.*) In *Sileſia*, Provincia *Germaniæ*.
4. *Conſtitutionis.*) Eſt Numero *XVI.* Incipit: *Inter cunctas.*
5. *Sexti.*) Ab amanuenſi hæc lectio, quam ſperne. Legendum: *XI.*
6. *Pictavii.*) Vulgo *Poictiers*, in *Gallia Aquitanica*.

Fratres Ægidium Patriarcham Gradenſem, Lapum, & alios ad Regem Raſciæ Legatos mittit (1).

Anno 1308 Die 1 Aprilis.

Ex Waddingo (2) *Annal. Minor. Tom.III ad an. MCCCVIII num.V.*

III.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Magnifico Viro Uroſio Regi Raſſię (3) illuſtri, gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

Exordium.

BEnedictus Deus, & Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui conſolatur nos in omni tribulatione noſtra, qui ubi vult ſpirans, ſic noviſſime his diebus oculos tuę mentis aperuit radio novę lucis, ut excuſſa inde tenebrarum caligine in votis habeas ſacroſanctę Romanę Eccleſię, matri fidelium, & magiſtrę, in fidei veritate ac unitate conjungi. Multorum quippe tenebris Deo (4), Princeps cariſſime, qui ſic te oculo ſuę pietatis reſpiciens, ad cognitionem, & claritatem verę fidei clementer adducit, ex quo magnitudo tua promovebitur ad ſalutem, & ſolium tuum ſtabili vallabitur firmitate. Multum etiam lętari debet mater Eccleſia, & nos profecto multiplici alacritate perfundimur, quod diebus noſtris tam nobilis ovis, tantuſque populus ad ovile reducantur dominicum, ſchiſmate, aliiſque pulſis erroribus, Chriſti Corporis, quod Eccleſia eſt, membrum efficiantur, in eo luceant, perficiantur, & vivant. Sane, Sereniſſime Princeps, tu pridem Spiritus Sancti gratia illuſtratus, viros providos, & diſcretos Marcum Lucani, & Triphonem Michaelis magnificentię tuę Nuncios, cum literis regiis ad noſtram pręſentiam deſtinati (5), qui hujuſmodi tui propoſiti laudabile deſiderium coram nobis, & Fratribus noſtris prudenter, & fideliter exponentes, a nobis inter alia ſupplicitur poſtularunt, ut te tanquam devotum filium, ad gremium dictę Eccleſię, & ſub protectione (6) ipſius benigne recipere dignaremur, tibique aliquos viros idoneos, Apoſtolicę Sedis Nuncios, mitteremus, per quos tu, illi (7) de Regno tuo fide (8) catholica, & in via mandatorum Domini poſſitis ſalubriter informari. Unde nos, qui Chriſti Vicarius, & Petri Apoſtolorum Principis effecti, diſponente Domino, licet immeriti, ſucceſſores, ad ea pręcipue noſtrę curę prorogamus affectum, ac diligenti ſtudio, & ſtudioſa diligentia ſeduli vigilamus, ut errantes ad viam veritatis adducere, omneſque lucrifacere Deo, ſua nobis gratia ſuffragante, poſſimus, habito ſuper his, quę iidem tui poſtularunt Nuncii, cum prędictis Fratribus noſtris diſcuſſione ſolemni, de ipſorum conſilio pie decrevimus, hujuſmodi votis tuis libenter annuere, ipſaſque petitiones tuas, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudire, ſi quod ore profers corde credis, & quod corde credis opere compleas evidenter. Tibi nihilominus, tenore pręſentium declarantes, quid tibi, ac ceteris ſub tua ditione degentibus, faciendum incumbit, ut ad ſinum ejuſdem Eccleſię ſano fretus conſilio venias reverenter. Quę ſi, inſpirante Domino, feceris, ipſa Eccleſia Mater piiſ-

Regis Raſciæ Legatorum ſupplex petitio.

Fidem Catholicam paucis proponit.

piiſſima, filio redeunti ſinum largiſſimę pietatis aperiens, in tuos lęta properabit amplexus. Fides autem Catholica, quam te, Clerum, & populum Regni tui profiteri, & a nobis recipi, & acceptari volumus, hęc eſt. Credimus in Sanctam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum (9) Unum Deum omnipotentem, totamque Deitatem coeſſentialem, conſubſtantialem, coęternam, & coomnipotentem, unius voluntatis, poteſtatis, & majeſtatis, Creatorem omnium creaturarum, a quo omnia, & per quem omnia, in quo omnia, quę ſunt in cęlo, & in terra, viſibilia, & inviſibilia, corporalia, & ſpiritualia. Credimus ſingulam quamque in Sancta Trinitate Perſonam unum verum Deum, plenum, & perfectum. Credimus ipſum Filium Dei, Verbum Dei ęternaliter natum de Patre, conſubſtantialem, omnipotentem, & ęqualem per omnia Patri in Divinitate, temporaliter natum de Spiritu Sancto ex Maria ſemper Virgine cum anima rationali, duas habentem nativitates, unam ex Patre ęternam, alteram ex Matre temporalem, Deum verum, & hominem verum; proprium in utraque natura, atque perfectum, non adoptivum, neque phantaſmaticum, ſed unum, & unicum Filium Dei in duabus, & ex duabus, divina ſcilicet, & humana, naturis, ſed in unius perſonę ſingularitate; impaſſibilem, & immortalem Divinitate, ſed in humanitate pro nobis, & pro ſalute noſtra paſſum, vera carnis paſſione mortuum, & ſepultum, & deſcendiſſe ad inferos, ac tertia die reſurrexiſſe a mortuis, vera carnis reſurrectione; die quadrageſimo poſt Reſurrectionem cum carne, in qua reſurrexit, & anima, aſcendiſſe in cęlum, & ſedere ad dexteram Patris, inde venturum judicare vivos, & mortuos, & redditurum unicuique ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala. Credimus etiam Spiritum Sanctum plenum, & perfectum, verumque Deum ex Patre, & Filio procedentem, coęqualem, & coeſſentialem, & coomnipotentem, & coęternum per omnia Patri, & Filio. Credimus hanc Sanctam Trinitatem non tres Deos; ſed unum Deum Omnipotentem, ęternum, inviſibilem, & incommutabilem. Credimus Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam, unam eſſe veram Eccleſiam, in qua unum datur Baptiſma, & vera omnium remiſſio peccatorum. Credimus etiam veram reſurrectionem ejuſdem carnis, quam nunc geſtamus, & vitam ęternam. Credimus etiam novi, & veteris Teſtamenti, legis, ac Prophetarum, & Apoſtolorum, unum eſſe auctorem Deum, ac Dominum omnipotentem. Hęc eſt vera Fides Catholica, & hanc ſuper dictis articulis tenet, & prędicat ſacroſancta Romana Eccleſia. Sed & propter diverſos errores, a quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos, dicit, & prędicat, eos, qui poſt Baptiſmum in peccata labuntur, non rebaptizandos (10), ſed per veram pęnitentiam ſuorum poſſe conſequi veniam peccatorum (11). Quod ſi vere pęnitentes in caritate deceſſerint, antequam dignę pęnitentię fructibus de commiſſis ſatisfecerint, & omiſſis, eorum animas pęnis purgatoriis (12) poſt mortem purgari, & ad pęnas hujuſmodi relevandas prodeſſe eis Fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet ſacrificia, orationes, & eleemoſynas, & alia pietatis officia, quę a Fidelibus pro aliis Fidelibus fieri conſueverint ſecundum Eccleſię inſtituta (13). Illorum igitur animas, qui poſt ſacrum Baptiſma ſuſceptum nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quę poſt peccati contractam maculam, vel in ſuis manentes corporibus, vel eiſdem exutę, prout ſuperius dictum eſt; ſunt purgatę, in cęlum mox recipi (14): Illorum autem animas qui in mortali peccato, vel cum ſolo Originali decedunt, mox in infernum (15) deſcendere, pęnis tamen diſparibus puniendas, eadem Sancta Romana Eccleſia credit, & firmiter aſſeverat. Et quod nihilominus in die Judicii omnes homines ante tribunal Chriſti cum ſuis corporibus comparebunt (16), reddituri de factis propriis rationem. Tenet etiam, & docet eadem Romana Eccleſia ſeptem (17) eſſe Eccleſiaſtica Sacramenta; Unum ſcilicet Baptiſma (18), de quo dictum eſt ſupra. Aliud eſt Sacramentum Confirmationis (19), quod per manus impoſitionem Epiſcopi conferunt chriſmando renatos. Aliud eſt Pęnitentia (20). Aliud eſt Euchariſtia (21). Aliud eſt Sacramentum Ordinis (22). Aliud eſt Matrimonium (23). Aliud eſt Extrema Unctio (24), quę ſecundum doctrinam B. Jacobi infirmantibus exhibetur. Sacramentum Euchariſtię ex azymo (25) conficit eadem Romana Eccleſia, tenens, & docens, quod in ipſo Sacramento panis vere tranſubſtantiatur (26) in Corpus, & vinum in Sanguinem Domini Noſtri Jeſu Chriſti. De Matrimonio tenet, quod nec unus (27) vir ſimul plures uxores, nec una mulier ſimul habere permittitur plures viros. Soluta vero lege matrimonii per mortem alterutrius conjugum, ſecundas, & tertias, & deinceps nuptias ſucceſſive licitas (28) eſſe, dicit, ſi impedimentum canonicum ex cauſa alia non obſiſtat. Ipſa quoque ſacroſancta Romana Eccleſia ſummum, & plenum Primatum (29), & Principatum ſuper univerſam Catholicam Eccleſiam obtinens, quem, ſe ab ipſo Domino in B. Petro Apoſtolorum Principe, ſeu vertice, cujus Romanus Pontifex eſt Succeſſor, cum poteſtatis plenitudine recepiſſe veraciter, & humiliter recognoſcit, ſicut prę ceteris tenetur Fidei veritatem defendere, ſic etiam, ſi quę de Fide ſubortę fuerint quęſtiones, ſuo debet judicio definire (30). Ad quam poteſt gravatus quilibet in negotiis, ad forum Eccleſiaſticum pertinentibus, appellare (31). Sed & in omnibus cauſis ad examen Eccleſiaſticum ſpectantibus, ad ipſius poteſt recurri judicium, & eidem omnes Eccleſię ſunt ſubjectę (32), ipſarumque Pręlati, & obedientiam, & reverentiam ſibi debent (33), apud quam ſic poteſtatis plenitudo (34) conſiſtit, quod Eccleſias ceteras ad ſolicitudinis partem admittit. Quarum multas, & Patriarchales pręcipue, diverſis Privilegiis (35) eadem Romana Eccleſia honoravit, ſua tamen prerogativa tam in Generalibus Conciliis, quam in quibuſcunque aliis ſemper ſalva (36). Quod verò circa reditum tuum ad unionem Sanctę Romanę Eccleſię, ac ſchiſma eminus profugandum exigimus, inferius annotatur. Imprimis quod ſymbolum Nicęni Concilii, Credo in unum Deum; in Eccleſiis Regni tui, & terrarum tibi ſubjectarum, in ea parte, ubi de Spiritus Sancti proceſſione in eo agitur (37) cantetur publice (38) dum Miſſarum ſolemnia celebrantur, & ſic etiam doceatur populus. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre Filioque (39) procedit. Et quod tu, Pręlati, Clerus, Calogeri (40), & Populus dicti Regni tui profiteamini, Romanum Pontificem eſſe Chriſti Vicarium, & Beati Petri Apoſtoli Succeſſorem (41), eamque poteſtatem habere ligandi, atque ſolvendi, quam idem Apoſtolus noſcitur habuiſſe; ac ipſam etiam Romanam Eccleſiam ſuper omnes obtinere Primatum, & etiam Principatum. Quodque tu pro te, & pro populo tuo obedientiam, & reverentiam eidem promittas Eccleſię, ac Pręlati ejuſdem ipſi jurent, omni ſchiſmate primitus abjurato. Et quod Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Archimandritę (42) Regni tui per Electionem canonicam eli-

Digitized by Google

eligantur, ſive etiam poſtulentur; ita quod inferiores Prælati ſuarum electionum confirmationes a ſuperioribus ſuis recipiant, Epiſcopi vero a Metropolitanis ſuis confirmationem, & conſecrationem (43), Metropolitani autem hæc, & Pallium (44), in quo Pontificalis plenitudo deſignatur Officii (45), ſine præjudicio (46) Conſtantinopolitanæ Sedis, & Patriarcharum, qui erunt ibidem, gratiam, & communicationem Apoſtolicæ Sedis habentium, ſi forſan Regnum tuum, vel aliqua ejus pars de Patriarchatu dictæ Conſtantinopolitanæ Sedis exiſtat, ſuſcipiant ab Apoſtolica Sede prædicta, regali poteſtate, & qualibet alia laicali, nihil ſibi in his quomodolibet vendicante. Latinorum Eccleſias in Regno tuo poſitas per te, vel alium occupatas, dimittas libere, & ab aliis facias omnino dimitti. Latinos in honore habeas, & præcipue Sacerdotes. Eorum a te, & hominibus Regni tui non declinentur Miſſæ, neque Sacrificia, ſed pro loco, & tempore cum omni reverentia audiantur. Verum, ut tantæ ſalutis opus, ac tanti boni felix auſpicium optatum, faciente Deo, ſortiantur effectum, ecce venerabilem Fratrem noſtrum Ægidium (47) Patriarcham Graden., & dilectos filios Fratres Lapum Prædicatorum, & Artaniſium Minorum Fratrum, Ordinum Procuratores in Romana Curia Generales, latores præſentium, viros utique vita, & Religione conſpicuos, honeſtate decoros, ſacræ Scripturæ ſcientia præditos, ac nobis, & dictis Fratribus noſtris acceptos, pro his exequendis ad tuam magnificentiam tanquam ſalutis, & pacis angelos juxta tuæ petitionis inſtantiam deſtinamus, quorum ſalutaribus eruditionibus, favente illo, in cujus manu Regum corda conſiſtunt, ipſum Dominum Jeſum Chriſtum perfecte cognoſces, & ſuum glorioſum nomen Catholicæ Fidei obſervatione colere non poſtpones, ac ſtatus tuus ſupra firmam petram Eccleſiæ Apoſtolicæ ſolidatus, ſpiritualibus, & temporalibus proficiet incrementis, tuque demum coronam perennis gloriæ conſequeris. Rogamus itaque ſerenitatem Regiam, monemus, & hortamur attente, per aſperſionem pretioſiſſimi Sanguinis Jeſu Chriſti obſecrantes, quatenus de tua, tuique populi ſalute cogitans, præfatos noſtros Nuncios propter hoc ad tuam Excellentiam accedentes, ob reverentiam Apoſtolicæ Sedis, & noſtram, benigne recipias, & honorificentia debita, ac condigna pertractes, ac ſic attente præbeas ipſorum ſalutaribus monitis aures tuas, ut verba, quæ ex parte tua prædicti tui retulerunt Nuncii, per exhibitionem operis complectantur, & ſpes, quam de tua laudabili intentione concepimus, fructus nobis, & ipſi Eccleſiæ afferat concupitos, tuque præter Divinæ retributionis præmium, noſtram, & dictæ Sedis gratiam uberius conſequi merearis. Datum Pictavii Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Legatio.

1. *Mittit.*) *Moderabatur tum Raſcinorum Sceptrum Uroſius, qui pietatis ſenſu delibutus abrumpere funeſta Græci Schiſmatis, quibus implicitus tenebatur, vincula meditatus, jam ante, Marcum Lucani, & Tryphonem Michaelis Oratores ad Clementem miſerat, ut ineundæ cum Romana Eccleſia conjunctionis, quo flagrabat, deſiderium exponerent, viroſque expoſcerent doctrina excultos ad ſubditos populos inſtruendos, informandoſque fide catholica: tum etiam vexillum ab Apoſtolica Sede flagitarent, quod adverſus nominis Chriſtiani hoſtes præferrent. Quo felici nuncio recreatus Clemens e Prædicatorum, & Minorum Ordinibus Religioſos viros lectiſſimos tranſmiſit; præſcripſitque fidei formam, quam eſſet profeſſurus: præterea exegit, ut inter Divina Myſteria ea Symboli verba, quibus Proceſſio Spiritus Sancti a Patre, & Filio exponitur, decantarentur, ipſeque ac ſubditi, ejurato rite ſchiſmate, Romanæ Eccleſiæ obſequium ſacramento ſponderent.* Verba ſunt *Odorici Raynaldi Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCVIII num.XXVI.* Adeas *Waddingum* loco laudato, & *Bzovium ad annum MCCCVII num.XI.*

2. Waddingo.) Citat *Epiſtolam XXI Lib.III Clementis V.* Legitur etiam apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCCVIII num.XXVI.* Ejuſdem meminere *Spondanus ad an. MCCCVIII num.V, Bzovius ad annum MCCCVII num.XI, & Fontana Monum. Dominic. Parte I Cap.XII ad an.MCCCVIII.*

3. *Raſſiæ.*) Regio eſt Septentrionalis *Serviæ* in Regno *Hungariæ* late ſumpto. Scribendum *Raſcia*. Hujus enim regionis denominatio eſt a fluvio *Raſca*, ut obſervant *Baudrand* in *Dictionario Geographico*, & *Morerius* in *Hiſtorico*.

4. *Multorum quippe tenebris Deo.*) Sic librarius, legendum ex Odorico: *Multum quippe teneris Deo.*

5. *Deſtinaſti.*) Oratores *Uroſii* paulo ante miſſos, teſtatur *Waddingus Numero IV.*

6. *Profectione.*) *Protectione.* Odoricus.

7. *Illi.*) *Et illi.* Ex eodem *Odorico*.

8. *Fide.*) *In Fide*: ut apud *Odoricum*.

9. *Spiritum Sanctum.*) Quæ ſequuntur ad hæc uſque verba: *Quod vero*: ex eodem *Waddingo Annal. Minor. Tomo II ad an. MCCXLVII num.II*, ſunt reſtituta. Si quis autem ſcire peroptet, quinam ſint auctores hæreſum, quæ damnantur hac Fidei formula, legat *Canonem XXXIX Quæſtionis III Cauſæ XXIV.* Hic paucis diſſeretur de ceteris duntaxat erroribus, quos *a quibuſdam ex ignorantia, & ab aliis ex malitia introductos* fuiſſe, docet Diploma.

10. *Rebaptizandos.*) Conſulendus *S. Thomas* Lect. I in Caput VI Epiſt. ad Hebræos. Eodem errore *rebaptizantium* laboraſſe *Michaelem Cerularium*, & ipſius aſſeclas Græcos Schiſmaticos, docet Cardinalis *Humbertus* in *Excommunicationis ſententia*, ubi de ipſis loquens, ait: *Rebaptizant in nomine Trinitatis Baptizatos, & maxime Latinos.*

11. *Peccatorum.*) Is fuit error *Novatianorum*, quod poſt primam pœnitentiam, quæ agitur in Baptiſmo, peccans non poteſt iterato per pœnitentiam reſtitui. *Circa pœnitentiam*, inquit *S. Thomas* III Parte Quæſt. LXXXIV Art. X, *quidam erraverunt dicentes, non poſſe hominem per pœnitentiam ſecundo conſequi veniam peccatorum* poſt Baptiſmum, ut Novatiani dixerunt.

12. *Purgatoriis.*) *Nihil* ſiquidem *coinquinatum intrabit in* Regnum Cælorum. Apocalip. XXI. 27. Adeas *S. Thomam* ad calcem *Opuſculi I contra errores Græcorum*.

13. *Inſtituta.*) Scriptum eſt enim: *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, ut a peccatis ſolvantur.* Machab II. 12. Illis ergo anathema, qui *Aerio*, *Luthero*, & *Calvino* conſentientes dicunt: *Pro defunctis orandum non eſſe.*

14. *Mox recipi.*) *Scimus* quippe, *quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in Cælis.* II ad Corinth. V. 1. Errabant autem *Græci* dictitantes, quod *Beatitudo non datur juſtis ante extremum diem judicii, ut Latini volunt.* Hinc *Eugenius IV* in *Decreto Unionis* hæc habet: *Definimus ... illorum animas, qui poſt Baptiſma ſuſceptum, nullam omnino peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ poſt contractam peccati maculam in ſuis corporibus, vel eiſdem exutæ corporibus, ſunt purgatæ, in cælum mox recipi, & intueri clare ipſum Deum Trinum, & Unum, ſicut eſt, pro meritorum tamen diverſitate alium alio perfectius.*

15. *Infernum.*) *Reprobamus, & damnamus perverſiſſimum Dogma impii Almarici, cujus mentem ſic pater mendacii excæcavit, ut ejus doctrina non tam hæretica cenſenda ſit, quam inſana.* Concil. Lateran. IV Cap.XI. Somniabat Almaricus; *nullum eſſe Infernum*. Quadruplex autem eſt Infernus, ut docet *S. Thomas in III Diſtinct. XXII Quæſt.II Art.I. Quæſtiun. II*, & in *IV. Diſtinct. XLV Quæſt.I Art.III*, Damnatorum ſcilicet; Puerorum, Limbus nempe puerorum; Purgandorum, ſeu Purgatorium; & Sanctorum Patrum, Limbus videlicet Sanctorum qui deceſſerant ante Chriſti adventum. In primo ſunt tria, ſcilicet tenebræ gratiæ, & tenebræ gloriæ, & pœna ſenſus: in ſecundo ſola duo prima: in tertio tantum ſecundum & tertium; in quarto erat ſolummodo ſecundum. Hinc intelligitur quis ex *S. Thoma* ille ſit *Infernus* in quem, ut loquitur Diploma, *illorum animæ qui in mortali peccato, vel cum ſolo Originali decedunt, mox* deſcendunt, *pœnis tamen diſparibus puniendæ.* Illi ſiquidem qui in ſola culpa originis ſunt, pœnam *Damni* duntaxat luunt; Alii vero actuali peccato lethali coinquinati, pœnas non ſolum *Damni*, ſed etiam *Senſus* perſolvunt.

16. *Cum ſuis corporibus comparebunt.*) Quidam perverſe intelligentes reſurrectionem corporum, futuram non credunt, inquit *S. Thomas IV contra gentes Cap. LXXIX*, ſed quod de Reſurrectione legitur in Scripturis, ad ſpiritualem reſurrectionem referre conantur, ſecundum quod aliqui a morte peccati reſurgunt per gratiam. Hic autem error ab ipſo Apoſtolo reprobatur:

Di-

Dicit enim *II ad Timotheum II*; Profana, & vaniloquia devita, multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut cancer ſerpit, ex quibus eſt *Hymenaus*, & *Philetus*, qui a veritate fidei exciderunt; dicentes, Reſurrectionem jam factam eſſe, quod non poterat intelligi, niſi de Reſurrectione ſpirituali; Eſt autem contra veritatem fidei ponere Reſurrectionem Spiritualem, & negare corporalem. In eandem hæreſim *Simon Magus*, & *Saturninus* primo ſeculo, *Albigenſes* autem ſeculo Decimo tertio impegerunt, Erraverunt etiam ſeculo ſecundo *Gnoſtici*, dicentes, *non eſſe futurum judicium extremum*.

17. *Septem.*) Septem eſſe Sacramenta, Eccleſia docet adverſus *Archonticos*, & ceteros errones, de quibus mox dicetur.

18. *Unum ſcilicet Baptiſma.*) Unus enim Deus, una fides, unum Baptiſma. Licet autem triplex Baptiſmus, fluminis ſcilicet, ſeu aquæ, flaminis, ſeu deſiderii, & Sanguinis, ſeu Martyrii, a Theologis diſtinguatur, ut videre eſt apud *S. Thomam III Parte Quæſt. LXVI Art. XI in Corpore*; Baptiſmata tamen flaminis & Sanguinis non ſunt Sacramenta, ut docet idem Doctor Angelicus loco laudato in reſponſione ad ſecundum argumentum. *Unum* eſt ergo Sacramentum *Baptiſmatis*, Baptiſmus ſcilicet fluminis, de quo ſcriptum eſt: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non poteſt introire in Regnum Dei*. Johan. III. 5. Hinc exploditur hæreſis *Flagellantium*, qui *ſolum Baptiſmum ſanguinis ex proprii corporis flagellatione ſuſceptum* neceſſarium ſomniabant. Damnantur inſuper *Albigenſes*, & *Lollardiſtæ*, Baptiſmum cenſentes inutilem ad expianda peccata.

19. *Confirmationis.*) Confirmationem eſſe Sacramentum negant hujus ævi ſectarii, quibus ſeculo III præiere *Novatiani*.

20. *Pœnitentia.*) *Lutherus*, & *Calvinus* admittentes duo duntaxat ſacramenta, *Baptiſmum* ſcilicet, & *Cœnam*, rejiciunt *Pœnitentiam*.

21. *Euchariſtia.*) Circa adorandum Euchariſtiæ Sacramentum teterrimas hæreſes invexerunt ſeculo ſecundo *Gnoſtici*, *Cataphryges*, *Artotyritæ*, & *Aquarii*; *Armeni* Seculo VII; *Pauliciani* Seculo VIII; *Berengarius* Seculo XI; *Waldenſes*, & *Tanchelinus* Seculo XII, *Tortolani* Seculo XIII; *Wicleffiſtæ* Seculo XIV; *Huſſitæ* Seculo XV; *Ubiquitarii*, *Lutherani*, & *Calviniſtæ* Seculo XVI &c.

22. *Ordinis.*) *Ordinem* eſſe Sacramentum, inficiantur Sectarii.

23. *Matrimonium.*) Circa quod errarunt ſeculo primo *Saturninus*, ſeu *Saturnillus* diſcipulus *Simonis Magi*, *Menandri*, & *Baſilidis*; Seculo Secundo *Marcionitæ*, *Montaniſtæ*, ac *Encratitæ*; Seculo III *Manichæi*; Seculo IV *Agapetæ*; Seculo V *Abeliani*; Seculo XI hæretici dicti *Inceſtuoſi*; Seculo XII *Durandus de Waldach*; Seculo XIV *Lolbardiſtæ*; Seculis XVI, XVII &c. *Calviniſtæ*, *Lutherani &c.*

24. *Extrema Unctio.*) Quam reſpuunt hujus ævi Sectarii; quibus Seculo XIV præiere *Lolbardiſtæ*: ſed Catholicum dogma probatur ex his *Jacobi* verbis: *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, &, ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*. Epiſt. Cathol. V. 14.

25. *Azymo.*) *Sacramentum Euchariſtiæ non poſſe confici in azymo pane*, vetus error *Græcorum* eſt. *Contra puritatem Sacri Corporis Chriſti delinquunt* Græci, inquit *S. Thomas* Opuſculo I Contra errores Græcorum, *dicentes ex azymo pane Corpus Chriſti conſecrari non poſſe*. Conſulendus idem Doctor Angelicus *III Parte Quæſt. LXXIV Art. IV.* Quid hac de re ſentiat mater Eccleſia, docet *Eugenius IV* in *Decreto Unionis*, cujus hæc verba: *Definimus.... in azymo, ſive fermentato pane triticeo Corpus Chriſti veraciter confici, Sacerdoteſque in altero ipſorum Domini Corpus conficere debere, unumquenque ſcilicet juxta ſuæ Eccleſiæ, ſive occidentalis, ſive orientalis conſuetudinem*.

26. *Tranſubſtantiatur.*) Id Fides docet adverſus *Berengarium*, *Lutheranos &c.*

27. *Unus.*) Uſus promiſcuus fœminarum damnatus eſt in *Nicolaitis*, *Gnoſticis*, *Condormientibus*, *Communellis*, *Fraticellis*, *Anabaptiſtis &c.*

28. *Licitas.*) Secundas nuptias ſcortationes eſſe, *Montanus* effutiebat: ſed, ut inquit *S. Thomas in hæc verba Capitis VII Epiſt. ad Romanos*: *Mulier... ſi... mortuus fuerit vir ejus, liberata eſt a lege viri, ut non ſit adultera, ſi fuerit cum alio viro*: Non ſolum ſecundæ, ſed tertiæ, & deinceps Nuptiæ ſunt licitæ. Quartas damnant *Græci* Schiſmatici.

29. *Primatum.*) *Definimus*, inquit *Eugenius IV* in Decreto unionis, *Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum orbem tenere Primatum, & ipſum Pontificem Romanum Succeſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi in B. Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a D. N. Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam in geſtis Oecumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur*. Geſta Conciliorum, & Canones, de quibus *Eugenius* loquitur, referunt *Rocaberti* in *Bibliotheca Maxima*, *Bzovius* noſter, & *Bellarminus* de *Romano Pontifice*. Illis, ceteriſque monimentis antiquitatis Eccleſiaſticæ, quibus Primatus Romani Pontificis aſſeritur, recenſendis, ne longum ſit, ſuperſedeo. Unus hic audiendus Doctor Angelicus *Opuſculo I contra errores Græcorum*, ubi hæc habet: *Similis autem error eſt dicentium, Chriſti Vicarium Romanæ Eccleſiæ Pontificem non habere univerſalis Eccleſiæ Primatum, errori dicentium Spiritum Sanctum a Filio non procedere. Ipſe enim Chriſtus Dei Filius ſuam Eccleſiam conſecrat, & ibi conſignat Spiritu Sancto, quaſi ſuo charactere & ſigillo, ut ex ſupra poſitis auctoritatibus manifeſte habetur. Et ſimiliter Chriſti Vicarius ſuo Primatu, & providentia univerſam Eccleſiam tanquam fidelis miniſter, Chriſto ſubjectam conſervat. Oſtendendum eſt ergo ex auctoritatibus Græcorum Doctorum... Chriſti Vicarium in totam Eccleſiam Chriſti poteſtatis plenitudinem obtinere. Quod enim Romanus Pontifex, Succeſſor Petri, & Chriſti Vicarius, ſit primus & maximus omnium Epiſcoporum, Canon Concilii expreſſe oſtendit, ſic dicens. Veneramur ſecundum Scripturas, & Canonum definitionem, ſanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum Primum eſſe, & maximum omnium Epiſcoporum. Hoc autem auctoritati conſonat ſacra Scriptura, quæ inter Apoſtolos Petro attribuit primum locum tam in Evangeliis, quam in Actibus Apoſtolorum*.

30. *Definire.*) *Oſtenditur etiam*, inquit *S. Thomas* Opuſculo I contra errores Græcorum, *quod ad dictum Pontificem pertineat quæ Fidei ſunt determinare. Dicit enim Cyrillus in Libro Theſaurorum: Ut membra maneamus in Capite noſtro Apoſtolico throno Romanorum Pontificum, a quo noſtrum eſt quærere quid credere, & quid tenere debemus. Item Maximus in Epiſtola Orientalibus directa dicit: Omnes fines orbis qui Dominum ſincere receperunt, & ubique terrarum Catholici veram Fidem confitentes, in Eccleſiam Romanorum, tanquam in ſolem reſpiciunt, & ex ipſa lumen catholicæ, & Apoſtolicæ Fidei recipiunt; nec immerito: nam Petrus legitur, primo perfectam Fidem eſſe confeſſus, Domino revelante, cum dixit Matth. XVI: Tu es Chriſtus Filius Dei vivi. Unde & idem Dominus dicit: Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat Fides tua*. Conſulendus idem S. Doctor *Secunda Secundæ Quæſt. I Art. X.*

31. *Appellare.*) Enim vero cum Summus Pontifex ſit jure Divino Primas Epiſcoporum, Caput Eccleſiæ, Chriſti Vicarius, conſequens eſt, quod omnes Catholici poſſunt ad ipſum appellare. Hinc *Gelaſius I Epiſt. XIII ad Epiſcop. Dardaniæ* de Appellationis jure ſic loquitur apud *Labbeum* Tomo IV Concilior. General. pag. 1203: *Sedes Beati Petri Apoſtoli jus habeat reſolvendi, utpote quod* (quæ) *de omni Eccleſia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio; ſiquidem ad illam de qualibet mundi parte Canones appellari voluerunt, ab illa autem nemo ſit appellare permiſſus*. Conſule *Bzovium* noſtrum *de Romano Pontifice Cap. XXXVIII pag. 478 &c.*, alioſque laudatos a *Rocaberto* in *Bibliotheca Maxima*.

32. *Subjectæ.*) *Oſtenditur etiam*, inquit *S. Thomas* in Opuſculo I contra errores Græcorum, *quod ſubeſſe Romano Pontifici, ſit de neceſſitate ſalutis. Dicit enim Cyrillus in Libro Theſaurorum: Itaque, Fratres, ſi Chriſtum imitamur, ut ipſius oves vocem ejus audiamus, manentes in Eccleſia Petri, & non inflemur vento ſuperbiæ, ne forte tortuoſus ſerpens propter noſtram contentionem nos ejiciat, ut Evam olim de Paradiſo*.

33. *Debent.*) *Patet etiam*, inquit *S. Thomas* loco laudato, *quod ipſe* (Romanus Pontifex) *Patriarchis prælatus exiſtat, ex hoc quod Cyrillus dicit, quod ipſius, ſcilicet Apoſtolici throni Romanorum Pontificum ſolius eſt reprehendere, corrigere, ſtatuere, ſolvere, diſponere, & loco illius ligare, qui ipſum ædificavit. Et Chryſoſtomus ſuper Actus Apoſtolorum dicit, quod Petrus eſt vertex ſanctiſſimus beati Apoſtolici throni, paſtor bonus. Item etiam hoc patet ex auctoritate Domini dicentis Luc. XXII: Tu aliquando converſus confirma fratres tuos*.

34. *Plenitudo.*) *Habetur etiam ex prædictorum Doctorum auctoritatibus*, verba ſunt ſæpe laudati Opuſculi S. Thomæ, *quod Romanus Pontifex habeat in Eccleſia plenitudinem poteſtatis. Dicit Cyrillus Patriarcha Alexandrinus in Libro Theſaurorum: Sicut Chriſtus accepit a Patre, Dux & ſceptrum Eccleſiæ gentium ex Iſrael egrediens ſuper omnem Principatum, & poteſtatem ſuper omne quodcunque eſt, ut ei cuncta curventur, pleniſſimam poteſtatem, ſic & Petro, & ejus Succeſſoribus pleniſſime commiſit &c.*

35. *Privilegiis.*) Cum enim SS. Pontifex obtineat Primatum in univerſam Eccleſiam, in toto qua late patet orbe terrarum, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ceteroſque fideles privilegiis ornare poteſt.

36. *Salva.*) Adeas *Gratianum Cauſa XXV Quæſt. I* poſt

Ca-

Caput finale, ſeu *XVI*. Audiendus etiam *Nicolaus I* de Prærogativa, ſeu Privilegiis Eccleſiæ Romanæ loquens *Epiſt.VIII ad Michaelem Orientis Imperatorem*, ubi hæc habet: *Eccleſiæ Romanæ privilegia Chriſti ore in Beato Petro firmata, in Eccleſia ipſa diſpoſita, antiquitus obſervata, & a Sanctis univerſalibus ſynodis celebrata, atque a cuncta Eccleſia jugiter venerata, nullatenus poſſunt minui, nullatenus infringi, nullatenus commutari; quoniam fundamentum quod Deus poſuit, humanus non valet amovere conatus ..... Privilegia, inquam, iſtius Sedis, vel Eccleſiæ perpetua ſunt, divinitus radicata, atque plantata ſunt: impingi poſſunt, transferri non poſſunt: trahi poſſunt, evelli non poſſunt.*

37. *In ea parte ubi de Spiritus Sancti Proceſſione in eo agitur.*) De Spiritus Sancti Proceſſione nullam factam fuiſſe mentionem in primo *Nicæno* Concilio, cujus extat Symbolum, quod *Nicænum* vocatur, tam certum eſt quam quod maxime. Quæritur ergo, cur dictum ſit, quod *de Spiritus Sancti Proceſſione in eo* (Symbolo Nicæno) *agitur*. Reſpondendum, Scriptores Eccleſiaſticos plerumque non diſtinxiſſe *Nicænum* Symbolum a *Conſtantinopolitano*, in quo *de Spiritus Sancti Proceſſione agitur*, & utrumque eodem nomine, *Nicænum* ſcilicet, ab ipſis nuncupatum fuiſſe, ſicut, etiam nunc, a nonnullis appellitatur. Sic *Epheſina* Synodus inhibens, ne *Nicæno* Symbolo quicquam adjiciatur, *Nicænum* vocat *Conſtantinopolitanum* Symbolum; & ut ceteros taceam, Auctores ipſos qui paulo ante *Clementem V* ſcripſere, eundem loquendi modum Seculis XII, XIII &c. uſurpaſſe, conſtat ex *Petro Lombardo Lib.I Sententiarum Diſtinct. XI*, ex *Alexandro de Ales Parte III Quæſt.LXIX Membro V*, ex *Guillelmo Durando* Epiſcopo *Mimatenſi* in *Rationali Officiorum Divinorum Lib.IV Cap.XXV*, ex *Clemente IV* in *Formula Fidei* anno MCCLXVII ad *Palæologum* miſſa. Cur autem eodem nomine utrumque Symbolum donatum fuerit, docet *Marcus Epheſinus* in Concilio *Florentino Seſſione V*, ubi de Symbolo *Nicæno* loquens ait: *Quo quidem* (Nicæno Symbolo) *multos poſt annos in tertio Concilio* (Epheſino ſcilicet) *recitato, decretum fuit, ut in futurum mutandi Nicæni Concilii facultatem haberet nemo: utpote quod a Conſtantinopolitano Symbolo nequaquam in aliquo diſcreparet: quandoquidem hoc in illo potentia videbatur incluſum, ita ut ambo pro uno haberentur.* Et ibidem: *Multis profecto*, inquit, *fortiſſimis conſtat argumentis, duo illa priora ſymbola ab omnibus Conciliis generalibus pro uno ſuſcepta fuiſſe, præſertim a tertio: utpote quod prius ceteris Conciliis, utrumque vidit, atque probavit.* Verbo dicam; Symbolum, de quo loquitur *Clemens* hoc in Diplomate, eſt Symbolum *Nicænum*, cui *Conſtantinopolitana* Synodus adjecit nonnulla, majoris explicationis ergo, contra *Marcionitas*, *Manichæos*, *Photinum*, *Apollinariſtas*, *Millenarios*, & *Macedonium*: Nec ex hac majori explicatione Symbolum novo nomine vocitandum fore, cenſuit *Clemens V*, ſicut alio fortaſſis nomine non appellaretur, ſi Synodus aliqua, ut hæreticos debellaret, adderet hæc verba: *Deſcendit ad inferos*. Ceterum *Græcis* Schiſmaticis objicientibus, quod nec etiam in Symbolo *Conſtantinopolitano* legitur hæc particula: *Filioque*, reſpondet *S. Thomas Quæſt.X de Potentia Art.IV ad XIII* argumentum: Dicendum .... quod Proceſſio Spiritus Sancti a Filio implicite in Symbolo Conſtantinopolitano continetur, in quantum continetur ibi, quod procedit a Patre, quia quod de Patre intelligitur, oportet & de Filio intelligi, quæcunque enim habet Pater *Johan.XVI* mea ſunt: unde in nullo differunt, niſi quod hic eſt Filius, & ille Pater: ſed propter inſurgentes errores eorum, qui Spiritum Sanctum a Filio eſſe negabant, conveniens fuit, ut id in Symbolo poneretur; non quaſi aliquid additum, ſed explicite interpretatum, quod implicite continebatur: Sicut ſi inſurgeret hæreſis, quæ negaret Spiritum Sanctum eſſe factorem cæli & terræ, oporteret hoc explicite poni, cum in prædicto Symbolo hoc non dicatur niſi de Patre.

38. *Cantetur publice.*) Ut ſcilicet omnes profiterentur Fidem Catholicam, quæ docet Spiritum Sanctum a Patre Filioque procedere. Conſulendus hac de re *Durandus de Ritibus Eccleſiæ Lib. II Cap.XXIV Num.XIV*. De eodem Symbolo loquens Eminentiſſimus Cardinalis *Petra* in *Commentar. ad Conſtitut. Secundam D. Leonis Magni Num.XI pag.125. Tomo I* hæc habet: *Hoc igitur Symbolum Conſtantinopolitanum cum dicto addito eſt illud, quod decantatur in Miſſis, quod paſſim Nicænum dicitur, quia loco illius fuit uſurpatum in Miſſarum celebratione; qui ritus ab Eccleſiis citius, vel tardius fuit receptus, & in Hiſpania ſtatuit in Miſſis illud decantari tertia Synodus Toletana Canone II. Sicuti ſtatim fecerunt Græci, & paulatim Eccleſiæ Galliæ, & D. Marcus Pontifex Primus, & unicus hoc nomine, jam ſtatuerat in diebus ſolemnibus poſt Evangelium ſolemniter recitari Symbolum Nicænum in Miſſis ... Refert* Ciaconius Tomo I Vit. Pontificum & Cardinal. pag.769, *Benedictum VII, dictum VIII, ad preces Henrici Imperatoris juſſiſſe recitari in Miſſis poſt Evangelium per Presbyteros Romanos, qui tantum utebantur Symbolo Apoſtolorum, hoc contenti, quia nunquam a fide catholica aberraverant .... Et deinde receperunt illud Conſtantinopolitanum.* Iſtud, Conſtantinopolitanum ſcilicet, Symbolum in Concilio *Lugdunenſi II* Græce & Latine ſolemni ritu decantatum fuiſſe, teſtantur Acta ejuſdem Concilii.

39. *Filioque.*) *Definimus*, inquit *Eugenius IV* in Decreto unionis, *explicationem verborum illorum Filioque, veritatis declarandæ gratia, & imminente tunc neceſſitate, licite, & rationabiliter Symbolo fuiſſe appoſitam.* Auctoritate *Magni Occidentalium Concilii, & Romani Pontificis* hæc verba *Filioque* addita eſſe Symbolo, docet *S. Thomas I Parte Quæſt.XXXVI Art.II.* Ipſi præivit *Hugo Etherianus Lib.III de Proceſſione Spiritus Sancti Cap.XVI.* Suffragatur Andreas Coloſſenſis pro *Latinis* diſſerens in Concilio *Florentino Seſſ.VIII.* De eodem Concilio loquens Cardinalis *Petra* in *Commentar. ad Conſtit.II D. Leonis Magni Num.X pag.125 Tom.I*, Symbolo Conſtantinopolitano, inquit, *addita fuerunt in Concilio Forojulienſi anno DCCXCI verba FILIOQUE ad confutandum errorem Græcorum negantium Proceſſionem Spiritus Sancti a Patre & Filio . . . quamvis alii ad aliud tempus id aſcribant, & poſtea in Concilio Florentino confirmata anno MCCCCXXXVIII . . . præſentibus Græcis, qui conquerebantur de iis verbis longe ante dictum Florentinum adhibitis.*

40. *Calogeri.*) Id eſt Monachi. Sic etiam ceteri Sacerdotes vocantur, ut nonnullis placet.

41. *Succeſſorem.*) *Oſtenditur etiam*, inquit S. Thomas Opuſculo I Contra errores Græcorum, *quod Petrus ſit Chriſti Vicarius, & Romanus Pontifex Petri Succeſſor in eadem poteſtate ei a Chriſto collata. Dicit enim Canon Concilii Chalcedonenſis: Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi Beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum Petram refugii, ut ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit jus decernendi Epiſcopi criminati infamiam, ſecundum claves a Domino ſibi datas.*

42. *Archimandritæ.*) Archimandritam ab Abbate multi non diſtinguunt, ſed ex hoc Diplomate liquet aliud Archimandritæ, aliud eſſe munus Abbatis. Ex *Regula S. Columbani Cap. VII* conſtat, Archimandritam Abbatibus præfuiſſe: *Cum tanta pluralitas*, inquit, *eorum ſit, ita ut mille Abbates ſub uno Archimandrita eſſe referantur.*

43. *Conſecrationem.*) Hac de re legendi *Canones IV, V, VI, VII*, & *VIII Diſtinct.LXIV*, & *Canones II, III, IV, V*, & *VIII Diſtinct.LXV*.

44. *Pallium.*) Conſule *Durandum Lib. III Rational. Divinor. Officior. Cap.XVII Num.III.*

45. *In quo Pontificalis plenitudo deſignatur Officii.*) Legendum *Caput XXIII Tit. XXXIII Lib. V Decretal.*

46. *Sine præjudicio.*) Concilium ſiquidem *Lateranen IV Cap.V* Patriarchas hac prærogativa donavit, ut Suffraganeis ſuis *Pallium* concedere poſſint: *Antiqua Patriarchalium Sedium privilegia renovantes*, inquit, *ſacra univerſali Synodo approbante, ſancimus, ut poſt Romanam Eccleſiam, quæ diſponente Domino ſuper omnes alias ordinariæ poteſtatis obtinet principatum, utpote Mater univerſorum Chriſti fidelium & magiſtra, Conſtantinopolitana primum, Alexandrina ſecundum, Antiochena tertium, Jeroſolymitana quartum locum obtineant, ſervata cuilibet propria dignitate: ita quod poſtquam eorum Antiſtites a Romano Pontifice receperint Pallium, quod eſt plenitudinis officii Pontificalis inſigne, præſtito ſibi fidelitatis, & obedientiæ juramento, licenter & ipſi ſuis Suffraganeis Pallium largiantur, recipientes pro ſe profeſſionem Canonicam, & pro Romana Eccleſia ſponſionem obedientiæ ab eiſdem.*

47. *Ægidium.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*: ubi etiam de Fratre *Lapo*; de *Artaniſio* autem conſulendus *Waddingus* ſupra laudatus.

Fra-

Anno 1308 Die 1 Aprilis.

Fratrem Lapum, alioſque duos ad Regem Raſciæ legat (1).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad An. MCCCVIII Num. VI pag. 68.

IV. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Ægidio Patriarchę Gradeu., & dilectis filiis fratribus Lapo Prędicatorum, & Artaniſio Minorum, Fratrum Ordinum Procuratoribus in Romana Curia Generalibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. BEnedictus Deus, & Pater Domini noſtri &c (2). Verum, ut tantę ſalutis onus, ac tanti boni felix auſpicium optatum, favente Domino, ſortiantur effectum, te, Frater Patriarcha, & vos dilecti filii, Lape Prędicatorum, & Artaniſi Minorum, Fratrum Ordinum Procuratores in Romana Curia Generales, pro his exequendis ad eundem Regem, tanquam ſalutis, & pacis Angelos, juxta ejuſdem magnificentię regię inſtantiam deſtinamus, quorum ſalutaribus eruditionibus, favente illo, in cujus manu regum corda conſiſtunt, ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum perfecte idem Rex cognoſcet, & ſuum glorioſum nomen catholicę fidei obſervatione colere non poſtponet, ac ſtatus ejus ſupra firmam petram Eccleſię Apoſtolicę ſolidatus, ſpiritualibus, & temporalibus proficiet incrementis; ipſeque Rex demum coronam perennis glorię conſequetur. Quo circa diſcretioni veſtrę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus,

Legatio. per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad pręſentiam dicti Regis vos perſonaliter conferentes, & habentes prę oculis ſolum Deum, ipſum Regem, & perſonas alias ſupradictas ad unitatem verę fidei, & communionem S. Romanę Eccleſię ſalubribus inducatis monitis, & inductos, ut pręmittitur, recipiatis eoſdem. Quod ſi, annuente Deo, tam circa catholicam fidem, quam circa pręmiſſa alia, quę fieri volumus per Regem ipſum, & alios, de quibus ſupra fit mentio, veraciter compleantur, auctoritate noſtra Regem eundem, & Regnum ſub protectione dictę Sedis Apoſtolicę recipiatis, & noſtra, & Vexillum (3), ab eo ex devotione petitum contra infideles illarum partium, ſine alterius pręjudicio uſque ad beneplacitum Apoſtolicę Sedis tradatis eidem, ipſo Rege, & aliis de dicto Regno, qui propter ſchiſma, & non recognoſcendo Primatum Sanctę Romanę Eccleſię, excommunicationis vinculo ſunt ligati, primitus abſolutis, reſcripturi nobis ſuper pręmiſſis omnibus plenius veritatem, & quicquid factum fuerit ſuper eis; ut ſuper ſuis aliis petitionibus, quas, prout honeſtatem Eccleſię decebit, licebit, ac expedire viderimus, exaudire proponimus, cum dictis Fratribus noſtris plene deliberare poſſimus. Intendimus enim non ſolum in his, quę ſuperius pręſcribuntur dicto Regi, Nos, & Apoſtolicam Sedem exhibere favorabiles, & benignos: ſed etiam in aliis, quę ſibi & dicto regno noverimus profutura. Quod autem in fermentato pane per Sacerdotes non Latinos Regni prędicti rite ordinatos, in Miſſarum ſolemniis Corpus conficiatur Dominicum quouſque aliud per Apoſtolicam Sedem ordinatum fuerit, cum pręmiſſa perfecta extiterint, & quod idem Rex interesse poſſit Miſſis hujuſmodi toleramus (4). Suſcipite igitur hilariter injuncti laboris munus, illudque in ſpe Divini juvaminis fidelibus portate humeris, ut laudabilis exitus diligentię veſtrę commendet induſtriam, & augeat apud Deum, & Sedem Apoſtolicam veſtrorum cumulum meritorum. Quod ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Pictavii Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1 *Legat.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Noſtri &c.*) Ibidem, verbis competenter mutatis, ad hæc uſque: *Cum omni reverentia audiantur.*

3. *Vexillum.*) Vexillum S. Petri *Pontifex Romanus ad Principes Chriſtianos*, inquit Du Cange in Gloſſario, verbo Vexillum, *mittere ſolet, qui in paganos expeditionem ſuſcipiunt, vel contra ſchiſmaticos, aut hæreticos, ... Ita Victor III idem Vexillum S. Petri Roberto Guiſcardo in Græcos ſchiſmaticos bellum moventi deferendum tradidit, apud Guillelmum Apulienſem Lib. IV de Geſtis Normannorum. Urbanus II Hugoni M. Viromanduorum Comiti in prima expeditione ſacra, ut habent paſſim Scriptores rerum Jeroſolymitanarum .... Alexander II PP. Willelmo Notho Duci Normanniæ in Bello contra Haraldum apud Ingulſum pag.* 900, *& Ordericum Vitalem Lib. III an. MLXVI pag.* 491. *Innocentius III Johanni Bulgarorum Regi in eoſdem Græcos, & Leoni Armeniæ Regi in Saracenos bellum parantibus, ut eſt in Actis ejuſdem Pontificis pag.* 59. *Innocentius IV PP. Regi Hungariæ expeditionem in Turcos apparanti ſub an. MCCXLV apud Philippum Mazerium in Vita Petri Thomaſii Cap. IV.* Cruce, ac Clavibus inſignitum eſſe *Vexillum S. Petri*, conſtat ex *Innocentio III Lib. VII Epiſt. I*, cujus hæc verba apud *Odoricum Raynaldum* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCIV num. XXXVI: *Tuæ ſerenitati*, Johannem, ſeu Calojohannem Bulgarorum Regem alloquitur, *dirigimus per eundem* (Legatum) *Vexillum, quo contra illos utaris, qui honorant labiis Crucifixum, cor autem eorum eſt longinquum ab ipſo, ad petitionem venerabilis Fratris noſtri B... Brandizuberen. Epiſcopi tibi duximus deſtinandum. Prætendit autem non ſine Myſterio Crucem, & Claves, quia B. Petrus Apoſtolus & Crucem pro Chriſto ſuſtinuit, & Claves a Chriſto ſuſcepit. Repræſentat itaque ſignum Crucis, utpote in quo Chriſtus, qui vincit, regnat, & imperat, debellavit aereas poteſtates, & in quo capiens præda prædonem abſorbuit moriens vita mortem, & Behemot cepit in ſuis oculis quaſi hamo. Clavem autem geminam repræſentat, diſcretionis alteram, reliquam poteſtatis, ut cum diſcreveris inter bonum & malum, lucem & tenebras, ſanctum & profanum, commiſſum tibi materialem gladium ad vindictam malefactorum, & laudem bonorum exerceas, & arma contra illos apprehendas, & ſcutum, qui non poſuerunt Deum adjutorem ſibi.*

4. *Toleramus.*) Lege *Notam XXV* in præcedens Diploma.

Anno 1308 Die 12 Auguſti.

Ea reſcindit, quæ Cardinales edicto ſanxerant in Inquiſitores.

Ex Percino (1) *in Opuſculo de Inquiſitione Parte III Cap. III pag.* 100.

V. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Hujus Diplomatis cauſa. DUdum venerabili Fratri Petro (2) Epiſcopo Prænellino, tunc tituli S. Vitalis, & dilecto Fratri (3) Berengario (4) tituli SS Nerei, & Achilei Presbytero, Cardinalibus, per noſtras ſub certa forma literas duximus committendum, ut ipſi circa negotium Inquiſitionis hæreticę pravitatis in partibus Car-

Carcaſſonenſi (5), Albienſi (6), & Caturcenſi (7), ſuper certis articulis, ſeu impendentibus ab iiſdem, diligenter inquirerent, & nonnulla etiam ordinarent: qui auctoritate literarum hujuſmodi quędam circa negotium hujuſmodi ordinaſſe noſcuntur. Quia vero noſtrę intentionis non eſt, nec exiſtit, ut occaſione dictę commiſſionis, ſeu alicujus mandati noſtri ſuper his Cardinalibus ipſis facti, Inquiſitoribus hereticę pravitatis prędictę, inquirendi conjunctim, vel diviſim cum Epiſcopo, vel Epiſcopis ordinariis, aut ſine ipſis, prout eis licet ſecundum canonicas ſanctiones, facultas aliquatenus reſtringatur; Nos ordinationem, per quam dicti Cardinales facultatem inquirendi per ſe diviſim Inquiſitoribus ipſis reſtrinxiſſe dicuntur, utpote intentioni noſtrę, & juri contrariam, viribus carere decernimus, & nullatenus obſervandam, ordinatione eorundem Cardinalium circa certos alios articulos valitura. Datum Pictavis II Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Abrogatio.

1. *Percino.*) Ex Archivo Inquiſitionis *Carcaſſonenſis*.
2. *Petro.*) *De Taillefer*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCV pag.*372.
3. *Fratri.*) Sic Amanuenſis interpretatus eſt literam *F*. Legendum: *Filio*.
4. *Berengario.*) Adeas *Ciaconium Vit. Pontificum & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCV pag.*373.
5. *Carcaſſonenſi.*) *Carcaſſone*, in *Occitania*.
6. *Albienſi.*) *Alby*, in eadem Provincia.
7. *Caturcenſi.*) *Cadurcenſi*, vulgo *Cahors*, in *Aquitania*.

Cœnobii Buxenſis (1) inſtituendi facultas.

Anno 1309 Die 13 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Raymundo (3) Domino Medullionis, Vapincenſis (4) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VI.

DEvotionis tuę ſinceritas promeretur, ut quę pie depoſcis a Nobis favorabiliter conſequaris. Cum itaque, ſicut oblata Nobis ex parte tua, petitio continebat, tu de ſalute propria cogitans, cupienſque terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, deſideres in caſtro tuo de Buxo, Vaſionen. (5) Dięceſis, quod adeo populoſum, & opulentum exiſtit, quod in eo ſeptingenti, vel circa hujuſmodi numerum lares exiſtunt, conſtruere locum cum Eccleſia, & neceſſariis officinis, in quo viginti quinque, vel plures Fratres Ordinis Prędicatorum, ad quos, ſpecialem geris affectum, poſſint congrue commorari. Cum pręſertim prope dictum Caſtrum, ad unam dietam, prout aſſeris, Fratres dicti Ordinis non exiſtant; & ſuper hoc, etiam nobis dilectus filius Prior Provincialis (6) dicti Ordinis illius Provincię, duxerit ſupplicandum. Nos tuis, & ipſius Prioris ſupplicationibus inclinati, facienda pręmiſſa, liberam tibi concedimus, tenore pręſentium facultatem, ſine juris prejudicio alieni. Datum in Prioratu de Grauſello prope Malaucenam, Vaſionen. Dięceſis, Idibus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Supplex petitio. Conceſſio.

1. *Buxenſis.*) Vulgo *Buis*, in *Delphinatu*. Hocce Cœnobium juris eſt Provincialis *Provinciæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Buxenſi*.
3. *Raymundo.*) Diſtinguendus *Raymundus* iſte ab aliis ejuſdem nominis & cognominis, ut obſervat *Echard Tomo I Scriptor. Ord.* ad an. MCCXCIV pag. 436: *Emendandi*, inquit, *Sammarthani in Gallia Chriſtiana (quos tamen incauti exceperunt Fontana in Theatro, & Altamura ad MCCXCIV) qui Raymundum de Medullione patrem, poſt mortem uxoris Ordinis Prædicatorum profeſſum eum eſſe volunt, qui ad Vapincenſem, tum ad Ebredunenſem, Sedes evectus fuit, quod falſum ex dictis evincitur, ſed de filio adoleſcente Ordini aſcito, nec unquam nuptiis irretito certiſſimum. Raymundus autem ille de Medullione quem Sammarthani ajunt anno MCCLXX de juribus Baroniæ Medullionis tranſegiſſe, nepos erat Raymundi Senioris, & filius germani Raymundi junioris, Epiſcopi .... Ille vero Raymundus, ſenioris dicti nepos, inſignis fuit Ordinis Prædicatorum benefactor, & Buxi, cujus Dominus erat, domum nobis erexit: ſic enim in Actis Capituli Provincialis in Monte-Peſſulano MCCXCIV poſt Generale ibidem habiti legitur. Ad inſtantiam Domini F. Raymundi de Medullione Archiepiſcopi Ebredunenſis, & Raymundi de Medullione nepotis ſui (id eſt fratris filii) concedimus, quod mittantur Fratres apud Buxum ad recipiendum locum pro Ordine: & nominantur miſſi, qui ab eo anno diu ſteterunt. Tandem an. MCCCX Dominus de Medullione de Buxo patronus emit locum, & domum ædificavit. Primus Prior F. Raymundus Michaelis de Conventu Auraſicienſi inſtitutus. Sic Bernardus Guidonis ubi de Conventuum erectione.*
4. *Vapincenſis.*) Vulgo *Gap* in *Delphinatu*.
5. *Vaſionen.*) Vulgo *Vaiſon*, in Comitatu *Vindaſcino*, *Venaiſſin*.
6. *Provincialis.*) *F. Guillelmus de Lauduno*, uti videre eſt apud *Echard* in *Notitia Ordinis Tomo I Scriptor. pag.* 13, ubi ex antiquo *Ms.* ſic loquitur: *XIV Cœnobium de Buxo; ubi fuit receptus locus, & ſimul Conventus poſitus per Priorem Provincialem Guillelmum de Lauduno de licentia, & auctoritate Clementis Papæ V Dominica ſecunda anno MCCCX.*

Fratrem Thomam, Ordinis Prædicatorum, alioſque Cardinales, qui de gravi controverſia circa gradum ſervandæ paupertatis inter Franciſcanos exorta judicent, conſtituit (1).

Anno 1310 Die 14 Aprilis.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCX num. III pag. 116.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Generali Miniſtro, ceteriſque Fratribus tam Prelatis, quam Subditis, Ordinis Minorum, pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VII.

DUdum ad Apoſtolatus noſtri notitiam frequenter, & ſecreto, & tandem in Conſiſtoriis tam ſecretis, quam publicis, noſtris, & Fratrum noſtrorum auribus extitit frequentius intimatum, quod nonnulla erant corrigenda in Ordine veſtro, quę omnino matura & celeri lima, & correctione Sedis Apoſtolicę indigebant, cum per Prelatos ipſius Ordinis remanerent penitus incorrecta, licet ſolemniter, & frequenter fue- Hujuſce Diplomatis cauſa.

fuerint ſuper hoc pluries requiſiti. Cum autem nobis exiſtentibus in Conſiſtorio publico, nominarentur per fide dignos quędam ſolemnes perſonę eiuſdem Ordinis, ac magnę & ſolemnis auctoritatis, & zeli, per quos poteramus plene, ut dicebatur, ſuper his informari: ne talis ac tanti nutes negotii ſuper conſcientia noſtra penderet, deliberavimus deſcendere ad inquirendum de propoſitis veritatem, ac Miniſtrum ipſius Ordinis Generalem, dictaſque perſonas, & quaſdam alias eiuſdem Ordinis, Nobis notas, *Teſtes evocati.* quas in eiuſdem Ordinis regulari obſervantia zelo Dei fervere credimus, per literas ſecretas ad noſtram præſentiam fecimus evocari, videlicet dilectos filios Fratres Raymundum Gaufridi, Sacrę Theologię Doctorem, ac Ordinis veſtri olim Generalem Miniſtrum, Raymundum de Giniaco dudum Provincię Aragonię Provincialem Miniſtrum, Guilielmum de Cornelione Cuſtodem Arelaten., Guidonem de Levis, Ubertinum de Caſali, Bartholomęum Sicardi, tunc Definitorem Provincię ad Capitulum Generale, Guilielmum de Agantico Lectorem Biterris, Petrum Raymundi de Corneliano, Petrum Malodii Lectores, cum quibuſdam aliis Sociis eorundem. Et poſtmodum ab ipſo Miniſtro ſecrete exquiſivimus veritatem, & a prędictis aliis plurles ſubſequenter. Et cum nos occupati diverſis & variis, non in perſona propria vacare poſſemus, prout deſideraremus, & negotio expediſſet, de communi tam tui Miniſtri & ſociorum tuorum, quam etiam prędictorum per nos vocatorum concordia, venerabilem Fratrem Petrum (2) *Judices conſtituti.* Peneſtrin. Epiſcopum, & dilectum filium noſtrum Fratrem Thomam (3) tituli S. Sabinę Presbyterum Cardinalem, ſuper ipſo negotio dedimus Auditores. Debilitato vero poſtmodum infirmitate corporea Epiſcopo Pęneſtrin. prędicto, & ſe excuſante, quod dicto negotio intendere non valebat: Nos venerabilem Fratrem Berengarium (4) Epiſcopum Tuſculanum, & dilectos filios noſtros Gulielmum (5) tituli S. Potentianę (6) Presbyterum (7) Cardinalem in dicto negotio adjunximus Auditores. Verum quia dictum negotium nondum habuit finem ſuum, timebant prędicti ad Nos evocati, ut dicebant, ex veriſimilibus conjecturis ſibi magna pericula imminere a Pręlatis & ſubditis Ordinis antedicti. Et quia non debet ad noxam imputari, quod factum eſt ad medelam, Nos, de Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, Fratres Raymundum, Guilielmum de Cornelione, Guidonem, Ubertinum, Bartholomęum, Guilielmum, de Agantico, Petrum Raymundi, & Petrum Malodii ſupradictos, ab omni obedientia & juriſdictione veſtra, filii Miniſter, & Pręlati, ac Succeſſorum veſtrorum prorſus eximimus, durante negotio ſupradicto. Verum quia vitiis favere non intendimus ex prœmiſſis, nec viam claudere obſervantię regulari, volumus, quod ſi forte dictos Fratres Raymundum, Guilielmum de Agantico, Petrum Raymundi, & Petrum Malodii ſupradictos, vel aliquem ex eis, quod abſit, interim committere contingeret aliquid inhoneſtum, ipſi, & eorum quilibet per Auditores corrigantur eoſdem, prout canonicum fuerit, & eis videbitur expedire. Et licet nonnulli dicti Ordinis Fratres in diverſis partibus conſtituti in pręfato negotio, ſeu contingentibus illud idem in toto, vel in parte ſaltem, cum dictis Fratribus Raymundo, Guilielmo de Cornelione, Guidone, Ubertino, Bartholomęo, Guilielmo de Agantico, Petro Raymundi, & Petro Malodii, ſentire dicantur; nolumus tamen Fratres ipſos ſic ſentientes, propter hoc majoris correctionis ſubeſſe rigori; auctoritate Apoſtolica ſtatuentes, quod dicti Fratres, pręmiſſi occaſione negotii, vel ex cauſis aliis prętextu ipſius, per ſuos Pręlatos gravius nullatenus puniantur, nec tractentur, quam ſi ſępedictis Fratribus, ut pręmittitur, nominatim expreſſis in ipſo negotio, minime adhęrerent, ſeu quod idem, ut pręmittitur, ſentiunt cum eiſdem, nec etiam a ſuis promotionibus, conſolationibus, ſeu gratiis excludantur Ordinis ſupradicti, vel etiam retardentur, niſi per Sedem Apoſtolicam aliud ſuper hoc extiterit ordinatum. Pręmiſſa quidem omnia univerſis & ſingulis dicti Ordinis Fratribus in virtute obedientię, necnon & ſub pœnis aliis, quas, ſicut inobedientium, & contrarium pręſumentium exegerit, auctore Domino, infligemus eiſdem pręcipimus inviolabiliter obſervari. Decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam extiterit attentatum. Volentes inſuper ſtatui eorundem de ſubſequenti ſalubri remedio providere, univerſis & ſingulis veſtrum tam Pręlatis, quam ſubditis, & Officialibus quibuſcunque, auctoritate pręſentium, diſtrictius inhibemus, ne dictos Fratres ſuperius nominatos, auctoritate noſtra vocatos ad Nos, ut prędicitur, propter materiam hujuſmodi negotii, vel contingentia ipſum, diffamare, gravare, vel offendere, vel a proſecutione hujuſmodi negotii quomodolibet impedire, nunc, vel in poſterum pręſumatis, nec mutetis eos de Provinciis, vel Cuſtodiis, ſeu locis ipſis conſolatoriis; nec privetis eos gratiis, & licentiis, ſeu aliis competentibus eis ſecundum gradum ſuum, & aſſuetis ipſis, & ſuis ſimilibus, dari in Ordine a Pręlatis; Si qua vero poſt hujuſmodi inchoationem negotii eis, vel eorum alicui contraria ex cauſis hujuſmodi alicui ſunt illata, ipſa revocamus, & mandamus totaliter revocari. Nullum etiam eorundem a promotione quacunque, vel ſtudio, aut electione ad quemcunque ſtatum, vel officium, ſi ei alias idoneitas ſuffragatur, impedire quomodolibet pręſumatis. Et, ut breviter omnia comprehendantur, in omnibus volumus, atque pręcipimus, quod vos habeatis ad ipſos quoad exhibenda conſolatoria, cavenda moleſta, ſicut habuiſſetis, ſi de ſupradictis & contingentibus ipſa, dictum, vel factum aliquid nullatenus extitiſſet. Verum quia ex his, ut pręmittitur, non intendimus favere vitiis, nec viam claudere obſervantię regulari, ſi forte, quod abſit, contingeret, aliquem de Fratribus, qui in diverſis partibus Ordinis, idem ſentiunt, in aliquo crimine legitime deprehendi, volumus, quod ſicut Fratres cęteri poſſint a Pręlatis hoc casu non corrigi, & puniri ſecundum ęquitatem juſtitię, & Ordinis inſtituta: ita tamen quod occaſione prędicti negotii, & ipſum contingentium, in nullo alicujus culpa gravetur amplius, nec acrius, vel durius puniatur, vel aliter judicetur, vel modis, ſeu cautelis aliis inquiratur contra eos, quam alias probabiliter factum fuiſſet, ſi nunquam hoc negotium contigiſſet, quinimmo ex hoc, propter reverentiam Sedis Apoſtolicę, & ad omnem ſuſpicionem vitandam, debet a vobis agi miſericordius cum eis. Ad hęc, quia Fratribus ſuperius expreſſis pro proſecutione negotii antedicti, majus poſſet periculum imminere, ne ſub colore juſtitię aliquid contra ipſos in futurum contingeret attentari, pręcipimus, & diſtrictius inhibemus, ne quis ipſorum propter aliquam culpam pręteritam, pręſentem, vel futuram, vere, vel falſo impoſitam, vel imponendam, pro qua eſſet pœna notabili puniendus, poſſit a quibuſque puniri, vel pro talibus judicialiter conveniri, niſi coram Nobis, vel Succeſſoribus noſtris, aut Auditoribus ſupradictis, vel aliis deputandis a Nobis; eoſdem ſub noſtra protectione, & defenſione ſuſcipimus, ac ab omni alterius

ſupe-

Digitized by Google

ſuperioritate eximimus, ut non poſſint in proſecutione hujuſmodi negotii, quomodolibet impediri. Ut autem prędicta omnia integraliter obſerventur, vos, & omnes, & ſingulos Ordininis veſtri Fratres Prędatos, & ſubditos, & officiales quoſcunque, qui impręſentiarum, vel in poſterum contra prędicta quibuſcunque occaſionibus, ſeu coloribus quęſitis, ſcienter venire pręſumpſerint, ex tunc excommunicationis ſententię, quam in omnes, & ſingulos, contrarium facientes, ferimus, decernimus ſubiacere. abſolutione ipſorum nobis, & noſtris Succeſſoribus ſpecialiter reſervata. Et nihilominus quicquid contra prędicta, vel eorum aliquid attentatum fuerit, decernimus irritum, & inane; ac illis Fratribus, contra quos in pręmiſſis aliquid grave propter cauſas hujuſmodi pręſumptum fuerit, recurrendi ad Sedem prędictam, abſque alicujus ſui Superioris licentia petita, vel obtenta, liberam tribuimus facultatem. Quia vero negotium iſtud, quod corde gerimus, ſecundum honorem Dei intendimus terminare, volumus, quod ex Fratribus ſuperius nominatis, vel ex eis adhęrentibus in prędictis, quatuor, vel ſex apud prędictam Sedem remaneant cum ſociis opportunis, quos accipiendi ejuſdem intentionis ſecum, eis auctoritatem, & licentiam impartimur, ad prędictum negotium libere proſequendum, qui etiam de licentia prędictorum Auditorum aſſignatorum, vel alicujus eorum, ad quem recurſum habuerint, mutari poſſint, & licentiari, pro neceſſitate ipſorum, & illis alios ſubrogari, pluresque vocari, prout prędicti Auditores, aut eorum aliquis, ad quem recurrerint, ad proſecutionem dicti negotii, viderint expedire. Et, ne quis prędictorum ignorantiam, contra prędicta faciens, allegaret, pręcipimus per te, Generalis Miniſter, vel per Procuratorem Ordinis, Provincialibus, Miniſtris, & per ipſos ceteris Fratribus tenorem pręſentium abſque tarditate aliqua, fideliter publicari, & has literas vobis & veſtrum alteri pręſentatas, integras, & illęſas in virtute ſanctę obedientię, & ſub prędicta excommunicationis pęna mandamus abſque mora reſtitui prędictis Fratribus, in quorum ſecuritatem prędicta noſtra proviſio emanavit, & penes ipſos. prout expedire viderint, conſervari; non obſtantibus ſi Ordini prędicto, ſeu perſonis ejuſdem, a dicta Sede ſit indultum, quod perſonę ipſę interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuſlibet aliis privilegiis, literis, & indulgentiis, eis ab eadem Sede ſub quavis verborum forma conceſſis, per quę effectus pręſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum inhibitionis, revocationis, mandatorum, voluntatum, pręceptorum, ſuſceptionis, exemptionis, Pręlationis, conſtitutionum, & conceſſionum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, &c. Datum Avinione XVIII Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Sanctio pœnalis.

1. *Conſtituit.*) Audiendus *Waddingus ad annum MCCCX num. I, II, IV, V, VI* &c. *Aliæ . . . intermiſcebantur quæſtiones*, inquit num. II, *quibus percipiendis, & diſcutiendis, ac ſcriptis, præſertim Petri Johannis examinandis præfecit Pontifex tres Cardinales ex Ordine Prædicatorum, Gualterum Winckterburnum Saresbirienſem Anglum, tituli S. Sabinæ, Thomam Joiſium Anglum tituli S. Luciæ, & poſt mortem Gualteri, S. Sabinæ, Nicolaum Farinulam, Gallum Rotomagenſem tituli S. Euſebii, necnon Fratrem Guillelmum Petri de Godino Bajonenſem Gallum, Sacri Palatii Magiſtrum, F. Ægidium . . . . Eremitam Ordinis S. Auguſtini, & Fratrem Vitalem de Furno Ordinis Minorum Provinciæ Aquitaniæ Magiſtrum.* In hæc Waddingi verba quædam obiicit *Echard*, quem conſulas velim *Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCV pag. 496, & 497.*

2. *Petrum.*) Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCV pag. 372.*

3. *Thomam.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

4. *Berengarium.*) Cujus meminit *Ciaconius* mox laudatus *pag. 373.*

5. *Gulielmum.*) Conſulendus idem *Ciaconius* ibidem *pag. 377.*

6. *S. Petentianæ.*) *S. Pudentianæ*: ſic enim ſuſcripſit *Guillelmus* Conſtitutioni datæ *Pictavis* XIII Kalendas Auguſti Pontificatus *Clementis V* anno Secundo: *Ego Guillelmus S. Pudentianæ Presbyter Cardinalis ſubſcripſi.*

7. *Presbyterum.*) Emendandus ergo *Petrus Frizonius* qui in *Gallia Purpurata* Cardinalem iſtum ex Diacono Presbyterum renunciatum dicit a *Johanne XXII*, ſucceſſore *Clementis*.

Archiepiſcopo Rigenſi (1), ut per ipſum, & ipſius ſucceſſores Fratribus Minoribus, ac Prædicatoribus liceat, Cœnobium unum in unaquaque civitate Rigenſis Diœceſeos inſtituere.

Anno 1311 Die 17 Februarii.

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag. 43.

VIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Frederico Archiepiſcopo Rigen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm ſicut in noſtra propoſuiſti pręſentia conſtitutus, converſatio Fratrum Minorum, & Prędicatorum Ordinum in tua Provincia ſit admodum ſaluti fidelium utilis (3), & etiam opportuna, ut eorum ſalutaribus monitis, & exemplis iidem fideles magis proficiant ad ſalutem, & infideles celerius ad unitatem fidei convertantur; Nos, tuam in hac parte ſolicitudinem commendantes in Domino, quod tu, & ſucceſſores tui Archiepiſcopi Rigen. qui pro tempore fuerint, poſſitis auctoritate noſtra dare licentiam Fratribus utriuſque Ordinis prędicti, unum duntaxat locum recipiendi in ſingulis civitatibus ejuſdem Provincię felicis record. Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, & quacunque alia Conſtitutione (4) in contrarium edita non obſtante, plenam tibi, & ſucceſſoribus ipſis concedimus tenore pręſentium facultatem. Dat. Avinione XIII Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Conceſſio.

1. *Rigenſi.*) *Riga* civitas eſt *Sarmatiæ Europææ*, caput *Livoniæ*.

2. *Waddingo.*) Ejuſdem Diplomatis meminit *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXI Num. LXXI.* Citant *Epiſtolam CCVIII Lib. VI Clementis V.*

3. *Utilis.*) *Hoc anno*, inquit *Waddingus Annal. Minor. Tomo III* ad annum MCCCXI num. XXIII, *Archiepiſcopus Rigæ in Livonia Metropolis, præſens in Curia explicuit Pontifici, quam fuerit utilis & opportuna ſaluti fidelium, & infidelium converſatio Fratrum Minorum, & Prædicatorum in ſua Provincia, dum illos ſalutaribus monitis quotidie erudiebant, & hos potenti virtute ad fidei unitatem reducebant. Conceſſit itaque, ut ipſe, & Succeſſores ejus in ſingulis civitatibus dictæ Provinciæ Cœnobium his ædificarent Ordinibus.* Idem narrat Odoricus lauda-

laudatus; *Reperti ſunt*, inquit, *in Germania nonnulli aut cum ſacris Pontificalibus initiati non eſſent, agebant Epiſcopos, ſeſeque ſacris muneribus ingerebant; de quibus graves querelas afferente apud Sedem Apoſtolicam Friderico Rigenſi Archiepiſcopo Clemens Johanni Bremenſi, & Magdeburgenſi Archiepiſcopis, atque Alberto Capellano Pontificio partes demandavit, ut temerariis hominibus .... judicium intenderent ..... Ad pietatem vero in Livonia amplificandam, quam illi impoſtores extinguere moliebantur, eidem Friderico Rigenſi Archiepiſcopo egregie in viros Religioſos, quorum conſuetudo ad infideles ad Chriſtum pelliciendos, & fideles bonis excolendos plurimum valebat, affecto, ac Succeſſoribus auctoritatem conceſſit, ut Prædicatoribus, ac Minoritis in ſingulis urbibus ædes conſtruere permitteret.*

4. *Conſtitutione.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Anno 1311 Die 19 Junii.

F. Nicolaus Oſtienſis Epiſcopus, Ordinis Prædicatorum, aliique Cardinales ad Henricum Imperatorem inaugurandum delegantur (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXI. num. VII.

IX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Arnaldo (2) Sabinenſi, Apoſtolicę Sedis Legato, ac Leonardo (3) Albanenſi, & Nicolao (4) Oſtienſi, Epiſcopis, & dilectis filiis Franciſco (5) S. Lucię in Silice, & Lucę (6) S. Marię in via lata Diaconis Cardinalibus, Nunciis eiuſdem Sedis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a S. Sedis Apoſtolicæ dignitate.

REx Regum, & Dominus dominantium, Dei clementiſſimus Filius Jeſus Chriſtus, honore multiplici Reginam prefulgidam, ſibi in veſtitu deaurato, circumamictam varietate, aſſiſtentem a dextris, ſanctam videlicet Eccleſiam ſponſam ſuam, quam ſuo pretioſiſſimo Sanguine redimitam, clementer ſibi inſeparabili fędere conjungi voluit, honore Primatus, multiplicis ac multifarię preeminentię inſignivit; ſed in eo potiſſime ipſam honorabilem, & felici, ac precellenti reddidit dignitatis ſtatu fulgentem, quod eidem tantam tribuit plenitudinem poteſtatis, ut perſonis quantumcunque conſpicuis, quantumcunque ſolemnitate inſignibus, & preclaris, in iis poſſit, ſibique competat adeſſe magnifice, per quę ipſę clari nominis titulum, & famoſę conſequantur potentię culmen, & etiam incrementum. Dominator enim cęli, qui ſolus Altiſſimus, poteſtatem habet in regno hominum, & quęcunque voluerit ſuſcitat, ſuper illud poteſtatem dedit ei, & honorem, & regnum; poteſtatem, inquam, ęternam, quę non aufertur, & regnum quod non corrumpitur, ut Imperatores, & Reges in ipſa, & per ipſam doctrina ſalutari intelligant, & erudiantur Judices orbis terrę eidem ſervire, & obſequi in timore, qui imperat ventis & mari. Cuncta namque, quę in cęlo ſunt, & in terra, ſua ſunt, ſuum eſt regnum, ipſe eſt ſuper omnes Principes: ſuę ſunt divitię, ſua gloria, qui dominatur omnibus; & in manu ejus virtus, & potentia, magnitudo, & imperium omnium, ſub quo curvantur qui portant orbem; per eum enim Reges regnant & Principes, & Legum conditores juſta decernunt; qui habet in femore ſuo ſcriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium: ad cujus preceptum elevabitur aquila, & ponet in arduis nidum ſuum.

Henrici Romanorum Regis electio confirmata.

Sane dudum poſt electionem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Henrici Regis Romanorum illuſtris celebratam (7) concorditer per regni Alamanię (8) Principes, in electione Romanorum Regis vocem habentes, cum imminet facienda; ſolemnes dicti Regis Ambaſciatores, ac Nuncii ad noſtram preſentiam accedentes, & nobis ejuſdem electionis preſentato decreto ad eorum inſtantem, & devotam ſupplicationis inſtantiam, coram Nobis, & fratribus noſtris iteratis vicibus, & per interſtitia temporum repetitam, prefatum Regem, quia per decreti prefati, & conditionis perſonę ipſius, non levi notitia antea nobis, & fratribus noſtris notę, examinationem coram Nobis, & eiſdem fratribus habitam diligenter, in quantum fieri potuit, eodem abſente, ſufficientem ipſum, idoneum, & habilem invenimus ad prefatum Imperium obtinendum, & electionem ipſam canonicam extitiſſe: de eorundem fratrum noſtrorum conſilio ipſum reputavimus, denuntiavimus, & declaravimus Romanorum Regem, juſtitia exigente; ac fore idoneum, ſufficientem, & habilem ad dignitatem Imperialis celſitudinis obtinendam: pronuntiantes inſuper, ac etiam decernentes, ſibi per noſtras manus loco & tempore opportunis debere concedi unctionem, & ipſius imperii diadema, certum ad hoc ei terminum aſſignantes.

Italiam petit Henricus.

Cumque poſtmodum Rex prefatus Italię partes fuiſſet potenter ingreſſus, & a Lombardię civitatibus, aliiſque locis inſignibus, ad quę declinaverat, honorifice, & pacifice jam receptus, alii prefati Regis Ambaſciatores, & Nuncii ad Apoſtolicę Sedis preſentiam acceſſerunt,

Oratores legat ad Summum Pontificem.

qui cum multa nobis inſtantia inter cetera ſupplicarunt, quod cum ipſi patenter adverterent, ſicut eis jam per nos ſuper hoc reſponſum extiterat, quod propter generale Concilium (9), quod in Kalendis Octobris proximo venturis diſpoſueramus, dante Domino, & diſponimus celebrare, aliaque multa & ardua, plurimumque urgentia, quę neceſſario in citramontanis partibus expedienda nobis negotia incumbebant tunc temporis, & incumbunt, predictam unctionem, & Imperii diadema, aliaque ſolemnia per noſtras manus Regi non poterant memorato concedi; terminum ipſum ſub ſpatio temporis brevioris concludere, ipſamque unctionem, & Imperii diadema, ceteraque ſolemnia per aliquos de fratribus ſupradictis in feſto Pentecoſtes, tunc proximo ſecuturo, impendi facere dignaremur. Nos vero predictis Nunciis receptis, manſuetudine conſueta, & iis, & aliis, quę coram Nobis voluerunt proponere, diligenter auditis, eis certo modo duximus reſpondendum; ejuſdem Regis, ſuper hoc cum predictis fratribus noſtris diligenti deliberatione prehabita, nihilominus deſideriis annuere intendentes. Et quia propter temporis nimiam brevitatem in dicto feſto Pentecoſtes ſolemnitatem unctionis, & coronationis hujuſmodi non poſſe fieri credebamus, nec Rex ipſe in prefato feſto ſibi, ut ejus decebat honorem, de apparatu ad hoc neceſſario potuiſſet forſitan providiſſe, ſignificavimus ei per noſtras literas ſpeciales, ut tanti arduitate negotii diligenter inſpecta, & conſiderata prudenter temporis qualitate, aliquem certum & ſolemnem diem, prout crederet convenire, poſt feſtum predictum eligere, ipſumque nobis ſignificare illius deliberatio non differret, ut infra diem ipſum, aliquos de fratribus ſupradictis,

de

de quibus Apoſtolica deliberatio provideret, qui ei unctionis ejuſdem manus impenderent, & imponerent, vice noſtra, præfatum diadema Imperii, ac alia inibi agenda ſolemnia peragerent, mitteremus; dilectos filios Magiſtros Robertum electum Salernitanum (10), & Hugonem Geraldi Cantorem Petragoricenſem (11), Capellanos noſtros, ad eundem Regem ſuper his cum eiſdem noſtris literis deſtinantes, per quos ſibi paternę ſinceritatis affectum, & mentis Apoſtolicę puritatem, quos ad ſtatum ipſius, & exaltationem magnificam habebamus, mandavimus clarius aperiri. Verum Rex pręfatus ſuper hoc matura deliberatione pręhabita feſtum Aſſumptionis B. Virginis proximo venturum, pro termino ad recipiendum in Baſilica Principis Apoſtolorum de Urbe, more ſolito, unctionem hujuſmodi, & ipſius Imperii diadema, aliaque inibi ſolemnia peragenda recepit, prout nobis per ſolemnes ſuos Ambaſciatores, ac Nuncios, & ſpeciales literas intimavit, ſuo regali ſigillo pendenti munitas; cum multa devotionis inſtantia ſupplicans per eoſdem, ut ad eum aliquos mitteremus de fratribus memoratis pro impendenda unctione hujuſmodi, & imponendo ſibi ejuſdem Imperii diademate, aliiſque ſolemnibus peragendis. Porro ſi deſuper datum eſſet, ut circa tanti celebritatem negotii exhiberi poſſet noſtra pręſentia corporalis, ut ubi mente vigilanter intendimus, ibi pręſentialiter noſtrum deſiderium panderemus; ad quod etiam ejuſdem Regis concurrunt, ut pro certo novimus, cum promptitudine multiplicis devotionis affectus, gauderemus in Domino, & plurimum ſatisfieret noſtris votis. Verum quia ex cauſis prędictis non poſſumus in hac parte affectibus ſatisfacere mentis noſtrę, prędicti Regis frequentibus, & devotis ſupplicationibus inclinati, & ad perſonas veſtras Apoſtolicę mentis oculos fiducialiter dirigentes, vobis, quorum Nobis ſunt notę virtutes, quaſque in magnis & arduis dicta Sedes diverſis vicibus eſt experta, & de quorum operibus fructus uberes proveniſſe conſpicimus, ſuper hoc noſtrę ſolicitudinis onus duximus imponendum; ſperantes, quod tanquam viri virtute magnifici, opus hujuſmodi viriliter aſſumetis ad divini nominis laudem, & gloriam effectualiter exequendum. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos ad dictam Urbem die Aſſumptionis prędictę perſonaliter conferentes, ac ibidem convenientes in unum, tu frater Oſtienſis Epiſcope Miſſam celebres, & Regem inungas eundem: Voſque fratres Albanenſis, Oſtienſis, & Sabinenſis Epiſcopi, voſque Franciſce, & Luca Diaconi Cardinales, vel illi veſtrum qui pręſentes fuerint, eiſdem Regi, & Reginę mitras & diademata Imperii, Regi quoque ſceptrum, pomum, & gladium, & alia ſolemnia, prout infra patentius & diſtinctius vobis injungitur, tribuatis; eorumque vertices inclytos reddatis illorum inſigniis cum ſolitis ſolemnitatibus decoratos, in nomine, ac virtute Altiſſimi, prudenter, honorifice, ac etiam diligenter, prout decet tam arduum & ſolemne negotium, quod vobis committimus; noſtris vice, & nomine exequentes in dicto feſto Aſſumptionis, ſi poteritis commode, vel alio certo convenienti die, quem idem Rex ad hoc pro qualitate negotiorum imminentium duxerit eligendum. Quod ſi non omnes iis exequendis poteritis intereſſe, quatuor, tres, duo, aut unus ex vobis, ea nihilominus exequatur. Et ne quis in agendis ſolemnibus antedictis error, quod abſit, intervenire valeret, modum, & formam, & locum agendorum, & ubi, & per quas perſonas agenda fuerint, particulariter & diſtincte duximus pręſentibus inſerenda, prout in Archivio Eccleſię, & in Pontificali ordinario continetur, quorum forma talis eſt.

Legatio Cardinalis.

Cum Rex in Imperatorem electus pervenerit ad portam Collinam (12), quę eſt juxta Caſtellum Creſcentii, recipiatur honorifice a Clero Urbis cum Crucibus, & thuribulis, & proceſſionaliter deducatur uſque ad gradus Baſilicę S. Petri, cantantibus univerſis: Ecce mitto Angelum meum &c. Camerariis ejus miſſilia ſpargentibus ante ipſum, & Prefecto Urbis gladium pręferente. Cum autem pervenerit ante Baſilicam in platea, quę Cortina vocatur, dextrandus (13) eſt a Senatoribus uſque ad gradus prędictos, ubi, eo deſcendente tradendus eſt equus, cui Rex inſederat, illis. Interim Summus Pontifex cum omnibus ordinibus ſuis pręparet ſe in Secretario tanquam celebraturus divina, & proceſſionaliter exiens uſque ad ſuggeſtum arcę ſuperioris, quę eſt in capite graduum ſuper faldeſtorium ibi ſedeat, conſidentibus ſuper gradus a parte dextra Epiſcopis & Presbyteris, a ſiniſtra vero Diaconis Cardinalibus; & in proximiori gradu Subdiaconis, & Acolythis, Primicerio & Cantoribus aſtantibus circa illos, cum Magnatibus & Nobilibus, officialibus & miniſterialibus Curię Papalis; Tunc Rex cum Archiepiſcopis, & Principibus, & Magnatibus ſuis aſcendens ad Summum Pontificem, reverenter oſculetur pedes ipſius, & offerens ei aurum, quantum ſibi placuerit, benigne recipiatur ab eo ad oſculum, & amplexum, quo demum ſurgente, Rex ipſe a parte dextera, & Prior Diaconorum a parte ſiniſtra deducant eum uſque in Eccleſiam S. Marię in Turribus: ubi ante Altare, Subdiacono Evangelii textum tenente, Rex ſuper illum corporaliter prętet hujuſmodi juramentum: Ego Henricus, Rex Romanorum, futurus, annuente Domino, Imperator promitto, ſpondeo, & polliceor coram Deo, & Beato Petro, me de cetero protectorem & defenſorem fore Summi Pontificis, & Sanctę Romanę Eccleſię in omnibus neceſſitatibus & utilitatibus ſuis, cuſtodiendo & conſervando poſſeſſiones, honores, & jura ejus, quantum divino fultus adjutorio fuero, ſecundum ſcire, ac poſſe meum, recta & pura fide; ſic me Deus adjuvet, & hęc ſancta, &c.

Solemnes ritus in Imperatoris inauguratione obſervandos deſcribit.

Forma autem juramenti prętiti in Avenione per Procuratores, & Nuncios prędicti Regis Romanorum, tempore ſuę coronationis renovandi; talis eſt. Nos Sifridus Curienſis Epiſcopus, Amadeus (14) Comes Sabaudię, Johannes Dalphinus (15) Viennenſis, & Albonenſis Comes, Guido de Flandria, Johannes Comes de Saraponte, & Simon de Marvilla Theſaurarius Metenſis, Nuncii, & Procuratores ſereniſſimi Principis Henrici Romanorum Regis, habentes ad omnia infraſcripta plenam & generalem, ac liberam poteſtatem, & ſpeciale mandatum ab eodem, prout conſtat per prędictas patentes literas ipſius; Vobis ſanctiſſimo Patri, & Domino, Domino Clementi, Divina providente clementia, Papę V, vice & nomine dicti Domini noſtri Regis, & in animam ipſius promittimus, & juramus per Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, & per hęc ſancta Dei Evangelia, & per hoc Lignum vivificę Crucis, & per has Reliquias Sanctorum, quod nunquam vitam, aut membra, neque ipſum honorem, quem habetis, ſua voluntate, aut ſuo conſenſu, aut ſuo conſilio, aut ſua exhortatione perdetis; & in Roma nullum placitum, aut ordinationem faciet de omnibus, quę ad vos pertinent, aut Romanos, ſine veſtro conſilio, & conſenſu: & quicquid de terra Romanę Eccleſię pervenit ad ipſum, aut perveniet, vobis reddet, quam citius poterit.

Et

Et quandocunque in Lombardiam, & Tuſciam aliquem mittet pro terris, & juribus ſuis gubernandis, quotiens mittet eum, jurare faciat, illum, ut adiutor veſter ſit ad defendendum terram S. Petri, & Romanam Eccleſiam, ſecundum ſuum poſſe. Et, ſi, permittente Domino, dictus Dominus noſter Rex Romam venerit, Sanctam Romanam Eccleſiam, & vos Rectorem ipſius, & ſucceſſores veſtros exaltabit, ſecundum ſuum poſſe. Et cum Romę, vel alibi per vos in Imperatorem coronandus fuerit Dominus noſter Rex prędictus, dictum ſacramentum, & aliud fieri conſuetum ad requiſitionem veſtram tempore coronationis ſuę perſonaliter renovabit. Deinde Summus Pontifex cum ordinibus ſuis ad Altare procedit, & facta ibi oratione ad Sedem aſcendit, Rege cum ſuis tribus Epiſcopis, videlicet Oſtienſi, & Portuenſi, & Albanenſi in Eccleſia S. Marię in Turribus remanente, ubi a Canonicis S. Petri receptus in fratrem Imperialibus induatur inſignibus, dato ipſius pallio camerario Domini Papę, qui pręcedentibus illis Canonicis, & Cantantibus: Petre amas me? &c. cum ad oſtium Baſilicę Principis Apoſtolorum pervenerit, quę porta argentea nuncupatur, deducentibus eum hinc inde Comite Lateranenſis Palatii, & Primicerio Judicum Romanorum, Albanenſis Epiſcopus ante ipſam portam argenteam hanc ſuper eum benedictionem effundat: Deus in cujus manu corda ſunt Regum, &c. Cum autem intra Eccleſiam in medio rotę pervenerit, Portuenſis Epiſcopus hanc orationem ſuper eum decantet: Deus inenarrabilis auctor mundi, &c. Qui cum ad Confeſſionem Beati Petri pervenerit, proſternat ſe pronus in terram, & Prior Diaconorum ſuper eum faciat letaniam, qua finita Prior Presbyterorum dicat orationem Dominicam cum Capitulis iſtis: Salvum fac ſervum tuum Domine. Mitte ei auxilium de Sancto. Domine ſalvum fac Regem. Ac deinde dicat orationem iſtam: Actiones noſtras quęſumus Domine &c. Poſt hęc procedant ad Altare ſancti Mauritii, ubi Oſtienſis Epiſcopus ungat ei de oleo exorcizato brachium dexterum, & inter ſcapulas, hanc orationem dicendo: Domine Deus omnipotens, cuius eſt omnis poteſtas, &c. Item aliam orationem dicat: Deus, Dei Filius, Jeſus Chriſtus &c. His ita peractis, aſcendit Rex ad Altare Beati Petri, ubi Summus Pontifex facta confeſſione recipiat eum ad oſculum ſicut unum ex Diaconibus, ipſeque procedat ad pulpitum, vel ambonem, ubi talamus conſtructus de lignis, & ornatus de palliis debet ei eſſe paratus, cum ſuis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Principibus, & Magnatibus ſecundum capacitatem loci conſiſtat. Primicerius autem, & ſchola Cantorum in choro ante Altare decantent Introitum, & poſt Kyrie Eleiſon, & Hymnum Angelicum decantatum Summus Pontifex dicit orationem pro ipſo Imperatore: Deus regnorum omnium, &c. Item aliam orationem: Suſcipe Domine preces, &c. Item aliam orationem: Deus, qui ad prędicandum, &c. cumque lecta fuerit Epiſtola, & Graduale decantatum, Imperator aſcendat proceſſionaliter ad Altare, ubi Summus Pontifex imponit ei mitram clericalem in capite, ac ſuper mitram imperatorium diadema dicens: Accipe ſignum glorię, &c. Deinde ſceptrum, & pomum aureum tradit ei, & poſt cetera gladium, ita dicens: Accipe gladium ad vindictam, &c. qui coronatus incedens, portet in dextera manu pomum, in ſiniſtra ſceptrum, & ſic ad talamum redeat. Ipſoque ibi cum Principibus ſuis conſiſtente, Prior Subdiaconorum cum Subdiaconibus Romanę curię, & Capellanis aulę Imperialis ad pectorale dextrum ante Crucifixum argenteum laudem Imperatori alta voce decantent hoc modo: Exaudi Chriſte; Scriniarii vero Urbis ſericis cappis induti ante pectorale conſiſtentes, in choro reſpondeant; Domino Henrico invictiſſimo Romanorum Imperatori, & ſemper Auguſto, ſalus, & victoria; qua laude tertio repetita, Prior Subdiaconorum, cum ſuis, tribus vicibus dicat: Salvator mundi; & Scriniarii viciſſim reſpondeant: Tu illum adiuva. Deinde iſte, cum ſuis, duabus vicibus dicat: Sancta Maria: & illi viciſſim reſpondeant: Tu illum adjuva: & ſic deinceps: Sancte Michael, S. Gabriel, S. Raphael, S. Johannes Baptiſta, S. Petre, S. Paule, S. Andrea, S. Stephane, S. Laurenti, S. Vincenti, S. Silveſter, S. Leo, S. Benedicte, S. Baſili, S. Saba, Sancta Agnes, S. Cęcilia, S. Lucia, quibus finitis, iſti bis dicant: Kyrie Eleiſon: & illi viciſſim reſpondeant: Chriſte Eleiſon; ac deinde ſimul omnes: Kyrie Eleiſon. Poſt hęc Evangelio decantato, Imperator corona, & manto, depoſitis, accedat ad Summum Pontificem, & offerat ad pedes eius aurum, quantum ſibi placuerit; ipſoque Pontifice deſcendente pro perficiendis Miſſarum myſteriis ad Altare, Imperator more Subdiaconi offerat ei Calicem, & ampullam, & ſtet ibi donec Pontifex ad Sedem reverſus communicet, ſacramque Communionem de manu ejus ſuſcipiat cum oſculo pacis, & ſic ad talamum rediens in ambone reſumat mantum pariter & coronam. Miſſaque finita, Pontificalem benedictionem reverenter accipiat, & ſtatim procedat ad locum, ubi debet Summus Pontifex equitare: & cum ipſe Pontifex equum aſcenderit, teneat ſtapedium ſellę ejus, & arrepto fręno, aliquantulum ipſum adextret; moxque ſuum equum aſcendens procedat juxta Summum Pontificem uſque ad Eccleſiam S. Marię in Traſpadina (16), ubi dato ſibi oſculo adinvicem, non corde, ſed corpore ſeparentur. Si vero Regina fuerit coronanda, debet ſuper lectorium ex oppoſito talamus pręparari, ubi cum duabus ad minus puellis, & aliquibus ex Principibus Imperii tam Eccleſiaſticis, quam mundanis reſideat: & poſt coronationem Imperatoris deducatur ad Altare ante Summum Pontificem amicta regalibus indumentis: cui Summus Pontifex mitram imponat, ita quod cornua mitrę ſint a dexteris & a ſiniſtris, & ſuper mitram imponat coronam, ita dicendo: Accipe coronam imperialis excellentię, &c. Coronata vero Regina reducatur ad talamum, & poſt Evangelium ducatur ad oblationem Summo Pontifici exhibendam, ſtetque in gradibus juxta abſidiam (17) verſus Altare S. Leonis, donec de manu Summi Pontificis, poſt Imperatorem, ſacram Communionem accipiat; & tunc ad talamum reducta permaneat uſque ad finem Miſſę. Conſuevit autem Imperator larga presbyteria (18) omnibus exhibere, quibus ea, cum coronatur, Summus Pontifex elargitur; videlicet Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis Cardinalibus, Primicerio, & Cantoribus, Subdiaconis, Baſilicariis, & Regionariis, Univerſitati Cleri Romani, Capellanis, & ceteris officialibus, & miniſterialibus Curię; Prętecto Urbis, Senatoribus, Judicibus, Advocatis, & Scriniariis, ac Prętectis navalium. Conſuevit etiam Rex, quando deſcendit de monte Gaudii & venit ad ponticellum, pręſtare hoc juramentum Romanis. Ego Henricus Rex, futurus Imperator, juro, me ſervaturum Romanis bonas conſuetudines ſuas, ſic me Deus adjuvet, & hęc ſancta &c. Quia vero propter noſtram abſentiam nonnulla ſolemnia ex prędictis, perſonam noſtram tangentia, expedit intermitti, volumus atque decernimus, quod non obſtantibus his,

his, quę ſuperius deſcribuntur, in gradibus ſcalarum dictę Baſilicę Principis Apoſtolorum idem Rex Romanorum, ſolemnitate, & honorificentia debitis recipiatur ad oſculum per vos Epiſcopos, & Diaconos Cardinales, ſtantes in ordinibus veſtris, indutos tamen omnes pluvialibus, proceſſionaliter obviantes eidem, cum Subdiaconis, & Acolythis, Primicerio, & Cantoribus, aſtantibus circa vos Magnatibus, & Nobilibus, officialibus, & miniſterialibus aulę noſtrę; Aurum vero, quod Rex in eiſdem gradibus Apoſtolico conſuevit offerre poſt genuflexionem, & deoſculationem pedum, omiſſis illis, quas nulli veſtrum faciat idem Rex, quia ſoli Romano Pontifici competunt, & debentur, in eodem loco per eundem Regem nobis humiliter offeratur ita dicentem: Si ſanctiſſimus Pater Dominus noſter, Dominus Clemens Summus Pontifex eſſet hic pręſens ſibi offerrem aurum iſtud pręſentialiter: ſed propter ejus abſentiam, offero ſibi, vobis Dominis Cardinalibus ejuſdem Domini Papę vice, & nomine, recipientibus aurum iſtud. Quo facto, idem Rex exiſtens in medio veſtrum vobiſcum veniat ad Altare Sanctę Marię in Turribus, & cum ibidem fuerit, publice in veſtri pręſentia, recipientium noſtro & Eccleſię Romanę nomine, pręſtet idem Rex ſacramentum ſuo expreſſo proprio nomine de verbo ad verbum, prout ſuperius continetur. Renovet autem ſacramentum, per Procuratores ſuos pręſtitum ſuę approbationis tempore coram Nobis ſecundum tenorem ſuperius deſcriptum. Et ſi in adventu ſuo in gradibus, ubi eidem obviabitis, renovationem pędictam facere pręeligeret, contentamur. Tu vero, frater Oſtienſis, ut pręmittitur, Miſſam celebres, & Regem pędictum inungas, prout in ordinario continetur. Quod ſi te impediri contingat, hoc tu facias Albanenſis; & ſi ambo impediremini, hoc tu facias Sabinenſis, Epiſcopi. Letanias dicas tu Franciſce, ſi potes, pluviali tamen indutus, quod ſi te impediri contingat, tu Lucas hoc in eodem habitu exequaris; Orationem autem. quam dicere debet Prior Presbyterorum Cardinalium, tu dicas Epiſcope Sabinenſis. Quod ſi te impediri contingat, tu facias Albanenſis: quod ſi ambo impediremini, tu facias Oſtienſis, Epiſcopi. Pręſtito autem in capella pędicta S. Marię in Turribus juramento, omnes remaneatis cum Rege pędicto, pręter illum, qui Miſſarum ſolemnia celebrabit. Tu vero Albanenſis orationem, quę tibi dicenda competit, dicas, loco & tempore debitis. Orationem vero, quam deberet dicere Portuenſis Epiſcopus, ſi adeſſet, dicas tu Sabinenſis; quod ſi te impediri contingat, tu ſuppleas Oſtienſis. Receptio autem ad oſculum inter Diaconos Cardinales poſt confeſſionem in Altari B. Petri factam, quia ſoli Romano Pontifici competit, & concurrit cum oſculo pectoris, omittatur. Vos autem univerſi imponatis mitras ſuo modo Regi, ſuoque Reginę, prout in dicto ordinario de Summo Pontifice continetur; & diademata Regi & Reginę pędictis. Verba vero dicenda in impoſitione Diadematum, ſcilicet: Accipe ſignum glorię: quoad Regem, item, Accipe coronam Imperialis excellentię; quoad Reginam, dicas tu Sabinenſis: licet enim ratione Prioratus hoc tibi non competat; quia tamen in legatione noſtram repręſentas perſonam, hoc per te volumus adimpleri. Verba autem pędicta dicas alte, atque ſonore, ita quod ab aſſiſtentibus audiantur Omnes vero vos alii verba eadem, voce ſubmiſſa dicatis ſic, ut nequaquam audiri poſſitis, ſicut in conſecrationibus Pręlatorum fieri conſuevit per coaſſiſtentes principaliter conſecranti. Verba autem competentia in aſſignatione gladii poſt ſceptrum & pomum aureum, ipſumque gladium per te Albanenſis, ac vos alios tradita, ſcilicet: Accipe gladium ad vindictam malefactorum, &c. Tu idem alta & ſonora voce dicas, & proferas Albanenſis, reliquis ſubmiſſa voce eadem verba dicentibus, prout in verbis impoſitionum mitrarum, & diadematum ſuperius eſt expreſſum. Decantato autem Evangelio, Rex coronandus offerat aurum, quod ad pedes Romani Pontificis conſuevit offerri, ad pedem majoris Altaris, quod vos omnes noſtro recipiatis nomine Cardinales. Cetera vero ſolemnia peragantur cum omni ſolemnitate & honorificentia, prout in Ordinario continentur. Oblatio vero Calicis & ampullę per Imperatorem jam coronatum, decantato Evangelio, corona & manto depoſitis, more Subdiaconi Romano fienda Pontifici, & aſſiſtentia eidem fienda per Imperatorem donec Romanus Pontifex ad Sedem propriam revertatur, quia ſoli Romano Pontifici competunt, omittantur. Idem tamen Imperator, ſi voluerit, ſacram communionem de manu recipiat celebrantis oſculo tamen omiſſo. Quibus peractis, ad talamum rediens in ambone reſumat mantum pariter & coronam. Proceſſus autem ejuſdem Imperatoris ad locum, ubi Summus Pontifex equitare deberet, & detentio ſtapedii ſellę ejus. & arrepto fręno equi, cui Romanus Pontifex inſideret, adextratio, officiique ſtratoris exhibitio, quia ſoli Romano Pontifici competunt, & pręſentiam ipſius exigunt corporalem, omittantur omnino. Reliqua autem ſolemnia, prout exprimuntur in Ordinario, ſolemniter & honorifice compleantur. Quia autem, ut ex pędictis apparet, multę obſervantię, multaque ſolemnia, multęque reverentię & honorificentię, Romano Pontifici competentia, propter noſtram abſentiam omittuntur, proteſtamur & volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, nullum ex hoc juris, vel facti, Romanę Eccleſię, ac nobis, noſtriſque ſucceſſoribus pręjudicium generari, quin cum caſus Regis Romanorum in Imperatorem coronandi occurreret, omnia exhibeantur, & fiant per coronandos Romanis Pontificibus; ſicut in forma, quę in Archivio Eccleſię, & Pontificali Ordinario continetur ſuperius deſcripta, ſerioſius eſt expreſſum. Ad ejuſdem autem Eccleſię Romanę, noſtram, & ſucceſſorum noſtrorum conſervationem juris atque cautelam, volumus per vos ab eodem tam Rege coronando, quam Imperatore coronato, expreſſe his noſtris proteſtationi & decreto conſentiente, recipi patentes literas quadruplicatas, de verbo ad verbum tenorem pręſentium continentes, ſuo regali primum ſigillo, ac poſtmodum ſua Imperiali Bulla aurea communitas: quas vos Albanenſis, Oſtienſis, & Lucas, duo, aut alter veſtrum Nobis, aut camerę noſtrę fideliter aſſignetis. Datum in Prioratu de Grauſello prope Malauſanam, Vaſionenſis Diœceſis, XIII Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Delegantur.*) Conſulendus *Odoricus ad an. MCCCXI num. VII.*

2. *Arnaldo.*) *De Falgueriis*, natione Gallo. Adeas *Oldoinum* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCV pag.* 379, & 380, ubi de hac inauguratione *Henrici* diſſerit.

3. *Leonardo.*) *Patraſſo de Guerrino*, cujus mentio apud *Ciaconium* mox laudatum, *pag.* 333 *ad an. MCCXCIV.*

4. *Nicolao.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI.*

5. *Franciſco.*) *Urſino*. Legendus *Ciaconius ad annum MCCXCIV pag.* 323.

6. Lu-

6. *Lata.*) *Fliſco*, ex Comitibus *Lavaniæ*. Meminit *Ciaconius ad annum MCCXCIV pag. 331.*
7. *Celebratam.*) Anno MCCCVIII *in feſto S. Catharinæ electores Regni Alemanniæ Regis convenerunt in Frankfurt*, verba ſunt *Bernardi Guidonis* in Chronicis Romanorum Pontificum; *& elegerunt in concordia Comitem Lucemburgenſem, Henricum nomine, in Regem Alemanniæ, & Romanorum.*
8. *Alamaniæ.*) *Alemanniæ.*
9. *Concilium.*) *Viennenſe.*
10. *Salernitanum.*) In Regno *Neapolitano.*
11. *Petragoricenſem.*) *Petrogoricenſem*, & *Petrocoricenſem*, vulgo *Perigueux*, in *Gallia Aquitanica.*
12. *Collinam.*) Alias *Agonenſis*, tum *Collina*, deio *Quirinalis*, dicta fuit hæc Porta; nunc *Salaria*, vulgo *Porta Salara*, nuncupatur.
13. *Dextrandus.*) *Dextrare*, eſt a dextris incedere.
14. *Amadeus.*) *Amedeas Magnus*, hujus nominis *V.*
15. *Johannes Dalphinus.*) Hujus nominis *II.*
16. *Tranſpadina.*) *Tranſpontina*, ut monet *Odoricus.*
17. *Abſidiam.*) Ex eodem legendum: *Abſidem*; nec placet; *Abſidia* ſiquidem eſt Ædis ſacræ pars interior in qua Altare collocatur. Quid autem ſit *Abſis*, me fugit. Fortaſſis ſcribendum voluit *Abſidem*, vel *Apſidem*, vulgo *Volta* ex Græco ἀψὶς.
18. *Presbyteria.*) Id eſt *Donativa.*

Anno 1311 Die 22 Junii.

F. Nicolaus (1) Oſtienſis Epiſcopus delegatur ad ſacramentum exigendum ab Henrico Romanorum Rege.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXI num. XIX.

X. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Henrico Regi Romanorum illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN humilitatis ſpiritu, quę virtutum comprobatur origo, ſicut matris Eccleſię filius a Domino benedictus, tuę devotionis, ac fidei zelum, nobis, & ipſi Eccleſię dudum offerens reverenter, juramentum, quod tenor infra ſcriptarum literarum tuo pendenti munitarum ſigillo, continet ſerioſe, olim in manibus dilecti filii Magiſtri de Molans Schnlaſtici Tulleuſis, Capellani noſtri, de mandato per Nos ei facto, noſtro, Eccleſię prędictę, & Apoſtolicę Sedis nomine recipientis, per te ſacroſanctis Evangeliis, ſicut per eaſdem literas plene conſtat, tactis corporaliter, preſtitiſti; promittens, teque firmiter obligans cum omni efficacia & effectu, quod poſt Imperialis diadematis a te coronationem ſuſceptam omnia in juramento, & literis contenta prędictis, ratificares, confirmares, recognoſceres, faceres, ſervares, atque jurares; & de his omnibus infra octo dies poſt coronationem hujuſmodi ad perpetuam rei memoriam, ac noſtram, & ſucceſſorum noſtrorum, & Eccleſię, ac Sedis prędictorum ſecuritatem atque cautelam patentes quadruplicatas, Imperialis majeſtatis typario communitas, concedens literas, hujuſmodi literarum tuarum ſeriem continentes. Quare magnificentiam regiam paterno rogamus, & hortamur affectu, quatenus, ut devntionis, & fidei, ac reverentię fervorem hujuſmodi cum tuę promotionis & exaltationis augmento per clara tuę celſitudinis geſta erga nos, & pręfatam Eccleſiam creviſſe demonſtres, in manibus venerabilium fratrum noſtrorum Arnaldi Sabinenſis Legati, & Nicolai Oſtienſis, Epiſenporum, Nuncii Apoſtolicę Sedis, vel alterius eorundem, quos ad tui preſentiam duximus deſtinandos, quibuſve, & cuilibet eorundem in ſolidum juramenti, & aliorum prędictorum omnium, & ſingulorum receptionem per noſtras literas (3) ſpeciales commiſimus, poſt ſuſceptum per te, ut premittitur, ipſius Imperii diadema omnia in juramento & literis contenta prędictis ratifices, confirmes, recognoſcas, facias, ſerves, ac preſtes de novo ſimile juramentum, nobiſque ſuper his omnibus & ſingulis, juxta tuam promiſſionem, & obligationem eaſdem, prędictas literas quadruplicatas ejuſdem Imperiales majeſtatis typario communitas, in eis tenore prędictarum tuarum literarum inſerto, concedas; illaſque nobis per eoſdem Epiſcopos, vel alterum eorundem tranſmittas, &c (4). Datum in Prioratu de Grauſello prope Malauſanam, Vaſionenſis (5) Dieceſis, X Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Legatio.

1. *Nicolaus.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCXI num. XIX.* Legendum etiam præcedens Diploma.
2. *Odorico.*) Ex *Epiſtola Commun. DCCLIII Libri VI Clementis V.*
3. *Literas.*) De quibus *Odoricus* loco laudato, *num. XXI.*
4. *Tranſmittas &c.*) *Adnexæ ſunt*, inquit *Odoricus* num. XX, *literæ Regis Romanorum ad Clementem datæ, quæ his verbis dantur exordium*: Ferventi deſiderio &c. *quas cum nos ſuperius ediderimus*, verba ſunt Odorici, *ſupervacaneum foret iterum exſcribere. Addemus tantummodo adſcriptum in iis diem, quæ in altero Regeſto non extabat:* Datum Lauſanæ V Idus Octobris anno Domini MCCCX, Regni vero noſtri anno Secundo.
5. *Vaſionenſis.*) Vulgo *Vaiſon*, in *Comitatu Vindaxino.*

Anno 1311 Die 8 Septembris.

Cœnobii Viennenſis (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati S. Petri foras Portam Viennen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. PIa devotorum Chriſti fidelium deſideria in his potiſſimum, quę divini cultus augmentum, & ſalutem animarum reſpiciunt, libenter Apoſtolico favore proſequimur, eiſque benignum impertimur aſſenſum. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Conſulum, & communis Civitatis

Supplex petitio. Viennen., petitio continebat, qund ioſi gerentes ad Ordinem Fratrum Prędicatorum ſpecialis devotionis affectum, ac attendentes, quod in dicta Civitate, & Dieceſi Viennenſi, non eſt aliquis locus Fratrum eorundem, & quod in dicta Civitate, videlicet in Eccleſia B. M. Virginis ultra pontem Gerię dictę Civitatis, & juxta Eccleſiam ipſam, locus ad hoc aptus, idoneus, competens, & habilis exiſtat, ad honorem, & laudem Dei, & ejuſdem Beatę Marię ejus Matris, in eodem loco juxta Eccleſiam prędictam, quę ſine cura eſt, ejuſque collatio, & jus Patronatus ad Abbatem Monaſterii S. Andreę Viennen. Ordinis S. Benedicti pro tempore exiſtentem, pertinere noſcuntur, unum locum ad uſum tredecim Fratrum dicti Ordinis

Fra-

Fratrum Prędicatorum, conſtruere, & ędificare proponunt. Quare pro parte dictorum Conſulum, & Communis Civitatis, Nobis extitit ſupplicatum humiliter, ut cum ipſi parati exiſtant dicto Abbati, & dilectis filiis Priori Monaſterii, ac etiam Rectori Eccleſię, prędictorum pro dicta Eccleſia recompenſationem facere condecentem, Eccleſiam ipſam uniri, ac prę̨fatis Conſulibus, & Communi, locum hujuſmodi cum Eccleſia, Campanili, & Campana, ac Cęmeterio, Domibus, & aliis officinis neceſſariis in Loco, & Eccleſia prędictis conſtruendi, & ędificandi, concedi licentiam, de benignitate Apoſtolica mandaremus. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi ad id Abbatis, & Conventus, ac Rectoris prędictorum acceſſerit aſſenſus, eiſdem Conſulibus, & Communi, Locum hujuſmodi in loco prę̨fato juxta eandem Eccleſiam, ac in ipſa Eccleſia, Campanili. Campana, Cęmeterio, Domibus, & aliis officinis prędictis, dummodo ipſe ad hoc congruus, & honeſtus exiſtat, conſtruendi, ędificandi, eiſdem Fratribus locum ipſum recipiendi, & inibi in Domino laudabiliter commorandi, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſalvo, auctoritate Apoſtolica, licentiam largiaris; & nihilominus dictam Eccleſiam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis facta primitus eiſdem Abbati, & Rectori per eoſdem Conſules, & Commune recompenſatione decenti eidem Loco, poſtquam iidem Fratres ipſum receperint, auctoritate prędicta, in perpetuum incorpores, unias, & annectas; Itaquod liceat ex tunc eiſdem Fratribus corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum recipere perpetuo, & tenere, & nonnulla alia neceſſaria facere, & conſtruere, juxta mores, regulam, Conſtitutiones, & Privilegia Ordinis Fratrum Prędicatorum, antedicti Dięceſani Loci, & cujuſcunque alterius licentia minime requiſita; non obſtantibus fel. rec. Bonifatii PP. Octavi Prędeceſſoris noſtri Literis, quibus prohibetur, ne hujuſmodi Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu Loco, ad inhabitandum, Domus, ſeu Loca quęcunque, de novo recipere prę̨ſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de hujuſmodi inhibitione mentionem; & aliis quibuslibet Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis contrariis, juramento, confirmatione, vel quacunque firmitate alia roboratis; Aut ſi aliqui, ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Eccleſiis, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarunt, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ad prę̨fatam Eccleſiam, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Eccleſiarum, & beneficiorum aliorum, prę̨judicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & Literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę prę̨ſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeant quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; Proviſo quod dicta Eccleſia debitis obſequiis non fraudetur; Nos enim irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; Et inſuper prę̨fatis Fratribus, eadem auctoritate concedas, quod ipſa Eccleſia, & Locus, omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, & immunitatibus perpetuo gaudeant, & utantur, quibus alii Fratres, ac loca, ſeu Domus dicti Ordinis, gaudent pariter, & utuntur. Dat. apud Caſtrum novum Avenionenſe VI Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Facultas conceſſa.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

1. *Viennen.*) In *Delphinatu*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

Monaſterium Piſciacenſe (1) Privilegiis Ordinis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Anno 1312 Die 8 Aprilis.

XII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii Sancti Ludovici de Piſciaco, Carnotenſis (3) Dięceſis, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus (4) Rex Francorum illuſtris, Monaſterii veſtri Fundator, nobis expoſuit, vos incluſę corpore in caſtris clauſtralibus, mente tamen libera devote Domino famulantes, Ordini Fratrum Prędicatorum, ſitis Apoſtolica auctoritate unitę, dictique Ordinis Inſtituta laudabiliter obſervetis, ſub eorundem Fratrum cura, & adminiſtratione viventes; Nos propter hoc, & obtentu prędicti Regis, Nobis ſuper hoc cum inſtantia ſupplicantis, volentes vos apoſtolicis communire prę̨ſidiis, ac favoribus proſequi gratioſis, ejuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, auctoritate vobis prę̨ſentium indulgemus, ut omnibus privilegiis Ordini prędicto conceſſis, & in poſterum concedendis, vobis competentibus, gaudere, & uti libere valeatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prę̨ſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Viennę VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Supplex Regis petitio.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Piſciacenſe.*) Vulgo *Poiſſy*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi*.
3. *Carnotenſis.*) Vulgo *Chartres*.
4. *Philippus.*) Hujus nominis *IV*, *Pulcher* nuncupatus.

Anno 1312 Die 8 Aprilis.

De numero Monialium Monaſterii Piſciacenſis (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus, Monaſterii Sancti Ludovici de Piſciaco, Carnotenſis Dięceſis, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. DIgnum eſt, ut in Eccleſiis & Monaſteriis determinatus perſonarum Domino ſervientium numerus habeatur, ne proviſione careat ſuperflua multitudo, vel ex paucitate dignum Deo ſervitium ſubtrahatur. Hinc eſt, quod nos cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Francię illuſtris, veſtri Monaſterii fundatoris, nobis ſuper hoc cum inſtantiâ ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, pręſentium vobis auctoritate concedimus, ut nulla Soror in eodem Monaſterio recipi valeat ultra Sororum numerum, quem (Supplex Regis petitio.) idem Rex in dicto Monaſterio, illius penſatis facultatibus, duxerit ſtatuendum, niſi adeo ipſius Monaſterii facultates excreſcerent, quod illum merito exigerent augmentari, auctoritate Sedis Apoſtolicę ſemper ſalva; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hoc a quoquam contigerit attentari. (Mandatum.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, (Sanctio pœnalis.) & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Viennę VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Piſciacenſis*.) Ut in præcedenti Diplomate.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi*.

Anno 1312 Die 8 Aprilis.

Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Ædes ſacras Monaſterii Piſciacenſis (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. VIte perennis gloria, qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium ſupernorum, ac redemptis pretio Sanguinis fuſi de pretioſo corpore Redemptoris meritorum debet acquiri virtute; Inter quę illud eſſe pręgrande dignoſcitur, quod ubique, ſed pręcipue in Sanctorum Eccleſiis Majeſtas Altiſſimi collaudetur. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Sancti Ludovici de Piſciaco, Carnotenſis Dięceſis, in quo Prioriſſę ac Sorores ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes exiſtunt, cujuſque cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francię illuſtris fundator exiſtit, congruis honoribus frequentetur, & fidelium populus eo concurrat devotius ad eandem, quo ibidem potiora ſalutis ſuę munera ſe ſperaverint adipiſci, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, ac hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum ſuadentes, quatenus ad Eccleſiam ipſam, imploraturi a Domino veniam delictorum, in humilitatis ſpiritu accedatis. Nos enim ut Chriſti fideles quaſi per prœmia ſalubriter invitemus ad merita, de omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad prędictam Eccleſiam in ſingulis Nativitatis, ac Reſurrectionis Domini, Beatę Marię Virginis, ejuſdem Sancti Ludovici, Sancti Dominici Confeſſoris, ac Sancti Petri Martyris feſtivitatibus, ac in Paraſceve, ac Dedicationis ipſius Eccleſię, cum eam dedicari contigerit, ac anniverſario Dedicationis ejuſdem diebus unum (Indulgentiæ.) annum, & quadraginta dies, per octo vero dies feſtivitates ipſas immediate ſequentes cauſa devotionis acceſſerint annuatim centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Viennę VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Piſciacenſis*.) Conſulenda *Conſtitutio XII*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi*.

Anno 1312 Die 8 Aprilis.

Ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui Dedicationi Templi Piſciacenſis (1) Monaſterii interfuerint Chriſti fideles Indulgentiis donent.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes, ut Eccleſia Monaſterii Sancti Ludovici de Piſciaco, Carnotenſis Dięceſis, in quo Prioriſſa, & Sorores ſecundum inſtituta ac ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes, habentur, cujuſque cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francię illuſtris fundator exiſtit, congruis honoribus frequentetur, ac piis ejuſdem Regis votis in hac parte benignius annuentes, ſingulis veſtrum, (Conceſſio.) etiam ſi de alienis exiſtatis quibuſcunque Provinciis, qui ſolemnitati Dedicationis ejuſdem Eccleſię, quę nondum dedicata exiſtit, pro eo quod idem Monaſterium eſt novella plantatio, cum dedicatio ipſa fiet,

fiet, intereſſe contigerit, quod omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad prędictam Eccleſiam in die Dedicationis prędictę, ac deinde annuatim in ſingulis Nativitatis, & Reſurrectionis Domini, Beatę Marię Virginis, ejuſdem Sancti Ludovici, Sancti Dominici Confeſſoris, & Sancti Petri Martyris feſtivitatibus, ac in Paraſceve, & prędictę Dedicationis anniverſario, diebus, cauſa devotionis acceſſerint, unius anni, & quadraginta dierum Indulgentiam de injunctis ſibi pęnitentiis concedere valeant .... plenam concedimus, tenore pręſentium, facultatem. Datum Viennę, VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri anno Septimo.

1. *Piſciacenſis.*) De quo in *Conſtitutione XII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi.*

Ne quis Sorores Piſciacenſes (1) moleſtiis afficiat.

Anno 1313 Die 12 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati (3) Monaſterii Sancti Dionyſii in Francia, Pariſienſis Dięceſis, & Decano Eccleſię Carnotenſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SUb Religionis habitu vacantibus ſtudio pię vitę ita debemus eſſe propitii, ut in divinis beneplacitis exequendis malignorum non poſſint obſtaculis impediri. Cum itaque dilectę in Chriſto filię Prioriſſa & Sorores Monaſterii Sancti Ludovici de Piſciaco, Carnotenſis Dięceſis, ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes, a nonnullis, ſicut accepimus, qui nomen Domini in vacuum recipere non formidant, multipliciter moleſtentur: Nos pręſertim conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Philippi Regis Francię illuſtris, dicti Monaſterii fundatoris, nobis ſuper hoc ſupplicantis, volentes earundem Priorię, & Sororum providere quieti, & moleſtatorum ipſorum malitiis obviare, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, eaſdem Prioriſſam & Sorores pro noſtra, & Apoſtolicę Sedis reverentia, favoris opportuni prędidio proſequentes, non permittatis, ipſas in perſonis & bonis earum, contra Indulta privilegiorum Sedis prędictę, ab aliquibus indebite moleſtari; moleſtatores hujuſmodi, quicunque, & cujuſcunque Religionis, conditionis, aut ſtatus, exiſtant, etiam ſi Pontificali pręfulgeant dignitate, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii PP. Octavi, Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne cum actor, & reus fuerint ejuſdem Civitatis, vel Dięceſis, aliquis eorum extra ipſas, niſi in certis caſibus, ad judicium evocetur, & alia, ne conſervatores a Sede deputati prędicta extra Civitates, & Dięceſes, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis, vices ſuas committere, aut aliquos extra unam dietam a fine Dięceſis eorundem, trahere pręſumant, quodque poteſtas, & juriſdictio conſervatorum quoad non cepta negotia per obitum concedentis expiret, quam de duabus dietis in Concilio Generali, & aliis quibuſcunque Conſtitutionibus ab eodem Bonifatio, vel aliis Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus ſuper hoc in contrarium editis, dummodo ultra tertiam, vel quartam dietam aliquis extra ſuam Dięceſim auctoritate pręſentium non trahatur; ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a prędicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam de indulto hujuſmodi, eorumque perſonis, locis, vel Ordinibus, mentionem, ſeu qualibet alia indulgentia dictę Sedis generali, vel ſpeciali, per quam veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri. Ceterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod a data pręſentium ſit vobis, & unicuique veſtrum in premiſſis omnibus, & ſingulis perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut in eo vigore, iiſque firmitate, poſſitis auctoritate prędicta in prędictis omnibus, & pro prędictis procedere, ac ſi veſtra juriſdictio in iis omnibus ac ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet. Datum Billuvite Avenionen. Dięceſis (4) II Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Cavet ut ſupra

Clauſula derogans.

1. *Piſciacenſes.*) Legenda *Conſtitutio XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi.*
3. *Abbati.*) Ordinis Sancti *Benedicti.*
4. *Billuvite Avenionen. Diœceſis.*) Sic Amanuenſis: Legendum: *Villanova.* Urbs eſt e regione *Avenionis* ſita, vulgo *Villeneuſve d'Avignon* nuncupata.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Clemente V Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALES.

Anno 1305. F. Thomas de Jorz, Anglus, S. R. E. Cardinalis tituli S. Sabinæ. *Bernardus Guidonis in Indice Cardinalium. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCV pag* 374. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XI pag.* 20. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCV num. XIV. Spondanus ad an. MCCCIV num. VIII. Cavalerius Tomo II num. XI pag.* 192. *Echard Tomo I ad an. MCCCX pag.* 508. *Trivetus in Annal. ad an. MCCCV.* Ejuſdem meminere *Pitſeus, Baleus, Laurentius Pignon, Ludovicus a Valleoleti, Luſitanus*, aliique, qui variis agnominibus *Thomam* noſtrum donant, appellitantes ipſum *Jorge, Jorgium, Joyce, Joſſium &c.*

Anno 1305. F. Nicolaus de Freauville, Gallus, ab Italis Farinola, & de *Francavilla* nuncupatus, S. R. E. Cardinalis tituli S. Euſebii. *Bernardus Guidonis in Indice Cardinalium. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCV pag.* 375. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCV num. XIV. Spondanus ad an. MCCCIV num. VIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XII pag.* 21. *Cavalerius Tomo II pag.* 193 *num. XII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXIV pag.* 555.

Anno 1312. F. Guillelmus, Petri de Godino, Gallus, S. R. E. Cardinalis tituli S. Cæciliæ, dein a Johanne XXII Sabinenſis Epiſcopus, & Legatus a Latere creatus. *Bernardus Guidonis in Indice Cardinal. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCV pag.* 384. *Ughellus in Epiſcop. Sabinen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 173. *Cavalerius Tomo II pag.* 195 *num. XIII, & Tomo I pag.* 111 *num. XCII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XIII pag.* 21. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXXVI pag.* 592. Ille eſt quem *Willermum de Godivo*, vel *Godivum* vocant nonnulli.

PATRIARCHÆ.

Anno 1308. F. Ægidius Ferrarien. ex Patriarcha Gradenſi, ut ad annum MCCXCV videre eſt, Patriarcha Alexandrinus. *F. Carolus a Sancto Vincentio in Chronologia Miſſionum pag.* 93 *Tomo I Menſis Septembris An. Dominican. Cavalerius Tomo I pag.* 75 *num.* 237, *aliique Scriptores laudati in Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII.* Adeas *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. II pag.* 44, ubi laudat *Ughellum*, & *Mſs. Archivi Ordinis.*

Anno 1311. F. Iſnardus Tacconus, ex Archiepiſcopo Thebano, ut infra dicetur, Patriarcha Antiochenus. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Græciæ. Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1101 *ex Regeſto Vaticano, & ex S. Antonino. Fontana Theatro Dominican. Parte I Cap. III Tit. III pag.* 45. *Cavalerius Tomo I pag.* 98 *num. LIII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXXIX pag.* 565. *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXX num. I, & ad an. MCCCXXV num. VII. Luſitanus in Chronicis ad an. MCCCXX. Altamura in Bibliotheca Dominicana ad an. MCCCXIX.*

Anno 1313. F. Paulus Gualducci de Pilaſtris, Patriarcha Gradenſis. *Ughellus Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 1146 *Edit. II ex Regeſto Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. VI pag.* 48. *Cavalerius Tomo I pag.* 73 *num. CCXXXI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXIII pag.* 521. A nonnullis *Petrus* nuncupatur.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1305. F. Landulphus, vel Rodulphus, ex Epiſcopo Vicoæquenſi, ut in *Appendice ad Bonifatium VIII* dictum eſt, Archiepiſcopus Acheruntinus, & Materanus, in Regno Neapolitano. *Ughellus Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 44 *Edit. II, ex Regeſto Vatican.* Citat Epiſtolam *CCCXXII* datam *II* Idus Auguſti Pontificatus *Clementis V* anno Primo, Chriſti *MCCCV*, non vero *MCCCVI*, ut *Ughelli* librarius ſcripſit. Conſulendi *Cavalerius*, ceterique Scriptores laudati in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII.*

Anno 1306. F. Gualterus de Jorz, Archiepiſcopus Armachanus, in Hibernia. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Hiberniæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VIII pag.* 54. *Cavalerius Tomo I pag.* 77 *num. CCXLIII.*

Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCXI pag. 513, ubi varios auctores de *Gualtero* noſtro loquentes laudat.

F. Andreas Hungarus, Archiepiſcopus Antibarenſis, *Antivari*, in Dalmatia. *Cavalerius Tomo I pag.* 71 Anno 1306.
num. CCXXIV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Archiepiſcopor. pag. 27 *col. I*, quibus præivit *Bernardus Guidonis* auctor æqualis, cujus hæc verba in Epiſcopis Provinciæ Hungariæ. *Frater Andreas Ungarus Archiepiſcopus Antibarenſis factus per Dominum Clementem Papam V Anno Domini MCCCVI circa Feſtum omnium Sanctorum Burdegalis in Curia, ubi erat pro Canonizatione Sanctæ Margaretæ* (Ordinis Prædicatorum,) *filiæ quondam Regis Ungariæ, nomine Bellæ, obtinenda, miſſus a Rege Ungariæ procurator, cujus in hac parte cooperatus eſt interventus.* Hinc emendandi *Ferrarius de Rebus Hungar. Provinciæ Parte III Lib. I Cap. IV pag.* 403, *Leander Albertus de Viris illuſtribus*, *Plodius*, *Fontana Theatro Dominican. Parte I Cap IV Tit. IV pag.* 52, *Monumen. Dominican. Parte I Cap. XI ad an. MCCCIII*, *& Cap. XII ad an. MCCCX*, *Olmeda*, aliique qui *Andream* noſtrum ab *Hungariæ* Rege ad *Clementem V*, pro Canonizatione *B. Margaritæ* hoc anno legatum, *Antillarenſem*, *Antilianenſem*, & *Ancoliarenſem* Archiepiſcopum creant. Et ſane, uti notat *Cavalerius* qui eos excipit *Tomo I pag.* 73 *num. CCXXXII*, ubinam ſit hæc *Antiliarenſis* Sedes, nullus ex his Scriptoribus docet.

F. Roſtangus de Candola, ex Epiſcopo Sidonienſi, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Naupactenſis, in Achaja. *Bernardus Guidonis*. *Cavalerius Tomo I pag* 70 *num. CCXXI. Taegius in Monumentis Ordinis*. *Olmeda*, *Plodius*, *S. Antoninus*, *& Luſitanus*, quos laudat *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXVIII pag.* 91. Anno 1307.

F. . . . . . . Archiepiſcopus Hidruntinus, *Otranto*, in Regno Neapolitano. *Bernardus Guidonis* apud *Souegium in Anno Dominicano Tomo I Menſis Julii in Præfat. num. L. Cavalerius Tomo I pag.* 65 *num. CCI.* Circa Annum 1307.

F. Martinus Bononienſis, Archiepiſcopus Armachanus, in Hibernia. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Hiberniæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VII pagina* 54, *& Monumen. Dominican. Parte I Cap. VI ad annum MCCLXX pag.* 99. *Cavalerius Tomo I pag.* 80 *num. CCLIV*, ubi laudat *S. Antoninum*, & *Luſitanum*. De Anno inter Auctores non convenit. Anno 1307.

F. Iſnardus Tacconus, Archiepiſcopus Thebanus, in Bœotia, regione Achaiæ, ad Iſmenum flumen. Anno 1308.
Bernardus Guidonis, *Cavalerius*, ceterique hac in *Appendice* laudati ubi de Patriarchis dictum eſt. Conſulendi *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXV num. VII*, *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXIX pag.* 565, & *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. II pag.* 45, *ac Cap. IV Tit. CII pag.* 104. Ceterum licet multiplex ſit *Thebana* Metropolis, in *Ægypto*, ſcilicet, in *Theſſalia* ad ſinum *Maliacum*, & in *Bœotia*, in iſta tamen, *Bœotiana* ſcilicet, ſediſſe *Iſnardum* communis eſt opinio.

F. Robertus, Archiepiſcopus Acheruntinus, & Materanus, in Regno Neapolitano. *Ughellus Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 44 *ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. I pag.* 50, *Cavalerius Tomo I pag.* 108 *num. LXXXV.* Anno 1308.

F. Otto, ſeu Odo, Piſanus, ex Epiſcopo Polano, ut in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII* dictum eſt, Archiepiſcopus Arborenſis, in Sardinia, *Cavalerius*, ceterique, de quibus in *Appendice* mox laudata. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VI pag.* 54 *ex Ughello*. Idem poſtea Archiepiſcopus *Piſanus* fuit, ut mox dicetur. Anno 1308.

F. Johannes de Polo, ex Archiepiſcopo Piſano, ut in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII*, dictum eſt, Archiepiſcopus Nicoſienſis, in Regno Cypri. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXIX pag.* 91. *Cavalerius*, ceterique laudati in *Appendice* mox citata. Anno 1312.

F. Johannes de Podio, Condomenſis, Archiepiſcopus Ebredunenſis, in Delphinatu. *Cavalerius Tomo I pag.* 73 *num. CCXXIX*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLIII pag.* 74, *ex Gallia Chriſtiana*, *& Olmeda*. Anno 1312.

F. Otto, ſeu Odo, Piſanus, ex Archiepiſcopo Arborenſi, ut mox dictum fuit, Archiepiſcopus Piſanus. *Ughellus in Archiepiſcopis Piſanis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 446, & *Tomo I in Epiſcopis Caſinen. pag.* 575 *Edit. II*, ubi etiam inter Epiſcopos *Caſinenſes* ipſum recenſet. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Adeas *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXV pag.* 93. Anno 1312.

F. Ni-

Anno 1312. F. Nicolaus de Setia, alumnus Romanæ Provinciæ, Archiepiſcopus Jaderenſis, Italis *Zara*, Slavis *Zadar*, in Illyrico. *Cavalerius Tomo I pag. 85 num. IX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LI pag. 79, ex Ughello, Ferrario, & Plodio*. Notandum quod *Ferrarius* & *Plodius* non loquuntur de *Nicolao de Setia*, ſed de *Nicolao Sozenſi*, qui *Ughello* & *Fontana* teſtibus, ſucceſſit *Nicolao de Setia*, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* dicetur.

Anno 1313. F. Rolandus de Jorz, Archiepiſcopus Armachanus, in Hibernia. *Cavalerius Tomo I pag. 85 num. XII*, ex *Souegio*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Archiepiſcopor. pag. 27 col. II.*

EPISCOPI.

Anno 1305. F. Wolfangus de Eſtumbergo, Epiſcopus Bambergenſis, in Franconiæ Circulo, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Cavalerius Tomo I pag. 84 num. V. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXIV pag. 37, ex Plodio*.

Anno 1305. F. Roſtangus, oriundus e nobili familia de Candole, quæ nunc etiam floret Maſſiliæ, Provinciæ Provinciæ, & Conventus Maſſilienſis alumnus, Primus Tolonenſis Cœnobii Prior, Epiſcopus Sidonienſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Terræ Sanctæ. Cavalerius Tomo I pag. 70 num. CCXXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLVIII pag. 295, ex Taegio, & Olmeda*. Idem Archiepiſcopus *Naupactenſis* fuit, ut hac in *Appendice* dictum fuit.

Anno 1305. F. Thomas Rawiſau, Epiſcopus Bajocenſis, *Bajeux*. ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi, in Normannia. *Cavalerius Tomo I pag. 67 num CCX, ex Plodio. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXI pag. 136* recenſet *Thomam*, quem *Ruuiſac* appellat, inter Epiſcopos *Bajonenſes*, vulgo *Bayonne*, in *Aquitania*, ſub Archiepiſcopo *Auxitano*.

Anno 1305. F. Ademarus Fabri, Epiſcopus Gebennenſis, ſeu Genevenſis, *Genevra*, in finibus Sabaudiæ, ſub Archiepiſcopo Viennenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 64 num. CXCVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLX pag. 196, ex Gallia Chriſtiana, & Regeſtis Vaticanis*.

Circa Annum 1305. F. Stephanus Cyprius, Epiſcopus Lambeſcenſis, *Lambeſca*, in Numidia Provincia Africæ. *Cavalerius Tomo I pag. 64 num. CXCVIII, ex Plodio in Appendice ad Secundam Partem. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXV pag. 213, ex Fernandez*.

Circa Annum 1306. F. Guarinus patria Ebroicenſis, & ejuſdem nominis Cœnobii alumnus, Epiſcopus Sagienſis, *Seez*, in Neuſtria, ſeu Normannia, vulgo *Normandie*, ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 22*, ubi queritur, quod a noſtris *Cenomanenſis*, & Epiſcopus *Sagonenſis* dicatur; ſed hallucinatur vir eruditus; *Guarinus* enim iſte diſtinguendus eſt ab alio, de quo mox dicetur. Unus enim fuit Ebroicenſis, alius patria *Cenomanenſis*; unus in *Corſica*, alter eodem tempore ſedebat in *Galliis*, ut ex *Monumentis Conventus Ebroicenſis*, & Auctoribus mox laudandis conſtat.

Anno 1306. F. Petrus de Andria, Epiſcopus Vicoæquenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Surrentino. *Ughellus in Epiſcopis Vicoæquen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag. 632 Edit. II ex Regeſt. Vatican. Epiſt. CCCXCIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXIV pag 323. Cavalerius Tomo I pag. 77 num. CCXLIV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXVI pag. 532.*

Anno 1306. F. Fazius, ſeu Bonifatius, ex Epiſcopo Sagonenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII* dictum eſt, Epiſcopus Chironenſis, in Inſula Cretenſi, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Ughellus in Epiſcop. Sagonen. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 516 ex Regeſt. Vatican. Cavalerius Tomo I pag. 65 num. CC. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXIX pag. 169, ex Monumentis Cœnobii Piſani, & Plodio*.

Anno 1306. F. Guarinus, Garinus, vel Gavinus, patria Cenomanenſis, Epiſcopus Sagonenſis, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. *Bernardus Guidonis*, auctor æqualis, cujus hæc verba in Epiſcopis Marchiæ Januenſis: *Frater Garinus Cenomanenſis, Gallicus, fuit factus Epiſcopus Sagonenſis in Curſica* (Corſica) *per Dominum Clementem Papam V in Lugduno Anno Domini MCCCVI. Ughellus in Epiſcop. Sagonen. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 516 ex Regeſt. Vatican. Epiſt. XIII fol. 15. Cavalerius Tomo I pag. 91 num. XXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DIII pag. 281.*

F. Roge-

F. Rogerius de Caſoie, Epiſcopus Senenſis, in Hetruria. Nunc Metropolis eſt hæc Eccleſia. *Ughellus in Epiſcopis Senen. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 562 Edit. II*, *ex Regeſto Vaticano*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXIX pag.* 99. *Cavalerius Tomo I pag.* 83 *num. II*, Fratrem *Rogerium* Summi Pontificis *Clementis V* Vicarium *Romæ* fuiſſe, docent auctores mox laudati. Anno 1307.

F. Alfonſus Hiſpanus, Epiſcopus Civitatenſis, ſeu Civitatis Roderici, vulgo *Ciudad Rodrigo*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Cavalerius Tomo I pag.* 66 *num. CCVI*, *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXXIII pag.* 172 *ex Fernandez*. Circa Annum 1307.

F. Johannes Servando, Hiſpanus, Epiſcopus Lucenſis, *Lugo*, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, in Hiſpania. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Hiſpaniæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 66 *num. CCV*. Is ipſe eſt quem *Ferdinandum*, vel *Ernandum* nonnulli vocant. Conſulendi Scriptores quos laudat *Cavalerius*. Circa Annum 1307.

F. Johannes de Conſtantia, Epiſcopus Scopulenſis, ſeu Scopelenſis, *Iſcheboli*, ſub Archiepiſcopo Hadrianopolitano, in Thracia. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Græciæ*, ubi tempus hujus Epiſcopi, coævi ſui, notat. Hinc Emendandi Scriptores, quos citat *Cavalerius Tomo I pag.* 254 *num. CXLV*. & *CXLVI*. Ejuſdem meminit *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXVI pag.* 292, ubi laudat *Plodium* & *Fernandez*, quos excipit, ſed hallucinatur, *Johannem* iſtum inter Epiſcopos *Scopienſes* recenſens. *Echard* vero *Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 Fratrem iſtum *Johannem*, Epiſcopum *Scopulenſem* nominat quidem ex ipſius Epitaphio, quod legitur *Coloniæ* apud Prædicatores, ſed cenſet, ipſum *Scopienſem* etiam Epiſcopum dici poſſe, tum ex teſtimonio *Laurentii Pignon*, quem laudat, tum quia *Scopienſis* civitas, ſi audiamus *Echard*, dicitur a *Scopelo*. Verum utraque Civitas diſtinguenda videtur. *Scopienſis* enim dicitur a *Scupi*, Italis *Scopia*, Turcis *Uſchub*. Alias in *Mœſia Superiori*, nunc in *Servia*, in confinio *Macedoniæ* ſita eſt *Scopienſis* urbs, olim Epiſcopalis, nunc Metropolis. *Scopelus* vero, ut dictum fuit, eſt in *Thracia Mediterranea*. Anno 1307.

F. Guilielmus Araoyoo, Hiſpanus, ex Priore Barchinonenſi, Epiſcopus Ilerdenſis, *Lerida* in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit CCXCVII pag.* 205, *ex Lopez*, & *Fernandez*; & *Monumen. Dominican. Parte I Cap. XII ad an. MCCCVIII pag.* 162. *Cavalerius Tomo I pag.* 87 *num. XVII*, ex *Plodio*. Anno 1308.

F. Angelus Neapolitanus, Epiſcopus Aſculanus, *Aſcoli*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LV pag.* 132, *ex Taegio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 67 *num. CCXII*. *Ughellus in Epiſcopis Aſculanis* exſcribit quoddam Inſtrumentum, quo probatur Fratrem *Angelum* anno *MCCCVIII* Epiſcopum *Aſculanum* fuiſſe. Circa Annum 1308.

F. Hugo Turonenſis, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa. *Echard Tomo I Scriptorum Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 22, *ex Laurentio Pignon*. Diſtinguendus *Hugo* iſte ab alio ejuſdem nominis Epiſcopo *Bethleemitano*, *Hugone* ſcilicet *de Curcis*, *de Curtis*, ſeu *Cortes*, ut notat *Cavalerius* in *Erratis*. *Hugo*, de quo nunc agitur, *Gallus* fuit, patria *Turonenſis*, ut docet *Cavalerius* ex *Sampajo*, alter vero, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Nicolai III*, Italus erat, patria *Neapolitanus*. Ille, *Gallus* videlicet, hoc anno circiter inauguratus eſt, ut legitur apud *Cavalerium Tomo I pag.* 67 *num. CCIX*; iſte, *Neapolitanus* ſcilicet, prædeceſſor fuit *Petri de ſancto Maxentio*, qui *Bethleem* ſedit ante annum *MCCCII*, ut videre eſt apud *Bernardum Guidonis in Epiſcopis Terræ Sanctæ*, & in *Appendice* noſtra ad *Pontificatum Honorii IV*. Circa Annum 1308.

F. Petrus Hiſpanus, Epiſcopus Salmanticenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano, non vero Toletano, ut excidit Fontanæ. *Cavalerius Tomo I pag.* 76 *num. CCXXXIX*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DV pag.* 282, *ex Ægidio in Theatro Eccleſiæ Salmanticenſis*. Anno 1308.

F. Johannes Conradus a Pinna, alias de Gualfreduccis, Piſtorienſis, Epiſcopus Feſulanus, *Fieſoli*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Ughellus in Epiſcopis Feſulanis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 253 *Edit. II*. *Cavalerius Tomo I pag.* 72 *num. CCXXVII*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLV pag.* 192. Anno 1309.

F. Arnaldus Fradeti, Epiſcopus Conſeranenſis, *Conſerans*, & *Coſerans*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auxitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 71 *num. CCXXIII*, *ex Plodio*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXIX pag.* 565, ubi *Bernardum Guidonis* excipit, & Necrologium *Cadurcenſe* tranſcribit. Anno 1309.

F. Bene-

Anno 1309. F. Benedictus Hungarus, Epiſcopus Boſnenſis, in Boſnia, ſeu Boſſena, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 74 num. CCXXXIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCIX pag. 144, ex Fernandez, Marietta, & Ughello in Manuſcriptis.* Conſulendus *Ferrarius de Rebus Hungar. Provinciæ Parte III Lib. I Cap. V pag. 409.*

Circa Annum 1309. F. Articus Bendachinus, alumnus Cœnobii Tarviſini, Epiſcopus Venecopolitan. *Cavalerius Tomo I pag. 69 num. CCXVII, ex Plodio.* Idem videtur Epiſcopatus qui *Venecoponenſis* dicitur in *Actis Capituli Generalis* apud *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXII pag. 318.* Urbem *Venecz* vulgo dictam, olim regiam, nunc pagum, in *Tranſylvania* ſitam norunt Geographi. An vero *Venecopolitana* latine dicta ſit, non auſim affirmare.

Anno 1310 Die 27 Junii. F. Petrus Fabri, Epiſcopus Civitatis novæ, ſeu Æmonienſis, ſub Patriarcha Gradenſi, in Statu Veneto. *Ughellus in Epiſcop. Civitatis novæ Tomo X Italiæ Sacræ pag. 68 Edit. II, & Tomo V in Epiſcopo Æmonien. pag. 237 ex Regeſt. Vatican. Epiſt. LXXXV* data *V* Kal. Julii Pontificatus *Clementis V* Anno *VI*, Chriſti *MCCCX. Cavalerius Tomo I pag. 72 num. CCXXVIII, ex Souegio.* Vix inauguratum deceſſiſſe *Petrum*, docent Auctores mox laudati. Obiit *Avenione*, ubi ſepultus eſt apud Fratres Prædicatores. Is ipſe eſt *Petrus* Æmonienſis Epiſcopus, quem *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXV pag. 189*, Fratrem *Petrum de Venetiis* vocat; *Gallum* fuiſſe, cenſent alii.

Anno 1311. F. Iſrael Erlandi, Epiſcopus Aroſenen., *Aroſen*, *Weſſeras* etiam vulgo nuncupatur, in Svecia, ſub Archiepiſcopo Upſalien. *Bernardus Guidonis. Cavalerius Tomo I pag. 127 num. CXXXIV, ex Plodio. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXXI pag. 544*, ubi varios Auctores laudat. De Anno inter ipſos non convenit. Conſulendus *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Provinciæ Daciæ*, ubi Annum *MCCCXI* aſſignat.

Anno 1311. F. Iſnardus Tacconus Antiochenus Patriarcha, ut hac in *Appendice* dictum fuit, Adminiſter *Papienſis*, ſeu *Ticinenſis* Eccleſiæ, vulgo *Pavia*. Auctores ſupra laudati.

Anno 1312. F. Johannes de Bewre, Valencianenſis, Epiſcopus de Potaneis. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. II, ex Sanderi Flandria illuſtrata Tomo I pag. 645, & ex Monumentis Conventus Valencianenſis.* Titularis eſt Epiſcopatus iſte in partibus infidelium.

Circa Annum 1312. F. Albertus, Epiſcopus Brixienſis, *Breſcia*, in Longobardia, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 23 Indicis Epiſcoporum, & 526. Cavalerius Tomo I pag. 259 num. CLXVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CVI pag. 146, ex Sampajo, & Plodio.*

Anno 1312. F. Franciſcus Poggius, Lucenſis, Epiſcopus Peruſinus, in confinio Umbriæ, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcop. Peruſin. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1162. Cavalerius Tomo I pag. 104 num. LXXIV, Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXI pag. 262, ex Fernandez, & Plodio.*

Anno 1312. F. Trammondus Monaldeſcus, Urbevetanus, Epiſcopus Suanen., *Soana*, in Hetruria, nunc ſub Archiepiſcopo Senenſi, tunc vero immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Suanen. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 747 Edit. II ex Regeſto Vatican. Epiſt. CCCLII fol. 71*, data *VI* Idus Maii Pontificatus *Clementis V* Anno Septimo. *Cavalerius Tomo I pag. 100 num. LX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLIII pag. 297.*

Circa Annum 1313. F. Wolframus, ſeu Wolphangus, de Fleckenſtain, Epiſcopus Salvien., in Achaja. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 26 col. II, ex prodromo Annal. Wormatien. Gregorii Helwich.* Ædes ſacras Cœnobii FF. Prædicatorum *Wormatienſium* Anno *MCCCXIII* die *XX* Maii Deo O. M. dedicavit Epiſcopus iſte.

Anno 1313. F. Beroaldus Vaſionenſis, Epiſcopus Albienſis, *Alby*, in Occitania. Nunc Metropolis eſt hæc Eccleſia. *Cavalerius Tomo I pag. 76 num. CCXL. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XIX pag. 119, ex Targio, & Gallia Chriſtiana*, quæ inquit Fontana, *Beroaldum* noſtrum *Beraldum de Fargis nominat, ſiletque, prout multoties facit, Dominicanum fuiſſe.*

Anno 1314. F. Petrus Hungarus, Epiſcopus Boſnenſis, in eiuſdem nominis regione, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 77 num. CCXLII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCIX pag. 144, ex Ferrario, & Fernandez.*

F. Johan-

F. Johannes Runſia, Epiſcopus Oſſunenſis, ſeu Oſenenſis, vulgo *Zanto*, in Pannonia Superiori. *Ca-* Circa Annum 1314.
valerius Tomo I pag. 74 num. CXXXIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLI pag. 253,
ubi ex *Miræo*, vel potius ex *Nidero* apud *Miræum*, docet, *Johannem* iſtum eundem eſſe ac *Johannem Fri-*
burgenſem variis operibus clarum. De *Johanne Friburgenſi* conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an.*
MCCCXIV pag. 523. Notandum quod annus *MCCCXIV* eſt annus mortis *F. Johannis Runſia*, quo Anno
inauguratus fuerit, non produnt Scriptores.

F. Ottonellus, Lombardus, Epiſcopus Clugienſis, ſeu Foſſæ Clodiæ, *Chiozza*, in Statu Veneto, tunc Anno 1314.
ſub Gradenſi, nunc ſub Patriarcha Venetiarum. *Ughellus Tomo V Italia Sacra pag. 1351 Edit. II, ex libro*
Obligation. Prælator. Cavalerius Tomo I pag. 88 num. XIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXC
pag. 174.

F. Andreas, Piſtorienſis, Epiſcopus Piſtorienſis, *Piſtoja*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Florentino. Anno 1314.
Cavalerius Tomo I pag. 74 num. CCXXXV, ubi ex *Ferdinando de Caſtillo* emendat *Fontanam Theatro Dominica-*
no Parte I Cap. V Tit. CCCCLXVII pag. 264.

F. Chriſtophorus de Tolomæis, Epiſcopus Sebaſtenſis. *Cavalerius Tomo I pag. 77 num. CCXLI. Fon-* Circa Annum 1314.
tana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXIX pag. 292, ex Ugurgerio in Pompis Senenſibus.

IDem ex Epiſcopo Sebaſtenſi, Epiſcopus Populonii & Maſſæ, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Senen- Circa Annum 1314.
ſi. *Ughellus Tomo III Italia Sacra pag. 718 Edit. II*. De Anno inter Auctores non convenit.

F. Robertus Dragoni, ſeu a Dracone, Piſanus, Epiſcopus Uſellenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſco- Circa Annum 1314.
po Arborenſi. *Cavalerius Tomo I pag 85 num. X. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLIX*
pag. 327 ex Monumentis Archivi Piſani Cœnobii, Fernandez, & Plodio.

F. Nicolaus, Epiſcopus Botrontinenſis, vel Buthrontinus, vulgo *Butrinto*, & *Botronto*, olim ſub Archie- Anno 13..
piſcopo Naupactenſi, & a ſeculo circiter XII ſub Joannina Metropoli. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an-*
num MCCCXIV pag. 522. Illum crediderim *Nicolaum de Ligny* Coadjutorem *Tullenſis* Epiſcopi, quem *Ca-*
valerius Tomo I pag. 78 num. CCXLV ex *Souegio*, ſedente *Johanne XXII*, circa annum *MCCCXVI* floruiſſe,
docet. Conſulendus *Echard* loco citato, ubi varios Scriptores laudat, & nonnullos emendat.

LEGATI.

F. Ægidius Ferrarienſis, Patriarcha Alexandrinus, ut hac in *Appendice* dictum eſt, Legatus ad Uro- Anno 1308.
ſium Regem Raſciæ. *Bulla* - Benedictus - *Data I Aprilis MCCCVIII. Ughellus in Patriarchis Graden. To-*
mo V Italiæ Sacræ pag. 1139 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II Cap 356 num XXII.
Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCVII num. II, Cavalerius Tomo I pag. 75 num. CCXXXVII, ceterique
ſupra laudati.

F. Lapus Legatus ad eundem Uroſium Regem Raſciæ miſſus. *Bulla* - Benedictus - *Data I Aprilis* Anno 1308.
MCCCVIII. Cavalerius Tomo I pag. 75 num. CCXXXVII, ceterique mox laudati.

F. Thomas de Jorz, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Legatus in Italiam. Auctores Anno 1311.
ſupra laudati. *Cavalerius Tomo I pag. 71 num. CCXXII; & Tomo II pag. 193 num. XI. Fontana Monumen.*
Dominican. Parte I Cap. XII ad an. MCCCIX pag. 162.

F. Nicolaus de Albertinis, S. R. E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI* dictum Anno 1311.
eſt, Legatus in Italiam. Scriptores ibidem citati, *Cavalerius Tomo I pag. 86 num. XVI. Fontana Monumen.*
Dominican. Parte I Cap. XII ad an. MCCCVI pag. 159.

F. Nicolaus de Freauville, S.R.E. Cardinalis, ut in hac *Appendice*, Legatus in Franciam, & in Belgium. Anno 1313.
Auctores ibidem laudati. *Carolus a S. Vincentio in Chronologia Miſſionum Tomo I menſis Septembris An. Domi-*
nican. pag. 94. Bullam legationis laudat & partim tranſcribit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXIV*
pag. 555. Spondanus ad an. MCCCXIII num. IX.

JOHANNES XXI DICTUS XXII,

(a) *Bernardus Guidonis.*
(b) *Idem.*
(c) *Ptholomæus Lucenſis.*

Natione Aquitanus, electus eſt Lugduni die VII Auguſti (*a*), & coronatus (*b*) fuit ibidem die V Septembris MCCCXVI. Obiit (*c*) Avenione die IV Decembris MCCCXXXIV. Sedit Annos XVIII, MenſesIII, Dies XXVII.

Anno 1316 Die 3 Decembris.

Privilegia, quibus ſui Prædeceſſores, & Rex Siciliæ Cœnobium San-Maximinenſe (1) donarunt, confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

I.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. dilectis filiis Priori, & Fratribus Prędicatorum de Sancto Maximino, & de Balma, Aquenſis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Corpus B. Mariæ Magdalenæ in Ædibus ſacris San Maximinenſis Cœnobii jacet.

A Bonifatio Octavo conceſſa refert.

QUę pro Religionis favore, & divini cultus ampliatione, pie fieri conſpicimus, grata ſunt plurimum votis noſtris, eiſque libenter, ut magis illibata perſiſtant, adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem clarę memorię Carolus Jeruſalem & Sicilię Rex ob magnę devotionis affectum quem ad B. Mariam Magdalenam exhibebat, in Eccleſia veſtra ſancti Maximini, tunc ad Monaſterium ſancti Victoris Maſſilienſis Ordinis ſancti Benedicti ſpectante, in qua Corpus ejuſdem Sanctę noſcitur eſſe reconditum (3), cultum Divini Nominis adaugeri deſiderans; felicis recordationis Bonifatio Papę VIII Prędeceſſori noſtro humiliter ſupplicavit, ut Eccleſiam ipſam cum domibus, & officinis, ac vacuis aliis ſibi conjunctis, necnon Theſauro, Reliquiis, ornamentis eccleſiaſticis, & oblationibus eidem Eccleſię proventuris, deputare pro executione tam laudandi propoſiti dignaretur: idemque Prędeceſſor, attendens devotioni hujuſmodi dicti Regis, quam per operum exhibitionem oſtenderat. dum olim locus incertus exiſteret, ubi ſepultum fuerat Corpus ejus, ad inquirendum, & inveniendum illud efficax ſtudium impendendo, illudque inventum, procurando in eadem Eccleſia cum debita reverentia collocari; dictam Eccleſiam, cum domibus, & officinis, ac vacuis aliis ſibi conjunctis, Theſauro. Reliquiis, ornamentis, & oblationibus antedictis, ex certa ſcientia ad hujus miniſterium deputavit; ſibi conceſſa licentia Prioratum inibi de Ordine veſtro, cum illo Fratrum numero, qui ſibi videretur expediens, ordinandi, ac Eccleſiam ipſam cum premiſſis omnibus, & Prioratum inibi ordinandum, in jus, & proprietatem, & ſub protectione Beati Petri, & Apoſtolicę Sedis recepit, & ipſos ab omni jurisdictione, poteſtate, & dominio dicti Monaſterii, Abbatis, & Conventus ipſius, & quorumlibet Ordinariorum prorſus exemit; prefato Regi nihilominus concedendo, quod Prior, qui pro tempore preerit in Prioratu predicto, ad ipſius requiſitionis, & informationis inſtantiam, correctionem in loco ipſo facere teneretur. Ac poſtmodum Prędeceſſor ipſe, ad ipſius Regis preſentationem, quendam Fratrem Guillelmum ejuſdem Ordinis Profeſſorem, in Priorem inſtituit dicti loci, ſtatuens, ut Fratres inibi aſſumendi tenerentur ſibi, ſuiſque ſucceſſoribus obedire: Nec Prior, qui pro tempore eſſet ejuſdem loci, ab officio adminiſtrationis dicti loci poſſet abſolvi, ſine dicti Regis, vel heredum ſuorum licentia, & aſſenſu: & quod locus ubi penitentiam egiſſe dicitur dicta Sancta, qui Balma vulgariter nuncupatur, in conceſſione hujuſmodi facta de Eccleſia, & aliis predictis includi deberet, & pari cum ceteris in ipſa conceſſione contentis exemptionis privilegio gauderet, & in eiſdem conditionibus cenſeretur: Electio vero Prioris ipſius loci ad dictos Conventum, & ejus confirmatio ad Priorem Provincialem, vel ad Magiſtrum dicti Ordinis eodem modo ſpectarent, quod poſt electionem celebratam ab ipſis de Priore, idem Conventus dicti Regis aſſenſum requirere teneretur; quem ſi ſuper hoc recuſaret preſtare, poſſent procedere ad electionem aliam faciendam, nec aliqua electio, quam de Priore celebrari contingeret, preſentari Superiori, ſeu confirmari valeret, niſi prius requiſitus foret, & obtentus aſſenſus Regis ejuſdem; ut quoque eidem Priori, & Succeſſoribus ſuis habitatorum Villę dicti Loci S. Maximini, & illuc accedentium, quandiu ibi fuerint, cura immineat animarum, quę per Presbyteros ſeculares idoneos inſtituendos, & deſtituendos per ipſum, quoties opportunum videret, exerceri valeret; quibus ipſi Prior, & Succeſſores tenerentur in vitę neceſſariis congrue providere: Et quod ratione dictę Curę Prior, & Presbyteri ſupradicti juriſdictioni Dięceſani in nullo penitus ſint ſubjecti: nec teneantur ſibi vel aliis reddere rationem; quodque vos Regem eundem, cum ad locum ipſum accedere perſonaliter contigiſſet, tanquam verum patronum ipſius loci recipere proceſſionaliter teneamini: Mandans venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Maſſilienſi, ut venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Siſtaricenſem, nomine dicti Regis, in corporalem poſſeſſionem Eccleſię Prioratus loci Balmę, domorum, & officinarum, ac vacuorum ſibi conjunctorum, Theſauri, Reliquiarum, ornamentorum, pertinentiarum, & jurium predictorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, induceret, & tueretur inductum; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, dicto etiam Epiſcopo Siſtaricenſi mandavit, quod Eccleſiam, & locum predictos cum prefatis aliis bonis nomine dicti Regis reciperet, poſtquam aſſignati eſſent viginti Fratres dicti Ordinis in eadem Eccleſia, & in prefato loco de Balma, quatuor, videlicet duos Presbyteros, & duos Converſos de locis ejuſdem Ordinis adjacentibus aſſumendos, collocare ſtuderet, ad Divina ibi Officia celebranda, & inſtitueret nihilominus in eadem Eccleſia Superiorem ſecundum ipſius Ordinis Inſtituta, donec idem Frater Guillelmus Prior, ut premittitur, inſtitutus, ad Prioratum accederet antedictum; vel idem Rex de perſonis idoneis dicti Ordinis juxta conceſſionem hujuſ-

Digitized by Google

hujuſmodi ſibi factam aliter ordinaret. Dicti vero Maſſilienſis, & Siſtaricenſis Epiſcopi, pręmiſſa, quę per eundem Prędeceſſorem ſibi fuerunt injuncta, literarum eis ſuper iis directarum forma ſervata, fuerunt diligenter, & fideliter executi, ac poſtmodum idem Rex vobis nonnullas libertates, & immunitates Regia liberalitate conceſſit. Deinde quoque Prędeceſſor prędictus, ut eadem Eccleſia congruis honoribus frequentetur, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui quolibet die (4), videlicet illis de Provincia Provincię quadraginta, & aliis extra dictam Provinciam illuc accedentibus centum dies, quodque in feſto (5) dictę Sanctę, ſeu die Translationis Corporis, vel per octo dies feſtum, aut diem Translationis (6) prędictę immediate ſequentes viſitaverint, annuatim tres annos, & totidem quadragenas de iniuncta eis pęnitentia miſericorditer relaxavit. Inſuper pię memorię Benedictus Undecimus Prędeceſſor noſter ipſius Regis, & veſtris ſupplicationibus inclinatus, quę in pręmiſſis pie ac provide acta erant rata habens & grata, Eccleſiam, & locum prędicta, cum eiſdem domibus, officinis, ac vacuis ſibi conjunctis, Theſauro, Reliquiis, ornamentis, & oblationibus antedictis, ceteriſque ex juribus, & pertinentiis eorum, ac huiuſmodi privilegiis, & indulgentiis, & libertatibus, tam a Prędeceſſore Bonifatio, quam a Rege prędictis conceſſis vobis, & ſucceſſoribus veſtris, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmavit (7). Nos igitur veſtris ſupplicationibus inclinati, quę a Prędeceſſoribus & Rege pręfatis in prędictis pie ac provide acta ſunt, rata & grata habentes, Eccleſiam, & locum prędicta cum prędictis domibus, & officinis, ac vacuis ſibi conjunctis, Theſauro, Reliquiis, ornamentis, & oblationibus ante dictis, ceteriſque juribus, & pertinentiis ſuis, ac privilegiis, indulgentiis, & libertatibus a Prędeceſſoribus Bonifatio, & Benedicto prędictis, conceſſis, vobis, & ſucceſſoribus veſtris prędictis, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes defectum, ſi quis in pręmiſſis forſitan intervenerit, de Apoſtolicę plenitudine poteſtatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & ſuppletionis infringere. Datum Avenione III Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Eadem privilegia firmaverat B. Benedictus XI.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *San-Maximinenſe.*) Conſulenda Diplomata Data *VI, VII*, & *VIII Aprilis MCCXCV &c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar typis editum. Autographum tenet Conventus San Maximinenſis.
3. *Reconditum.*) Vide *Notas ad Conſtitutiones III, IV, & V, Bonifatii VIII.*
4. *Quolibet die.*) Magnum utique privilegium: hæc enim Indulgentia quotidiana, vix per id tempus concedebatur.
5. *Feſto.*) Die nempe XXII Julii.
6. *Die Translationis.*) Hæc Translatio celebratur die XV poſt Paſchatis Feſtum.
7. *Confirmavit.*) Die XX Januarii MCCCIV.

Ne quis ex noſtris ſine Magiſtri Generalis, vel Provincialis conſenſu, Epiſcopus inauguretur (1).

Anno 1317 Die 14 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

II.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ORdinis veſtri ſacra Religio promeretur, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Oblata nobis ſiquidem veſtra petitio continebat, quod ſępe contingit, Fratres ejuſdem Ordinis in Epiſcopos eligi, vel etiam poſtulari ab illis, ad quos de jure hujuſmodi electio, ſeu poſtulatio dignoſcitur pertinere. Nos itaque volentes ſuper hoc remedium adhibere, auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ut nullus Fratrum veſtri Ordinis electionem, ſeu poſtulationem de ſe factam, valeat acceptare, nec etiam aliquatenus conſentire, niſi prius petita, & obtenta ſpeciali licentia a Magiſtro Ordinis ſupradicti, vel a Priore Provinciali ſuo duntaxat, de cujus Provincia hujuſmodi electus fuerit, vel etiam poſtulatus, Conſtitutione fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri ſuper hoc edita; ac qualibet alia contraria non obſtante. Datum Avenione XVI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Inhibitio.

Clauſula derogans.

1. *Inauguretur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo, Tit. IV*,
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Meminit *Percinus in Monumentis Conventus Toloſani Seculo II ad an. MCCCXVI pag.* 70. Autographum aſſervatur *Toloſæ*. Plumbum ſericis filis appenditur.

Nullus, votis ſolemnibus in Ordine Prædicatorum nuncupatis, ex ipſo eiici, vel ad alium Ordinem transferri poteſt (1) niſi per Generalem Magiſtrum, vel Provincialem.

Anno 1317 Die 14 Februarii.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

III.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis ... Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PAci & tranquillitati veſtrę paterna volentes ſolicitudine providere, auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ut nullus aliquem Fratrem, Ordinem veſtrum profeſſum, de Ordine prędicto poſſit eiicere, ſeu dare licentiam ad alium Ordinem tranſeundi, niſi Magiſter ejuſdem Ordinis, vel Prior Provincialis, de cujus Provincia Frater fuerit antedictus. Datum Avenione XVI Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Poteſt.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo, Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Toloſano*; Plumbum ſericis filis appenditur.

Anno 1317 Die 14 Februarii.

IV.

Magiſtro Generali, ut Viginti Cœnobia poſſit inſtituere (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex Generalis petitio. Conceſſio. Sanctio pœnalis.

QUia tua potiſſimum verſatur intentio circa cultum Divini Nominis ampliandum, in quo tua devota ſinceritas, & ſincera devotio jugiter delectantur. Nos hujuſmodi tuum pium propoſitum, favorabiliter proſequentes, illa tibi libenter concedimus, per quę ad Dei laudem, & gloriam, idem propoſitum ad efficacem effectum, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, perducatur. Oblata ſiquidem Nobis tuę petitionis ſeries continebat, ut tibi recipiendi de novo certa loca ad opus tui Ordinis, ubi tibi expediens videretur, licentiam Auctoritate Apoſtolica concedere dignaremur. Nos itaque ad Ordinem ipſum nimię gerentes caritatis affectum, & cupientes cultum Divini Nominis adaugeri, ut in quibusvis partibus, juxta tuę diſcretionis arbitrium, viginti loca duntaxat de novo recipere valeas, Conſtitutione fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri ſuper locis, a Religioſis Ordinis Mendicantium abſque licentia dictę Sedis de novo non recipiendis edita, non obſtante, auctoritate tibi pręſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Avenione XVI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Inſtituere.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Monumenta Conventus *Claromontani*.

Anno 1317 Die 15 Februarii.

V.

Ordini conceſſa Privilegia (1) firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex Fratrum petitio. Ordinis encomium. Confirmatio. Sanctio pœnalis.

VIrtute conſpicuos Sacri veſtri Ordinis profeſſores, qui contemplationi cęleſtium ferventer invigilant, & pię vitę ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicę circumſpectionis auxilium ſic provide dirigi, & ſolicite confoveri, ut alicujus prętextu calumnię nullum internę pacis excidium, nullumque religioſi ſtatus perferant detrimentum; ſed in his robur & vigorem habeant, per quę circa cultum divini Nominis devotis, & quietis mentibus invaleſcant. Hinc eſt, quod cum, ſicut nobis exponere curaviſtis, tu fili Magiſter, & Prędeceſſores tui juxta ejuſdem Ordinis conſuetudinem obſervatam hactenus, & a Sede Apoſtolica toleratam, ſtatim poſtquam electi ſecundum prędictas Conſtitutiones Ordinis extitiſtis, Fratrum ipſius curam geſſeritis, Magiſtri officium plene, ac libere, in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devote, ac humiliter obedierint, ac intenderint reverenter, & in eodem Ordine ſit ſtatutum, ut Magiſter ipſius, qui pro tempore fuerit a Magiſtri officio amoveri valeat a Diffinitoribus Capituli Generalis. Nos volentes ambiguitatis ſcrupulum in hac parte de veſtris amputare cordibus, ac Ordinem ipſum pręfatę Sedi immediate ſubjectum (3), a Sede Approbatum eadem, honeſtate floridum, pręclarum ſcientia, & virtute fęcundum, privilegio Apoſtolicę gratię attollere ſingulari, veſtris ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtrę adinſtar fel. rec. Bonifatii VIII (4), & Benedicti XI (5) Roman. Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, ut ſucceſſores tui, fili Magiſter, qui erunt pro tempore, ſtatim, poſtquam electi ſecundum Conſtitutiones fuerint ſupradictas, eo ipſo veri ejuſdem Ordinis Magiſtri effecti curam animarum Fratrum ipſius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria ligare, abſolvere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quę ipſi, & pręfati Diffinitores juxta prędictas Conſtitutiones eiſdem Ordini, & Fratribus viderint expedire, ſecundum Deum; aliaſque poſſint officium Magiſterii licite in omnibus exercere, iidemque Fratres tibi, Magiſter, & Succeſſoribus ipſis devote, ac humiliter obediant, & intendant; Et pręfati Succeſſores, & tu Magiſter a Diffinitoribus Capituli Generalis ipſius Ordinis, ſecundum Ordinis Conſtitutiones ejuſdem, abſolvi, & amoveri poſſitis, auctoritate Apoſtolica indulgemus &c. (6) Pręterquam ad B. Auguſtini Hoſpitalariorum, & aliorum Religioſorum arma portantium &c. (7) Nulli ergo &c. Datum Avenione XV Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum. Aſſervantur alia in Cœnobiis *Sancti Severini* & *Patavino*. Autographum eſt in Cœnobio *S. Mariæ ad Gradus Viterbien.*, & *Toloſano*. Meminit *Percinus* in *Monumentis Conventus Toloſani Seculo II ad an. MCCCXVI pag. 70.*

3. *Subjectum.*) Ut in *Tractatu* mox laudato *Tit. V.*

4. *Bonifatii VIII.*) *Conſtitutione XIII* data die *XIX Junii MCCXCVI.*

5. *Benedicti XI.*) Deſideratur hocce Diploma. Datum fertur *Laterani XVI Kalendas Martii*. Laudatur a *Gonzalez* in *Summario Privilegiorum*.

6. *Indulgemus &c.*) Ut in mox laudata *Conſtitutione XIII Bonifatii VIII* ad hæc uſque verba: *Ad quoſcunque Ordines approbatos*.

7. *Portantium &c.*) Ut in eodem Diplomate ad finem uſque.

Fra-

Fratres Bernardum Guidonis Ordinis Prædicatorum, & Bertrandum de Turre Ordinis Minorum in Italiam legat (1)

Anno 1317 Die 1 Martii.

Ex Waddingo (2) *Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVII num.I.*

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Bertrando (3) Guidonis de Ordine Prędicatorum, Inquiſitori hęreticę pravitatis in Regno Francię per Sedem Apoſtolicam deputato, & Bertrando de Turre Ordinis Fratrum Minorum Miniſtro Provinciali Aquitanię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VI.

ETſi pacis hoſtis, invidus caritatis, jactum a longis retro temporibus diſcordię ſemen inter dilectos filios, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Poteſtates, nobiles, & magnates, Capitaneos, Rectores, Conſiliarios, Communitates, & univerſos Cives, & incolas, ac perſonas alias Eccleſiaſticas, & Seculares Italię, mortiferis ſatagat nutrire fomentis; Nos tamen, ſpe multa concepta, quod Regis pacifici, qui auctor eſt pacis, & operum ejus amator, cujuſque in ortu per Angelos pax fuit bonę voluntatis hominibus nunciata, in hoc vincet clementia ejus, ipſiuſque fraudibus metam ponet; Regis ejuſdem beneplacitis, cujus, licet immeriti, vicem exercemus in terris, humilitatis noſtrę ſtudia, inquantum noſtra poſſibilitas patitur, coaptare volentes, plenis nimirum deſideramus affectibus, ut cujus (4) diſcordię ſeminariis amputatis, & fomite diſſenſionis extincto, ſic inter perſonas eaſdem pacis ſolidę fędera reformentur, quod eadem invicem animarum identitas, & eadem vigeat diſcordia (5) voluntatum. Noſtrum itaque circa pręmiſſa deſiderium cupientes impleri, ac de probatę fidei veſtrę conſtantia, & induſtria circumſpectionis expertę, plenam in Domino fiduciam obtinentes, tractatum, & reformationem pacis hujuſmodi, eamque tangentia vobis pręſentium auctoritate, de Fratrum noſtrorum conſilio, duximus commendanda; diſcretioni veſtrę diſtrictius injungentes, quatenus vos, vel alter veſtrum ad partes illas vos perſonaliter conferentes, inter Duces, Marchiones, Comites, Barones, Potentes, Nobiles, & Magnates, Poteſtates, Capitaneos, Rectores, conſiliarios, Communitates, & univerſos Cives, & incolas, ac perſonas alias antedictas, ad pacem, & concordiam, juxta datam vobis ex alto prudentiam, ſolicitis monitis, & efficacibus perſuaſionibus inducatis, ut, eo auxiliante, qui eſt pax noſtra, veſtraque cooperante ſolertia, tam utilis, tamque optanda concordia poſſit celeriter provenire. Ut autem in hoc impedimenti, vel obſtaculi, ſeu turbationis cujuſlibet tollatur occaſio, diſſolvendi, vacuandi irritandi, & revocandi omnes pactiones, obligationes, confęderationes, & colligationes inter Duces, Marchiones, Comites, Barones, Potentes, Nobiles, & Magnates, Poteſtates, Capitaneos, Rectores, Conſiliarios, Communitates, & univerſos cives, & incolas, ac perſonas alias antedictas, quomodolibet initas, juramento, vel quacunque alia firmitate vallatas, necnon & relaxandi hujuſmodi, & alia quęlibet juramenta, a quibuſcunque pręſtita, per quę nutriri diſcordia, & pacis bonum poſſet quomodolibet impediri, prout ea ſecundum Deum videritis diſſolvenda, vacuanda, irritanda, revocanda, ſeu ea relaxanda, & inſuper contra quoſcunque pacis hujuſmodi turbatores, ſeu impeditores, ſive cives, & incolę, ſive quicunque alii undecunque fuerint, & cujuſcunque dignitatis, & conditionis, vel ſtatus exiſtant procedendi, eoſque per cenſuram eccleſiaſticam, & aliis remediis, de quibus vobis expedire videbitur, compeſcendi. Non obſtante, ſi eis, aut eorum aliquibus, vel alicui, ſit a Sede Apoſtolica indultum ſub quacunque forma, vel conceptione verborum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut eorum terrę Eccleſiaſtico interdicto ſupponi quavis auctoritate non poſſint, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus earum impediri valeret quomodolibet, vel differri, vobis, & veſtrum cuilibet plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Ab hujuſmodi autem facultatis conceſſione ſpecialiter, & expreſſe excludimus Regnum Sicilię, & totam terram, quę eſt citra Pharum (6) uſque ad confinia terrarum Romanę Eccleſię, cum ad reformationem illarum ordinaverimus ſpeciales alios Nuncios deſtinare. Datum Avinione Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Legatio.

1. *Legat.*) *Per idem tempus*, inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVII num. XXXII, *laniabatur bellis civilibus Inſubria, quæ non modo diſcors duorum Principum Ludovici Bavari ac Friderici Auſtriaci electio, ſed vetera quoque Guelphorum, & Gibellinorum nomina pepererant; cumque* Ugucio *Fagiolanus, Gibellinorum auctus potentia Piſas recuperare moliretur, propulſatus eſt: Genuenſes, excitatis novis diſcordiis, in magnum diſcrimen publicam rem adduxere: Gibellini Inſubres Cremonam cinxere obſidione, quam Bononienſes ſolvere coegerunt: Veronenſes conſurrexere in Patavinos Duce Cane grandi, cujus prælia Muſſatus metro heroico deſcripſit, ac Montem Silicem expugnarunt. Ad quæ & alia imminentia mala ſopienda Johannes Apoſtolico zelo impulſus, viros religione præſtantes tranſmiſit, nimirum Bertrandum e Turre Minoritam, & Bernardum Guidonem Prædicatorem, ſacræ fidei in Galliis Cenſorem, eundemque, ut arbitror, Romanorum Pontificum, ac Regum Francorum Annalium Scriptorem, non ob ſtyli elegantiam, ſed veritatis puritatem nobiliſſimum, cujus dicta Pontificis literis conſentientia comperi: quos auctoritate ad diſſolvendos omnes impietatis nexus, & coitiones ſacramento confirmatas reſcindendas inſtruxit; tum etiam Principibus Italis, Romano Imperio obnoxiis, eccleſiaſticis ac laicis impenſe commendavit, ut ſaluberrimis eorum, monitis faciles ſe præberent: propoſuit enim ab oculos ingentia mala, quæ ex ipſorum diſcordiis emergerent; animarum diſcrimina, quæ in caducis opibus per fas & nefas comparandis ſubirent: paternum denique amorem ſuaviſſimis verbis, e Prophetarum oraculis petitis explicavit.* Hæc *Odoricus*, qui tranſcribit Bullam hac de re datam *Nobilibus viris univerſis Marchionibus, Comitibus, Baronibus, ceteriſque nobilibus; Poteſtatibus quoque, Capitaneis, aliiſque Rectoribus; Communitatibus & univerſitatibus, ac perſonis Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum per Lombardiæ, Marchiæ Tarviſinæ, & Venetiarum, ac Aquilejenſis, & Gradenſis Patriarchatuum, necnon Archiepiſcopatus Januenſis terras ac partes conſtitutis.*

2. Waddingo.) Citat *Epiſtolam LXXXVII Tomi I Regeſti Johannis XXII.* Meminere *Bzovius ad annum MCCCXVII num. XXVII, Odoricus* mox laudatus, & *Percinus* in *Monumentis Conventus Toloſani Seculo II ad an. MCCCXVI pag.* 70, & *Opuſculo de Inquiſitione Parte III Cap. VII pag.* 105. Autographum aſſervatur *Toloſæ*.

3. *Bertrando.*) Legendum *Bernardo*, ut liquet ex *Odorico*, & *Percino* & citatis.

4. *Cu-*

4. *Cuſus.*) *Hujus*, vel *omnis*, ut legitur in ſequenti Diplomate.

5. *Diſcordia.*) *Concordia*, ut legere eſt in Diplomate mox laudato.

6. *Pharum.*) Seu *fretum Mamertinum*, vulgo *Faro di Meſſina*, inter *Siciliam*, & *Italiam*.

Anno 1317. Die 1 Martii.

Primoribus Italiæ, ut pacis Oratoribus manus dent (1).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVII num. IV.

VII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Eccleſiarum Prędatis, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, & aliis nobilibus, Magnatibus, necnon Poteſtatibus, Capitaneis, cunctiſque Rectoribus, & Conſiliariis, Communitatibus, univerſitatibus, & perſonis Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum, ceteriſque, tam Clericis, quam laicis per partes Italię conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium à paterna ſolicitudine.

DUm conſideramus attentius, qualiter haſtenus partes Italię ſciderit inveterata diſſenſio, quam immaniter laceraverit, quam gravia proh dolor! animarum pericula, quas ſtrages corporum, & quos lapſus induxerit facultatum: dum profundius cogitamus, quod per hęc, & alia non facile numeranda diſpendia, quę in partibus ipſis tam periculoſę diſſenſionis diuturnitas germinavit, amare deflere poteſtis, gravius vobis manus nocuiſſe domeſticas, quam imperantium, & aliorum vos hucuſque perſequentium dexteras inimicas; paterne nimirum, & ad vos compaſſionis affectu movemur, & ut inter vos per concordiam bona creſcant, quę per diſcordiam ſunt dilapſa, pacis bonum, quod ſic cetera bona complectitur, ſic conſervat, quod turbantur, aut pereunt ejus dulci, & utili conſortio deſtituta; propagari admodum deſideramus in vobis, plenis cupientes affectibus, ut omnis diſcordię ſeminariis amputatis, & fomite diſſenſionis extincto ſic inter vos ſolidę pacis fędera reformentur, quod eadem invicem animarum identitas, & eadem vigeat concordia voluntatum. Cum itaque de fidei probata conſtantia, & induſtria circumſpectionis experta dilectorum filiorum Fratrum Bertrandi (2) Guidonis de Ordine Fratrum Prędicatorum, Inquiſitoris hęreticę pravitatis in Regno Francię per Sedem Apoſtolicam deputati, & Bertrandi de Turre Ordinis Fratrum Minorum Miniſtri Provincialis Aquitanię, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ipſos ad partes illas pro complemento hujuſmodi voti noſtri pręſentialiter deſtinemus, quibus, & cuilibet eorum in ſolidum tractatum, & reformationem pacis hujuſmodi, eaque tangentia per alias noſtras certi tenoris literas (3), de Fratrum noſtrorum conſilio, duximus committenda. Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur attente, ac per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus illos, vel eorum alterum, tanquam noſtros, & Eccleſię Romanę Nuncios recipientes, honorifice, & humaniter tractantes, ut decet, ſic animos veſtros habilitetis ad pacem, ſic Nunciorum ipſorum ſalubribus monitis, & exhortationibus, & in pręmiſſis intendatis humiliter, & efficaciter pareatis, quod ipſarum partium ſtatu juxta intenſum noſtrum deſiderium pacificato, celeriter fiat multitudinis veſtrę cor unum, & anima una, ut in unum bene, & jucunde, utiliter, ac delectabiliter habitetis; Abſit de veſtris finibus quęcunque turbatio, terror omnis: adſit tranquilla ſecuritas, tuta quies, ut ſecundum Divinum beneplacitum liceat vobis in abundantia quietis, & pacis, pietatis operibus, ac veſtrę utilitati vacare liberius, & efficacius ſaluti veſtrarum intendere animarum. Nec contingat illud propheticum in vobis impleri, contritio, & infelicitas in viis eorum, qui pacis ſemitas non cognoſcunt. Datum Avinione Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Mandatum.

1. *Dent.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Bertrandi.*) *Bernardi.*

3. *Literas.*) Præcedentes, & ſequentes.

Anno 1317 Die 1 Martii.

Fratribus Bernardo Guidonis Ord. Prædicat. & Bertrando de Turre Ordinis Minorum S. Sedis Apoſtolicæ Legatis agenda præſcribit (1).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVII num. V.

VIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Bertrando (2) Guidonis de Ordine Prędicatorum, Inquiſitori hęreticę pravitatis in Regno Francię per Sedem Apoſtolicam deputato, & Bertrando de Turre Ordinis Fratrum Minorum Miniſtro Provinciali Aquitanię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium à paterna ſolicitudine.

VOcatis nobis, licet inſufficientibus meritis, ad Apoſtolatus officium, occurrit, quaſi confeſtim, conſiderationis noſtrę conſpectui inveterata illa diſſenſio, quam ab olim in Tuſcię, & Lombardię partibus incentor malorum omnium ſuſcitavit: cujus amaras circumſtantias dum revolveremus in mente, noſtris ſe obtutibus ingeſſerunt, & ingerunt animarum pericula, chriſtiani ſanguinis non levis effuſio, & lapſus intolerabiles facultatum. In ſingulis etenim fere Civitatibus, Caſtris, & Villis partium earundem, incolarum animis per domeſtica, & particularia odia concitatis, & non ſolum inter ſe diſcordiis publicis obfirmatis alterutrum, ſed & illiſmet in ſeipſis diviſis in partes, adeo concitationis & diſcordiarum hujuſmodi proceſſit iniquitas, quod ad interemptionem propriam ſuis iidem incolę viribus non contenti, nationes ad id etiam barbaras advocarunt. Hęc quidem noſtri cordis intima ſtimulant, acutis ſtimulis, noſtrum interpellant officium, movent, & excitant paternę compaſſionis affectum, ut ad occurrendum per opportuna remedia tantis diſcriminibus exſurgamus. Quia igitur ad nos, qui, licet immeriti, vices Regis pacifici gerimus, & plenitudine fungimur poteſtatis, Apoſtolorum Principi, ſuiſque ſucceſſoribus

ex

ex alto conceſſę, ſingulariter pertinet in univerſali Eccleſia, cunctave Congregatione Fidelium, pacem quęrere, ac ipſam facere diligentius obſervari, & vobis, quos ad partes ipſas pro tractanda, & reformanda concordia inibi deſtinamus, ad id juxta noſtrum deſiderium via eo paratior, eoque facilior pateat, quo ipſarum partium incolę diſſidiorum turbine quatiuntur, inter partes, quas Guelpham, & Guibellinam (3) vulgus appellat, necnon inter dilectos filios nobiles viros univerſos, Duces, Marchiones, Comites, Barones, ceteroſque nobiles, Poteſtates quoque Capitaneos, alioſque Rectores, Communitates, ac univerſitates, ac perſonas intrinſecas, & extrinſecas (4) Civitatum, Caſtrorum, & aliorum locorum, per Tuſciam, & Lombardiam conſtitutas, prędictis adhęrentes partibus, aut alias ſe ad invicem guerrarum diſſidiis proſequentes, treguas (5) quarum fędus pacis indicit imaginem, auctoritate noſtra inter eos videlicet, & uſque ad id tempus, de quibus videritis expedire, & in omnes, & ſingulas treguas infringentes eaſdem, aut quomolibet non ſervantes, excommunicationis ſententiam promulgandi. Non obſtante ſi eis, aut aliorum alicui ſub quacunque forma, & conceptione verborum a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari non poſſint per literas Sedis ejuſdem non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris, vel expreſſionis exiſtat, per quam effectus pręſentium impediri poſſit, vel quomodolibet retardari, necnon treguas hujuſmodi ſic indictas, & excommunicationis ſententiam promulgatam, ubicunque, & quibuſcunque vobis expediens fore videbitur per vos, vel alium, ſeu alios notificandi, ac ſolemniter publicandi. Et nihilominus omnes, & ſingulas promiſſiones, obligationes, confęderationes, colligationes ſuper hujuſmodi diſſenſionibus, ſeu diſcordiis nutriendis, inter quoſcunque, & a quibuſcunque quomodolibet initas, veluti contra bonum pacis pręſumptas, illicite & attentatas in divinę majeſtatis offenſam, & quaſcunque pęnas adjectas, ac juramenta pręſtita ſuper illis, ſub quibuſcunque modo, forma, vel expreſſione verborum, pręſertim cum juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debeat, quę Nos ex nunc nulla fore decernimus, & quatenus de facto proceſſerint, irritamus, nulla, & irrita nunciandi, plenam, & liberam vobis, & veſtrum cuilibet concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Avinione Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Præſcribit ut ſupra.

1. *Præſcribit*. Legenda præcedentia Diplomata.
2. *Bertrando.*) *Bernardo*.
3. *Guelpham, & Guibellinam.*) De quibus hæc habet *Spondanus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCXXVIII num. IV. *Ab hoc porro tempore Italiam aperte in duas partes diſtractam præter alios Æmilius & Sigonius obſervant (quod tamen poſt decennium plures memorant) aliis Imperii ſub nuncupatione Gibellinorum, aliis Eccleſiæ auctoritatem Guelforum nomine ſequentibus. Quæ duæ factiones deſumptæ ex vetere Germaniæ diſſenſione familiarum Bavaricæ, & Suevicæ, quarum illa Welfa, ſive Guelfa a Welfone Duce, iſta Gibellina a loco nativitatis, ſive educationis Conradi Imperatoris cum ſub Friderico Ænobarbo hujus avo Italiam primo occupaſſent; haud omnino ſub Henrico ejus filio obliteratæ, demum ſub iſto FRIDERICO (II), nepote, effuſius erumpentes (ſumpto initio apud Piſtorienſes, ut plerique volunt) ingentes in multa poſt tempora ſtrages in Italia edidere. Cur autem Guelfa Pontificum, Gibellina Imperatorum fuerit, inde eveniſſe traditur, quod cum olim Rogerius Siciliæ Rex, veritus, ne Conradus Imperator in Italiam adverſum ſe veniret, Welfonem Bavariæ Ducem in ipſum concitaſſet, auxilia Innocentii Secundi Romani Pontificis, cujus ſe beneficiarium profitebatur, nomine miſerit; ſicque Welfo pro Pontifice contra Imperatorem pugnare viſus ſit. Sunt tamen qui alias afferant exoticas harum nuncupationum origines: ſed quoniam illuſtriores Scriptores huic acquieviſſe videntur, ideo & nos alias inſinuare ſuperſedimus. Niſi quod nonnulli Itali alluſione ad linguam ſuam Guelfos interpretati ſunt, ſervantes fidem (Guardatori di fè) quoniam adhærebant Eccleſiæ: Guibellinos, ductores bellorum (Guidabelli, cioè guidatori di battaglie) eo quod ſequentes Imperatorem, ob titulum Imperii ſuperbi eſſent, ac rixas & ſeditiones moverent. Poſtquam vero renovatæ modo fuere in Italia factiones iſtæ cum ſuis nominibus, non ſolum aliæ Civitates Imperatorem, aliæ Pontificem ſequutæ infeſtis inter ſe animis decertarunt; verum etiam in ipſiſmet urbibus ac fere familiis eo furoris ac veſaniæ proceſſerunt, ut alii Eccleſiæ, alii Imperatori ſtuderent, ſeque inter ſe pellere urbibus, & ſpoliare bonis, inexpiabili odio ſtimulante, contenderent. Quinimmo, ut habent etiam Blondus, & Krantzius, miris circumvectionibus, & vertiginoſo circuitu impliciti, neſcientes quidnam ea in re inſequerentur, etiam colores, terræ fructus, habitus corporum, ipſos hominum inceſſus, digitorum concrepitus, oris hiatus, rerum comeſtibilium ſciſſiones, cetera denique fere omnia habuere diverſa.*
4. *Intrinſecas & extrinſecas.*) Hi ſunt, quos aliis in Diplomatibus *Cives internos*, & *Cives externos* appellat *Johannes*; quia dum inter ſeſe digladiarentur *Itali*, una pars extra, pars altera intra civitatem in armis excubabat.
5. *Treguas.*) Seu Inducias.

Ne quis e noſtro tranſeat (1) ad alium Ordinem, niſi per Magiſtrum Generalem, vel Provincialem ſibi liceat.

Anno 1318 Die 14 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PAci & tranquillitati veſtrę &c. (3). Datum Avinione XVI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Inhibitio.

1. *Tranſeat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Veſtræ &c.*) Ut in *Conſtitutione III*, ad finem uſque.

Anno 1318 Die 15 Martii.

Tholomæus, ſeu Ptholomæus (1) Lucenſis, Epiſcopus Torcellanus creatur.

Ex *Archivo* (2) *Ordinis*.

X.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Tholomęo electo Torcellan. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines alias, quibus noſter animus redditur ex multiplicium negotiorum varietate diſtraectus, illa nos exedit pręcipue, ut Eccleſiis, quas vacationis incommoda reportare conſpicimus, de celeris, & ſalubris proviſionis remedio ſuccurramus, ne Lupus rapax Dominicum Gregem Paſtore carentem, invadat, oveſque rapiat, & diſperdat. Nuper ſiquidem Eccleſia Torcellan. per obitum bonę memorię Juliani (3) Epiſcopi Torcellan., qui apud Sedem Apoſtolicam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos attendentes, quod de proviſione ipſius eccleſię, nullus pręter nos ſe intromittere poterat, propterea quod dudum ante vacationem huiuſmodi poſtquam fuimus ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, proviſiones omnium Eccleſiarum etiam Cathedralium, quas apud Sedem prędictam vacare contingeret, diſpoſitioni noſtrę duximus reſervandas, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper hoc, per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter. vel ignoranter contingeret attentari, ac propterea de ipſius Eccleſię proviſione, ne vacationis diſpendia prolixe ſubiret, ſolicite cogitantes, poſt deliberationem, quam ſuper hoc habuimus cum noſtris Fratribus diligentem, conſideratis muneribus gratiarum, quibus perſonam tuam illarum dominus illuſtravit, ad te, Ordinem Fratrum Prędicatorum expreſſe profeſſum, cui literarum ſcientia, morum honeſtas, ętatis maturitas, & alia dona virtutum multipliciter ſuffragantur, convertimus oculos noſtrę mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, dictę Torcellanę Eccleſię providemus, teque illi, de Fratrum eorundem conſilio in Epiſcopum pręficimus, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus committendo; in illo qui dat gratias. & largitur pręmia confidentes, quod eadem Torcellana Eccleſia, ſub tuo felici regimine, gratia tibi ſuffragante Divina, ſalubriter, & proſpere dirigetur. Jugum igitur Domini prompta devotione ſuſcipias, & ſuavi ejus oneri humiliter collum flectas, ipſius Eccleſię commiſſum tibi regimen ſic exerceas ſolicite, fideliter & prudenter, quod ipſa jugiter felicibus gratuletur ſucceſſibus, ſicque proinde pręmium retributionis ęternę, noſtramque, ac pręfatę Sedis benedictionem, & gratiam uberius conſequi merearis. Datum Avenioni Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Præficit ut ſupra.

1. *Ptholomæus*,) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Patavino*.
3. *Juliani*.) Adeas *Ughellum in Epiſcopis Torcellanis Tomo V Italia Sacra*.

Anno 1318 Die 1 Maii.

Fidei Præcones, ſeu Miſſionarios, variis privilegiis (1) ornat.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. VII.

XI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum in Terris Saracenorum (2), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Macolitarum (3), aliarumque non credentium nationum Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a paſtorali ſolicitudine.

GRatias agimus gratiarum omnium largitori, qui duritiei cordium infidelium, in nonnullis locis Aquilonarium, & Orientalium partium conſiſtentium, tanquam terrę vaſtę ſolitudinis, & imbre divinę gratię indigenti, imbrem compluit pluvię baptiſmalis, & per miniſterium veſtrum, & aliorum religioſorum, terram illam vomere Sanctę prędicationis excoluit, ſemenque Verbi Dei cęleſtis Agricola ſeminavit, quod feliciter io ſegetem pullulat; ita quod regiones illę meſſem multam oſtendunt: quę quidem, dante Domino incrementum, plures requirit operarios, ut conquiſita jam meſſis dominica inferatur in horrea, & aliorum terra, quam imber cęleſtis gratię non infudit, veſtris meritis de vena ſuperioris irrigui madeſacta, capiat Verbum Dei, reddatur apta colentibus; ut tandem, in ipſa divini Verbi ſemine ſeminato, in fęcundam ſegetem pullulet, ſeges uberem fęcundetur in meſſem, ut creſcente veſtro, & aliorum operariorum miniſterio ſpiritualis conſortii ſacris horreis cumuletur. Ad continuandum igitur in partibus illis ſalutis eulogium evangelicę veritatis, tubam univerſitati non credentium intonandam, ſacris quoque olivę ramis Fidei Chriſtianę Aquilonaris lo fructiferi oleaſtri germina inſerenda, ut fiat Chriſtianę gratię latitudo, ſeque per partes totius orbis extendat, vos hortandos duximus, ac etiam excitandos, vobis in remiſſionem peccaminum injungentes, ut tanquam fideles miniſtri Satoris ęterni ſeratis ſemen gratię in agrum ſterilem non credentium animarum, neophytorum, & nutantium animos confirmetis in fide, corda fidelium confortetis in luce ſermonis, & rectitudine operis, propoſitum vobis iter, ſine quorumlibet offenſione curratis. Ut autem miniſterium veſtrum eo plenius proſperetur, quo majori fueritis auctoritate ſuffulti: Vobis Apoſtolica auctoritate concedimus, ut in Terris illarum partium, quę adhuc Sedis Apoſtolicę magiſterio non intendunt, proponere Verbum Dei: & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqui fuerint majori excommunicatione ligati, in verbo, officio, cibo, ac in aliis ho-

Digitized by Google

honeſtis, & licitis communicare ſecure, ipſoſque, ſeu alios, quos converti ad unitatem Chriſtianæ Fidei affectamus, recipere, baptizare, & aggregare ovili Fidelium valeatis, ut per regenerationis gratiam de longinquo ad ſuum revertentes auctorem liberi efficiantur ex ſervis, de extraneis provehantur in filios, ex corruptibili carne nati, ex Dei Spiritu renaſcantur, & obtineant per gratiam, quod non obtinuerunt per naturam &c. Datum Avinione Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.* Adeas *Odoricum* loco laudato.
2. *Saracenorum.*) Conſulenda *Conſtitutio CCCXI Innocentii IV Tomo I pag.* 237.
3. *Macolitarum.*) Lege *Diploma datum XXIII Octobris MCCCXXI.*
4. *Naturam &c.*) Hic multa deſunt quæ mutuanda videntur ex *Conſtitutione CCCXI Innocentii IV*, ab illis verbis: *Et Presbyteri ex vobis*: ad finem uſque.

Fratrem Francum (1) Peruſinum Soltanienſem primum Archiepiſcopum creat, ipſiuſque Suffraganeos ſex Ordinis Fratres conſtituit (2).

Anno 1318 Die 1 Maii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. IV.

XII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Franco Peruſino, Ordinis Prædicatorum, Electo Soltanienſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PRidem gratis relatibus intellecto, quod in partibus Perſidis (3), & Terris aliis circumpoſitis ſub magni Imperatoris Tartarorum (4) Perſidis Imperio conſtitutis, venuſta fidelium, & novella plantatio, quam inibi plantaſſe dignoſcitur miſericordia conditoris, regenerata unda Baptiſmatis nomen veneratur Altiſſimi, & inſpiciens lucem magnam, extollit laudibus noſtri præconia Redemptoris, ingentem ſuſcepimus in corde lætitiam; votis ferventibus affectantes, ut viros, virtutis, honoris, & gratiæ titulo refulgentes, ad cultum novellæ vineæ veræ vitis tanquam cultores induſtrios, & operarios opportunos, quorum curioſa cultura ejuſdem vineæ palmites in illarum partium latitudinem uſque ad extremos Orbis terminos, Deo auxiliante, ſuccreſcant, per opportunæ ſolicitudinis, & diligentiæ ſtudium poneremus. Propter quod Villam Soltanienſem (5) in eiſdem partibus, & dominio conſtitutam, inter alias villas dictarum partium, prout fide dignorum habes aſſertio, inſignem, nobilem, & famoſam, ac habentem populum copioſum, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ plenitudine poteſtatis, in Civitatem Metropolitanam duximus erigendam: ac ad perſonam tuam, evangelizantem in illis partibus Verbum Dei, de cujus ſanctitate vitæ, literarum ſcientia, & aliis copioſis virtutum meritis, magna Nobis, & eiſdem Fratribus fide digna teſtimonia ſunt relata, oculos dirigentes, te Ordinis Prædicatorum profeſſorem, de ipſorum Fratrum conſilio, & dictæ poteſtatis plenitudine, Eccleſiæ dictæ Civitatis in Archiepiſcopum præfecimus, & paſtorem: curam, & adminiſtrationem, & ſolicitudinem animarum omnium exiſtentium in eiſdem partibus, quæ ſubduntur præfati Imperatoris, necnon Caydo (6), & Æthiopiæ, ac Indiæ Regum (7) ſeu Principum dominiis, tibi plenarie committentes; tibique exercendi omnia, quæ ad jura Archiepiſcopalia ſpectare noſcuntur, ſecundum quod eſt ſacris Canonibus diffinitum, concedentes plenam, & liberam poteſtatem, prout hæc, & alia in noſtris ſuper hoc confectis literis (8) plenius continentur. Volentes igitur, ut catholicæ fidei veritas ſemper de bono in melius, auctore Domino, in illarum partium latitudine, expulſis tenebris eluceſcat, ſex de Fratribus dicti Ordinis videlicet Geraldum Calvenſem (9), Guillelmum Adæ (10), Bartholomæum de Podio, Bernardinum de Placentia, Bernardum Moreti, & Bartholomæum Abaliati, in lege Domini eruditos, vita, & religione præclaros, & multarum virtutum titulis commendatos, de dictorum Fratrum conſilio, & ejuſdem plenitudine poteſtatis, aſſumpſimus, & præfecimus in Epiſcopos, & Paſtores: ipſoſque in adjutorium commiſſæ tibi ſolicitudinis pro majori animarum ſalute in præfatis partibus duximus deputandos. Datum Avinione Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Creat ut ſupra.

1. *Francum.*) *Francus de Peruſio*, inquit *Echard* Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXVIII pag. 517, *ſic a patria Hetruria civitate nuncupatus, & ibidem profeſſus ineunte Seculo XIV in Perſiam, & Tartariam perrexit, ibique innumeros infideles ad Chriſtum adduxit, & Baptiſmi aquis tinxit. Alter, Guillelmus Adæ, quem Gallum agnoſcit Fontana, Franci ſocius iiſdem ſacris laboribus perfunctus, ab eo Avenionem ad Johannem XXII miſſus eſt, qui Pontifici tam læta nova nunciaret. His anno MCCCXVIII intellectis Pontifex, unaque edoctus Uſbekum Tartarorum & Perſidis, quam ſibi ſubjecerat, Imperatorem, non parum Chriſtianis favere, Soltaniam, urbem in Perſide populoſam, in civitatem Metropolitanam erexit, & Francum noſtrum in iis regionibus evangelizantem verbum Dei, de cujus ſanctitate vitæ, literarum ſcientia, aliiſque copioſis virtutum meritis magna fideque digna teſtimonia reddita ei fuerant, primum Eccleſiæ dictæ Soltanienſi Archiepiſcopum præfecit, collata, & extenſa ejus in totum Tartari Regnum vaſtiſſimum, & ſuper Chaydo, ac Æthiopiæ, Indiæque Regum, ſeu Principum dominiis, juriſdictione, ac auctoritate, & in adjutorium commiſſæ ipſi ſolicitudinis, ſex ſodales noſtros in iis partibus cum eo verbo Dei ſeminando inſtantes Epiſcopos creavit, quos ei ſuffraganeos eſſe voluit .... Hujus Archiepiſcopi* (Franci de Peruſio) *meminit Fontana in Theatro, ſed Sedem corrupte ſcribit Soldarenſem, & Soldinenſem, vel Solidienſem nuncupans, & has ceu duas indicans, quæ una eſt, & eadem Soldanienſis, vel Sultanienſis recte dicta. Fatendum, errorem correxiſſe in fine Theatri pag.* 680, *& in Provincia Romana. Sed mirum Franciſcum ab eo ubique nominari, qui Francus conſtanter a Raynaldo, immo in ipſis Pontificis literis dicitur, quibus & ſtandum cenſeo. Quot annis a Conſecratione vixerit, quæve præclara in illis regionibus deinceps egerit, non referunt Annales noſtri, quamvis rei Chriſtianæ multum proficua, ſed & glorioſa fuiſſe autumandum ſit.*

2. *Conſtituit.*) *Diffuderat enim ſe non modo in Cambalienſi urbe Imperiali, aliiſque Scythiæ Aſiaticæ oris religio: verum in Perſide etiam & Indiis. Id vero Chriſti Vicarium impulit, ut Soltanienſem Sedem Patriarchalem in Perſide excitaret, quæ fidelibus Tartarorum Imperatori Perſidis, Principi Chaydo, & Doba, atque Indiarum, & Æthiopiæ Regibus obnoxiis præeſſet; illique Francum Peruſinum, Ordinis Prædicatorum præficeret, ac laborum & gloriæ ſocios ſuffraganeos ſex Epiſcopos ex eodem ſacro Ordine adjungeret.* Ex Odorico Raynaldo ad an. MCCCXVIII num. IV. Adeas *Bzovium ad eundem an. num. XIII.* Hujuſce Diplomatis Autographum eſt in Cœnobio *San-Maximinenſe.*

3. *Perſidis.*) *Perſis*, ſeu *Perſia* pars eſt *Aſiæ*, & Imperium potentiſſimum. Terminatur a Septentrione mare *Caſpio*, ab oriente *India* propria, ab occidente *Arabia deſerta*, a meridie Oceano *Indico*.

4. *Imperatoris Tartarorum.*) Cui nomen *Uſbec*, ut audivimus ex *Echard* mox laudato, & liquet ex hoc Diplomate *Johannis XXII*: Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, *Magnifico viro Uſbec Imperatori Tartarorum illuſtri, divinæ inſpirationis gratiam in præſenti, & fruitionis æternæ gloriam in futuro. Lætanter audivimus &c. Datum Avinione V Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secund.*, Chriſti MCCCXVIII. Legitur apud *Odoricum Raynaldum ad an. MCCXCVII. num. II.*

5. *Soltanienſem.*) *Soltanienſis* civitas eſt in *Perſidis* Provincia, quæ *Media* nuncupatur.

6. *Caydo.*) *Cai* apud antiquos *Perſas* magnum Regem ſignificabat. Hinc Regia Civitas ab ipſis *Cayton* vocabatur. *Eſt quædam magna Civitas juxta mare Oceanum, quæ vocatur lingua Perſica Cayton*, inquit Frater *Andreas de Peruſio*, Ordinis Minorum, in Epiſtola quæ legitur apud *Odoricum* ad an. MCCCXXVI num. XXXI, & apud *Waddingum* Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXVI num. II pag. 335: *In qua civitate una dives Domina armena Eccleſiam erexit præclaram ſatis, & grandem, quam quidem, de ipſius voluntate per Archiepiſcopum in Cathedralem erectam, cum competentibus dotibus Fratri Gerardo Epiſcopo, & Fratribus qui cum eo erant, donavit in vita, & in morte reliquit &c.* Cujuſdam *Caydonis* Principis Tartarorum meminit *Marcus Paulus Venetus lib. II Cap. II.* Is ipſe eſt *Caydonus*, quem ſuis literis cohoneſtavit *Nicolaus IV.* Diploma refert *Odoricus ad an. MCCLXXXIX num. LXIII.* Sic incipit: Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, *Cardono Principi Tartarorum illuſtri gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro. Ad ea, quæ tuæ ſalutis augmentum reſpiciunt, tuique nominis titulos in orbe terrarum attollunt, celſitudinem tuam libenter inducimus, operamque ſolicitam impertimur. Sane, Princeps egregie &c. Datum Reate III Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.*

7. *Æthiopiæ, ac Indiæ Regum.*) Regnorum illorum immenſitatem nemo non novit.

8. *Literis.*) Deſiderantur.

9. *Geraldum Calvenſem.*) De *Geraldo*, ceteriſque dicetur in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

10. *Guillelmum Ada.*) *F. Guillelmus Ada primum Franci Suffraganeus, eidem poſtea in Archiepiſcopatu ſucceſſit*, inquit *Echard* Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCXVIII pag. 537: *nam eo titulo ſe ornat in literis quas VIDIMVS vocant Bullæ Canonizationis S. Thomæ de Aquino in Domo noſtra Tiburtina ad Romam etiamnum ſervatis: quarum initium ſic refert Fontana: Nos Fratres Guillelmus Dei gratia Soldanienſis Archiepiſcopus, & Thaddæus Caphenſis Epiſcopus notum facimus &c. Datum ſic addit Fontana: Anno Nativ. Domini MCCCXXIII, Ind. VI Die II menſis Octob. Pontif. Johannis XXII an. XIII. Ubi certo erratum in anno Pontificatus, & legendum an. VIII, quo erat Indictio VI, nam an. XIII erat Indictio XI, & fuiſſet Chriſti MCCCXXVIII. Ex quibus colligo, Franco tum mortuo, Guillelmum in Occidentem rediiſſe, tumque anno dicto MCCCXXIII, Soldanienſem Archiepiſcopum a Johanne XXII promotum: non, ut habet Fontana, Franco in ea dignitate præiviſſe. Et hunc quot annis poſtea vixerit; non invenio: ut ut ſit ei ſucceſſit tertius.* Conſule *Conſtitutionem Datam I Junii MCCCXXIII.* Ceterum ex *Notis* ad *Conſtitutionem Dat. I Jun. MCCCXXIII* liquet, *Franco de Peruſio* Fratrem *Guillelmum* ſucceſſiſſe anno *MCCCXXIII*, non quod mortuus eſſet *Francus*, ut cenſet *Echard*, ſed quia ceſſerat Archiepiſcopatus oneri.

Anno 1318 Die 1 Maii.

Fratres Peregrinum (1) Ord. Prædicatorum, & Nicolaum Ordinis Minorum, in Cracovien., & Wratiſlavien. Civitatibus, ac Diœceſibus Fidei Cenſores conſtituit (2).

Ex Waddingo (3) Annal. Minor. Tom. III ad an. MCCCXVIII num. II. pag. 217.

XIII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Peregrino Oppolien. Prędicatorum, & Nicolao Hypolinet de Cracovia Minorum, Ordinum Fratribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a Paſtorali ſolicitudine.

PRę cunctis mentis noſtrę deſiderabilibus tota mente optantes fidei catholicę incrementa, & eam a malignorum, & pravorum, hęreticorum potiſſime, & credentium, fautorum, defenſorum, & receptatorum ipſorum doloſis inſidiis, & fraudulentis fallaciis, quibus vineam Domini Sabaoth, nequiter demoliri ſatagunt, pro viribus conſervare, nimio dolore expicimur, cum audimus aliquos, vel ſentimus, ad illius depreſſionem qualicunque malignitate conſurgere, vel damnabilibus ipſam depravando reprehenſionibus, aut ei detractionibus abrogabilibus derogando, ſeu eam fictis, & mendacibus pervertendo commentis; ad quorum iniqua conſternenda molimina eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem hujuſmodi peſtilentes viros pernicioſius agnoſcimus conſpirare, facies quidem habentes diverſas, ſed caudas ad invicem colligatas. Sane dolentes accepimus, quod in aliquibus partibus Regni Bohemię, & Polonię, & in confinibus, & limitibus terrarum ipſarum, pręcipue in Cracovien., & Wratiſlavien. Civitatibus, & Dięceſibus adeo infidelitatis diverſimode error invaluit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorſus averſi, euntes poſt devium falſitatis, ac ſeipſos diverſis, & variis hęreſibus (4) maculantes, peſtiferas ad concutiendum orthodoxę murum fidei machinas conſtruunt, molientes ipſam fallacium argumentationum doloſis, falſis, ac vulpinis impulſibus demoliri. Verum licet ubilibet Sedis Apoſtolicę diligentia contra talium periculoſam, & doloſam aſtutiam, ne diffuſius hujuſmodi ſerpat morbus, remedium libenter adhibeat opportunum, in pręedictis tamen Civitatibus, Dięceſibus, locis, & terris, veluti gentilibus, & paganis quaſi conterminis, cupientes anxie, ut negotium fidei jugi profectu, eliſis omnino quibuslibet erroribus, hęreſumque quarunlibet eradicatis vepribus, fortius convaleſcat, ſtudemus ad hęc, nec immerito, per nos, & alios attentius vigilare. Providemus itaque in pręedictis civitatibus, locis, & terris aliquas circumſpectas Perſonas ad pręſens pro tanto negotio deputare, quarum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem, ut ſacro ipſorum miniſterio, ac vigili ſtudio, & ſolicitudine indefeſſa, pręfatę Civitatis, & Dięceſis (5) terrę, & loca hujuſmodi pravis contagiis, aſſiſtente divina gratia, expurgentur, ac fidei catholicę nitor multiplicetur, & ſolidetur ibidem, & clarius, & lucidius eluceſcat in Dei honorem, & ejuſdem fidei incrementum, ſoliditatem, & ſtatum. Cumque de prudentię veſtrę induſtria, de qua Nobis, a fide dignis, & majoribus veſtrorum Ordinum laudabile teſtimonium perhibetur, plenam in Domino fiduciam habeamus, propter quod miniſterium veſtrum ad id ſpecialiter exequendum, & debite, ac prout tanti negotii requirit arduitas, vigilanter, & ſolicite proſequendum, eligimus, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta ſub virtute Sanctę obedientię firmiter pręcipiendo mandamus, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus Inquiſitionis officium in pręfatis civitatibus, & Dięceſibus, terris, & locis contra hęreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta formam Canonum, & auctoritatem Fratribus veſtrorum Ordinum Inquiſitoribus hujuſmodi pravitatis deputatis auctoritate

Conſtituit ut ſupra.

Apo-

Digitized by Google

Apoſtolica, & in poſterum deputandis, conceſſam, ſolerter, & ſollicite exequi ſtudeatis. Nos enim vos ad prefatum officium exequendum in locis, & partibus illis expreſſe duximus deputandos, ac illam poteſtatem, & auctoritatem habere vos volumus in partibus, & locis eiſdem, quę fratribus veſtrorum Ordinum Inquiſitoribus pravitatis hęreticę in aliis locis, & Provinciis, in quibus eam exercent, noſcitur eſſe conceſſa, ac in executione prędictorum plenam vobis concedimus, juxta formam Canonum, tenore preſentium facultatem. Et quia extirpationem prędictarum hęreſum, quę in illis partibus periculoſe pullulare dicuntur, & incrementum catholicę fidei zelamus ex corde, volumus, & mandamus, ut frequenter de ſtatu fidei in illis partibus, & executione veſtri officii Nos informare velitis; Ut ſi per Nos ad extirpationem prefatarum hęreſum, & hęreticorum, credentium, fautorum, defenſorum, & receptatorum ipſorum conculcationem aliud remedium adhiberi oporteat, certificati per vos, poſſimus officii noſtri debitum in prędictis & ea contingentibus, ſalubriter impertiri. Datum Avinione Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Peregrinum.*) *F. Peregrinus*, inquit *Echard* Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXII pag. 551, *Polonus ex Ducatu Sileſiæ ortus, & domus Wratiſlavienſis alumnus, vir gravis, & eruditus, pluribus apud ſuos regiminis dignitatibus functus eſt, nam Conventus Wratiſlavienſem dictum, & Ratisborienſem Prior rexit, tum anno MCCCV Poloniæ electus eſt Prior Provincialis, eoque titulo Comitiis Ordinis anno MCCCXII Carcaſſonæ adfuit, & in electione Magiſtri Ordinis Berengarii de Landorra votum tulit, ut habetur in Actis &c.* Hujuſce Fratris *Peregrini* meminerunt *Severinus Cracovienſis* in *ſuo Provincialium elencho*, & *Starovolſcius* in *Σαρματία Elogio LXXV.*

2. *Conſtituit.*) *Creaverat alias Alexander IV Inquiſitores ex Ordine Minorum in Regno Bohemiæ, & confinibus Poloniæ*, verba ſunt *Waddingi* Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVIII num. II pag. 217, ... *ſed mortuis his, neque ſuccedentibus aliis, qui agrum Domini diligenter excolerent, & ſimul cum tritico pullulantia zizania eradicarent, prævaluit in multis partibus Bohemiæ & Poloniæ, præſertim Pragenſi, Olomucenſi, Cracovienſi, Wratislavienſi, ac Miſnenſi Civitatibus, & Diœceſibus, fraus inimici, ita ut Magiſtri errorum variis artibus, & machinis fidem orthodoxam ſubvertere totis viribus conarentur. Sui itaque officii eſſe judicavit Pontifex ad illas partes deſtinare, qui iniqua molimina ſubdolæ gentis diſſiparent, & adverſus hæreticam horum pravitatem inquirerent. Præ ceteris delegit Fr. Peregrinum Oppolien. Ord. Prædicatorum, & Nicolaum Hypodinet de Cracovien. Ordinis Minorum, qui Inquiſitorum officio fungerentur in Civitatibus & Diœceſibus Cracovien., & Wratislavien., & Fr. Coldam Ordinis Prædicatorum, & Hartmannum Pilnen. Ordinis Minorum, qui idem munus exercerent in confinibus & limitibus regnorum Bohemiæ, & Poloniæ, præcipue vero in Civitatibus, & Diœceſibus Pragen., & Olomucen.*

3. *Waddingo.*) Laudat *Regeſtum Vaticanum An. II Parte I in Appendice Epiſtola LVI.* Eandem Epiſtolam citat *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. XLIV.* Meminit *Bzovius ad an. MCCCXVII num. XXXVII.*

4. *Hæreſibus.*) Fuiſſe eos hæreticos ſecta *Dulcinianos* refert *Dubravius Lib. XX Hiſtor. Bohemiæ.* Crediderim tamen de *Lolbardis* hæreticis hic etiam loqui Summum Pontificem. Tunc enim variis in locis, ac maxime in *Bohemia, Miſnia*, & *Polonia* ſerpebat hæc hæreſis *Lolbardorum.* Id ex *Taegio* docet *Fontana* Monumen. Ord. Prædicator. Parte II Cap. I ad an. MCCCXVI pag. 172. *Noctes*, inquit, *ducebant inſomnes noſtri Patres Inquiſitores in Lombardia, ... ut Lolbardorum hæreticorum latitantes reliquias comprimerent, perderent, eradicarent; quod animadvertentes illi, ſuſcepta fuga in Bohemia Regnum tranſiere, relictis in itinere quibuſdam mulierculis pueros ad ubera geſtantibus, quæ publico igne fuere conſumptæ, puerulis catholicæ fidei documentis imbuendis fidelibus traditis.* Eidem ſententiæ ſuffragatur *Odoricus* loco mox laudato, his verbis: *Præter Beguardos, quos in Germania incerto auctore pullulaſſe ex Alvaro Pelagio antea dictum, aliam Lolbardorum peſtem graſſatam ferunt. Et quidem una cum Beguardis Lolbardos emerſiſſe, cum Henricus VII ſceptrum Germanicum ſuſcepit, indicat Hocſemius, ejus temporis auctor: Eodem*, inquit (Lib. I Cap. XXXI) *anno, nimirum MCCIX, quidam hypocritæ gyrovagi, qui Lolbardi, ſive Deum laudantes, vocabantur, per Hannoniam, & Brabantiam, quaſdam mulieres nobiles deceperunt. Ex quo conſtat, eos hallucinatos, qui ad poſteriora longe tempora Lolbardorum originem retulerunt, quod Wicleffo primum ſuas ſpargente hæreſes, Lolbardorum nomen infame Wicleffiſtis inditum vulgo fuerit: quare Walſingamus paſſim Wicleffitas Lolbardos vocat. Ceterum de Lolbardorum Principe Waltero quodam hoc tempore nefaria dogmata diſſeminante per Germaniam, Auſtriam, & Bohemiam meminere Trithemius, Sandeyus, Genebrardus, & alii.* Hæc *Odoricus.* Ubi vero recenſuit hæreſes *Lolbardorum*, quibuſcum paſſim ſentiunt hujus ævi Sectarii; hæc addit: *Gloriari talibus Patriarchis, dæmonum fœderatis, poſſunt hujus ſeculi novatores, qui plura ab his venena hauſere.*

5. *Civitatis, & Diœceſis.*) Legerem: *Civitates, & Diœceſes.*

Fratres Coldam Ordinis Prædicatorum, & Hertmannum Ordinis Minorum Pragen., & Olomucen. Civitatum, ac Diœceſeon Inquiſitores creat (1).

Anno 1318 Die 1 Maii.

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III ad An. MCCCXVIII Num. IV pag. 218.

XIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Coldę Prędicatorum, & Hertmanno Pilnen. Minorum Ordinum Fratribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PRę cunctis &c (3). Sane dolentes accepimus, quod in aliquibus partibus Regni Bohemię, atque Polonię, & in confinibus, ac limitibus terrarum ipſarum, pręcipue in Pragen. & Olomucen. Civitatibus, & Dięceſibus, adeo hęreticę infidelitatis diverſimode error invaluit &c (4). Datum Avenione Kalendis Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Creat.*) Conſule præcedens Diploma.

2. *Waddingo.*) Laudat *Regeſtum Vaticanum An. II Parte I in Appendice Epiſt. LVI.*

3. *Cunctis &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc uſque verba: *ad invicem colligata.*

4. *Invaluit &c.*) Ut in eodem ad finem uſque.

Anno 1318
Die 1 Maii.

Epiſcopo Cracovienſi (1), ut Fidei Cenſores habeat commendatos (2).

Ex Waddingo (3) *Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVIII num. VI pag.* 218.

XV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cracovien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a Paſtorali ſolicitudine.

CUm illius Paſtoris pariter, & cuſtodis, qui animam ſuam pro ſuis ovibus poſuit, & qui ex iis, quos Pater ſibi dederat, aliquem non amiſit, vices, licet immeriti, geramus in terris, ut pro viribus commiſſe vicis exequamur officium, tenemur ſuper gregem, humilitatis noſtrę curę commiſſum, noctis cuſtodire vigilias, ut lupis molientibus diripere gregem ipſum, obviare toto conamine ſatagamus, & velut cuſtos, ſeu etiam ſpeculator, inſtruimur ore prophetico ſuper ſpeculam jugiter ſtare per diem, & ſuper cuſtodiam totis luſtrare noctibus, proſpectare undique, & pro poſſe ſingula ſpeculari, ut annuntiemus quęcunque viderimus, & opponamus nos murum aſcendentibus ex adverſo, de vinea Domini Sabaoth demolientes exterminaturi vulpeculas, & de veri veſtiario Salomonis corrodentes tineas excluſuri, propter quod Abrahę Patris Fidei typum gerentes in Dei Eccleſia ad Catholicę fidei tuitionem afficimur, ipſinſque deſideramus ubilibet incrementa producere, ac eam a malignorum, & pravorum quorumlibet hęreticorum pręſertim, atque credentium, fautorum, defenſorum, & receptatorum illorum, doloſis inſidiis, & fallaciis fraudulentis opportunis remediis pręſervare. Sane non ſine amaritudine cordis accepimus, quod in aliquibus partibus Regnorum Bohemię, ac Polonię, & in eorum confinibus, & limitibus, pręcipue in Civitate & Diœceſi Cracovien. adeo patenter hęreticę infidelitatis error invaluit, quod ibidem quamplurimi a via veritatis prorſus averſi, euntes poſt devium falſitatis, ac ſeipſos diverſis, & variis hęreſibus maculantes, peſtiferas ad concutiendum orthodoxę ſoliditatem fidei machinas conſtruunt, ipſamque ſubvertere tallis, & vulpinis impulſibus fallacium argumentationum intendunt. Quid ergo, frater, tu ad hęc? Nunquid labiis tota die otioſus, & tanquam nulla ſit tibi cura de omnibus iis, qui exprobrant nomini agminum Iſrael, te zelo fidei non oppones? An non attendis, quod clamat ad te Dominus per Prophetam, ut loquaris ad omnes civitates Juda, ſermones, quos loquutus eſt tibi, & ſermones illos exprimendo ſubiungit. Unde, & clama: Revertere adverſatrix Iſrael, dicit Dominus, & non avertam faciem meam a te. Nunquid etiam clamat idem Dominus per Ezechielem, dicens: Si ſpeculator viderit gladium venientem, & non intonuerit buccina, veneritque gladius, & tulerit animam unam de populo, ſanguinem eius de manu ſpeculatoris requiram. Redde ergo tu teſtimonium fidei, & in Chriſti negotio ulterius non leneſcas, nec ſit apud te verbum Domini alligatum, ſed diligenter paſtoralis partes officii exequaris. Noli otiari in talento Domini, ſed ut illud Dominus cum fęnoris acceſſione recipiat, evangelicam negotiationem exerce, inſta importune, & opportune, opus fac Evangeliſtę, miniſterium tuum imple, & animam, ſi neceſſe fuerit, pro defenſione fidei ponere non formides. Nos autem licet ad talia iniqua ubique conſternenda molimina eo animoſius aſpiremus, quo pernicioſius ea in diſpendium animarum non ambigimus redundare, & quo latius ſerpunt, ac dilatantur pericoloſius, ſi non in ſuis initiis extinguantur. Cupientes tamen anxie in Civitate ac Diœceſi memoratis, ac terris, & locis aliis dictorum Regnorum, veluti gentilibus, & paganis, quaſi conterminis, negotium ipſius fidei eliſis omnino quibuſlibet erroribus, hęreſumque quarumlibet eradicatis vepribus, jugi profectu convaleſcere fortius, ac felicius proſperari, ad id inibi promovendum per nos, & alios attentius, nec immerito vigilare ſtudemus. Unde providemus dilectos filios Fratres Coldam, & Peregrinum Oppolien. Prędicatorum, & Hermannum Pilven. (4), & Nicolaum Hippodinet in Cracovia Minorum Ordinum. quorum honeſta converſatio, ut ſperamus, exemplum puritatis, & doctrinam fundent erudita labia ſalutarem, ad Inquiſitionis officium in prędictis Civitatibus, Diœceſibus, Locis, & Terris contra hęreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptores eorum, juxta formam Canonum exequendum per Apoſtolicas Literas deputandos.

Mandatum.

Quocirca Fraternitati tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus pręmiſſis omnibus pia meditatione penſatis, indutus loricam fidei, ad illius vitanda pericula & hoſtium ejus audaciam compeſcendam, in prędictis tua Civitate atque Diœceſi te ferventer accingas, ne diſſimulare videaris, quod terreni Principes ęmulantur, quantum in te fuerit, contra ipſos hęreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum ſic inſurgere ſtudeas, ſic eiſdem Inquiſitoribus circa tam pium commiſſum eis officium, ſalubriter exequendum conſiliis, auxiliis, & favoribus opportunis aſſiſtas; quod tuo mediante ſuffragio per eorum ſacrum miniſterium, ac ſtudium vigile, & ſollicitudinem indefeſſam, prędictę tuę Civitas, & Diœceſis ab hujuſmodi pravis contagiis, aſſiſtente Divina gratia, expurgentur, ac Fidei Catholicę cultor multiplicetur, ac ſolidetur itidem, & clarius, & lucidius eluceſcat in Dei honorem, & ejus Fidei incrementum, ſoliditatem, & ſtatum, per quod ab eo, cujus ages in hac parte negotium, ineſtimabile tibi pręmium compares, & nobis, ac Apoſtolicę Sedi dignis in Domino laudibus commendandus occurras. Datum (5) Avenione Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Cracovien.*) Quis ille fuerit, docet Waddingus *Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVIII num. V pag.* 212. Id etiam aperit *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. XLIII*, dicens: *Serpebat variis in locis, ac maxime in Bohemia, Miſnia, & Polonia fœdarum hæreſeon lues, ad quam præfocandam Johannes Præſules earum partium excitavit: inter quos Johannem Muſcatam Epiſcopum Cracovienſem, qui munus Epiſcopale negligentius tractabat, ut ad naſcens malum, quo par erat zelo, excindendum incumberet, hiſce literis adhortatus eſt.*

2. *Commendatos.*) Conſulenda præcedentia Diplomata.

3. *Waddingo.*) Citat *Regeſtum Vaticanum An. II Parte I in Appendice Epiſtol. LVI*. Eadem Epiſtole laudatur ab *Odorico* Raynaldo loco mox citato, ubi partim tranſcribitur.

4. *Pilven.*) Fortaſſis *Pilnen.*, ut in præcedenti.

5. *Datum.*) Non *Cracovienſi* Præſuli tantum, ſed aliis etiam eo modo ſcripſiſſe *Johannem*, auctor eſt *Odoricus ad an. MCCCXVIII num. XLIV*, dicens: *Dandum id ſtudio Romani Pontificis, qui Johannem Regem Bohemiæ, Wladiſlaum Cracovienſem, Boleslaum Lokiekum Wratiſlavienſem Duces, & Marchionem*

nem Miſniæ adhortatus eſt, ne Religionem novis erroribus obſoleſcere, & obſcurari paterentur, ac ſacræ fidei Cenſoribus opera & ſtudio non deeſſent. Injunctum id munus fuit Peregrino Oppolienſi, & Nicolao Hippodines Prædicatoribus, Coldæ, & Hermanno Minoritis, (cave, & vide præcedentia Diplomata) *dataque ipſis imperia, ut adverſus ſontes Divini cultus zelum explicarent.* Adſtipulatur Waddingus *Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVIII num. VI &c. pag. 219*, ubi hæc habet: *In eundem modum ſcribit* (Johannes) *ad Epiſcopos Miſnen., & Olomucenſem; Deinde graviſſimas dedit de hac eadem re literas ad Wladiſlaum Locticum, Cracoviæ Ducem; ad Johannem Regem Bohemiæ, ad nobiles viros Henricum de Lipa, Petrum de Monte Roſarum, Willelmum de Waldek, Willelmum de Landſteyn, Henricum de Monte Luado, Beneſium de Wartenberk Johannem de Meginedi, & Potonum de Pogerich, atque ad ceteros nobiles per Bohemiæ Regnum conſtitutos: necnon ad Pragen., Olomucen. civitates, ac reliquas univerſitates civitatum, caſtrorum, aliarumque terrarum, ac villarum Regni Bohemici; ac demum ad Marchionem Miſnenſem, ut omnes auxilio & favori eſſent Inquiſitoribus, & Regna Catholica paganis, & gentilibus contermina nullatenus permitterent hæreſeos aut paganiſmi labe contaminari. Literarum exemplar idem eſt ad omnes, mutatis mutandis, & in multis aſſimilantur Epiſtolæ ad Epiſcopum Cracovienſem miſſæ, atque obinde hic eas prætermittere decrevi.* Hæc Waddingus, ex quo plures alias Epiſtolas deſiderari diſcimus: *Plures etiam*, inquit Num. VII, *ex utroque Ordine Prædicatorum, & Minorum ſanctæ Inquiſitionis officio hoc tempore functos per Ducatum Spoletanum, per Tuſciam, Patrimonium B. Petri, Comitatum Sabinæ, Marchiæ Provinciam, in Aquilejen., & Graden. Patriarchatibus, in Piſana, Arboren., Calaritana, & Turritana Civitatibus & Diœceſibus, in Ravennatenſi, Mediolanenſi, & Januenſi Urbibus, ac Provinciis, in Regno Siciliæ tam ultra quam citra Pharum, in omnibus ferme Franciæ Provinciis, mihi conſtat ex plurimis Epiſtolis hoc anno ſub IV Nonas Auguſti datis ad varios Sedis Apoſtolicæ Miniſtros, & Rectores in Italia.* Citat *Epiſtolas Regiſtri Vaticani An. II* ab Epiſtola *CXLIII ad CL*, & *An. III Tomo I Epiſt. CCXXXII.*

Quædam a Capitulo Generali, Lugduni congregando (1) decernenda præſcribit.

Anno 1318
Die 30 Maii,

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Definitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, & ceteris Fratribus ejuſdem Ordinis, apud Lugdunum in Capitulo Generali congregatis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

Lucis Creator optimus, ſaluti humani generis clementer intendens, ſacrum veſtrum Ordinem lucernam pedibus hominum, & eorum ſemitis lumen dedit, ut videlicet tanquam lucerna igne caritatis ardens, & velut lumen Doctrinę fulgore perlucidum, & ſuper candelabrum eminentis Religionis erectum, omnibus in Domo Domini reluceret. Ad hunc Ordinem, & inclytos Profeſſores illius, qui opere prędicantes, & verbo, ſic hominum lucent aſpectibus, ut illos exemplis ſalutaribus dirigant, eoſque quaſi cęcis facti oculi, pedes claudis in Dominicorum ſemitam mandatorum quibuſdam greſſibus rectę operationis adducant, nimirum afficimur, & conceptum ad ipſos ab olim continue ampliamus affectum, tota mente, totoque corde ſoliciti, ut ſpiritualibus incrementis proficiant, & in ſuis etiam opportunitatibus temporalibus non decreſcant. Cum itaque juxta Prophetarum encomium magna opera Domini in conſilio, & congregatione juſtorum, optamus id in hac ſalutari Congregatione veſtri Capituli Generalis impleri, ut videlicet cogitetis, Domino inſpirante, quę recta ſunt, &, eo gubernante, eadem faciatis; & quia imminet de Magiſtro Ordinis creando tractatus, ſinceritatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, quatenus devotos animos paternis affectibus exhibentes, in ipſius electione Magiſtri ſic habeatis prę oculis ſolum Deum, quod nihil in illa ſibi favor, aut odium vindicet, nihil affectus inordinatus uſurpet, ſed juxta morem laudabilem hactenus obſervatum, illum per electionem unanimem (3) & concordem, ad gerendum Magiſterii Ordinis ejuſdem officium ſtudeatis eligere, qui tanto congruat oneri, & honori, qui non ſolum utilis ſit Ordini, ſed & orbi ſe reddere noverit, velit, & valeat, prout negotiorum expoſcet varietas, ex tanto magiſterio reverendum, & ex humili miniſterio gratioſum. Quia etiam in humilitatis ſpiritu vos tenemini cunctis exhibere pacificos, & prę ſertim Eccleſiarum Prę latis, quorum patrociniis, & favoribus plurimum indigetis, In eodem curetis ordinare Capitulo, quod Fratres Prę latos, in quorum Civitatibus, ſeu Diœceſibus commorantur, nullatenus ſcandalizent. Non in Domibus, aut colloquiis laxent linguam detractionis in eos, ſed potius circa illos ſe ſic reverenter, & humiliter habeant, ſic abſtineant ab eorum injuriis, & offenſis, ut merito gratiam, & benevolentiam eorum acquirant, & ſi aliquos Fratres ad morandum in Prę latorum ipſorum domibus, aut quorumcunque Magnatum deputari contingat, provideatur, quod ſint moribus, & vita probati, ut ipſorum laudabilis converſatio ędificet per exempla virtutum. Et ſi qui conditionis alterius ſint in hujuſmodi domibus poſiti, revocentur ad Clauſtrum. Servetur inter Fratres cujuſlibet Provincię honeſtatis ſanctimonia, animarum zelus, obſervantiarum norma regularium, unitatis concordia, correctionis debitę diſciplina. Nec propter appellationes ad Sedem Apoſtolicam emittendas vereatur Prę latus aliquis officium ſuum exercere contra inſolentes Fratres, eorumque offenſam, quia temporibus noſtris non permittemus per appellationes hujuſmodi impediri juſtę caſtigationis acrimoniam, vel differri. Familiaritates indecentes, ac diſcurſus inutiles ex quibus Ordini ſuccreſcere nota poſſit infamię, penitus evitentur. Fratres ad inquirendum contra hęreticos per Sedem Apoſtolicam deputatos moneatis, ac ſolicitetis attentius, eiſdemque diſtrictius injungatis, ut Inquiſitionis officium, puro corde, puriſque manibus cum pervigili dexteritate, omni propulſata ſegnitie, & tam favoris dextera, quam odii ſiniſtra rejectis, ſic diſcrete, ſic mature, ac caute ſtudeant exequi, quod promiſſum prę mium apud Deum, & laudem, apud homines valeant promereri. Et demum ad ea, quę Dei ſunt, & quę in iis, & aliis Religionem foveant, & ejus decorem obſervent, adeo ſint corda veſtra concordia, & opera manifeſta, quod intus ipſius Religionis veritas, & exterius famę integritas conſervetur. Ceterum quia pelagus mundi hujus adeo diſcordiarum, & diſſenſionum flatibus quatitur, & exaltatis fluctibus commovetur, ut vix liceat vacare pietatis operibus, immo dum mens ſolicitudinibus occupatur iniquis, pia negliguntur opera, inſidiis intenditur, & de terra illa, in qua ipſe Dei Filius homo dirę mortis ſubiit paſſionem, myſterium noſtrę Redemptionis perficiens, ſine qua parum nobis ſua Nativitas profuiſſet, eripienda de profanis hoſtium fidei manibus non

Præſcribit ut ſupra.

Nota.

non curatur. Ad eum,qui ad dexteram Patris in cęlis reſidet, eſt devotis precibus recurrendum, ut ipſe ceſſationem flatuum, ſedationem fluctuum omnipotentię ſuę inducat imperio, & tranquillitatis gratiam benigne concedat. Ad quod facilius obtinendum, de veſtra devotione pręcipue fidentes, Univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & obſecramus in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quod apud Deum, cujus pax omnem ſenſum exſuperat, ſedulis orationibus inſiſtatis, & per Fratres Ordinis veſtri jubeatis inſiſti, ut ipſe, cujus eſt illa pacis perfecta conceſſio, quod ipſo eam concedente non ſit qui condemnet judicio, poteſtate deterreat, vel terrore perturbet, in univerſa Eccleſia pacis, & concordię fluenta diffundat: cunctis fidei chriſtianę cultoribus, & pręcipue Principibus, & Magnatibus ſtatum pacificum ſua omnipotenti virtute tribuat, eoſque faciat ſua pietate concordes, ac proſecutionem negotii Terrę Sanctę eorum cordibus influat. Denique licet indubie ſupponamus, quod paternum, quem ad vos gerimus, orationum ſuffragiis recompenſetis, affectum, ut tamen adiiciat humilitas petitionis ad meritum, & ad illarum reddat participationem aptiores, devote petimus, & humiliter imploramus, ut in eodem Capitulo ſingulis Conventibus indicatis, quod humiles pro nobis fundant preces ad Dominum, ut ipſe, qui tanti oneris impoſuit nobis ſarcinam, non patiatur ipſius onere nos opprimi, ſed operi manuum ſuarum porrigat dexteram, debilitatem noſtram ſuo robore fulciat, ſuaque virtute ſuſtentet, velle, ſcire, & poſſe nobis miſericorditer tribuat, qualiter in commiſſi executione regiminis ſic ſuum exequamur beneplacitum, quod ęternę retributionis gloriam una cum grege nobis credito, de ſua benignitatis gratia conſequamur. Datum Avenione III Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Johannis XXII humilitas.

1. *Congregando.*) Die XI Junii MCCCXVIII.
2. *Archivo.*) In Actis Capituli Generalis *Lugdunen.* Anni MCCCXVIII. Legitur apud *Fontanam Monumen. Dominic. Parte II. Cap. I ad annum MCCCXVIII pag.* 175. Meminit *Carolus a Sancto Vincentio in Anno Dominicano Parte I Septembr. pag.* 95 *Chronologiæ Miſſionum.*
3. *Unanimem.*) Ut erat in votis, unanimis certe fuit electio. Teſtis eſt auctor æqualis *Bernardus* noſter *Guidonis*, cujus hæc verba: *F. Hervæus Brito, Magiſter in Theologia, Provincialis Franciæ fuit electus in Magiſtrum Ordinis in Capitulo Lugdunenſi, & fuit electus ab omnibus concorditer in primo Scrutinio. Erat autem tunc Vicarius Ordinis Anno Domini MCCCXVIII.* Idem ex *Olmeda* docet *Fontana* noſter *Monument. Domin. Parte II Cap. I ad an. MCCCXVIII pag.* 174.

Anno 1318 Die 8 Junii.

F. Raymundum Stephani, & alios Fratres Prædicatorum Ordinis in Armeniam mittit, ipſoſque commendat (1) Armeniæ Regi (2).

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCCXVIII num. XV.

XVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto Filio Regi Armenię Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

QUoniam Majeſtati Divinę, quę Nos gratis condidit, gratis redemit, gratis etiam ab omni mentis, & corporis adverſitate cuſtodit, nihil offertur gratius, nihil acceptius exhibetur, quam ſi homo hominem ad vitam trahat, & divinę gratię, ſine qua ſalvi eſſe non poſſumus, fervidus cooperator exiſtat; proinde cum, Doctore gentium atteſtante, fides ſit ex auditu, auditus autem per Verbum Dei, valde neceſſarium eſt, ut linguarum confuſionem, quam ſuperborum hominum inſolentia meruit, diverſorum idiomatum peritia ſuppleat; & defectum, quem culpa intulit, humanum ſtudium, pręvia Dei bonitate depellat. Quis enim, licet eximię ſanctitatis ſplendore fulgeat, licet lacteo eloquentię fonte decurrat, Verbum Dei etiam benevolis, atque devotis auribus utiliter proferat, quando vis verborum ab audientibus non percipitur, & audientis animus vocis barbaricę aſperitate vexatur? Aut cujus unquam pręſtantiſſimi viri gratus poterit eſſe convictus, ſi ſermo, humanę mentis interpres, a convivente omnifariam fuerit alienus? Ut enim verbis utamur Apoſtoli (4): Si neſciero virtutem vocis, ero ei, cui loquor, barbarus, & qui loquitur mihi barbarus; unde Salvator noſter ad pręclaram confeſſionem ſui nominis diverſitatem gentium vocaturus, beatis Apoſtolis, ut linguis loquerentur omnium, poteſtatem tribuit, ut divinę vocationis novitatem nova lingua promeret, & veritatem chriſtianę fidei inauditę facundię celebre miraculum confirmaret. Cupientes, igitur, ut ubilibet gentium, & pręcipue in ſubiecto tibi Regno Divini Nominis reverentia creſcat, augeatur Chriſtiana Religio, & Fides Catholica dilatetur; in memorato Regno multiplicare proponimus viros religione claros, devotione gratos, & ſcientię decore venuſtos, videlicet Fratrem Raymundum Stephani Ordinis Prędicatorum, & quoſdam alios ſuos ſocios, qui ſubjectum tibi populum verbo ſalutiferę prędicationis inſtruant: ſanctę converſationis exemplo ad amorem patrię cęleſtis accendant: & latini ſermonis peritiam pręceptoris officio, gratis atque copioſe diffundant. Nam etſi veneranda, & prona devotione colenda eſt illorum gloria, qui divino munere linguis variis Dei magnalia loquebantur, laudanda nihilominus, & prorſus imitanda illorum ſedulitas, qui pro dilatatione chriſtianę fidei interpretandi ſcientiam comparare in continuati laboris probitate nituntur: & ſi impoſſibile eſt, ut omnes gentes ad unius linguę labium redeant; non impoſſibile, ſed facile, & perutile eſt, ſi, accedente magiſtro, & non deficiente diſcipulo, interpretum multitudo ſuccreſcat, quorum ſuffragio ad tuas accedentes partes facile poſſint, ultroque citroque mutuum ferendo, atque referendo ſermonem, conceptus mentis viciſſim promere, nutrire pacem, ſocialem vitam ducere, & de impugnatione, atque expugnatione inimicorum chriſtianę fidei ... (5) cautius, liberiuſque ſuſcipias; & nos immo Salvatorem noſtrum, pro cujus amore longam, atque laborioſam peregrinationem ſubeunt, in ipſis attendens, illos juxta regalem magnificentiam, opportunis favoribus proſequi non deſiſtas; providendo celerius, ut certa loca in Regno tuo, & pręcipue in Civitate Aiacii (6) prędictis Dei famulis aſſignentur, in quibus devotum, & debitum ſervitium Deo reddere, confluentem plebem inſtruere, & latini ſermonis copiam valeant miniſtrare. Ad quod ſalubre exercitium juvenilis, atque puerilis manus eſt per tuam diligentiam inducenda, ac etiam, ſi opus fuerit, compellenda: quoniam hę ętas

Commendat ut ſupra.

gras varietates idiomatum & facilius capit, & tenacius ſervat, & ſuavius, atque efficacius promendo, refundit. Datum Avenione VI Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Commendat.*) *Deſudatum eſt adeo ſtrenue ab iis, qui antea in Armeniam ad diſcutiendas errorum tenebras, quibus ii populi erant offuſi, ut Armeni ad Romanæ Eccleſiæ gremium fuerint revocati*; verbis utor *Odorici Raynaldi* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII. num. VIII. *Quam quidem redintegratam cum Romana Eccleſia Armeniorum conjunctionem Pontificiæ ad Oſſinium Regem literæ doceat.* Eas ibidem refert *Odoricus*. Idem vero liquet ex *Siſenſi*, & *Adanenſi* Conciliis *Armenorum*. Acta utriuſque Synodi leguntur apud *Galanum Conciliation. Eccleſiæ Armen. cum Romana Cap. XXVIII & XXIX Parte I Hiſtoriali.* Pergit *Odoricus* Num. XV. *Ne vero facile fidei puritas inter Armenos exoleſceret, Pontifex aperienda in Armenia gymnaſia putavit, in quibus Armeni linguam latinam diſcerent; quoque major interpretum copia foret, injuncta eſt ea Prædicatoribus provincia, ut ſimul ad Armenos erudiendos incumberent, quos Regi Oſſinio commendavit Johannes, ut ipſis domicilia Aiacii, quæ in Cilicia extrema ora maritima ſita eſt, conſtitueret.*

2. *Regi.*) *Oſcino* ſcilicet, ſeu *Oſſinio*, ut ex *Odorico* mox dictum fuit, & probatur ex Diplomate Pontificio, quod ibidem refert *Odoricus*. Inſcribitur *Oſſinio Regi Armeniæ illuſtri*. Fuit *Oſcinus* patruus *Leonis* Regis *Armeniæ*, germanus frater *Haytonis*. Anno *Armenorum* DCCLVII, Chriſti MCCCVIII, ſucceſſit *Leoni*. Adeas *Galanum* loco citato, *Cap. XXIX.*

3. *Odorico.*) Laudat *Regeſtum Johannis XXII, An. II Parte I Epiſt. LXVIII.*

4. *Apoſtoli.*) Legitur 1 *ad Corinthios XIV.*

5. *Fidei....*) Addendum *agere*; ut monet *Odoricus*: aliquid tamen aliud deeſſe videtur.

6. *Aiacii.*) Vulgo *Laiazzo*, *Aiazza*, & *Aiaſſa*; latine vero *Iſſus* etiam, & *Iſſum* nuncupatur *Aiacium*. Urbs eſt *Ciliciæ* ad mare Mediterraneum, & *Iſſicum* ſinum. Quod autem per id tempus juris *Armenorum* fuerit *Aiacium*, conſtat ex *Bulla* data Avenione XIII Kalendas Januarii, Pontificatus *Johannis XXII* Anno Septimo, Chriſti MCCCXXII, ſic enim loquitur Johannes: *Sed & Soldanus.... innumeram equitum & peditum multitudinem hoſtiliter in Armeniam Saracenorum immiſit; qua depopulata eſt reliqua, vaſtavit atque combuſſit Laiacium Armeniæ Civitatem, locum utique inſignem cum ſuo inibi caſtro demoliens, & tandem navali obſidione, vel bello captum etiam ejuſdem Civitatis Caſtrum fortiſſimum, in mari ſitum evertens &c.*

Fidei Præconibus, ſeu Miſſionariis, Indulgentiam Plenariam concedit (1).

Anno 1318 Die 10 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem, XVIII.

Indulgentia.

INexplicabili deſiderantes affectu, ut divini cultus officium jam in pleriſque gentium partibus, auctore Deo propagatum, eo magis vigeat, quo Miniſtris potioribus frequentatur, ſolicita deliberatione providemus, ut in hac veſtra Congregatione per vos, filii, provideatur; ut de Ordine veſtro, qui inſpirante Deo, velut cęlum micat ſideribus, ſic perſonarum numero, & virtute coruſcat, ad minus quinquaginta Fratres ad hęc voluntarii, alias diſcreti, & ſufficientes, mittantur ad partes gentilium per ſingulos Ordinis veſtri Conventus, ad exercenda ibi divina miniſteria, prout expediens fuerit, dividendi (3). Nos enim univerſis, & ſingulis, quos ad hoc duxeritis taliter eligendos, licentiam, & indulgentiam, quam merentur tranſeuntes ultra mare in ſubſidium Terrę Sanctę auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium elargimur. Datum Avenione VI Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Concedit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Idem legitur apud *Ferdinandum Caſtillo Parte II pag. 104*, apud *Olmedam in vita F. Barnabæ Vercellenſis*, & apud *Fontanam Monument. Dominican. Parte II Cap. II pag. 198.*

3. *Dividendi.*) *Delecti igitur ſunt Fratres, id enixe petentes, ſupra centum*, inquit *Fontana* mox laudatus, *qui ad converſionem gentium varias in Orbis partes directi, maximum fructum in animarum converſione Eccleſiæ Sanctæ dedere.*

Ut Fratres Prædicatores Fidei Quæſitores in Græcia Dux Venetiarum habeat commendatos (1).

Anno 1318 Die 25 Julii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII. num. LVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Duci Venetiarum, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. XIX.

Exordium a paſtorali ſolicitudine.

IN vinea Domini conſtituti ſuperna diſpoſitione cultores, ſpiritualem in illa culturam vigilantibus ſtudiis exercemus, inſtantia multę ſolicitudinis vigilantes, ut in ea, fruge ſanctorum operum ſuccreſcente, nullius radix amaritudinis convaleſcat. Ipſius quidem vineę palmites fructuoſos peſtilentes hęretici peſtiferis morſibus pręcidere molientes, fidelium animas tanquam animalia venenoſa conantur extinguere, illis virus mortiferum in aureo Babylonis calice propinando: propterea nos, qui vulpeculas parvulas voce ſponſi capere commonemur, ad extirpandam peſtem hęreticę pravitatis eo ferventius ſtudium Apoſtolicę ſolicitudinis adhibemus, quo deſiderabilius concupimus, ut ubique cultus fidei catholicę dilatetur. Cum igitur dilecto filio Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Gręcia dederimus noviter per noſtras ſub certa forma literas (a) in mandatis, ut aliquos de ipſius Ordinis Fratribus ſibi commiſſis, quos ad hoc idoneos fore cognoverit, Inquiſitores adverſus eoſdem hereticos in partibus illis ſtudeat deputare; nobilitatem tuam rogamus, & hortamur in Domino, ac per Dei miſericordiam obſecramus, tibique in remiſſionem injungimus peccatorum, quatenus diligenter attendens, quod nedum hęreticos, ſed receptores, fautores, & defenſores eorum pœnis percellunt graviſſimis canonicę Sanctiones, quoslibet in dictis partibus Grecię, tuę ditioni ſubiectos, a quovis auxilio, conſilio, & favore hereticis, fautoribus, receptatoribus, & defenſoribus antedictis; necnon & Judęis, qui contra fidei veritatem plura neſanda committunt, & Religionis Chriſtianę cultores perverſis corrumpunt dogmatibus, quomodolibet impendendo, cohibens abſtinere, eis mandes diſtrictius, & injungas, ut Inquiſitoribus, per

Inquiſitores commendat.

Pro-

Provinciam deputandis eandem, ad exterminandum de partibus illis peſtem hujuſmodi, dictoſque Judęos pęna debita puniendum ferventer aſſiſtant, & auxilium efficax, opportunumque conſilium, & auxilium largiantur; ut Inquiſitores ipſi, hujuſmodi auxilii & favoris ſuffulti juvamine, in Inquiſitionis negotio contra pravitatem eandem, ad Divini Nominis laudem & gloriam, utilius proficere valeant; ac tu & ipſi, pręter mercedem retributionis ęternę, quam tua, & ipſorum ſinceritas inde merebitur, noſtram & Apoſtolicę Sedis valeatis benedictionem & gratiam uberius promereri. Datum Avenione VIII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Commendator.*) Adeas *Odoricum ad an. MCCCXVIII num. LVII.*

2. *Literas.*) Deſiderantur hæ Literæ.

Anno 1318 Die 1 Auguſti.

Cœnobii in Caſtro Rupis fidelis (1) conſtituendi (2) facultas.

Ex Ferdinando de Caſtillo Hiſtor. Prædicator. Parte II Lib. I Cap. XLIII.

XX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Hiſpanię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

QUanto Fratrum Prędicatorum Ordo inter alios Ordines ampliori gratię meritorum, pręrogativa virtutum, & tanquam religionis exemplar majori claritate reſplendet, tanto libentius animarum conſiderato profectu, ad propagationem ipſius Apoſtolici favoris gratiam impertimur, ut affectatum animarum lucrum, quo nihil eſt Deo acceptius, per ſalubria Fratrum ipſius Ordinis, ac fructuoſa ſtudia, & exempla laudabilia valeat, annuente divina gratia, provenire. Sane, ſicut exhibita nobis ex parte dilecti filii nobilis viri Johannis Nati quondam Emanuelis Infantis, petitionis ſeries continebat, quod ipſe qui ad eundem Ordinem progenitorum ſuorum laudabilius inhęrendo veſtigiis, ſpecialem affectum habere dignoſcitur in caſtro ſuo Rupis Fidelis, Palentinę Dięceſis, unum locum ejuſdem Ordinis

Conceſſio.

deſideret complantari; Nos cupientes, ut dicta Religio ſalubriter propagetur, ejuſdem nobilis ſupplicationibus inclinati, recipiendi dictum locum, ſeu ędificandi in Caſtro prędicto, Conſtitutione fel. record. Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, quę id fieri prohibet ſine Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, & qualibet alia in contrarium edita non obſtan., liberam tibi licentiam, auctoritate pręſentium elargimur. Datum Avenione Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Rupis fidelis.*) Vulgo *Peñafiel*, latine *Pintia*, vel *Rupes fidelis* in Regno *Caſtellæ veteris*.

2. *Conſtituendi.*) Conſulendus *Caſtillo* loco laudato.

Anno 1318 Die 1 Auguſti.

Dies, quibus F. Francus (1) Soltanienſis Archiepiſcopus, ipſiuſque ſucceſſores, Pallio uti poſſint, deſignat (2).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. VI.

XXI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Franco Peruſino, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Electo Soltanien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Deſignat ut ſupra.

CUpientes prędictam (3) Soltanienſem Eccleſiam, ad quam velut opus manuum noſtrarum (4) intenta mente afficimur, cujuſque exaltationem deſideramus ex animo honoribus gratioſis attollere; tibi, & ſucceſſoribus tuis Archiepiſcopis Soltanienſibus, qui pro tempore fuerint, in Nativitatis, & duobus diebus ſequentibus, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, & duobus ſequentibus & Aſcenſionis, & Pentecoſtes, & in quatuor B Marię (5), Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, Apoſtolorum Petri, & Pauli, & omnium Sanctorum (6), in Die Cęnę Domini, Sabbati Sancti, Ramis palmarum, commemoratione omnium Sanctorum, B. Laurentii Martyris, B. Georgii, B. Auguſtini, B. Dominici, & in principali ipſius Eccleſię Feſtivitatibus, Conſecrationibus Epiſcoporum, in Ordinationibus Clericorum, in Abbatum, ac Abbatiſſarum, & Monialium benedictionibus, necnon & in die Conſecrationis tuę, ipſique Succeſſores infra dictam Eccleſiam, & totam Provinciam Soltanienſem pallio de Corpore B. Petri (7) ſumpto, quod tibi & eiſdem Succeſſoribus per certos Nuncios (8) ad partes ipſas tranſmittimus, uti licite valeatis, auctoritate pręſentium indulgemus &c. Dat. Avinione Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Francus.*) Legendum *Diploma datum I Maii MCCCXVIII.*

2. *Deſignat.*) Audiendus hic *Odoricus* ad an. MCCCXVIII num. V. *Impoſuit* Johannes XXII *eidem Soltanienſi Archiepiſcopo provinciam, ut ſi pluribus Epiſcopis ad proferendos Evangelii limites opus eſſet, ipſos excitis duobus Catholicis Antiſtitibus ſacris Pontificalibus initiaret auctoritate Apoſtolica: quos cum e vivis excedere contigiſſet, ut Prædicatorum ſodalitia earum partium Eccleſiarum curam gererent, conſtituit. Quo vero Archiepiſcopalis muneris numeros omnes Soltanienſis ipſe impleret, Pontifex Pallium Suffraganeis tranſmiſit, ut poſt conſecrationem, in Perſide conferendum, ei traderent. Extant in Pontificio Regeſto hujuſmodi literæ Guillelmo Adæ, Epiſcopo Soltanienſis Eccleſiæ ſuffraganeo, ac Johanni e Florentia Dominicanæ familiæ alumno data, quos Pallium Epiſcopo, cujus partium erat Soltanienſem Archiepiſcopum ſacris Pontificalibus initiare, conſignare juſſit, ut ipſum in Romani Pontificis verba ſolemni ſacramento adactum, eo ornaret: adjecitque, ut electus ſacramenti formam conceptis verbis deſcriptam in ſuis ad Sedem Apoſtolicam literis inſereret, chirographoque ſuo muniret: illa vero a Pontifice tranſmiſſa eſt in literis ad Suffraganeos datis, quibus ſignificavit, ſe electi laboribus, ac periculis, qua ſubeunda eſſent, peperciſſe, ſi ex antiquo Romanæ Eccleſiæ more ad conſecrationem obtinendam Metropolitanus ſe ad Apoſtolicam Sedem non conferret: in ſacramenti tamen forma veniendi ſingulis ſex annis, atque ad Synodos, cum vocatus eſſet, accedendi, legem indixit.* (Omnes illæ literæ deſiderantur) *quibus porro diebus Pallio utendum eſſet in aliis ad eundem Francum literis præſcripſit.*

3. *Cupientes prædictam.*) Hinc hujuſce Diplomatis exordium

ditum deeſſe, certo certius eſt.

4. *Noſtrarum.*) *Johannes* enim *XXII* hanc Metropolitanam Sedem creaverat.

5. *In quatuor B. Mariæ.*) Quænam ſint illæ quatuor feſtivitates B. Mariæ ſemper Virginis, quibus uſus Pallii tunc conceſſus eſt, diſcimus ex *Alexandro II* in *Epiſtola ad Petrum Archiepiſcopum*, ubi hæc habet: *Pallium autem fraternitati tuæ ex more ad Miſſarum ſolemnia celebranda, ſicut anteceſſoribus tuis conceſſum eſt, concedimus: videlicet in Natali Domini, Epiphania, Cœna Domini, Paſcha, Aſcenſione, Pentecoſte, Natali S. Johannis Baptiſtæ, Natali Apoſtolorum Petri & Pauli, & quatuor feſtivitatibus S. Mariæ, ſcilicet Nativitate, Annunciatione, Purificatione, Aſſumptione, & duobus feſtis S. Angeli.*

6. *Omnium Sanctorum.*) Scriberem: *Omnium Apoſtolorum*, ut apud *Boſquetum* in *Geſtis Innocentii III pag. 64*, ubi hæc forma dandi Pallium legitur: *Ad honorem Dei omnipotentis, & B. Mariæ Virginis, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & Domini Papæ Innocentii, & Romanæ Eccleſiæ, necnon & Eccleſiæ tibi commiſſæ tradimus tibi Pallium de Corpore B. Petri ſumptum, in ſignum videlicet plenitudinis Pontificalis officii, quo ad Miſſarum ſolemnia infra Eccleſias tibi ſubjectas utaris, in Nativitate Domini, feſtivitate Protomartyris Stephani, Circumciſione Domini, Epiphania, Dominica in Ramis Palmarum, Cœna Domini, Sabbato Sancto, Paſcha, feria ſecunda poſt Paſcha, Aſcenſione Domini, Pentecoſte, tribus feſtivitatibus Sanctæ Mariæ, Natali B. Johannis Baptiſtæ, ſolemnitatibus OMNIUM APOSTOLORUM, Commemoratione omnium Sanctorum &c.* Et ſane quod irrepſerit mendum in hæc verba *Omnium Sanctorum*, nullus dubito, cum de feſtivitate *Omnium Sanctorum*, quæ Kalendis Novembribus celebratur, deinde mentio fiat. Nec obiici poteſt, quod hæc *Commemoratio Omnium Sanctorum*, de qua poſtea loquitur Diploma, ſit *Commemoratio omnium Sanctorum Ordinis Prædicatorum*, quæ die IX Novembris agitur; id, inquam, obiici nequit: hæc enim *Commemoratio Sanctorum Ordinis Prædicatorum* recens eſt, & a *Clemente X* conſtituta, flagitante Eminentiſſimo Cardinale *F. Vincentio Maria Urſino*, nunc *Benedicto XIII* Summo Pontifice, Prædicatorum Ordinis alumno, qui toto pectore, totis nervis ad id eluctatur, dies & noctes id reputat unum, id unum ſemper cogitavit, ut ſalus animarum, Sanctorum cultus, & major Dei gloria efflorеſcere poſſit.

7. *De Corpore B. Petri.*) Id eſt de Sepulcro, in quo Corpus Principis Apoſtolorum *S. Petri* requieſcit, ut docet *Chriſtophorus Marcellus*, auctor *Ceremonialis Romani Lib. I Sect. X*: Suffragatur *Macri* in *Sacro Dictionario*, verbo: *Pallium*: ubi hæc habet: *Cura . . . tenendi & ornandi Pallia ad Subdiaconorum Apoſtolicorum Decanum ſpectat, quæ perfecta deinde Canonico Altariſtæ Baſilicæ Vaticanæ ille conſignat; & in primis veſperis feſti SS. Petri & Pauli ſuper ſepulcra eorundem Sanctorum collocantur, ibique per totam illam noctem manentia, ac ſequenti die extracta, Canonicis ejuſdem Vaticanæ Sacriſtiæ Præfectis traduntur, ut inter ſacras Reliquias aſſerventur, quæ poſtmodum, exigente opportunitate, ab Apoſtolicis Subdiaconis poſtulantur.*

8. *Nuncios.*) *FF.* ſcilicet *Guillelmum Adæ*, & *Johannem de Florentia*. *Guillelmus Adæ*, inquit *Echard* Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCXVIII pag. 537, *tum Avenione præſens, ibidem videtur conſecratus, ſiquidem illi commiſit Pontifex, & ut Francum conſecraret, & ut Sacramentum Romano Pontifici ab eo reciperet, & ut una cum F. Johanne de Florentia Symmyſta & Socio Pallium ei deferret, literis datis Avenione Kalendis Auguſti Anno Secundo.*

Inquiſitionem in Vitam & Miracula S. Thomæ Aquinatis decernit (1).

Anno 1318 Die 13 Septembris.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. XXX.

XXII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Neapolitano, & Epiſcopo (3) Viterbienſi, & dilecto filio Magiſtro Pandulpho de Sabello, Notario noſtro, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DE occultis ſapientię divinę conſiliis, de potenti manu invictę virtutis, & de beneficiis ſolitę pietatis, militanti Eccleſię pro neceſſario in pugna ſolamine dona mittuntur; & pręvenitur in dulcedine conſolationum mentalium, quę invitata eſt ad convivia cęleſtium nuptiarum: de quibus in debitas laudes aſſurgimus, dum Sanctorum in cęlis feſta gaudiis internis cum laudibus celebramus, reddimuſque Deo gratias, qui ſuam conſolatur Eccleſiam, dum peregrinatur a patria, quam continuis adjutoriis roborat, dum impugnatur in via: cujus, quamvis indigni, quia divina miſeratione curam ſuſcepimus, velut Chriſti Vicarius, de profectu ejuſdem commiſſę nobis Eccleſię congaudemus: dum de diverſis mundi partibus nobis intimatur ad gaudium, quod infideles de gentibus ad Eccleſiam, fidei piſcatione, perveniant, & fideles ad patriam de mundo conſcendant: qui de corruptione munditiam, de fragilitate conſtantiam, ac Dei dono de infirmitate adepti victoriam, necnon interdum, ne ſuper his fides nutaret credentium, ſed Deum laudans in Sanctis ejus, argumentis validiſſimis nutriretur, optaretque ex gratia imitari quod coleret, aſſequi quod collaudaret, notis coruſcare miraculis referuntur. Sane dudum ex parte cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Marię Reginę Sicilię, clarę memorię Caroli Secundi Regis Sicilię relictę (4), & dilectorum filiorum nobilium virorum Philippi Principis Tarentini, ac Johannis Comitis Gravinenſis, ac aliorum plurium Comitum, & Baronum Regni prędicti, Communis quoque, ac Univerſitatis Magiſtrorum, & Scholarium Neapolitanorum coram Nobis, & Fratribus noſtris, propoſitum extitit, & per eorum literas nunciatum, quod recolendę memorię Frater Thomas de Aquino Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſacrę Theologię Doctor, dum viveret, nitore ſanctitatis emicuit, converſatione reſplenduit, ac multis magnis tam ante, quam poſt ſuum obitum miraculis coruſcavit. Quare pro parte ipſorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de ejuſdem Fratris Thomę vita, & miraculis, inquiſitione pręmiſſa, ſi reperiremus pręmiſſa veritate fulciri, ipſum aſcriberemus Sanctorum catalogo, ipſumque faceremus per univerſas Eccleſias honore congruo ſolemniter venerari. Verum licet nobis, & eiſdem fratribus noſtris expoſita, ſi vera ſint, noſtrum & fratrum ipſorum corda multiplici jucunditate repleverint; attendentes tamen, quod Romana Eccleſia pręſertim in tanto fidei negotio, ubi videlicet de re tam ardua quęritur, cum magna conſuevit maturitate procedere; quodque ſcriptum ſit: Cauſam (5), quam neſciebam, diligentiſſime inveſtigabam: nam etſi gloria (6) Dei ſit celare verbum, gloria tamen Regum eſt inveſtigare ſermonem; venerabili Fratri Arnaldo (7) Epiſcopo Albanenſi, & dilectis filiis noſtris Guillelmo (8) tit. S. Cyriaci in Thermis Presbytero, ac Guillelmo (9) S. Nicolai in carcere Tulliano Diacono, Cardinalibus commiſimus, ut apud Sedem Apoſtolicam de huiuſmodi ſanctitatis vitę, ac miraculorum fama prędicti Fratris Thomę informationem per teſtimonia fide dignorum reciperent; illamque nobis referre curarent, ut veriſimilitudine inde ſumpta tutius poſſemus procedere in negotio prelibato. Et quia per dictorum Cardinalium relationem fidelem, coram nobis & fratribus noſtris factam, accepimus aliqualem informationem de ſanctitatis, & miraculorum fama prędicta, nos pium & congruum reputantes, ut ſi vera ſint prędicta, non lateant, de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio ſupplicationi hujuſmodi, prout prę-

Decernit ut ſupra.

prȩſentium deſcribitur ſerie, duximus annuendum. Quocirca diſcretioni veſtrȩ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum, in loco, vel locis, ubi expedire videritis, de vita, converſatione, ac miraculis factis Thomȩ prȩdicti, ceteriſque circumſtantiis, hujuſmodi negotium contingentibus, juxta formam, quam vobis ſub Bulla noſtra transmittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem; & quod ſuper prȩmiſſis inveneritis, fideliter in ſcriptis redacta (10) ſub teſtimonio ſigillorum veſtrorum per viros idoneos ad Sedem Apſtolicam deſtinetis, ut per inquiſitionem veſtram ſufficienter inſtructi, ſicut re exigit, & expediens viſum fuerit, ſecurius in ipſo negotio procedere valeamus. Datum Avenione Idibus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Decernit.*) Audiendus hic *Odoricus* ad an. MCCCXVIII num. XXX: *Regina ..*, inquit, *Maria S. Ludovici Epiſcopi mater, Philippus Tarentinus Princeps, Johannes Gravina Comes, ac Neapolitana Academia, Oratorum opera, primo in Purpuratorum Patrum conſeſſu illius* (S. Thomæ) *vitæ ſanctitatem, & divinitus collata illius ſuffragiis beneficia expoſuere, ac Pontifex nonnullis Cardinalibus rem cognoſcendam demandavit: qui adductis in religioſum examen miraculis dicta veritati conſentire Johanni retulere. Tum Neapolitano Archiepiſcopo, Epiſcopo Viterbienſi, ac Pandulpho Sabello partes a Pontifice commiſſæ, ut miraculorum teſtes e forma ipſis præſcripta diſcuterent.* Vide *Acta Sanctorum Martii Tomo I.*

2. *Odorico.*) Ex *Regeſt. Johan. XXII, Parte I An. III Epiſtola commun. X.* Eandem laudat *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVII num XX.* Ceterum quod in hoc Diplomate deſideratur apud *Odoricum*, id totum reſtitutum fuit ex *Actis Sanctorum Tomo I Martii ad diem VII pag.* 686.

3. *Epiſcopo.*) *Umbertum* Neapoli, *Angelum* vero Viterbii tunc ſediſſe, docet *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXIII pag.* 552 *col. I*, ubi hæc habet. *Apud* Johannem XXII *ſic efficaciter egit* F. Guillelmus de Tocco, *ſatagentibus, faventibuſque maxime tribus ex Ordine Cardinalibus F. Nicolao de Prato, Epiſcopo Oſtienſi, Sacri Senatus Decano, F. Guillelmo Petri de Godino, Epiſcopo Sabinenſi, & F. Nicolao de Freauvilla tit. S. Euſebii Presbytero, ut Summus Pontifex in Conſiſtorio Angelici Doctoris apotheoſin ineundam & promovendam ultro propoſuerit, & ſtatuerit, datis in id ad Archiepiſcopum Neapolitanum* Umbertum, *Epiſcopumque Viterbienſem Angelum, ac Pandulphum de Sabello Notarium ſuum Apoſtolicis Literis Avenioni Idibus Septembris Anno III, quas & inſtante Guillelmo noſtro ſequenti menſe Julio XXI die MCCCXIX executioni mandarunt.*

4. *Relictæ.*) Seu Viduæ.

5. *Cauſam.*) Legitur *Job XXIX.*

6. *Gloria.*) *Proverbior. XXV.*

7. *Arnaldo.*) *De Auxio*, Gallo. Adeas *Oldoinum* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II an. MCCCV pag.* 382.

8. *Guillelmo.*) Fuit Natione Gallus, cognomento *Teſta*, patria *Condemienſis.* Conſulendus *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an MCCCV pag.* 387.

9. *Guillelmo.*) *Longo*, patria *Bergomenſi*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCXCIV pag.* 293.

10. *Redacta.*) *Redactum.*

Anno 1319 Die 24 Februarii.

Aquenſem (1) Archiepiſcopum, necnon Epiſcopum Siſtaricenſem (2) Conſervatores, Judiceſque noſtros conſtituit.

Ex Bullario (3) Uſuſmaris pag. 76.

XXIII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus,... (4), & Aquen. Archiepiſcopis, & Epiſcopo Siſturicen. (5), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

DIlectos filios..... (6) Magiſtrum, & Fratres Ordinis Prȩdicatorum, qui in virtutum Domino militantes (7), & crucifigentes cum vitiis, & concupiſcentiis carnem ſuam, ad Divinȩ Majeſtatis obſequium alios pietatis Apoſtolicȩ ubera (8) complectentes, dignum eſſe conſpicimus, eos congruis prȩſidiis communiri, ut eo devotius, quo quietius pacis.... (9). Itaque, ſicut ex parte Magiſtri, & Fratrum fuit propoſitum coram nobis, ipſi a nonnullis qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, ..gravaminibus (10), jacturis, injuriis, violentiis, & moleſtiis, in diverſis mundi partibus extra Regnum Franciȩ affligantur. Nos...(11) Magiſtri, & Fratrum providere quieti, ac malignorum conatibus obviare volentes, fraternitati veſtrȩ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus extra dictum Regnum vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel per alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, & Judices, eiſdem Magiſtro, & Fratribus efficacis defenſionis prȩſidio aſſiſtentes, non permittatis, eos a prȩdictis, vel quibuſcunque aliis, indebite moleſtari, vel eiſdem damna, violentias, injurias, vel moleſtias, irrogari; facturi eiſdem Magiſtro, & Fratribus, cum ab eis, vel procuratore, aut procuratoribus eorum, fueritis requiſiti, de prȩdictis, & aliis perſonis quibuslibet, de quibuſcunque moleſtiis, violentiis, injuriis, atque damnis prȩſentibus, & futuris, in illis videlicet, quȩ judicialiter (12) requirunt indaginem, ſummarie, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii; in aliis vero, prout qualitas eorum exegerit, juſtitiȩ complementum. Moleſtatores, prȩſumptores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles, cujuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterint, etiamſi Pontificali prȩfulgeant dignitate, quandocunque, & quotieſcunque expedierit, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus felic. rec. Bonifatii PP. VIII, prȩdeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem & Diȩceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & cum illis ultra unam diëtam, a fine ſuȩ Diȩceſis ad judicium evocetur, ſeu ne Judices, & Conſervatores a Sede deputati prȩdicta, extra Civitatem & Diȩceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis, vices ſuas committere, ſive aliquos ultra unam dietam a fine Diȩceſis eorundem trahere prȩſumant, ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & violentiis, & aliis, quȩ judicialem exigunt (13), pȩnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantibus adjectis, Conſervatores ſe nullatenus intromittant, & tam de duabus dietis in Concilio (14) Generali, dummodo ultra tertiam, vel quartam dietam aliquis extra ſuam Civitatem & Diȩceſim auctoritate prȩſentium, ad judicium non trahatur, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prȩdeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis,

Conſtituit ut ſupra.

Clauſula derogans.

quȩ

quę veſtrę in hac parte poſſint juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, & de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & eorum perſonis, locis, Ordinibus, & nominibus propriis, mentionem, vel qualibet alia indulgentia dictę Sedis generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam, pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę juriſdictionis explicatio, in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua, cujuſque toto tenore de verbo ad verbum, in veſtris (15) literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat Articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus, quodque a data pręſentium, ſit vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus & eorum ſingulis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus & futuris, perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in pręmiſſis omnibus cęptis, & non cęptis pręſentibus & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia, & ſingula coram vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in prędictis omnibus & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet. Conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus, & qualibet alia in contrarium edita, non obſtante. Datum Avenione VI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Aquenſem.*) *Aix*, in *Gallo-Provincia*.
2. *Siſtaricenſem.*) *Siſteron*, in eadem Provincia.
3. *Bullario.*) Legitur etiam *Lib. E. fol.* 25. Meminit *Gonzalez* in *Summario Privilegior. Ord. pag.* 56.
4. *Venerabilibus* ...) Quis ſit alter ille Metropolitanus, cui Diploma fuit inſcriptum, nondum reperii.
5. *Siſturicen.*) *Siſtaricen.*
6. *Filios* ....) Hic nomen duntaxat Generalis Magiſtri, ut fert ſtylus, deſideratur.
7. *In virtutum Domino militantes.*) Ex Autographo *Wratiſlavienſi* legendum: *In decore ſanctæ Religionis virtutum Domino militantes.*
8. *Ubera.*) Turbatus locus: Sic ex eodem Autographo ſcribendum: *Ad Divinæ Majeſtatis obſequia trahunt alios per exemplum, infra pietatis Apoſtolicæ ubera complectentes.*
9. *Pacis* ....) Ex eodem reſtitue: *Pacis famulentur auctori.*
10. .... *gravaminibus.*) In eodem legitur: *Diverſis & gravibus jacturis.*
11. *Nos* ...) *Nos eorundem.*
12. *Judicialiter.*) *Judicialem.*
13. *Judicialem exigunt.*) Adde *Indaginem*, ut ad calcem *Bullarii Uſuſmaris* notatur: in Autographo autem *Wratiſlavienſi* ſic legere eſt: *Quæ ad judicialem indaginem ſpectant, & eam exigunt.*
14. *Concilio.*) *Lateranen. IV. Capit. XXXVII.*
15. *Veſtris.*) *Noſtris*; ut ad calcem *Bullarii Uſuſmaris*; & in Autographo *Wratiſlavien.*

Wratiſlavienſem (1), Cujavienſem (2), & Caminenſem (3) Epiſcopos Conſervatores, ac Judices noſtros creat.

Anno 1319 Die 26 Aprilis.

Ex Arch. (4) *Ordinis.*

XXIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Wratiſlavien., & Cujavien., ac Caminen. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dilectos filios Magiſtrum &c (5). Datum Avenione VI Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Wratiſlavienſem.*) In *Sileſia*, Provincia *Germaniæ*.
2. *Cujavienſem.*) In *Polonia*.
3. *Caminenſem.*) In Pomerania ulteriori.
4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo Cœnobii *Wratiſlavienſis*.
5. *Magiſtrum &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

Fratrum Prædicatorum, aliorumque rogatu, de conſtituendo Rege Poloniæ tractat (1).

Anno 1319 Die 20 Auguſti.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXIX num. II.

XXV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Gneſnenſi, ejuſque Suffraganeis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum Prædicatorum, aliorumque petitio.

Dudum venerabilis frater noſter Geribardus Epiſcopus Wladiſlavienſis, veſter, & dilectorum filiorum Abbatum, Monaſteriorum, Priorum Prędicatorum, & Guardianorum Minorum Ordinum, & Conventuum eorundem, necnon & Capitulorum, Eccleſiarum, ac nobilium virorum, Ducum, Comitum, Baronum, ac Univerſitatum, Civitatum, & Caſtrorum per Regnum Polonię conſiſtentium, Nuncius ad hoc ſpecialiter deſtinatus, ad pręſentiam noſtram accedens, nobis veſtras, & eorum literas pręſentavit, per quas Apoſtolatui noſtro inter cetera ſignificare curaſtis, quod ab olim poſt obitum bonę memorię ..... Regis Polonię qui tunc erat, ſeditionibus & diſſidiis, ac guerrarum diſcriminibus inteſtinis inter ipſius habitatores Regni, peccatis exigentibus, ſuſcitatis, Regni ſtatus ejuſdem, quod ſolebat florere divitiis, tam propter hoc, quam etiam propter crebros Tartarorum, Lithuanorum, Ruthenorum, & aliorum Paganorum incurſus, qui Polonorum gentem, quaſi novellam in fide, captivam diverſis vicibus abducentes, in miſerabilem redegerant ſervitutem, & lumine fidei derelicto, in noſtri contumeliam Redemptoris, idololatrię ſervire cogebantur, necnon & propter occupationes diverſarum ejuſdem Regni partium, & locorum, defenſore carentis, quę nonnulli alienigenę violenter invaſerant, erat graviſſima depreſſione collapſus; in Eccleſiis vero, Monaſteriis, & aliis Deo dicatis locis, fidelium devotione conſtructis, in quibus devotis laudibus colebatur Omnipotens, cultus divini nominis neglectui tradebatur; quorum aliqua ſpeluncę latronum effecta, aliqua ſolitudini derelicta, & multa ipſorum ruinę vaſtitatibus ſubjacebant; adiicientes nihilominus in literis ſupradictis, quod niſi per Sedis Apoſtolicę providentiam circumſpectam ſuper his occurreretur celeriter de remedio opportuno, veriſimiliter poterat formi-

formidari, ne terra ipſa ad exinanitionem irreparabilem deveniret; propter quod tam vos, per Epiſcopum, & literas ſupradictas, quam idem Epiſcopus per ſeipſum, cum multa nobis inſtantia ſupplicaſtis, ut cum Regnum prędictum eſſet nobis, & Eccleſię Romanę nullo mediante ſubjectum, & in ſignum ſubjectionis hujuſmodi, cenſus, qui denarius Beati Petri vocatur, nobis & eidem Eccleſię annis ſingulis deberetur: ejuſdem Regni fidelibus aperientes viſcera pietatis, & eorum calamitatibus, ac preſſuris paterno compatientes affectu, & illud clementis propitiationis oculis intuentes, de tali Rege provideremus eiſdem, qui ſe patenter exemplum oſtenderet, qualiter ſubditos oporteret per juſtitię ſemitas ambulare: quique in potentia virtutis Altiſſimi dirigeret indirecta, inſolentes reprimeret, reſtauraret deperdita, dictumque Regnum tantę calamitatis anguſtiis, quibus ſubiicitur, inceſſanter Deo auxiliante ſubductum, ſtatum reſumeret quietis, & dulcedinis primitivę; dilectum filium nobilem virum Wladislaum Cracovię, Sandomirię, Syradię, Lancitię, Cujavię, Regnique Polonię, ac terrę Pomeranię Ducem, & hęredem, & etiam poſſeſſorem, ſtrenuitate ſublimem, induſtria providum, militia ſtipatum, multitudine vaſſallorum onuſtum, divitiis, munitionibus, & fortelitiis prępotentem, promovendum per nos in Regem Polonię concorditer nominando; ſupplicantes inſtanter, ut prefatum Ducem in Regem dignaremur ipſius Regni Polonię de benignitate Apoſtolica, promovere, & coronari diademate regio, mandaremus[1]. Quia vero vobis ex premiſſis firmę ſpei fiducia ſuggerebat, quod prefatum Regnum, per promotionem hujuſmodi ad virium ſuarum potentiam reſtauratum, fortius dictorum paganorum prevaleret incurſibus, & facilius peſtiferos conatus reprimeret eorundem; ubertate pacis cultu ſervato juſtitię frueretur, libertas eccleſiaſtica, ex premiſſis diſſidiis conculcata, ſuum reſumeret, Deo propitiante, vigorem, eccleſiaſticę dicti Regni perſonę etiam, Eccleſiis eorundem ab oppreſſionibus relevatis, poſſent vacare commodius circa cultum divini nominis ampliandum; ipſiuſque Regni fideles in divinis beneplacitis proſequendis, & ejuſdem Eccleſię Romanę, quam ipſi matrem eorum, & dominam recognoſcunt, fidelitatis, & devotionis firmius ſtabiliri conſtantia, prędictos Epiſcopum, & literas benigne recepimus, & ea, quę idem Epiſcopus ſuper ejuſdem promotione Ducis proponere voluit coram nobis libenter audivimus, dictarumque literarum tenorem cum multa jucunditate proſpeximus diligenter. Demum autem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis Regis Bohemię illuſtris ſuperveníentibus Nunciis, per eos Apoſtolatui noſtro fuit humiliter ſupplicatum, ut cum eidem Regi jus in dicto Polonię Regno competeret, quod ſe offerebant ſuo loco & tempore probaturos, abſtinere ab ipſius promotione Ducis Polonię dignaremur; ſed idem Epiſcopus poſt Nunciorum ipſorum inſtantiam, ſicut prius, crebris vicibus contrarium certitudinaliter affirmando, propoſuit, quod Rex prefatus nullum in dicto Regno Polonię jus proprietatis, ſeu poſſeſſionis, ſibi poterat vindicare, cum plenum jus prędicto Duci tanquam ipſius Regni Domino naturali, & hęredi legitimo, cui ſucceſſio jure naturę a ſuis progenitoribus debebatur, in Regno competeret ſupradicto, pro hujuſmodi ſepedicti promotione Ducis tam pro parte veſtra, quam per ſe ipſum ſuppliciter inſiſtendo. Nos igitur volentes, unicuique jura ſua ſervari, ab hujus promotione petita ad preſens providimus abſtinendum, non intendentes per hoc juri veſtro, & aliorum ſupplicantium prędictorum prejudicium aliquod generari, quin illo ſic uti, ſi, & quando vobis expedire videbitur, valeatis, quod tamen cujuſvis alterius non lędatur. Datum Avenione XIII Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Tractat de Rege Polonię conſtituendo.

1. *Tractat.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus ad an. MCCCXIX num. I & V.*

Anno 1319 Die 13 Decembris.

Ut Prædicatores, & Minores Fratres Portugallenſes habeant liberam Sepulturam (1).

Ex Waddingo (2) *Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag.* 102.

XXVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo, & dilectis filiis Decano, & Capitulo Portugallen., Priori & Guardiano, ac Fratribus Prędicatorum, & Minorum Ordinum Portugallen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Fratrum petitio.

NUper ex parte veſtra, filii Prior, & Guardiane, ac Fratres, fuit in Conſiſtorio propoſitum coram nobis, quod tu Frater Epiſcope, & vos filii, Decane, & Capitulum Portugallen. non permittitis ipſos in Eccleſiis, & locis eorum juxta Conſtitutionem, quę incipit: Super Cathedram: dudum per felicis recordationis Bonifatium Papam Octavum editam, ac poſt revocationem (3) ipſius a pię memorię Benedicto Papa XI ſubſecutam, perque bonę mem. Clementem Papam V prędeceſſores noſtros in ſtatum priſtinum reſtauratam, habere libere Sepulturam, ſed Parochianis, & Civibus Portugallen, & aliis veſtris ſubditis inhibetis. ne apud ipſorum Fratrum cęmeteria eligant ſepeliri; ac deinde vobis, prefati Epiſcope & Decane, ex parte una, ac procuratore veſtro, prefati Prior, Guardiane, & Fratres, ex altera, propter hoc in noſtra, & Fratrum noſtrorum preſentia conſtitutis, pro parte veſtra, prefati Epiſcope, & Decane, fuit ſuper premiſſis ex diverſo reſponſum, quod dudum ante editionem Conſtitutionis ejuſdem, quędam conventiones, & pacta hinc inde habita fuerant, juramento, & confirmatione Sedis Apoſtolicę roborata, videlicet, ut vos Fratres in Eccleſiis, atque locis veſtris non reciperetis aliquem ad Eccleſiaſticam Sepulturam, quodque vigore juramenti, & confirmationis hujuſmodi prędicta Conſtitutio ad conventiones, & pacta predicta ſe minime extendebat. Nos igitur premiſſis propoſitis, & ad ea reſponſionibus ſubſecutis, & allegationibus factis hinc inde, diligenter auditis, & quibuſdam conventionibus, & pactis dudum inter partes utrinque habitis, ac in forma communi per Sedem confirmatis eandem, lectis coram Nobis & diligentius intellectis, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, volumus, & auctoritate Apoſtolica ordinamus, ut prędictis conventionibus, & pactis nequaquam obſtantibus, cum per dictam Conſtitutionem tollantur omnino, juxta Conſtitutionem ipſam, vos, prefati Prior, Guardiane, & Fratres, habeatis liberas Sepulturas, vobis, prefati Epiſcope, & Decane, pro vobis, & dicto Capitulo injun-

Decernit ut ſupra.

injungentes, ut ſi quę alia ſpecialia jura creditis vos habere per quę Conſtitutioni prefatę forſitan derogetur, illa uſque ad initium proximę futurę Quadrageſimę, quem quidem terminum ad veſtram inſtantiam vobis pro peremptorio termino aſſignamus, ſtudeatis producere coram Nobis, alioquin ex tunc veniendi & allegandi contra Conſtitutionem eandem, ſciatis vobis viam quanlibet interdictam. Dat. Avinione Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Sepulturam.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Waddingo.*) Citat *Epiſtol. DLXXXIV Lib. IV Johan. XXII.*
3. *Revocationem.*) Vide *Conſtitutionem XVI B. Benedicti XI.*

Archiepiſcopo Compoſtellano, aliiſque nonnullis, ut præcedens Diploma executioni mandandum curent (1).

Anno 1319 Die 13 Decembris.

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III in Regeſt. Pontificio pag. 103.

XXVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Compoſtellan., & dilectis filiis Abbati Monaſterii Sancti Johannis de Pendurada, Portugallen. Diœceſis, ac Cantori Eccleſię Bracaren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper ex parte dilectorum filiorum Prioris, & Guardiani, & Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinum Portugallen. fuit in Conſiſtorio propoſitum coram Nobis quod venerabilis Fr. noſter Epiſcopus, & dilecti filii Decanus, & Capitulum Portugallen. non permittunt ipſos Priorem, & Guardianum, & Fratres in Eccleſiis, & locis eorum juxta Conſtitutionem, quę incipit: Super cathedram &c (3). Veniendi, & allegandi contra conſtitutionem eandem prętati Epiſcopus, Decanus, & Capitulum ſciant, eis viam quanlibet interdictam. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, Conſtitutionem prędictam, conventionibus, & pactis prędictis nequaquam obſtantibus, faciatis ab eiſdem partibus inviolabiliter obſervari; contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus ſi eiſdem Epiſcopo, Decano, & Capitulo, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Avinione Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Mandatum.

1. *Curent.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Waddingo.*) Laudat *Epiſt. DLXXXV Lib. IV Johan. XXII.*
3. *Cathedram &c.*) Ut in præcedenti ad hæc uſque verbat *Alioquin ex tunc.*

In judæos quædam decernit (1), & mandat, ut eorundem libros Fratres Prædicatores, vel Minores penitus recognoſcant.

Anno 1320 Die 4 Septembris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCCXX num. XXIV.

XXVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Bituricenſi, ejuſque Suffraganeis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

DUdum felicis recordationis Clemens IV, blaſphemiis judęorum innumeris, abuſionibus multis, & deteſtabilibus blaſphemiis contra Salvatorem, & Dominum Jeſum Chriſtum, ac pręcelſam & glorioſiſſimam ſemper Virginem Mariam, Genitricem ejus, in quodam libro contentis ipſorum, plenius intellectis; & demum pię memorię Honorius, Romani Pontifices Prędeceſſores noſtri aſſertione veridicę relationis audito, quod ipſorum judęorum damnata ſuggerente perfidia, nonnulli fidei Chriſtianę cultores, tam mares quam mulieres, in certis articulis cum judęis judaizabant, quę in gravem noſtri contumeliam Redemptoris, & detrimentum fidei catholicę redundabant; iidem Prędeceſſores, videlicet Clemens Terraconenſi, & poſtmodum Honorius Eboracenſi Archiepiſcopis, qui tunc erant, ſuper his per eorum ſub certa forma contra dictos Judęos literas direxerunt; & inſuper bonę memorię Oddo Tuſculanus Epiſcopus, in Regno Francię Apoſtolicę Sedis Legatus, quia quoſdam Judęorum ipſorum libros, qui Talmutz nominantur, per ſe, & alios fidei zelatores inſpectos reperit errores innumerabiles, abuſiones, & blaſphemias continere, contra Judęos pronuntiaſſe dignoſcitur ſupradictos, prout in eiſdem literis, ac pronuntiatione, quarum tenores fecimus annotari pręſentibus, continetur. Nos igitur, ad quos ſpecialiter pertinet fidei orthodoxę defenſio, in debitę conſiderationis ſcrutinio recenſentes, quod tam peſtilens, tamque perniciosus morbus, qui adhuc in diverſis perdurat partibus, non eſt aliquatenus contemnendus, ne proceſſu temporis, inficiendo fideles, alias damnabilius convaleſcat; ſed potius ad pręcidendum radicitus illius peſtiferos palmites, ne in diſcrimen ipſius fidei dilatentur, ſolicitis ſtudiis procedendum; fraternitati veſtrę, dictorum Prędeceſſorum inhęrendo veſtigiis, in virtute obedientię diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus Chriſtianos, & Chriſtianas omnes, & ſingulos, per veſtras civitates & Diœceſes conſtitutos, tam in Cathedralibus, & aliis Eccleſiis ipſarum civitatum, & Diœceſum per vos, vel alios, quos ad hoc duxeritis deputandos, quam in prędicationibus, & ſermonibus veſtris, quos propter hoc frequenter fieri volumus, & mandamus, monere curetis, & eis diſtrictius inhibere, ut a pręmiſſis omnibus, & ſingulis aliis in literis eiſdem contentis ſtudeant penitus abſtinere, eos ab iis per ſpirituales pęnas, de quibus expedire videritis, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; & alias ſuper

De Judæorum libris occupandis, & examinandis.

ſuper his contra Chriſtianos, & Chriſtianas eoſdem, necnon & contra pręfatos Judęos, ut a pręmiſſis blaſphemiis, erroribus, imprecationibus, & falſitatibus, ac aliis, quę in literis continentur eiſdem, omnino reſiliant, juxta ſtatuta canonica, & per alia congrua, & opportuna remedia providendo. Et nihilominus a Judęis in civitatibus, & Dięceſibus conſiſtentibus ſupradictis, legem, ſeu librum hujuſmodi, quem Talmutz, ut prędicitur, vocant, omneſque alios ipſorum libros cum additionibus, & expoſitionibus eorundem, faciatis vobis integraliter aſſignari, eos ad hoc penis, de quibus expedire videritis, canonicis compellendo: dictoſque Talmutz, & libros, eis prius cum aliquibus de Minorum, vel Prędicatorum Ordinum Fratribus, ac aliis prudentibus, & peritis viris, quos in lege Domini noveritis eruditos, diligenti examinatione diſcuſſis, illos ex eiſdem, quos eoſdem blaſphemias, vel errores, aut imprecationes, ſeu falſitates repereritis continere, Igni comburatis, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis: attentius proviſuri, ut una ſimul in dicto conſilio ſic provide, ſic conſulte in hujuſmodi negotio procedatis, quod, in eiſdem civitatibus, & Dięceſibus veſtris mandatum noſtrum hujuſmodi, circa Talmutz, & librorum aſſignationem hujuſmodi, vobis integre faciendam, uno, eodemque tempore celeriter effectum executionis debitę ſortiatur, ne Judęorum ipſorum fallacia dictos libros quomodolibet valeat occultare. Tenores autem literarum, & pronuntiationis prędictarum tales ſunt.

Clementis IV. Conſtitutio in judæos.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Terraconenſi, & Suffraganeis ejus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Damnabili perfidia Judęorum &c. (2) Item: Honorius (3) Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Eboracenſi (4), & ejus Suffraganeis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nimis in partibus Anglicanis, prout accepimus, Judęorum damnata perfidia in noſtri contumeliam Creatoris, & detrimentum catholicę fidei nefandis actibus, & horrendis operibus relaxavit habenas; ipſi etenim librum quendam maligna fraude compoſitum habere dicuntur, quem Talmutz vulgariter nuncupant, abominationes, falſitates, infidelitates, & abuſiones multimodas continentem. In hoc quippe libro ſuum continuant ſtudium, & circa ipſius nefaria dogmata ipſorum prava ſolicitudo verſatur. Illius inſuper doctrinę lethiferę proprios ab annis teneris filios deputant, ut hujuſmodi venenoſis pabulis imbuantur, eoſque inſtruere, & informare non metuunt, quod magis in libro contentis eodem, quam expreſſis in lege Moſaica credi debet, ut iidem filii Dei Filium fugientes, per devia infidelitatis exhorreſcant, & ad veritatis ſemitam non accedant. Pręfati quoque Judęi non ſolum mentes fidelium ad eorum ſectam peſtiferam allicere moliuntur, verum etiam eos, qui ſalubri ducti conſilio, infidelitatis abjurantes errorem, ad legem catholicę fidei convolarunt, donis multimodis ad apoſtatandum inducere non verentur: quorum aliqui, doloſa Judęorum ipſorum ſeducti malitia, publice illis cohabitant juxta ritum, & legem ipſorum, in parochiis, in quarum Eccleſiis renati ſacro fonte baptiſmatis extiterunt, ſęvam, immo nequiſſimam vitam ducunt in noſtri Redemptoris injuriam, fidelium ſcandalum, & derogationem fidei Chriſtianę; ac etiam nonnullos ex talibus iidem Judęi ad alia loca nequiter deſtinant, ut ibi tanquam incogniti ad ſuam perfidiam revertantur. Nec omittit Judęorum ipſorum nequitia, quin orthodoxę fidei cultores quolibet die Sabbati, ac aliis ſolemnitatibus eorundem invitet, ac inſtanter inducat, ut in ſynagogis ipſorum officium audiant, illudque juxta ritus ſui conſuetudinem ſolemnizent, rotulo involuto membranis, ſeu libro, in quibus lex eorum conſcripta conſiſtit, reverentiam exhibentes: quamobrem plerique Chriſticolę cum Judęis pariter judaizant. Pręſumunt quoque pręfati Judęi Chriſtianos in ſua familia retinere, quos in divinę majeſtatis opprobrium diebus Dominicis, & feſtivis operibus occupari ſervilibus, a quibus eſt potius abſtinendum, nefaria juſſione compellunt. Admittunt autem in ſuis domibus Chriſtianas ad ipſorum infantes, ſeu pueros educandos, & tam iidem Chriſtiani, quam Chriſtianę Judęis cohabitant, eiſque convivunt; ſicque dum opportunitas ſuggerit, & pravis actibus tempus favet, Judęorum mulieribus Chriſtiani, & Judęi Chriſtianorum fęminis infauſto commercio commiſcentur. Alii etiam Chriſtiani viciſſim in domibus propriis ſępe conveniunt, ut dum ſimul commeſſationibus, & potationibus vacant, erroris materia pręparetur. Singulis quoque diebus in orationibus, vel verius execrationibus ſuis, in maledictionem Chriſtianorum damnabili pręſumptione prorumpunt, alia nonnulla committendo nequiſſima, quę noſcuntur in offenſam Dei, & animarum Chriſtianorum diſpendium redundare. Verum etſi nonnulli ex vobis ſępeſępius fuerint, prout aſſeritur, requiſiti, ut ſuper his opportunum remedium curarent adhibere, id tamen efficere neglexerunt: de quo tanto propenſius admirari compellimur, quanto ex debito paſtoralis officii ſe paratiores & efficaciores exhibere tenentur ad ulciſcendas noſtri Salvatoris injurias, & hoſtium fidei chriſtianę conatus nefarios reprimendum. Cum itaque non ſit tam peſtilens & periculoſus morbus aliquatenus contemnendus, ne, quod abſit, relictus neglectui tractu temporis convaleſcat; & adverſus tantę, tamque damnabilis temeritatis audaciam promptis teneamini conſurgere animis, & ad ejus repreſſionem, & confuſionem omnimodam efficax ſtudium, operamque ſolicitam impertiri, ut frenatis hujuſmodi perverſis auſibus, catholicę fidei dignitas glorioſis proficiat incrementis; fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis, & ſingulis pręmiſſorum per inhibitiones, & penas ſpirituales, & temporales, alioſque modos, de quibus expedire videritis, in prędicationibus veſtris, ex his, & iis, & ad hoc temporibus congruis per vos, vel alios exprimendos, ſtudeatis juxta officii veſtri debitum ita efficaciter, & ſolicite providere, ut morbus hujuſmodi per adhibendę medicinę remedium computetur, voſque proinde apud ęterni Regis clementiam pręmium conſequi valeatis, ac nos veſtram curioſam ſolertiam, & diligentiam vigilantem dignis in Domino laudibus attollamus; Quod autem in hac parte feceritis, Nobis per veſtras literas plenius intimetis. Datum Romę apud S. Sabinam XIV Kal. Decembris Pontificatus noſtri Anno Secundo, ſub Anno Domini MCCLXXXV. Item. Oddo (5) miſeratione Divina Tuſculanus Epiſcopus, Apoſtolicę Sedis Legatus univerſis pręſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Exhibitis auctoritate Apoſtolica a magiſtris Judęorum Regni Francię quibuſdam Libris, qui Talmutz appellantur, quos inſpeximus, & per viros diſcretos, & expertos in talibus, Deum timentes, & zelum habentes fidei chriſtianę fecimus inſpici diligenter; quia eos invenimus errores innumerabiles, abuſiones, blaſphemias, & nefaria continere, quę pudori referentibus, &

Alia Honorii IV in eoſdem.

Oddonis Decretum in judæos.

au-

audientibus ſunt horrori, intantum, quod prędicti libri ſecundum Deum ſine fidei chriſtianę injuria tolerari non poſſunt; de conſilio bonorum, quos ad hoc ſpecialiter duximus evocandos, pronuntiamus, prędictos libros tolerandos non eſſe, nec magiſtris Judęorum reſtitui debere: & ipſos ſententialiter condemnamus. De aliis vero libris nobis non exhibitis a magiſtris Judęorum, licet a nobis ſuper hoc pluries fuerint requiſiti, vel etiam non inſpectis, plenius cognoſcemus loco, & tempore, & faciemus quod fuerit faciendum. Nomina autem illorum, de quorum conſilio prędicta ſententia lata fuit, ſunt hęc: Venerabilis pater Guillelmus Dei gratia Pariſienſis Epiſcopus &c. quorum ſigilla appoſita ſunt pręſentibus, una cum noſtro in teſtimonium hujus rei. Datum Anno Domini MCCXLVIII Menſe Maii. Datum Avinione II Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Decernit.*) Conſulendi *Bzovius ad an. MCCCXIX num. IX*, & *Odoricus ad an. MCCCXX num. XXIII.*
2. *Judæorum &c.*) Ut in *Conſtitutione LXX Clementis IV Tomo I hujus Bullarii pag. 488.*
3. *Honorius.*) Hujus nominis *IV.*
4. *Eboracenſi.*) Vulgo *York*, in *Anglia*.
5. *Uddo.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCL pag. 128.*

Inquiſitoribus, ut familiæ ſuæ duntaxat arma geſtandi dent facultatem (1).

Anno 1321 Die 2 Maii.

Ex Peña (2) ad calcem Directorii Inquiſitorum pag. 80.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, in Provincia Lombardię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXIX.

Exigit Ordinis Religio, & commiſſi vobis officii manſuetudo requirit, ut ſic actus veſtros virtute modeſtię componatis, quod nemini eſſe poſſint ad ſcandalum, vel aliquod nocumentum. Accepimus ſiquidem aſſertione fideli, quod vos nonnullis pravis, & perverſis hominibus, qui frequenter ad cędes, & alia nefanda facinora laxant nequiter manus ſuas, arma per civitatem, & diſtrictum Bononienſem portandi, non ſine multorum ſcandalo, licentiam conceſſiſtis; Quare volumus, & diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus neminem familiarem, niſi ejuſdem Eccleſię fidelem, ac devotum, & laudabilis converſationis, & vitę, habere quomodolibet pręſumatis: nec aliquibus de cetero, extra familiam veſtram, quam vobiſcum habetis continue, niſi forſan illis, qui eundo de terra ad terram, vel etiam redeundo vobiſcum, & in caſibus aliis, in quibus vobis pro ſecuritate veſtra forſitan expediret, alicui deferendi arma per dictas civitatem, & diſtrictum, licentiam concedatis. Et nihilominus licentiam, quam olim ſuper hoc aliis conceſſiſtis, ſtudeatis, remotis occaſione & dilatione quibuslibet, revocare, ut per hoc nulla poſſit oriri in eiſdem Civitate, vel diſtrictu, materia ſcandalum paritura: nec ad Nos de cetero ſuper hoc querelę materia deferatur. Datum Avinion. VI Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium. Mandatum.

1. *Facultatem.*) Conſulenda *Diſſertatio I Tomo ultimo.*
2. *Peña.*) In *Bullario Romano* eſt *IX* inter Conſtitutiones *Johannis XXII.*

De Sancti Thomæ miraculis inquirendis (1).

Anno 1321 Die 1 Junii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCCXXI num. XLVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Anagnino, & Terracinen. Epiſcopis, ac dilecto filio Magiſtro Pandulpho de Sabello, Notario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXX.

Cum ſuper ejuſdem (2) Miraculis, quę ipſius meritis in Monaſterio Foſſę-Novę, Ciſtercienſis Ordinis, Terracinenſis Diœceſis, ubi (3) Corpus ejuſdem quieſcere dicitur, & in diverſis aliis locis, ſicut aſſeritur, dignatus eſt Dominus miſericorditer operari, quorundam teſtium, qui juxta dictarum literarum (4) noſtrarum formam recepti per dictos Archiepiſcopum & Epiſcopum non fuerint, reſtet adhuc receptio & examinatio facienda; diſcretioni veſtrę, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, de Fratrum noſtrorum conſilio per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum, tam in dicto Monaſterio Foſſę Novę, quam in loco, vel in locis aliis, ubi expedire videriſis, de prędictis, & aliis miraculis Fratris Thomę prędicti, quę extra Romanam Curiam ipſius meritis dignatus eſt, vel ex nunc pendente Inquiſitione hujuſmodi dignabitur Dominus operari, non tamen de illis, ſuper quibus per pręfatos Archiepiſcopum & Epiſcopum ad receptionem, & examinationem prędictorum teſtium noſcitur eſſe proceſſum, prout per proceſſum ſuper hoc per eos habitum, cuius copiam vobis fieri volumus, poteritis inſtrui, ceteriſque circumſtantiis, negotium hujuſmodi tangentibus, juxta formam, quam vobis ſub Bulla noſtra tranſmittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem &c. Datum Avinione Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Mandatum.

1. *Inquirendis.*) Audiendus hic *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXIII pag. 452*, ubi hæc habet: *Cum . . . plura fuiſſent . . . . inquiſitione priori prætermiſſa S. Thomæ patrata meritis & interceſſione miracula, pluriumque ſubinde patratorum notitia claruiſſet, Guillelmus noſter de* Tocco *iterum ad Pontificem acceſſit, literaſque Apoſtolicas Avenioni Kalendis Junii, Pontificatus anno V, Chriſti MCCCXXI, ad Petrum Anagniæ, & Andream Terracinæ Epiſcopos, Pandulphumque de Sabello . . . . ejuſdem literis antea deputatum, obtinuit ad ulteriorem miraculorum inquiſitionem inſtituendam, quam urgente eodem Guillelmo die martis X Novembris ejuſdem anni in Foſſa-Nova Ciſtercienſium Aſceterio conſtituti ſuſceperunt, & die jovis XXVI ejuſdem menſis & anni compleverunt. Quod tandem Canonizationis negotium ad optatum exitum anno MCCCXXIII Julii XVIII deductum eſt curis & ſudoribus potiſſimum præfati Guillelmi.*
2. *Ejuſdem.*) Hinc liquet mutilum eſſe Diploma.

3. Ubi

Digitized by Google

5. *Ubi.*) Nunc *Toloſæ* ſervatur.

4. *Literarum.*) *Conſtitutionis* ſcilicet *datæ XIII Septembris MCCCXVIII.*

Anno 1321 Die 24 Julii.

Refert, & damnat errores Johannis de Poliaco (1), laceſſentis Ordines Mendicantes.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Electis, ad quos præſentes pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VAs electionis, Doctor eximius, & egregius prędicator, cujus prędicatio mundum docuit univerſum, pręſumptuoſam illorum audaciam refręnat ſolicitus, qui prudentię proprię innitentes, in errores varios prolabuntur, non plus ſapere, quam oportet, ſed ad ſobrietatem ſapere, ſalubri doctrina ſuggeſſit; ut, juxta ſapientis eloquium, quiſque ſuę prudentię modum ponat. Sane dudum, cum dilectum filium Magiſtrum Johannem de Poliaco, Sacrę Theologię Doctorem, certis ex cauſis, de Fratrum noſtrorum conſilio, ad noſtram pręſentiam vocaſſemus, fide digna relatio ad noſtrum perduxit auditum, quod ipſe in quibuſdam Articulis tangentibus Pœnitentię Sacramentum non ſobrie, ſed perperam ſapiebat; infraſcriptos Articulos, periculoſos continentes errores, docens publice in ſuis Prędicationibus, & in ſcholis. Primo ſiquidem aſſerens, quod confeſſi Fratribus, habentibus licentiam generalem audiendi confeſſiones (3) teneantur eadem peccata, quę confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti; Secundo quod ſtante ſtatuto: Omnis utriuſque Sexus: edito in Concilio (4) Generali, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod parochiani non teneantur confiteri omnia ſua peccata ſemel in anno proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe Parochialem Curatum; immo nec Deus poſſet hoc facere, quia, ut dicebat, implicat contradictionem. Tertio quod Papa non poteſt dare generalem poteſtatem audiendi confeſſiones, immo nec Deus, quin confeſſus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe, ut pręmittitur, Parochialem Curatum. Nos igitur ſcire volentes, ſi ſuggeſta nobis veritatem haberent, Articulorum pręmiſſorum copiam eidem Magiſtro Johanni fecimus aſſignari, & ad defenſionem ſui audientiam plenam ſibi prębuimus, tam in noſtra, & dictorum Fratrum noſtrorum pręſentia in Conſiſtorio, quam alias coram aliquibus ex ipſis Fratribus, per Nos ad hujuſmodi officium deputatis. Verum licet pręfatus Magiſter dictos Articulos, & contenta in ipſis defendere niteretur, aſſerebat tamen, ſe paratum credere, & tenere in pręmiſſis, & aliis, ea, quę credenda, & tenenda eſſe. Sedes Apoſtolica diffiniret. Nos igitur attendentes, quod dictorum Articulorum aſſertio, prędicatio, & doctrina, redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipſos per plures Magiſtros in Theologia examinari fecimus (5) diligenter; Nos ipſi etiam cum dictis Fratribus noſtris collationem ſolertem habuimus ſuper ipſis, per quas quidem collationem, & examinationem, ſuper hoc pręhabitas comperimus pręmiſſos Articulos, doctrinam non ſanam. ſed periculoſam multum, ac veritati contrariam, continere: quos etiam Articulos omnes, & ſingulos idem Magiſter Johannes veris ſibi rationibus opinioni ſuę dudum habitę contrariis demonſtratis in Conſiſtorio revocavit (6), aſſerens, ſe credere eos non veros, ſed ipſorum contrarium verum eſſe, cum diceret, ſe neſcire rationibus ſibi factis in contrarium reſpondere, ideoque ne per aſſertionem, prędicationem, & doctrinam hujuſmodi in errorem, quod abſit, animę ſimplicium prolabantur, omnes prędictos Articulos, & quenlibet eorundem tanquam falſos, & erroneos, & a doctrina ſana devios, auctoritate Apoſtolica. damnamus, & reprobamus de Fratrum conſilio prędictorum, doctrinam ipſis contrariam veram eſſe, & catholicam aſſerentes (7): cum ille, qui prędictis Fratribus confitetur, non magis teneatur eadem peccata iterum confiteri, quam ſi alias confeſſus fuiſſet ſuo proprio Sacerdoti juxta Concilium Generale. Optantes autem veritatis vias notas eſſe fidelibus, & cunctis erroribus pręcludere aditum, ne ſubintrent, felicis recordationis Alexandri IV, & Clementis IV, Prędeceſſorum noſtrorum. Romanorum Pontificum, veſtigia imitando, univerſis, & ſingulis diſtrictius inhibemus, ne quiſquam dictos Articulos, per Nos, ut pręmittitur, damnatos, & etiam reprobatos, vel contenta in eis, vel aliquo ipſorum, utpote a catholicis mentibus reſpuenda, tenere audeat, ſeu defenſare quomodolibet, vel docere. Quocirca univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus univerſi, & ſinguli veſtrum, in Civitatibus, & Diœceſibus veſtris, convocato Clero, pręmiſſa omnia, & ſingula per vos, ſeu alios ſolemniter publicetis. Nos etiam eidem Magiſtro Johanni mandavimus, quod ipſe in ſcholis, & in ſermone Pariſiis prędictos Articulos, & contenta in eis, tanquam veritati contraria, proprię vocis oraculo, & aſſeveratione conſtanti, debeat publice revocare; quod ſe facturum dictus Johannes efficaciter repromiſit. Datum Avinione IX Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Refert Articulos. — Johannes revulſus ab errore. — Damnat ut ſupra.

1. *Poliaco.*) *Repreſſus a Romana Eccleſia eodem tempore novus error,* inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXI num. XX, *quem Johannes e Poliaco, Pariſienſis Doctor, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſanciendæ ſpecie, re autem vera Religioſorum Ordinum ac pietatis odio ventilabat.* Legendus *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXI num. II,* ubi quæ hac de re geſta ſunt refert, & ſubdit: *Tradunt tamen, non auſum eſſe hunc Doctorem* (Johannem de Poliaco) *aſſerere, has Confeſſiones nullius eſſe valoris, ſed ſi abſque licentia Parochi fierent, non liberare ab obligatione annuæ Confeſſionis Parocho iterum & integre faciendæ.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur inter *Extravagantes Communes Lib. V Tit. III Cap. II,* in *Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum typis editis anno MDV num. LXXVII,* in aliis anni *MDVII num. LXXXII,* in *Bullario Caſellani pag. 54,* apud *Rodericum in Nova Collectione Privilegior. Apoſtolic. pag. 50,* & apud *Labbeum Tomo XI Collection. Concilior. pag. 1635.* Partim tranſcribitur apud *Odoricum Raynaldum ad annum MCCCXXI num. XXXVII.*

3. *Confeſſiones.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

4. *Concilio.*) *Lateranen. IV Cap. XXI.*

5. *Fecimus.*) *Adducta eſt ea controverſia ad Sedis Apoſtolicæ tribunal, judiciaria dirimenda ſententia,* inquit *Odoricus* loco laudato; *atque diatim a Theologis collatis hinc inde argumentis contrariis agitata, de qua inſignem tum editam Commentarium e Vaticanis monumentis in lucem producimus.* Illud exſcribit, & *Num. XXXIII* hæc addit: *Ex his colligitur, non le-*

Digitized by Google

levem hunc Johannis Poliaci errorem fuiſſe, ſed graviſſimum; atque ideo fortiter oppugnatum a Doctoribus Theologica ſcientia laude florentiſſimis. Scripſitque inter alios de juriſdictione eccleſiaſtica elegantem Commentarium Hervæus Supremus Ordinis Prædicatorum Magiſter, egitque non tam Religioſorum, quam Eccleſiæ univerſalis cauſam adverſus temerarium novatorem, & ejus ſequaces... Præter Hervæum vero, *inſignem edidit Commentarium Petrus Paludanus Ord. Prædicatorum, poſtea Patriarcha Jeroſolymitanus, de Poteſtate eccleſiaſtica, cumque Johannes e Poliaco hierarchia eccleſiaſtica fundamenta concuteret, dum omnium Eccleſiarum paſtores æque immediate a Chriſto poteſtatem in commiſſas oves accepiſſe contendebat, demonſtravit Petrum a Chriſto juriſdictionem accepiſſe in alios Apoſtolos, nec ipſum Paulum, cum Chriſti ovis eſſet, Petri imperio liberum fuiſſe.* Hæc Odoricus.

6. *Revocavit.*) *Obſecutus Pontifici Johannes e Poliaco, tum in ſcholis, tum in ſacris concionibus publice errorem ejuravit,* ut ex *Holcotio* refert *Odoricus ad an. MCCCXXI num. XXXVII.*

7. *Reprobamus de Fratrum conſilio prædictorum, doctrinam ipſis contrariam veram eſſe, & catholicam aſſerentes.*) In *Extravaganti* ſuperius laudata, & apud *Odoricum* ſic legere eſt: *Reprobamus de Fratrum noſtrorum conſilio prædictorum, doctrinam contrariam veram, & contrarium eſſe catholicum aſſerentes: ſcilicet, quod illi, qui prædictis.*

Vicario Fratrum Prædicatorum, & aliis, ut cunctis qui in Imperio Tartarorum vel ad Dignitates Eccleſiaſticas, vel ad Ordines præter Canones ſunt promoti, benigne conſulant (1).

Anno 1321 Die 15 Octobris.

Ex Odorico Raynaldo (2) *Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXI num. V.*

XXXII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Cachanę (3) Archiepiſcopo S. Thaddęi Apoſtoli de Cameleſia (4), & dilectis filiis Vicario Prędicatorum, & Cuſtodi Fsatrum Minorum in Imperio Tartarosum conſiſtentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm, ſicut accepimus, nonnulli Pręlati tam Secularium, quam Regularium Eccleſiarum Imperii Tartarorum ad Pręlaturas Eccleſiarum ipſarum canonicum non habeant ingreſſum, ac nonnulli alii rite promoti ad Ordines non extiterint: Nos ſaluti eorum in hac parte miſericorditer providere volentes, vobis pro ſalute cleri, & Populi Chriſtiani in Imperio prędicto degentibus, necnon pro reconciliatione eorum, pręſentium auctoritate concedimus, ut demum, poſtquam illa, quę tam circa catholicam fidem, quam circa cetera in aliis noſtris vobis directis literis (5) comprehenſa, fuerint ſine ſimulatione completa, cum Pręlatis eiſdem, quod in ſuis remaneant Pręlaturis, auctoritate Apoſtolica diſpenſare libere valeatis; vel eos, qui maluerint, eadem auctoritate in Imperio prędicto transferatis ad alias Pręlaturas, prout ſaluti animarum ipſorum videritis expedire. Illos vero, qui, ut pręmittitur, rite quantum ad ſubſtantiam Ordinum, celebrantis (6) Ordines ſine poteſtate, promoti non exiſtunt ad Ordines, tu Frater Archiepiſcope rite ordines ſecundum ſtatuta canonica inſtituta. In novitate tamen hujuſmodi reductionis eorum, cum nondum eſſent in firma radice plantati, quaſi modo genitos infantes & lacte dulcedinis nutriendos, & tolerantię ſupportandos humeris, & ad pręmiſſa lenitate potius, quam neceſſitate, trahendos, merito judicamus. Sic ergo Vos, circa hęc ſolerter, ac ſollicite habeatis, quod per veſtrę diligentię ſtudium prava ſedeant in directa, & vigor catholicę fidei ſemper inibi laudabilibus proficiat incrementis &c. Datum Avinione Idibus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Mandatum.

1. *Conſulant.*) Apud *Tartaros* enim efflorescebat Religio Chriſtiana, ut ex variis Diplomatibus, quæ tranſcripſit *Odoricus Raynaldus*, conſtat: *conſtituendis igitur Tartariæ Eccleſiis intentus Pontifex*, ut notat idem *Odoricus* ad annum MCCCXXI num. V, *cum nonnullos in Cameleſia ad dignitates eccleſiaſticas irrepſiſſe injuria accepiſſet, alios etiam ſacris Ordinibus rite initiatos non eſſe, ut his mederetur malis, Archiepiſcopo S. Thaddæi e Cameleſia provinciam dedit, ut vel ſacros Ordines, auctoritatemve neceſſariam Pontificio nomine conferret.*

2. *Raynaldo.*) Laudat *Epiſtolam XXV Libri VI Johan. XXII*, & *Mſ. Vaticanum de Rebus Infidel. & Schiſmaticor. pag. 8.* Idem Diploma tranſcripſit *Cozza* in *Hiſtoria Polemica Tomo III pag. 129.* Meminere *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXI num. XII*, & *Waddingus Annal. Minor. Tomo III ad eundem annum num. XXXVIII pag. 266.*

3. *Cachanæ.*) Sic Amanuenſes *Odorici*, & *Cozzæ*: legerem *Zacharia*, ut apud *Bzovium*, & *Waddingum* laudatos. Hoc etiam nomine *Zacharia* vocatur Archiepiſcopus ille *Tartarorum* apud *Odoricum* loco citato *Num. VI*, ubi hæc habet Odoricus. *Incumbebat ſollicite ad proferendam latini fidem Zacharias S. Thaddæi Archiepiſcopus.* Id probat ex Diplomate quod ſic inſcribitur. *Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili fratri Zacharia Archiepiſcopo S. Thaddæi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem &c. Datum Avenione X Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto*, Chriſti MCCCXXI.

4. *Cameleſia.*) Ex Cozza, *Camalreſia*: ex Brovio, *Caraleſia*. In Diplomate dato *XI Septembris MCCCXXIX* legitur *Carateſia in Imperio Perſidis.* Conſule *Notationem VI* ad idem Diploma.

5. *Literis.*) Deſiderantur.

6. *Celebrantis.*) Turbatus locus: Legerem: *Celebrantes.*

Anno 1321 Die 23 Octobris.

Facultates, & Privilegia (1) Fidei Præconibus, ſeu Miſſionariis noſtris conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Fratrum Prędicatorum, in terras Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Yberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Zicorum (4), Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Motorum (5), aliarumque non credentium nationum, Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm hora undecima &c. (6). Et ut fructum de veſtris laboribus reportetis, & ſentiatis ex eis ęternę ſalutis commoda, vobis uberius proventura, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, vobis, & cuilibet veſtrum, vere pęnitentibus, & confeſſis, illam Indulgentiam, pręſentium auctoritate, concedimus, quam proficiſcentibus in Terrę Sanctę ſubſidium, Sedes Apoſtolica concedere conſuevit. Ac nihilominus, ut Chriſti fideles, quaſi per

Concedit ut ſupra.

pręmia ſalubriter invitemus ad merita, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis qui Eccleſias, & loca Fratrum dicti veſtri Ordinis in partibus pręmiſſis conſtructa, & in poſterum conſtruenda, cauſa devotionis, ſeu eleemoſynę faciendę ipſis Fratribus, ſingulis diebus viſitaverint, centum dies de injunctis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Vobis inſuper auctoritate Apoſtolica concedimus, ut in Civitatibus, Caſtris, vel Villis, ſeu locis quibuſcunque ad habitandum domos, & loca quęcunque de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, aut ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujuſvis alienationis titulo, in alios transferre, prout utilius id fieri cognoveritis, de noſtra, ac dictę Sedis licentia ſpeciali, valeatis. Non obſtante prohibitione fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne aliquis, vel aliqui, de Prędicatoribus, & Minoribus, ac Religioſis aliis Mendicantibus quibuſcunque ſuper hoc privilegiis muniti exiſtant, prędicta pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, plenam & expreſſam faciente de prohibitione hujuſmodi mentionem. Quod ſi ſecus actum fuerit decernimus irritum, & inane. Volumus autem & Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illa quę de jure, vel de obſervata conſuetudine ad Epiſcopalem dignitatem, ſeu juriſdictionem duntaxat pertinent, vobis, ſeu quibuſcunque aliis Fratribus, veſtri, ſeu cujuſcunque alterius Ordinis, ad terras non credentium tranſeuntibus, ſeu jam ibidem exiſtentibus, auctoritate Apoſtolica jam conceſſa, vel in poſterum

Decretum derogans.

concedenda, niſi in illis tantum partibus, in quibus catholici Epiſcopi non fuerint, nec vos, nec alii alterius Ordinis Fratres exercere curetis; Decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam ſcienter, vel ignoranter fuerit attentatum. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, licentię, facultatis, poteſtatis, relaxationis, voluntatis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Avenione X Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum inter Diplomata *Martini V.* Idem datum *Avenione III Idus Novembris, Pontificatus* Johannis *XXII Anno Sexto,* Chriſti MCCCXXI, legitur apud *Uſuſmarem pag.77.*

3. *Saracenorum.*) Vide *Notas* ad *Conſtitutionem CCCXI Innocentii IV Tomo I pag.238.*

4. *Zicorum.*) *Zicororum*, ut in Diplomate mox laudato.

5. *Motorum.*) Hi ſunt quos *Innocentius IV Conſtitut. CCCXI pag. 238, Tomo I* hujus Bullarii, *Moſilitos* vocat. Qui ab *Uſuſmare, Confettio, Roderico*, & ab *Auctore Anni Dominicani* laudatis in *Nota XX* ad eandem *Conſtitutionem* dicuntur *Moſtelitæ*. Eoſdem *Alexander IV* in Bulla, quam refert *Peña* ad calcem *Directorii Inquiſitorum pag.28,* & *Bzovius ad Annum MCCLVIII num.VII* ex eodem Diplomate *Moſcelinos* appellant. *Mochelitæ* nuncupantur in *Conſtitutione* inferius tranſcribenda *XX Aprilis MCCCXXXII.* Hinc ipſis inditum nomen *Macolitarum* in *Bulla* data I° Maii MCCCXVII. *Moleſtici* nominantur in *Conſtitutione VIII Nicolai III T. I. pag.559.* Aliis tandem nominibus, ex præcedentibus deductis ipſos appellitant nonnulli ſcriptores. Tot in nomenclaturis Amanuenſes *Arabicæ* linguæ neſcios, aliquid humani paſſos quandoque fuiſſe, non inficior quidem, ſed nullus dubito, quin *Arabes* ex variis Sectis (ſeptuaginta circiter recenſentur) ex diverſis regionibus, & ceteris id genus, variis nominibus donati fuerint. *Moti* dicebantur ex *Arabica* voce *Mothi*, quæ virum formidatum ſignificat. *Moſiliti* nuncupati ſunt ex voce *Moſlem*, non ſecus ac ex eadem voce *Moslem* nunc etiam *Moſlemani*, *Moſolmani*, & *Muſulmani*, id eſt *Credentes*, vocantur *Mahumetis* impii ſectatores, ut in confeſſo eſt apud omnes. *Moſtelitam* nomen ſectæ fuiſſe, crediderim, ex ultimo *Abbaſſidarum* gentis *Khalifo*, ſeu *Mahumetis* vicario, cui nomen *Moſtadhem*. Perierat anno MCCLVIII. *Mahumetis* ſucceſſor etiam num *Moupkti*, ſeu *Mufti* vocitatur. *Moſcelini* forſan appellati ſunt ſectatores illi *Mahumetis*, quos Arabice *Moſchabbehoun* vocant. Vel hoc nomen *Moſcelini* ſortiti ſunt ex *Arabica* voce *Moſſalah*, ex qua *Moſſali*, & *Moſſalioun*, id eſt *Orantes* appellitantur. *Mochelitæ* denominatio vel eſt ex voce *Makhalles*, Salvator, vel ex *Mochura*, Arabiæ felicis urbe, vulgo *Mecha*, ubi pſeudoprophetæ *Mahumetis* ſepulcrum viſitur. *Moleſticum* tandem interpretarer Regis ſubditum, ex vocabulo *Molk*, Regnum. Hinc *Molouk*, Reges. Sed de his diſſerant eruditi qui penitus didicerunt *Arabicam* linguam.

6. *Undecima &c.*) Ut in *Conſtitutione CCCXI Innocentii IV.* ad hæc uſque verba. *Videbitis expedire.*

Fau-

Fauſte precatur Tartaris Catholicis, & illos ad perſeverantiam cohortatur (1).

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXI. num.XXXVII. pag.266.

Anno 1321 Die 22 Novembris.

XXXIV.

Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, univerſis per Tartarorum Imperium aquilonare conſtitutis, in obedientia perſeverantibus Apoſtolicę Sedis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DOminum Deum noſtrum anima noſtra magnificat, & in devotis laudibus reverenter exultat, quod ipſe, qui neminem vult perire, Vos per Venerabilis Fratris noſtri Hieronymi Epiſcopi Caphenſis, & dilectorum filiorum Prędicatorum, & Minorum Fratrum Ordinum, miniſterio ſalutari, de mortis educens tenebris, ac vitę veteris cęcitate, in admirabile lumen ſuum, ad agnitionem ſui glorioſiſſimi Nominis revocavit. Profecto, filii, inter ſolicitudines alias, noſtris humeris incumbentes, hoc perpeti cura revolvimus, ad hoc ardentius noſtra ſuſpirat intentio, & hoc in ſolidę caritatis ardore crebris orationibus poſtulamus a Domino, ut ipſe lapis angularis, qui fecit utraque unum, ſuam ſanctam catholicam, & univerſalem Eccleſiam in unitate fidei orthodoxę toto orbe terrarum dignanter adunet. Ideoque, filii, univerſitatem veſtram paternis rogamus, & hortamur affectibus, & per Dei miſericordiam obſecramus, quatenus diligentius attendentes, quod coronam glorię perſeverantia repromittit, in hujuſmodi ſinceritate fidei, per quam merebamini (3) conſortium Angelorum, in nonnullis radicibus ſtabiliti, illam ſemper devotis animis obſervare curetis, ut ipſe cognitor ſecretorum Omnipotens, vota veſtra percipiens, ſuis beneplacitis confirmet in vobis, gratię ſuę dona multiplicet, & poſt vitę preſentis excurſum Regni ſui faciat cohęredes. Datum Avinione X Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Hortatur ut ſupra.

1. *Cohortatur.*) Lege *Conſtitutionem* datam XV Octobris MCCCXXI. Adeas *Waddingum* loco laudato, *Spondanum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXI num.III, & Fontanam Mocument. Dominican. Parte II Cap.I ad an. MCCCXXI pag.* 179, & *Oldoinum* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tom. II ad an. MCCCXVI pag.* 403.
2. *Waddingo.*) Idem tranſcripſit *Cozza Hiſtor. Polemica Tomo III pag.* 128.
3. *Merebamini.*) Fortaſſis, *Mereamini*, vel *Merebimini*.

Fidei deſertores ubique, etiam in Ædibus ſacris, comprehendi poſſe decernit (1).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXII num.LXVIII.

Anno 1322 Die 3 Julii.

XXXV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Inquiſitoribus hereticę pravitatis per Regnum Francię conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX parte veſtra fuit nuper propoſitum coram Nobis, quod nonnulli de heretica pravitate culpabiles, vel ſuſpecti, aut accuſati, ſeu converſi de Judaica cęcitate, ad fidem Catholicam, poſtmodum apoſtatantes ab ipſa ad Eccleſias confugiunt, non ad ſalutis remedium, ſed ut veſtras manus effugiant, & ſuorum ſcelerum vitent judicium ultionis; ſuper quo Apoſtolicę Sedis providentiam humiliter imploraſtis. Nos igitur, ad extirpandos Orthodoxę fidei inimicos, & herbam tam noxiam, tamque peſtiferam de horto Dominico radicitus evellendam, ſolicitis ſtudiis intendentes, diſcretioni veſtrę ad inſtar felicis recordationis Martini IV Prędeceſſoris noſtri, qui per Apoſtolicas literas (2) Inquiſitoribus hereticę pravitatis per Regnum Francię conſtitutis, idem mandavit, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus contra illos, quos de hujuſmodi heretica pravitate fore culpabiles, vel de illa notabiliter ſuſpectos eſſe, vobis conſtiterit, accuſatos etiam de labe prędicta, converſos quoque judęos, & poſtmodum patenter, vel veriſimiliter indiciis apoſtatantes a fide, juxta qualitatem delicti exequamini libere officii veſtri debitum, ac ſi ad Eccleſias, & loca prędicta minime confugiſſent. Contradictores per Cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſthabita compeſcendo, &, ut nullum in hac parte poſſit obſtaculum vobis poni, venerabilibus Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Regnum Francię conſtitutis per alias noſtras literas (3) injungimus, ut Vos non impediant, quo minus hujuſmodi mandatum noſtrum implere libere valeatis, ſed potius ad requiſitionem veſtram in iis vobis aſſiſtant, ſicut extiterit opportunum. Datum Avinione V Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Supplex Inquiſitorum petitio.

Mandatum.

1. *Decernit.*) Adeas *Waddingum ad annum MCCCXXII num. LXVII.*
2. *Literas.*) *Conſtitutione* ſcilicet *I*, ſuperius exſcripta *pag.*1.
3. *Literas.*) Deſiderantur hæ literæ.

Anno 1323 Die 1 Junii.

Armenorum Patriarcha F. Guillelmum Ordinis Prædicatorum, Soltanienſem Archiepiſcopum, habeat commendatum (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. VII.

XXXVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Conſtantino (3) Patriarchę Armenorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Inferioris Armeniæ populi Religioni Catholicæ nomen dant.

AGimus in humilitate Spiritus devotas laudes Domino Deo noſtro quod, ſicut inferioris Armenię populi, quos in tenebris, & umbra mortis, diutius ambulantes antiquus hoſtis in ſagenam incluſerat cęcitatis, nobis per literas eorum & Nuncios inſinuare curarunt, ipſe miſericors, & miſerator Omnipotens, qui ſecundum multitudinem miſerationum ſuarum, nolo mortem peccatoris, dixit, ſed ut convertatur & vivat, antiquum ab ipſorum oculis velamen cęcitatis abducens, ad proſpectum veri luminis, hoc eſt ad Chriſtianę fidei jubar, & evangelicę veritatis lineam, a qua exorbitantibus non eſt ſalus, juxta quod Sacroſancta Romana mater Eccleſia mater omnium, & magiſtra, fideliter profitetur, & prędicat, revocavit. Nos autem ex his ſpiritualium gaudiorum ubertate refecti, & ſperantes in miſericordia Domini, quod non ſubſiliet, nec abbreviabitur in his tantummodo manus ejus, ſed votorum noſtrorum feliciter diriget pro ſui laude nominis ad ulteriora progreſſus; ad prędicandum verbum vitę populis Armenorum Imperii Perſidis, qui, quanquam tibi in ſpiritualibus obediant, & intendant, a doctrina tamen Eccleſię Romanę degenerant, & ad reducendum eos in ſemitam veritatis, & ad lucrifaciendum Chriſto animas eorundem, ad inſtar illius, qui Spiritus ſuos angelos facit, & miniſtros ſuos ignem urentem, venerabilem Fratrem noſtrum Guillelmum Soltanienſem Archiepiſcopum (4) chriſtianę fidei zelatorem, qui dictę fidei ardore ſuccenſus, maris & terrę pericula libenter ob Chriſti nomen perferre ſe obtulit, ad plantandum, & irrigandum in partibus illius novę plantationis hortum, incrementum dante Domino, deſtinamus. Et quia favores tuos, cooperationes, & ſtudia, velut Pręſuli catholici, & in partem Apoſtolicę ſollicitudinis ad convertendas ad ſalutem animas evocati, fore noſcuntur ad felicem hujuſmodi plantationis effectum plurimum opportuna, fraternitatem tuam rogamus, & obſecramus in Filio Dei Patris, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus prudenter attendens, quod divina, ac Apoſtolicę Sedis, gratia inter tantos tamque diffuſos populos eccleſiaſtica dignitate pręfulges, ut retribuas Domino Deo tuo pro his, quę tribuit ipſe tibi, calicem ſalutis, quem tibi propinamus, accipias, & ſpeciales Nuncios tuos, & literas ad Armenos ejuſdem Imperii Perſidis una cum eodem Archiepiſcopo deſtinare procures, qui Armenos ipſos ex parte tua ſolerter inducant, ſalubriter alloquantur, & moneant, ut eundem Archiepiſcopum ob reverentiam Apoſtolicę Sedis, & noſtram, devote recipiant, & verba vitę, ac fructum ſalutis ęternę, quem eis prędicando, & exhortando pollicebitur, tenaciter eorum mentibus infigentes, ad viam veritatis, quę Chriſtus eſt, & ad ſalutiferam Eccleſię Romanę doctrinam, ad quod ſummopere te decet anniti, antiquis relegatis erroribus, ſe convertant: ſicque in melius atque ſalubrius pręſentis ſeculi ſtadium, Chriſto auxiliante, percurrant, ut vitę perennis bravium comprehendant. Tu vero, qui ad revocandas ab erroribus tot populorum animas ad ſalutem te cooperatorem, & adjutorem tam optimę mercedis efficies, pręter benedictionem & gratiam, quas a Nobis, & a Matre tua Sede Apoſtolica conſequeris, Deo gratiſſimum offeres holocauſtum; per quod cęleſtem tibi cumulabis gratiam, mercedem ęternam tibi proculdubio repenſuram. Datum Avinione Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Encomium F. Guillelmi.

Ipſum commendat.

1. *Commendatum.*) *Emerſere porro e tenebris perfidiæ Armeniæ Inferioris populi*, verba ſunt *Odorici Raynaldi* ad an. MCCCXXIII num. VII, *divinaque tandem luce colluſtrati literas, & Oratores ad Romanum Pontificem miſere, ut incorruptæ fidei formam a Sede Apoſtolica veluti puriſſimo fonte peterent. Delibutus itaque Johannes magnæ lætitiæ ſenſu Apoſtolicum ſtudium ad revocandos ad gremium Eccleſiæ Armenos, qui in Perſide verſabantur, contulit; legavitque in Perſidem Guillelmum magnæ religionis virum, quem Soltanienſem Archiepiſcopum creavit; & Conſtantinum Patriarcham Armenorum ad conjungendam cum Archiepiſcopo in ea re operam, zelumque in animarum ſalute promovenda explicandum incitavit.*

2. *Odorico* Citat *Epiſtolam DCCCXLVIII Anni VII Johan. XXII.*

3. *Conſtantino.*) Non ipſi duntaxat, ſed etiam *Armeniæ* Regi ſcripſiſſe *Johannem*, teſtis eſt *Odoricus ad an. MCCCXXIII num. VIII*, ubi tranſcripto præſenti Diplomate, addit: *Eodem pene exemplo conſcriptas literas Leoni Regi Armeniæ miſit* (Johannes XXII) *ipſumque hortatus eſt, ut ad reponendam Divino Numini pro acceptis ab eo ampliſſimis beneficiis gratiam, amplificandamque in minori Armenia fidem ſuos Oratores, ac literas, ad populos, qui recens evangelicæ luce colluſtrati fuerant, mitteret, ut Archiepiſcopo ab Romano Pontifice Legato obſequerentur, atque ad conſtantiam in Religione Chriſtiana excitaret.*

4. *Archiepiſcopum.*) Succeſſerat enim *Franco e Peruſio*, ut ex ſequenti *Conſtitutione* videre eſt. De *Guillelmo* dictum eſt *Nota X* ad *Conſtitutionem datam I Maii MCCCXVIII.*

Anno 1323 Die 1 Junii.

Ut licet F. Francus (1) e Peruſio Soltanienſis Archiepiſcopatus oneri ceſſerit, inſigniis tamen Pontificalibus uti poſſit (2).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. VIII.

XXXVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Franco, Archiepiſcopo Soltanienſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

.... (3) TIbi de Sedis Apoſtolicę benignitate utendi apud Gręcos & fideles, in quorum partibus pro ſalute fidelium, & ampliatione Catholicę fidei converſaris, Pontificalibus inſigniis in Divinis officiis, & locis competentibus, abſque tamen uſu Pallii, ſicut uti conſueveras ante hujuſmodi ceſſio-

ceſſionem ; necnon benedictionem populo in eiſdem locis more Pontificum largiendi, dummodo Legatus Sedis Apoſtolicę, aut aliquis Archiepiſcopus, vel Epiſcopus pręſens in Benedictione hujuſmodi non exiſtat, plenam & liberam auctoritate pręſentium concedimus facultatem &c. Datum Avinione Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Francus.*) Quem librarius *Odorici* nominat *Franciſcum*. Lege *Notas ad Conſtitutionem XII datam I Maii MCCCXVIII.*

2. *Poſſit.*) *Complexus porro eſt Johannes Apoſtolica benignitate Franciſcum e Peruſio, Guillelmi Soltanienſis Archiepiſcopi Prædeceſſorem, qui dignitate diſceſſerat, eamque procuratoris opera Sedis Apoſtolicæ curæ commiſerat, quo liberius Cæleſtium rerum contemplationi vacaret.* Odoricus ad an. MCCCXXIII num. VIII.

3. . . . . . .) Quædam hic deſunt, quibus, ut ex *Odorico* mox laudato videre eſt, Summus Pontifex facultatem facit *Franco*, ut Archiepiſcopatus oneri cedat.

Fratrem Johannem Dominicum (1) alioſque ad Oroſium (2) Regem Serviæ (3) legat.

Anno 1323 Die 12 Junii.

Ex Odorico (4) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. XV.

XXXVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Magnifico viro Oroſio Regi Servię illuſtri, gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

Nuper dilectus filius nobilis vir Philippus, Princeps Tarentinus, clarę mem. Caroli (5) Regis Sicilię filius, per gratos ſuarum literarum affatus, & ſpecialem Nuncium noſtro Apoſtolatui reſeravit, quod, Deo Patre Luminum ad verę Religionis zelum prius pręparante tuę mentis affectum, eidem Principi per literas, & Nuncios expreſſiſti, quod dilectę in Chriſto filię Nobili Mulieri (6) natę ipſius conjungi deſideras fędere conjugali; & quod abjurata, & dimiſſa erroris ſchiſmatici vetuſtate, cum Clero, & nobilibus, totoque populo Regni Servię, Sacroſanctę Eccleſię Catholicę corpori redintegrari, & ad unitatem verę fidei orthodoxę reduci, ac Religionem ejuſdem fidei, veramque doctrinam Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, quam tenet, docet, & prędicat Sancta Romana, & univerſalis Eccleſia, devotis, & piis mentibus profiteri, ac inconcuſſe, & inviolabiliter deſideras cuſtodire, ut ſub Paſtore Apoſtolico, cui Paſtor ille cęleſtis in perſona Beati Petri, Apoſtolorum Principis, paſcendas oves poſt ſuam Reſurrectionem commiſit, non extra, ſed intra ovile dominicum doctrinis ſalutaribus imbuaris; ab eodem Principe per Literas, & Nuncios depoſcendo, ut per ſuę interceſſionis inſtantiam obtineret ad tuam pręſentiam a nobis Apocriſiarios (7) deſtinari in veritate catholicę fidei eruditos, qui velut pacis angeli, te, dictoſque Clerum, nobiles, & populum ſalutari doctrinâ, ejuſdem Fidei informarent. O quam gratum noſtris id occurrit affectibus! Quam acceptum cum gaudio exultationis ingentis, quod tam nobilis ovis a caula dominicę paſcuę ſegregata, cum clero, & populo dicti Regni Apoſtolici Paſtoris directa vehiculo, ad ovile dominicum, & unitatem ejuſdem Eccleſię revertatur! Hoc eſt enim, quod totis viſceribus, quod etiam in ipſis Miſſarum ſolemniis, a Domino petimus inceſſanter, ut videlicet Sacroſanctam Eccleſiam, unicam ſponſam ſuam toto orbe terrarum adunare dignetur, ut eadem Eccleſia, ſervans in membris ſuis omnibus unitatem, per fęcunditatis augmentum in multitudine latius extendatur, & dominica luce perfuſa, per orbem totum radios ſuos protendat; ut iidem radii ſerventur in corpore, rami ejus ab arbore non cędantur, nec ipſius rivi pręcidantur a fonte; & ſic ejuſdem Eccleſię unitate integraliter conſervata, unum ſit corpus ejus, nullam membrorum ſuorum patiens ſectionem, una origo, & una mater fęcunditatis ſucceſſibus copioſa, quę fideles Deo ſervet, & filios Regni, quos generavit, aſſignet. Ecce igitur, devotione tua hujuſmodi patefacta, commota ſunt viſcera paternę pietatis in filios, & velut perfuſi ingentibus gaudiis ſuper dragma perdita reinventa, & pro errantibus Ovibus ad gregem dominicum reducendis, veri, piique Paſtoris Officium exequi cupientes, libenter annuimus poſtulatis; ac juxta vota tua, nobis expoſita, Venerabilem Fratrem noſtrum Bertrandum Archiepiſcopum Brunduſinum, & Magiſtrum Bernardum de Parma, Canonicum Adverſanum, & Johannem Dominici Ordinis Fratrum Prędicatorum Lectorem Fratrum Conventus Narbonenſis dicti Ordinis, tanquam pacis angelos, & pacificos Chriſti diſcipulos, non gaudentes in vanitate verborum, neque ſapientię Dei mundanam ſapientiam pręferentes; viros utique in lege Domini plenius eruditos, ad tuam pręſentiam deſtinamus, ut ipſi, in ſolido litore fidei conſiſtentes, te, Clerum, nobiles, & populum dicti Regni, velut de naufragio ereptos, tuto ſinu recipiant; & tanquam tabula de tranquilli ſali fluctibus in portum verę ſalutis adducant. Et quia fides primum eſt, & ſolidum fundamentum, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, profeſſionem fidei, quam tenemus, quam a Te, Clero, nobilibus, & Populo dicti Regni exigimus, ut eandem Tu, & ipſi profiteamini, & Servitę (8), ſi ad noſtram, & ejuſdem Eccleſię, ut deſideramus, unitatem redire velitis, vobis verbis explicitis, & apertis, tenore pręſentium explicamus. Et quidem credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, &c (9). Ideoque Excellentiam tuam monemus, & rogamus attente, ac in Domino noſtro Jeſu Chriſto per aſperſionem ſui pretioſi Sanguinis obſecramus, quatenus diligenter attendens, quantum tibi creſcet ad meritum, quantum ſuccedet ad gloriam, ſi una cum omnibus dicti Regni ad unitatem ejuſdem Eccleſię, & caulam Dominicam reducaris, ſic ſtudeas habilitare materiam, ſic tuam, tuorumque mentem diſponere, quod ad requiſitionem Nunciorum, quos pręſentialiter mittimus, Te, ac prędictis clero, nobilibus, & populo pręſcriptam humiliter ſuſcipientibus, & profitentibus fidei veritatem, Regnum prędictum in ejuſdem fidei ſolido fundamento fundetur; Tuque merito cariſſimus, & acceptione intimus, efficiaris Eccleſię filius, & inter alios catholicos Eccleſię principes lęteris, & gaudeas nomine chriſtiano; Regnumque prędictum in firma petra Apoſtolicę Eccleſię ſolidatum, contra omnes temporum turbines, & incurſus infidelium nationum inconvulſam recipiat indeficientis roboris firmitatem. Ceterum gratum geremus plurimum, & acceptum, & ex nunc ad id noſtrum exhibemus aſſenſum, quod poſtquam ejuſdem profeſſionem fidei, & recognitionem Primatus Ro-

Serviæ Rex errores deponere peroptat.

Regi gratulatur.

Legatio.

Credenda proponit.

Romanę Eccleſię juxta formam cootentam pręſentibus duxeris faciendas, inter Te, & prędictam Natam ejuſdem Principis legitimum Matrimonium contrahatur; ex quo profecto tibi, & filiis tuis, quos actore Deo, ex copula ſic honorabilis thori ſuſcipies, fortitudo, ſecuritas, atque robur contra quoſcunque impugnantes inimicos pro pręſentibus temporibus, & futuris provenient; multorumque Regum, & Principum propter hujuſmodi parentelam, in te, tuiſque poſteris famoſa, & poteoti vallaberis firmitate. Datum Avinione II Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *F. Johannem Dominicum.*) *Quidam F. Johannes Dominici Ordinis Prædicatorum*, inquit *Echard* Tomo I. Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXIV. pag. 558, *Anno MCCCXXIII Lector Theologiæ Domus noſtræ Narbonenſis laudatur a Raynaldo ad hunc annum num. XVIII, & dicitur a Johanne XXII miſſus cum Bertrando Archiepiſcopo Brunduſinenſi, & Bernardo de Parma Canonico Averſano ad Oroſium Serviæ Regem pro ejus Regni ejurato Græcorum Schiſmate reconciliatione cum Eccleſia Romana. Si iſte idem eſt cum auctore Compendii, ut vix dubium eſſe poteſt, iſti tres Apocriſarii, etſi anno MCCCXXIII jam delegati nonniſi anno MCCCXXIV poſt Feſtum S. Thomæ de Aquino iter illud ſuſceperint in Serviam, ubi Eccleſiæ egregiam navaſſe operam dicuntur.* Hæc ille, ſed præſtat audire *Raynaldum*, cujus hæc verba num. XV. *Convertit mox apoſtolicum zelum Pontifex ad Serviorum cum Romana Eccleſia conjunctionem perficiendam: cumque Oroſius memoratum Philippum rogaſſet; ut qua pollebat apud Sedem Apoſtolicam gratia & auctoritate, Nuncios Apoſtolicos in Serviam legandos curaret, qui obnoxios ſibi populos fide Catholica erudirent; Pontifex id munus contulit Bertrando Brunduſino Archiepiſcopo, Bernardo e Parma Canonico Adverſano, & Johanni Dominici Ordinis Prædicatorum Theologo, quos ad Philippum Tarentinum, Johannem Achajæ Principes, & Carolum Calabriæ Ducem, Siculi ſceptri hæredem, miſit, ut ipſum ad rem præclare gerendam conſiliis inſtruerent. Oroſio vero Regi paratos venienti paternos amplexus ſignificavit, fideique orthodoxæ formam, quam ipſe, ac Servii eſſent profeſſuri, propoſuit.*

2. *Oroſium.*) Seu *Uroſium*, cujus mentio in *Nota I* ad *Conſtitutionem Clementis V* datam die I Aprilis MCCCVIII.

3. *Servia.*) Pars eſt *Hungariæ* late ſumptæ. A nonnullis *Serblia* nuncupatur.

4. *Odorico.*) Illud exſcripſit *Cozza* in *Hiſtor. Polemica* Tomo III pag. 121.

5. *Caroli.*) *II.*

6. *Mulieri.*) Cui nomen *Blanca*. Audiendus *Odoricus* ad an. MCCCXXIII num. XIV. *Aggregavit ſe hoc anno Romanæ Eccleſiæ Oroſius Serviæ Rex, ac veteris Græcorum Schiſmatis damnandi deſiderium explicuit; quem nuncium Sedi Apoſtolicæ primus attulit Philippus Tarentinus Princeps, cujus filiam, Blancam, Oroſius uxorem depoſcebat, armaque & Regni vires Philippo ad recuperandum Conſtantinopolitanum Imperium offerebat. At Philippus utpote ſingulari ſtudio Eccleſiæ addictiſſimus, antequam affinitatem cum Oroſio contraheret, Chriſti Vicarium conſuluit; cui a Johanne redditum hoc reſponſum: Valde gratum & placidum gerimus, ſi alias de tua voluntate proceſſeris matrimonium memoratum, dum tamen prout ex ipſorum Nunciorum tuorum narratione lætanter accepimus, præfatus Rex una cum Clero, nobilibus, & populo regni ſui ſchiſmaticæ pravitatis deterſa rubigine ſolidetur, ut ſupero dicitur, in firma petra catholicæ fidei, & integretur orthodoxæ matris Eccleſiæ unitati, aliaque compleat, quæ tuæ magnitudini pro faciliori acquiſitione Conſtantinopolitani Imperii obtulit, ſicut habet Nunciorum aſſertio præfatorum.*

7. *Apocriſiarios.*) *Apocriſarios.* Græca vox eſt, quæ Reſponſalem legatum ſignificat.

8. *Serviæ.*) Incolæ nempe *Serviæ*.

9. *Et Spiritum Sanctum &c.*) Ut in *Conſtitutione III Clementis V* ad hæc uſque verba: *Reverentia audiatur.*

Anno 1323 Die 12 Julii.

F. Johanni (1) Dominici, ceteriſque ad Oroſium Regem Legatis, agenda præſcribit.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. XVII.

XXXIX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Bertrando, Archiepiſcopo Brunduſino, & dilectis filiis Magiſtro Bernardo de Parma, Canonico Adverſano, & Fratri Johanni Dominici, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Lectori Fratrum Conventus Narbonen., dicti Ordinis, A. S. Nunciis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diſcretioni (3) veſtrę pręſentium tenore committimus, quatenus ad partes illas (4) vos abſque tarditate morę perſonaliter conferentes, ac ſecundum datam vobis a Deo prudentiam procedentes, Regem, clerum, nobiles, & populum memoratos, ad eiuſdem fidei orthodoxę profeſſionem, & ad acceptandum, vel recipiendum ipſius Eccleſię Romanę Primatum juxta pręſcriptam formam, idoneis ſecuritatibus, & cautelis adhibitis, admittatis: ita quod, ſi divina gratia Regis, Cleri, nobilium, & populi prędictorum mentis aciem illuſtrabit, idem Rex ac Pręlati, Clerus, nobiles, & populus dicti regni, in parlamento publico congregati, eandem Fidei veritatem & Primatum Romanę Eccleſię, juxta pręſcriptam ſeriem, plene ac ſerioſe lectam, & expoſitam, fideliter, explicite, ac aperte hoc modo recognoſcant, & profiteantur pręſtito juramento: Ego Oroſius Rex Servię ſupraſcriptam fidei veritatem, prout plene lecta eſt, & fideliter expoſita, veram, Sanctam, catholicam, & orthodoxam fidem eſſe cognoſco: eam accepto, & corde ac ore profiteor; ipſamque, prout ea veraciter tenet, fideliter docet, & prędicat Sacroſancta Romana Eccleſia, me inviolabiliter ſervaturum, & in ea omni tempore perſeveraturum; nec ab ea ullo unquam tempore receſſurum, nec quoquomodo deviaturum, vel diſcrepaturum, promitto. Primatum quoque ipſius Sacroſanctę Romanę Eccleſię, prout in pręmiſſa ſerie continetur, ad ipſius Eccleſię obedientiam ſponte veniens, fateor, recognoſco, accepto, ac ſponte ſuſcipio: & me omnia pręmiſſa tam circa fidei veritatem, quam circa ejuſdem Eccleſię Romanę Primatum, & ipſorum recognitionem, acceptationem, ſuſceptionem, obſervantiam, ac perſeverantiam ſervaturum, pręſtito corporaliter juramento, promitto, & confirmo; Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Evangelia. Huic autem ſcripto de mea recognitione, acceptatione, profeſſione, ſuſceptione, promiſſione, ac juramenti pręſtatione ſponte mea facto, lecto, & perlecto, ſponte ſubſcripſi, & ſigillum apponi feci. Porro a Pręlatis prędicta, & alia exigetis, videlicet, ut manualem, vobis recipientibus nomine ejuſdem Romanę Eccleſię, obedientiam, & reverentiam exhibeant; & ſe ab illa nullo unquam tempore receſſuros, pręſtito juramento, promittant: & nihilominus in eorum promiſſione veniat, quod nec contra ſuam profeſſionem aliquid publice prędicare, aut occulte ſuadere pręſumant. De hujuſmodi autem profeſſionibus fiant publica inſtrumenta, multiplicanda in varia omnino ſimilia, ut aliqua penes vos retinere, nonnulla poſſitis deponere, & alia per diverſos Nuncios propter inopinatos caſuum fortuitorum eventus ad Sedem ipſam,

Exigendi ab Oroſio Sacramenti forma.

Quid a Prælatis exigendum.

ut

ut in ejus conſerventur archivio, cum cautela & diligentia omnimoda remittatis, &c. Datum Avinione II Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Johanni.*) Legendum præcedens Diploma.
2. *Odorico.*) Ex *Tomo III Epiſt: Secret. pag.*264.
3. *Diſcretioni.*) Hic nunnulla deeſſe conſtat ex *Odorico*, cujus hæc verba ad an. MCCCXXIII num.XVII. *Eodem argumento ad Bertrandum Archiepiſcopum ac ſocios literas dedit, quibus Apocriſiariorum Pontificiorum munus demandavit, ac ſtrenuam in iis ad Romanam Eccleſiam traducendis navare operam juſſit, & poſt deſcriptam eandem conceptis verbis fidei formulam, quam Regi tranſmiſerat, adiicit. Iohannes &c. Diſcretioni &c.*
4. *Illas.*) *Serviæ* ſcilicet.

B. Thomam Aquinatem in numerum Sanctorum aſcribit (1).

Anno 1323
Die 18 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XL.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus univerſis Patriarchis, Decanis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis, Archipresbyteris, aliiſque Eccleſiarum Prelatis, ad quos litere iſte pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

REedemptionem miſit Dominus populo ſuo, cum Verbum Dei in virginalis uteri thalamo, Sancti Spiritus cooperatione, conceptum, caro factum eſt, & habitavit in nobis, verbo ſuo nos inſtruens, exemplo docens, celeſtia reſerans, occulta miraculis roborans, ac ſacri eloquii teſtimoniis futura eadem eſſe confirmans, tandem ſe Deo Patri in ara Crucis hoſtiam acceptabilem offerens, peccata noſtra pio cruore deterſit, deſcendenſque ad inferos, ac die tertia reſurgens a mortuis, & per XL dies apparens Diſcipulis, & loquens de Regno Dei, ipſis cernentibus eſt elevatus in celum, & captivam ducens captivitatem, dedit dona hominibus, quibus pateſcere celum innotuit, reſerata dudum clauſa in ſe credentibus janua Paradiſi. Patet ergo celum credentibus, patet humilibus, patet etiam iis qui caſtitatis, paupertatis, & obedientie votis ſe Deo, a quo ſtulti per inobedientiam diſceſſerant, voluntaria ſponſione devovent. Regnum celorum vim patitur, & violenti rapiunt illud, dum propriis ſubactis affectibus, violentia quadam ad ſuperiora conſcendunt. Hec igitur B. Thomas de Aquino, Ordinis Fratrum Predicatorum, ſacre Thologie Doctor, nobilis quidem genere, ſed nobilior converſatione, fama clarus, vita clariſſimus, ſedula meditatione revolvens, & attenta deliberatione diſcernens, dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret, ipſius Ordinis Predicatorum habitum ſuſcepit (3), in eo, invito etiam Patre (4), qui ejus felicibus actibus invidebat, conſtantius manſit (5), ac in ipſo tandem regularem profeſſionem emiſit, ubi in brevi adeo ſcientia, vita, & moribus profecit, ut etate adhuc juvenis ad Sacerdotium promoveretur, & ad ejuſdem Theologie Magiſterium, Pariſiis, loco utique celeberrimo, aſſumptus (6), magno inibi ſui, ſuique Ordinis, ac Pariſienſis Studii favore per multorum annorum curricula cathedram regeret magiſtralem (7). Quippe cum illi vita exiſtentiam, converſatio famam, doctrina pareret opinionem, opera divulgationem, eademque tam brevi confecta tempore, admirationem merito exhiberent: ut illud Pſalmi Rigans montes de ſuperioribus ſuis, de fructu operum tuorum ſatiabitur terra, in eo veriſſime impleretur; Quod utique thema, idem Sanctus dum eſſet in ſacra pagina incepturus aſſumpſit, quodque, ut fertur, revelatione ſibi poſt ſuam orationem facta didicerat, dum propter juventutem ſuam ſe inhabilem ad Magiſterium reputans (8), quid proponeretur in Inſtanti principio, heſitaret. Nam & in primitivis ſcientiis, & diverſis Philoſophie partibus, ut non eſſet otioſus, ſed operaretur terram, necnon in Sacre Scripture pagina, tam ſuper Novum, quam Vetus Teſtamentum ſcripta (9), plurimaque alia Dei opera, in Dei laudem, fideique dilatationem, eruditionemque ſtudentium, clara (10), cum ſciens eſſet, famoſa, cum cognitus, non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit (11). Doctrina quippe prudentium facilis, & omnino ſcientis ſignum eſt poſſe docere. Profecit utique vir peritus, a terrenorum ambitione ſemotus, & ad celeſtium aſſecutionem intentus; perfecto vacans ſtudio, intendebat Deo, pretermittebat terrena, ut aſſequeretur eterna, premittebat divina, ut roboraretur in ſchola, cum ſingulis diebus antequam lecturus aſcenderet cathedram, vel diſtraheretur ad alia, Miſſam unam celebraret, aliam audiret (12), in quibus, & alias in Oratione, cum in illa foret aſſiduus, lachrymarum effuſionem, mentis ſue dulcedinem, devotionemque Deo, cui nihil eſt abſconditum, revelabat. Cumque caſtitatis nitore canderet, parſimonia devota cuſtodiebat humilitatem, hanc eandem ſobrietate medica nutriebat, adeo ut multi eum in carne virginitate manſiſſe incorruptum extimarent. Quod ejuſdem Sancti Confeſſor Ordinis memorati, qui longo tempore ipſius confeſſionem audierat, publice, ut ad nos teſtimonio fide digno pervenit, coram omnibus die functionis ejuſdem aſſeruit, dicens: Ego confeſſionem generalem iſtius Sancti viri audivi, de quo teſtificor, quia ita inveni eum purum, ſicut puerum quinque annorum, quia nunquam ſue carnis ſenſit corruptelam. Qui propterea vir Dei, cibis Religioſorum, veſtimentiſque communibus contentus, converſatione mitis, benignitate ſuavis, pietate miſericors, humilitate ſubjectus, ceteraque virtutum varietate redimitus, honorum ſupercilium, mulierumque cautius conſortia ſpernebat; non elatus, non premiiens, nec etiam diſputans, quod & interdum diſputantium ſolet eſſe commercium, jactator effectus, ut ampulloſis, etiam ſi ſibi eadem iniicerentur ab aliis (13), in illo paleſtrice ſyllogizationis exercitio uteretur. Totus igitur Dei famulus divinis operibus intentus, aut eruditioni, qua precellebat, aut predicationi, qua immotus erat (14), aut orationi, qua devotus, aut Scripture Sacre, qua profundus, ſedulus vacabat; adeo ut preter naturalis neceſſitatis, aut quietis horas, nullum ſibi, aut vix temporis ſpatium relinqueret otioſum. Appropinquante autem die, qua, de hoc ſeculo migraturus eſſet ad Dominum, quaque devicto, triumphatoque mundo, in perpetuas eternitates recipiendus erat in patria, nam

Nondum Quatuordecim annos natus S. Thomas Ordini Prædicatorum nomen dat.

Invito Patre perſeverat.

Magiſterium Pariſiis adipiſcitur.

Admirationem omnibus movet.

Scriptis ſuis celeberrimus.

Nota.

Qua via ſcientiam ſibi comparaverit Sanctus Thomas.

Quibus virtutibus ornatus fuerit.

Mortis ſuæ diem præſciit.

nam bonorum laborum glorioſus eſt fructus, cum a fel. rec. Gregorio PP. X Prędeceſſore noſtro, ad Lugdunenſe Concilium (15) diceretur eſſe vocatus, de Neapoli veniens, ubi tunc temporis more ſolito famoſe legebat ut Doctor (16), & per maritimam tranſiens, cum ad Monaſterium Foſſę novę (17) Ordinis Ciſtercien., Terracinen. Diœceſis, parumper digreſſurus, per dies aliquot antea ad ipſum, ut illuc deferretur affectuoſe depoſtulans, perveniſſet, intrans Monaſterium, plenus Dei ſpiritu, hęc verba protuliſſe refertur. Hęc requies mea in ſeculum ſeculi, hic habitabo quoniam elegi eam.

In Ciſtercienſium Monaſterio diverſatur.

Quod verum eſſe, eventus edocuit, & ſacri Corporis ſui illic facta tumulatio (18) manifeſtat; Cepit enim illic in infirmitate corporis gravari eadem, viribus paulatim debilitari, infirmitatem tamen ipſam, etſi dierum plurium, non impatienter tolerans, ſed ęquanimiter, totus ut erat humilis, patientia ſupportans, qua ſibimet leniret infirmitatem, Deo obedientia placeret, miniſtris (19) de ſe, quod non intendebat, aggeneraret reverentiam, imitandę patientię exempla pręberet, adeo quod eiuſdem Monaſterii Foſſę novę Fratres ioibi Deo devotius famulantes, hęc in ſancto viro religionis exempla contemplantes, illius tunc infirmantis corpore prompti obſequiis mancipati, quem utique tanta refertum patientia fore cernebant, ſinguli ligna de ſilva, ſinguli quęque illi opportuna voluntarie propriis humeris deferebant, non extimantea fore conveniens, ut brutorum animalium humeri, in portandis eidem rebus accommodia prę̨ſtarent obſequia, qui tantarum virtutum prerogativa pollebat.

Morbo tentatur.

Singulari caritate Ciſtercienſes ipſum excipiunt.

Cumque in eadem infirmitate, de qua obiit, Sanctiſſimi Dei & Domini noſtri Jeſu Chriſti Corpus, in cibum ſumendum ſibi, ut viaticum deferretur, totus profuſus io lachrymis, & dulci amore eiuſdem anima aſſueta, dulcedine Dei liquefacta, inter cetera multa, & decora, quę protulit, hęc, vel ſimilia fidei & devotionis verba, toto illius Monaſterii Conventu, multiſque dictorum Prędicatorum, & Minorum Ordinum aſſiſtentibus Fratribus, eructaſſe refertur: Ego de iſto ſanctiſſimo Corpore Domini noſtri Jeſu Chriſti, & aliis Sacramentis multa docui, multa ſcripſi io fide Jeſu Chriſti, & S. R. Eccleſię, cujus correctioni cuncta ſubiicio (20) cuncta ſuppono.

Viatico Cœleſti reficitur.

Scripta ſua Sanctæ Romanæ Eccleſiæ judicio permittit. Moritur.

Recepto deinde ab ipſo eodem vivifico Sacramento, cunctiſque aliis Sacramentis Eccleſię debita veneratione, cum lachrymarum effuſione, ſuſceptis, tertio die obdormivit in Domino, cui credidit, quem amavit, & tota mentis affectione dilexit, Fidelis ſervus & prudens, non pertinax, non proprio ſenſui, aut prudentię innitens, & nulla de ſe ſcientię ſuę opinione ſuperbus (21); nam qui perſcrutator eſt maieſtatis opprimetur a gloria. Unde ſapienter Doctor idem, atque humiliter, ut pręfati ſumus, omnem ſuam verbo, vel ſcripto doctrinam ad eiuſdem Eccleſię fidei normam fideli devotione reduxit, quam Petri ore diffuſam ſtabilem noverat, & nullis concuſſionum flatibus agitandam; cum poſt veram Deitatis Chriſti recognitionem, qua reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei vivi ab ipſo audire meruit: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam: & alibi: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua; Dumque pro Petro Chriſtus rogat, pro eius Eccleſia intercedit.

Miraculis claret.

Verum quia dignum erat, & conſonum, ut quem Deus viventem in hoc ſeculo tantis ſuis donis, gratiiſque perfecerat, aſſumptum in cęlis, ſanctificatum fore hominibus declararet, multis eundem virum Dei poſt ipſius de hac vita tranſitum, licet antea nonnulla feciſſe memoretur, magniſque fecit clarere miraculis, multis, clariſque ſignis glorioſius coruſcare, ut illud Pſalmi merito de ipſo dicamus: Scitote quia mirificavit Dominus Sanctum ſuum (22); ſicque vita eius atteſtaretur miraculis, & illius miracula, vitę teſtimonium perhiberent. De quibus pauca de multis in Dei laudem, & Sancti hujus commendationem, & ędificationem fidelium, idoneis approbata teſtibus, pręſentibus ſubnectemus.

Demortui Corpus odorem jucundiſſimum late ſpargit.

Poſt ſeptimum namque menſem, vel circa, a die obitus ipſius S. Thomę de Aquino cum corpus ejus, quod in Capella S. Stephani dicti Monaſterii, per idem tempus ſepultum extiterat, ad ſepulcrum ejuſdem, primum ſcilicet, juxta Altare majus Eccleſię Monaſterii ante dicti, unde ad tempus per Monachos ejuſdem Monaſterii, timoris cauſa ſublatum fuerat, ne corpus ipſum omnino de dicto Monaſterio tolleretur, per translationem denuo exhumatum, deferre exinde decreviſſent, in apertura ipſius ſepulcri eiuſdem Capellę S. Stephani, tanta fragrantis odoris ſuavitas emanavit, quod totam ipſam Capellam, Clauſtrumque ipſius Monaſterii quod diffuſum eſt, mira eadem ſuavitate replevit, quę de ipſius corpore, prout ex ſolicita, curioſaque Monachorum indagine eſt repertum, mirifice fundebatur. Propter quod majore per Monachos concepta ad ipſum devotione, totus Conventus proceſſionaliter, Priore tamen dicti Monaſterii, cum quibuſdam ex Monachis paramentis indutis, corpus ipſum ad pręfatum primum ejus ſepulcrum honorifice detulerunt, cantantes in craſtino, propter illa quę viderant, Miſſam veluti de uno Confeſſore ſolemniter: Cum reputarent inconveniens, ſi Miſſam de Requiem ęternam, ac ſi pro defuncto, pro illo cantarent. Hanc ſimilem fragrantiam poſt ſeptem annorum ſpatium, quidam ex teſtibus, quidam vero poſt XIV annorum ſpatium ſenſiſſe referunt, dum corpus ipſum diverſis ex cauſis per temporum vices ſedulo inſpexiſſent. Quippe odor, carnis ejus munditiam Deo acceptam exprimebat, orationum ejus odoramenta reprę̨ſentabat, famam quoque eius claram diffuſione virtutum, & illarum aromatum non celabat.

Chirurgus podagra laborans ſanatur.

Quidam arte Chirurgicus, ſed per decennium infirmitate podagricus, ita quod ire per ſe, vel ambulare nequaquam abſque baculorum ſuſtentatione, aut aliorum ſuffragio poterat, ſe Deo, & B. Thomę devovens, juxta ejus tumulum incumbens, oratione facta, ſanus proſiliit, & currens, ac Deum laudans, quod meritis ejus eſſet de tam longę infirmitatis languore curatus.

Alter animam agens fit ſanus.

Alter quidam ex horribili quadam viſione phantaſmatis timiditate percuſſus, pedibus, manibuſque contractus fuit, & ore, & facie diſtortus, ſenſibus carens, & omni virtute deſtitutus, ita quod loqui non poterat, ſed mortuo ſimilis videbatur; adeo ut ignem ejus membris admotum nullatenus ſentiret, portatus ad tumulum illius poſt morulam, liber, & ſanus omnino a dicto ſepulcro ſurrexit.

Sacras ipſius Reliquias contemnens gravi morbo corripitur, ex quo pœnitentia tactus mox recreatur.

Alius dum non devote de Sancto ſentiret, virtutem Dei in Sancto, ipſe duplicem eſt expertus, infirmitatis dum contemnit, ſanitatis, dum a contemptus culpa diſceſſit. Nam cum ſibi devotionis cauſa a quodam Capellano plures venerandę Reliquię monſtrarentur, ipſe quoque oſtenſor pretioſiores adhuc ſe habere Reliquias, videlicet manum Fratris Thomę de Aquino, fateretur, illico hunc deriſorie de his truffantem (23), cum eas videre non curaret, dicens, Sanctus non eſt, ſed quidam Ordinis Prędicatorum Frater, tremor apprehendit: & caput ejus ad modum magnę ciſtę groſſum, & valde ponderoſum ſibi eſſe videbatur, ſed infirmitate correptus, & pęnitens, ſimulque de ſua incredulitate, dictiſque deplorans, dum veniam a Sacerdote

peti-

petitam obtinuit, reverenter manum ejuſdem S. Thomę deoſculans, confeſtim a tremore, & inflatione capitis liberatus evaſit, ſenſitque progredientem, ut retulit, maximum ex dicta manu ſuavitatis odorem: Qui odor cum ipſius curati caputio (24), perſoneque ex tactu manus ejuſdem per magnum tempus inhęreret, multis eundem poſtmodum percipientibus, ſciſcitantibuſque, quid eſſet? hoc ſigno narrare quod acciderat, etſi nolens, miraculum cogebatur. Notarius quidam dum ad menſam ſanus accederet, ſurgens ab illa gravi ſquinantię (25) infirmitate correptus eſt. Duobus diebus propterea linguam movere non potuit, & loquelam amiſit. Cumque multa Medicorum remedia ei adhibita, quin eadem infirmitas in augmentum procederet, non prodeſſent, immo de illo deſperarent: ad Sanctum conceptam devotionem, ut ad tumulum ejus deferretur, quam lingua non valebat, manus ſuę ſcriptura deprompſit. Verum cum illuc repugnante uxore ſua, quia mulieribus prefati Monaſterii Eccleſiam ingredi non liceret, nequaquam duceretur, ipſe ſic infirmus advertens infra ſe ipſum, eidem Beato Viro, ſe, ut eum liberaret, affectuoſius commendavit. Cępit ex tunc linguam ducere, meliorari, & convaleſcere, ac brevi temporis intervallo curatus perfecte fuit.

Notario loquela reſtituitur.

Dum alius quidam per ſeptem hebdomadas, & ultra, febre quotidiana, malo epatis, & ſtomachi affligeretur, quadam die veneris, cum pejus haberet, auditis quibuſdam miraculis, quę per virum Dei facta eſſe videbantur, cum ſe ad ipſum devotius ſequenti die ſabbati de ſero, uxoris ſuę ſuaſibus, eaque pręſente, devoviſſet: die dominico proximo, in mane ſe a pręfatis infirmitatibus plene reperit liberatum.

Alius febre liberatur.

Mulier quędam, cum filium ſuum duorum menſium decumbentem periclitari, non immerito formidaret, pro eo pręſertim, quod per menſes quatuor ex ſurditate adeo gravata eſſet, ut decies exclamata, vagientem etiam puerum vix audiret, viri ſui inductione, qui mœſtus una cum illa communis filii periculo condolebat, prędicto viro Dei, ut eam ab eadem infirmitate eriperet, obnoxius devovit, emiſſoque voto, cum nocte ſecuta dormiſſet, in craſtino ſe liberatam Sancti meritis reperit, ut optabat.

Surda ſanatur.

Puella gutturis ſui fauces ſquinantię habens infirmitate conſtrictas, in tantum, ut nec quid ſumere ſolidum, aut liquidum valeret, & anhelitus ſibi meatus, ut vix reſpirare poſſet, includeretur: dum devote ſe beato Viro, a matre perſuaſa, commendaret, ductaque foret in craſtinum ad dictum Monaſterium Foſſę novę, ſuperpoſitis gutturi ſuo dicti Viri ſancti ex Reliquiis in quadam capſa delatis, confeſtim melioratam ſe ſenſit, panem comedit, perfecteque ſanata rediit.

Anginâ percuſſam puellam ſanam facit.

Quidam prefati Monaſterii Foſſę novę Converſus, adeo gravem in brachio dextro, & ſpatula dolorem patiebatur, ut ipſum brachium, quod per trium menſium cum dimidio ſpatium detulerat ſuſpenſum ad collum, ei eſſet inutile, dolore pręſertim vehementer afflictum. Quod cum requiſitum Medicorum remedium non haberet, & amplius dolore gravaretur, dum dicto Sancto pro ſua liberatione ſe quodam emiſſo voto commendaſſet, ſeque ſupra ejus tumulum poſuiſſet; ibidem obdormivit, ac excitatus deinde a quodam dicti Monaſterii Monacho, brachio, quod linteo prius habebat, incumbens, collo adhuc dependenti, extractum a linteo reperit, excitatorumque a ſomno more, dum ambas manus capiti ſuo, ut ipſum ſcalperet, appoſuiſſet, ſe liberatum intellexit, aſtantibus, quod notum fuerat, miraculum revelavit.

Ciſterciensis brachio captus mox convaleſcit.

Infans quidam quatuor annorum tumorem, & ruborem in coſtis, & crure uſque ad pedem patiebatur adeo afflictivum, ut nec a matre ſua, vel alio ſine lęſione, & clamore ſuo, aliquatenus tangi potuiſſet; movere ſe non poterat; per menſem in tanto dolore, & in anxietate fuit; a medicis ſpes curationis ejus ſine inciſione pueruli non inveniebatur; illaque, ſi fieret, perpetuo eum in perſona futurum impeditum, mœſtis amaritudine mentibus nunciabat, deficiente natura, artiſque ſuffragio non invento, recurſum eſt ad Deum, qui glorioſus eſt in Sanctis ſuis, faciens prodigia; Nam mater infantuli, quę ipſum diligebat, ut mater, eum Beato Thomę devotius commendavit, ut a dicta infirmitate ſine inciſione ſuis meritis liberaret. Delatus eſt puer ad Monaſterium, poſitus ſuper tumulum Sancti, poſt aliquamulam moram, ſanus inde ſurrexit.

Puer gravi jactatus morbo mox ad ſalutem perducitur.

Hęc ſunt igitur teſtimonia tua, Deus, quę de hoc Viro juſto, nobis credibilia facta ſunt nimis; nam ſi teſtimonium hominis accipimus, teſtimonium Dei majus eſt, quo animam ejus cęlum poſſidere jam credimus: Interceſſorem ipſum expectamus: ac inter Sanctorum agmina quaſi ſtellam matutinam eum fidimus eſſe locatum. Unde fidem tuam in nobis, bone Jeſu, nutris, ſpem erigis, dilectionem caritatis accendis. Lętetur itaque mater Eccleſia, exultet Italia, parens Campania (26) jucundetur, Prędicatorum ſacer Ordo jam jubilet, Religioſorum devotio concrepet; Doctorum turba complaudat, animentur ad ſtudia juvenes, provecti non torpeant, ſenes delectentur in illis, omnes in humilitate proficiant, provecti contemplationem non deſerant, mandata Dei ſeduli exequantur. Nam dedit illi Deus cor ad pręcepta, & legem vitę, & diſciplinę, & ſapientia humiliati exaltabit caput illius. In medio Eccleſię aperuit os ejus, & implevit eum Dominus ſpiritu ſapientię, & intellectus, ſtolam glorię induit illum. Nam veritas, quę eſt Chriſtus, ipſa veris non fictis Doctoribus pollicetur; qui elucidant me, vitam ęternam habebunt. Quamvis ipſe verus juſtitię ſol, ſtellarum illuſtratione non egeat, nec illarum irradiatione, cum illuminentur ab ipſo, clareſcat. Habitat enim lucem inacceſſibilem, qui eſt ſplendor glorię & figura ſubſtantię ejus, idcirco tenebris non obſcuratur, ut deficiat, aut nebulis offuſcatur, ut ſuę claritatis radios non diffundat.

Sanctitatem Thomæ miracula produnt.

Ceterum, quia rationis ordo depoſtulat, ut triumphantem in cęlis, Eccleſiam, devota in terris militans ſubſequatur, illum veneratione pręcipua percolat, quem in cęleſtibus agminibus poſitum, Deum glorificare cognoſcitur. Nos de ſanctitate vitę, ac miraculorum veritate, Confeſſoris ejuſdem non ſemel tantum, ſed primo, & ſecundo, non feſtine, ſed mature, inquiri fecimus, & per Nos etiam, & Fratres noſtros, S. R. E. Cardinales, inquiſitionem hujuſmodi, exacta diſcuſſione examinavimus diligenter, ut tanto firmius, quanto maturius, tanto certius, quanto diſquiſitius, inquiſitum, & examinatum exiſteret, in ſic arduo difficilique negotio procedere valeremus. Difficile namque extimamus quę in terra ſunt, & quę in proſpectu ſunt, invenimus cum labore; quę autem in cęlis ſunt, quis inveſtigabit? Cumque per hujuſmodi noſtram, & eorundem Fratrum noſtrorum examinationem ſolicitam, & ſolicitudinem examinatam, vitam ejus ſanctam, & miracula vera, ejus meritis facta, probata eſſe conſtitit, & ſupplicantibus Nobis idipſum humiliter, & devote, multis tunc Prelatis apud Sedem Apoſtolicam exiſtentibus, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, & aſſenſu, auctoritate Dei omnipotentis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ac noſtra, eum SS. Confeſſorum catalogo duximus aſcribendum,

Cęleſtibus annumeratur.

S. Thomæ Feſtum Die Septima Martii celebrandum decernit Pontifex. Indulgentiæ concesſa.

Ideo univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta, præcipiendo, mandantes, quatenus Nonis Martii Feſtum Confeſſoris ejuſdem devote, ac ſolemniter celebretis, & faciatis a veſtris ſubditis veneratione debita celebrari, ut pia ejus interceſſione, & hic a noxiis protegi, & in futuro ſempiterna gaudia conſequi valeatis. Ut autem ad venerabile ejus ſepulcrum ardentius, & affluentius chriſtiani populi confluat multitudo, ac celebrius ejuſdem Confeſſoris colatur feſtivitas, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui cum reverentia illuc in eodem feſto annuatim acceſſerint, ipſius ſuffragia petituri, de omnipotentis Dei miſericordia, & eorundem BB. Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, unum annum, & quadraginta dies; accedentibus vero annis ſingulis ad prædictum ſepulcrum infra ſeptem dies feſtum ipſum immediate ſequentes, centum dies de injuncta ſibi pœnitentia relaxamus. Datum Avenione XV Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Aſcribit.*) Audiendus hic *Odoricus Raynaldus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. LXIV. *auctum*, inquit, *Thomam Aquinatem Sanctorum honoribus hoc anno conſignat ſubjectis verbis Ms. Vaticanum*: Anno Domini MCCCXXIII, XV Kalendas Auguſti Avenione canonizavit, *nimirum Pontifex*, Sanctum Thomam de Ordine Prædicatorum, quinquageſimo a felici ejus tranſitu decurrente. *Confirmat hæc Bernardus, qui ejus laudes celebrat his verbis*: Anno Domini MCCCXXIII, XV Kalendas Auguſti Dominus Johannes Papa XXII apud Avinionem in Conſiſtorio, ut eſt moris, cum ſolemnitate debita canonizavit, & Sanctorum Confeſſorum aſcripſit catalogo S. Thomam de Aquino Ordinis Prædicatorum a felici ejus tranſitu de hoc mundo anno quinquageſimo decurrente. De vita ejus & miraculis inquiſitione duplici prævia diligenti &c. *Nonnullis de ejus nobili proſapia, virtutum ornamentis, doctrinæ præſtantia interjectis, addit*: Hic propter ejus eminentem ſcientiam vocatus a Gregorio Papa X ad generale Concilium Lugdunenſe, veniens de Neapoli, ubi famoſe legebat ut Doctor, cum perveniſſet ad Monaſterium Foſſæ novæ, Ciſtercienſis Ordinis, Terracinenſis Diœceſis, in Campania, ibidem ſuſceptis cum devotione, & fide mirabili, eccleſiæ Sacramentis, in Domino obdormivit, virgo mente, & corpore, clarus opere & doctrina. Ob cujus ſanctitatis præconium, & virginitatis titulum declarandum, poſt ejus obitum elapſis ſeptem menſibus una vice, & iterum elapſo ſeptennio vice altera, ac tertio annis circiter XIV evolutis in apertura ſepulcri ejus, diverſis ex cauſis per vices temporum ſæpius patefacti, ſingulis vicibus ex ejus ſacro corpore odor magnus, & ſuaviſſimus emanavit: qui, locum replens, mirifice fundebatur, & omnem fragrantiam aromarum ſuperabat: multiſque aliis miraculis in vita claruit, & poſt mortem. *Meminere de Sanctorum cultu B. Thomæ decreto Johannes Villanus, & S. Antoninus.* Conſulendus *Papebrochius* in *Actis Sanctorum Martii Tomo I a pagina 655 ad 747.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Ibidem legitur *Libro E. fol. 27*, in *Bullario* Uſuſmaris *pag. 78*, in *Conſtitutionibus Ordinis Prædicatorum editis anno MDV num. LXXXII*, in aliis *an. MDVII num. LXXXIV*, apud *Caſtellanum pag. 56*, apud *Bzovium ad an. MCCCXXII num. XXVIII.* In *Bullario Romano eſt XI.* Idem partim tranſcripſit *Odoricus Raynaldus ad an. MCCCXXIII num. LXIV.*

3. *Dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret, ipſius Ordinis Prædicatorum habitum ſuſcepit.*) Non hic immorabor ut ſerio refellatur nugas agens Anonymus, qui paucis abhinc annis *Oreſtis* ſomnium narrans, Fabellam de *Monachatu Sancti Thomæ* publici juris fecit; fruſtra ſiquidem cecinit Scriptor ille, immo, quod caput eſt, in ipſo limine defecit. Enim vero, ſi Diploma Pontificium, ſi coætaneos auctores, ut par eſt, audiamus, ruit *Ætatis D. Thomæ Chronographia, ad quam tota* Scriptoris Anonymi *hiſtorica Diſquiſitio exigitur*, ruit & ipſa Diſquiſitio. Omnem quippe vocem mittit Anonymus, ut id unum demonſtret, S. Thomam *ætatis anno XXIII, relictis Benedictinis, ad Dominicanos Prædicatores acceſſiſſe*. Hic finis, hic ſcopus totius operis. Sed id oppido falſum eſſe, conſtat ex hoc Diplomate: *Dum adhuc infra pubertatis annos exiſteret*, inquit S. Pontifex, *Ipſius Ordinis Prædicatorum habitum ſuſcepit*: Non igitur ante, nec poſt, ſed *infra* pubertatis annos Prædicatorum Ordini nomen dedit Doctor Angelicus. Paſcentur in æthere cervi, ſi probet Anonymus, quod annus infra pubertatem ſit *ætatis annus XXIII.* Id certe non didicit ex criticæ regulis, ad quas toties provocat. *Quis*, inquit ad calcem Diſquiſitionis, *quis mihi jure ſuccenſeat, quod Breviarii Romani auctoritate poſthabita, ſacra nonnulla minoris longe pretii, ac momenti, quæque fidem, Religionem, ac mores nulla prorſus ratione contingunt, ad ſeverioris Criticæ leges exegerim, ut Thomam Aquinatem antea Benedictinum, quam Dominicanum oſtenderem?* Næ, tu criticæ leges ſectaris, faſces ergo ſubmitte Pontificio Diplomati, exarato quidem anno poſt mortem *S. Thomæ* quinquageſimo, ſed prævia diligentiſſima diſquiſitione, locupletiſſimis, popularibus nempe, coævis, & ejuſdem familiæ teſtibus evocatis, edito a *Petri* Succeſſore. Scriptores inter ſuppares *F. Guillelmus de Tocco, S. Thomæ*, docentis *Neapoli*, diſcipulus, Prior *Beneventani* Cœnobii, & poſtea Sancti Præceptoris ſui præcipuus Canonizationis promotor, diſertis verbis tempus, quo Doctor Angelicus Ordini Prædicatorum fuit aſcriptus, definit in ejuſdem Sancti vita, quam perſcripſit ipſe *Guillelmus*. Hæc autem habet *Guillelmus* apud *Malvendam* Annal. Prædicat. ad an. MCCXXXVII Cap. XXXIV: *Prior* Cœnobii Neapolitani S. Dominici *perpendens, quod Deus ad ſuum Ordinem vocabat* S. Thomam, *ipſum cum magna lætitia Fratrum ad Ordinem recepit, habentem in ætate circa Quatuordecim annos.* Et, ut ceteros mittam, *teſtis*, ut inquit Anonymus Capite III num. II, *omni exceptione major, Bartholomæus de Capua, Logotheta, & Protonotarius Regni Siciliæ*, idem, interpoſito etiam ſacramento, conteſtatur in Proceſſu Canonizationis Cap. IX num. LXXVI, *multum*, inquit, *anticipando, NONDUM PUBES adhuc*, S. Thomas *intravit præfatum Ordinem Prædicatorum.*

4. *Patre.*) *Landulpho*, Comite *Aquini*, Caſtrorumque *Montis S. Johannis*, & *Rupis ſiccæ* dynaſta. De hac familia vide *Ferrantem de Marra* in libro, cui titulus: *Diſcorſi delle famiglie imparentate con la Caſa della Marra. Neapoli* apud *Octavium Beltranum MDCXLI.* Nec omittendum quod *Jacobus* noſter *Suſatus* habet in *Chronicis*, ubi ſic loquitur. *Thomas de Aquino genere nobiliſſimus, utpote in linea paterna natus ex genere Comitum Aquinorum, qui dicuntur Comites de Loreto, & de Belcaſtro, & antiquitus dicebantur de Frangipanis Romanis, quæ fuit progenies Sanctiſſimi Gregorii Papæ primi hujus nominis: & progenies eſt antiquiſſima*; (eadem quippe eſt ac *Aniciorum* familia: gentem vero *Aniciam* fuiſſe poſt hominum memoriam ex omnibus patriciis clariſſimam, in confeſſo eſt apud omnes. Ex eadem proſapia *de Frangipanis* oriundus eſt Summus Pontifex *Benedictus XIII*, Ordinis Prædicatorum alumnus. *Ferdinando* ſiquidem *Urſino*, Duce *Gravinæ*, & *Johanna de Frangipanis*, nobiliſſimis parentibus ortus fuit. Hinc Sanctus *Thomas* recenſendus eos inter, quibuſcum vinculo cognationis conjunctus eſt Summus Pontifex *Benedictus XIII.*) Addit Suſatus: *Retulit Dominus Bernardus Comes de Loreto, ſe habere unum inſtrumentum apud ſe pertinens ad progeniem ſuam, in quo Boetius Senator, Summus Philoſophus & Theologus, qui alias Sanctus Severinus appellatur, pro teſte inducitur, in quo ipſa domus de Loreto, & de Belcaſtro vocatur de Frangipanis, ut reperitur in quadam Chronica antiqua in Conventu SS. Johannis & Pauli de Venetiis.*

5. *Conſtantius manſit.*) *Quatuor modos habuerunt* Parentes, *ut ipſum* (S. Thomam) *inducerent ad deſerendum habitum Ordinis Prædicatorum*, verba ſunt *F. Guilelmi de Tocco* apud *Malvendam* Annal. Ord. ad an. MCCXXXVII Cap. XXXIV pag. 602. *Primus modus fuit, quia miſerunt Sorores ſuas ad ſtandum ſecum, ad hoc ut eum retraherent ab Ordine FF. Prædicatorum ... Ipſe autem Sorores ſuas ſacras literas docuit ...* & *non ſolum non potuerunt inducere ad habitum deponendum, ſed & converſæ ſunt ab eo .... ſecundus modus, quem habuerunt fratres ſui ad ſeducendum eum fuit cum blanditiis, & cum minis .... qui de blanditiis & minis parum curavit. Poſtea habuerunt tertium modum, quia ſibi habitum fecerunt violenter de dorſo lacerari, ut præ verecundia dilaceratum dimitteret, & alium indueret quem vellent. Ipſe vero habitum ſic dilaceratum rurſum induit, & nullo modo alium voluit induere .... Quartus modus quem habuerunt fratres ſui ad ſeducendum eum, ut dimitteret habitum, & voluntatem intrandi Ordinem Fratrum Prædicatorum, fuit totus malitioſus .... nam ad ipſum, ſolum exiſtentem in camera in qua dormiebat, & in qua tenebatur in cuſtodia, miſerunt unam puellam pulcherrimam, ornatam meretricio habitu quæ ipſum .... modis quibus poſſet alliceret ad peccandum .... Sanctus autem juvenis, qui corpus ſuum ſemper purum conſervaverat .... ſtatim currens ad caminum, ubi fiebat ignis, cepit unum titionem, & percutiens illam meretricem cum titione expulit eam de camera cum indignatione magna, & ſtatim inflammatus fervore divino ivit ad angulum cameræ, & ibi in pariete faciens ſignum Crucis cum illo titione, poſuit ſe in oratione, & ad terram proſtratus, cum*

lacry-

lacrymis oravit, & orando petivit a Deo cingulum perpetuæ virginitatis .... Cum oraret iſta cum lacrymis ſubito dormire cœpit, & eo dormiente ecce duo Angeli venerunt ad eum, & dixerunt ſibi, quod Dominus miſerat eos, & quod exaudierat orationem ſuam. Et cum hoc dixiſſent, acceperunt unum cingulum, quem videbantur ſecum portaſſe, & cum illo cingulo cinxerunt ipſum, dicentes: Ex parte Dei cingimus te cingulo perpetuæ caſtitatis, ſicut petiſti, & iſte cingulus nunquam in te diſſolvetur .... Et Angeli dicentes iſta verba, ſtrinxerunt eum ita fortiter illo cingulo, quod ipſe in corpore ſuo dolorem magnum ſentiens, ex nimio dolore cœpit fortiter clamare, & clamans excitatus eſt. Tunc illi de domo, audientes clamorem ejus, ſtatim concurrerunt, & interrogaverunt, quare clamaſſet. At ille noluit eis revelare, ſed ſervavit ſecretum uſque prope mortem. In morte autem ad honorem, & ædificationem aliorum iſtud ſecretum revelavit ſocio ſuo, ſcilicet Fratri Raynaldo (Reginaldo).

6. *Aſſumptus.*) Legendum Diploma datum XI Martii MCCLVI *Tomo I pag.* 298.

7. *Cathedram regeret Magiſtralem.*) Hinc *Pariſienſis* Univerſitas in Epiſtola cedro digna, quam ſcripſit anno MCCLXXIV ad Fratrum Ordinis Prædicatorum Generale Capitulum *Lugdunenſe*, teſtatur, quod eadem Univerſitas *ab eo* (S. Thoma) *nutrimenta, & ineffabilia fomenta ſuſcepit*, dum doceret Pariſiis. Hanc Epiſtolam refert *Nicolaus Trivetus* apud *Dacherium Tomo VIII Spicilegii*. Legitur etiam apud *Boulæum Hiſtor. Univerſitatis Pariſienſis Tomo III pag.* 408, & apud *Percinum* in *Hiſtoria Translationis Corporis S. Thomæ* ad calcem *Monumentorum Conventus Toloſani pag.* 228.

8. *Se inhabilem ad Magiſterium reputans.*) Longe, lateque radios ſui nominis jam jam diffuderat vir omniſcius *S. Thomas*, Philoſophiam variis Operibus, & quatuor Libros *Sententiarum*, teſte *Ptholomæo Lucenſi*, commentariis lucidiſſimis illuſtrarat, ingenio ſubtilis, lectione dives, Theologorum Princeps, ſanctitatis & ſapientiæ jubar apud omnes jam habebatur, ipſe vero *ſe inhabilem ad Magiſterium reputabat*. O virum mirabilem! Omnibus ſit exemplo.

9. *Scripta.*) Opera *S. Thomæ* recenſet *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCLXXIV a pag.* 271 *ad* 347.

10. *Clara.*) Ita ceteris Academiarum ducibus antecelluit *S. Thomas*, inquit *Sixtus Senenſis* in *Bibliotheca Sancta*, ut univerſali Scholarum omnium conſenſu receptum ſit, *Thomam*, Scholaſticæ Theologiæ inſtauratorem, quatuor inter ſe implacabiliter pugnantia indiſſolubili pacis fœdere conjunxiſſe, videlicet, *Copiam*, *Brevitatem*, *Facilitatem*, & *Securitatem*; *quas nulli unquam literarum Profeſſori vel ante, vel poſt eum contigit, ſimul potuiſſe connectere.*

11. *Non abſque ſpeciali Dei infuſione perfecit.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*

12. *Aliam audiret.*) In *Erratis emendatis* ad calcem *Bullarii Uſuſmaris* addendum monet Cameræ Apoſtolicæ Generalis Auditor: *vel duas integras Miſſas, ſi non celebraſſet, audiret.*

13. *Inilicerentur ab aliis.*) Hinc *Bartholomæus de Capua* in *Proceſſu Canonizationis S. Thomæ* refert, *ſe audiviſſe a pluribus FF. Prædicatoribus fide dignis, quod quando idem F. Thomas una vice diſputabat Pariſiis, ubi erat F. Johannes de Peckamo, Ordinis FF. Minorum, qui fuit poſtea Archiepiſcopus Cantuarienſis, quantumcunque dictus F. Johannes exaſperaret eundem F. Thomam verbis ampulloſis, & tumidis, nunquam tamen ipſe F. Thomas reſtrinxit verbum humilitatis, ſed ſemper cum dulcedine, & humilitate reſpondit.*

14. *Prædicationi, quæ immotus erat.*) Id eſt ... *Prædicationi, cui totus deditus erat*; ut enim dicitur *Lectione III* pro ſecunda die infra Octavas S. Thomæ: *Scribendis tot libris licet tantopere occupatus S. Thomas, a Divini verbi prædicatione non ceſſabat.*

15. *Concilium.*) *Lugdunenſe II.*

16. *Legebat ut Doctor.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCLXXIV pag.* 272 *col. II.*

17. *Foſſa-nova.*) *Vocatus enim ad Concilium per D. Gregorium, ac recedens de Neapoli, ubi regebat, & veniens in Campaniam ibidem graviter infirmatur* S. Thomas. *Et quia prope locum nullum Ordo Prædicatorum Conventum habebat, declinavit ad unam ſolemnem Abbatiam, quæ dicitur Foſſa-nova, & quæ Ordinis erat Ciſtercienſis, in qua ſui conſanguinei Domini de Siccano* (Ferrantes a Matta ſupra laudatus ipſos nuncupat *de Ceccano*; in Codice *Navarræo* legitur *de Aquino*) *erant patroni, ibique ſua aggravata eſt ægritudo*. Ptholomæus Lucenſis in Hiſtor. Eccleſiaſt. *Lib. XXIII Cap. VIII.*

18. *Illic facta tumulatio.*) *Illic*, id eſt in *Presbyterio Altaris majoris Monaſterii* Foſſæ novæ, ut docet *Ptholomæus Lucenſis* mox laudatus, & in ipſomet Diplomate legitur.

19. *Miniſtris.*) Alii mendoſe legunt: *Miniſtros.*

20. *Subitio.*) *Tradunt autem Monachi dicti loci* (Foſſæ novæ), *& Fratres, qui cum ipſo erant*, verba ſunt *Ptholomæi* mox citati, *quod cum morti appropinquaret, primo Symbolum Fidei confitetur cum multa devotione: deinde ſuam doctrinam aſſeruit per ipſum traditam, & conſcriptam ad Fidei robur, & inſtructionem fidelium .... ad majorem tamen ſui ſecuritatem, & Eccleſiæ Romanæ reverentiam, & honorem, quia erat homo, qui etiam errare potuit, ſicut B. Auguſtinus aſſerit de ſeipſo, ſuos libros in manu expoſuit Eccleſiæ ſæpe dictæ, prout recta Fides catholica & Apoſtolica hoc expoſcit, & poſt hæc verba in Domino obdormivit.* Præconia, quibus inconcuſſam, tutiſſimamque *S. Thomæ* Doctrinam ad Cœlum effert Mater Eccleſia, leges in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*

21. *Superbus.*) De eo quippe canit Eccleſia. *O munus Dei gratiæ, vincens quodvis miraculum, peſtiferæ ſuperbiæ nunquam perſenſit ſtimulum!*

22. *Scitote quia mirificavit Dominus Sanctum ſuum.*) Hoc argumento Johannes *XXII* uſus eſt concionem habens de laudibus *S. Thomæ*. Id liquet ex antiquiſſimo *Ms. Toloſano*, cujus hæc verba: *Anno MCCCXXIII Johannes Papa XXII, Pontificatus anno VII, XV Kalendas Auguſti cum ſolemnitate Canonizavit S. Thomam de Aquino, Doctorem venerabilem, Ordinis FF. Prædicatorum. Feria enim V ante Feſtum S. Alexii, quæ fuit II Idus Julii, facti ſunt Sermones in Palatio D. Papæ ſuper Canonizatione ejus; & ipſe D. Papa primo prædicavit, præmittens ante Thema: Hæc dies boni nuncii, & ſi tacuerimus, & celaverimus uſque nunc ſceleris arguemur. Et poſt hoc prædicavit de hoc Themate: Scitote quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum, & mirabiles commendationes propoſuit, tam de Prædicatorum Ordine, quam de Sancto. Inter cetera dixit, quod iſte Sanctus in Ordine Prædicatorum geſſit vitam Apoſtolicam, qui Ordo nihil in proprio habet, & in ſpeciali; licet habeat in communi. Addens, & hanc vitam Apoſtolicam reputamus. Addidit etiam, quod nullus haberet pro malo, quod iſte glorioſus Doctor poſt Apoſtolos & Doctores primos, plus illuminavit Eccleſiam Dei. Item quod virginitatem uſque ad mortem conſervavit. Item quod in tota vita ſua peccatum mortale non commiſit. Item quod inventa fuerunt de eo Miracula non minus trecentis, ET QVOD TOT FECERAT MIRACVLA, QVOT SCRIPSERAT ARTICVLOS. Poſt Dominum Papam prædicavit Fr. Petrus Canterii de Ordine Prædicatorum, tanquam qui negotium ducebat, quia Magiſter Johannes de Neapoli, Procurator negotii S. Thomæ, jacebat infirmus, & prædicavit de hoc Themate inter omnes eleganter: Ad præceptum tuum elevabitur Aquila, & in arduis ponet nidum ſuum. Poſt hunc prædicavit Dominus Robertus Rex Siciliæ & Jeruſalem, frater S. Ludovici Epiſcopi Toloſani, de hoc: Ille erat Lucerna ardens & lucens. Poſtea quidam Patriarcha de Ordine Prædicatorum, de hoc: Similem illum fecit in gloria Sanctorum. Poſtea Archiepiſcopus Capuanus, de hoc excellenter: Lucerna ſplendens ſuper candelabrum. Poſtea quidam Epiſcopus, de hoc: Ite renunciate Johanni quæ audiſtis, & vidiſtis: quaſi dirigens verba ad eos qui fuerant miſſi ex parte Domini Johannis Papæ ad Inquirendum de vita & miraculis hujus Sancti. Poſt hæc Archiepiſcopus Arelatenſis, de hoc: Enoc translatus eſt in Paradiſum: Poſtea Epiſcopus Ludovenſis* (Lodeve in Gallia Narbonenſi) *F. Minor, de hoc: Doctor gentium in fide & veritate. Nec fuerunt tunc audita tot commendationes de S. Thoma ſicut ab illo. Hæc facta ſunt Feria V, quæ fuit II Idus Julii. Sequenti vero Feria Secunda, quæ fuit craſtinum S. Alexii, XV ſcilicet Kalendas Auguſti, in Eccleſia Beatiſſimæ Virginis in Avenione, præſentibus Rege prædicto, & Regina, omnibus Cardinalibus, & omnibus Prælatis Curiæ, D. Papa celebravit Miſſam de S. Thoma, & prædicavit de hoc: Magnus es tu, & faciens mirabilia. Et Dominus Rex fecit præconizari per totam civitatem, quod omnes feſtivarent, ſicut in die Natalis, quod & factum eſt: Poſtea vero facta ſunt jugiter ſolemnia feſta in Conventu Prædicatorum Avinione per Regem & Reginam, & per diverſos Prælatos: ad quæ venerunt cum mirabili lætitia Domini Cardinales. Per idem tempus cum venirent FF. Prædicatores ad regraciandum prædicto Domino Regi, qui fideliter laboraverat in facto S. Thomæ, reſpondit Rex: Nos ita efficaciter laboraſſe volumus, quia quando volumus aliquid pro perſona noſtra a Sanctiſſimo Patre noſtro, ſignificamus ei per cedulam, ſed pro iſto Sancto libenter, quando oportuit, acceſſimus perſonaliter ad Beatitudinem ſuam. Dominus autem Papa ſic ſcripſit Dominæ Clementiæ, Reginæ Franciæ &c.* Adeas Percinum *Hiſtor. Translationis Corporis S. Thomæ ad calcem Monumentorum Conventus Toloſani pag.* 229.

23. *Truffantem.*) Id eſt deridentem.

24. *Caputio.*) Cucullo ſcilicet, quo Religioſi nunc utuntur ad tegendum caput; tunc omnes, etiam laici, cucullum geſtabant. *Nullum*, inquit auctor Chronicorum aulæ Regiæ Cap. XXIII apud *Du Cange* in Gloſſario, verbo: Caputium; *Nullum jam cernimus tam contemptum in agris arantem ruſticum, qui non deferat latum caputium, & oblongum*. Hinc *Matthæus Pariſius* Hiſtor. Angliæ ad an. MCXXXIV, *Cum Rex*, inquit, *novam*

robam de Scarleto (veſtem nempe purpuream) *ſumens . . . . Capam conaretur induere , quod invenit introitum Caputii , qui Guleron vulgariter Gallice appellatur , nimis arctum . . . . ait ; hæc capa deferatur fratri meo , qui argutius me caput habet .*

25. *Squinantiæ .*) Vulgo *Squinanzia*, latine *Angina* .

26. *Parens Campania .*) Vulgo *Campagna di Roma* , ſeu *Latium* , in quo ſita eſt Diœceſis *Aquinenſis*, ubi Doctor Angelicus lucis uſuram accepit . Hinc *S. Thomas* in Libro de *Vitis Fratrum* dicitur *de Partibus Romanis* , & a *Cantipratano Lib. I de Apibus Cap. XX* aſſeritur eſſe *de Romanorum Partibus* . Quia vero Diœceſis *Aquinenſis* ad *Siciliæ* , ſeu *Neapolitanum* Regnum etiam tunc pertinebat , hinc a nonnullis Scriptoribus , *Neapolitanus* vocatur *S. Thomas* : vel *Neapolitanus* appellitatur, quia Prædicatorum familiæ fuit aſcriptus in Cœnobio *Neapolitano* . Hæc notanda , quo Scriptores inter ſe diſſidentes concilies .

Anno 1323 Die 30 Julii.

Reginam Franciæ certiorem facit, S. Thomam (1) de Aquino cælitibus aſcriptum fuiſſe.

Ex antiquo Ms. apud Percinum Hiſtor. Translat. Corpor. S. Thomæ pag. 229.

XLI. Johannes Epiſcopus , Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Clementię (2) Reginę Francię illuſtri, Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem .

AD gaudium regali providentię nunciamus , quod XV Kalendas Auguſti proxime prętteritas (3) , virum recolendę memorię F. Thomam de Aquino , Ordinis Prędicatorum , ad Dei laudem & gloriam , exaltationem quoque Eccleſię triumphantis , & conſolationem plurimam militantis , de Fratrum noſtrorum conſilio , & ad ſupplicationem multorum Prelatorum ibi aſſiſtentium , duximus Sanctorum catalogo aggregandum. Gratia Domini noſtri Chriſti ſit tecum . Datum Avenione III Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo .

1. *S. Thomam .*) Legenda præcedens *Conſtitutio* ,

2. *Clementiæ .*) Andegavenſi, *Caroli I* Regis Hungariæ filiæ. Nupſerat *Ludovico X* . Obiit *MCCCXXVIII* . Jacet in Ædibus ſacris Cœnobii *S. Jacobi* Fratrum Prædicatorum *Pariſienſium* .

3. *Præteritas .*) Præterito : Id eſt *XV die præterito* ; die nempe *XVIII Julii MCCCXXIII* , quo cælitibus annumeratus erat *S. Thomas* .

Anno 1323 Die 1 Septembris.

Ut, non obſtante Conſtitutione Clementis IV, de certo Cannarum (1) ſpatio, Fratres Minores Albingaunenſes Cœnobium ſuum poſſint transferre juxta Ædes Sacras Fratrum Prædicatorum.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag. 140.

XLII. Johannes Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilectis filiis Miniſtro Provinciali Fratrum Ordinis Minorum in Provincia Januen. (2), & Fratribus ejuſdem Ordinis loci Ambinganen. (3) , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem .

Exordium. INter ceteros Ordines in agro plantatos Eccleſię ſacrum veſtrum Ordinem, claris ſuis exigentibus meritis , gerentes in viſceribus caritatis , ad ea vigilanter intendimus , ac opem , operamque ſolicitam impertimur , per quę ſtatus ejuſdem Ordinis ad divini nominis gloriam proſperis ſemper ſucceſſibus affluat , & preſervetur a noxiis , & adverſis . Sane petitio veſtra , Nobis exhibita , continebat , quod locus veſter , qui hactenus juxta muros civitatis Ambinganen. conſiſtebat , per Fideles Eccleſię , per quos tunc dicta civitas tenebatur , pro ipſius civitatis tutela , & ne per obſidionem hoſtium eidem periculum immineret , fuit uſque ad fundamenta deſtructus . Unde nos (4) attendentes , quod ſi dictus locus in eodem fundo , in quo fuerat , rędificetur de novo , frequenter eadem civitas ſimili poſſet periculo ſubiacere , quodque locus idem intra fortalitia , ſeu męnia civitatis ejuſdem , propter parvitatem ambitus ipſius mutari non poteſt , quin eſſet propter Eccleſiam dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum civitatis prędictę , infra cannarum ſpatium , infra quod prope dictam Eccleſiam eis locum recipere , & habere non licet , contra Conſtitutionem (5) per fel. rec. Clementem Papam Quartum , Prędeceſſorem noſtrum , ſuper hoc ſpecialiter editam , Nobis humiliter ſupplicaſtis , ut , ne contingat , vos propterea in dicta civitate loco carere , hujuſmodi neceſſitatis articulo depoſcente , providere vobis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur .

Concessio. Nos itaque , vobis in hac parte paterno compatientes affectu , veſtriſque ſupplicationibus inclinati , quod prędictum locum poſſitis mutare , ac etiam infra dictum ſpatium prope Eccleſiam dictorum Fratrum Prędicatorum civitatis prędictę , in fundo , ſeu territorio a vobis alias legitime acquiſito , vel etiam acquirendo , rędificare , & conſtruere libere valeatis , Conſtitutione prędicta , & qualibet alia contraria , non obſtantibus , vobis auctoritate pręſentium liberam concedimus facultatem . Volumus autem , quod in mutatione loci pręfati diſplicentiam , & moleſtiam dictorum Fratrum Prędicatorum curetis omnino , quantum poteritis , evitare , quodque Conſtitutioni prędictę quoad alia loca , nullum per hoc prejudicium generetur .

Sanctio pœnalis. Nulli ergo , &c. noſtrę conceſſionis , &c. Datum Avenione , Kalendis Septembris , Pontificatus noſtri Anno Septimo .

1. *Cannarum .*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Januen.*) *Genuen.* , vulgo *Genova* , in *Liguria* ,

3. *Ambinganen.*) *Albingaunen.*, vulgo *Albenga* , in Republica *Genuenſi* .

4. *Nos .*) *Vos* .

5. *Conſtitutionem .*) *XXXIV* . Legitur *Tomo I* hujuſce *Bullarii pag.* 466.

Ut Carnotenſis & Aurelianenſis Epiſcopi, ac Prior Fratrum Prædicatorum Bituricenſium, quæſtionem habeant (1) de Miraculis & Vita B. Philippi (2) Bituricenſis Archiepiſcopi.

Anno 1323 Die 14 Decembris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. LXVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Carnotenſi, & Aurelianenſi Epiſcopis, ac dilecto filio Priori Fratrum Prędicatorum Bituricenſium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XLIII.

Exordium.

PIum eſt penitus, atque juſtum, ut quos Deus merito ſanctitatis coronat, & honorat in cęlis, nos venerationis officio laudemus & glorificemus in terris: cum ipſe potius laudetur, & glorificetur in ipſis, qui eſt laudabilis & glorioſus in Sanctis; quique, ut ſuę virtutis potentiam mirabiliter manifeſtet, & noſtrę ſalutis cauſam miſericorditer operetur, fideles ſuos, quos coronat in cęlo, frequenter etiam honorat in mundo, ad eorum memoriam ſigna faciens, & prodigia, per quę pravitas confundatur hęretica, & fides catholica roboretur. Sed licet ſit pium, & debitum venerationi Sanctorum intendere, & eos colendos in terris populis exhibere, expedit tamen in illis illam maturitatis adhibere cautelam, ut nulla fallat incertitudo judicium, nec ignorantia facti judicantis ſolertiam circumſcribat, quę tanto periculoſior foret in talibus, quanto in majoribus erraretur. Sed prudentia multa pręambula, & diligenti maturitate ſervata, veritas exquiſita ſolicite deducatur in lucem, de dubiis ſententia eliciatur indubia, & certitudo habeatur, & ſumatur certior in incertis &c (3). Mandamus, quatenus vos, vel duo veſtrum in locis, ubi expedire videritis, de vita, & converſatione, & miraculis prędicti Archiepiſcopi, quę ipſius meritis dignatus eſt hactenus, vel nunc, pendente inquiſitione hujuſmodi, dignabitur Omnipotens operari, ceteriſque circumſtantiis negotium hujuſmodi tangentibus, juxta formam, quam vobis ſub Bulla noſtra interclusam tranſmittimus, inquiratis diligentius veritatem, & quę ſuper pręmiſſis inveneritis, fideliter in ſcriptis redacta, ſub teſtimonio ſigillorum veſtrorum per viros idoneos ad Sedem Apoſtolicam deſtinetis, ut per inquiſitionem veſtram ſufficienter inſtructi, ſicut res exigit, & expediens viſum fuerit, ſecurius in ipſo negotio procedere valeamus. Datum Avenione XIX Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandatum.

1. *Habeant.*) Adeas *Odoricum ad an. MCCCXXIII num. LXVII.*
2. *Philippi.*) Conſulendi *Sammarthani*, & *Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana.*
3. *Incertis &c.*) Hic deſunt nonnulla de quibus legendus eſt *Odoricus* loco mox laudato.

Fratres Prædicatores & Minores Fidem Catholicam in Lithuania (1) propagare, teſtatur.

Anno 1324 Die....

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIV num. XLVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Excellenti, & Magnifico viro Gedemunne Letwinorum, & multorum Ruthenorum Regi illuſtri, Deum colere, & timere. XLIV.

Epitome literarum Gedemunnii Regis.

MIſſa nobis tuę magnitudinis litera, devotione referta, verbiſque ſuccincta, grata nimirum noſtris, ac fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium venit affectibus: in qua, dum tuam devotionem attendimus, dum advertimus ſalvationis tuę ſalubre propoſitum, dum illum, quem ad Deum, ac Nos, & Romanam Eccleſiam te gerere aſſeris, devotionis affectum, intentę meditationis intuitu contemplamur, auditui noſtro gaudii, & lętitię materiam prębuiſti. Poſt primum quidem tuę gratę ſalutationis alloquium, in ipſius primordio literę ſubjunxiſti, quod omnes fidei chriſtianę cultores auctoritati noſtrę debent eſſe ſubjecti, quodque tota fides catholica juxta proviſionem Romanę Eccleſię gubernatur; declarans nobis, quod quondam Prędeceſſor tuus Rex Mindowe (2), cum toto ſuo Regno fuit ad fidem Chriſti converſus; ſed propter atroces, & innumerabiles injurias dilectorum filiorum Magiſtri, & fratrum Ordinis S. Marię Theutonicorum Jeroſolymitanorum a fide hujuſmodi receſſerunt, & in errorem priſtinum ſunt relapſi, ſicut & te oportet propterea uſque ad hodiernum diem, licet invitum, in errore hujuſmodi permanere; ac ſubſequenter quamplures articulos contra eoſdem Magiſtrum, & Fratres, in eiſdem literis annotaſti, multorum gravaminum, injuriarum, exceſſuum expreſſivos; ſubnectens, quod tu nequaquam Chriſtianos impugnas tanquam fidem velis deſtruere chriſtianam, ſed defendis te ab inimicis tuis, ut faciunt Reges, & Principes alii Chriſtiani; & quod Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratres tecum habes, quibus commiſiſti, & licentiam dediſti liberam, ut baptizent, prędicent, & informent Chriſtianum populum, & etiam infideles, ut ad omnipotentem Deum, & Dominum convertantur. Supplicaſti denique nobis, ut ad ſtatum tuum flebilem attendere dignemur, quia paratus es nobis in omnibus, ſicut ceteri Reges Catholici, obedire, ac fidem recipere orthodoxam: dummodo prędictis Magiſtro, & fratribus in nullo penitus tenearis, eligens Nos, dictoſque fratres noſtros, prędictę Romanę Eccleſię Cardinales, cum filiis tuis pręſentibus, & futuris, in patres, ac iterato ſupplicans, ut venerabilem fratrum noſtrum Fredericum Archiepiſcopum Rigenſem (3) una cum Legato noſtro, & Apoſtolicę Sedis, ad te ad partes illas pro facienda pace, ac terminis diſponendis mittere dignaremur. Conſequenter poſt aliqualis decurſum temporis profuſę devotionis odore ſecundę literę, quas nobis tua Excellentia deſtinavit, exultationem, & gaudium ſuper eo nobis, & eiſdem fratribus noſtris, uberrima cumularunt,

Ejuſdem querela in Theutonicos.

FF. Prædicatores, & Minores Fidem catholicam Lithuanos docent.

quod

quod tu, & alii Principes omnes, & Barones Regni tui, perſeverantes laudabiliter in pręmiſſis, circa nos, & eandem Eccleſiam, te, & ipſos, plena ſinceritate conſpicuos indicarunt; illum in perſona tua innuentes obedientię reverentis haberi ſpiritum, tibi, ut credimus, non ſine divinę clementię dono conceſſum, prout in earundem literarum principio annotatur, quod ex illuſtratione divina aſſeris, unum eſſe Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum; & hoc firmiter credis, & tenes, noſcens ab eodem Deo vivo, & vero, Nos Paſtorem & Gubernatorem ſalvandorum omnium conſtitutum, ut quicquid ligaverimus, & ſolverimus, in cęlo, & in terra, ab Altiſſimo Judice ratum maneat. Multa inſuper grata, noſtriſque accepta propoſitis, earundem tenor continet literarum, quę inſerere pręſentibus, cauſa omittimus brevitatis. Nos igitur tam primis, quam ſecundis hujuſmodi literis, debita cum eiſdem fratribus noſtris attentione diſcuſſis, Deo Patri omnipotenti, a quo bona cuncta procedunt, in cujus manu Regum corda conſiſtunt, qui etiam quocunque vult illa ſine obice difficultatis inclinat, multimodas gratiarum retulimus actiones pro eo, quod Spiritus Sancti gratia videtur mentales tuos oculos ſui fulgore radii illuſtraſſe, ac oſtendiſſe tibi viam catholicę veritatis, ut regalis providentia reformet ſalubriter fidem ipſam catholicam, quam Prędeceſſor tuus prędictus cum ſuo Regno ſuſceperat, licet ab ea deficientes poſtmodum, damnabiliter in errorem priſtinum laberentur, ut literę continebant, pręſertim cum & noſtrum ex hoc, & ipſius Eccleſię hoc expectemus magnum, & ſalutare deſiderium adimplendum, ſi viderimus eandem Eccleſiam multiplicarę prolis fętu concreſcere, variaſque gentium nationes, ſub ejuſdem fidei obſervantia in unum acceptabilem Chriſto populum congregatas, in domo Domini habitare. Hanc utique domum, unam videlicet Eccleſiam ſibi ex gentibus congregatam, non habentem maculam, neque rugam, Dominus noſter elegit juxta quod legitur in Canticis Canticorum; una eſt ſponſa mea, electa mea, immaculata mea. Ipſe quoque Dominus, unum eſſe ovile ovium, & unum paſtorem in Evangelio proteſtatur: & in Apoſtolorum ſymbolo unam eſſe Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, fides catholica profitetur. Hanc autem Dominus Jeſus Chriſtus in ſemetipſo, lapide angulari, fundavit: hanc & ſui pretioſi ſanguinis effuſione redemit, cujus magiſterium Apoſtolorum Principi B. Petro, Vicario ſuo, & per ipſum ſuis Succeſſoribus, ſingularis privilegii pręrogativa commiſit: Tu es, inquiens, Petrus, & ſuper hanc petram ędificabo Eccleſiam meam; & cum ille poſt ſuam Reſurrectionem verbo tertio repetito dixiſſet: Paſce oves meas; pro cujus etiam fide ſe oraſſe fatetur, loquens ad eum in Evangelio: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ac ut ejuſdem Apoſtolorum Principis, ſuorumque ſucceſſorum univerſalis Eccleſię eſſet auctoritas, & introducendi in Regnum cęlorum indubitata poteſtas, ad eundem dixit: Tibi dabo claves regni cęlorum, & quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cęlis: & quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cęlis. Qui ergo ſe ad hujuſmodi ovile, & ſub ejuſdem Paſtoris cura reduxerint, ac ſub ejus doctrina & magiſterio curſum vitę peregerint, ſalvationis gratiam merebuntur; qui vero ab eis deviarint, damnationis ſententia ferientur. Et ideo paterno deſideramus affectu, ut ſalutis tuę vitato diſpendio, electorum aggregari conſortio merearis; & quę credit, tenet, & ſervat eadem Romana Mater Eccleſia, deletis omnino ſchiſmaticorum erroribus, in quorum obſervatione deviatur a via lucis, & panditur iter ad tenebras, verę converſionis, & converſationis gratiam amplectaris. Hinc eſt, quod Nos ad venerabilem fratrem noſ-

Legati in Lithuaniam miſſi. trum Bartholomęum Electenſem (4) Epiſcopum, & dilectum filium Bernardum Abbatem Monaſterii S. Theofredi Anicienſis (5) Diœceſis, viros utique literarum ſcientia prędiros, vita, & converſatione laudabiles, & gratiam Evangelicę prędicationis habentes, nobiſque propterea, ac dictis fratribus, acceptos, dirigentes oculos mentis noſtrę; ipſos ad te, ac partes tuę ditioni ſubjectas, de ipſorum fratrum conſilio, ut noſtros, & dictę Sedis, Nuncios duximus ſpecialiter deſtinandos, ut tibi, ac Regno tuo Evangelizent, & prędicent Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum; voſque in orthodoxę, ac Sanctę Catholicę & Apoſtolicę Romanę Eccleſię fidei veritate ſalubriter inſtruant, & informent; quatenus ipſum Dei Filium Jeſum Chriſtum tu, & gens tua, ſalutaribus eorum eruditionibus agnoſcentes, baptiſmi, qui nondum illo forſan renati eſtis, purificari mereamini in Sacramento; ac ſuum glorioſum nomen chriſtianę fidei obſervantia colatis. Ceterum quod ſuper memoratis articulis, in prędictis primis, ac ſecundis literis etiam, contra dictos Magiſtrum, & Fratres expoſitis, ad nos, dictoſque Cardinales fratres noſtros habuiſti recurſum; nos attendentes, quod ex recta confidentia, & pura devotione procedit, quod noſtrum, & ipſius Eccleſię ſubire in illis judicium non recuſas, & imploras auxilium confidenter, ejus obedientię te ſubmittens; eiſdem Magiſtro & Fratribus, te poſt ſuſceptionem ejuſdem fidei ad gremium ejuſdem Eccleſię redeunte, noſtris dabimus literis in mandatis, & faciemus, auctore Domino, per circumſpectam Apoſtolicę Sedis providentiam, quod ab hujuſmodi moleſtiis, damnis, & injuriis tibi de cetero inferendis penitus reſipiſcant; tecumque fraterne teneantur vivere, & in pace, ſine qua non congrue colitur pacis auctor. Et nihilominus, cum ſimus omnibus, ſecundum Apoſtolum in juſtitia debitores, ſuper hujuſmodi articulis, cauſis, & quęſtionibus, quos, & quas cum dictis Magiſtro, & Fratribus, vel adverſus eos te habere, proponis, poſt tuę felicis converſionis auſpicium adeo favorabilis juſtitię plenitudinem, ac defenſionis pręſidium tibi, tuiſque natis, & Regno exhibere proponimus, quod tu, qui nos, dictoſque Cardinales fratres noſtros in patres cum eiſdem filiis tuis, ut pręmittitur, elegiſti, merito gaudere poteris tales elegiſſe Patres; teque in nobis, & prędicta Romana Eccleſia id, quod in patris, & matris, auxilio reperire ſperaveras, inveniſſe. Sed & memoratis Epiſcopo, & Abbati dedimus in mandatis, ut omnia inter te, dictoſque Magiſtrum, & Fratres in dictis partibus agere ſtudeant, & tractare, quę ad cultum & laudem Dei, exaltationem catholicę fidei, honorem Apoſtolicę Sedis, relevationem Eccleſiarum & pauperum, animarum ſalutem, & corporum pertinebunt. Ideoque magnificentiam tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus eoſdem Epiſcopum, & Abbatem pro divina, dictęque Apoſtolicę Sedis, ac noſtra reverentia, immo potius Nos in ipſis benigne recipiens, & honeſte pertractans, eorum ſalubribus monitis acquieſcas; ſiſque Chriſtianis Catholicis, qui apud te degunt, pius & miſericors, benevolus, & benignus; & permittas, quod iidem Epiſcopus, & Abbas, aliique perſonę idoneę, gratiam evangelicę prędicationis habentes, quas ad hujuſmodi prędicationis officium duxerint aſſu-

aſſumendas, Chriſtianis eiſdem, aliiſque infidelibus, tibi ſubditis, evangelizare libere valeant Jeſum Chriſtum. Datum Avenione … (6)

1. *Lithuania.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus ad an. MCCCXXIV num. XLVII.*
2. *Mindovvin.*) *Mindovve,* & *Mendog* etiam nuncupatur. Vide *Conſtitutionem CCXXXII Innocentii IV Tomo I pag. 197.*
3. *Rigenſem.*) *Riga* urbs eſt *Hanzeatica*, Caput *Livoniæ.*
4. *Electenſem.*) *Alet*, in *Occitania.*
5. *Anicienſis.*) *Le Puis*, in *Gallia Aquitanica.*
6. *Avenione …*) Annus & dies, quibus datum fuit Diploma, deſiderantur. Illud tamen *Odoricus* refert ad annum *MCCCXXIV.*

Declarat (1) ſe nihil derogaſſe de his quæ Conſtitutio incipiens - *Super Cathedram* - decernit.

Anno 1325 Die 16 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad certitudinem pręſentium, & memoriam futurorum,

Hujus Diplomatis cauſa.

DUdum, Pontificatus noſtri Anno Primo, dilectorum filiorum Magiſtri, & Fratrum Ordinis Prędicatorum ſupplicationibus inclinati, quędam per privilegia nonnullorum Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum eis olim indulta eidem Magiſtro, & Fratribus, ac eorum Ordini ad inſtar dictorum Prędeceſſorum, ſub certa forma duximus indulgenda (3). Sane quia per Conſtitutionem a felicis recordationis Bonifacio Papa Octavo Prędeceſſore noſtro editam, & in Viennenſi Concilio renovatam, quę incipit: Super Cathedram (4): nonnulla ex dictis privilegiis, vel in totum, aut quoad certa illorum Capitula revocata, irrita, ſeu annullata fuerant, aut caſſa, nulla, & irrita nunciata; Fratreſque dicti Ordinis in nonnullis partibus adverſus Pręlatos Eccleſiarum, contra dictam Conſtitutionem, prędictis uti nitebantur privilegiis, quaſi per eadem privilegia, velut per Nos renovata fuiſſent, extitiſſet Conſtitutioni hujuſmodi derogatum: Pręlatis ipſis aſſerentibus ex adverſo nequaquam pręfatę Conſtitutioni, per dicta privilegia derogatum fuiſſe, ſed ipſam, non obſtantibus eis, in ſuo robore permanere, pręſertim cum antequam Conſtitutiones (5) in eodem Viennenſi Concilio per felicis recordationis Clementem Papam Quintum Prędeceſſorem noſtrum editę, inter quas Conſtitutio prędicta: Super Cathedram: eſt inſerta, per Nos mitterentur ad Studia (6), a Nobis emanaverat (7) privilegiorum conceſſio ſupradicta. Nos concertationi hujuſmodi finem imponere cupientes, de Fratrum noſtrorum conſilio, declaramus, nequaquam fuiſſe per privilegia ſupradicta Conſtitutioni pręfatę: Super Cathedram: in aliquo derogatum, pręſertim cum intentionis noſtrę, non fuerit eiſdem privilegiis, aliquod robur dare, ſed ipſam, antedictis privilegiis non obſtantibus, in ſui roboris efficacia permanere. Pręfatis Magiſtro, & Fratribus diſtrictius inhibentes, ne deinceps in judicio, vel extra judicium, contra contenta in Conſtitutione prędicta, uti pręſumant eiſdem privilegiis, vel in aliquo ſe juvare; ac irritum, & inane, ſi ſecus forſan factum, & quicquid inde ſubſecutum fuerit, decernentes. Nulli ergo omnino hominum, liceat hanc paginam noſtrę declarationis, inhibitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu &c. Datum Avenione XVI Kalendas Maii, Pontificatus noſtri anno Nono.

Declaratio.

Decretum irritum faciens,

1. *Declarat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio *Wratiſlavienſi.*
3. *Indulgenda.*) Bulla quæ incipit: *Virtute conſpicuos*: data eſt Die XV Februarii MCCCXVII.
4. *Super Cathedram.*) Legitur hæc Conſtitutio inter *Extravagantes Communes Lib. III Tit. VI de Sepulturis Cap. II.*
5. *Conſtitutiones.*) Quæ *Clementinæ* vocantur. Sunt in *Corpore juris canonici* poſt *Librum Sextum Decretalium.*
6. *Mitterentur ad Studia.*) Univerſitates ſcilicet; morte enim præventus *Clemens V* Conſtitutiones ſuas & Concilii *Viennenſis*, in unum collectas, non evulgavit, ſed eas publici juris fecit *Johannes XXII*, Bulla quæ incipit: *Quoniam nulla juris Sanctio &c.* Data eſt *Avenione* VIII Kalendas Novembris, Pontificatus *Johannis XXII* anno Secundo, Chriſti MCCCXVII.
7. *Emanaverat.*) Eodem anno MCCCXVII die XV Februarii.

Quædam a Capitulo Generali decernenda præſtituit (1).

Anno 1325 Die 26 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Provincialibus Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Capitulo generali proxime celebrando Venetiis congregatis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ordinem Fratrum Prædicatorum laudibus celebrat,

IN Eccleſię firmamento veſter Ordo, inter alios cęleſti ſplendore coruſcans, univerſam Gregis Dominici aulam illuminat, & currentibus in ſtadio rectum iter inſinuat, quo ad ſalutis bravium felicius pervenitur, in valle paupertatis terrenę militans, & triumphans in cęleſtium eminentia facultatum. Nimirum igitur in ipſius claritate ſiderea delectamur, & in ſuę Religionis ſtabilitate quieſcimus, dum vos, & alios ejuſdem Ordinis Fratres circa virtutum exercitium jugiter inſudantes, per devotorum animorum inſtantiam, quaſi Dei mediatores & hominum, ſalutem quęritis animarum, & proſperi ſtatus univerſalis Eccleſię fervidi zelatores, eidem indefeſſis laboribus, & argumentoſis operibus, deſervitis. Sane quia vobis eo parat ſubtiliores inſidias humani generis inimicus, quo vos animoſius conſpicit ſpirituales, ingreſſos campum certaminis, a ſarcinis rerum temporalium expeditos, ſcuto protectos fidei, & evangelicę gladio prędicationis accinctos nec veſtrę tantummodo ſalutis proſequentes negotium ſed molas iniqui conterere, & de faucibus ejus prędam eripere ſatagentes, vos, & Ordinem prędictum, quos brachiis internę caritatis, & dilectionis amplectimur, adverſus ejuſdem inimici verſutias eſſe fortes, & ſedulos in humilitatis ſpiritu, & devotionis promptitudine cupientes, ad quęque ſalubria, libenter,

pater-

paternis monitis, & benignis exhortationibus, invitamus. Quocirca univerſitatem veſtram monemus, rogamus, & hortamur in Domino, quatenus ſic dicti compaginem Ordinis, in ſolitę caritatis obſervantia, & unitatis gratia conſervetis, ſtatuendo, & ordinando utilia, & nociva provide reſecando, quod ſemper ſuſcipiat, divina favente clementia, felicitatis augmentum, & dignę laudis preconiis attollatur: Creſcat aſſidue prompta devotio fidelium apud eum, voſque cęleſtia vitę plenitudinem promerentes, valeatis glorię bravium apprehendere, vobis, tanquam benedictionis filiis virtute beatę perſeverantię repromiſſum. Porro, quia in promotione ſufficientium, & benemeritorum, quorum exemplis ad bonum invitantur alii, Ordo proſperatur prędictus, exhortationibus noſtris adiicimus, ut in Lecturis, & aliis ipſius Ordinis officiis, viros ſcientia prędi tos, circumſpectione, ac vitę honeſtate probatos, & conſtituere, & ordinare, prudenter, & provide ſtudeatis, attentius nihilominus proviſuri, quod ejuſdem Fratres Ordinis erga Prelatos, & locorum Ordinarios ſe reverenter, & devote gerere ſtudeant, ut ſint aliis in ſpeculum, & exemplum, ac inter ipſos nullum ſcandalum, quavis occaſione, conſurgat; nec inde coram nobis juſta querimonia deferatur. Ceterum cum in homine non ſit auxilium, ſed infirmitas, & defectus, & propter hoc oporteat imbecillitatem noſtram divinę manus ſuſtentari pręſidiis, piis affectiones veſtras circa nos excitet debitum caritatis, ut ad portanda feliciter impoſita nobis onera ſervitutis, veſtris & ejuſdem Ordinis apud Deum interceſſionibus adjuvemur. Ad hęc dilectum filium Petrum de Pireto (3) ejuſdem Ordinis in Studio Pariſiis commorantem, quem de morum honeſtate preclara, Religionis zelo, converſatione placida, ſcientię profunditate, aliiſque multiplicibus virtutum meritis, nonnulli ſacrę Theologię Profeſſores, & Baccalaurei, Pariſiis exiſtentes, ipſius in prędictorum meritorum eminentiam ſcientię poſtulantes (4), vobis ſuper iis ſpecialiter commendamus. Datum Avenione VI Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

Piis precibus Fratrum ſeſe commendat.

1. *Praſtituit.*) Adeas *Fontanam Monument. Dominican. Parte II Cap. II ad an. MCCCXXV pag.* 184 & 185.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar in Actis Capituli Generalis *Venetiis* coacti anno MCCCXXV die XXVI Maii, Legitur apud *Fontanam* loco laudato.
3. *Pireto.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Benedicti XII.*
4. *Poſtulantes.*) Turbatus locus; legerem *Poſtulant.*

Anno 1325
Die 29 Julii.

Priori Fratrum Prædicatorum, aliiſque, ut litem componant Clariſſas (1) inter & Capitulum Cordubenſe (2).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag. 161.

XLVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Theſaurario, & Scholaſtico Eccleſię Giennen (3), ac Priori Fratrum Ordinis Prędicatorum Corduben., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Monialium petitio.

SIgnificarunt nobis dilectę in Chriſto filię Abbatiſſa, & Conventus Monaſterii S. Clarę Corduben., Ordinis ejuſdem Sanctę, quod dudum fel. recordationis Bonifatius Papa VIII, Prędeceſſor noſter, univerſis Abbatiſſis, & Conventibus Ordinis ſupradicti indulſit per privilegium ſpeciale, quod ad pręſtationem decimarum de quibuſcunque poſſeſſionibus, & aliis omnibus bonis earum, quę tunc habebant, & juſtis modis acquirerent in futurum, vel ad contribuendum in procurationibus quorumlibet Ordinariorum minime tenerentur, neque ad id aliquatenus poſſent aliquatenus coarctari, & quod Nos poſtmodum eiſdem Abbatiſſę, & Conventui duximus ſimile privilegium concedendum, quodque cum dilecti filii Decanus, & Capitulum Eccleſię Corduben. poſt conceſſionem hujuſmodi eas ſuper quibuſdam decimis quorundam molendinorum, & terrarum eis per clarę memorię Alfonſum Regem Caſtelię pia liberalitate collatorum coram Vicario Venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Corduben., non ex delegatione Apoſtolica traxiſſet in cauſam, idem Vicarius cognitis ejuſdem cauſę meritis, & juris ordine obſervato, vigore dictorum privilegiorum diffinitivam pro dictis Abbatiſſa & Conventu ſententiam promulgavit, quę, cum nulla fuiſſet Appellatione ſuſpenſa, in rem tranſiit judicatam. Cumque poſt dictam ſententiam fere triennium effluxiſſet, pręfati Decanus & Capitulum cauſam ſententialiter jam ſopitam contra dictas Abbatiſſam & Conventum ſuſcitare conantur, eas coram quodam eorum Canonico, videlicet Franciſco Ægidii, Archidiacono Bediogię, in eadem Eccleſia Vicario Epiſcopi memorati ſuper dictis decimis fecerunt ad judicium evocari, petentes, dictam Eccleſiam reſtitui in integrum adverſus ſententiam memoratam, aſſerentes ſibi, & dictę Eccleſię per pię memorię Innocentium Papam Prędeceſſorem noſtrum indultum fuiſſe, quod omnes Moniales, & ceteri Religioſi de omnibus eis collatis teneantur decimam ſolvere Eccleſię & Capitulo memoratis, de quo quidem privilegio ejuſdem Prędeceſſoris Innocentii, ut dicebant, tam in generali ejuſdem Bonifatii univerſis Abbatiſſis & Conventibus dicti Ordinis, quam in noſtra ſpeciali dictis Abbatiſſę & Conventui privilegiis conceſſis nulla mentio habebatur, propter quod dictus Franciſcus pronuntiavit pręfatos Decanum & Capitulum in integrum fore reſtituendos adverſus ſententiam memoratam. A qua reſtitutionis ſententia pro parte dictarum Abbatiſſę, & Conventus, fuit ad noſtram audientiam appellatum; quarum appellationi dictus Franciſcus Vicarius detulit reverenter, & ad procurationem ipſius eis certum terminum aſſignavit, infra quem duę Sorores dicti Monaſterii procuratrices dicti Conventus ad Sedem eandem ſe humiliter contulerunt (4), nobis humiliter ſupplicantes, ut ſuper hoc pręfatis Abbatiſſę & Conventui de opportuno providere remedio dignaremur. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus apud civitatem Corduben. de dictis privilegiis, & valore dictorum bonorum curetis diligentius informari, tractantes inter partes prędictas, quod pręfatę Abbatiſſę, & Conventus de voluntate Decani & Capituli prędictorum dictas decimas pacifice teneant, & quiete; & (5) partes eaſdem non potueritis ſuper hoc forſan concordare, hujuſmodi informationem fideliter in ſcriptis redactam nobis ſub ſigillis veſtris deſtinare curetis, certum eiſdem partibus perempto-

Mandatum.

peremptorium competentem terminum præfigentes, quæ cum omnibus actis, juribus, & munimentis eorum, Apoſtolico ſe conſpectui repræſentent auditure ordinationem noſtram, quam ſuper his, dante Domino, duxerimus faciendam, noſtriſque ſuper his beneplacitis pariture. Diem vero præfixionis hujuſmodi, & formam, & quicquid inde feceritis nobis per veſtras literas, harum ſeriem continentes, fideliter intimare curetis. Non obſtante indulgentia, qua, fili Prior, Ordini tuo a Sede Apoſtolica dicitur eſſe conceſſum, ut ipſius Ordinis Fratres non teneantur ſe intromittere de quibuſcunque negotiis, quæ eis per ejuſdem Sedis literas committuntur, niſi in eiſdem literis de conceſſione hujuſmodi plena & expreſſa mentio habeatur. Quod ſi non omnes his exequendis potueritis intereſſe, duo veſtrum ea nihilominus exequantur. Datum Avenione IV Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Clariſſai.*) Conſulendus Waddingus.
2. *Cordubenſe.*) Vulgo *Cordova*, in *Hiſpania Bætica*.
3. *Giennen.*) Vulgo *Iaen*, in *Vandalitia*, ſeu *Hiſpania Bætica*.
4. *Contulerunt.*) Nota morem.
5. *Et.*) Adderem: *Si*.

Prior Sorores Monaſterii de Piſciaco (1) moribundas Indulgentia, quam Summus Pontifex nonnullis impertitur, donare poteſt.

Anno 1325 Die 12 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſe, & Sororibus Monaſterii de Piſciaco, quod per Prioriſſam gubernatur, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prædicatorum viventibus. Carnotenſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EA libenter ad gratiam exauditionis admittimus, quæ mentium noſtram expiationem (3) ſapiant, & iter per conſequens vobis præparent hæreditatis æternæ. Hinc eſt, quod Nos cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli (4) Regis Franciæ. & Navarræ illuſtris, nobis in hac parte humiliter ſupplicantis, utriuſque (5), ſupplicationibus inclinati, ut Prior de Ordine Fratrum Prædicatorum, in Monaſterio veſtro nunc deputatus, vel pro tempore deputandus, cuilibet veſtrum, quæ nunc eſtis ibidem, confeſſione audita, ſemel tantum in mortis periculo omnium veſtrum, de quibus corde contritæ, & ore confeſſæ fueritis, eam plenam veniam peccatorum quam Romani Pontifices conſueverunt interdum per ſpeciale privilegium aliquibus impertiri, & quatenus claves Eccleſiæ ſe extendunt, & gratam in oculis Divinæ Majeſtatis extiterit, concedere per ſe, vel alium idoneum ejuſdem Ordinis, valeat; devotioni veſtræ auctoritate præſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire, ſi quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avenione IV Idus Octobris Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

1. *Piſciaco.*) Lege *Notas ad Conſtitutionem XII Clementis V*, & *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo, quod aſſervatur in Monaſterio *Piſciacenſi*.
3. *Expiationem.*) Turbatus locus. Legerem: *mentium veſtrarum expiationem*.
4. *Caroli.*) *IV*, cognomento *Pulchri*.
5. *Utriuſque.*) *Veſtriſque*.

Ne Sorores de Pœnitentia nuncupatæ in damnationem Beghinarum (1) vocentur.

Anno 1326 Die 1 Junii.

Ex Bullario (2) Uſuſmaris pag. 82.

XLIX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, per Provincias Lombardiæ, & Tuſciæ conſtitutis, ad quos præſentes literæ pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm de mulieribus, quæ vulgariter, & communiter Beghinæ nuncupantur, fel. rec. Clementi (3) Papæ V prædeceſſori noſtro præcipue de Alemaniæ partibus multa fuiſſent inſinuata ſiniſtra: quod earum aliquæ de Summa Trinitate, ac divina Eſſentia diſputarent, ac etiam prædicarent; circa articulos quoque fidei, & Eccleſiaſtica Sacramenta opiniones catholicæ fidei contrarias introducerent, multorum ſimplicium animos in diverſos ſuper iis errores inducerent, & alia multa, pericula animarum parientia, ſub fucato ſanctitatis velamine præſumerent; Idem prædeceſſor ex præmiſſis, & nonnullis aliis, quæ de dictis mulieribus frequenter audivit, habens eas non indigna ratione ſuſpectas, ſtatum earum duxit perpetuo a Dei Eccleſia abolendum, in illas quæ ſtatum hujuſmodi aſſumptum jam ſectarentur ulterius, aut quæ illum de novo aſſumerent, excommunicationis ſententiam (4) promulgando (5). Cum autem nuper ad noſtri Apoſtolatus auditum relatio, digna fide, duxerit, eſſe plures mulieres Beghuinas vulgariter nuncupatas, ſeu de Pœnitentia (6) Beati Dominici, in Lombardiæ, & Tuſciæ partibus, quæ per virtutum ornamenta currentes, honeſte vivunt, ac devote frequentant Eccleſias, Prælatis ſuis obediunt reverenter, & ſe in præmiſſis diſputationibus, & erroribus non involvunt, nec ſuas, vel aliorum animas per opiniones erroneas ab evangelica veritate degenerantes, damnabili præſumptione decipiunt, ſed in ſancta, & ſolida ſimplicitate aliquæ proprias, aliquæ parentum ſuorum, aliquæ conductas, vel ſibi communes, & cum honeſta familia domos inhabitant, aliquæ vero, rerum cogente defectu, ſimul in eiſdem domibus, vel in diverſis Beghinagiis (7), ad majoris caſtitatis obſervantiam, immorantur: ſicque hactenus vixerunt laudabi-

Beghinæ a Clemente V damnatæ.

Sorores de pœnitentia laudibus efferr.

laudabiliter, & nunc vivunt, quod nulla unquam ſuper iis fuit, vel eſt ſuſpicio, aut infamia contra ipſas; fuit nobis pro parte ipſarum humiliter ſupplicatum, ut cum indignum ſit, innocentes cum nocentibus ad paria judicari, ſintque propterea occaſione hujuſmodi in diverſis locis illarum partium ſcandala gravia, diſſenſiones, & odia, guerrarumque pericula ſuſcitata, providere ſuper iis per Apoſtolicę Sedis providentiam dignaremur. Nos igitur inconveniens, & rationi contrarium reputantes, ſi probas, & improbas ſimilis cenſura percelleret; pręmiſſis etiam ſcandalis, & diſſenſionibus, odiiſque, atque periculis obviare volentes; Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, & ſinguli veſtrum, in veſtris Civitatibus, & Dięceſibus, per vos, vel per alium, vel per alios de vita dictarum mulierum laudabiliter viventium, ut pręfertur, diligentius informati, ſi repereritis ita eſſe, non permittatis eas, vel ipſarum aliquam, in perſonis, vel bonis, occaſione prohibitionis, vel abolitionis hujuſmodi, quouſque de ſtatu earum, fuerit aliter per Sedem Apoſtolicam ordinatum, ab aliquibus moleſtari. Moleſtatores itaque, ſi qui fuerint, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtante ſi eis, vel eorum aliquibus communiter, vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas dictę Sedis, non facientes plenariam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Volumus autem, quod pręd ictas mulieres moneatis attentius, & accuratius, eiſque diſtrictius injungatis, ne hujuſmodi diſputationibus contra hujuſmodi Pręde ceſſoris noſtri prohibitionis, & abolitionis tenorem, ſe aliquatenus intromittant, ſed in ſupraſcriptis operibus perſiſtentes, & proficientes ſemper de virtutibus in virtutes, mereantur retributionis ęternę pręmium, quod non inchoantibus, ſed perſeverantibus in conſummatione pręſtatur. Nulli ergo &c. Datum Avenione Kalendis Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Cavet ut ſupra.

1. *Begbinarum.*) *Hoc nomen ſumitur in bonum, & in malum ſenſum*, inquit *Macri* in Sacro Dictionario, verbo: Beguina; *malum, ſcilicet, quando de fœmina quæ in hæreſi . . . vivit; in bonum cum recte ſentiat de fide, & pie illa vivat.* Hoc in ſenſu *Beghina* ſignificat Virginem Deo ſacram. *A Begga Pipini Landenſis filia, S. Gertrudis Nivellenſis ſorore, Beguinarum nomen & inſtitutum ſumpſiſſe, conſtans eſt apud Belgas opinio, nullo alio licet nixa fundamento, quam nominis Beggæ*, verba ſunt *Du Cange* in Gloſſario, verbo: Beguinagium: *Alii a velo capitis appellatas volunt, etſi vela iſta ab iis, quæ Beguinæ ipſæ deferebant, dicta, longe probabilius ſit. Willelmus Heda an. MCCLXXXIV. Quo tempore Ordo Divæ Brigitæ inſtituitur ex religioſis fœminis, ſolutæ tamen vitæ, quas Beginas vocant a velo capitis, quo involvi conſueverunt, ſic dictæ. Joachimus Hopperus a Beghinnen, id eſt incipere, deducit, quod principium ſive initium quoddam rei monaſticæ ponant. Alii denique a Bego, quodam iſtius inſtituti auctore Beguinos, & Beguinas nomen hauſiſſe volunt. Ægidius Aureæ Vallis Monachus in Radulpho Epiſcopo Leodien., Cap. LII, ſub anno MCLXXX. Suſcitavit Deus ſpiritum ſancti cujuſdam ſacerdotis viri religioſi, qui Lambertus le Begue, quia balbus erat, de S. Chriſtophoro dicebatur, a cujus cognomine mulieres & puellæ, quæ caſte vivere proponunt, Beguines gallice cognominantur; quia ipſe primus extitit, qui eis præmium caſtitatis verbo, & exemplo prædicavit. Quæ quidem hauſit ex vita S. Odiliæ, & ex Johanne Abbatulo Libro I Cap. IV. Totidem habes etiam Chronicum Ms. Belgicum pag. 193.* De *Beghinarum* nominis origine conſulendi *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXI num. VIII*, & *Petrus Coens* Canonicus *Antuerpienſis* in *Diſquiſitione Hiſtorica de Origine Beghinarum.*

2. *Bullario.*) Legitur apud *Caſtellanum pag. 55*, in *Conſtitutionibus anni MDVII num. LXXXIII.*

3. *Clementi.*) Adeas *Spondanum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCVI num. X.*

4. *Sententiam.*) Extat *Libro III Clementinarum Tit. XI Cap. I.*

5. *Promulgando.*) In Concilio Generali *Viennenſi.*

6. *De Pœnitentia.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*

7. *Beghinagiis.*) Id eſt Monaſteriis. *Gandavi* florent etiam nunc Duo *Beghinagia*, de quibus audiendus eſt noſter *Bernardus de Jonghe* in *Belgio Dominicano*, Appendice Secunda, pag. 116. *Magnum Begginaſium Gandenſe*, inquit, *fundatum a Johanna, & Margarita Comitiſſis Flandriæ anno MCCXXXIV, ad diſtinctionem Parvi, in quo quingentæ circiter Begginæ degunt, locus eſt inſtar Oppiduli cum ſuis plateis, domibus Conventualibus, & ſeparatis, Eccleſia, Cœmiterio, & Infirmaria: muris & foſſis circumcinctus, in quo octingentæ, & ſæpe plures filiæ devotæ, a filiabus ſecularibus habitu diſtinctæ, quas Begginas vocant, commorantur: juniores quidem in Conventibus, ſeniores vero in domibus ſeparatis. Hæ vi Regulæ, & ſtatutorum Begginaſii nullis votis perpetuis aſtrictæ ſunt: ſed obedientiam promittunt magnæ Dominæ, ſeu Magiſtræ, ſervandam, quandiu in Begginaſio vixerint: unde licitum eſt illis Begginaſium deſerere, matrimonium inire, aut alium ſtatum amplecti, quod tamen rariſſime contingit. Hujus Begginaſii tutela eſt penes Comitem Flandriæ, cura vero penes Priorem Conventus Gandenſis Ordinis Prædicatorum.* Plures tamen ejuſcemodi Domus, ſeu Collegia, vel Aſceteria ſunt in *Italia*, *Germania*, *Gallia* &c. in quibus Virgines, ac Viduæ Deo ſacræ vitam degunt profitentes Regulam Tertii Ordinis *S. P. Dominici*: Ejuſdem Ordinis veſtem induunt, & vota Deo O. M. nuncupant, ut *Bononiæ*, *Veronæ*, *Mutinæ*, *Aquiſgrani* &c.

Anno 1326 Die 13 Auguſti.

Ut Frater Johannes de Serone, & Bernardus de Ortolis, Apoſtolicæ Sedis Nuncii, Magnum Norvvegiæ Regem medietate Decimæ ſexennalis donent (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVI num. X.

L.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Johanni de Serone Prędicatori, & Bernardo de Ortolis, Apoſtolicę Sedis Nunciis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ex inſinuatione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Magni (2) Regis Norwegię illuſtris, non abſque magna mentis compaſſione, percepimus, quod infideles pagani, Carelli (3), videlicet, & Rutheni, Regnis ſuis Norwegię, Suecię, ac Gocię propinqui, adeo Regna ipſa, pręſertim Norwegię prędictum, ſibi vicinius, & degentes chriſticolas in eodem per rapinas, incendia, ſtrages varias, captiones, incarcerationes, depopulationes, & tam locorum ſacrorum, quam aliorum dirutiones, & alios incurſus hoſtiles multiplices hactenus, maxime poſt clarę memorię Hayquini (4) Regis Norwegię avi ſui obitum, crudeliter, & immaniter affligerunt, & moleſtare continuis vexationibus non deſiſtunt, quod iidem Chriſticolę, ſic ex pręmiſſis afflicti multipliciter, & conſumpti, adverſus hoſtium Crucis prędictorum ſęvitiam, & ſuperbam ſementem ſtare non poterunt diutius, niſi opportunis ſubſidiis fulciantur; quodque Regis ejuſdem ad hoc, necnon & infideles eoſdem ad divini nominis laudem & gloriam, ac fidei exaltationem catholicę, liberationemque Chriſtiani Populi impugnandos, non ſufficiunt, ut habet pręfati

Regis

Regis petitionis ſeries, nobis per dilectos filios nobiles viros Bertrandum de Suciolis, & Raymundum de Lenena. Nuncios, & Ambaſciatores ſuos, exhibitę, facultates. Nos autem eiſdem Regi, & ſuis ſubditis Chriſti nis ſuper oppreſſionibus, calamitatibus, & miſeriis hujuſmodi, paterno compatientes affectu, eiſque volentes de illo, quod commode preſentialiter poſſumus, ſubſidio providere; diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi de prędictis neceſſitatibus, nobis ignotis, merito vobis, dum in illis partibus fueritis, conſtiterit evidenter, prefato Regi medietatem pecunię dictę (5) decimę ſexennalis in ſubſidium & neceſſitates prędicta, ſecundum ordinationem venerabilis fratris noſtri Archiepiſcopi Narbonenſis, & duorum ex ſuis Suffraganeis, per eundem Archiepiſcopum, & vos, ſuper hoc aſſumendis, quorum oneramus in hac parte conſcientias, diſpenſandę, noſtro nomine concedatis (6). Datum Avenione Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Donent.*) *Infeſtata ſunt hiſce temporibus Norvvegia, Suecia, & Gotia regna variis paganorum excurſionibus*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCXXVI num. X, *Carelorum maxime, & Ruthenorum, qui graves earum partium Chriſtianis clades intulerunt. Ad quos propulſandos cum Magnus Rex Sedis Apoſtolica auxilia imploraſſet, & Pontifex medium illi e vectigalibus eccleſiaſticis collecta ſexennalis decima, in Syria res convertenda, partem attribuit, ac Nunciis Apoſtolicis Johanni e Serone, & Bernardo de Ortolis partes dedit, ut eam illi, explorata re de barbarorum irruptionibus, erogarent.*

2. *Magni.*) Hujus nominis *V.*

3. *Carelli.*) Seu *Careli*, & *Kareli*, quorum regio *Carelia* vocatur. Provincia eſt *Suecia*.

4. *Harquini.*) Seu *Aquini*.

5. *Dicta.*) Hinc, mutilum eſſe Diploma, liquet.

6. *Concedatis &c.*) Quædam hic deſunt.

F. Benedictum (1) Ordinis Prædicatorum, Galliarum Regis Legatum, de Andronico cum Rege Siciliæ collocuturum mittit (2).

Anno 1326 Die 16 Auguſti.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVI num. XXVI.

LI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Regi Sicilię illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Significavit nobis cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Francię, & Navarrę illuſtris, quod vir magnificus Andronicus, qui ſe Romęorum (4) Imperatorem, & Moderatorem intitulat, per ſuas literas inſinuavit eidem, intentionis, & voluntatis eſſe ſui imperii velle pacem, & amorem cum omnibus, & ſpecialiter Chriſtianis: & cum Regem ipſum, ejuſque domum, & prędeceſſores ſuper alios mundi Principes ad hoc perciperet delectari, certum ad ipſum deſtinabat Nuncium, literarum exhibitorem ipſarum, ſuper intentione prędicta plenius informatum. Rex pręfatus ſcire, ut aſſerit, deſiderans certius, an ipſe Andronicus prętatę intentionis exiſtat, & an, quę literis prętatis aſtruit, operibus cupiat adimplere, dilectum filium Benedictum de Cunis Ordinis Prędicatorum, Sacrę Theologię Magiſtrum, ad eundem Andronicum pro ſcrutandis huiuſmodi providit de noſtro beneplacito cum ſuis literis deſtinandum. Nos autem attendentes, quod negotium huiuſmodi tuam excellentiam, necnon & dilectum filium nobilem virum Philippum (5), Principem Tarentinum, germanum tuum, inter ceteros Catholicos Principes non mediocriter tangit, volumus, quod idem Magiſter, priuſquam ad dictum accedat Andronicum, ad tuam, dictique Principis ſe conferat prętentiam, auditurus utriuſque intentionem, ac informationem, ſi quam ei dare decreveritis ſuper his, nobiſque illas poſtmodum reſcripturus. Quocirca regalem excellentiam attentius excitamus, quatenus cum eodem Principe, quid nos deceat, vel expediat in hac parte, provida deliberatione diſcernens, Magiſtrum eundem reddere ſtudeat ſuper his plenius informatum; Nos enim prętato Magiſtro collegam alium in negotio ipſo cogitaveramus adjungere; ſed donec de tua, dictorumque Principis, & Andronici intentionibus ſuper his plenius nobis liquerit, conſultius id providimus differendum (6): ſuper quibus etiam prętato germano tuo per Magiſtrum ipſum literas (7) noſtras dirigimus opportunas. Datum Avenione XVII Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Miſſio.

1. *Benedictum.*) De quo in *Appendice ad Præſentem Pontificatum*.

2. *Mittit.*) *Præ ſe ferebat quidem Andronicus Imperator redintegrandæ cum Romana Eccleſia conjunctionis deſiderium*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCXXVI num. XXVI, *utque Oratores ad Francorum Regem Carolum miſit, quibus ſignificabat, ſe pacem cum omnibus Chriſtianis, maximeque cum Gallis, ſervaturum, & alias ingentes ſpes & promiſſa oſtentabat: de quibus, ut certior fieret Carolus, Benedictum e Cunis, Dominicanæ familiæ Religioſum virum, legandum cenſuit, quem Pontifex ad Robertum Regem Siciliæ, ac Philippum Principem Tarentinum tranſmiſit, ut quæ ipſis in tanta re gerenda viſa eſſent, optima conſilia explicarent.*

3. *Odorico.*) Idem tranſcripſit *Cozza in Hiſtoria Polemica Tomo III pag.* 536.

4. *Romæorum.*) *Græcorum* ſcilicet, qui *Romæi* vocantur a *Romania*, quæ pars eſt *Græcia*, alias *Thracia* nuncupata.

5. *Philippum.*) Cui *Catharina Valeſia*, quam duxerat anno MCCCXIII die XXX Julii, jus ad Imperium *Conſtantinopolitanum* detulerat.

6. *Differendum.*) *De miſſo ad Andronicum Imperatorem Benedicto e Cunis*, inquit *Odoricus* num. XXVII, *ut ipſum ac Græcos ad fidem orthodoxam alliceret, extant aliæ literæ, quibus ea ſpe facultatem ipſi tribuit, ut cum Mathematicis (iis nimirum, quorum profanæ artes in prædicendis, magiſtro dæmone, vanaque aſtrologiæ oſtentatione, rerum futuris eventibus ab Eccleſia damnatæ ſunt), & ceteris ſchiſmatis labe infectis publice, occulteve ageret, concioneſque ſacras haberet. Terruerunt Andronicum pervulgati de expeditione Gallorum Aſiatica ineunda ſermones, fueratque a Marino Sanuto admonitus, pleroſque Conſtantinopolitanum prius Imperium expugnandum cenſere, & eorum opinionem in Regum conſiliis a ſe refutatam, ſollicitatuſque, ut Chriſti fideles contra Saracenos omni ſtudio juvaret.*

7. *Literas.*) Deſiderantur hæ literæ.

Anno 1326 Die 21 Auguſti.

F. Lamberto Ordinis Prædicatorum, ut in hæreticorum fautores quæſtionem inſtituat (1).

Ex Bullario (2) Romano. Eſt XII.

LII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Lamberto de Ordine Fratrum Prędicatorum, Inquiſitori hęreticę pravitatis, in inferiori parte Lombardię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm nonnulli de Provincia noſtra Romandiolę, tam Clerici, quam Laici Deum, & Romanam Matrem Eccleſiam offendere, ſeque in pręcipitium damnationis, & mortis immergere non verentes, adeo favere, & faviſſe dicantur damnatis hęreticis, confęderationes, ligas, & ſocietates in eundo cum ipſis, eoſque receptando, & ſibi preſtando multipliciter auxilia, conſilia, & favores, quod de labe hęreſia ſe reddiderunt, & reddunt vehementer ſuſpectos: Nos tam ipſorum, quam multorum aliorum periculis, & pręmiſſis imminentibus obviare ſalubriter cupientes, diſcretioni tuę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus contra fautores hujuſmodi, & alios quoslibet de crimine pravitatis hęreticę culpabiles, vel ſuſpectos, ſic ſolerter, ſecundum formam Canonum, ac privilegiorum conceſſorum Inquiſitionis officio, procedere non poſtponas, quod inde debeat tua diligentia merito commendari. Datum Avenione XII Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Mandatum.

1. *Inſtituat.*) *Id enim temporis ovatione rebellionis multæ hæreſes in Flaminia graſſabantur*, inquit *Bzovius* ad annum MCCCXXVI num. XXXV, *excitata partim a Principibus factionis Gibellinorum, partim ab impunitate graſſatorum. Eas ut Pontifex Johannes radicitus evelleret, Quæſitorem fidei admonuit data hic adjuncta Epiſtola.*

2. *Bullario.*) Legitur apud *Peñam* ad calcem *Directorii Inquiſitorum pag.* 80 ex Archivo Inquiſitionis *Bononienſis*, & apud *Bzovium ad an. MCCCXXVI num. XXXV*. Ad annum vero *MCCCXXVII num. VIII* idem tranſcripſit *Bzovius* datum *XII* Kalendas Septembris, Pontificatus *Johannis XXII* anno *XI*.

Anno 1326 Die 1 Octobris.

F. Raymundo (1), Ordinis Prædicatorum, Patriarchæ Jeroſolymitano in Neſtorianos, Jacobitas, alioſque Errones (2) Græcos.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCCXXVI num. XXVIII.

LIII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Raymundo Patriarchę Jeroſolymitano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

TRahimur in amara ſuſpiria, & multa mentis turbatione movemur, dum infra fines Eccleſię Catholicę, curę noſtri regiminis, divina diſpoſitione, commiſſę, contra puritatem catholicę fidei errores percipimus pullulare: ad quos extirpandos tanto ſolertius vigilare nos convenit, quanto majora formidantur ex illis pericula fidei, & fidelibus proventura. Habet ſiquidem infeſta nimis de tranſmarinis partibus inſinuatio, nobis nuda, quod in Regno Cypri, ubi catholicę fidei viget cultus, quidam Iniquitatis filii Neſtoriani, & Jacobitę (3) vocati, quorum ſecta nequiſſima olim in Conciliis (4) Generalibus reprobata exitit, & damnata, ſe adverſus Dei ſcientiam extollentes, ac in damnatos errores & hęreſes incidere non verentes; pręfati Neſtoriani in Chriſto Jeſu Domino noſtro duas perſonas, & ipſum per inhabitantem gratiam adoptivum Dei filium exiſtere; dictique Jacobitę unam tantum ineſſe naturam, contra veritatem orthodoxę fidei, damnabiliter profitentur, habentes ſuas illic diſtinctas Eccleſias, in quibus errores & hęreſes hujuſmodi, non ſine magnis ſuarum, & multorum aliorum animarum periculis, publice dogmatizant. Et inſuper quod Gręci aliqui, qui pro majori parte in Regno morantur eodem, negant Purgatorium, & Infernum, aſſerentes mendaciter & temere, nullum Sanctorum eſſe in Paradiſo uſque poſt judicium generale, ſed interim in certo loco quieſcere ſine pęna: & hoc idem etiam de malis aſſerere moliuntur. Alii quoque Gręci ſunt ibi, qui Sacramento Altaris non communicant, niſi eis de Conſtantinopoli deferatur, & nonnulli etiam alii hujuſmodi Sacramentum in eſcam jumentis pro ſanitate miniſtrare pręſumunt. Cupientes igitur prędictos errores, & hęreſes, de finibus fidelium extirpari, ac de tuę circumſpectionis exquiſita prudentia plenam in Domino fiduciam obtinentes, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ad extirpandum prędictos errores, & hęreſes, ac reformandum, & corrigendum quę in hac parte reformanda noveris, ac etiam corrigenda, intendere, juxta datam a Deo tibi providentiam, adeo ſtudeas diligenter, quod divinam & Apoſtolicę Sedis gratiam uberius propter hoc merearis, &c (5). Datum Avenione Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

De variis hæreſibus in Regno Cypri graſſantibus.

1. *Raymundo.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Errones.*) Adeas *Odoricum ad an. MCCCXXVI num. XVIII.*

3. *Jacobitæ.*) Vide *Notas ad Conſtitutionem LVI Innocentii IV Tomo I pag.* 137.

4. *Conciliis.*) *Epheſino* ſcilicet, & *Chalcedonenſi*.

5. *Merearis &c.*) Quædam hic deſunt.

Sententias (1), in Prædicatores, & Minores Fratres ab Officiali Burdigalenſi latas, irritas eſſe jubet.

Anno 1327 Die 23 Januarii.

Ex Waddingo (2) *Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag.* 176.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

LIV.

Exordium.

ILla ſine cavilloſę difficultatis obice, nimięque dilationis objectu Apoſtolicę correctionis lima corrigit, prout debet, quę pręſertim evidenter invenit per inferiores Judices minus provide attentata. Pro parte ſiquidem dilectorum filiorum Prioris Prędicatorum, & Guardiani Minorum, Fratrum Ordinum, & eorundem Fratrum Burdegallen., fuit in Conſiſtorio propoſitum coram nobis, quod dilectus filius Officialis Burdegallen., ad inſtantiam, ſeu querelam dilectorum filiorum Rectorum, Capellanorum, ac Vicariorum perpetuorum Parochialium Eccleſiarum, ſeu Capellarum civitatis, & ſuburbiorum Burdegallen. mendaciter imponens dictis Fratribus, quod vilipendebant canonicas ſanctiones, de facto, cum de jure nequiverit, in dictis, & ipſorum Prioris, Guardiani, & Fratrum Eccleſiis, dum celebrabantur miſſarum ſolemnia in eiſdem, diebus Dominicis, & feſtivis mandavit, & fecit dictis Fratribus publice inhiberi, ne ipſi ex tunc Confeſſiones parochianorum dictarum Eccleſiarum audirent, ſeu ipſos ad pęnitentię Sacramentum, & corpora eorum ad eccleſiaſticam ſepulturam admitterent, abſque Parochialium Rectorum ipſarum Eccleſiarum, ſeu Capellarum licentia, & aſſenſu, & etiam in eiſdem proponi Eccleſiis, ne aliquis, vel aliqua ex tunc ad eorundem Fratrum, vel alicujus eorum inductionem, apud ipſos, vel eorum Eccleſias ſuam eligerent ſepulturam, aſſerendo minus juſte, quod hujuſmodi electio ad dictorum Fratrum inductionem ſic facta, de jure foret irrita, & inanis: nec eiſdem Fratribus vel alicui confiterentur eorum, aut ab eis, ſeu aliquo ipſorum reciperent prędictum pęnitentię ſacramentum, abſque ſui proprii Rectoris Parochialis licentia, & aſſenſu; Alioquin contrafacientes in pręmiſſis articulis, necnon univerſos Religioſos cujuſcumque ſtatus, vel conditionis exiſterent, qui antea induxiſſent, vel inducerent aliquem, vel aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum, quod apud eorum Eccleſias eligerent ſepulturam, vel jam electam minime immutarent, mandavit, & fecit excommunicatos publice nunciari. Et licet pręfati Fratres de funeralibus, aliiſque ratione corporum defunctorum ſibi delegatis, ſeu relictis canonicam portionem dictis Parochialibus Rectoribus, prout debuerant, ſolvere curaviſſent, & parati forent eam illis ſolvere in futurum, ſicut fuit expoſitum coram nobis, ipſe tamen Officialis non attendens, quod nequibat contra eoſdem talia exercere, dictos Fratres, ſimiliter de facto publice moneri fecit, ut ſi eſſent aliqui, vel aliquis eorundem, qui aliqua de funeralibus, & legatis, ſeu relictis prędictis haberent, vel detinerent, quę ad dictos Rectores, ſeu Vicarios, aut ipſorum aliquem pertinerent, ea illis integre redderent, vel de ipſis componerent amicabiliter cum eiſdem; alioquin quoſlibet dictorum Fratrum detentorum funeralium, ſeu relictorum eorundem, ad dictos Rectores, ſeu Vicarios ſpectantium, quos ex tunc excommunicabat, mandabat, & fecit in eiſdem Eccleſiis excommunicatos publice nunciari. Quamvis autem pro parte dictorum Fratrum Apoſtolica privilegia, quę dictos Ordines, & perſonas ipſorum a juriſdictione quorumlibet Judicum ordinariorum eximunt, eoſque ſoli Sedi ſubiiciunt ſupradictę, quodque in pacifica poſſeſſione, vel quaſi, libertatis, & exemptionis hujuſmodi exiſtebant, coram Officiali prędicto fuerint allegata, & quod de jure non poterat taliter ad pręmiſſa procedere contra eos, ſibique de privilegiis hujuſmodi facta extitit ab eiſdem Priore, & Fratribus Prędicatoribus, ut accepimus, plena fides: idem tamen Officialis prędictus Priorem, Guardianum, & Fratres exaudire ſuper allegatis hujuſmodi non curavit. Quoſcunque inſuper dictorum Fratrum, qui Clericis, & Laicis Unctionis extremę, vel Euchariſtię Sacramenta miniſtrare, matrimoniave ſolennizare, ſuper hoc Parochialis Rectoris eorundem licentia non obtenta, ſeu qui excommunicationis a Canone, pręterquam in caſibus expreſſis in jure, vel per privilegia dictę Sedis Fratribus conceſſis eiſdem, aut a ſententiis per Statuta provincialia promulgatis, ſeu a pęna, vel a culpa abſolvere pręſumerent, mandavit, & fecit excommunicatos publice nunciari; quanquam Fratres ipſi, quod hęc pręſumpſerint, confeſſi non fuerunt, nec convicti, nec etiam evocati. Propter quę pro parte prędictorum Prioris, Guardiani, & Fratrum ad dictam Sedem extitit appellatum. Quare fuit pro parte ipſorum Prioris, & Guardiani, & Fratrum nobis humiliter ſupplicatum, ut eis providere ſuper prędictis tam ex debito juſtitię, quam etiam de Apoſtolica clementia dignaremur. Nos igitur hujuſmodi proceſſu pręfati Officialis, & aliis, quę tam ex parte dictorum Fratrum, quam etiam pro parte Officialis, Rectorum, Capellanorum, & Vicariorum prędictorum coram nobis, & Fratribus noſtris propoſita, & allegata fuerunt, auditis, & etiam intellectis, quia comperimus eundem proceſſum perperam factum per Officialem eundem, ipſum & quicquid ſequutum eſt ex eo, vel ob eum, de Fratrum noſtrorum prędictorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, revocamus, caſſamus, irritamus, & nullius fore decernimus firmitatis. Nulli ergo &c. revocationis, caſſationis, irritationis, & conſtitutionis infringere &c. Datum Avenione X Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Quid ab Officiali actum ſit refert.

Reſcindit ut ſupra.

1. *Sententias.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulis VII & IX.*

2. *Waddingo.*) Laudat *Epiſtolam MCVII Tomi II Regeſti Anni XI Pontificatus Johannis XXII.*

Anno 1327 Die 1 Aprilis.

Archiepiſcopo Gneſnenſi, & Epiſcopis Poloniæ, ut Fratres Fidei cenſores, in Provincia Poloniæ, ab eorum Provinciali deputatos, habeant commendatos (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Gneſnen. (3), & ſuis Suffraganeis (4), ac Epiſcopo Caminenſi (5), & dilectis filiis univerſis aliis Eccleſiarum Pręlatis, in Regno Polonię conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a paſtorali ſolicitudine.

PRę cunctis noſtrę mentis deſiderabilibus, catholicę incrementum fidei affectantes, nimio utique dolore replemur, cum audimus, aliquos, vel ſentimus, ad illius depreſſionem, qualicunque malignitate ſatagere, vel damnabilibus ipſam depravando reprehenſionibus, aut detractionibus abrogabilibus derogando, ac commentis eandem mordacibus pervertendo, ad quorum iniqua conſternenda molimina, eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem pernicioſius eos agnoſcimus conſpirare. Cum igitur, ſicut accepimus, in Regno Polonię hoſtes Crucis de remotis partibus Alemanię, & Bohemię, & circumpoſitis Regionibus, frequenter, & latenter invadant ſimplices, & Catholicos dicti Regni, eoſque inficere, & a veritatis tramite deviare fallacium argumentationum impulſibus moliantur; Nos volentes contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius in Regno prędicto huiuſmodi ſerpat morbus, opportunum remedium per Sedis Apoſtolicę diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, ut negotium fidei jugi profectu, eliſis omnino quibuslibet erroribus, fortius invaleſcat, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Polonia, aliquos de Fratribus dicti Ordinis ſuę Provincię idoneos in Lege Domini eruditos, quorum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem, ad hujuſmodi opus dominicum exequendum, auctoritate Apoſtolica, deputati per partes ipſius Regni, & alias partes ſibi per Ordinem ſuum limitatas, eoſque amovendi, eiſque amotis, vel de hac luce ſubtractis, alios ſimiliter idoneos inſtituendi, quotiens ſibi viſum fuerit, plenam, & liberam conceſſimus per noſtras literas facultatem. Qui quidem Fratres, cum per ipſum Priorem ad hoc deputati fuerint, ut prędicitur, juxta, & ſecundum inſtituta canonica ſuper his promulgata auctoritate prędicta, Clero, & Populo convocatis, generalem prędicationem in dicto Regno, ubi, & quotiens expedire viderint facientes, Inquiſitionis officium contra labem hęreticę pravitatis diligenter, & ſolicite, prout Deus eis dederit, exequantur contra Hęreticos, Credentes, Fautores, Defenſores, & Receptatores eorum, juxta, & ſecundum eadem Statuta auctoritate pręfata nihilominus proceſſuri, & ſi aliqui hęretica labe penitus abjurata ad Eccleſię redire voluerint unitatem, ipſis juxta formam Eccleſię, ac ſecundum prędicta Statuta, beneficium abſolutionis impendant, & injungant eis, quod talibus eſt ſecundum Statuta hujuſmodi injungendum: Ideoque Univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente per Apoſtolica vobis ſcripta diſtricte pręcipiendo, mandantes, quatenus eoſdem Inquiſitores pro reverentia Divina, & Apoſtolicę Sedis, ac noſtra, benigne recipientes, & honeſte tractantes eos, in his, & aliis conſilium, auxilium, & favorem taliter impendatis, quod ipſi commiſſum ſibi officium exequi valeant inoffenſe, & Nos ſinceritatis veſtrę zelum poſſimus in Domino merito commendare. Datum Avenione Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo,

Fidei cenſores in Polonia conſtituti.

Mandatum.

1. *Commendatos.*) Conſule *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVII num. XVII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum tenet Conventus *Wratislavienſis*. Illud idem tranſcripſit *Bzovius* mox laudatus *num. XIX.*

3. *Gneſnen.*) Vulgo *Gneſna*, in *Polonia* majori, ſeu inferiori.

4. *Suffraganeis.*) Nunc, teſte *Johanne Carolo a Stadel* in Compendio Geographiæ Eccleſiaſticæ Parte I Cap. XIX, decem Suffraganeos habet *Gneſnenſis* Archiepiſcopus, Epiſcopos ſcilicet *Cracovienſem, in Polonia minori; Poſnanienſem, in majori; Plocenſem, in Maſſovia: Mednicenſem, in Samogitia: Lebuſienſem, in Marchionatu Brandeburgico: Uladislavienſem, in Cuiavia: Caminienſem, in Pomerania: Luceorienſem, in Volbinia: Vilnenſem, in Lithuania: Vindenſem, in Livonia.* Quatuor alios addit *Labbeus* in *Breviario Geographiæ Epiſcopalis* videlicet, *Culmenſem* Epiſcopatum unitum *Pomeſanienſi*, *Mazovienſem*, *Wratislavienſem*, & *Varmienſem* unitum *Sambienſi*.

5. *Caminenſi.*) Alias enim non Archiepiſcopo *Gneſnenſi*, ſed *Magdeburgenſi* ſuffragabatur *Caminenſis* Epiſcopus.

Anno 1327 Die 1 Aprilis.

Wladislao Poloniæ Regi Fidei cenſores commendat (1).

Ex Bzovio Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVII num. XVIII.

LVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Wladislao Regi Polonię illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Regis.

QUantum honoris, & laudis Deo, & univerſali Eccleſię, quantumque utilitatis, & exultationis Chriſtianitati provenit de multis, innumeriſque ſolicitudinibus, & laboribus indefeſſis, quos tu ad expiandas de Regno abominationes hęreticę pravitatis dudum exhibuiſti, ac inceſſanter exhibere dignoſceris, tua manifeſta opera, prout fide dignorum teſtimonio percepimus, manifeſtant. Tu namque velut victorioſus pugil ejuſdem Eccleſię, ac fidei chriſtianę zelator eximius, ad hoc ſemper tua vota feliciter direxiſti, ut exterminares inimicos Crucis, & tam fidei, quam Fidelium terminos dilatares. Cum igitur, ſicut accepimus, in Regno tuo Polonię, hoſtes Crucis de remotis partibus Alemanię, & Bohemię, & cir-

& circumpoſitis Regionibus, frequenter, & latenter invadant ſimplices, & Catholicos dicti Regni. eoſque inficere, & a veritatis limine deviare fallacium argumentationum impulſibus moliantur, Nos volentes contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius in Regno prędicto hujuſmodi ſerpat morbus, opportunum remedium per Sedis Apoſtolicę diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, ut negotium fidei jugi profectu, eliſis omnino quibuslibet erroribus, fortius invaleſcat, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum Polonię aliquos de Fratribus ſui Ordinis ſuę Provincię idoneos, in Lege Domini eruditos, quorum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem, ad hujuſmodi opus Dominicum exequendum auctoritate Apoſtolica deputandi per partes ipſius Regni, ſibi per Ordinem ſuum limitatas, ipſoſque amovendi, eiſque amotis, vel de hac luce ſubtractis alios ſimiliter idoneos Inſtituendi, quoties ſibi viſum fuerit, plenam, & liberam conceſſimus per noſtras literas (2) facultatem. Qui quidem Fratres, cum per eundem Priorem ad hoc deputati, ſeu inſtituti fuerint, ut pręfertur, juxta, & ſecundum inſtituta canonica ſuper his promulgata, auctoritate prędicta, Clero, & populo convocatis, generalem prędicationem in dicto Regno, ubi, & quoties expedire viderint, facientes, Inquiſitionis officium contra labem hęreticę pravitatis diligenter, & ſolicite, prout Deus eis dederit, exequantur: contra hęreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta, & ſecundum eadem Statuta auctoritate pręfata nihilominus proceſſuri; & ſi aliqui hęretica labe penitus abjurata, ad Eccleſię redire voluerint unitatem, ipſis juxta formam Eccleſię, ac ſecundum pręfata Statuta beneficium abſolutionis impendant, & injungant eis, quod talibus eſt ſecundum Statuta hujuſmodi injungendum. Ideo magnificentiam regiam rogamus, monemus, & hortamur attente, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus eoſdem Inquiſitores pro reverentia Divina, & Apoſtolicę Sedis, ac noſtra, benigne recipias, & honeſte pertractes, eis in his, & aliis conſilium, auxilium, & favorem taliter impendendo, quod ipſi commiſſum ſibi officium exequi valeant inoffenſe, & nos ſinceritatis tuę zelum poſſimus in Domino merito commendare; tuque exinde bonum, quod ſuis Fidelibus divina Clementia pollicetur, ad Divini nominis laudem, animę tuę ſalutem, dictique Regni exaltationem conſequi merearis. Datum Avenione Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Inquiſitores in Regno Poloniæ conſtituti.

Commendatio.

1. *Commendat.*) Adeas *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVII num. XVII.* Audiendus etiam *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXXVII num. XLVII. *His . . . temporibus*, inquit, *infernæ poteſtates Eccleſiam oppugnare omnium telorum genere anniſæ, promovebant artes magicas, ut nefarios, & curioſos a Chriſto omnino abducerent. Præterea Marſilii & Janduni hæreſibus . . . in Italia ac Germania præcipue inficiebant politicos: alios vero pietatis ſpecie in ſchiſma & hæreſim agebant præcipites. Graſſati enim in Boſſina, Sclavonia, & Tranſilvania, religionis larva induti, hæretici. Polonia ea labe non caruit, ad quam abolendam Prædicatores Fidei Cenſores in eo Regno ſunt conſtituti.*

2. *Literas.*) Sequentes.

Provinciali Poloniæ, ut Fidei Cenſores in Provincia ſua conſtituat (1).

Anno 1327 Die 29 Aprilis.

Ex Bzovio Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVII num. XX.

LVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Polonia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter alia, quę nobis ex Apoſtolatus incumbunt officio, animarum pręcipue nos convenit invigilare ſaluti, ut eas Regi Regum, qui nos illarum, licet immeritos, voluit pręeſſe regimini, lucrifacere, ſua nobis cooperante gratia, valeamus. Verum, quia non eſt acceptum apud Deum obſequium, quod ſine fide pręſtatur, nec pervenitur ędificio operum ad ſalutem, quod ſupra firmitatem fidei non conſurgit. ad propagandam eam, & confirmandam mentibus hominum intentione tota, omnique ſolicitudine & verbi ac operis efficacia laborare debemus, ut Chriſtiana Religione latius diffuſa per orbem Patris Æterni Filius multiplicatis ſervitoribus plenius honoretur. Porro plures oppoſitę intentionis proſequentes affectum, in contrarium ſtudia malignitatis exercent, dum fidem ipſam detractionis jaculis feriunt, & eam de fidelium abolere pectoribus, adverſi dogmatis inſtructione, conantur. Quibus ſic eſt cura vigili, & labore ſedulo, aſſumptis armis ſpiritualibus, reſiſtendum, ut eorum deteſtandum propoſitum & conamen, auxiliante Domino, penitus vacuetur, & Fide Catholica per Chriſti pugiles virtuoſe defenſa, nomen Domini glorioſum, dignis ſemper laudibus efferatur. Cum igitur, ſicut accepimus, in Regno Polonię hoſtes Crucis de remotis partibus Alemanię, & circumpoſitis Regionibus, frequenter, & latenter invadant ſimplices Catholicos dicti Regni, eoſque inficere, & a veritatis limine deviare, fallacium argumentationum impulſibus moliantur, nos volentes contra talium doloſam aſtutiam, ne diffuſius in Regno prędicto hujuſmodi ſerpat morbus, opportunum remedium per Sedis Apoſtolicę diligentiam adhiberi, ac cupientes anxie, ut negotium fidei, jugi profectu eliſis omnino quibuslibet erroribus, fortius invaleſcat, diſcretioni tuę aliquos de Fratribus tui Ordinis, tuę Provincię idoneos, in Lege Domini eruditos, quorum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & doctrinam fundant erudita labia ſalutarem ad hujuſmodi opus Dominicum exequendum auctoritate Apoſtolica deputandi per partes ipſius Regni, & alias partes, tibi per Ordinem tuum limitatas, ipſoſque amovendi, ipſiſque amotis, vel de hac luce ſubtractis, alios ſimiliter idoneos inſtituendi, quotiens tibi viſum fuerit. plenam, & liberam concedimus, tenore pręſentium facultatem. Qui quidem Fratres cum per ſe ad hoc deputati, ſeu inſtituti fuerint, ut pręfertur, juxta, & ſecundum Inſtituta canonica ſuper his promulgata, auctoritate prędicta, Clero, & populo convocatis, generalem prędicationem in dicto Regno, ubi, & quotiens expedire viderint, facientes, Inquiſitionis officium contra labem hęreticę pravitatis diligenter, & ſolicite, prout eis Deus dederit, exequantur. Contra hęreticos, credentes, fautores, defenſores, & receptatores eorum, juxta, & ſecundum eadem Statuta, auctoritate pręfata, nihilominus proceſſuri. Et ſi aliqui

Mandatum.

labe

labe hęretica penitus abjurata, ad Eccleſię redire voluerint unitatem, ipſis juxta formam Eccleſię, ac ſecundum pręfata Statuta, abſolutionem impendant, & injungant eis, quod talibus eſt ſecundum Statuta hujuſmodi injungendum. Attentius proviſuri, ne qui videntur reverti, ſub palliata ſpecie pietatis, impietatem committant, & angelus ſatanę in lucis angelum transformetur; Propter quod Statuta ſuper hęc promulgata reſpicere poterunt, & ab eorum Inſidiis ſecundum diſcretionem, eis traditam a Domino, pręcavere. Ad hęc, ut iidem Inquiſitores, ſuper pręmiſſis omnibus officium ſibi commiſſum libentius, & efficacius poſſint exercere, omnibus, qui ad prędicationem eorum acceſſerint, in ſingulis ſtationibus, viginti dies; illis vero, qui ad impugnandos hęreticos, fautores, receptatores, & defenſores eorum, in munitionibus, & caſtellis, vel alias contra Eccleſiam rebellantes, ipſis ex animo auxilium, conſilium, pręſtiterint, vel favorem, tres annos, de injuncta ſibi pęnitentia, auctoritate Apoſtolica relaxandi; & ſi qui ex eis, in proſecutione ejuſmodi negotii forte deceſſerint, eis omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, plenam Indulgentiam concedendi; ac ne aliquid Fratribus ipſis deſit ad prędictum negotium proſequendum, in contradictores, & rebelles Eccleſiaſticam proferendi cenſuram; Prędicatores quoque quęſtuarios, quorum intereſt caritativa tantum ſubſidia ſimpliciter petere, ac Indulgentiam, ſi quam habent, exponere, a prędicationis officio, quod ad illos nullatenus pertinet, compeſcendi, cenſura ſimili, tenore pręſentium, liberam eis concedimus facultatem. Datum Avenione III Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Indulgentia concessa.

1. *Conſtituat.) Hac Johannes Pontifex pro vigilantia paſtorali Provinciali Poloniæ committebat*, inquit *Bzovius* ad an. MCCCXXVII num. XXI. *Fungebatur eo tunc officio F. Petrus de Cotomais Provincialis Ordinis Prædicatorum Provinciæ Poloniæ, qui hanc unam curam curabat, ut Quæſitores Fidei ad amuſſim præſcriptam, in locis deſignatis præficeret. Hi porro zelo amplificandæ Orthodoxiæ inflammati, necnon dolore propter pereuntes fraudibus hæreticorum animas vehementiſſime commoti, omnibus viribus incumbebant, ut, errore profligato, erroribuſque refrænatis, fidei catholicæ majeſtas in ſuo candore ab omnibus amplecteretur. Juvit Inquiſitorum conatus Rex Uladiſlaus, datis ubique mandatis, ut Præfecti Urbium eos in exercendo officio adjuvarent. Javerunt & alii pientiſſimi Reges, & inter hos Wladiſlaus Jagello, fere poſt centum annos, quando hæreſis Huſſica Poloniam pervaſerat, publicatis edictis contra pervicaces. Ex hoc uno, quod adjungo, quam amplam poteſtatem illis Jagello permiſerit, facile eſt conjicere &c.* Hæc ille, quem conſulas velim.

Anno 1327 Die 5 Septembris.

Omnes qui Miſſæ Sacrificio in Ædibus Sacris Fratrum Prædicatorum & Minorum Toloſæ celebrando ſtatutis diebus interfuerint, Indulgentia (1) donat.

Ex Percino in Monumen. Conventus Toloſani Parte II pag. 155 num. II.

LVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Scholaribus Toloſę Literarum Studiis inſiſtentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Deſideriis veſtris libenter annuimus in his pręſertim, ex quibus ſpiritualis profectus quęritur, & animarum Salus Fidelibus procuratur. Sane dudum felicis recordationis Clemens Papa V Prędeceſſor noſter ex oblatę ſibi petitionis veſtrę ſerie, intellecto, quod vos in Eccleſia Fratrum Ordinis Prędicatorum Toloſanenſium ſingulis diebus Dominicis faciebatis miſſam(a) in honorem B. Marię ſemper Virginis celebrari, cupiens divinum cultum plenis deſideriis augmentari, omnibus, tam vobis, quam aliis, qui annis ſingulis tempore videlicet Adventus, & Quadrageſimę Domini, hujuſmodi Miſſę devote intereſſetis, dummodo vos & ipſi tempore celebrationis hujuſmodi Miſſę, vel infra XV dies tunc immediate ſequentes extiteritis pęnitentes veraciter, & confeſſi, centum dies de injunctis vobis pęnitentiis miſericorditer relaxavit: prout in dictis literis (2) Prędeceſſoris ejuſdem, inde confectis, plenius continetur. Cum autem, ſicut oblata nobis veſtra petitio continet, Vos in Feſtivitatibus ejuſdem Virginis glorioſę interdum in dictorum FF. Prędicatorum, interdum vero FF. Minorum Toloſanis Eccleſiis celebrari Miſſas in honorem ejuſdem Virginis ſolemniter faciatis. Nos hujus ejuſdem Prędeceſſoris gratiam ampliare, ac devotionem veſtram ad laudem ejuſdem Virginis, donis Spiritualibus proſequi cupientes: omnibus tam vobis, quam aliis, qui in ſingulis ejuſdem Virginis glorioſę Feſtivitatibus celebrationi hujuſmodi Miſſę curaveritis intereſſe, dummodo Vos, & ipſi tempore celebrationis hujuſmodi Miſſę, vel infra octo dies, ex tunc immediate ſequentes, vere pęnitentes fueritis, & Confeſſi, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli auctoritate confiſi, centum dies de injunctis vobis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Avinione Nonis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Exordium.

Nota.

Indulget ut ſupra.

1. *Indulgentia.)* Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I, te III Cap. I, II, & IX* ad calcem *Monument. Conventus Toloſani pag. 193.*

2. *Miſſam.)* Adeas *Percinum de Academia Toloſana Par-*

3. *Literis.)* Deſiderantur.

Ut

Ut Carolus (1) Rex Franciæ, ceterique, quibus ipſe Carolus conceſſerit, Monaſterium de Piſciaco (2) ingredi (3) poſſint.

Anno 1327 Die 10 Novembris.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

LIX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Franciȩ, & Navarrȩ illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HAbet in nobis celſitudinis tuȩ ſincera devotio, per quam noſtram, & Apoſtolicȩ Sedis, benevolentiam tibi vindicas & favorem, ut, quȩ a Nobis affectuoſe depoſcis, gratioſe ac favorabiliter conſequaris. Hinc eſt quod nos tuis ſupplicationibus inclinati, ut tu, ac ſucceſſores tui, Reges Franciȩ, qui erunt pro tempore, Monaſterium Sororum Sancti Ludovici de Piſciaco Ordinis Sancti Auguſtini ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prȩdicatorum viventium, Carnotenſis Diȩceſis, per tuos, ut aſſeris, progenitores fundatum, ad quod ſpecialis geris devotionis affectum, intrare, ac, cum in propria perſona monaſterium ipſum te intrare continget, perſonis de genere tuo viris videlicet, ac mulieribus, & aliquibus aliis notabilibus, honeſtiſque perſonis, ſi tunc ſuper hoc fueris requiſitus, auctoritate Apoſtolica intrandi monaſterium prȩlibatum, licentiam valeas impertiri, quodque perſonȩ ipſȩ quibus licentiam hujuſmodi te dare contigerit, unam vel duas duntaxat perſonas honeſtas ſecum ducere poſſint, quibuſcunque ſtatutis, ac conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prȩdictorum, ac Conſtitutionibus editis, nec non privilegiis, & indulgentiis ab Apoſtolica Sede conceſſis nequaquam obſtantibus, celſitudini tuȩ tenore prȩſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrȩ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prȩſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni, IV Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Supplex Regis Petitio. Conceſſio. Sanctio pœnalis.

1. *Carolus.*) *IV.*
2. *Piſciaco.*) Conſulenda *Conſtitutio XII Clementis V.*
3. *Ingredi.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
4. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Autographum eſt in Monaſterio *de Piſciaco.*

Cum aliquis ſepelitur in Monaſterio Piſciacenſi, ipſum ingredi (1) poſſunt etiam laici.

Anno 1327 Die 10 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſȩ, ac Conventui Monaſterii Sororum Sancti Ludovici de Piſciaco, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prȩdicatorum viventium, Carnotenſis Diȩceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EXimiȩ devotionis affectus, quem cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus Rex Franciȩ, & Navarrȩ illuſtris, ad Apoſtolicam Sedem gerere noſcitur, promeretur, ut petitionibus ſuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod nos ejuſdem Regis, veſtriſque ſupplicationibus inclinati, ut tu, filia Prioriſſa, & Prior qui per dilectos filios Fratres Ordinis Prȩdicatorum in veſtro Monaſterio fuerit deputatus, vel ipſius Prioris locum tenens, quotieſcunque Fratres dicti Ordinis, ſeu Sorores Monaſterii veſtri prȩdicti, aut etiam aliquas perſonas alias Seculares, in dicto Monaſterio veſtro ſepeliri contigerit, intrandi dictum Monaſterium veſtrum, Fratribus dicti Ordinis, ac Secularibus perſonis, prout vobis expediens videbitur, juxta honeſtatem, & reverentiam perſonarum ibidem confluentium, dummodo Fratres, & Seculares perſonȩ hujuſmodi inibi non comedant, nec pernoctent, auctoritate Apoſtolica valeatis, licentiam impertiri, quibuſcunque ſtatutis, ac conſuetudinibus Monaſterii & Ordinis prȩdictorum, ac Conſtitutionibus editis, & privilegiis, ac indulgentiis ab Apoſtolica Sede conceſſis contrariis nequaquam obſtantibus, devotioni veſtrȩ, auctoritate prȩſentium, indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrȩ conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prȩſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione IV Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Conceſſio. Clauſula derogans. Sanctio pœnalis.

1. *Ingredi.*) Legendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum eſt in Monaſterio *Piſciacenſi.*

Anno 1327 Die 10 Novembris.

Ut Fratres ad excipiendas Confeſſiones ægrotantium, & Medici ad ægrotantes inviſendas, Monaſterium de Piſciaco ingredi (1) poſſint.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sororum Sancti Ludovici de Piſciaco per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Carnotenſis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. VEſtrę Religionis honeſtas necnon cariſſimi in Chriſto filii noſtri Caroli Regis Francię, & Navarrę, illuſtris precamina nos inducunt, ut vos illa gratia proſequamur, quam neceſſitatibus veſtris fore credimus opportunam. Ipſius igitur Regis nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, & veſtris precibus favorabiliter annuentes, ut Medici ad viſitandum ęgrotas Sorores, necnon & Fratres Ordinis Prędicatorum ad audiendum confeſſiones Sororum Monaſterii veſtri de Piſciaco, Carnotenſis Dięceſis deputati, Conceſſio. ſeu etiam deputandi, pro audiendis confeſſionibus a Sororibus ejuſdem Monaſterii graviter ęgrotantibus, quę tamen in lectis propter ęgritudinem decumbentes accedere nequeant ad loca ad audiendas Confeſſiones hujuſmodi deputata. prędictum Monaſterium intrare licite, dictique Medici ipſas viſitare Sorores, & Confeſſores prędicti ipſarum audire confeſſiones, de licentia tamen & ordinatione tui, filia Prioriſſa, & Prioris qui per dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum in dicto Monaſterio pro tempore Clauſula derogans. fuerit deputatus, vel ejuſdem Prioris locum tenentis valeant; proviſo etiam per Priorem, ſeu locum tenentem prędictos, quod ex eorundem Medicorum, & Confeſſorum ingreſſu ob cauſam hujuſmodi, in prędicto Monaſterio habendo, nulla poſſit mali ſuſpicio exoriri; quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum, ac Conſtitutionibus editis, & privilegiis, ac indulgentiis ab Apoſtolica Sede conceſſis contrariis nequaquam obſtantibus, devotioni veſtrę auctoritate pręſentium indul- Sanctio pœnalis. gemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni IV Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Ingredi.*) Conſulenda præcedentia Diplomata.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi.*

Anno 1328 Die 9 Maii.

Fidei Præcones (1) quos Indulgentia Plenaria donat, ad Infidelium regiones mittendos jubet.

Ex *Archivo* (2) *Ordinis.*

LXII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Prioribus Provincialibus Ordinis Prędicatorum in Toloſano Capitulo congregandis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ordinis encomium. INexplicabili deſiderantes affectu, & ſummo ſtudio perquirentes, quod divini cultus officium, jam in pleriſque gentilium partibus, auctore Domino, propagatum, eo indeſinentius frequentetur, & vigeat, quo miniſtris potioribus invaleſcat, ſollicita deliberatione providimus, ut in hac veſtra Congregatione ſalubri, in qua Dominus Deus noſter, de cujus dilatatione nominis agitur, medius noſcitur conſtitutus, per vos, filii, ordinetur, provideatur, & fiat, quod de Ordine veſtro, qui, inſpirante Deo, velut cęlum micat ſtellis, ſic perſonarum numero, & virtute coruſcat, ad minus quinquaginta Fratres ad hoc voluntarii, nimis tamen, nec juvenes, nec antiqui, ſed bene religioſi alias, & diſcreti, ac ſufficientes competenter, clerici mittantur (3), ad partes dictorum gentilium per ſingulos Ordinis prędicti Conventus ad exercenda ibi Divina Myſteria, prout expediens fuerit, dividendi. Quocirca univerſitatem, & diſcretionem veſtram monemus, requirimus, & hortamur attente, nihilominus vobis per Apoſtolica ſcripta injungentes, quatenus pręmiſſa celeriter exequi ſtudeatis: Nos enim omnibus & ſingulis prędictis Fratribus, quos ad hoc duxeritis taliter eligendos, & tranſeundi ad partes prędictas licentiam, ac nihi- Mandatum. lominus illis, & ipſorum ſingulis, quos illuc tranſire contigerit, ut ſpirituali munere invitentur, Indulgentiam, quam merentur transfretantes ultra mare in Terrę Sanctę ſubſidium, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium elargimur. Datum Avenione VII Idus (4) Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Præcones.*) *Ad congregatos Patres in Capitulo*, inquit *Fontana* Monument. Dominican. Parte II Cap. II pag. 193, *alias Apoſtolicas, literas direxit Johannes Pontifex, exhortans illos, ut pro dilatatione Evangelii ſeligerent Patres idoneos, qui decertarent in gentilium converſione ad Chriſtum, ſpecialem Indulgentiam tribuens iis, qui ad hoc ſubeundum Apoſtolicum miniſterium ad gentes properaſſent.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Actis Capituli Generalis Toloſani an. MCCCXXVIII.* Legitur apud *Fontanam* loco citato, & *Odoricum Raynaldum Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCXXVIII. num. LXXXIV.* Meminit F. *Carolus a S. Vincentio in Chronologia Miſſionum pag.* 101.

3. *Mittantur.*) *Pontificis Maximi piis votis facturi Patres in eodem Capitulo congregati tale ſanxere decretum: Cum Sanctiſſimus Pater & Dominus noſter Summus Pontifex Magiſtro Ordinis & Diffinitoribus Capituli Generalis apud Toloſam nuper celebrati literas exhortatorias commiſerit, pro Fratribus ſufficientibus ad gentes convertendas ad Fidem Chriſti,* mit-

mittendis, cum plena Indulgentia, quæ ſolet dari tranſeuntibus ad Terram Sanctam, ſignificamus Fratribus univerſis, quod R. P. Magiſter Ordinis commiſit ſingulis Provincialibus, quod aſſignare poſſint Fratres de ſuis Provinciis, quos ad hoc repererint voluntarios, non nimis juvenes, nec nimis antiquos, bene religioſos, diſcretos, ac ſufficienter literatos, Societati Peregrinantium propter Chriſtum; qui ſic aſſignati ad ſuas non poſſint revocari Provincias, quouſque ibidem experti noverint, quem fructum per eos inter infideles fecerit Jeſus Chriſtus: ipſique Provinciales ſtudeant quantocius Magiſtro Ordinis intimare, quot, quos, & quales Fratres de ſuis Provinciis invenerint ad hoc opus aptos; tenorem autem dictæ literæ Sanctiſſimi Domini noſtri mittit Magiſter Ordinis loco ſuæ literæ, per totum Ordinem in Actis Capituli Generalis ſcriptæ. Fontana loco laudato, ex Actis Capituli Generalis Toloſani.

4. *VII Idus.*) *Odoricus* ſcribit *VI Kalendas.*

Archiepiſcopo, & Clero Burdigalen. (1), ut Prædicatores, & Minores Fratres habeant commendatos.

Anno 1328 Die 28 Junii.

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tom. III in Regeſto pag. 189.

LXIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Burdegalen. & dilectis filiis Majoris (3), & Sancti Severini, Capitulis, necnon Curatis, & Rectoribus Parochialium Eccleſiarum Civitatis, & Suburbiorum Burdegalen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRavem dilectorum filiorum Prędicatorum, & Minorum Fratrum Ordinum Burdegalen. querelam non abſque admiratione recepimus, continentem, quod vos, filii Curati, & Rectores, jam per annum, & amplius in Eccleſiis veſtris, voſque Majoris, & S. Severini Eccleſiarum Burdegalen. Canonici, in aliqua proceſſione communi non permiſiſtis, nec permittitis, eoſdem Fratres Prędicatores, & Minores proponere Verbum Dei; propter quod tam Civitas Burdegalen. dolens, & deflens ſubtractum ſibi ſolitum pabulum Verbi Vitę, necnon dilectus filius Seneſcalcus Vaſconię, quam etiam dicti Fratres, ne Verbum Dei (4) in prejudicium populi Civitatis ejuſdem, & ſuarum etiam periculum animarum ſine cauſa diutius maneat alligatum, ad Nos ſuper hoc humiliter recurrentes, nobis pia precum inſtantia ſupplicarunt, ut eis in premiſſis conſulere paterna ſolicitudine curaremus. Nos igitur, fel. record. Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri in hac parte veſtigiis inhęrentes, vos univerſos, & ſingulos pręſentium tenore rogamus, & exhortamur attente, vobis nihilominus, diſtricte pręcipiendo, mandantes, quatenus pro divina, & Apoſtolicę Sedis reverentia, atque noſtra, prędictos Ordines, & Profeſſores eorum habentes affectu benevolo commendatos, Fratribus ipſis non vos difficiles, graves, duros, aut aſperos, ſed potius favorabiles, propitios, & benignos, piaque munificentia liberales, ſtudeatis iuxta Conſtitutionem eandem, tanquam cooperatores veſtros ideos (5), & laborum veſtrorum participes, prompta benignitate recipere, & affectuoſe admittere minime omittatis, ut proinde vobis ęternę beatitudinis pręmium augeatur, & animarum ſalutis incrementa felicia procurentur. Nec vos lateat, quod ſi ſecus a vobis agi fortaſſe contigerit, in hac parte Nos diſſimulare, ſeu pręterire, ſalva conſcientia, non poſſumus, quin contra vos tanquam tranſgreſſores Conſtitutionis ejuſdem, & exhortationum, ac juſſionum noſtrarum temerarios contemptores, debite procederemus, prout contemptus, & temeritatis hujuſmodi qualitas poſtularet. Datum Avinione IV Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Fratres Burdigalæ durius tractantur.

Mandatum.

Fratres cooperatores Epiſcoporum, ac Parochorum.

1. *Burdigalen.*) Seu *Burdegalen.*, vulgo *Bourdeaux*, in *Aquitania*. Hujus autem Diplomatis cauſam paucis exponit *Waddingus Annal. Minor. ad an. MCCCXXVIII num. XXXIV* dicens: *Tulit ſententiam anno Superiori Pontifex in favorem Prædicatorum, & Minorum, qua irritum & nullum voluit proceſſum contra eoſdem compactum per Officialem Archiepiſcopi Burdigalenſis, & revocavit cenſuras in eoſdem latas, qua irritati Curati, Rectores, & Canonici Eccleſiarum in nulla Proceſſione, ſeu ſupplicatione publica eos admittebant. Scripſit hoc anno Pontifex Archiepiſcopo, & reliquo Clero, ne adeo graves, duros, aut aſperos, ſed favorabiles, propitios, & benignos erga eos ſe ſtuderent exhibere.*

2. *Waddingo.*) Citat *Epiſtolam IIMCCVIII Libri III Regeſti XII Johannis XXII.*

3. *Majoris.*) Eccleſiæ ſcilicet Metropolitanæ.

4. *Verbum Dei.*) Videas *Tractatum de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

5. *Ideos.*) *Idoneos.*

Priori Conventus noſtri Urbevetani, aliiſque duobus, ut perſcriptam quæſtionem de vita, ac Miraculis Venerabilis Philippi (1) Bituricenſis Archiepiſcopi ſibi Summo Pontifici mittant.

Anno 1329 Die 14 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Roberto de Albanlpe de Ceya in Eccleſia Legionen. Rectori, & .... (3) Theſaurario Patrimonii B. Petri in Tuſcia, ac Priori Fratrum Ordinis Prędicatorum Urbevetan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIgnificarunt nobis venerabilis Frater noſter Archiepiſcopus, & dilecti filii Decanus, & Capitulum Bituricen., quod dudum de vita, meritis, & miraculis pię memorię Philippi Archiepiſcopi Bituricen., odore ſanctę, & laudabilis famę longe, lateque fragrante, de mandato Sedis Apoſtolicę, tunc in Urbevetan., ſeu in Civitate Viterbii reſidentis, de vita, & miraculis ſupradictis quędam inquiſitiones habitę extiterunt; quodque dilectus filius Magiſter Manfredus de Montiliis Theſaurarius Eccleſię Briocen. (4). tunc in Patrimonio B. Petri in Tuſcia moram trahens, ac de mandato noſtro antiqua perquirens depoſita Sedis ejuſdem, inter cetera depoſita, in Sacriſtia, ſeu majori depoſito loci Fratrum Ordinis Prędicatorum Urbevetan. (5) reperit unum Scrineum (6), certis ſigillis ſigillatum, habens affixam quamdam Ce-

Archiepiſcopi Bituricenſis & aliorum ſupplex petitio.

Supplex petitio.

Perſcripta hæc Inquiſitio apud Fratres noſtros Urbevetanos depoſita.

Mandatum.

Cedulam; verba continentem infraſcripta, videlicet; Hęc ſunt inqueſtę, ſeu inquiſita, dicta, & atteſtationes factę de vita, & miraculis Venerabilis Viri Domini Philippi, quondam bonę memorię Bituricen. Eccleſię Archiepiſcopi, dictumque depoſitum penes Priorem & Fratres dicti loci, in eadem Sacriſtia, ſeu loco, in quo erat, dimiſit, nec ſecum portare voluit, cum ad hęc mandatum aliquod non haberet. Quare pręfati Archiepiſcopus, Decanus, & Capitulum ſuper recuperatione dictorum Actorum, ſeu inqueſtarum ſolicitudinis noſtrę partes humiliter implorarunt. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel per alium, ſeu alios faciatis vobis per Fratres prędictos hujuſmodi depoſitum dictarum inqueſtarum, ſeu actorum, aſſignari, illudque alicui de ſocietate dilectorum filiorum Mercatorum de Bardis de Florentia, vobis pręſentes litteras deferenti, tradere, & aſſignare curetis; procuraturi, & facturi, quod dictum depoſitum per dictam ſocietatem, quanto fidelius, & ſecurius fieri poterit, apportetur, Nobis per dictam Societatem fideliter aſſignandum. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus, ſi eiſdem Fratribus, ab eadem Sede indultum exiſtat, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ac etiam Indulgentia, qua fili Prior, Ordini tuo a Sede Apoſtolica dicitur eſſe conceſſum, quod ipſius Ordinis Fratres non teneantur ſe intromittere de quibuſcumque negotiis, quę ipſis per ejuſdem Sedis litteras committuntur, niſi in eis de conceſſione hujuſmodi plena & expreſſa mentio habeatur. Datum Avinion. XIX Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.

1. *Philippi*.) De quo in *Conſtitutione Johannis XXII*, data XIX Kalend. Januarii, Pontificatus anno *VIII*.

2. *Archivo*.) In quo Autographum. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Et* ....) Quiſnam tunc officio Theſaurarii fungeretur, me fugit.

4. *Briocen*.) Vulgo *S. Brieu*. Epiſcopalis eſt hæc Eccleſia *Galliæ Celticæ*, ſub Archiepiſcopo *Turonenſi*.

5. *Urbevetan*.) *Orvieto*.

6. *Scrineum*.) Seu *Scrinium*.

Anno 1329 Die 22 Februarii.

Magiſtro Generali, ut Fratres ex Italiæ locis a Summo Pontifice deficientibus pulſi, in Caſtris Sancti Geminiani, Sancti Miniatis, & Montis Politiani Cœnobia ponant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio .... Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis.

Nota.

Fratres Prædicatores ex Civitatibus a Summo Pontifice deficientibus depulſi.

Conceſſio.

Decretum derogans.

SAcer Ordo tuus in agro dominico Divina diſpoſitione plantatus, amplius, ut latius diffundatur per Orbem, ab Apoſtolica Sede meretur attolli, quo ipſius Profeſſores erga Sedem ipſam per ingentis devotionis conſtantiam, & bonorum ſtudia operum, ad robur, & munimentum fidei Orthodoxę ſe exhibent plus devotos. Sane, exhibita Nobis, tua petitio continebat, quod propter rebellionem, quam Piſan. (3), Lucan., Aretin., Caſtellan., Viterbien., Tudertin., Tiburtin., Civitatum, & Villę Sarzanen. (4), Lunen. Diœceſis, Communia contra Romanam Eccleſiam aſſumpſerunt, ac adhęſionem, quam fecerunt Ludovico de Bavaria hęretico, & de hęreſi condempnato (5) Fratres ejuſdem Ordinis in prędictis locis ſoliti immorari, ab eiſdem locis recedere ſunt coacti, & ad alia loca ejuſdem Ordinis Eccleſię prędictę devota confugere. Quodque Fratres prędictorum locorum devotorum propter paupertatem ipſorum, eoſdem Fratres confugientes nequeunt ſuſtentare. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut providere tibi, & eis ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, recipiendi loca de novo in de Sancto Geminiano, & de Sancto Miniato, ac de Monte Policiano Caſtris, Wlteran., Lucan., & Aretin. Diœceſum, in ſingulis videlicet eorum. ſi alias a te iuſto titulo acquirantur, in quibus prędictos confugientes, & alios Fratres dicti Ordinis, quos expedire videris, valeas collocare; dummodo in quolibet eorundem locorum recipiendorum duodecim Fratres, inibi commorantes, congrue, & honeſte valeant ſuſtentari, ac in eis conſtruendi Oratoria, Domos, & neceſſarias officinas: Non obſtan. fel. rec. Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, qua inhibetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, vel loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quęcunque recipere de novo pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & quolibet alia Conſtitutione contraria: ſeu ſi perſonis aliquibus eccleſiaſticis, vel ſecularibus locorum eorundem, a prędicta ſit Sede indultum, quod nullis Religioſis Mendicantibus, liceat loca de novo in eiſdem Caſtris, & locis, ſine eorum conſenſu recipere, etiam de licentia dictę Sedis, niſi in hujuſmodi licentia de prędicto Indulto, ejuſque tenore de verbo, ad verbum fiat mentio ſpecialis, plenam, & liberam tibi concedimus, auctoritate pręſentium, facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Avenion. VIII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertiodecimo.

1. *Ponant*.) *Eiectis Patribus noſtris ex Civitatibus pluribus Romanæ Provinciæ, Johannis Pontificis cauſam defenſantibus ...., cum non haberent ubi caput ſuum ſecuri reclinarent in prædictis Civitatibus, idem Pontifex ex intimis præcordiis ipſorum miſertus, facultatem dedit P. Barnabæ de Vercellis, Magiſtro Generali, fundandi novos Conventus apud Montem-Politianum, Sanctum Miniatem, & Sanctum Geminianum*. Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. II pag. 196.

2. *Archivo*.) In quo Autographum. Aliud aſſervatur in Archivo Cœnobii *S. Geminiani*. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur in Bullario *Uſuſmaris pag.* 83., & apud *Fontanam* mox laudatum, ubi variis mendis ſcatet.

3. *Piſan*.) In *Italia*, ubi ceteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.

4. *Sarzanen*.) Urbs *Sarzanenſis* hic dicitur *Lunenſis* Diœceſeos, quia licet *Innocentius III* anno MCCIV Cathedralem Eccleſiam *S. Baſilii* ob aeris intemperiem e ruinis *Lunenſis*, *Sar-*

Sarzanam tranſtuliſſet, ut ex Regeſtis Pontificiis probat *Ughellus Tomo I Italia Sacra in Epiſcopis Lunenſibus*, nondum tamen Eccleſia *Sarzanenſis* erat Epiſcopalis. Hac ſiquidem dignitate donata fuit *Sarzana* ſedente *Nicolao V*, qui *Ughello* teſte, loco laudato, *Eccleſiam Lunenſem cum Sarzanenſi perpetuo univit, cum utriuſque Eccleſia denominatione*.

5. *Condempnato*.) Sententias in *Ludovicum Bavarum* latas refert *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. XXX; MCCCXXIV numeris II, XIII, XXI &c.*

Fratribus noſtris Eccleſiæ paci conſulentibus plaudit, ipſorumque precibus ſe commendat (1).

Anno 1329 Die 11 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, & ceteris Fratribus eiuſdem Ordinis, Ciſtarici (3) in eodem Capitulo congregatis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Quam procelloſis commotionum fluctibus, quamque periculoſis turbinibus tempeſtatum, hoſtis ille humani generis, qui ab initio in veritate non ſtetit, cum ſuis nequiſſimis miniſtris, Petri naviculam, ut operiretur fluctibus, viſus eſt his temporibus agitare, veſtra prudentia non ignorat, cum ex iis etiam nonnulli ex veſtri Ordinis Fratribus tribulationes, & perſecutiones varias, quorum fidem, & conſtantiam ſuper eis commendamus multipliciter in Domino Jeſu Chriſto, qui cum cęlos aſcenderet eidem Eccleſię in perſona Apoſtolorum promiſit uſque in finem ſeculi ſecum eſſe in pace, ſua clementi pietate, videtur imperaſſe tempeſtatibus hujuſmodi, ut quieſcant; Nos ipſi Salvatori noſtro in cujus miſericordia fiximus, & figimus anchoram ſpei noſtrę, gratiarum actiones exſolvere pro tantis beneficiis, collatis eidem Eccleſię, non ceſſamus: ſinceritatem veſtram attentius exhortantes, quatenus hoc idem per veſtrum Ordinem fieri, devotaſque orationes ordinetis effundi (4), ut Deus ipſe cujus perfecta ſunt opera, quod tam benigne cępit in hac parte perficere, ad ſui gloriam, & honorem nominis, ac ejuſdem exultationem Eccleſię, Fideique dilatationem Catholicę, ceſſantibus adverſitatibus, & deſtructis erroribus univerſis, ſolidare dignetur; Noſque, quibus, licet immeritis, tanti ſarcinam impoſuit oneris, mole ipſius non ſinat opprimi; ſed ſic debilitatem noſtram ſua potenti virtute fulciat, & ſuſtentet, quod ſemper quę ſuis grata ſunt oculis exequentes, una cum grege nobis commiſſo dirigamur ad ſalutaria, & poſt vitę pręſentis decurſum, perennis mercedem pręmii de ſua plenitudine gratię conſequamur. Ceterum cum circa dictum Ordinem, ne quidquam in eo reperiatur incongruum, ſeu cujuſvis indecentię nota reſperſum, ſed ſic in eo potius honeſtatis ſplendor eluceat, quod in ſui auctore delectetur Altiſſimus, & merito Eccleſia Generalis exultet, vos curam deceat ſedulam adhibere, exhortationibus noſtris adiicimus, ut ad hęc, & alia ſalubria in pręſenti veſtro Capitulo, divina vobis aſſiſtente gratia, ordinanda, vigilantibus ſtudiis intendatis. Datum Avenione III Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimotertio.

Exordium ab encomio Ordinis.

Nota Fratrum pro S. Sede conſtantiam.

Mandatum.

1. *Commendat*.) *Anno MCCCXXIX*, inquit *Fontana* Monument. Dominican. Parte II Cap. II pag. 194, *celebratum eſt Capitulum Ordinis apud Ciſtaricum, in quo iterum injunctum eſt Fratribus cunctis, ut partes ſuſceptas pro Johanne Pontifice Maximo proſequerentur, impietatem, ac perſecutiones a Ludovico Bavaro Eccleſia illatas referentes; quod in ſuis ſacris prædicationibus complentes Fratres, ita ejuſdem Ludovici odium in ſe concitarunt, ut de eis trucidandis ac perdendis decreverit ipſe, ſicut ſequenti anno molitus eſt ... Patribus igitur in Capitulo congregatis tales Apoſtolicas literas direxit, orationum auxilia in ſuis calamitatibus ab eiſdem enixe petens Johannes Pontifex*.

2. *Archivo*.) In quo exemplar in Actis Capituli Generalis *Siſtaricenſis*. Legitur apud *Fontanam* loco laudato. Meminere *Carolus* noſter *a S. Vincentio in Chronologia Miſſionum pag. 101*, & *Odoricus Raynaldus annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIX num. LXIX.*

3. *Ciſtarici*.) Vulgo *Siſteron* in *Gallo-Provincia*. Urbs eſt Epiſcopalis quæ *Siſtarica*, *Segeſtorum Urbs*, *Segeſtero*, & *Seguſtero* nuncupatur.

4. *Ordinetis effundi*.) Ordinationis tenorem refert *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. II pag. 194*. Addit *Odoricus Raynaldus* loco citato: *Nec vanas Pontificis de Religioſorum virorum precibus conceptas ſpes fuiſſe, ſequenti anno viſuri ſumus, quo Antipapa ſchiſma execratus eſt*.

Ut Inſularum Sardiniæ, ac Corſicæ, Fratres Aragoniæ Provincialium juris ac poteſtatis ſint (1).

Anno 1329 Die 30 Junii.

Ex Waddingo (2) *Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag.* 196.

LXVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Ad illa ſolicitudinis Apoſtolicę ſtudium libenter impendimus, & partes diligentię noſtrę ſolicite adhibemus, ex quibus in Regnis fidelium, quietis bonum proveniat, & pacis tranquillitas, & ſecuritas conſervetur. Cum igitur cariſſimus in Chriſto filius noſter Alfonſus Aragonum, & Sardinię, ac Corſicę Rex illuſtris, pro pacifico, & ſecuro ſtatu hujuſmodi Regnorum ſuorum, prudenti ductus conſilio, deſideret, ut Superiores Fratrum Prędicatorum, & Minorum, ac aliorum Mendicantium Ordinum per Sedem Apoſtolicam approbatorum, infra dictum Regnum Sardinię & Corſicę exiſtentium, ſubiiciantur Ordinum ſuorum Superioribus, qui pro tempore in Aragonia, & Catalonia ordinantur; Nos ejuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod Superiores dictorum Fratrum Prędicatorum, & Minorum, ac aliorum Ordinum Mendicantium, videlicet Conventuales Priores, & Cuſtodes, & Guardiani Ordinum prędictorum, qui ſunt & erunt pro tempore in Regno Sardinię, & Corſicę prelibato, Superioribus ipſorum Ordinum videlicet Prioribus Provincialibus Prędicatorum, & Miniſtris Provincialibus Minorum Fratrum Ordinum, necnon aliis Prioribus Provincialibus, ſeu

Exordium.

Regis Aragonum ſupplex petitio.

Mandatum.

Digitized by Google

ſeu Prelatis quocunque nomine cenſeantur, aliorum Ordinum Mendicantium, in Aragonia, & Catalonia conſiſtentibus, qui ſunt, & erunt pro tempore, ſint ſubiecti, eos a ſubjectione aliorum quorumcunque Superiorum ſuorum Ordinum predictorum, extra dictas Provincias Aragonie, & Catalonie conſiſtentium, auctoritate predicta totaliter eximentes. Volumus tamen quod preſens exemptio ad Magiſtrum, & Miniſtrum, vel Priorem, ſeu Priores Generales Ordinum predictorum nullatenus extendatur, ſed eis ſint ſubditi ſicut prius. Nulli ergo &c. noſtre conſtitutionis, exemptionis, & voluntatis &c. Datum Avinione II Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio.

1. *Sint.*) Adeas *Waddingum Annal. Minor. ad an. MCCCXXIX num.XX, & Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad eundem annum num. XV.* Vide Diploma *datum 1 Decembris MCCCXXXI.*

2. *Waddingo.*) *Bzovius & Waddingus citant Epiſtolam IIMCCXCVIII Libri III Regeſti XIII Johannis XXII.*

Anno 1329 Die 21 Julii

F. Guillelmo (1) Ordinis Prædicatorum Archiepiſcopo Toloſano, ut Univerſitati Toloſanæ gerenda præſcribat (2).

Ex Percino de Inſtitutione Academiæ Toloſanæ Cap.VI pag.155.

LXVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Guillelmo, Archiepiſcopo Toloſano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EAm gerimus de tua circumſpectione fiduciam, quod illa, que tibi committimus prudenter & laudabiliter exequaris. Cum itaque ſuper nonnullis, que reformationem, & ſalubre ſtatutum Toloſani Studii reſpiciunt, venerabiles Fratres noſtri Petrus (3), & Gaucellinus (4) Albanenſis, Epiſcopi, de ſpeciali noſtra conſcientia, & mandato, certos articulos ſub ſigillis ſuis tibi tranſmittant incluſos; fraternitati tue preſentium auctoritate committimus, & mandamus; quatenus ſuper dictis Articulis, & ſuper aliis, in quibus prefatum Studium reformatione conſpexeris indigere, ſtatuas, & ordines, auctoritate Apoſtolica, quod tibi ſtatuendum videbitur: Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſthabita, compeſcendo. Non obſtante ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam mentionem, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi. Datum Avenioni XII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo Tertio.

1. *Guillelmo.* De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Præſcribat.*) Conſulendus *Percinus* loco laudato.

3. *Petrus.*) Adderem: *Praneſtinus*: hic enim de duobus Cardinalibus Epiſcopis loqui S. Pontificem, ex ipſo Diplomate conſtat, unus autem duntaxat *Petrus* Cardinalis Epiſcopus floruit per id tempus, *Petrus* ſcilicet *de Prato*, Epiſcopus *Praneſtinus*, de quo *Ciaconius Tomo II. Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCXVI pag.416, & Ughellus in Epiſcop. Praneſtin. T.I Ital. Sacra pag.215.*

4. *Gaucellinus.*) Conſulendus *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCXVI pag.* 408.

Anno 1329 Die 11 Septembr.

Archiepiſcopo S.Thaddæi de Corateſia (1) in Perſide, ut Prædicatores, & Minores Fratres habeat commendatos (2).

Ex Waddingo (3) *Annal. Minor. Tomo III ad An. MCCCXXIX num.XIII.*

LXIX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Zacharie Archiepiſcopo S. Thaddei Apoſtoli de Corateſia in Imperio Perſidis (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Prædicatores, & Minores Fratres ab errore Perſas evellunt.

DIvina, ut firmiter credimus, eſt ordinatione proviſum, ut ad terras, & partes Imperii Perſidis, licet ab aliis terris, quas regenerat unda baptiſmatis, & colentes nomen, Redemptoris miſericordia, quo omnis ſalus datur credentibus, videlicet nomen Chriſti, in veneratione ejuſdem Redemptoris inhabitant, magna maris terreque diſtantia ſeparatas, licet plurium infidelium, & hoſtium Fidei interſtitiis impeditas, nonnulli Predicatorum, & Minorum Ordinum Fratres, tanta terrarum, & locorum latitudine, & diſtantia peragrata, Viri utique illuminati doctrina vere Fidei, quam Sacroſancta Romana, Catholica, & univerſalis tenet Eccleſia, quamque ipſe Redemptor noſter, Eccleſiarum, & fidelium omnium Caput eſſe cenſuit, & magiſtram, ad dandam ſalutis ſcientiam ſalubriter, pervenerunt, ut gentes illarum partium de diſſimilitudinis devio ad rectum Fidei callem, & doctrine Evangelice veritatem tanto utiliori ſedulitate reducerent. quanto favente divina gratia dicte gentes, ſunt (5) exultanter accepimus, paratiores exiſtunt ad ſuſcipiendum cum efficacia Verbum Dei, recipiendum Baptiſmatis Sacramentum, & abigendum errores de mentibus, & imbuendum eas doctrina fidei ſalutaris. Accedit etiam nobis inter alia, ad ingentis exultationis augmentum, quod, ſicut referunt dicti Fratres, quamvis cum infidelibus earum partium eis ſit difficilis, & perículoſus convictus, converſatio inquieta, convitioſa mora, & collocutio quelibet importuna: cum Armenis (6) tamen ibidem morantibus, renatis unda Baptiſmatis, eſt eis converſatio placida, mora placidior, convictus utilis, & collocutio fructuoſa, inibi renaſci jura cognationis inveniunt, ibidem renatorum fonte Baptiſmatis longo terre tractu recuperationem Deo, & Eccleſie Catholice peramabilem ſortiuntur, ibique favente Chriſto Jeſu, vero noſtro lapide angulari, multas animas, quas carentia boni doctoris, & error falſi dogmatis, a recta via Evangelice veritatis obduxerant, & multis erroribus duxerant imbuendas, ad lumen vere Fidei reduxerunt; addiderunt etiam dicti Fratres, quod ad ſalutis tue profectum, & glorioſe commendationis augmentum redundare dignoſcitur, quod Fratres ipſos benigne ſuſcipis, tractas benignius, ipſoſque, cum ab eis proponitur Verbum

Armenos laudat.

Mandatum.

Dei

Dei, patienter audis, eiſque favorem impendis, quod patienter ab aliis audiantur: ex quibus indubitatam concepimus in corde fiduciam, quod Redemptor noſter bonorum omnium retributor, ob cujus honorem iſta peragis, ſpirituales, & temporales fructus dignos tuis meritis infallibiliter compenſabit. Ideoque Fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attente in Domino Jeſu Chriſto, te per ipſius pretioſi aſperſionem Sanguinis obſecrantes, quatenus circa pręmiſſa laudabilia opera, & virtutes te vigilantibus, & continuis ſtudiis exercendo, Venerabilem Fratrem noſtrum Guillelmum (7) de Cigiis, Epiſcopum Thauriſien., Ord. Prędicatorum profeſſorem, quem nuper ad Epiſcopalis dignitatis apicem Apoſtolica auctoritate promoventes, eum ad partes ipſas futurum, ut ſperamus, utilem operarium, ad ampliandam meſſem dominicam in illis partibus, in ęternę beatitudinis horrea inferendam, ad partes illas providimus deſtinandum perſonaliter, benigne ſuſcipias, prędicationes ejus efficaciter audias, Fideque Catholica, Sanctę & univerſalis Romanę Eccleſię cum plenitudine totius devotionis, & firmę credulitatis imbutus, populum tibi commiſſum ad profeſſionem, & rectam culturam ejuſdem Fidei permittas, per dictum Epiſcopum, & dilectos filios Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum prędictorum, ſtudio prędicationis induci, eumque Epiſcopum atque Fratres ob reverentiam noſtram, & Apoſtolicę Sedis habeas propenſius commendatos. Datum Avinione III Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Quarto. F. Guillelmus de Cigiis Epiſcopus Thauriſienſis.

1 *De Corateſia.*) Conſulendum Diploma *Datum XV Octobris MCCCXXI.*

2. *Commendatos.*) Adeas *Odoricum Raynaldum ad an. MCCCXXIX num. XCVII, Waddingum Annal. Minor. Tomo III ad annum MCCCXXIX num. XI, Spondanum ad eundem annum num. XXI, & Carolum a S. Vincentio in Chronologia Miſſionum pag.* 101.

3. *Waddingo.*) Ejuſdem Diplomatis meminerunt auctores mox laudati.

4. *Perſidis.*) Ubi tunc dominabantur *Tartari.*

5. *Sunt.*) *Sicut.*

6. *Armenis.*) Ex his Metropolis iſta *S. Thaddæi* ſita videtur in *Armeniæ* Regno, quod in Imperio *Perſidis* ex eo cenſebatur, quia erat in tutela *Tartarorum* Imperatoris, qui tunc rerum potiebatur in *Perſide.* Hinc in Epiſtola, quam tranſcribit *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCXXIII num. IX* legitur; *Habemus de novo, quod fertur per literas habitas hic de partibus Armeniæ, quod concordia inter Soldanum & Armenos facta eſt ad requiſitionem Tartari, qui dicit Armenos eſſe ſuos homines. Pro qua facienda Tartarus ipſe miſit ad Soldanum duos ejus Admiratos, quemlibet ducem decem millium equitum, nuncios, ut concordaret cum Armenis, alias illos ipſe defenderet &c.* Idem firmatur ex *Conſtitutione Iohannis XXII,* data Kalendis Iuniis Pontificatus anno VII, ubi *Armeni* dicuntur *Perſidis Imperii.* Ceterum quod Metropolis illa *S. Thaddæi* ſita ſit in *Armenia* liquet ex *Epiſtola Magiſtri Johannis Chernacenſis Armeni,* qui per id tempus floruit. *Inter Epiſcopos,* inquit, *qui ad Concilium convenere, adſuit etiam Archiepiſcopus Zacharias, qui præerat Eccleſiæ S. Thaddæi Apoſtoli, ubi eſt ejus ſepulcrum, verſus Orientem, trans fluvium Araxem, in confinibus regionis Parthorum, haud procul a celebri monte Ararat.* Extat apud *Galanum* de *Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana Cap. XXX num. XXX. pag.* 517 *Parte I Hiſtoriali.*

7. *Guillelmum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Perſis Chriſtianis Fratres noſtros, & Minores de meliori nota commendat (1). Anno 1329 Die 11 Septembris.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXIX num. XIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Chriſtianis in Imperio Perſidis conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXX.

Votis zelamus ardentibus, & ſummis deſideriis affectamus, ut cunctis mortalibus, quos Dei Filius Jeſus Chriſtus ſuo Sanguine pretioſo redemit, & cęleſtis gratię radius illuceſcat, ſalus (2) votiva proveniat animarum, ut hoſtis antiqui ſemper quęrentis, ut noceat, eluſa nequitia, ſupernę beatitudinis gloria, quam non ſufficit capere intellectus humanus, quamque Salvator noſter, a quo univerſorum chariſmatum dona manant, ſe diligentibus repromittit, in ſuavitatis fęcundę dulcedine perfruantur, hoc in ſolidę caritatis ardore crebris orationibus poſtulamus, ut inter omnes quos regeneravit unda baptiſmatis ceſſet ſciſſurę diviſio, ceſſent eorum nebulę fidei, caritas jubilet, & mentales oculos in Chriſto credentium temeratę fidei perfidia non obducat, unaque, Sancta, Catholica, & univerſalis Eccleſia in unitate verę fidei ſub uno paſtore, & unius ovilis intemerata, & ſolida unione, ad conquirendam ejuſdem beatitudinis gloriam gratis ſucceſſibus fęcundetur. Ideoque univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente in Domino Jeſu Chriſto, per ipſius pretioſi aſperſionem Sanguinis obſecrantes, quatenus venerabilem Fratrem noſtrum Bernardum (3) de Gardiola Epiſcopum Diagorganen., quem nuper ad Epiſcopalis dignitatis apicem auctoritate Apoſtolica duximus promovendum, quemque ad partes ipſas, velut fructuoſum futurum, & utilem, ut ſperamus, ad meſſem nationum ipſarum partium in horrea dominica inferendam, ad dictas partes providimus perſonaliter deſtinandum, necnon dilectos filios Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum in dictis partibus commorantes, vel illuc venientes, ob reverentiam noſtram, & Sedis Apoſtolicę, habere velitis propenſius commendatos. Attendentes, quod per tam longas maris, terręque diſtantias, pręfatus Epiſcopus & Fratres, non abſque magnis laboribus, & periculis, pro ſola cooperatione divinorum obſequiorum, ad partes ipſas accedunt, quos benigne recipientes, & caritative tractantes ſacris inſtructionibus, quas in doctrina Catholicę Fidei vobis facient, veſtrarum mentium aures prębeatis devotius; animoſque veſtros quorumlibet ſchiſmatum pulſis erroribus unitati Catholicę Fidei, & Sanctorum Patrum Auctoritatibus in omnibus coaptetis: quoniam id eſt ſumme, & immenſe univerſali gregi fidelium profuturum, ſi ubique locorum in cunctis fidelibus, qui gaudent nomine chriſtiano, unus Deus, una Fides, unum Baptiſma, una totius mundi confeſſione, votis concordibus, teneatur. Ceterum de magnę hoſpitalitatis, & pię caritatis officiis, quę hactenus impendiſtis eiſdem, recipiendo eos in hoſpitiis veſtris, ipſoſque benigne tractando, vobis gratiarum referimus actiones, rogantes cunctorum retributorem bonorum, ut ille cujus intuitu Verbi ſui miniſtros ſuſcepiſtis, mentes veſtras illuminet lumine veritatis, ut pro temporalibus bonis, quę erga illos agitis, vobis ęternę beatitudinis gaudia recompenſet. Datum Avinion. III Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Quarto.

1. Com-

1. *Commendat.*) Conſulendi Scriptores laudati ad præcedentem Bullam, hujus enim Diplomatis meminere.
2. *Salus.*) *Et ſalus.*
3. *Bernardum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Anno 1329 Die 29 Septembris.

F. Thomam Ordinis Prædicatorum, Epiſcopum, alioſque ejuſdem Ordinis Fratres ad Hungaros, Malchaitas, & Alanos mittit (1).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIX num. XCVI.

LXXI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Jeretanny, & univerſis Chriſtianis Hungaris, Malchaitis, & Alanis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. INgentem, nec mirum, materiam gaudiorum ſuſcepimus, quod ſummus ille cęleſtis agricola, qui omnes quos diligit ad cognitionem ſui miſericordi ſemper beneficio evocat, atque trahit, quodque per inenarrabilem gratiam Unigeniti ſui, toto orbe diffuſam, auget continue familiam chriſtianam, vos verę fidei luce perfuſos, & ſacri baptiſmatis fonte renatos, & imbutos doctrina evangelicę & apoſtolicę veritatis in orientalibus partibus in eorum medio, qui nondum gratiam recepere baptiſmatis, collocavit. In immenſum inſuper nobis ceſſit ad gaudium intellecto, quod tu, fili Jeretanny, de ſtirpe catholicorum Principum Regum Hungarię deſcendiſti; quodque tu, & alii Chriſtiani in dictis partibus commorantes, zelo fidei, & devotionis fervore, ſuccenſi, Doctorem catholicum deſideratis habere, qui vos in fide catholica verbis ſalutaribus inſtruat, & ſanctis exemplis informet: propter quod a Nobis humiliter veſtris ſupplicationibus poſtulaſtis, ut aliquem Catholicum Antiſtitem, Sacrarum ſcripturarum ſcientia præditum, vitę ſanctitate decorum, verbo utilem, & exemplo mirabilem, ad partes ipſas pro inſtitutione veſtra in eadem fide Catholica mittere dignaremur. Cupientes igitur, ut Chriſti familia ubique locorum incrementa ſuſcipiat, ſed maxime in ipſis partibus dilatetur, venerabilem Fratrem noſtrum Gemiſcatenſem (2) Epiſcopum, vobis notum, ad partes ipſas cum noſtrę benedictionis gratia providimus deſtinandum. Quocirca devotionem veſtram monemus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, quatenus ſacris inſtructionibus, quas idem Thomas (3), & alii Epiſcopi Catholici, necnon dilecti filii Fratres, Prędicatorum & Minorum Ordinum in ipſis partibus commorantes, in doctrina catholicę fidei vobis fecerint, mentales aures devotius adhibentes, animos veſtros veritati ejuſdem fidei, & Sanctorum Patrum auctoritatibus coaptetis. Benedictionem noſtram inſuper vobis impendimus, & rogamus humani generis piiſſimum Redemptorem, ut ipſe vos benedictionis ſuę rore perfundat, ut in verę fidei unitate conſtantes vos de bono proficiatis in melius, & alios ad familiam gregis dominici fructuoſis exemplis & operibus evocetis. Datum Avinione III Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Quarto.

Principi Jeretanny de ſervata fide catholica gratulatur.

Miſſio.

1. *Mittit.*) *Retulere magnam pietatis, & conſtantia gloriam Hungari, Aſiatici, Malchayta, & Alani, qui licet impiis ſuperſtitionum erroribus irretitis populis circumfuſi eſſent, incorruptam tamen fidei puritatem ſervaverunt. Eminebat inter eos dignitate Jeretanus, Hungarorum Regum ſtirpe ſatus, qui, cum Præſulem catholicum a Sede Apoſtolica flagitaſſet, Pontifex Epiſcopum Gemiſcatenſem ad eos tranſmiſit, ſubjectiſque literis ad fidem tuendam, ac Religioſorum virorum pia monita excipienda ipſos inſtruxit. Hæc Odoricus.*
2. *Gemiſcatenſem.*) Quod Epiſcopus iſte ſit *F. Thomas Mantaſſolius*, ſeu *Mantaſola*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*, convenit inter omnes. Verum quis ſit Epiſcopatus iſte, non facile dictu. *Ferrarius de Rebus Hungar. Provinciæ Parte III Lib. IV pag. 479, & Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit DXLV* Epiſcopatum iſtum *Senuſcatenſem* vocant. *Seniſcatenſis* appellatur a *Gubernatis* in *Orbe ſeraphico ad an. MCCCXXIX.* Ab aliis tandem *Semiſcatenſis* nominatur, ut videre eſt apud *Cavalerium Tomo I pag. 103 num. LXXI.* Sic etiam vocatur in *Bulla data XIV Februar. MCCCXXX*, ubi ſuffraganeus dicitur Archiepiſcopi *Soltanienſis.*
3. *Thomas.*) *Anno Chriſti MCCCXXX*, inquit *Ferrarius* loco laudato, *cum Malenda, & Alani Gentiles ſub dominis Hjeratimi, ex Hungaria Regum ſtirpe progeniti, Prædicatores poſtulaſſent, Iohannes XXII Fr. Thomam Dominicanum, Senuſcatenſem Epiſcopum, quod magna religionis prædicator, & in lege Domini eruditiſſimus eſſet, alioſque ſocios quam plurimos ad eos convertendos deſtinavit.*

Anno 1329 Die 1 Octobris.

Fidei præcones, ſeu Miſſionarios, Ordinis variis privilegiis & facultatibus (1) donat.

Ex Bullario Uſuſmaris pag. 84.

LXXII.

Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & Epiſcopis, necnon dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum in terris Saracenorum (2), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Syrorum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum. Motelitarum (3), aliarumque non credentium nationum, Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. GRatias agimus gratiarum omnium largitori, qui duritiei cordium infidelium, in nonnullis locis Aquilonarium, & Orientalium partium, conſiſtentium, tanquam terrę vaſtę ſolitudinis, & imbre divinę gratię indigenti, imbrem compluit pluvię baptiſmatis, & per miniſterium veſtrum, & aliorum Religioſorum, terram illam vomere ſanctę prędicationis excoluit, ſemenque Verbi Dei cęleſtis agricola ſeminavit, quod feliciter in ſegetem pullulat, ita quod Regiones illę meſſem multam oſtendunt, quę quidem, dante Domino incrementum, plures requirit operarios, ut conquiſita jam meſſis dominica conferatur

in

Digitized by Google

in horrea, & aliorum terra, quam imber cęleſtis gratię non infudit, veſtris meritis de vena ſuperioris irrigui madefacta, capiat Verbum Dei, reddatur apta colentibus; tandem in ipſa divini Verbi ſemine ſeminato, in fęcundam ſegetem pullulet, ſeges uberem fęcundetur in meſſem, ut creſcente veſtro, & aliorum operariorum miniſterio, ſpiritualis conſortii ſacris horreis cumuletur. Ad continuandum igitur in partibus illis ſalutis eulogium, evangelicę veritatis tubam univerſitati non credentium intonandam, ſacris quoque olivę ramis fidei chriſtianę Aquilonaris & Orientalis in fructiferi oleaſtri germina inſerenda, ut fiat chriſtianę fidei latitudo, ſeque per partes totius Orbis extendat, vos hortandos inſtanter duximus, ac etiam excitandos, vobis in remiſſionem peccaminum injungentes, ut tanquam fideles Miniſtri ſatoris ęterni feratis ſemen gratię in agrum ſterilem non credentium animarum, neophitorum, & nutantium animos confirmetis in fide, corda fidelium confortetis in luce ſermonis, & rectitudine operis propoſitum vobis iter ſine quorumlibet offenſione curratis. Ut autem miniſterium veſtrum eo plenius proſperetur, quo majori fueritis auctoritate ſuffulti, vobis Apoſtolica auctoritate concedimus, ut in terris illarum partium, quę adhuc Sedis Apoſtolicę magiſterio non intendunt, proponere Verbum Dei, & conſtitutis ibidem, non obſtante ſi aliqui fuerint majore excommunicatione ligati, in verbo, officio, cibo, ac aliis honeſtis, & licitis communicare ſecure, ipſoſque, ſeu alios, quos converti ad unitatem chriſtianę fidei affectamus, recipere, baptizare, & aggregare ovili fidelium valeatis, ut per regenerationis gratiam de longinquo ad ſuum revertentes auctorem, liberi efficiantur ex ſervis, de extraneis provehantur in filios, ex corruptibili carne nati, ex Dei ſpiritu renaſcantur, & obtineant per gratiam quod non obtinent per naturam. Liceat quoque vobis, fratres Archiepiſcopi. & Epiſcopi, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoribus, & ſucceſſoribus veſtris Archiepiſcopis, & Epiſcopis, qui erunt pro tempore in illis partibus ordinati, perſonis redeuntibus ad obedientiam dictę Sedis, majori excommunicatione ligatis, abſolutionis beneficium juxta formam Eccleſię impertiri, & cum ipſis, qui ſacros receperunt Ordines, & divina celebrarunt officia ſic ligati, ſuper irregularitate ob hoc contracta per eos, miſericorditer diſpenſare. Hoc ipſum licitum ſit vobis, & ſucceſſoribus pręlibatis, circa illos ex terris prędictis, qui temporibus indebitis, vel infra ętatem legitimam, aut qui omnes eadem die, vel qui ſuperiores prętermiſſis inferioribus, recipere Ordines pręſumpſerunt, ſi tamen in hoc ſervata forma extiterit, per quam Ordines recepiſſent. Liceat etiam vobis, & dictis ſucceſſoribus diſpenſare, ut redeuntes ex ſchiſmaticis ad Catholicę Eccleſię unitatem, inter ſuos, ſi voluerint, valeant habitare, eiſque communicare ſine contumelia Creatoris. Et quod Clerici nationum ipſarum, publice ad dictę Sedis obedientiam redeuntes, gaudeant privilegio Clericali. Poſſitis quoque Clericorum occiſores, & religioſarum perſonarum, & quoſcunque alios clericos, & laicos pręſentes & futuros in illis partibus conſtitutos, qui pro violenta injectione manuum in clericos ſeculares, vel viros Religioſos, vel incendio, ſeu ſacrilegio, ac alias inciderint in canonem ſententię promulgatę, juxta Eccleſię formam, abſolvere, dummodo injurias & damna paſſis ſatisfaciant competenter, nec ſe ad partes illas pro abſolutione hujuſmodi obtinenda fraudulenter duxerint conferendos, illis exceptis qui in Alexandriam (4) Saracenis merces portaverunt & arma, ſeu alia prohibita, vel eiſdem impenderunt auxilium, conſilium, & favorem in Chriſtianorum diſpendium, & ſpecialiter Terrę Sanctę, vel in Epiſcopos, eorumque Superiores, dummodo Catholici fuerint, & communionem Sedis Apoſtolicę habuerint, auſu ſacrilego manus injecerint violentas, quorum abſolutionem Sedi prędictę ſpecialiter reſervamus; cum Clericis etiam ipſarum partium defectum natalium patientibus, dummodo non ſint de adulterio, vel inceſtu, aut regularibus, vel Presbyteris procreati, vobis, & dictis Succeſſoribus diſpenſandi, libera ſit facultas. Quam facultatem circa illos ſimiliter habeatis, qui ab unitate catholicę Eccleſię, vel Religione, ſeu Clericali Ordine receſſerunt, ſi humiliter redire voluerint, & digne ſatisfacere de commiſſis; ita quod ipſi Religioſi ad ſua loca, ſalva diſciplina ſui Ordinis, reſumantur. Illoſque, ex jam dictis ad Eccleſię redeuntibus unitatem, vos pręfati Archiepiſcopi, & Epiſcopi, poſſitis, juxta formam Eccleſię, a vinculo excommunicationis abſolvere, & cum eis, ſi qui forſitan in apoſtaſia, vel ſchiſmate conſtituti, divina officia celebrarunt, vel ſe ingeſſerunt eiſdem, ſuper irregularitate, quam propter apoſtaſiam, ſchiſma, celebrationem, & ingeſtionem hujuſmodi contraxerunt, ſicut eſt expreſſum ſuperius, diſpenſare. Sit etiam vobis, pręfatis Archiepiſcopis & Epiſcopis, veſtriſque ſucceſſoribus facultas, eis, qui de ſchiſmaticis ad unitatem fidei catholicę noviter ſunt converſi, aut in antea convertentur, dandi licentiam, ut uxores ſuas, cum quibus in tertio, vel quarto gradu conſanguinitatis, aut affinitatis contraxiſſe noſcuntur, dum in ſchiſmate permanerent, in uxores licite valeant retinere. In eiſdem etiam partibus vobis, commutandi vota, exceptis Religionis, continentię, ac peregrinationis ultramarinę votis, libera ſit facultas. Liceat etiam vobis, pręfati Archiepiſcopi, & Epiſcopi, cum Clericis partium earumdem, & aliis ex ſchiſmaticis ad catholicam redeuntibus unitatem, pręſentibus & futuris, ſuper labe ſimoniacę pravitatis, quam ante ipſorum reditum ad unitatem prędictam, contraxerunt hactenus, vel contrahent in futurum, miſericorditer diſpenſare, eiſque remittere, ſi qua per labem hujuſmodi recepiſſent, ſi videritis expedire, injuncta eis loco remiſſionis hujuſmodi, ſatisfactione alia competenti. Concedimus inſuper vobis, pręfati Archiepiſcopi, & Epiſcopi, quod, illis duntaxat exceptis, quę mere officii Pontificalis exiſtunt, poſſitis per ſpecialem commiſſionem, eorum videlicet ſinguli, in ſingulis veſtris Civitatibus, & Dięceſibus quotiens expedire cognoveritis, per Fratres Presbyteros providos, & idoneos Prędicatorum & Minorum Ordinum explicare, & illis etiam committere, ut Veſtes Sacerdotales, Altaris eccleſiaſtica ornamenta, Pallas, & Corporalia benedicere, ac Eccleſias, Cimiteria reconciliare valeant, ſi ipſas forte contingat effuſione ſanguinis, vel ſeminis violari. Vobis autem, pręfati Archiepiſcopi, & Epiſcopi, necnon filii Fratres, in locis in quibus vos hoſpitari contigerit, vel in locis partium earumdem, in quibus reſidentiam facietis, Miſſam & cetera divina officia celebrandi in eiſdem partibus, libera ſit facultas. Sit vobis licitum omnium fidelium in terris prędictis Confeſſiones audire, ac ipſis injungere pęnitentias ſalutares. Ceterum illis, & vobis pręlibatis Fratribus, qui fuerint ad omnes, vel ad aliquos Ordines promovendi, pręſentium auctoritate concedimus, quod a catholicis Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Ordines, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta ſuſcipere libere valeant. Poſſitis quoque vos, pręfati Archiepiſcopi, & Epiſcopi, in eiſdem partibus, in Eccleſiarum dedi-

dedicationibus, & Sanctorum feſtivitatibus, vel aliis Congregationibus, ſeu cum proponitur Verbum Dei, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, unum annum, & quilibet veſtrum, prefati Epiſcopi, centum dies, & alii Fratres veſtri Ordinis in Presbyteratus Ordine conſtituti, cum ipſi etiam, abſentibus tamen vobis Archiepiſcopis, & Epiſcopis ſupradictis, hujuſmodi propoſuerint Verbum Dei, quadraginta dies de injunctis ſibi penitentiis miſericorditer relaxare; & ut fructum veſtris laboribus reportetis, & ſentiatis ex eis ęterne ſalutis vobis commoda uberius proventura, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, vobis & cuilibet veſtrum, vere pęnitentibus, & confeſſis, illam Indulgentiam preſentium auctoritate concedimus, quam proficiſcentibus in Terrę Sanctę ſubſidium Sedes Apoſtolica concedere conſuevit. Ac nihilominus, ut Chriſti fideles, quaſi per pręmia ſalubriter invitemus ad merita, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias, & loca veſtri Ordinis in partibus pręmiſſis constructa, & in poſterum conſtruenda, cauſa devotionis, ſeu eleemoſynę faciendę ipſis Fratribus, viſitaverint, ſingulis diebus, quibus id fecerint, centum dies de injunctis eis pęnitentiis relaxamus. Et quia vos pro ampliatione orthodoxę fidei in illis partibus laborantes, in eundo, morando, & redeundo, fidelium caritativo ſubſidio, & ſecuro conductu noſcimini indigere, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui vobis tam pii operis proſecutioni inſtantibus ſubſidium, & ſecurum conductum gratis pręſtiterint, & circa hoc auxilium, & conſilium impenderint opportunum, juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum, illius Indulgentię, quę vobis ad partes illas proficiſcentibus eſt conceſſa, participationem concedimus, ut eis proficiat ad ſalutem. Vobis Fratribus inſuper Apoſtolica auctoritate concedimus, ut in Civitatibus, caſtris, vel villis, ſeu locis quibuſcunque illarum partium, ad habitandum domos, & loca quęcunque de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, aut ea venditionis, permutationis, donationis, aut cujuſvis alienationis titulo, in alios transferre, & de his, quę ex cauſa permutationis, aut cujuſvis alterius alienationis prędictę, vos contigerit forte recipere, libere diſponere, niſi eorum, quę ſic receperitis permutatio alias per alios antiquos canones fuerit interdicta, prout utilius id fieri cognoveritis, Epiſcoporum, Prelatorum veſtrorum in permutatione, & donatione hujuſmodi petita licentia, & obtenta, de noſtra & dictę Sedis ſpeciali licentia, valeatis: Conſtitutionibus fel. rec. Bonifatii PP. VIII, & aliorum Romanorum Pontificum quorumcunque in contrarium editis; etſi de illis plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum in pręſentibus oporteret fieri mentionem, nequaquam obſtantibus, dummodo loca, ſeu domos hujuſmodi, quas recipietis de novo in Civitatibus, Caſtris, vel Villis partium earundem, in quibus domus, ſeu loca Fratrum Ordinis Minorum extiterint a prędictis domibus, ſeu locis per ſpatium trecentarum cannarum menſurandarum per aerem, ubi alias menſurari loci diſpoſitio non permitteret, diſtare noſcantur. Ceterum quia expedit vobis Fratribus agentibus in partibus ſic remotis, debita cura Vicarii, qui per Magiſtrum veſtri Ordinis, vel ipſius Magiſtri auctoritate vobis in illis partibus deputatus extiterit, non carere, Apoſtolica auctoritate, decernimus, officium ejuſdem Vicarii per obitum, vel ceſſionem, ſeu amotionem ejuſdem Magiſtri, nullatenus expirare, ſed tandiu durare, donec per ſequentem Magiſtrum, in locum ejuſdem Vicarii alius fuerit ſubrogatus; pręſentibus, quas ad Regnum Granatę (5) extendi prohibemus expreſſe, uſque ad dictę Sedis beneplacitum duraturis. Nulli ergo &c. Dat. Avinioni Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Quarto.

1. *Facultatibus.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Saracenorum.*) De *Saracenis*, aliiſque vide *Notas ad Conſtitutionem CCCXI Innocentii IV Tomo I pag.* 238. Adeas etiam *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LII.*

3. *Motelitarum.*) Conſule *Notam V* ad *Bullam datam XXIII Octobris MCCCXXI.*

4. *Alexandriam.*) Ejuſdem nominis Urbes multiplices. Hic de *Alexandria Ægypti*, ubi *Saraceni* rerum potiebantur.

5. *Granata.*) *Granata*, ſeu *Granatum*, vulgo *Granada*. Urbs eſt *Hiſpaniæ*, Regni *Granatenſis* caput. Ibi tunc *Mauri* dominabantur. Anno MCCCCXCII victis *Mauris* ab *Hiſpanis* recepta eſt. Præſens autem Diploma *ad Regnum Granatæ extendi prohibet expreſſe*, quia Chriſti fideles in *Mauros Granatenſes* Crucis inſigniri ſymbolo juſſerat *Johannes*, ut liquet ex *Bulla*, quæ legitur apud *Odoricum Raynaldum Tomo XV Annal. Eccleſiaſt.* in *Supplemento ad annum MCCCXXX*, & ex aliis, quas habet idem *Odoricus* in *Annalibus Eccleſiaſt. ad eundem Annum numeris XLV, XLVI, & XLVII*. Id etiam conſtat ex ſupplici libello quem per id tempus *Caſtellæ*, *Luſitaniæque* Reges obtulerunt Summo Pontifici. Illum tranſcripſit *Odoricus ad annum MCCCXXX num. XLIV.*

Anno 1329 Die 19 Octobris.

F. Johannes (1) de Florentia Tephelicenſis Epiſcopus creatur.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIX num. XCIV.

LXXIII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Florentia, Electo Tephelicenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis cauſa.

Nuper ad dilatationem fidei chriſtianę, cultumque divini nominis ampliandum, ſuadentibus etiam aliis rationabilibus cauſis, locum inſignem Tephelicenſem (2) nuncupatum, in Regno Jorgianorum (3) conſtitutum, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę plenitudine poteſtatis, in civitatem ereximus, ipſamque vocabulo inſignivimus civitatis, & civitatem Tephelicenſem volumus perpetuis futuris temporibus nuncupari; ac de conſilio, & plenitudine antedictis, decrevimus, & conſtituimus, in civitate ipſa fore conſtituendam Eccleſiam Cathedralem, eamque dignitatis Epiſcopalis titulo decorandam &c (4). In te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum in ſacra pagina eruditum, qui conditiones, & qualitates illarum partium pręſentialiter & palpabiliter expertus, & per tuam ſationem Verbi Divini multorum jam fidelium lucrifeciſſe animas diceris Domino Jeſu Chriſto; cuique Sacrę Religionis zelus, vitę munditia, morum gravitas, diſcretionis maturitas, aliaque dona virtutum, prout etiam teſtimonia fide digna perhibent, commendabiliter ſuffragantur, oculos convertimus noſtrę mentis: quibus omnibus debita meditatione diſcuſſis, de perſona tua Eccleſię prędictę, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, &c. Datum Avenione XIV Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo quarto.

F. Johannis præconium.

Epiſcopus creatur.

1. Johan.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*. De ipſo hæc habet *Odoricus* ad an. MCCCXXIX num. XCIV: *Ad paſcendos . . . c. divino verbo Georgianos, inſtituta eſt Tephelica Sedes cathedralis, & Johannes Dominicanæ familiæ alumnus Georgiæ datus Epiſcopus*. Conſule *Bzovium* ad an. *MCCCXXVI num. XVII.*

2. *Tepbelicenſem.*) Vulgo *Teflis*, in *Georgia* propria.

3. *Jorgianorum.*) Seu *Georgianorum*. Gens eſt *Aſiatica*, inter *Pontum Euxinum* & Mare *Caſpium* extenſa.

4. *Decorandam &c.*) Quædam omiſit *Odoricus*.

Imperatori Tartarorum, quod Fratribus noſtris & Minoribus operam dederit egregiam, grates agit (1).

Anno 1329 Die 2 Novembris.

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXIX num. XV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Magnifico Viro Elchigadan, Imperatori Tartarorum, Corallan (3), & Turqueſtan (4), ac Indaſtan (5), gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro. LXXIV.

Exordium.

Paſtoralis officii commiſſi nobis a Domino debitum exigit, ut excellentiam tuam ad ea, quę tuę ſalutis profectus reſpiciunt, tibique titulos laudum aſcribunt, ſolicitis inducamus ſtudiis, & affectuoſis exhortationibus excitemus. Licet igitur verbum Crucis, ac univerſalis Redemptionis humanę ſalutiferum venerandumque pręconium per Apoſtolicam tubam in ſalutem univerſitatis exiverit, & ad univerſos orbis fines ſonus doctrinę pervenerit ſalutaris: tamen perſonam tuam eo ſpecialius lucrifacere Domino cupimus, mentiſque tuę oculos cognitione verę, & catholicę fidei illuſtrare, quo propter beneficia, & multa ſolamina, quę in Terris Dominio tuo ſubjectis exhibes Chriſtianis, te magis pręcipua affectione proſequimur, tuoſque ſpirituales proventus ardentius affectamus, quove etiam ſpes certa nobis impenditur, quod ad fidem catholicam, faciente illo, in cujus manu corda ſunt hominum omnium, facilius convertaris. Non enim procedit, niſi ex ſuperni luminis gratia, quę, ſicut credimus, oculos tuę mentis aperuit ad exercendum erga renatos fonte Baptiſmatis pietatem, quod tu dilectos filios, Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum, fideles operarios Jeſu Chriſti, in partibus Orientis evangelizantes in fervore ſpiritus Verbum Dei, benigne ſuſcipis, devote pertractas, & officium eis hilaris hoſpitalitatis impendis. Colligimus etiam ex aliis tuorum laudabilium operum floribus tuę devotionis inſignia, qui nuper duos Fratres ejuſdem Ordinis Prędicatorum, venerabilem Fratrem noſtrum Thomam (6), nunc Epiſcopum Seniſcanten. cum uno ſocio ejuſdem Ordinis, ſpeciales Nuncios tuos ad Apoſtolicam Sedem devote, & humiliter deſtinaſti; petens, & cupiens, tibi per literas Apoſtolicas benedici, ac etiam de fide catholica informari. Laudabilia igitur vota tua gratis affectibus complectentes, eundem Thomam ad ſtatum proveximus paſtoralem, curam animarum, quas ad gregem ſuum in civitate Seniſcanten. cęleſtis pietas jam vocavit, vel vocabit in poſterum, eidem Thomę Epiſcopo auctoritate Apoſtolica committentes, & ut catholicę fidei ſeries tibi plenius innoteſcat, eam tibi annotatam pręſentibus deſtinamus, quę talis eſt. Et quidem credimus Sanctiſſimam Trinitatem Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum, &c (7). Sua tamen pręrogativa, tam in generalibus Conciliis, quam in quibuſcunque aliis ſemper ſalva. Ideoque magnificentiam tuam rogamus, & hortamur attente, quatenus ſedula meditatione recogitans quod fragilis eſt, & caduca humanę naturę conditio, plena periculis, expoſita caſibus, inſtabilis ſtatus ejus: conſiderans etiam, quod a lege mortis, mordentis omnia, nullus excluditur, promptus aſſurgas, pręſto te offeras, paratus accedas ad agnitionem chriſtianę fidei, & ſuſcipiendum Baptiſmatis Sacramentum ad laudem Divini Nominis, tuę ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictę, ut lucis ſuę radio illuſtratus, te ſolerter exerceas ad ejus fines laudabiliter ampliandos, ut poſt vitę pręſentis excurſum a porta inferi libereris, & ejus diris cruciatibus, pęniſque graviſſimis, civitatis ęternę beatitudinis pręmia perpetuis duratura temporibus conſequaris. Ad hęc multę benignitatis affectum, quem, ſicut pręd iximus, Latinis Chriſtianis in partibus illis morantibus, & illuc accedentibus, favorabiliter exhibes, uberibus gratiis proſequentes petimus, ut effectum hujuſmodi tua nobilitas continuet circa illos, & ceteros alios, qui fide imbuti fuerint orthodoxa. Ceterum inſtanter rogamus, ut eundem Thomam Epiſcopum, & omnes Catholicos Antiſtites in dictis Partibus commorantes, & qui illuc accedent in poſterum, necnon pręfatos Pręd icatorum, & Minorum Ordinum Profeſſores, ad dictas partes, non alicujus commodi temporalis obtentu, ſed ſolum pro lucrifaciendis Domino animabus, non abſque gravibus laboribus, & periculis, accedentes, benigne pertractes, jucunde recipias, pręd icationes ipſorum aure cordis efficaciter audias, ipſoſque per tuos ſubditos ſimiliter facias benigne ſuſcipi, & tractari, ut bonorum omnium retributor mentem tuam aperiat, te beneplacitis ſuis coaptet, tuoſque labores in ejus obſequium pręſtitos, non ſolum temporalibus, ſed etiam ſpiritualibus pręmiis recompenſet. Datum Avenione IV Nonas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

Gratęs agit ut ſupra.

Imperatori Prædicatores & Minores Fratres commendat.

1. *Agit.*) *Pontifex* (Johannes XXII) *Apoſtolico impulſus* [zelo], inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Eccleſiaſt. ad annum [M]CCCXXIX num. XCVII, *ut omnes barbaros ad cultum Divi[ni] Numinis converteret, Tartarorum Imperatorem, propoſita* [or]*thodoxæ fidei formula, ad eam amplectendam biſce literis ſol[lici]tavit. Miſerat enim Oratores Imperator ad Apoſtolicam Se[dem], ut Sacerdotes & Epiſcopos ad ipſum, ac Tartaros fide* [chr]*iſtiana excolendos depoſcerent.*

2. *Waddingo.*) Legitur etiam apud *Odoricum* mox lauda[to]. Ipſius meminerunt auctores de quibus in *Notis ad Diplo[ma] datum XI Septembris MCCCXXIX.*

3. *Coraſſan.*) Seu *Coraſan*; regio eſt *Cheraſmiorum*, populorum *Aſiæ*: latine *Parthia*, *Bactriana*, & *Aria* nuncupatur.

4. *Turqueſtan.*) *Turcheſtan*, *Aſiæ* regio, ubi *Jaxartæ* populi.

5. *Indaſtan.*) *Indoſtan*, ſeu *Dachinabades*, in *India* citeriori.

6. *Thomam.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*,

7. *Spiritum Sanctum &c.*) Ut in *Conſtitutione III Clementis V* ad hæc uſque verba: *Romana Eccleſia honoravit*.

Anno 1329
Die 1 Decembris.

Imperatori Trapeſundarum (1), ut Prædicatores & Minores Fratres habeat commendatos (2).

Ex Waddingo (3) Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXIX num. XII.

LXXV. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Magnifico Viro Trapeſundarum Imperatori (4), gratiam in præſenti, quæ perducat ad gloriam in futuro.

Exordium. Licet votis zelemus ardentibus, ut cunctis mortalibus, quos Dei Filius Jeſus Chriſtus ſuo ſanguine redemit, cœleſtis gratiæ radius illuceſcat, & ſalus votiva proveniat animarum, ut hoſtis antiqui ſemper quærentis, ut noceat, eluſa nequitia, ſupernæ beatitudinis gloria, quam non ſufficit capere intellectus humanus, quamque Salvator noſter, a quo univerſorum chariſmatum dona manant, ſe diligentibus repromittit, in ſuavitatis fœcundæ dulcedine perfruantur: hoc tamen profundius perpeti cura revolvimus, hoc ſitimus ardentius, hoc in ſolidæ caritatis ardore crebris orationibus poſtulamus, ut inter omnes, quos regeneravit unda baptiſmatis, ceſſet ſciſſuræ diviſio, ceſſent errorum nebulæ, fidei caritas jubilet, & mentales oculos in Chriſto credentium temeratæ fidei perfidia non obducat, unaque, Sancta, Catholica, & Univerſalis Eccleſia in unitate veræ fidei ſub uno Paſtore, & unius Ovilis intemerata & ſolida unione,

Commendatio. ad conquirendam ejuſdem beatitudinis gloriam, gratis ſucceſſibus fœcundetur. Ideoque excellentiam tuam rogamus, monemus, & hortamur attente in Domino Jeſu Chriſto, per aſperſionem ſui pretioſiſſimi ſanguinis obſecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi creſcet ad meritum, accedet ad gloriam, atque famam, ſi datum tibi deſuper fuerit, ut tu, & populus, tuæ ditioni commiſſus, diſcretionis tuæ ſtudio ad unitatem ejuſdem Catholicæ, & Univerſalis Eccleſiæ revertamini, extra quam non eſt gratia (5), neque ſalus, te, & prædictum populum habilitare, & reducere ſtudeas ad ejuſdem Catholicæ, & Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ perpetuam, & inviolabilem unionem, ac dilectos filios Fratres Prædicatorum, & Minorum Ordinum, ad partes ipſas venientes, per illas tranſitum faciendo caritative recipias, & benigne pertractes, & maxime venerabilem Fratrem noſtrum Bernardum (6) de Gardiola, Epiſcopum Diagorganen., quem ad laudem Dei, & gloriam, & ad paſcendum gregem dominicum in partibus illis prædicationis verbo pariter, & exemplo, Eccleſiæ Diagorganen. præfecimus in paſtorem, quemque ad partes ipſas providimus deſtinandum, pro Divina, & Apoſtolicæ Sedis reverentia habeas commendatum, ut in retributione juſtorum ab æterno retributore, qui nullum bonum ſine remuneratione relinquit, mercedem condignam, & æternæ beatitudinis præmia conſequaris. Datum Avenione Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

1. *Trapeſundarum.*) *Trapezus*, vulgo *Trab'ſonda*, *Trebiſonda*, nunc *Taraboſan*, fuit Colonia *Sinopenſium*. Urbs eſt *Aſiæ* Minoris in *Cappadocia*. Imperatorum Græcorum, e Gente *Laſcara* ſedes fuit per annos ducentos, ab anno ſcilicet MCCLXI ad MCCCCLX, quo vaſtata fuit a *Turcis* & expugnata.

2. *Commendatos.*) *Ad revocandos....* inquit *Odoricus* ad an. MCCCXXIX num. XCV, *ad ſinum Eccleſiæ a diuturno ſchiſmate Aſiaticos Græcos, Johannes Religioſos viros zelo, ac ſcientia præditos tranſmiſit in Galatiam, & Cappadociam, qui populos vera religione excolerent; tum Imperatorem Trapezuntinum ad redintegrandam Eccleſiæ Aſiaticæ cum Romana conjunctionem excitavit.*

3. *Waddingo.*) Idem tranſcripſit *Odoricus*, loco laudato. Meminere *Spondanus*, & *Carolus a S. Vincentio* ſæpius citati.

4. *Imperatori.*) Non iſti duntaxat, ſed & aliis eodem modo ſcripſit Johannes XXII. *Miſit*, inquit *Waddingus* Annal. Minor. ad an. MCCCXXIX num. XI, *miſit Pontifex hoc anno plures ex Prædicatoribus & Minoritis ad Perſidis, & varias Orientis regiones, quos proinde commendavit Imperatori Trapeſundarum, Regibus Ruſſiæ, Georgianorum, & Choraſca, Principi Solagay Thefilicen., Principi de Carpi, Miſerquio Principi Thefilicen., & Principi de Aliquis, per quorum dominia oportebat tranſire. Exemplar Epiſtolæ datæ ad Imperatorem ſubjicio, reliqua paucis mutatis concordant. Deinde alias ſubmiſit ad.... Imperatores Tartarorum, & Æthiopum.* Idem docent *Odoricus*, ac *Spondanus* laudati, & *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LVIII.*

5. *Extra quam non eſt gratia.*) *Sanctificans* ſcilicet.

6. *Bernardum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Anno 1329
Die 10 Decembris.

Ædes Sacras Monaſterii S. Luciæ Viſitantibus Indulgentiam elargitur.

Ex Arch. (1) Ordinis.

LXXVI. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus, præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Vitæ perennis gloria, qua mira benignitas Conditoris beatam coronat aciem civium ſupernorum a redemptis pretio ſanguinis fuſi de pretioſo Corpore Redemptoris, meritorum debet acquiri virtute, inter quæ eſſe prægrande dignoſcitur, quod ubique, ſed præcipue in Sanctorum Eccleſiis Majeſtas Altiſſimi collaudetur. Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii S. Luciæ in via Crucis, Ordinis S. Auguſtini Florentinæ (a) Diœceſis, ipſius S. Luciæ Virginis vocabulo inſignita, & ad quam etiam propter ejuſdem Sanctæ merita multorum fidelium aſſeritur eſſe concurſus, & Capella B. Simeonis Prophetæ in eadem Eccleſia per dilectum filium Buonum Philippi, civem Florentinum in ipſius B. Simeonis honorem, ut aſſeritur,

Indulgentia. fundata, congruis honoribus frequentetur omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam, & Capellam præfatas in ipſorum S. Luciæ, & præfati Simeonis feſtivitatibus unum annum, & quadraginta dies, eis vero, qui per eaſdem Feſtivitatum Octavas, præfatas Eccleſiam, & Capellam venerabiliter viſitaverint annuatim, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, quadraginta dies, ſingulis videlicet ipſarum Feſtivitatum, & Octavarum diebus, de injunc-

Digitized by Google

Injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Avenione IV Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Monaſterio S. *Luciæ*.

2. *Florentina.*) In *Hetruria*.

Fratres noſtros Chriſtianis Imperii Usbech, & Elchigaday (1) commendat.

Anno 1330 Die 22 Januarii.

Ex Odorico (2) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LV.*

LXXVII.

Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, Univerſis converſis ad Fidem Catholicam, & Catholicis Chriſtianis, habitantibus inter infideles, & ſchiſmaticas nationes in partibus Aquilonis, & etiam Orientis, & ſpecialiter in Imperio Usbech, & Elchigaday, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

GRatias agimus Deo noſtro, quia,, ſicut grata, & exultabili relatione percepimus, gratia Dei illuminati eſtis, divites facti in revelatione Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui & confirmabit vos uſque in finem ambulare in ſemitis mandatorum ipſius; fecit enim Dominus in cordibus veſtris lucem ſplendere ad illuminationem ſcientię claritatis ſuę, ut habeatis theſaurum ſpiritualem in vaſis fictilibus, ut ſciatis quod licet is, qui foris eſt, noſter homo corrumpatur, tamen is, qui intus eſt, renovatur de die in diem; quoniam id, quod in pręſenti eſt momentaneum, & leve tribulationis humanę, ſupra modum in ſublimitate ęternum glorię pondus operatur in nobis, non contemplantibus temporalia, quę videntur, ſed quę non videntur, ęterna. Amplexantes igitur tempus acceptabile vocationis veſtrę ad catholicam veritatem, nemini dantes ullam offenſionem, in omnibus exhibeatis voſmetipſos ſicut Dei miniſtros, in multa patientia, in caſtitate, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma juſtitię a dextris, & a ſiniſtris, non ducentes jugum cum infidelibus, eorum imitantes errores; ſed impietates de ipſorum cordibus evellere ſtudeatis; illuminantes eos in agnitionem catholicę veritatis; quę enim participatio juſtitię cum iniquitate? aut quę ſocietas lucis ad tenebras? aut quę conventio Chriſti ad Belial? aut quę pars fidelis cum infideli? Studeatis ergo vos eſſe templum Dei vivi, mundantes vos ab omni inquinamento carnis, & ſpiritus, perficientes ſanctificationem in timore Dei, perſeverantes in bono uſque in finem &c (3). Datum Avenione XI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo quarto.

Commendatio.

1. *Usbech, & Elchigaday.*) *Tartarorum* Imperatores tunc iſtos fuiſſe, liquet ex præcedentibus Diplomatibus.

2. *Odorico.*) Laudat *Epiſtolam DCLIX Partis I Regeſti XIV Johannis XXII.*

3. *In finem &c.*) Hic nonulla deſunt, quibus, ut ait *Odoricus*, Summus Pontifex *commendat iiſdem fidelibus Thomam Mancaſolam Epiſcopum Semiſcatenſem, ac Prædicatorii Ordinis Religioſos viros, qui in eas oras ad Evangelium diſſeminandum excurrunt*. Placentiæ floret etiam nunc *Mancaſola* gens nobilis.

F. Guillelmum (1) Tauriſienſem Epiſcopum, & Fratres Prædicatores ad Chriſtianos in montibus de Albors degentes mittit (2).

Anno 1330 Die 23 Januarii.

Ex Odorico (3) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LVI.*

LXXVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſtianis habitantibus in montibus de Albors (4), gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

Exordium.

PAtri luminum, & perennis glorię largitori, corde devoto gratiarum referimus, quantas poſſumus, actiones; qui, ſicut cum ingenti mentis exultatione percepimus, vobis, dudum in tenebris ambulantibus, revelavit verę catholicę fidei lucem magnam, ex nebula gentilis erroris eductos ad veritatem catholicam miſericorditer evocavit, & traxit in agnitionem Filii ſui Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui per lavacrum regenerationis abluti, & mundati ab inquinamento priſtinę vetuſtatis, in novitate vitę Domino complacetis, parati, ſicut lętanter audivimus, doctrinam verę Catholicę fidei, quam tenet, docet, & prędicat Sancta Romana Eccleſia, doceri, inſtrui, ſi vobis Magiſtri, & Directores in fide ab eadem Sancta Romana Eccleſia deſtinentur. Ecce igitur veſtris in hac parte deſideriis annuentes, voſque gerentes in viſceribus caritatis, ac confidentes, quod qui cępit in vobis opus bonum, perficiet uſque in diem Domini noſtri Jeſu Chriſti, venerabilem Fratrem noſtrum Guillelmum de Cigiis, Epiſcopum Tauriſienſem, & dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, viros utique magnę religionis, & vitę, & in Lege Domini eruditos, ad vos providimus deſtinandos: rogantes, & obſecrantes vos in eodem Domino noſtro Jeſu Chriſto, quatenus attendentes, quod per tam longas maris, terręque diſtantias, pręfatus Epiſcopus, & Fratres, non abſque magnis laboribus & periculis, pro ſola cooperatione, & promotione divinorum obſequiorum, ad partes ipſas accedunt, eos ob Divinam, & Apoſtolicę Sedis reverentiam benigne recipere, gratanter amplecti, inſtructionem eorum in fide, & evangelicę eruditionis doctrinam, aure mentis audire, eorumque prędicationibus firmam credulitatem impendere, fidem auditam & credita in veſtris operibus comprobare, gratia Dei vos pręveniente, & ſubſequente, efficaciter ſtudeatis. Ut autem ipſius fidei ſeries vobis plenius innoteſcat, eam vobis annotatam pręſentibus deſtinamus, quę talis eſt. Et quidem credimus Sanctam Trinitatem, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum &c (5). Ideoque univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, quatenus meditatione ſedula cogitantes, quod fragilis eſt, & caduca humanę naturę conditio, plena periculis, expoſita caſibus, inſtabilis ſtatus ejus; conſiderantes etiam, quod a lege mortis, mordentis omnia, nullus excluditur, prompti aſſurgite, pręſto vos offer-

Miſſio.

offerte, & parati accedite ad agnitionem chriſtianę fidei, & ſalutis, quę provenit ex Baptiſmatis Sacramento, ad laudem divini nominis, veſtręque ſalutis profectum, & augmentum fidei ſupradictę, ut lucis ſuę radio illuſtrati, vos ſolerter exerceatis ad ejus fines laudabiliter ampliandos, ut poſt vitę prędentis excurſum a porta inferi liberati, ejus diros cruciatus, pęnaſque graviſſimas evitetis, ęternę beatitudinis pręmia perpetuis duratura temporibus adepturi. Datum Avenione X Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimoquarto.

1. *Guillelmum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Mittit.*) *Penetrarunt evangelici præcones ad montes Albors,* inquit *Odoricus* ad an. MCCCXXX num. LVI, *atque in iis innumeram hominum multitudinem e ſuperſtitionis tenebris eductam ad ſacra Baptiſmalia pellexere. Aggregati itaque in filiorum Dei numero, a ſupremo in terris Chriſti Vicario veram fidei puritatem haurire cupidi, Sacerdotes peritos ad ſe ab Apoſtolica Sede mitti popoſcerunt. Annuit piis eorum votis Johannes, & Guillelmum de Cigiis Epiſcopum Tauriſienſem, alioſque plures ex memorato Prædicatorum Ordine Religioſos viros, qui ipſos evangelica lege imbuerent, tum orthodoxæ fidei formam, quam Romana Eccleſia profitetur, tranſmiſit.*
3. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam DCCXXXIV Partis I Regeſti XIV* Johannis XXII.
4. *Albors.*) Cave, cogites *Albor* montem *Luſitaniæ* Regni, latine *Alboriam*. Montes, de quibus hic mentio, ſiti ſunt in *Perſide*.
5. *Sanctum &c.*) Ut in *Conſtitutione III Clementis V* ad hæc uſque verba: *Semper ſalva*.

Anno 1330 Die 23 Januarii.

Marſoriano Jacobitarum (1), ut Guillelmum (2) Tauriſienſem Epiſcopum, Prædicatores, ac Minores Fratres habeat commendatos (3).

Ex Odorico (4) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LVII.

LXXIX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Marſoriano Jacobitarum, gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

Commendatio.

CIrcumſpectionem tuam monemus, rogamus, & hortamur attenti, te in Domino Jeſu Chriſto per aſperſionem ſui pretioſi ſanguinis obſecrantes, quatenus diligenter attendens, quod tibi creſcet ad meritum, accedet ad gloriam, atque famam, ſi datum tibi deſuper fuerit, ut tu, & populus tibi ſubditus, directionis tuę ſtudio ad unitatem ejuſdem Catholicę, & Univerſalis Eccleſię revertamini, extra quam non eſt gratia, neque ſalus, te, & prędictum populum habitare, & reducere ſtudeas, ad ejuſdem Catholicę, & Sacroſanctę Romanę Eccleſię perpetuam, & inviolabilem unionem, ac dilectos filios Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum ad partes ipſas venientes, vel morantes in eis, vel per illas tranſitum facientes, caritative recipias, & benigne pertractes, & maxime venerabilem Fratrem noſtrum Guillelmum de Cigiis, Epiſcopum Tauriſienſem, quem ad Dei laudem, & gloriam, & paſcendum gregem fidelium in partibus illis prędicationis verbo pariter & exemplo. Eccleſię Tauriſienſi prętecimus in paſtorem &c (5). Datum Avenione X Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimoquarto.

1. *Jacobitarum.*) De quibus ſæpius dictum eſt. Adeas *Bzovium annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCXXX num. LIII.*
2. *Guillelmum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
3. *Commendatos.*) *Hortatus .... eſt Pontifex,* inquit *Odoricus* ad annum MCCCXXX num. LVII, *Marſorianum Jacobitarum Patriarcham, ut creditos ipſius paſtorali cura populos ad conjunctionem cum Romana Eccleſia revocaret, & Prædicatores, ac Minoritas, ad gentes miſſos, ſtudiis ſuis complecteretur.*
4. *Odorico.*) Laudat *Epiſtolam LXIV Partis II Regeſti XIV Johannis XXII.*
5. *Paſtorem &c.*) Ut in *Conſtitutione LXXV* ad finem uſque.

Anno 1330 Die 14 Februarii.

F. Johannem de Core (1), Soltanienſem Archiepiſcopum, pallio donat.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LVII.

LXXX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei: dilecto filio Johanni de Core, Electo Soltanienſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Fr. Johannes Archiepiſcopus Soltanienſis conſtitutus.

TE, de fratrum noſtrorum conſilio, Soltanienſi Eccleſię, in Imperio Imperatoris Perſidis conſtitutę, tunc vacanti, providimus, pręficientes te illi in Archiepiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius, & ſolicitudinem animarum, quę ſubduntur eidem, tibi, in ſpiritualibus & temporalibus, plenarie committentes, prout in noſtris literis inde confectis plenius continetur. Ut igitur, poſtquam munus conſecrationis, Deo auctore, ſuſceperis, pallio, in quo pontificalis officii plenitudo, quod Archiepiſcopalis nominis appellatione (3) confertur, etiam decoreris, hujuſmodi pallium, inſigne plenitudinis videlicet ejuſdem officii, de corpore B. Petri ſumptum, per venerabiles fratres noſtros Thomam Semiſcatenſem, & Jordanum Columbenſem, Epiſcopos, Suffraganeos tuos, ejuſdem Ordinis (4) Profeſſores, tibi, tuiſque ſucceſſoribus Archiepiſcopis Soltanienſibus, qui erunt pro tempore, per aliquem ipſorum, qui principaliter tibi, & eiſdem ſucceſſoribus, munus conſecrationis impendent, ſecundum formam in aliis noſtris literis annotatam, duximus, deſtinandum &c. Datum Avenione XVI Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Decimoquarto.

Pallio donatur.

1. *Johannem de Core.*) Adeas *Odoricum ad an. MCCCXXX num. LVII.*
2. *Odorico.*) Ex *Epiſtola XLI Commun. Part. II An. XIV Johan. XXII.*
3. *Appellatione.*) Supple: *Significatur.*
4. *Ejuſdem Ordinis.*) Prædicatorum.

Domi-

Domino Naſcarinorum (1), & Naſcarinis de Columbo Jordanum Catalani Columbenſem Epiſcopum, Prædicatores, ac Minores Fratres commendat (2).

Anno 1330 Die 8 Aprilis.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Nobili Viro Domino Naſcarinorum, & univerſis ſub eo Chriſtianis Naſcarinis de Columbo, gratiam in pręſenti, quę ducat ad gloriam in futuro. LXXXI.

Exordium. Votis zelamus ardentibus, & ſummis deſideriis affectamus, ut cunctis mortalibus, quos Dei Filius Jeſus Chriſtus ſuo Sanguine pretioſo redemit, cęleſtis gratię radius illuceſcat, & ſalus votiva proveniat animarum; ut hoſtis antiqui ſemper quęrentis, ut noceat, eluſa nequitia, ſupernę beatitudinis gloria, quam non ſufficit capere intellectus humanus, quamque Salvator noſter ſe diligentibus repromittit, in ſuavitatis fęcundę dulcedine perfruantur. Hoc etiam profundius perpeti cura revolvimus, hoc ſitimus ardentius, hoc in ſolidę caritatis ardore crebris Orationibus poſtulamus, ut inter omnes, quos regeneravit unda baptiſmatis, ceſſet ſciſſurę diviſio, errorum nebulę fidei claritatem non maculent, & mentales oculos in Chriſto credentium, & colentium nomen ejus, deteſtabilis ſchiſmatis imitatio, & temerarię fidei perfidia non obducat; ſed una, Sancta, Catholica, & Univerſalis Eccleſia Romana, nulla ſchiſmatum ſciſſura diviſa, in unitate fidei orthodoxę ſub uno Paſtore, & unius ovilis intemerata, & ſolida unione, ad conquirendam ejuſdem beatitudinis gloriam felicibus proſperetur eventibus, & gratis ſucceſſibus fęcundetur: Ideoque univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente in Domino Jeſu Chriſto, per ipſius pretioſi aſperſionem Sanguinis obſecrantes, quatenus venerabilem Fratrem noſtrum Jordanum (4) Catalani Epiſcopum Columbenſem, Prędicatorum Ordinis Profeſſorem, quem nuper ad Epiſcopalis dignitatis apicem auctoritate Apoſtolica duximus promovendum, quemque ad partes ipſas velut fructuoſum futurum, & utilem, ut ſperamus, ad meſſem nationum ipſarum partium in horrea dominica inferenda, ad dictas partes providimus perſonaliter deſtinandum; necnon dilectos filios Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum, in dictis partibus commorantes, vel illuc venientes, ob reverentiam noſtram, & Sedis Apoſtolicę habere velitis propenſius commendatos; Attendentes, quod per tam longas maris, terręque diſtantias, pręfatus Epiſcopus, & Fratres, non abſque magnis laboribus, & periculis, pro ſola cooperatione divinorum obſequiorum, ad partes illas accedunt: quos benigne recipientes, & caritative tractantes, ſacris inſtructionibus, quas in doctrina catholicę fidei vobis facient, veſtrarum mentium aures prębeatis devotius, animoſque veſtros, quorumlibet ſchiſmatum pulſis erroribus, unitati catholicę fidei, & Sanctorum Patrum auctoritatibus in omnibus coaptetis; quoniam id eſt ſumme, & immenſe univerſali gregi fidelium profuturum, ſi ubique locorum in cunctis fidelibus, qui gaudent nomine Chriſtiano, unus Deus, una Fides, unum Baptiſma, una totius mundi confeſſione votis concordibus teneatur &c (5). Datum Avenione VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimoquarto. Commendatio.

1. *Naſcarinorum.*) Gens eſt *Indiæ* citerioris, ubi *Columbenſis* civitas, vulgo *Colombo*, in Inſula *Ceylani* ſita.

2. *Commendat.*) *Revocandorum ad Eccleſiæ Romanæ ſinum omnium ſchiſmaticorum, ac veræ fidei propagandæ zelo ex Apoſtolica ſpecula* Johannes *Papa in extremas orientis oras, in quibus Naſcarini Chriſtianas leges colebant, oculos extulit: utque eos ad ſalutem adduceret, cum nonnulla inter ipſos ſchiſmata, erroreſque pullulaſſent,* Jordanum *ex ſacra Dominicana familia Columbenſem Epiſcopum tranſmiſit: tum paternis literis ad colendam fidei puritatem, fugiendum ſchiſma, Religioſos viros, qua par eſt, obſervantia proſequendos, eſt adhortatus.*

3. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam DCCCXVI Partis I Regeſti XIV Johannis XXII.*

4. *Jordanum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

5. *Teneatur &c.*) Hic etiam nonnulla deſunt.

Molephatanos (1) ad fidem colendam excitat, ipſiſque Fratres Prædicatores commendat.

Anno 1330 Die 8 Aprilis.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXX num. LV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſtianis commorantibus in Molephatam, gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro. LXXXII.

Votis zelamus &c (2). Datum Avenione VI Idus Aprilis, Pntificatus noſtri Anno Decimoquarto.

1. *Molephatanos.*) In *India* citeriori.

2. *Votis zelamus &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

Inqui-

Anno 1330 Die 27 Aprilis.

Inquiſitori Carcaſſonenſi, ut non evocato Magalonenſi (1) Epiſcopo, muneris ſui partes impleat in Civitate Monſ-Peſſulanenſi.

Ex Percino Monument. Conventus Toloſani Parte III pag. 100.

LXXXIII.

Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Fratri Henrico de Clamayo Inquiſitori Carcaſſonenſi, Ordinis Fratrum Prędicatorum in Regno Francię per Sedem Apoſtolicam deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex Inquiſitoris petitio. Decernit ut ſupra. Clauſula derogans. Sanctio pœnalis.

CUm, ſicut nuper nobis ſolicite exponere curaſti, ex eo quod pridem noſtris clauſis literis (2) tibi dedimus in mandatis, ut cum Inquiſitionis officium contra hęreticam pravitatem in villa Montiſ-Peſſulani, Magalonenſis Dięceſis, per te, vel per alium te contigerit exercere, haberes venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Magalonenſem, vel ejus Vicarium evocare, multa impedimenta, & retardationes, fidei negotio veriſimiliter ingeri pręſumantur; & ob hoc nobis cum inſtantia ſupplicaveris, ut cum dictum officium liberum (3), exceptis caſibus in ſacris Canonibus reſervatis, retroactis temporibus ſemper habuiſſe noſcatur, providere ſuper his de opportuno remedio dignaremur; Nos cupientes ab intimis, quod hujuſmodi fidei negotium ſemotis impedimentis quibuslibet, noſtris pręſertim temporibus, de bono in melius, votiviſque ſemper eventibus proſperetur; Nec volentes, quod prętextu mandati noſtri hujuſmodi, pręfatum negotium, in villa Montiſ-Peſſulani prędicta pręjudicium aliquod, quod abſit, recipiat quoquomodo; Volumus, tibique pręſentium auctoritate concedimus, ut prędicto mandato, & quocunque indulto Apoſtolico contrario, ſi a nobis forſitan emanaſſet, nequaquam obſtantibus, prędictum officium in villa pręfata Montiſ Peſſulani exercere valeas, ſicut prius. Nulli ergo, &c. Datum Avenione V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimoquarto.

1. *Magalonenſi.*) *Maguelone*, urbs fuit *Galliæ Narbonenſis*; nunc extincta. *Monſ-Peſſulanus* ipſi ſucceſſit in Epiſcopatu.
2. *Literis.*) Deſiderantur hæ literæ.
3. *Liberum.*) Adde: *Exercitium.*

Anno 1330 Die 22 Octobris.

Quid in Magos (1), & id genus viros, agendum ſit, præſcribit.

Ex Percino Monumen. Conventus Toloſani Parte III pag. 99.

LXXXIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo (2) Toloſano, ejuſque Suffraganeis, & dilecto filio Inquiſitori (3) hęreticę pravitatis in Regno Francię deputato per Sedem Apoſtolicam, Toloſę reſidenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Tenor vivæ vocis Oraculi.

DUdum (4) venerabilis Frater noſter Epiſcopus Sabinen. ſcripſit tibi, fili Inquiſitor. de mandato noſtro per ſuas literas in hac forma. F. Guillelmus (5) miſeratione Divina Epiſcopus Sabinenſis religioſo viro Inquiſitori hęreticę pravitatis in partibus Toloſanis, Salutem in Domino ſempiternam. Sanctus Pater, & Dominus Johannes Divina Providentia Papa XXII, optans ferventer maleficos interfectores gregis Dominici effugare de medio domus Dei, vult, ordinat, vobiſque committit, quod auctoritate ſua contra eos, qui dęmonibus immolant, vel ipſos adorant, aut homagium ipſis faciunt, dando eis in ſignum cartam ſcriptam, ſeu aliud quodcunque, vel qui expreſſe pacta obligatoria faciunt cum iiſdem: aut qui operantur, vel operari procurant quamcunque imaginem, vel quodcunque aliud ad dęmonem alligandum, ſeu cum dęmonum invocatione, ad quodcunque maleficium perpetrandum, aut qui Sacramento Baptiſmatis abutendo, imaginem de cera, ſeu alia re factam baptizant, ſive faciunt baptizari: ſeu alias cum invocatione dęmonum ipſam fabricant quomodolibet, aut faciunt fabricari: aut ſi ſcienter Baptiſmus, ſeu Ordo, ſeu Confirmatio iteratur: Item de ſortilegiis, ſeu maleficiis, qui Sacramento Euchariſtię, ſeu Hoſtia conſecrata, necnon & Sacramentis Eccleſię, ſeu eorum aliquo quoad eorum formam, vel materiam utendo in ſuis ſacrilegiis, ſeu maleficiis, abutuntur, poſſitis inquirere, & alias procedere contra ipſos: modis tamen ſervatis, qui de procedendo cum Pręlatis in facto hęreſis vobis a Canonibus ſunt pręfixi. Ipſe namque Dominus pręfatus poteſtatem Inquiſitoribus datam a jure quoad Inquiſitionis officium contra hęreticos, necnon & privilegia ad prędictos caſus omnes, & ſingulos ex certa ſcientia ampliat, & extendit quoad uſque duxerit revocandum. Nos itaque pręmiſſa omnia vobis ſignificamus per has noſtras patentes literas, de pręfati D. N. Papę ſpeciali mandato, facto nobis vivę vocis Oraculo. Datum Avenione XXII Auguſti Anno MCCCXXX (6), Pontificatus ſui Anno quarto. Sane noviter intellecto, quod errores, & abominationes, in iiſdem literis comprehenſi in partibus illis, de quibus in literis ipſis habetur mentio, adhuc vigent; Nos cupientes ſuper his, ne deinceps pullulent, plenius providere, diſcretioni veſtrę, pręſentium tenore, committimus, & mandamus, quatenus omnes Inquiſitiones, quas auctoritate hujuſmodi literarum, vos Fratres Archiepiſcopi & Suffraganei, prout quemlibet veſtrum tangit, & tu Inquiſitor prędicte cum ſingulis eorundem inſimul, vel tu Inquiſitor ſolus per te ipſum hactenus inchoaſtis, ſi completę non fuerint, vos Archiepiſcopi & Suffraganei, quilibet veſtrum videlicet in ſua Dięceſi per ſe, vel per alium, quem ad hoc deputandum duxeritis, & tu Inquiſitor pręfate, inſimul celeriter compleatis. Quas cum poſtmodum compleveritis, una cum illis quę jam per te ſolum, pręfate Inquiſitor, forſitan ſunt completę: nobis ſub veſtris ſigillis fideliter intercluſis, quantocitius poteritis, tranſmittatis; Ut eis viſis, quid faciendum ſit, tam ſuper illis, de quibus adhuc inquiſitum fuerit,

Mandatum.

quam

quam ſuper omnibus ceteris, de quibus nondum eſt inceptum, inquiri plenius, ac certius; auctore Domino, diſponamus. Tu vero, Inquiſitor prędicte, ſuper illis, de quibus adhuc inquirere non cępiſti prętextu dictarum literarum, niſi forte aliud a nobis reciperes in mandatis, te nullatenus intromittas. Per hęc autem non intendimus vobis, vel alicui veſtrum, quantum ad illa quę a jure vobis alias ſunt permiſſa, in aliquibus derogari (7). Datum Avenione XI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Quinto.

1. *Magoi.*) Adeas *Odoricum Raynaldum ad annum MCCCXVII numer. LII &c.*, & *ad an. MCCCXXVII num. XLV &c.*

2. *Archiepiſcopo.*) Is erat *F. Guillelmus*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

3. *Inquiſitori.*) Fratri ſcilicet *Petro Bruni*, de quo *Percinus in Monumen. Conventus Toloſani Seculo II ad annum MCCCXXX pag. 71.*

4. *Dudum.*) Anno MCCCXX, ut videre eſt ex *Odorico Raynaldo ad eundem Annum num. XXXI*, ubi Fratris *Guillelmi Sabinenſis* Epiſcopi Diploma tranſcribit.

5. *F. Guillelmus.*) Frater *Guillelmus de Godino*, Ordinis Prædicatorum, de quo in *Appendice ad Pontificatum Clementis V.*

6. *MCCCXXX.*) Legendum *MCCCXX*, ut apud *Odoricum*, & ex ſe patet; annus enim *IV* Pontificatus *Johannis XXII*, fuit annus Chriſti *MCCCXX*.

7. *Derogari.*) Hic multa notat *Percinus* noſter, quem conſulas velim loco laudato *pag. 100.*

Indulgentiis donat viſitantes Ædes ſacras Monaſterii de Piſciaco (1).

Anno 1331 Die 11 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes Literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VItę perennis gloria, qua mira benignitas conditoris omnium beatam coronat aciem civium ſupernorum, a redemptis pretio Sanguinis fuſi de pretioſo Corpore Redemptoris meritorum debet acquiri virtute; Inter quę illud eſſe pręgrande dignoſcitur, quod ubique, ſed pręcipue in ſanctorum Eccleſiis majeſtas Altiſſimi collaudetur; cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Sancti Ludovici de Piſciaco, Carnotenſis Dięceſis, in quo Prioriſſa, & Sorores ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes exiſtunt, cujuſque inclytę recordationis Philippus Rex Francię fundator extitit, congruis honoribus frequentetur, & fidelium populus eo conveniat devotius ad eandem, quo ibidem potiora ſalutis ſuę munera ſe ſperaverit adipiſci, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum ſuadentes, quatenus ad Eccleſiam ipſam imploraturi a Domino veniam delictorum, in humilitatis ſpiritu accedatis; Nos enim, ut Chriſti fideles quaſi per pręmia ſalubriter invitemus ad merita, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad prędictam Eccleſiam in ſingulis Nativitatis, & Reſurrectionis Domini, Beatę Marię Virginis, Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, ejuſdem Sancti Ludovici, Sancti Dominici, & Sancti Thomę Confeſſorum, ac Sancti Petri Martyris Feſtivitatibus, ac in Paraſceve, & Dedicationis ipſius Eccleſię, cum eam dedicari contigerit, & Anniverſario Dedicationis ejuſdem diebus, unum annum & quadraginta dies, per octo vero dies feſtivitates ipſas immediate ſequentes cauſa devotionis acceſſerint, annuatim centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Avenione III Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quintodecimo.

Indulgentiæ.

1. *Piſciaco.*) Videas *Conſtitutionem XII Clementis V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Piſciacenſi*.

Ut Archiepiſcopi, & Epiſcopi, qui Dedicationi Piſciacenſis (1) Eccleſiæ interfuerint, fideles ipſam viſitantes Indulgentiis donent.

Anno 1331 Die 11 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXVI.

CUpientes, ut Eccleſia Monaſterii Sancti Ludovici de Piſciaco, Carnotenſis Dięceſis, in qua Prioriſſa, & Sorores ſecundum Inſtituta, & ſub cura, Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes exiſtunt, cujuſque clarę memorię Philippus (3) Rex Francię Fundator extitit, & quam cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus (4) Rex Francię illuſtris zelo pię devotionis accenſus, proponit in brevi facere dedicari, congruis honoribus frequentetur, ac piis ejuſdem Regis votis, nobis ſuper hoc ſupplicantis humiliter in hac arte, benignius annuentes, ſingulis veſtrum, etiam ſi de alienis exiſtatis quibuſcunque Provinciis, quos ſolemnitati Dedicationis ejuſdem Eccleſię, quę nunquam dedicata extitit, pro eo quod idem Monaſterium eſt novella plantatio, cum Dedicatio ipſa fiet, intereſſe contigerit, quod omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad prędictam Eccleſiam in die Dedicationis prędictę, ac deinde Nativitatis, & Reſurrectionis Domini, Beatę Virginis, Sancti Johannis Baptiſtę, ejuſdem Sancti Ludovici, Sancti Dominici, Beati Thomę, Confeſſorum, ac Sancti Petri Martyris feſtivitatibus, & in Paraſceve, ac prędictę dedicationis anniverſario, diebus cauſa devotionis acceſſerint, unius anni, & quadraginta dierum Indulgentiam de injunctis ſibi pęnitentiis concedere valeatis, ex nunc plenam concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Avenione III Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quintodecimo.

Mandatum.

1. *Piſciacenſis.*) De quo in Notis ad *Conſtitutionem XII Clementis V.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo *Piſciacenſi*.

3. *Philip-*

3. *Philippus.*) *IV*, cognomento *Pulcher.* 4. *Philippus.*) *VI*; *Valeſius*, nuncupatus *Catholicus.*

Anno 1331 Die 1 Decembris.

Fratribus Mendicantibus, ut in Inſula Corſicæ (1) Sedes ponere queant (2).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag. 215.

LXXXVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Prędicatorum, & Generalibus Minorum Miniſtro, ac Eremitarum Sancti Auguſtini, ac B. Marię de Monte Carmeli Fratrum Ordinum Prioribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SPerantes in Domino, & fiduciam obtinentes, quod Ordines veſtri, qui rutilant in Eccleſia Dei bonis operibus, & exemplis, per ſuos alumnos dictorum Ordinum, Fratres pręſertim in ſacra pagina eruditos, & prędicatione dominici verbi facundos, indigenas, & habitatores Inſulę Corſicę, quę ad jus, & proprietatem Beati Petri ſpectare dignoſcitur, in fide catholica, ſicut fide digna relatione percepimus, ſeminudos, rudes, & hebetes, utpote minus ſufficienter informatos in illa temporibus retroactis, quamvis glorientur nomine chriſtiano, in eadem fide, boniſque moribus, ſalubriter, & prudenter inſtruant, ac dirigant ad ſalutem, deliberate providimus, ad tantum pręfatę bonum fidei procurandum, gubernandum, & etiam adaugendum, ut in Inſula jam dicta, in qua, ſicut aſſeritur, nullus Religioſorum locus exiſtit (3), pręterquam in Caſtro Bonifatii, Calaritan. Diœceſis, in quo, tu, fili Magiſter, & Fratres dicti Ordinis Prędicatorum unum tantum locum habetis, Ordines ipſi aliqua loca recipiant, & in eis ad Dei cultum, & hujuſmodi ſuum peragendum obſequium, aliorumque Chriſticolarum ſpiritale commodum ex
Concedit ut ſupra. dictis Fratribus nunc, & in poſterum, Fratres collocent opportunos. Ea propter juxta providentiam hujuſmodi ſingulis veſtrum recipiendi per vos, vel alium, ſeu alios, pro ſingulis veſtris Ordinibus ſupradictis tria loca in dicta Inſula, in locis videlicet aptis, & congruis ejuſdem Inſulę per vos legitime acquirenda, unicum duntaxat locum in ſingulis tribus locis prędictis, & in quolibet ipſorum trium locorum recipiendorum Oratorium, & neceſſarias officinas, cum ſuo ambitu, juxta morem, ſeu conſuetudinem dictorum Ordinum, conſtruendi, necnon ad habitandum inibi Fratres ipſius Ordinis ad divinum perpetuum ſervitium, ad ędificationem ſalutis eorum, ipſorumque indigenarum, & habitatorum, & aliorum fidelium, deputandi, abſque pręjudicio Parochialium Eccleſiarum dictorum locorum, & cujuslibet alte-
Clauſula derogans. rius alieni, Conſtitutione fel. record. Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres prędicti, & aliorum Ordinum Mendicantium loca de novo accipiant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, nequaquam obſtante, plenam atque liberam auctoritate pręſentium licentiam impartimur. Volumus autem quod in eadem civitate, ſeu villa, vel caſtro, non niſi unus locus per vos recipi valeat, quinimmo ſi unus veſtrum in aliqua civitate, ſeu villa, vel caſtro aliquo locum reciperet, alii veſtrum recipere loca minime valeant in eis. Nulli ergo &c. noſtrę proviſionis, donationis, & voluntatis infringere &c. Datum Avenione Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Sexto.

1. *Corſicæ.*) In *Mediterraneo.*
2. *Queant.*) Conſulendum Diploma *datum XXX Julii MCCCXXIX.* Quod etiam ſcripſerit *Johannes* Provincialibus *Januenſis*, & *Tuſcanæ* Provinciarum Prædicatorum, & Minorum Ordinum, ut unuſquiſque ſex Fratres idoneos ad Inſulam *Corſicæ* mitteret, auctor eſt *Waddingus Annal. Minor. Tit. III ad an. MCCCXXXI num. XXI.*
3. *Exiſtit.*) Tria hic obiicit *Waddingus* mox laudatus, quem conſulas velim.

Anno 1331 Die 5 Decembris.

F. Petro (1), Ordinis Prædicatorum, Patriarchæ Jeroſolymitano, & Archiepiſcopis, ac Epiſcopis Franciæ, de Bello pro Terra Sancta in Saracenos ſuſcipiendo (2).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXI num. XXX.

LXXXVIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Petro Patriarchę Jeroſolymitano, ac univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis per Regnum Francię conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Philippi Regis Galliæ. GAudemus, & exultamus in Domino, gaudet, & exultat Sancta Mater Eccleſia, & plebs cuncta fidelium poteſt, & debet non indigne lętari, quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Philippus Rex Francorum illuſtris, velut Chriſtianiſſimus Princeps, calamitatibus, miſeriis, ac neceſſitatibus Terrę Sanctę, in qua Salvator noſter ſalutem totius humani generis extitit operatus, & quę per ſordidos Saracenos catholicę fidei inimicos dehoneſtatur continue in Crucifixi contumeliam, & opprobrium nominis chriſtiani, affectu interno compatiens, ac ſummum deſiderium, quod a longo tempore habuit in dictę Terrę Sanctę ſubſidium transfretandi, cupiens ſine tarditatis obſtaculo ducere in effectum, paſſagium ultramarinum, ſicut ipſe nobis per ſuas literas intimavit, ad liberationem dictę Terrę Sanctę de manibus infidelium prędictorum, clarę memorię Chriſtianiſſimorum Regum Francię anteceſſorum ſuorum, qui, caritatis, & devotionis fervore ſuccenſi, velut fideles pugiles, & Chriſti athletę conſtantiſſimi, dictę Terrę Sanctę negotium per retroacta jam tempora fuerunt feliciter proſecuti, imitando veſtigia, cum nonnullis Prelatis, Paribus (3), Baronibus, & multis aliis Regni ſui, & partium aliarum Magnatibus, provida conſultatione, ac via tuta, deliberatione prehabita, ad laudem, & gloriam divini nominis, & catholicę fidei exaltationem, aſſumpſit, firmiterque diſpoſuit, auctore Domino, ad Terram eandem,

ad

ad eripiendum eam de manibus hoſtium prędictorum, & vindicandas injurias, & contumelias, quas dicti hoſtes perfidi Crucis Chriſti in conculcationem, & contaminationem dictę Terrę Salvatori noſtro hactenus intulerunt, & continue inferre in Terra prędicta multiplicibus blaſphemiis, non ſine magno cunctorum catholicę fidei cultorum opprobrio, non deſiſtunt, perſonaliter proficiſci. Et quia idem Rex pro hujuſmodi faciendo paſſagio, ſublato cujuslibet dilationis obſtaculo, iter adverſus Terram eandem arripere infra biennium, ab inſtanti menſe Martii computandum, intendit, nobis humiliter ſupplicavit, ut verbum Crucis proponi, ac prędicari, ad hujuſmodi faciendum paſſagium, univerſis Chriſti fidelibus publice faceremus. Nos igitur ex prędictis diligentius attendentes, quod idem Rex ad Deum, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum dirigens ſtudioſis operibus mentem ſuam, pro divini gloria nominis ſic in terris militare deſiderat, ut in cęlis ab eo ęternę vitę premium aſſequatur; ſuamque propterea devotionem multipliciter in Domino commendantes, dignas laudes, & gratias Altiſſimo, qui hoc dignatus eſt regalibus pręcordiis inſpirare, non immerito proinde exſolvimus reverenter. Cupientes itaque, ut hujuſmodi pium, laudabileque Ipſius Regis propoſitum, ſancta aſſumptio, ipſumque negotium, Deo, cujus agitur cauſa, favente, auſpiciis felicibus proſperentur, & votivis proficiant incrementis; ejuſdem Regis ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtrę, de fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, vos nihilominus obſecrantes per aſperſionem pretioſi Sanguinis Jeſu Chriſti, quatenus commemorantes attente dictę Terrę ſtatum, proh dolor! miſerabilem, quem tu, Frater Patriarcha palpaſti, & conſiderantes provide, quod, cum fidelium ſuorum regimini vos veluti in ſolicitudinis partem aſſumptos prefecerit Dominus, defendere, ac augere fidem catholicam, ut corroboretur, & propagetur in cordibus hominum, plus ceteris tenemini ex officio paſtorali, tanquam prącones fideles, & athletę fortes fidei contra prędictos perfidos hoſtes Chriſti, tu videlicet, frater Patriarcha, in toto Regno Francię, in quo in pręſentiarum moram trahis, generaliter per te ipſum duntaxat; vos vero, fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ſinguli videlicet veſtrum in ſingulis veſtris Civitatibus, & Dięceſibus, per vos, & alias perſonas eccleſiaſticas, ſeculares, & regulares Ordinum quorumcunque, quas ad hoc idoneas fore noveritis, cunctis Chriſti fidelibus per dictum Regnum conſtitutis, proponatis juxta datam vobis, & eis prudentiam, publice verbum Crucis, ac venerabile ſignum ejus, tu, Frater Patriarcha, generaliter in toto Regno prędicto, voſque Fratres Archiepiſcopi, & Epiſcopi in eiſdem veſtris Civitatibus, & Dięceſibus, per vos, & alium, ſeu alios, ut prę mittitur, Ipſis Chriſti fidelibus dicti Regni, & ceteris, undecunque illuc confluentibus, & ejuſdem Crucis ſignaculum devote ibidem ſuſcipere volentibus, quos ad hoc utiles fore credideritis, concedatis &c (4). Ceterum deſiderantes intenſe, ut hujuſmodi ſanctę aſſumptionis negotium optatum ſortiatur effectum, & ejuſdem Regis, ac aliorum Chriſti fidelium pia devotio, orationum adjuta ſuffragiis, circa proſecutionem dicti negotii efficacius roboretur, volumus, & auctoritate pręſentium ordinamus, ut in ſingulis prędictis, & aliis etiam regularibus Eccleſiis dicti Regni qualibet hebdomada ſemel, certa die pręnuntianda populo, una Miſſa pro liberatione dictę Terrę de manibus hoſtium prędictorum, pręfata proſecutione durante, cum infraſcriptis Orationibus, ſolemniter celebretur; ita quod in prima de Trinitate, in ſecunda de Cruce, ac in tertia hebdomadis de B. Maria Virgine, & ſic deinceps Miſſę hujuſmodi debeant celebrari: niſi forſan id feſtivitatis alicujus ſolemnitas impediret, quo caſu poſt orationes feſti ordine ſuo ſemel in hebdomada dicantur Orationes hujuſmodi, ut prefertur. Cunctis quoque fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui durante proſecutione dicti negotii pro ipſius conſummatione felici devote ad Dominum preces effuderint, decem dies, ſingulis videlicet diebus, quibus oraverint, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Prędictę autem Orationes ſunt iſtę: Deus, qui admirabili providentia cuncta diſponis; te ſupliciter exoramus, ut terram, quam Unigenitus tuus proprio Sanguine conſecravit, de manibus inimicorum Crucis eripias, & eam in Chriſtiana Religione tuo nomini ſervire concedas. Per eundem, &c. Oratio ſecreta: Sacrificium Domine, quod immolamus, intende, & propugnatores tuos ab hoſtium malignitate cuſtodias, & in tuę protectionis ſecuritate conſerves. Alia oratio poſt Communionem: Protector noſter aſpice Deus, & fideles tuos ab hoſtium defende periculis, ut ab omni perturbatione ſemoti libera tibi mente deſerviant: Per Dominum, &c. Datum Avenione Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Decimoſexto.

Crucem prædicandam decernit.

Preces ſolemnes hac de re indicit.

1. *Petro.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Suſcipiendo.*) Conſulendus hac de re *Odoricus ad an. MCCCXXXI num. XXX.*

3. *Paribus.*) Nomen eſt dignitatis in *Francia*. Adeas *Du Cange* in *Gloſſario*, Verbo *Par*.

4. *Concedatis &c.*) Hic Summus Pontifex, ut inquit *Odoricus* loco laudato, *pluribus de inflammandis pro concione ad profitendum religioſam militiam fidelibus, & criminum condonatione eam, induto Crucis ſymbolo, obituris propoſita, deque fidelium ſtipe ſacra colligenda interjectis, divinum Numen, ut cœpta feliciter promoveat, exorandum decernit.*

Anno 1332 Die 20 Aprilis.

Fidei Præcones Privilegiis (1) donat.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 455.

LXXXIX. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio (3) de Hungaria, ceteriſque filiis, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Terris Saracenorum (4), Gręcorum, Bulgarorum, Racianorum (5), Ruthenorum, Cumanorum, Tartarorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scytharum (6), Nubianorum, Neſtorianorum, Armenorum, Indorum, Mochelitarum (7), aliarumque non credentium Nationum Orientalium, & Aquilonis, ſeu quarumcunque partium proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. CUm ſit hora nunc pręſens undecima adeo ſaluti congrua, in qua operarii Eccleſię Orthodoxę uſque ad mundi veſperam exire debeant ad excolendam vineam Domini Sabaoth pro denario diurno cęleſtis patrię, ideo dignum, & juſtum eſt, ut vos fideles miniſtri ſatoris ęterni eo magis efficiamini promptiores ad illa bona opera exequenda, & regiones illas, quas nondum bene hucuſque imber cęleſtis gratię infudit, per miniſterium veſtrum vomere ſanctę prędicationis excolatis, & ſemina virtutum, quę vos ſeminaturi eſtis, feliciter in ſegetem pullulent, veſtris monitis de vena ſuperioris irrigui madefactę, capiant verbum Dei, reddantur apte colentibus, ut tandem in ipſis Divini Verbi ſemine ſeminato in ſęcundam ſegetem pullulet, ſeges uberem ſęcundetur in meſſem, creſcentes, veſtro, & aliorum operariorum miniſterio, fructus ſpiritualis conſortii ſacris horreis cumulentur, & in fructiferi oleaſtri germina inſerenda, Concedit ut ſupra. ſacris olivę ramis Chriſticolarum conjungantur, Hinc ex plenitudine divinę clementię, & Apoſtolorum ejus Petri, & Pauli, & noſtra auctoritate concedimus vobis, ut in ipſis Terris infidelium Nationum, ubi Epiſcoporum copia non habetur, loca poſſitis recipere, cemeteria, eccleſiaſtica ornamenta Altaris, pallas, & corporalia conſecrare valeatis, ſicut pro loco, & tempore videritis expedire. Inſuper & concedimus vobis, ut in prędictis partibus Confeſſiones audire poſſitis, ipſoſque jam regeneratos, qui majori excommunicatione fuerint inibi innodati, & ab irregularitatibus, ſi quas contraxerint, abſolvere, ſalutareſque pęnitentias eiſdem injungere valeatis. Ceterum quia vos, cum ſitis de Ordine Mendicantium, non valetis vos juvare, ſine caritativis ſubſidiis Chriſti fidelium; ideo Auctoritate noſtra Apoſtolica concedimus, ut quicunque de numero fidelium Chriſti in eundo, vel morando, ſeu & redeundo, vobis conductum gratis, & pure propter Deum, vel ſubſidium prębuerint, ſecundum qualitatem, & quantitatem ſubſidii omnibus illis vere pęnitentibus, & confeſſis, centum dies de injunctis pęnitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Nulli ergo &c. Datum Avenione XII Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimoſexto.

1. *Privilegiis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar.* Tomo *ultimo Tit. VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum. Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi*.
3. *Laurentio.*) Hic inter Vicarios Generales Fratrum *Peregrinantium* recenſendus videtur.
4. *Saracenorum.*) De *Saracenis*, aliiſque, de quibus hoc in Diplomate, ſæpius ſupra dictum eſt.
5. *Racianorum.*) Scribendum *Raſcianorum*. Regni *Hungariæ* late ſumpti pars eſt *Raſcia*.
6. *Scytharum.*) *Scythæ* populi *Aſiæ*.
7. *Mochelitarum.*) Vide *Notam V* ad Bullam datam XXIII Octobris MCCCXXI.

Anno 1332 Die 8 Julii.

Ut Inquiſitor Maſſilienſis quendam Hæreticum tradat (1) F. Alberto, Ordinis Prædicatorum, Pedemontis Inquiſitori.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXII num. XXXI.

XC. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Badis, Ordinis Fratrum Minorum, Inquiſitori hęreticę pravitatis in Civitate, & Dięceſi Maſſilienſi, per Sedem Apoſtolicam deputato, vel ejus vices gerenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper ex relatione dilecti filii Alberti de Caſtellario, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Inquiſitoris hęreticę pravitatis in partibus Pedemontis, Superioris Lombardię, auctoritate Apoſtolica deputati, ad noſtrum pervenit auditum, quod in Vallibus Lucernę (3), & Peruſię (4), terris utique dilecti filii nobilis Viri Philippi de Sabaudia, Domini Taurinenſis, temporali dominio ſubjectis, ita creverunt, & multiplicati ſunt hęretici, pręcipue de Secta Waldenſium (5), quod frequenter congregationes per modum capituli facere inibi pręſumpſerunt, in quibus aliquando quingenti Waldenſes fuerunt ſimul congregati; quodque dudum, cum pręfatus Albertus vellet ibi Inquiſitionis officium exercere, dicti Waldenſes contra ipſum Albertum Inquiſitorem manu inſurrexerunt armata; & quod quadam die quondam Guillelmum Rectorem Parochialis Eccleſię de Engravia, Taurinenſis Dięceſis, celebrata Miſſa per eum, in platea dictę Villę nequiter occiderunt; ſuſpicantes, quod dictus Rector eos penes Inquiſitorem pręfatum de ipſorum hęreſibus detuliſſet, quodque pręnominati hęretici ipſum Inquiſitorem in quodam caſtro patenter & publice obſederunt ſic, quod oportuit, eum inde recedere, Inquiſitionis ejuſdem officio relicto totaliter imperfecto; quodque tu Martinum Paſcere, qui alias ſe vocari fecit Petrum Martyri, alias Juziani, dictę Dięceſis, unum de hęreticis ſupradictis detines in tuis carceribus mancipatum.

Qui

Qui quidem Martinus principalis in dictis congregationibus & capitulis ipſorum hęreticorum exiſtebat, ac fugitivus omnium Inquiſitorum, qui fuerunt in Pedemonte a viginti annis citra, & generalis prędicator hęreticę pravitatis, quique ſpecialiter prędicat contra Incarnationem Filii Dei, & Eſſentiam Corporis Chriſti in Sacramento Altaris, & qui etiam ſcit totam conditionem terrarum dilectorum filiorum nobilium virorum Marchionis Salutiarum, ac Dominorum de Lucerna, & Philippi de Sabaudia prędibati. Cupientes igitur, ut idem Albertus Inquiſitor de hęreſibus hujuſmodi, & earum circumſtantiis univerſis plenam habere valeat veritatem, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Alberto copiam dicti Martini hęretici faciens, ipſum ſibi in loco tuto tradere, & aſſignare indilate procures, ut idem Inquiſitor poſſit inquirere ſuper iis tam contra Martinum, quam alios hęreticos memoratos; & etiam ipſos quęſtionare, ſi hoc juſtitia patiatur. Datum Avenione VIII Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimoſexto.

1. *Tradat.*) Conſulendus *Odoricus ad an. MCCCXXXII num. XXXI.*
2. *Odorico.*) Legitur etiam apud *Waddingum Annal. Minor. ad An. MCCCXXXII num. VI.*
3. *Lucerna.*) In *Helvetiis.*
4. *Peruſia.*) *Peruſa*, vulgo *La Perouſe*, in *Pedemontio* ad radices *Alpium*.
5. *Waldenſium.*) De quibus in *Notis ad Conſtitutionem XXXIV Innocentii IV.*

Mgiſtro (1) & Definitoribus Generalis Capituli Divionen. (2), ut fidei præcones, ſeu Miſſionarios, ad Infidelium Regiones mittant.

Anno 1333 Die 22 Maii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XCI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Divione congregatis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper ad Apoſtolatus noſtri pręſentiam accedentes dilecti filii Franciſcus de Camelino (4), & Ricardus (5), dictus Anglicus, dicti Ordinis, magnum gaudium viva voce, ac per virorum nobilium, quos aſſerebant converſos ad Chriſtum, literam retulerunt, quod Dominus, qui de tenebris ſecundum Apoſtolum ſplendeſcere lumen dicit, in illis regionibus ſic cordibus gentium illuxit, ut verum eſſe dicatur, quod invocatione Spiritus Sancti gratia eſt effuſa, quodque cum meſſis multa appareat, ſunt divini Verbi operarii multum pauci. Nos igitur, qui diverſitatem gentium adunari in confeſſione Chriſti nominis ferventibus deſideriis affectamus, vos, lucentes in mundo quaſi luminaria continentia verbum vitę, affectuoſe duximus exhortandos, hoc ipſum vobis in remiſſionem veſtrorum peccaminum nihilominus injungentes, quatenus perſonas aliquas in dicto veſtro Ordine in competenti numero ad tam ſanctum, tamque ſalubre miniſterium idoneas, eligatis (6), ac ſic electas ad regiones illas tranſmittatis, divinique Verbi prędicatione, ſanctitate vitę, & honeſtate morum, necnon & doctrina ſana, Dei mereantur fieri adjutores, triticumque purum, & mundum, ac a vitiorum paleis expurgatum, in horrea Domini Sabaoth congregare valeant, & de labore ſuo fructum permanſurum in ſecula reportare. Datum Avenione XI Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo Septimo.

Ordinis præconium.

Mandatum.

1. *Magiſtro.*) Is fuit *Hugo Campanus*; electus hoc anno MCCCXXXIII in *Divionenſi* Capitulo.
2. *Divionen.*) Vulgo *Dijon* in *Gallia*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Actis Capituli Generalis Divionenſis*. Legitur apud *Fontanam Monumen. Dominican. Parte II Cap. III ad annum MCCCXXXIII pag.* 203. Ejuſdem Diplomatis meminit *Carolus* noſter a *S. Vincentio in Chronologia Miſſionum pag.* 103.
4. *Franciſcus de Camelino.*) Seu *Camerino*, de quo dicetur in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
5. *Ricardus.*) De quo in eadem *Appendice*.
6. *Eligatis.*) Adeas *Fontanam* loco laudato.

Verſacht Regi Ziccorum Fratres Prædicatores commendat (1).

Anno 1333 Die 2 Julii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XXXVIII.

XCII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Verſacht Regi Ziccorum (2) illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

TAm per literas tuas, quam ex relatione grata dilectorum filiorum Franciſci de Camerino (3), & Ricardi Anglici (4), Ordinis Prędicatorum, de ipſis partibus ad Nos, & Sedem Apoſtolicam venientium, coram nobis, & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, facta, jucunde percepimus, quod ipſis olim in loco de Voſpro (5) in pręſentia dilecti filii nobilis viri Milleni, Domini dicti loci, evangelizantibus Verbum Dei, & errores, & ſchiſmata, quibus Gręci ab unitate Sanctę Romanę Eccleſię, matris Eccleſiarum omnium, & Magiſtrę, fuerunt hactenus ſeparati, & quorum ſchiſmata tu, & ſubditi tui ſectabamini, & errores, eidem Milleno, ac tibi, & conſiliariis tuis oſtendentibus evidenter; tandem dictus Millenus cum ſuis primo, & deinde tu cum Conſiliariis antedictis, illuminati a Deo, apertis mentis oculis, qui erant hactenus variis tenebroſitatibus obcęcati, & veritate agnita fidei orthodoxę, omnibus Gręcorum erroribus coram populi multitudine copioſa renunciaſtis, & abnegaſtis eoſdem, ac veram Fidem Catholicam, quam pręfata Sancta Romana Eccleſia tenet, docet, & prędicat, veraciter agnoviſtis, & rediiſtis ad ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię unitatem: Tuque alios partium vicinarum in ſimilium errorum prolapſos devium, ut errores abnegarent eoſdem, ac veram, & catholicam fidem agnoſcerent, & ad unita-

Regi de fide Catholica ſuſcepta gratulatur.

Digitized by Google

unitatem redirent eandem, per tuas efficaces literas induxiſti; de quibus gratias agimus largitori omnium gratiarum, qui ſua miſericordia, & virtute per miniſterium evangelizantium prędictorum, te, & dictos conſiliarios, de variis errorum tenebris in lumen verę fidei advocavit, ut in agnitione, & obſervatione catholicę fidei a tantis errorum deviis liberati, vias vitę certiſſimę ambulando, poſſitis in adoptione filiorum Dei merito gloriari, hęreditatis ęternę premium accepturi. Et quia perſonam tuam gerimus in viſceribus caritatis Jeſu Chriſti, & ſperamus quod ipſe, qui illuminavit oculos tuę mentis, dabit tibi, veritatem catholicę fidei agnoſcenti, veram perſeverantiam, & in perfectione creſcere caritatis; excellentiam tuam monemus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, eam per ipſius pretioſi aſperſionem Sanguinis obſecrantes, quatenus illuminatus per veram fidem, & unitatem ejuſdem Eccleſię in via mandatorum Domini, ſicut lucis filius ambules; ac illuminationibus hujuſmodi te dignum per effectum operis exhibens, cum omni timore Domini in agnitione verę fidei, ejuſque obſervatione, ac errorum prędictorum abnegatione perpetua, conſtanti, & immutabili propoſito perſeveres; dictorumque Franciſci, & Ricardi, aliorumque Fratrum ejuſdem Ordinis, ad partes ipſas proficiſcentium, ſalubribus monitis in iis, quę corrobationem catholicę fidei, ac tuę, & ſubditorum tuorum, ſalutem ſapiant animarum, intendas; & nihilominus ſubditos tuos, & alios de partibus ipſis, a veritate ipſius catholicę fidei, & unitate Sanctę Romanę Eccleſię aberrantes, ad abnegationem errorum, & ſchiſmatum prędictorum, & ſuſcipiendum, ac cognoſcendum veritatem fidei orthodoxę, & ad unitatem veram Sanctę Romanę Eccleſię, cui Dominus noſter Jeſus Chriſtus caput eſſe dignoſcitur, veraciter redeundum, horteris pariter, & inducas: ita quod tu, per hujuſmodi exhortationis, & inductionis ſtudium ſalutare, lucrifaciens animas multas Deo, coronam potiorem glorię in excelſis percipere merearis. Nos enim te gratioſe proſequi, tanquam benedictionis alumnum, intendimus, & more patris benevoli favorabiliter confovere, ut tu ei, cui ſervire regnare eſt, liberius, familiarius, conſtantius ipſius beneplacito te coaptes. Datum Avenione VI Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo Septimo.

Fratrum commendatio.

1. *Commendat.*) Legendus *Odoricus ad an. MCCCXXXIII num. XXXVII.*
2. *Ziccorum.*) De quibus in *Nota XIII ad Conſtitutionem CCCXI Innocentii IV.*
3. *Franciſci de Camerino.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
4. *Ricardi Anglici.*) Ibidem de *Ricardo.*
5. *Voſpro.*) Vulgo *Voſpero*, in *Taurica Cherſoneſo*.

Anno 1333 Die 1 Auguſti.

F. Franciſcum de Camerino (1) Eccleſiæ Voſprenſi præficit (2).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XXXVI.

XCIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Franciſco de Camerino, Archiepiſcopo Voſprenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper ex certis rationabilibus cauſis locum vocatum Voſprum, ſitum in terra Gazarię (3), quę in Terrę Tartarorum vaſtitate conſiſtit, populoſum, inſignem, aptum, & accommodum, rerumque temporalium ubertate fęcundum, ad divini nominis laudem, & gloriam, honorem ipſius Eccleſię militantis, & exaltationem fidei ſupradictę, de fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę plenitudine poteſtatis, in Metropolim ereximus, & Metropolis vocabulo curavimus inſignire; auctoritate Apoſtolica ordinantes, ut in dicta Metropoli ſub vocabulo Michaelis Archangeli fundari, & conſtrui deberet Eccleſia Cathedralis; quodque Metropolis ipſa civitas Voſprenſis, & dicta Eccleſia Metropolitana perpetuis futuris temporibus cenſerentur, nuncuparentur, & etiam haberentur; prout in noſtris literis inde confectis plenius continetur. Verumquia, ſicut habet relatio fide digna, Nobis, ac fratribus noſtris expoſita, & cum gaudio intellecta, in eadem Terra Gazarię multi ſchiſmaticorum, & Infidelium nationum ipſius Terrę prędicatione Verbi divini Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinum, qui circa converſionem eorum ad fidem Chriſti diutino tempore laborarunt fideliter, & ferventer, fidem ſuſceperunt eandem, & in ea informati ſunt, & proficiunt per temporum incrementa, & ut quorundam ſupponit devota credulitas, multorum aliorum ad fidem ipſam proceſſu temporis ibidem converſio ſubſequetur; nos plenis deſideriis cupientes pro ſalute animarum, & ampliatione fidei prelibatę, dare operam efficacem, ut tanti boni commodum valeat feliciter provenire; conſiderantes quoque, ad proſecutionem & promotionem ejuſdem boni fore utilem, quinimmo neceſſariam perſonam eruditam in ſacra pagina, & expertam, in te dicti Prędicatorum Ordinis profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, ſufficienter inſtructum in dicta pagina, prout didicimus, & expertum, qui, ſicut habet relatio ſupradicta in noſtris, & eorundem fratrum noſtrorum auribus inſtillata in dicta Terra Gazaria, aliiſque adjacentibus partibus una cum eiſdem dictorum Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratribus, in converſione ſchiſmaticorum, & aliorum infidelium prędictorum magno intervallo temporis indefeſſe, ac ſollicite laboraſti, & in eorum converſione hujuſmodi profeciſti etiam fructuoſe; quique partes frequentaſti prefatas, illorum hominum noſti mores, & qualitates, atque conditiones partium earundem, aciem direximus noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, nobis, & dictis fratribus noſtris, conſideratis premiſſis, accepta, dictę Voſprenſi Eccleſię, de fratrum noſtrorum conſilio prędictorum, auctoritate Apoſtolica providimus, teque illi pręficimus &c (4). Datum Avenione Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo Septimo.

F. Franciſcus Archiepiſcopus creatur.

1. *F. Franciſcum de Camerino.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Præficit.*) Adeas *Odoricum ad annum MCCCXXXIII num. XXXVI, & Waddingum Annal. Minor. ad annum MCCCXXXIII num. VI.*
3. *Gazaria.*) Sic vocant *Tauricam Cherſoneſum*, vulgo *Tartariam Minorem* dictam. Ab incolis *Precopika* nuncupatur.
4. *Præficimus &c.*) Quædam hic deſunt.

Johan-

Johanni Piſano, ut Græcos inducat (1) ad unitatem Fidei ſecundum ſpem, quam de ipſo ingeſſerunt Fratres Prædicatores.

Anno 1333 Die 4 Auguſti.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XVIII.

XCIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Piſano, Conſiliario magnifici viri Imperatoris (2) Grecorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm tam per tuas, quam quorundam aliorum de partibus ipſis literas, per dilectum filium Leopardum Capellanum tuum nobis oblatas, necnon relatione venerabilium fratrum noſtrorum Franciſci (3) Archiepiſcopi Voſprenſis, & Ricardi (4) Epiſcopi Cerſonenſis, pridem de dictis partibus ad Sedem Apoſtolicam accedentium, grate percepimus nova proſpera, & nobis, ac fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus grata plurimum, & accepta, referantia bonam diſpoſitionem Grecorum, & preſertim S. Baſilii .... & S. Demetrii Monaſteriorum Abbatum, quam ipſi ad redeundum ad obedientiam S. R. E. Matris cunctorum fidelium, & orthodoxę fidei unitatem habere, ut dictę continebant literę, conſtanti propoſito aſſeruntur. De quo laudes, & gratias Altiſſimo referentes, tuęque ſolicitudinis ſtudium, in hac parte adhibitum, & quod in hujuſmodi negotii conſummatione felici adhibere proponis, dignis in Domino laudibus commendantes, diſcretionem tuam rogamus in Domino, & hortamur, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus prefatos Abbates, & Grecos in hujuſmodi laudabili eorum propoſito corrobores, & confirmes, ac eos ad illud realiter conſummandum inducas &c (5). Datum Avenione II Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo Septimo.

Hortatur ut ſupra.

1. *Inducat.*) Adeas *Odoricum ad an. MCCCXXXIII num. XVII, XVIII, & XIX.*
2. *Imperatoris.*) *Andronici Junioris.*
3. *Franciſci.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
4. *Ricardi.*) Ibidem de *Ricardo.*
5. *Inducas &c.*) Nonnulla hic deſiderantur.

Andronicum Græcorum Imperatorem ex his, quæ de ipſo retulerunt Fratres Prædicatores, ad unitatem Fidei cohortatur (1).

Anno 1333 Die 4 Auguſti.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XVII.

XCV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, viro magnifico Andronico, Imperatori Grecorum illuſtri, gratiam in preſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

PRidem venerabiles fratres noſtri Franciſcus (2) Archiepiſcopus Voſprenſis, & Ricardus (3) Epiſcopus Cerſonenſis, ad Sedem Apoſtolicam de ipſis partibus venientes, nobis, & fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus, in Conſiſtorio exponere curaverunt bonam voluntatem, & intentionem devotam, quam tu, & alii de partibus ipſis, habetis ad veritatem catholicę fidei cognoſcendam, & redeundum ad Sanctę Romanę Eccleſię, Matris Eccleſiarum omnium, & magiſtrę, a cujus gremio fuiſſis tu, & alii ſupradicti, tam longis & deflendis temporibus ſeparati, veram obedientiam, & indiſſolubilem unitatem; quodque niſi unio hujuſmodi procuretur, Imperio Conſtantinopolitano, propter perfidos Saracenos, quorum prava intentio ad exterminium nominis Chriſtiani, & ad occupandum ſpecialiter partes ipſas, prout experientia facti docet, ardenter aſpirat, magnum noſcitur periculum imminere. Nos igitur bonam voluntatem & intentionem hujuſmodi, quę nobis, & eiſdem noſtris fratribus, plurimum grata fuit, dignis in Domino laudibus commendantes, ac cupientes, prout ex iniuncto nobis officio Apoſtolatus incumbit, ut Catholica Eccleſia toto orbe diffuſa, cujus Salvator noſter Dominus Jeſus Chriſtus caput eſſe dignoſcitur, in vinculo dilectionis, & pacis, ac in identitate mentium adunetur, necnon ut animarum, & aliis periculis, quę ipſis partibus imminent, obvietur, magnificentiam tuam rogamus in Domino, & hortamur, eam per aſperſionem pretioſi Sanguinis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti obnixius obſecrantes, quatenus attente conſiderans, qualia, quot, & quanta bona preter animarum ſalutem, quę eſt principalius attendenda, tibi, & ſubditis tuis, & cuncto Populo Chriſtiano ſint procul dubio proventura, ſi Grecorum Eccleſia redintegretur, eidem Sanctę Romanę Eccleſię in caritatis glutino, & verę fidei unione, tuamque intentionem ſalubrem deducens celeriter in effectum, pro bono, & pacifico ſtatu Populi Chriſtiani, & ſubditorum tuorum, & tuę, ac ipſorum animarum ſalute, nec non pro ampliatione catholicę fidei, animum tuum, repulſis perſuaſionibus contrariis quibuſcunque, ad ... (4) errores & ſchiſmata, quibus diabolica fraus te, & Grecorum populum ſic diutius obcęcavit, & ad veram obedientiam, & unitatem ipſius Sanctę Romanę Eccleſię redeundum, conſtanti, & invariabili propoſito habilites, & coaptes, & ad ovile Domini redeas properanter, tuoſque ſubditos ad hęc inducas pariter, & horteris; tempus preparatum ad bonum, & benevolentiam Apoſtolicę Sedis oblatam tuę magnitudini, non permittens de manibus tuis excidere, ſed ea cum gratiarum actione, ac efficaci aſſumptione negotii plenis affectibus proſequaris, ſciturus pro certo, quod facta redintegratione predicta, Sedes Apoſtolica te tanquam cariſſimum filium ſic favorabiliter & gratioſe tractabit, & habebit in viſceribus caritatis, quod gaudere poteris in ea matrem benevolam in tuis opportunitatibus inveniſſe. Datum Avinione II Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo Septimo.

Hujus diplomatis cauſa.

Exhortatio.

1. Cohor-

1. *Cohortatur.*) *Depreſſus . . . Turcorum graſſationibus Andronicus*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCXXXIII num. XVII, *adducendæ ad Romanæ Eccleſiæ conjunctionem, & obſequium, Orientalis Eccleſiæ, pium deſiderium præ ſe tulit, deque ea redintegranda, cum duobus e Dominicana familia Antiſtibus, qui chriſtiana fide inter Zichos, & Gothos longe lateque amplificata palmis onuſti, ad Sedem Apoſtolicam redeuntes, ut eam de Rege Zichorum converſo, de quo agetur inferius, facerent certiorem, per Conſtantinopolim iter habuerant, ſermones contulit. Quibus recreatus Pontifex, datis ad Andronicum literis, paratum ſe ad eum Apoſtolico ſinu excipiendum ſignificavit, eaque unica re Græcos Turcarum tyrannidem evaſuros.*

2. *Franciſcus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

3. *Ricardus.*) Ibidem de *Ricardo.*

4. *Ad . . .*) *Ad Abjurandum.*

Anno 1333 Die 4 Auguſti.

Græcis ut Schiſma deponant (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XVIII.

XCVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto (3) Fratri Patriarchę (4), ac viro Magnifico Andronico (5) Imperatori, necnon univerſo populo Gręcorum, ſpiritum gratię ſalutaris.

Exordium.

AD unitatem fidelium, & univerſorum ſalutem, eorumque ſtatum proſperum, & tranquillum, totis ſtudiis, prout ex Apoſtolatus nobis incumbit Officio, intendentes, illud pręcipue in mente gerimus, & ad hoc libenter partes noſtrę ſolicitudinis impartimur, ut Catholica Eccleſia, toto terrarum Orbe diffuſa in vinculo dilectionis, & pacis, caritatis glutino, & identitate mentium adunetur, Chriſtique oves, per Vicarii ſui in terris vigilias rectitudine Fidei, & verę doctrinę directione paſcantur. Nuper ſiquidem, non ſine gravi amaritudine cordis, multorum fide dignorum, de partibus ipſis ad Apoſtolicam Sedem venientium, relatione, percepimus, quod licet vobis, & aliis partium vicinarum Ritum veſtrum ſequentibus a tempore antiquati & pernicioſi ſchiſmatis, quo vos ab unione Sanctę Romanę Eccleſię cunctorum fidelium verę Matris, & rectitudine catholicę fidei ſeparaſtis, pręter animarum pericula, quę proh dolor! evenerunt, in temporalibus continuato tempore male ſucceſſit; ac multę injurię, jacturę, & violentię ſint illatę, veſterque ſtatus decreverit, & depreſſius ſemper extiterit; nunc perſecutiones hoſtiles, & agreſſiones horrendorum Saracenorum, hoſtium nominis chriſtiani, & aliorum infidelium, qui ad occupandas veſtras, & alias partes Romanię (6) invicem colligati, & confęderati fore dicuntur in exterminium veſtrum, fortius ſolito ſuſtinetis, & ſęviores in futurum pati veriſimiliter formidatis: quodque vos, iſtis in debitę conſiderationis libratis examine, diſpoſuiſtis, & properaſtis, prout venerabiles Fratres noſtri Franciſcus (7) Archiepiſcopus Voſprenſis, & Ricardus (8) Epiſcopus Cerſonenſis, ad nos, & Sedem prędictam de ipſis partibus venientes, habet grata relatio facta nobis, animos veſtros, ad redeundum ad obedientiam ipſius Sanctę Romanę Eccleſię, ac orthodoxę fidei unitatem (9). Propter quod nos more patris benevoli, qui oberrantes filios libenter reducit ad tramitem veritatis, erga vos, ſicut depreſſos, & afflictos cordiali compaſſione commoti, ac ſperantes, tempus reductionis veſtrę ad rectitudinem verę fidei, & unionis univerſalis Eccleſię adveniſſe, providimus, bonam intentionem veſtram Apoſtolicis exhortationibus confirmandam, & excitandam, ut deducatur celeriter in effectum. Eapropter univerſitatem veſtram rogamus in Domino, & hortamur, eam per aſperſionem pretioſi Sanguinis Domini noſtri Jeſu Chriſti obnixius obſecrantes, quatenus, conſiderantes attente depreſſiones innumeras, & jacturas, quas eſtis a tempore ſeparationis veſtrę hujuſmodi ab unitate Eccleſię prędictę perpeſſi, ac animarum, & perſonarum pericula vobis imminentia ſęviora, necnon quot, & quanta bona, pręter animarum ſalutem, tranquillitatem, pacem, & bonum ſtatum, quę nedum vobis, ſed & univerſali Eccleſię Sanctę Dei, cunctiſque fidelibus ſit veſtra redintegratio productura, ad unitatem, & obedientiam ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię ſine dilatione aliqua properetis, & ad ovile Chriſti redeatis, veſtramque intentionem laudabilem in realem deducatis effectum; ac a vobis quęlibet ſchiſmata, & errores, quibus diabolica fraude fuiſtis hucuſque decepti, penitus abigatis. Quę ſi, ſicut ſperamus, Domino faciente, complenda duxeritis, ipſa mater Eccleſia, vobis, ad eam redeuntibus, ſinum ſuę largiſſimę pietatis aperiet, conſolationem, & pietatem impendet, ac in veſtris neceſſitatibus opportuna ſubſidia miniſtrabit. Datum Avinione II Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Decimo Septimo.

Hortatur ut ſupra.

1. *Deponant.*) *Nec Andronicum modo, verum etiam Patriarcham, & Clerum, populumque Græcorum, ad reſtituendam priſtinam incorruptæ fidei puritatem, & ſchiſma, quod tot immanes, non animabus modo, verum & corporibus, clades intuliſſet hactenus, abolendum hortatus eſt; cum hujuſmodi felici cum Eccleſia conjunctione imminens a Turcis ſervitutis jugum depulſuri eſſent.* Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XVIII.

2. *Odoricus.*) Laudat *Epiſtolam MCCCXIII Partis II Regeſti XVII.* Legitur etiam apud Eminentiſſimum Cardinalem *Cozzam* in *Hiſtoria Polemica.*

3. *Dilectis in Chriſto.*) Ab amanuenſi, vel librario *Odorici* hæc lectio. Patriarchas enim ſalutans Summus Pontifex ſcribit *venerabili Fratri*: vel dicendum, quod propter ſchiſma, *Dilectus*, non vero *Venerabilis* vocatus eſt Patriarcha.

4. *Patriarchæ.*) *Conſtantinopolitano.*

5. *Andronico.*) Hujus nominis *III*. *Junior* nuncupatur.

6. *Romaniæ.*) Seu *Thraciæ.*

7. *Franciſcus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

8. *Ricardus.*) Ibidem de *Ricardo.*

9. *Unitatem.*) Turbatus videtur locus, ſic legerem: *Diſpoſuiſtis, & præparaſtis, prout per venerabiles Fratres noſtros Franciſcum Archiepiſcopum Voſprenſem, & Ricardum Epiſcopum Cerſonenſem ad Nos, & Sedem prædictam de ipſis partibus venientes, habet grata relatio facta nobis, animos veſtros ad redeundum ad obedientiam ipſius Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Orthodoxæ fidei unitatem.*

Ar-

Archiepiſcopo Voſprenſi, & Ricardo Cerſonenſi Epiſcopo, ut Græcos evellant e Schiſmate (1).

Anno 1233 Die 4 Auguſti.

Ex Odorico (2) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num.XIX.*

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Franciſco (3) Archiepiſcopo Voſprenſi, & Ricardo (4) Epiſcopo Cerſonenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XCVII.

ARduis meos ooſtra jugiter occupata diverſis inter cunctas ſolicitudines, noſtris humeris incumbentes, ad illud ſuſpirat ardentius, illudque in ſolidę caritatis ardore orationibus devotis expoſcit, ut lapis ille angularis, qui fecit utraque unum, ſuam ſanctam, & univerſalem Eccleſiam. toto terrarum orbe diffuſam, omnium ſchiſmatum ſciſſura ſemota, miſericorditer integrans, in unitate fidei orthodoxę aduoare dignetur: & præſertim ut Gręcorum Eccleſia, tam longis, & deflendis temporibus ab ejuſdem univerſalis Eccleſię corpore mutilata, antiquati jam ſchiſmatis ſeminariis penitus amputatis, ad unionem ejuſdem corporis, tanquam magnum, & nobile membrum ejus, auctore Domino, reducatur. Sane dum in mente revolvimus innumerabilia animarum pericula, cunctis deflenda fidelibus, incommoda perſonarum, rerumque diſpendia, oppreſſiones ionumeras, depreſſiones immenſas, quę dicti Gręci, ex quo ab unione Sanctę Romanę Eccleſię, Matris omnium, & Magiſtrę, proh dolor! diverterunt hactenus, uſque ad hęc tempora ſuot perpeſſi, & quę, ſicut facti evidentia norum reddit, non utinam augmentata. fera paganitas, & ſeveritas Saraceoica in magnam & execrabilem Chriſtiaoi nominis contumeliam, ipſis noviter intulerunt, & inferre ſęvius machinantur; ſtatui eorum depreſſo, & afflicto compatimur, & erga eos pietatis viſcera, prout ex injuncto nobis Apoſtolatus incumbit officio, miſericorditer aperimus; Sperantes io miſericordia Jeſu Chriſti, ut ipſe, cujus judicia ſunt abyſſus, tempus reductionis eorum per vexationem hujuſmodi adveniſſe, ac Gręcis ipſis per hoc cognoſcendi ſuam Omnipotentiam, & ad unitatem Catholicę fidei, ac obedientiam S. Romanę Eccleſię firmo, & conſtanti propoſito redeundi, rectum intellectum prębuiſſe, ac prębere, demonſtret. Cupientes igitur, oves dominicas, quę ſic ſpiritualiter, & temporaliter pereunt, ad ovile Domini revocare, ut ſecundum divinam ſententiam ſit unum Ovile, & unus Paſtor, Latinorum, & Gręcorum Populis in unitate orthodoxę fidei congregatis, & in caritatis ardore conjunctis; utilitates etiam innumeras, animarum ſalutem, necnon bonum publicum, quę ex redintegratione bonorum ipſorum unitati ejuſdem Sanctę Romanę Eccleſię ſperamus indubie, Deo auſpice, provenire, debita meditatione penſantes: Credentes quoque firmiſſime, quod vos tanquam viri probatę vitę, facundi eloqueotia, & lingua diſerti, circa hujuſmodi noſtrum deſiderium exequendum, veſtros labores, ac ſtudia opportuna diligentia fideliter convertetis; Fraternitati veſtrę, de qua in iis, & aliis gerimus confideotiam in Domino ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta in virtute Sanctę Obedientię diſtricte pręcipimus, & mandamus, quatenus ad partes illas vos perſonaliter conferentes, in illius virtute, qui neminem vult perire, tam Clero, quam Populo Gręcorum ipſorum pręmiſſa animarum pericula, diſpendia perſonarum, rerum, & bonorum incommoda, quę ipſis ex ſeparatione hujuſmodi, juſto Dei judicio, contigerunt; necnon, & graviora diſpendia, quę eis, oiſi redintegrentur unitati ejuſdem Romanę Eccleſię a prędictis Infidelibus pręparantur: animarumque ſalutem, & profectus immeoſos, ac publica commoda, quę non ſolum eis, ſed Catholicę Fidei, ac toti univerſali Eccleſię ex membrorum ſuorum reſtitutione, auctore Domino, ſunt firmiter proventura, exponere, juxta quod vobis Dominus, cujus negotium agitur, miniſtrabit, prudenter, & ſolicite ſtudeatis; ipſoſque viis, & modis ſalubribus, ac inductionibus, & exhortationibus opportunis, inducere, ot catholicę fidei puritatem, quam dicta Sancta Romana Mater Eccleſia, cujus Dominus noſter Jeſus Chriſtus caput eſt, & ſolidum fundamentum, firmiter tenet, docet, & prędicat, velint ſincero, & humili corde ſuſcipere, eamque publice, & firmiter profiteri; dictę quoque Sanctę Romanę Eccleſię Primatum agnoſcere, & ad ejus unionem, & ſalutarem obedientiam properare. Quę ſi, ut ſperamus, Dnmioo inſpirante, perſecerint, ipſa Mater Eccleſia filiis redeuntibus ſinum largiſſimę pietatis aperiet, conſolationem, & caritatem ipſis impendet, & io eorum opportunitatibus ipſos, ſicut cariſſimos filios gratioſe, ac favorabiliter pertractabit. Datum Avinione II Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Aono Decimo Septimo.

Exordium.

Infortunia Græcorum deſcriuit.

Mandatum.

1. *Schiſmate.*) *Decreti . . . ſunt*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCXXXIII num.XIX, *ad ſanciendum Orientalium cum Romana Eccleſia fœdus Nuncii, de quibus memoravi, Franciſcus, & Ricardus, Ordinis Prædicatorum alumni, qui Pontificalibus ſacris initiati ad Zichos in orthodoxæ Religionis cultu confirmandos erant reverſuri, ac ſubiecto Diplomate ad cœpta feliciter provehenda auctoritate inſtructi.*

2. *Odorico.*) Citat *Epiſtolam MCCCXXXIX Partis II Regeſti XVII Johannis XXII.* Legitur apud Cardinalem Corzam in *Hiſtoria Polemica*.

3. *Franciſco.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

4. *Ricardo.*) Ibidem de *Ricardo*.

Anno 1333 Die 5 Septembris.

Generalem Miniſtrum Fratrum Minorum, & Fratrem Arnaldum de Sancto Michaele Ordinis Prædicatorum ad Reges Angliæ, & Scotiæ legat (1).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXXIII. num.II.

XCVIII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Geraldo (2) Othonis, Generali Miniſtro Minorum, & Arnaldo (3) de Sancto Michaele, Prędicatorum Ordinum, Fratrum, Pęnitentiario noſtro, Sacrę Theologię Profeſſoribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Legatio. CUm, ſicut nimia diſplicenter percepimus, his diebus pacis ęmulus, & humani generis inimicus inter cariſſimos in Chriſto Filios noſtros Eduardum Anglię ex parte una, & David Scotię, Reges illuſtres, ex altera, gravis diſſenſionis (4) materiam ſuſcitarit, adeo Reges ipſos commovens diſſidentes, quod non juribus, ſed congreſſibus bellicis decreviſſe videntur, velle exortam dirimere quęſtionem, qui tamen affinitatis attento vinculo, quo junguntur invicem, pręter cognationem naturalem, quam natura constituit inter homines, ſe deberent potius mutuis fulcire pręſidiis, & favoribus confovere; ac illis, quę pro temporum diverſitate contingit emergere, quantumcunque gravia, quantumcunque difficilia, tractatibus ordinare domeſticis, & familiaribus collationibus expedire. Nos animarum pericula, ſtrages corporum, damna rerum, quę dicta diſſenſio, proh dolor! intuliſſe dicitur, ante mentis noſtrę oculos expendentes, necnon & conſiderantes attente, quantis ſit onuſta periculis, quantiſque plena diſpendiis, quantaque multorum diſcrimina ſecum trahat dicta diſſenſio, quantaque impedimenta comminatur Terrę Sanctę negotio, niſi ocius occurratur: Ad hujuſmodi ſedandam diſcordiam, & turbatę pacis fędera reformanda, vigilantibus ſtudiis intendentes, ac de circumſpectione veſtra gerentes fiduciam pleniorem, vobis diſtricte pręcipimus, & mandamus, quatenus ad partes illas vos perſonaliter conferentes, Reges ipſos ad pacem, & concordiam, juxta datam vobis ex alto prudentiam, ſolicitis monitis, & efficacibus ſuaſionibus, inducatis, ut auxiliante Domino, qui pacis eſt Auctor, & humanę ſalutis amator, veſtraque cooperante vigilantia, tam utilis, & neceſſaria Fidei orthodoxę concordia poſſit utiliter provenire. Ut autem bonum pacis hujuſmodi, iis interim, quę afferre in hac parte impedimentum valerent, vel viam pacificam difficiliorem reddere, ceſſantibus, melius & utilius valeat procurari, Reges eoſdem ad ceſſandum a congreſſionibus, & offenſionibus mutuis, & propterea treguas, pacis repręſentantes imaginem, duraturas uſque ad aliquem competentem terminum, ineundum, exhortari, & inducere procuretis. Quas quidem treguas, ſi eas pręfati Reges inierint, auctoritate noſtra confirmandi, roborandi, & valiandi pęnis, & ſententiis, de quibus videritis expedire, necnon diſſolvendi, vacuandi, annullandi, ac irritandi quaſvis colligationes, confęderationes, & pactiones inter quoſcunque occaſione diſſidii hujuſmodi nutriendi, ſub quacunque forma vel expreſſione verborum factas quomodolibet, vel initas, pęnas ſuper eis adjectas, & juramenta pręſtita, cum juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debeat, nihilominus relaxando, plenam vobis concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Avinione Nonis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Octavo.

1. *Legat.*) *Davide enim & Baliolo, qui ſuperiori anno parta elatus victoria ad Sconam regnum inierat,* inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num.XXIII, *de ſceptro Scotico certantibus, Eduardus Baliolum beneficio ejus Scotiam acceptam ſe relaturum pollicentem, tuendum ſuſcepit; quem Pontifex ab inferendo bello, propoſitis ingentibus, quæ inde emergerent, redundarentque in rei catholicæ exitium, calamitatibus, abducere ſubjectis verbis eſt conatus.* Hic Pontificiis verbis relatis, addit: *Nec minus operæ poſuit, ut ad colendam cum Anglo pacem Davidem perpelleret, cui etiam objecit, ipſum bello cauſam præbuiſſe, cum promiſſa a parente Roberto Bruſio non perfeciſſet, quæ ut, abjecta omni mora, in opus perduceret, eſt adhortatus. Dum hæc ad conciliandos Reges Avinione ſcribebat Pontifex, Reges validis ſuccincti exercitibus (David enim ad ſolvendam Warvici obſidionem advolarat) infeſtis animis concurrere. Inclinavit ad Anglos victoria, & Warvicum Angliæ reſtitutum: moxque decreti a Pontifice Geraldus Othonis ſummus Minoritarum Præfectus, & Arnaldus e S. Michaele, Ordinis Prædicatorum Religioſus vir, Apoſtolici Nuncii, quo diſſidentes Reges ad priſtinam concordiam adducere ſtuderent.*

2. *Geraldo.*) *Gerardo.*

3. *Arnaldo.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.* Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord.* ad an. *MCCCXXXIII pag.584.*

4. *Diſſenſionis.*) Adeas *Odoricum Raynaldum* loco laudato: Audiendus etiam *Waddingus Annal. Minor.* ad annum *MCCCXXXII num.IV*, ubi hæc habet: *Poſtquam hi Legati* (Gerardus & Arnaldus) *Luteciam Pariſiorum pervenerunt, Procurator Regis Scotiæ eis ſignificavit, inutiliter transfretaturos, dum Rex extra Scotiæ Regnum alio perrexit, nec alicui vices ſuas, aut poteſtatem commiſerit, ut de pace ineunda cum Anglo paciſceretur. Hæc illi inſinuant Pontifici, reſponſumque accipiunt, ut regrediantur, ſi velint. Gerardo vero poteſtatem facit, ut in Angliam, vel ad alias quaſque partes ad ſui Ordinis regimen, aut negotia poſſit abire.*

Anno 1333 Die 5 Septembris.

Angliæ Regi, ut pacis Oratorum precibus cedat (1).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXXII num.III.

XCIX. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo filio Regi Anglię (2) illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hortatur ut ſupra. NOn ſine multa mentis amaritudine, fili cariſſime, percepimus his diebus, quod zizanię ſator, cunctorumque malorum incentor, inter te, ac cariſſimum in Chriſto filium David illuſtrem Regem Scotię, adeo gravis diſſenſionis injecit ſemina, quod jam ad tam diros congreſſus bellicos proceſſiſtis mutuo, quod, proh dolor! gens innumera in eiſdem cecidiſſe dicitur, nec his contenti ad graviora, hinc inde vos, ut fertur, diſponitis inferenda. Nos igitur more pii patris, quem incommoda filiorum non prętereunt, ad hujuſmodi ſedandam diſcordiam, turbatęque pacis fędera reformanda, necnon ad hu-

Digitized by Google

hujuſmodi ſemina, ne pernicioſam coaleſcant in ſegetem, extirpanda radicitus, vigilantibus ſtudiis intendentes, dilectos filios Geraldum Othonis Generalem Minorum, & Arnaldum de Sancto Michaele, Pœnitentiarium noſtrum, Prędicatorum, Ordinum profeſſores, Magiſtros ſacrę paginę ad tuam, & dicti Regis pręſentiam deſtinamus. Quocirca Serenitatem Regiam rogamus, hortamur, & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto, in remiſſionem tibi peccaminum ſuadentes, quatenus pacis commoda, & diſſenſionum crimina conſideranter attendens, ſummi, pacificique Regis intuitu, noſtrorumque precaminum interventu, ad pacem regalem habilitans animum, pręmiſſos Nuncios benigne recipias, eorum exhortationibus, ac ſalutaribus monitis acquieſcas; ut per hęc non ſolum Regno tuo quietem indulgeas, ſed & publicę utilitati provideas, Dei ſervitiis, Terrę Sanctę negotiis, quę per tuam, & ſępefati Regis diſcordiam impedimenta noſcuntur recipere, conſulas, illumque tibi retributorem conſtituas, qui fidelium obſequia in reſurrectione juſtorum ſine retributione ineffabili non relinquet. Datum Avenione Nonis Septembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Octavo.

1. *Cedat.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Regi Angliæ.*) *Eduardo* ſcilicet. Notat *Waddingus* loco laudato num. IV, quod *ſimiliter ſcripſit* Summus Pontifex *ad Davidem Scotiæ Regem, necnon ad Franciæ Regem & Reginam, ad Iſabellam Matrem, & Philippam conjugem Edvvardi, Angliæ Reginas, ad Johannem Regis Fratrem Comitem Cornubiæ, ad Prælatos & Proceres Regni, ad Icherium de Concorreto, Sedis Apoſtolicæ tunc Nuncium in Anglia, ut ſuas operas interponerent, pro ſtabilienda pace, ne bellum imminens erumperet in ſtrages populorum, Regnorum ruinam, & impedimentum belli ſacri, quod Saracenis eo anno ſtatuit Pontifex indicere.*

Ut Iſabella, Regina Angliæ, Fratres Geraldum Miniſtrum Generalem Minorum, & Arnaldum Ordinis Prædicatorum, S. Sedis A. Legatos (1) habeat commendatos.

Anno 1333 Die 15 Septembris.

Ex Odorico in Supplemento Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XXIII.

C.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Iſabelli (2) Reginę Anglię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NOn ſine multa mentis amaritudine percepimus his diebus, quod zizanię ſator, cunctorumque malorum incentor, inter cariſſimos in chriſto filios noſtros Eduardum Anglię, natum tuum, & David Scotię, Reges illuſtres, adeo gravis diſſenſionis injecit ſemina, quod jam ad tam graves congreſſus bellicos proceſſerunt mutuo, quod, proh dolor! gens innumera in eis dicitur cecidiſſe: nec his contenti ad graviora inferenda hinc inde, ſicut aſſeritur, ſe diſponunt &c. (3). Tuam excellentiam exhortamur attentius in Domino, & rogamus, quatenus pacis commoda, & diſſenſionum diſcrimina conſideranter attendens, Nuncios pręfatos benigne recipias, eiſque favoribus opportunis ſuper pręmiſſis aſſiſtas, ſummi, pacificique Regis intuitu, ac noſtrorum precaminum interventu, dictum Regem natum tuum inducendo ſedule, aliaſque dando opem, & operam efficaces, ut pax Deo grata, & hominibus bonę voluntatis deſiderata plurimum, Regibus prędictis, & eorum Regnis proveniat, Terręque Sanctę negotio, cui per diſcordiam Regum ipſorum impedimenta pręſtarentur noxia, profutura; ut per hoc illum tibi retributorem tuę ſolicitudinis & laboris conſtituas, qui fidelium obſequia in retributione juſtorum ſine retributione ineffabili non relinquet. Datum ... (4) XVII Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno VIII (5).

Hujuſce Diplomatis cauſa.

Commendatio.

1. *Legatos.*) Vide *Notas ad Bullam datam V Septembris MCCCXXXIII.*
2. *Iſabelli.*) *Iſabellæ: ſeu Eliſabeth.*
3. *Diſponunt &c.*) Quædam hic omiſit *Odoricus*, quibus, ut ipſemet notat, Summus Pontifex *Iſabellam* monet, *ſe ex Apoſtolica ſolicitudine ad extinguendum bellum atrox Geraldum Othonis Minoritarum ſupremum Præpoſitum, atque Arnaldum e S. Michaele Ordinis Prædicatorum Internuncios mittere.*
4. *Datum...*) *Avenione* datum eſſe Diploma, liquet ex præcedentibus, & ex Geſtis *Johannis XXII.*
5. *VIII.*) Sic Amanuenſis. Legendum *XVIII*, hoc enim Anno Fratres *Geraldum*, & *Arnaldum* legationem obiiſſe, conſtat ex Hiſtoricis *Angliæ*, ex præcedenti Diplomate, & ex Bulla Legationis data *V* Septembris *MCCCXXXIII.*

Quædam Fidei Præconibus, ſeu Miſſionariis, Ordinis agenda præſcribit (1).

Anno 1333 Die 3 Octobris.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XLII.

CI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Fratribus Ordinis Prędicatorum in Terras Saracenorum, Paganorum, Gręcorum, aliarumque non credentium nationum Orientalium, & Aquilonarium, ſeu quarumcunque aliarum partium proficiſcentibus, & pro Chriſto peregrinantibus (3) Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

UT veſtrum Sanctum miniſterium felicius, auctore Domino, proſperetur, & optatum de bono in melius ſuſcipiat incrementum; intendentes quoque animarum prędictorum, & aliorum fidelium partium earundem ſaluti utiliter providere; vobis, & ſingulis veſtrum tam in Sacerdotii, quam Diaconatus Ordinibus conſtitutis, ut omnes, & ſingulos partium prędictarum, de quibus dubitatur, an fuerint baptizati, vel non, baptizare, juxta proviſionem Juris in hujuſmodi caſu adhibitam, valeatis his verbis pręmiſſis: videlicet: Si baptizatus es, non te rebaptizo: Sed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Inſuper eiſdem fidelibus de partibus antedictis taliter Ordinatis, ſcilicet non rite, qui divina, ut pręmittitur, celebrarunt, quod a veſtri Ordinis, vel aliis Epiſcopis, gratiam, & communionem dictę Sedis habentibus, & in

Exordium.

Nota:

Præſcribit ut ſupra.

& in partibus commorantibus antedictis, tam Minores, quam Sacros Ordines ſtatutis temporibus, aliquo
Etiam circa Ordines Majores, & Minores. tamen intervallo in hujuſmodi Sacris Ordinibus recipiendis, & conferendis. propter eorum reverentiam, obſervato, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit: alioquin omnes una, & eadem die ſimul præfatos Ordines Sacros, & Minores pro hujuſmodi ſcandalo evitando, recipere; ipſiſque Epiſcopis, qui dictos Minores, & ſacros Ordines perſonis eiſdem ſecundum prę ſtitam diſtinctionem cum intervallo, vel una & eadem die ſimul, valeant conferre dicendo, videlicet: Si ordinatus es rite, non te reordino, ſed ſi nondum ordinatus es,
Sanctio pœnalis. te ordino ad Sacros Ordines antedictos: ſervata alias forma & materia, ac ſolemnitate debita in præmiſſis, quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, de gratia concedimus ſpeciali. Nulli ergo &c. Datum Avinione V Non. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Octavo.

1. *Præſcribit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo VIII.* Audiendus etiam *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt.* ad an. *MCCCXXXIII num. XLII*, ubi hæc habet: *Ad tollendas omnes difficultates, quæ propagationi evangelii obſtare viderentur, tum ſalutem animarum promovendam Pontifex familiæ Dominicanæ Religioſos viros, qui ad gentes orientales proficiſcebantur, ampliſſima inſtruxit auctoritate, ut iis, de quibus eſſet controverſia, an rite Baptiſmum, vel ſacros Ordines ſuſcepiſſent, expreſſa conditione, ſi nimirum initiati iis ſacris non eſſent, ea ſacramenta conferrent.*

2. *Odorico.*) Laudat *Epiſtolam II Regeſti XVIII Johannis XXII.* Meminit *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. VI.*

3. *Peregrinantibus.*) De quibus in *Tractatu* loco laudato.

Anno 1333 Die 31 Octobris.

FF. Geraldum Othonis Miniſtrum Generalem Minorum, & Arnaldum (1) de S. Michaele Ordinis Prædicatorum, S. Sedis Apoſtolicæ Legatos ad ſe revocat (2).

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXXXIII num. XII.

CII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Geraldo Othonis Miniſtro Generali Minorum, & Arnaldo de S. Michaele, Pœnitentiario noſtro, Apoſtolicę Sedis Nunciis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUia per literas veſtras, quas benigne recepimus, cauſas certas, quibus acceſſum veſtrum in Angliam reputatis prorſus inutilem, exprimere curaviſtis, volumus, veſtręque diſcretioni mandamus, quatenus ad noſtram pręſentiam redeatis; non tamen intelligimus, quin tu, fili Miniſter, ad partes Anglię, vel alias poſſis accedere, ſi pro tuis, vel Ordinis tui negotiis expedire videris. Datum Avinione II Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Octavo.

1. *Arnaldum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Revocat.*) Conſulendi *Waddingus* laudatus, & *Odoricus ad an. MCCCXXXIII num. XXIII.*

Anno 1333 Die 22 Novembris.

F. Hugoni Generali Magiſtro, ut quatuor Cœnobia Conſtituere queat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hugoni Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. INter ceteros Ordines in agro plantatos Eccleſię Ordinem Fratrum Prędicatorum gerentes in viſceribus caritatis, prę ſatum Ordinem, & profeſſores ipſius libenter illo favore proſequimur, per quem Ordo, & profeſſores prędicti proſperis ſucceſſibus affluant, & votivis proficiant incrementis. Tuis itaque
Conceſſio. devotis ſupplicationibus inclinati, tibi recipiendi quatuor loca in quatuor Civitatibus, vel terris, ſeu locis, in quibus aliorum Ordinum mendicantium Fratres loca non habeant, ſingula, videlicet in ſingulis Civitatibus, aut terris, ſive locis hujuſmodi: ac inibi conſtruendi, & ędificandi Eccleſias ſeu Oratoria,
Clauſula derogans. Domos, & officinas, neceſſarias, juxta morem Ordinis ſupradicti, dummodo in ſingulis dictorum quatuor locorum recipiendorum duodecim Fratres dicti Ordinis, inibi commorantes, honeſte, & congrue valeant ſuſtentari; Conſtitutione felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, & quali-
Sanctio pœnalis. bet alia in contrarium edita, nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam, auctoritate pręſentium, licentiam impertimur, ſine pręjudicio tamen Parochialium Eccleſiarum dictorum locorum, & etiam cujuslibet alterius alieni juribus in omnibus ſemper ſalvis. Nulli ergo &c. Datum Avinione X Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo Octavo.

1. *Queat.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. L.*

2. *Archivo.*) In quo exemplar in *Bullario Bononienſi folio 19.*

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Johanne XXII Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS.

B. Matthæus Urſinus, ex Archiepiſcopo Sipontino, S. R. E. Cardinalis tit. SS. Johannis & Pauli, poſtea Sabinenſis Epiſcopus, ut infra dicetur. *Bernardus Guidonis. Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCXVI pag.* 426. *Ughellus in Epiſcop. Sabinen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 174 *Edit. II. Odoricus Raynaldus ad annum MCCCXXVII num LV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num XIV pag.* 22. *Cavalerius Tomo I pag.* 119 *num. CXVI*, *& Tomo II pag.* 196 *num. I. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXL pag.* 596. Anno 1327 Die 18 Decembris.

PATRIARCHÆ.

F. Otto, ſeu Odo, de quo in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii VIII*, Patriarcha Alexandrinus. *Cavalerius Tomo I pag.* 89 *num. XXV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. II pag.* 44, ceterique laudati in *Appendice* mox citata, & in alia ad *Pontificatum Clementis V*. Adeas *Ughellum in Epiſcop. Caſinen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 575 *Edit. II.* Anno 1322 Die 22 Maii.

F. Raymundus Bequin, Toloſas, Doctor Pariſienſis, ex Magiſtro Sacri Palatii Patriarcha Jeroſolymitanus. *Oldoinus apud Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCXVI pag.* 403. *Cavalerius Tomo I pag.* 96 *num. XLIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. IV pag.* 46. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXVIII pag.* 561, *& Tomo II pag.* 30 *Indicis Epiſcoporum col. II. Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIV num. XLIV, ex Regeſt. Apoſtol. Soucgius in Anno Dominicano Tomo II Menſis Maii §. III Præfation. Percinus Monumen. Convent. Toloſani ad an. MCCCXII pag.* 69. Anno 1324 Die 2 Julii.

F. Petrus de Palude, Burgundus, Doctor Pariſienſis, Patriarcha Jeroſolymitanus. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIX num. XCIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. IV pag.* 47. *Cavalerius Tomo I pag.* 126 *num. CXXX. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXLII pag.* 603. *Spondanus ad an. MCCCXXIX num. XX*, ubi de tempore electionis hujuſce Patriarchæ loquens, *Satius*, inquit, *forte fuerit*, *Paludani electionem in ſequentem annum* (MCCCXXX) *referre*. Hæc *Spondanus*, nec placet; Primo enim diem electionis, *II* ſcilicet Martii *MCCCXXIX*, prodit *Liber Proviſion. Prælator.* apud *Fontanam* mox laudatum: Secundo ex *Chronicis Sandionyſianis*, quæ laudat *Echard pag.* 604, eodem anno poſt feſtum SS. Trinitatis conſecratus eſt: Tertio eodem anno menſe Julio, jam inauguratus, *Maſſilia* ſolvit *Palæſtinam* petens; ipſique proficiſcenti demandata eſt cura, *Mariam* filiam *Ludovici I* Ducis *Borbonii*, deſponſatam *Guidoni* Principi *Cypri*, Regis *Hugonis Luſiniani* primogenito, in *Cyprum* deducendi. Anno 1329 Die 2 Martii.

ARCHIEPISCOPI.

F. Bernardus, vel Bernardinus, Cremenſis, Archiepiſcopus Halicienſis, in Ruſſia. *Cavalerius Tomo I pag.* 83 *num. III. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLVIII pag.* 77 *ex Conſiſtorio Leopolienſi*, & *Simone noſtro Okolski in Ruſſia Florida*. Legendus iſte *pag.* 57. Circa Annum 1317.

F. Berengarius de Landora, ſic a patria nuncupatus, ſita eſt in Diœceſi Rutenenſi, in Occitania, Archiepiſcopus Compoſtellanus, in Hiſpania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXIX ex Caſtillo, Plodio, & Ægidio Gonzalez in Theatro Eccleſiaſtico. Cavalerius Tomo I pag.* 93 *num. XXXIX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXII pag.* 514. Variis Legationibus clarus fuit *Berengarius* noſter, ut dicetur inferius. Anno 1317.

F. Francus de Peruſio, Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſia. *Bulla* – Pridem – *Data I Maii MCCCXVIII. Cavalerius Tomo I pag.* 75 *num. CCXXXVI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXVIII pag.* 537. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XCII pag.* 100 *ex Plodio & Fernandez*. Ceterum *Soltanienſis* hæc Sedes ea eſt, quam *Fontana* Tit. XCII *Soldarenſem*, & Tit. XCII *Soldinenſem* vocat. Anno 1318.

F. Aicar-

Anno 1318. F. Aicardus Antimianus, a nonnullis Ricardus de Cannedola vocatus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, in Italia. Hunc inter ſuos recenſet *Waddingus Annal. Minor. ad an. MCCCXVII num. LIII*, & ridet *Bzovium*, qui Fratres inter Prædicatores *Aicardum* numerat *Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVI num. III. Plodius* vero miratur, quod *Franciſcanus* dictus ſit. *Fontana* tandem *Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LX pag.* 84 ex variis Scriptoribus extraneis & domeſticis probat, *Aicardum* Dominicanum, non vero Minoritam fuiſſe. Ipſum adeas velim. Conſulendus etiam *Cavalerius Tomo I pag.* 106 *num. LXXVIII.*

Circa Annum 1320. F. Gerardus Mons-Peſſulanus, Archiepiſcopus Diatagorenſis, in Perſia. *Cavalerius Tomo I pag.* 89 *num XXIII*, ex *Leandro Alberto Lib. II pag.* 121. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXIX. pag.* 72 *ex Gravina, Plodio, & Fernandez*. Ipſum crediderim *Geraldum Calvenſem*, quem Epiſcopum jam conſtituerat *Johannes XXII*, ut ex ipſius *Conſtitutione XXII* videre eſt.

Anno 1321. F. Lucas Neapolitanus, ex Epiſcopo Caſtrenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI* dictum eſt, Archiepiſcopus Hidruntinus, in Regno Neapolitano. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLIX pag.* 77 *ex Ughello*.

Anno 1321. F. Guillelmus de Lauduno, quem Gavantum nonnulli vocant, Gallus, Doctor Pariſienſis, Archiepiſcopus Viennenſis, in Delphinatu. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXIII pag.* 110 *ex Gallia Chriſtiana, Fernandez in Archiep. Galliæ, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 131 *num. CLI. Echard Tomo I. Scriptor Ord. ad an. MCCCLII pag.* 637, & ad *an. MCCCXXVIII pag.* 561 *col. II. Johannes Mahuet in Prædicator. Avenion. pag.* 28. *Percinus Monumen. Convent. Toloſani ad an. MCCCXXXVIII pag.* 74. Archiepiſcopus *Toloſanus* fuit *Guillelmus* noſter, ut mox dicetur.

Anno 1322 Die 10 Julii. F. Jacobus de Concos ex Epiſcopo Lodovenſi, ut hac in *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Aquenſis, *Aix*, in Gallo-Provincia. *Cavalerius Tomo I pag.* 100 *num. LXII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. V pag.* 52 *ex Gallia Chriſtiana*.

Anno 1323. F. Guillelmus, Gallus, Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſide. *Cavalerius Tomo I pag* 91 *num. XXIX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXVII pag.* 537. *Conſtitutio XXXVI Johannis XXII*. Ipſe eſt *Guillelmus Adæ*, quem ex *Conſtitutione XII Johannis XXII* Epiſcopum ab anno *MCCCXVIII* fuiſſe diſcimus.

Anno 1323. F. Simon Saltarelli, ex Epiſcopo Parmenſi, ut hac in *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Piſanus, in Hetruria. *Ughellus in Epiſcopis Parmen. Tomo II Italiæ Sacræ pag* 180. *& in Archiepiſcopis Piſanis Tomo III pag.* 450. *Cavalerius Tomo I pag.* 121 *num. CXIX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXLII pag.* 611. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXV pag.* 94 *ex Leandro Alberto, & Razzio*.

Anno 1327. F. Alexander, Hungarus, Archiepiſcopus Cretenſis, in Inſula ejuſdem nominis in Mediterraneo. *Cavalerius Tomo I pag.* 96 *num. XLVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXV pag.* 71 *ex Regeſt. Johan. XXII, Ferrario, & Olmeda*.

Anno 1327. B. Matthæus Urſinus, Cardinalis, ut in hac *Appendice*, Archiepiſcopus Sipontinus in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiepiſcop. Sipontin. Tomo VII Italiæ Sacræ pag* 843 *Edit. II. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Idem Archiepiſcopus *Panormitanus* fuit, ut mox dicetur. Conſulendus *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XC pag.* 99.

Anno 1327. F. Petrus de Portillo, Hiſpanus, Archiepiſcopus Saceran., *Saſſari*, in Sardinia. *Cavalerius Tomo I pag.* 102 *num. LXVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXIV pag.* 97 *ex Diago, Plodio, Fernandez, & Lopez*.

Anno 1328. F. Guillelmus de Lauduno, Gavantus ab aliis nuncupatus, ex Archiepiſcopo Viennenſi, ut hac in *Appendice* dictum eſt, Archiepiſcopus Toloſanus. *Percinus Monumen. Conventus Toloſani Parte III de Juriſdictione S. Officii Cap. II pag.* 99. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CIV pag.* 106 *ex Gallia Chriſtiana*.

Anno 1328. F. Ægidius de Gallutiis, Bononienſis, ex Epiſcopo Torcellano, ut hac in *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Cretenſis, in ejuſdem nominis Inſula. *Bernardus Guidonis, in Epiſcopis Marchiæ Tarviſinæ. Cavalerius Tomo I pag.* 117 *num. CVII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXL pag.* 597. *Fontana Thea-*

Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXV pag. 71 ex *S. Antonino*, *Luſitano*, *Ughello*, & *Ægidii* Epitaphio, quod deſcribit,

F. Nicolaus, Archiepiſcopus Tyrius, in Phœnicia. *Cavalerius Tomo I pag.* 102 *num. LXX*, *ex Luſitano.* Circa An-
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXI pag. 109 *ex S. Antonino*, *Fernandez*, *& Plodio*. De an- num 1330.
no inter Auctores non convenit.

F. Johannes de Core Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſide. *Bulla* - Te de Fratrum - *Data XIV Februar, MCCCXXX.* Anno 1330.

F. Petrus, Gallus, Archiepiſcopus Nazarenus. *Ughellus in Archiepiſcop. Nazarenis Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 773 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 126 *num. CXXXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXVI pag.* 88. Anno 1330.

F. Nicolaus de Soza, ſeu Sozenſis, vel Sezzenſis, Archiepiſcopus Jaderenſis, *Zara*, in Illyrico. *Cavalerius Tomo I pag.* 154 *num. CCXXIV. Ferrarius de Rebus Hungar. Provinciæ Parte III Lib. I Cap. IV pag* 404. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LI pag.* 79 *ex Ughello*. Succeſſit iſte *Nicolao de Setia*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Clementis V.* Anno 1333.

F. Franciſcus de Camerino, Archiepiſcopus Voſprenſis, *Voſpero*, in Taurica Cherſoneſo. *Cavalerius Tomo I pag.* 107 *num. LXXXII. Bulla* - Nuper - *Data I Auguſti MCCCXXXIII.* Anno 1333.

B. Bartholomæus, Parvus nuncupatus, ex Epiſcopo Maragacenſi Archiepiſcopus Naſcivanen., Circa An-
in Armenia. Quod Epiſcopus *Maragacenſis*, non vero *Torcellanus*, fuerit *B. Bartholomæus*, dicetur hac in num 1333.
Appendice; ipſum Sedi *Naſcivanenſi* præfuiſſe, docent *Ughellus in Epiſcop. Torcellanis*, *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag.* 55. *Cavalerius Tomo I pag.* 115 *num. CIV*, aliique paſſim.

EPISCOPI.

F. Petrus de Maſlaco, Epiſcopus Baionenſis, *Bayone*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi. *Bernardus Guidonis. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcopor. pag.* 22. Iſtum a *Petro San-Johanne* Epiſcopo *Bajonenſi*, de quo mox dicetur, non diſtinguunt *Fontana*, aliique nonnulli; verum a *Bernardo Guidonis* diſtinguitur. Anno 1316.

F. Pelegrinus de Pactis, Meſſanenſis, Epiſcopus Mazarenſis, *Mazzara*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Monument. Conventus Meſſanenſis. Cavalerius Tomo I pag.* 94 *num. XL. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXIV pag.* 231. *Pirrus Sicilia Sacra Lib. III pag.* 506. Anno 1317.

F. Guillelmus Labora, Gallus, Epiſcopus Cadurcenſis, *Cahors*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Bituricenſi. *Cavalerius Tomo I pag* 92 *num. XXXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXIV pag.* 148 *ex Gallia Chriſtiana*, *& Ulmeda*. Anno 1317.

F. Simon Saltarelli, Epiſcopus Parmenſis, *Parma*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Bononienſi. *Ughellus in Epiſcopis Parmen. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 180 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 121 *num. CXIX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXLII pag.* 611. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLV pag.* 261. Archiepiſcopus *Piſanus* fuit *Simon*, ut hac in *Appendice* videre eſt. Anno 1317.

F. Guillelmus de Godino, Cardinalis, ut in præcedenti *Appendice* dictum eſt, Epiſcopus Sabinenſis. *Ughellus in Epiſcopis Sabinen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 173. *Cavalerius*, ceterique, de quibus in *Appendice* mox laudata. Anno 1317.

B. Auguſtinus Gazothus, ex Epiſcopo Zagabrienſi, ut in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI* dictum fuit, Epiſcopus Lucerinus, *Lucera*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcopis Lucerinis Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 319 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLVIII pag.* 219. *Cavalerius*, ceterique citati in *Appendice* mox laudata. Anno 1317.

F. Orlan-

Circa Annum 1317. F. Oriandus Savonenſis, Epiſcopus Dolienſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Calaritano. *Cavalerius Tomo I pag. 85 num. XI, ex Plodio. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXVII pag. 187, ex Monumentis Piſani Cœnobii.*

Circa Annum 1318. F. Petrus Fontana ex Præfecto Bibliothecæ Vaticanæ Epiſcopus Lucenſis, ſeu Lucanus, *Lucca*, in Hetruria. *Cavalerius Tomo I pag. 84 num. VII, ex Razzio, & Fontana in Monumen. Dominican.*

Circa Annum 1318. F. Fredericus, natione Sardus, alumnus Piſani Cœnobii, Epiſcopus Sanctæ Juſtæ, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi, *Cavalerius Tomo I pag. 85 num. VIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXVII pag. 286 ex Monumen. Piſani Cœnobii.*

Anno 1318. F. Bartholomæus, ſeu Bartholomæus, Lucenſis, ex Bibliothecario Vaticano Epiſcopus Torcellanus, *Torcello*, ſub Patriarcha Veneto. *Ughellus in Epiſcopis Torcellanis Tomo V Italiæ Sacræ pag. 1394 Edit. II. Cavalerius Tomo I pag. 87 num. XVIII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXXI pag. 541. Bulla* - Inter - *Data XV Martii MCCCXVIII.*

Anno 1318. HOc anno MCCCXVIII Johannes XXII ſex ex Fratribus Ordinis Prædicatorum creavit Epiſcopos, videlicet, FF. Geraldum Calvenſem, Guillelmum Adæ, Bartholomæum de Podio, Bernardinum de Piacentia, Bernardum Moreti, & Bartholomæum Abaiiati. *Bulla* - Pridem - *Data I Maii MCCCXVIII.* Quinam fuerint ipſorum Epiſcopatus, ibidem non dicitur quidem, ſed in *Perſide*, *Æthiopia*, & *India* fuiſſe, ex eodem Diplomate diſcimus. De nonnullis hac in *Appendice* mentio eſt.

Anno 1318. F. Durandus de Sancto Porciano, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Anicienſis, *Le Puy*, in Gallia, immediate ſub Sancta Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXVI pag. 124 ex Bellarmino, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag. 109 num. LXXXVI. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXXXIV pag.* 586, ubi notat, ex nonnullorum ſententia *Limoſienſi* etiam Eccleſiæ (Limoux in Gallia) præfuiſſe *Durandum*. Emendandus etiam *Poſſevinus*, qui, ut obſervat *Cavalerius* in *Erratis ad I Tomum*, Durandum iſtum non diſtinguit ab alio *Durando Leodienſi* Epiſcopo. Fuit iſte trecentis annis antiquior. De *Durando* noſtro mox redibit ſermo.

Anno 1318. F. Guillelmus, Lombardus, Epiſcopus Scalonenſis, ſeu Scalenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Ughellus in Epiſcop. Scalonen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 332 Edit. II. Cavalerius Tomo I pag. 122 num. CXX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 24 col. I. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXII pag. 291.*

Circa Annum 1318. F. Hugolinus, Ordinis Prædicatorum, Epiſcopus Yskyrenſis. Anno MCCCXVIII, Indictione I, die II Maii, Bullæ *Bonifatii VIII*, quæ incipit: *Virtute conſpicuos*: Exemplar ſuis manu & ſigillo comprobavit Epiſcopus iſte. Aſſervatur in Archivo Cœnobii *Raguſini*. De iſto apud Scriptores noſtros altum ſilentium. *Iſchienſis* Epiſcopatus eſt in ejuſdem nominis Inſula in mari *Tyrrheno*, ad oram Regni *Neapolitani*, & *Terræ Laboris*: quod autem *Yskirenſis* Epiſcopatus idem ſit ac *Iſchienſis*, non auſim affirmare.

Anno 1319. F. Petrus de Caſerta, Epiſcopus Bovianus, *Bojano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CIII pag. 145. Cavalerius Tomo I pag. 88 num. XXI.* De eodem *Petro* loquens *Ughellus in Epiſcop. Bovianis Tomo VIII Italiæ Sacræ pag. 243 Edit. II*, ipſius, inquit, *patriam & Ordinem ignoramus. Jam conſecratus hujus Eccleſiæ Epiſcopus Sacro Senatui ſolitum ſubſidium promiſit die XXVII Novembris An. MCCCXIX. Ex Lib. Obligat. Prælator. ſub Johanne XXII.* Ex *Taegio* tamen in *Monumentis Ordinis*, aliiſque laudatis Scriptoribus, *Petrum* Ordinis Prædicatorum alumnum fuiſſe, omnium eſt ſententia.

Anno 1319. F. Petrus San-Johannes, Epiſcopus Bajonenſis, *Bayone*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 88 num. XX. Echard Tomo I Scriptor Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 22. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXI pag. 136 ex Plodio, Fernandez, & Gallia Chriſtiana.*

Anno 1320. F. Jacobus Concoſſius, ſeu de Concos, de quo inter Archiepiſcopos hujus *Appendicis* dictum eſt, Epiſcopus Lodovenſis, *Lodeve*, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 88 num. XXII*, & in *Erratis ad eundem Tomum*, ubi laudat *Souegium*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLIII pag. 217 ex Gallia Chriſtiana.*

F. Johan-

F. Johannes Danus, Epiſcopus Roſchildenſis, *Roſchilt*, in Dania, ſub Archiepiſcopo Lundenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 86 *num. XIII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXCVI pag.* 280, *ex Plodio, & Fernandez.* Circa Annum 1320.

F. Petrus Forteilus, Catalanus, Epiſcopus Trivicanus, *Trevico*, ſeu *Vico della Baronia*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Cavalerius Tomo I pag.* 86 *num. XIV. Fontana Theatro Dominicano in Appendice ad I Partem pag.* 628, *ex Olmeda.* Circa Annum 1320.

F. Johannes Picardus, Epiſcopus Ratiſbonenſis, in Bavaria, ſub Archiepiſcopo Salisburgenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 86 *num. XV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXXV pag.* 277, *ex Luſitano, Taegio, Fernandez, & Leandro.* Circa Annum 1320.

B. Bartholomæus Parvus, de quo dictum eſt hac in *Appendice*, Epiſcopus Maragacenſis. Urbs Maragacenſis, ſeu Maraga, vel Maratha, ſita eſt Armenorum inter & Parthorum confinia. *Galanus Conciliat. Eccleſ. Armen. cum Roman. Part. Hiſtorial. Cap. XXX num. I pag.* 508, *& num. LVIII pag.* 527. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXXIII pag.* 581. Vide inferius. Circa Annum 1320.

BEatus Jacobus de Benefactis, Epiſcopus Mantuanus, in Longobardia, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Mantuanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 868 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 114 *num. C. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXIV pag.* 224. Anno 1320.

F. Henricus Teuto, Epiſcopus Bambergenſis, *Bamberg*, in Germania. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. I, ex Bucelino.* Circa Annum 1321.

F. Johannes Epiſcopus Scopienſis, *Scupi*, Italis *Scopia*, Turcis *Uſchub*, in Servia. Nunc Metropolis eſt. *Cavalerius Tomo I pag.* 254 *num. CXLVI. Echard Tomo I Scriptor Ord. in Indice Epiſcop. pag.* 25 *col. II ex Heiſter in Suffragan. Colonien.* Videas, ſi placet, quæ dicta ſunt in *Appendice ad Pontificatum Clementis V ad an. MCCCVII pag.* 127. Circa Annum 1321.

F. Hugolinus Ariminenſis, Epiſcopus Senogallenſis, *Senigaglia*, in Umbria Superiori, ſub Archiepiſcopo Urbinatenſi. *Ughellus in Epiſcopis Senogallen. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 873 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 136 *num. CLXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLIV pag.* 295, *ex Plodio.* Epiſcopus *Foropopilienſis*, & *Bertinorius*, fuit *Hugolinus*, ut hac in *Appendice* dicetur. Anno 1321.

F. Bartholomæus Bononienſis, Epiſcopus Signinus, *Segni*, in Campania Romana, immediate ſub Sancta Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 132 *num. CLIV. Ughellus in Epiſcop. Signinis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1239 *Edit. II, ex Paſchalino Alidoſio de viris illuſtribus Bononien., & Razzio de viris illuſtrib. Ord. Prædicator.* Hinc, ut obſervat *Cavalerius*, emendandus *Fontana*, qui *Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit DXLIX pag.* 295 Bartholomæum recenſet inter Epiſcopos *Signienſes*, in *Sclavonia*, ſub Archiepiſcopo *Spalatenſi*. Ad *Comaclenſem* Eccleſiam translatus eſt *Bartholomæus*, ut in hac *Appendice* dicetur. Anno 1321.

F. Henricus Dacus, Epiſcopus Kiovienſis, *Kiow*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Dominicus Frydrychowicz in Libro cui titulus: S. Hyacinthus Poloniæ Patronus &c. pag.* 125. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 58. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. I.* Illum crediderim *Henricum de Dacia*, quem *Stephanus Sampajo, Fernandez, Plodius,* & *Fontana* apud *Cavalerium Tomo I pag.* 288 *num. CCXLIX* Epiſcopum *Birionenſem* vocant. Anno 1321.

F. Johannes Venetus, Epiſcopus Juvenacenſis, *Giovenazzo*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 89 *num. XXIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCVIII pag.* 208 *ex Ughello, & Taegio.* Circa Annum 1322.

F. Vitus Perpinianenſis, Epiſcopus Lodovenſis, *Lodeve*, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 91 *num. XXVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLIII pag.* 217 *ex Gallia Chriſtiana.* Anno 1322.

F. Roſtangus, Epiſcopus Nicienſis, *Nice*, Italis *Nizza*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Anno 1322.

Bull. O. P. Tom. II.

Ebredunenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 98 *num. LIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXI pag.* 248 *ex Lib. Obligat. Prælator. Johan. XXII, Ughello, & Gallia Chriſtiana.*

Anno 1322. F. Ægidius de Gallutiis, Bononienſis, Epiſcopus Torcellanus, *Torcello*, ſub Patriarcha Veneto. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Marchiæ Tarviſinæ. Ughellus in Epiſcopis Torcellanis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 1396. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 597 *ad an. MCCCXL. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCIII pag.* 310. *Cavalerius Tomo I pag.* 117 *num. CVII.* Ex his emendandus *Plodius* qui *Ægidium* noſtrum ablegat ad annum *MCCCCL.* Archiepiſcopum *Cretenſem* fuiſſe *Ægidium* diximus hac in *Appendice.*

Circa Annum 1322. F. Gregorius, Epiſcopus Sorienſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Cavalerius Tomo I pag.* 95 *num. XLVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLVII pag.* 297, *ex Ughello.*

Anno 1322 Die 6 Junii. IDem Epiſcopus Bellunenſis, & Feltrenſis, in Marchia Tarviſina, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcopis Feltrenſibus Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 374, *& Tomo VI pag.* 162 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 95 *num. XLVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXI pag.* 139, *& Tit. CCXLIII pag.* 192, ubi annum *MCCCXXIII* aſſignat. Idem exciderat *Ughello*, ſed in poſteriori *Editione* mendum correxit vir clariſſimus *Nicolaus Coletus.*

Circa Annum 1323. F. Maſſeus Urbevetanus, Epiſcopus Cluſinus, *Chiuſi*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi. *Bernardus Guidonis in Epiſcopis Romandiolæ. Cavalerius Tomo I pag.* 317 *num. CCCXLVI*, *ex Altamura, Lopez, & Plodio.* De anno inter ipſos non convenit, uti notat *Cavalerius.* Cum autem *Bernardus Guidonis*, qui deceſſit anno *MCCCXXXI*, Epiſcopum iſtum noverit, emendandi *Plodius*, & *Altamura*, quorum unus, *Plodius* ſcilicet, annum *MDVI*, alter vero aſſignat annum *MCCCCLXXXII.*

Anno 1323. F. Johannes Heglefcliff, Anglus, Epiſcopus Bethleemitanus, poſtea Conorrenſis Epiſcopus, in Hibernia, Anno demum MCCCXXIII Epiſcopus Landavenſis, *Landaff*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 696 *num. VII ex Laurentio Beyerlinck. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. II.*

Anno 1323 Die 6 Junii. F. Hugolinus Ariminenſis, ex Epiſcopo Senogalienſi, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Foropopilienſis, & Bertinorius, *Forlimpopoli & Bertinoro*, in Æmilia, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Ughellus Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 607 *ex Regeſt. Vatican. Epiſtol. MLXVIII Anni VII Johannis XXII. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Anno 1323 Die 15 Martii. F. Hieronymus de Phyſicis, Epiſcopus Ariminenſis, *Rimini*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Ughellus Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 425 *ex Regeſto Vaticano. Cavalerius Tomo I pag.* 99 *num. LV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LII pag.* 131 *ex Plodio.*

Anno 1323. F. Thaddæus, Epiſcopus Caphenſis, ſeu Caffenſis, vulgo *Caffa*, in Taurica Cherſoneſo. *Cavalerius Tomo I pag.* 91 *num. XXX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXVIII pag.* 537 *col. II.*

Anno 1324. F. Raymundus Bequin Patriarcha Jeroſolymitanus, ut dictum eſt, Epiſcopatus Nimocienſis adminiſtrator. *Cavalerius* in *Erratis ad I Tomum*, ceterique laudati hac in *Appendice.* Emendandi tamen *Fontana*, ceterique *Raymundum* Eccleſiæ *Nemauſenſi* præficientes.

Anno 1324. F. Bernardus Guidonis, Gallus, Epiſcopus Tudenſis, *Tuy*, in Hiſpania Tarraconenſi, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCVIII pag.* 514. *Cavalerius*, ceterique mox laudandi.

Anno 1324. IDem ex Epiſcopo Tudenſi eodem anno creatus eſt Epiſcopus Lodovenſis, *Lodeve*, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLIII pag.* 217. *Cavalerius Tomo I pag.* 104 *num. LXXV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXXI pag.* 577. *Gallia Chriſtiana in Epiſcop. Lodoven.*, aliique permulti Scriptores, quos laudat *Echard.*

Anno 1324. F. Angelus Portaſole, alumnus Cœnobii Perufini, Epiſcopus Sulcitanenſis, *Solo*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Calaritano. *Cavalerius Tomo I pag.* 109 *num. LXXXVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXXIV pag.* 589. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXVI pag.* 301, *ex Ughello.* Groſſeranus Epiſcopus fuit *Angelus* iſte, ut hac in *Appendice* dicetur.

F Jorda-

F. Jordanus de Monte-Cucco, Placentinus, Epiſcopus Bobienſis, *Bobbio*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Januenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 1[illegible] *num. CI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCV pag* 143, *ex Ughello.* Anno 1324.

F. Petrus Siculus, Epiſcopus Liparenſis & Pactenſis, in Regno Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 123 *num. CXXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXVII pag.* 216 *ex Pirro, & Tit. CCCCXLVI pag.* 257. Anno 1325.

F. Nicolaus, Polonus, Epiſcopus Culmenſis, *Culm*, in Pruſſia regali. *Cavalerius Tomo I pag.* 94 *num. XLI. Dominicus Frydrychowicz* in Libro cui titulus: *S. Hyacinthus Polonia Patronus &c. pag.* 224. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXII pag.* 183, *ex Bzovio, & Fernandez.* Circa Annum 1325.

F. Thomas Epiſcopus Nepeſinus, in Provincia Patrimonii S. Petri, immediate ſub Sancta Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 102 *num. LXIX, ex Ughello.* Anno 1325.

F. Petrus Roganus, Siculus, Epiſcopus Mazarinus, ſeu Mazaren., in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 101 *num. LXIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXIV pag.* 231 *ex Pirro in Sicilia Sacra.* Circa Annum 1325.

F. Dominicus Grenier, quem *Grinia*, & *Grima* nonnulli vocant, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Appamienſis, *Pamiers*, in Gallia Narbonenſi, ſub Archiepiſcopo Toloſano. *Cavalerius Tomo I pag.* 123 *num. CXXIII. Echard Tomo I pag.* 612 *ad an. MCCCXLII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLI pag.* 126, *ex Plodio, & Gallia Chriſtiana.* Anno 1326.

F. Aymericus, Gallus, Epiſcopus Antilanenſis. *Cavalerius Tomo I pag.* 95 *num. XLIII ex Plodio. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXI pag.* 134, *ex Fernandez.* Quanam ſit hæc *Antilanenſis* Eccleſia, quam *Fontana* vocat *Atilanenſem*, non facile dictu, inquit *Cavalerius*, qui mendum irrepſiſſe non immerito ſuſpicatur. *Antylla*, ſeu *Anthilla* fuit urbs *Ægypti* apud *Alexandriam*. Eſt etiam in *Aſia minori* urbs *Attalia*, Turcis *Antali*. Sedes Archiepiſcopalis eſt iſta. Circa Annum 1326.

F. Arnaldus Fradeti, ex Epiſcopo Conſeranenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis V* dictum eſt, Epiſcopus Condomienſis, *Condom*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 95 *num. XLII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCVIII pag.* 178 *ex antiquiori Gallia Chriſtiana pag.* 309. Notat *Fontana*, quod in alia, *Sammartanorum* nempe, omittitur *Arnaldus*. Et ſane, ſi *Bernardum Guidonis*, & *Necrologium Cadurcenſe*, apud *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXIX pag.* 566, ut par eſt, audiamus, ſuſpicari poſſumus, an Epiſcopatum Condomienſem acceperit *Arnaldus*. Circa Annum 1326.

B. Matthæus Urſinus, de quo ſæpius hac in *Appendice*, Epiſcopus Agrigentinus, *Giorgenti*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXL pag.* 596. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XII pag.* 136 *ex Pirro, & Plodio. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Anno 1326.

F. Durandus de Sancto Porciano, Gallus, Doctor Pariſienſis, ex Epiſcopo Anicienſi, ut in hac *Appendice* dictum eſt, Epiſcopus Meldenſis, *Meaux*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Pariſienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 109 *num. LXXXVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXVII, ceterique ſupra laudati.* Anno 1326 Die 13 Januarii.

F. Jacobus Gallus, Epiſcopus Coriſopitenſis, *Quimper*, in Britannia minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 101 *num. LXV.* Anno 1326.

F. Vincentius Polonus, Epiſcopus Poſnanienſis, *Poſnan*, in Polonia, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 99 *num. LVI. Dominicus Frydrychowicz* in Libro cui titulus. *S. Hyacinthus Polonia Patronus &c. pag.* 220. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXIX pag.* 269, *ex Plodio, Severino, & Bzovio.* Anno 1326.

F. Fulco, Taraſconenſis, Epiſcopus Vencienſis, *Vence*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 96 *num. L. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXI pag.* 317 *ex Taegio, & Gallia Chriſtiana.* Anno 1326 Die 26 Octobris.

Anno 1327. F. Bernardus de Gardiola, Epiſcopus Diagorganenſis. *Bulla* - Votis - *Data XI Septembr. MCCCXXIX. Cavalerius Tomo I pag.* 99 *num. LVIII*, ex *Sonegio*, qui nullum laborat de hujus Epiſcopatus ſitu. Verum, quod ſit in *Perſide*, nullus dubito, id enim liquet ex *Bulla* mox laudata. In qua vero parte *Perſidis* ſitus ſit, hoc opus, hic labor. Si conjectura placet, dicendum videtur, quod erat in Regione *Gorgian* nuncupata; *Diagorgan* ſiquidem, ſeu rectius *Diar-Gorgian*, lingua *Perſarum* ſignificat Regionem *Gorgian*.

Anno 1327 Die 21 Martii. F. Hugolinus de Sancto Marco, Parmenſis, Alumnus Cœnobii Mediolanenſis S. Euſtorgii, Epiſcopus Cremonenſis, *Cremona*, in Longobardia, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Ughellus in Epiſcopis Cremonen. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 610, *ex Regeſt. Vatican. Cavalerius Tomo I pag.* 136 *num. CLXVIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCL pag.* 633 *col. II.*

Anno 1327. F. Georgius, vel Gregorius, ut nonnullis placet, Epiſcopus Tergeſtinus, *Trieſte*, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcopis Tergeſtinis Tomo V Italiæ Sacræ Edit. II Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. I.*

Anno 1327. F. Bartholomæus Barenſis, Epiſcopus Vigilienſis, in Apulia, ſub Archiepiſcopo Tranenſi. *Ughellus Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 944 *Edit. II, ex Regeſto Vaticano. Cavalerius Tomo I pag.* 96 *num XLVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXVII pag.* 561. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXV pag.* 324 *ex Taegio*.

Anno 1328. F. Angelus Acciaioli, Florentinus, Epiſcopus Aquilanus, *Aquila*, in Aprutio, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Aquilanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 388 *ex Regeſt. Vatican. Cavalerius Tomo I pag.* 142 *num CLXXXIV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXX pag* 570. *Fontana Theatro Dominicano Tomo I Cap. V Tit. XLIV pag.* 127 *ex Plodio, & Caſtillo.* Ad *Florentinam* Sedem tranſlatum fuiſſe *F. Angelum*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Clementis VI.*

Anno 1328. F. Jacobus Berillius, Epiſcopus Glandevenſis, *Glandeves*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 117 *num. CVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXVII pag.* 198 ex *Gallia Chriſtiana, & Taegio*.

Anno 1328. F. Benedictus de Aſſignano, Epiſcopus Comenſis, *Como* in Inſubria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcop. Comen. Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 507 *ex Regeſto Vaticano. Cavalerius Tomo I pag.* 116 *num. CV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXXIX pag* 595. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCV pag.* 176 *ex Chronicis Comenſibus, Plodio, & Fernandez*. Ejuſdem meminerunt *Leander*, & *Taegius*.

Anno 1328. F. Bartholomæus de Piſcialis, Bononienſis, Epiſcopus Torcellanus, *Torcello*, ſub Patriarcha Veneto. *Ughellus in Epiſcop. Torcellanis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 1396 *Edit. II ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCIII pag.* 310. *Cavalerius Tomo I pag.* 115 *num. CIV. Leander Albertus de Viris Illuſtrib. Ord. Prædicator. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXVIII pag* 565. Notat *Cavalerius* mox laudatus, emendandos Auctores *Bartholomæum* iſtum non diſtinguentes ab alio ejuſdem nominis, Beato ſcilicet *Bartholomæo*, *Parvo* nuncupato, *Armenorum* Apoſtolo. Et ſane, ut obſervat *Echard*, utrumque diſtinguit *Leander*. Id firmat eruditus *Bonellus* apud *Ughellum* loco citato, *nam*, inquit, *exploratiſſimum eſt, Bartholomæum Torcellanum Epiſcopum hanc Sedem tenuiſſe ad an. MCCCXXXV, quo obiit, Venetiis tumulatus apud ſuos Fratres Prædicatores SS. Johannis & Pauli, in quorum choro adhuc legitur ſequens Epitaphium. MCCCXXXV. Hic jacet D. Fr. Bartholomæus Ordinis Prædicatorum Epiſcop. Torcellanus. Sed & in Prætorio Torcelli Archivo leguntur in actibus quibuſdam teſtium depoſitiones aſſerentium, ſe vidiſſe eundem Bartholomæum demortuum in præfata SS. Johannis & Pauli Eccleſia ſepeliri; adeo ut nullum reſtet dubium, quin Bartholomæus Armeniæ Archiepiſcopus a noſtro ſit longe diverſus*. Hæc ille, quo nihil clarius. *Ughellus* enim, *Fontana*, ceterique, quibuſcum nobis res eſt, fatentur, *B. Bartholomæum*, Parvum, ab anno ſaltem MCCCXXXIII *Armeniam* petiiſſe: ibidem diem clauſit extremum: ibi ſepulcrum ejus viſitur, *innumeris hactenus clarum miraculis,....& ab ipſis etiam infidelibus magna colitur veneratione*, ut teſtatur *Galanus Conciliat. Eccleſ. Armenæ cum Romana Cap. XXX num. XV pag.* 512 *Partis Hiſtorialis*, unus ergo ab alio diſtinguendus.

Anno 1328. F. Petrus de Malocello, Epiſcopus Albintimilienſis, *Vintimiglia*, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 125 *num. CXXIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXI pag.* 119 *ex Ughello*.

Circa Annum 1328. F. Jacobus Cucchio, alumnus Piſani Cœnobii, Epiſcopus Sanctæ Juſtæ, *Santagiuſta*, in Sardinia, ſub Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopo Arborenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 114 *num. CII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXVII pag.* 286 *ex Monumentis Piſani Cœnobii.*

F. Arnoldus de Eleſt, Epiſcopus Caminenſis, *Camin*, in Pomerania, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 24 *col. II*, ex *Laurentio Pignon* auctore coævo, & *Bucelino*, a quo *Arnolphus* nuncupatur. Circa Annum 1328.

F. Gentilis Bentivenga, Tuders, Epiſcopus Nepeſinus, *Nepi*, in Provincia Patrimonii S. Petri, immediate ſub Sancta Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 113 *num. XCVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXVIII pag.* 147 *ex Ughello.* Anno 1328.

F. Hugo, Vicentinus, ex Provinciali Lombardiæ Inferioris, Epiſcopus Juſtinopolitanus, *Capo d' Iſtria*, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcopis Juſtinopolitanis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 388 *ex Lib. Proviſion. Prælator. Cavalerius Tomo I pag.* 112 *num. XCIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCVII pag.* 208. Idem Epiſcopus *Mazarinus*, ut ad an. MCCCXXXV videre eſt. Anno 1328.

F. Tramus Monaldeſchus, Urbevetanus, Epiſcopus Balneoregienſis, *Bagnarea*, in Hetruria ditionis Pontificiæ, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſc. Balneoregien Tomo I Ital. Sacræ pag.* 515. *Cavalerius Tomo I pag.* 128 *num. CXXXVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXII pag.* 136, *ex Plodio.* Anno 1328 Die 2 Septembris.

IDem Epiſcopus Urbevetanus, *Orvieto*, in Hetruria ditionis Pontificiæ, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Urbevetan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1474 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 128 *num. CXXXVIII. Fontana* loco mox laudato, & *Tit. DCXLVII pag.* 326. Anno 1328 Die 5 Octobris.

F. Rochegianus Tadolinus, Epiſcopus Lucenſis, in Hetruria. *Cavalerius Tomo I pag.* 99 *num. LVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLVI pag.* 219 *ex Taegio, & Ughello.* In hoc tamen emendandus *Ughellus*, ut notat *Fontana*, quod *Rochegianum* noſtrum intruſum dixerit. Circa Annum 1328.

F. Philippus de Bencivena, Epiſcopus Groſſetanus, *Groſſeto*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi. *Ughellus in Epiſcopis Groſſetanis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 666. *Cavalerius Tomo I pag.* 102 *num. LXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXV pag.* 199 *ex Ugurgerio in Pompis Senen.* Anno 1328 Die 7 Novembris.

F. Jordanus Catalani, Epiſcopus Columbenſis, ſub Archiepiſcopo Soltanienſi. *Bulla* - Votis zelamus - *Data VIII April. MCCCXXX. Cavalerius Tomo I pag.* 101 *num. LXIII. Bulla* - Te de Fratrum - *Data XIV Februar. MCCCXXX.* Adeas *Bzovium ad an. MCCCXXVIII num. XXVIII*, ubi *Jordanum* iſtum & duos ſequentes Epiſcopos, *Taureſienſem* ſcilicet, *Columbenſem*, & *Semiſcatenſem*, in Imperio *Elgigaddai* in terris *Corraſan*, *Turqueſtan*, & *Indeſtan*, Armeniæ Minoris ſediſſe, docet. Circa Annum 1328.

F. Guillelmus de Cigiis, Epiſcopus Taureſienſis, *Tauris*, in Perſide. *Bulla* - Divina - *Data XI Septembr. MCCCXXIX. Cavalerius Tomo I pag.* 97 *num. LI. Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVIII num. XXVIII* ipſum *Guillelmum Ligium* vocat. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXV pag.* 304. Anno 1329.

F. Thomas Mancaſola, quem Mantaſſolium nonnulli nuncupant, Epiſcopus Semiſcatenſis, ſub Archiepiſcopo Soltanienſi, in Perſide. *Bulla* - Paſtoralis - *Data II Novembris MCCCXXIX. Cavalerius Tomo I pag.* 103 *num. LXXI. Bulla* - Ingentem - *Data XXIX Septembris MCCCXXIX*, & alia quæ incipit: *Te de Fratrum*: data eſt XIV Februar. MCCCXXX. Hujus Epiſcopi meminit *Bzovius ad annum MCCCXXVIII num. XXVIII*, quem excipiunt *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLV pag.* 295, & *Ferrarius de Rebus Provinciæ Hungar. Parte III Lib. IV pag.* 479. Vide *Notam III ad Conſtitut. LXXVII Johannis XXII.* Anno 1329.

F. Franciſcus Boaterius, Bononienſis, Epiſcopus Comaclenſis, *Comacchio*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Ughellus in Epiſcopis Comaclenſibus Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 484 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 106 *num. LXXIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCIV pag.* 175. Anno 1329.

F. Guido, Venetus, Epiſcopus Polenſis, *Pola*, in Iſtria, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Cavalerius Tomo I pag.* 107 *num. LXXX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXIV pag.* 267, *ex Fernandez.* Anno 1329.

F. Johan-

Anno 1329. F. Johannes, Epiſcopus Nicienſis, *Nice*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 110 *num* LXXXVIII. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXI pag.* 248 *ex Lib. Obligat. Pontif. Johan. XXII, Ughello, & Gallia Chriſtiana.*

Anno 1329. F. Jacobus e Sancto Maximino, Doctor Pariſienſis, ex Provinciali Provinciæ Provinciæ Epiſcopus Tolonenſis, *Toulon*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 121 *numero CXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCI pag.* 309, *ex Taegio.*

Anno 1329. F. Bartholomæus, Bononienſis, Epiſcopus Adrienſis, *Adria*, in Statu Veneto, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 132 *num. CLII. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 619 *ex Ughello*, & ejuſdem *Bartholomæi* Epitaphio, quod deſcribit.

Anno 1329 Die 11 Septembris. F. Franciſcus Brito, Epiſcopus Biſacienſis, *Biſaccia*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Compſano. *Cavalerius Tomo I pag* 138 *num. CLXXIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCI pag.* 142, *ex Ughello.*

Anno 1329. F. Johannes de Prato, Ebroicenſis, Epiſcopus Ebroicenſis, *Evreux*, in Normannia, ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. *Echard Tomo I ad annum MCCCXXXVIII pag.* 593. *Cavalerius Tomo II pag.* 70 *num. XIX.*

Anno 1329. F. Petrus de Palude, Patriarcha Jeroſolymitanus, ut hac in *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus, vel potius Adminiſtrator Nimocienſis Epiſcopatus in Cypro, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Cavalerius, ceterique Scriptores* ſupra laudati. Idem poſtea Epiſcopus Conſeranenſis, ut in *Appendice ad Pontificatum Benedicti XII* dicetur.

Anno 1329. F. Johannes de Florentia Epiſcopus Tephlicenſis, *Teflis*, in Georgia. *Bulla* - Nuper - *Data XIX Octobr. MCCCXIX. Magiſter Johannes Chernacenſis, Armenus, in Epiſtola, quæ legitur apud Galanum Conciliat. Eccleſ. Armenæ cum Romana Cap. XXV num XLIV pag.* 521. *Galanus* ipſe loco citato *num. LVIII pag.* 527. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXXIII pag* 582. *Cavalerius Tomo I pag.* 128 *num. CXL. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXVI pag.* 204. Emendandus tamen *Fontana*, qui *Tephlicenſem*, ſeu *Tefelicenſem* Eccleſiam collocat in Inſula *Cretenſi*, & *Johannem* noſtrum reiicit ad annum *MCCCXL*, emendandus, inquam, ex *Bulla* mox laudata.

Circa Annum 1330. F. Petrus Garſinus, vel de Garſinis, a nonnullis de Graſſinis nuncupatus, Epiſcopus Sorenſis, in Sardinia, ſub Archiep. Turritano. *Bernardus Guidonis in Epiſcop. Romanæ Provinciæ. Cavalerius Tomo I pag.* 147 *num. CXCVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLVII pag.* 297 *ex Ughello.*

Circa Annum 1330. F. Almaſius de Monte-Biliardo, Epiſcopus Culmenſis, *Culm*, in Pruſſia Regali. *Cavalerius Tomo I pag.* 103 *num. LXXII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXII pag.* 183 *ex Taegio.*

Anno 1330. F. Matthæus de Andria, Apulus, Epiſcopus Polymnianenſis, *Polignano*. in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Ughellus Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 754 *Edit. II*, ubi notat quod Anno *MCCCXXX* Die *XIII* Februarii *Matthæus* noſter Sacro Senatui ſolitum ſubſidium ſolvit; ut habetur ex *Libro Solutionum Prælatorum Johan. XXII. Cavalerius Tomo I pag.* 107 *num. LXXXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CCCCLXXVI pag.* 268.

Anno 1330 Die 12 Februarii. F. Angelus Portaſole ex Epiſcopo Sulcitanenſi, ut hac in *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Groſſetanus, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Senenſi. *Ughellus in Epiſcopis Groſſetanis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 666 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 109 *num. LXXXVII. Echard Tomo I Italiæ Sacræ ad annum MCCCXXXIV pag.* 589. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXV pag.* 199.

Anno 1330. F. Laurentius, Viterbienſis, Epiſcopus Civitatenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Cavalerius Tomo I pag.* 117 *num. CIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXVI pag.* 170 *ex Plodio, Razzio, & Fernandez.*

Circa Annum 1330. F. Thilippus, Epiſcopus Agrigentinus, *Giorgenti*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 132 *num. CLIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XII pag.* 116, *ex Pirro.*

F. Guil-

F. Guillelmus Dulcinus, de Monte Albano, ex Procuratore Generali Ordinis Epiſcopus Lucenſis, ſeu Lucanus, in Tuſcia. *Vghellus in Epiſcopis Lucenſibus Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 823 *Edit. II, Cavalerius Tomo I pag.* 134 *num. CLXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLVI pag.* 219. Anno 1330 Die 28 Aprilis.

F. Bartholomæus Tiburtinus, Epiſcopus Dancalenſis, *Dancali*, in Æthiopia Superiori. *Cavalerius Tomo I pag.* 137 *num. CLXIX.* Anno 1330.

F. Gaddus Piſanus, Epiſcopus in Curſita, Italis *Curzola*, Slavis *Karkar*. Ea eſt Inſula maris *Adriatici*, quam *Corcyram Nigram*, ſeu *Corcyram Melanam*, vocamus. Epiſcopalis eſt ſub Archiep. Epidaurio. Ibi ſediſſe *Gaddum* docet *Bernardus Guidonis* in *Epiſcopis Provinciæ Romanæ*. Ipſum excepit *Leander Albertus*. Ex hac autem Sede Archiepiſcopus *Corcyrenſis*, vulgo *Corfu*, Gaddus evaſit anno *MCCCXLI*, ut ex *Cavalerio Tomo I pag.* 121 *num. CXVIII* dicetur infra. Nec hujus translationis meminit *Bernardus Guidonis*, enim vero ab anno *MCCCXXXI* ad ſuperos evolarat *Bernardus*. Circa Annum 1330.

F. Pax de Vedano, Mediolanenſis, ex Provinciale Lombardiæ, Epiſcopus Tergeſtinus, *Trieſte*, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Vghellus in Epiſcopis Tergeſtinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 580 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 117 *num.* 110. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXII pag.* 306. Anno 1331 Die 24 Septembris.

F. Dominicus Ferrarius Abello, Apulus, Epiſcopus Mazarinus, ſeu Mazarenſis, *Mazzara*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 124 *num. CXXVI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 24. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXIV pag.* 231 *ex Sicilia ſacra*. Idem poſtea *Barchinonenſis* Epiſcopus fuit, ut in hac *Appendice* dicetur. Anno 1331.

F. Guido, ſeu Vido, Venetus, ex Epiſcopo Polano, ſeu Polenſi, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Concordienſis, *Concordia*, Urbs eſt Carnorum, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 107 *num. LXXX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCVII pag.* 178 *ex Vghello, & Taegio.* Anno 1331.

F. Johannes Teuto, Epiſcopus Verdenſis, *Ferden*, in Saxonia inferiori, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Cavalerius Tomo I pag.* 105 *num. LXXVII ex Bzovio, & Fontana.* Anno 1331.

F. Jacobus, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Lauſanenſis, *Lauſanne*, in Helvetiis, ſub Archiepiſcopo Biſuntino. *Cavalerius Tomo I pag.* 105 *num. LXXVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXI pag.* 213, *ex Vghello in Mſs.* Circa Annum 1331.

F. Aicardus Antimianus, Archiepiſcopus Mediolanenſis, ut hac in *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Novarienſis, *Novara*, in Pedemontio, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 106 *num. LXXVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXVIII pag* 250, & *Cap. IV Tit. LX pag.* 84, ubi varios auctores, qui *Aicardum* Ordini Prædicatorum nomen dediſſe docent, laudat, & excipit. Circa Annum 1332.

F. Galganus, Senenſis, Epiſcopus Populonii & Maſſæ, in Tuſcia, ſub Archiepiſcopo Senenſi. *Vghellus Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 719 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 133 *num. CLV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXI pag.* 229 *ex Vgurgerio in Pompis Senen. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXLVIII pag.* 627 *ex Razzio, Plodio, Lucarino, & Altamura.* Anno 1332.

F. Ricardus, Epiſcopus Alexanenſis & Leucadienſis, *Aleſſano*, & *Capo di Leuca*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hydruntino. *Vghellus Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 89 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 124 *num. CXXIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXIV pag.* 121. Anno 1333.

F. Bartholomæus Bononienſis, ex Epiſcopo Signino, ut in hac *Appendice* dictum eſt, Epiſcopus Comaclenſis, *Comacchio*, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Vghellus in Epiſcopis Comaclen. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 484 *Edit. II ex Regeſto Vaticano. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Anno 1333 Die 30 Julii.

F. Arnoldus, a nonnullis dictus Arbordus, Epiſcopus Signienſis, ſeu Signinus, in Campania Romana, immediate ſub Sancta Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 139 *num. CLXXVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DL pag.* 296 *ex Taegio, & Vghello*, Epiſcopum *Alerienſem* fuiſſe *Arnoldum*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Clementis VI.* Anno 1333 Die 10 Decembris.

F. Mi-

Anno 1333. F. Michael Venetus, Epiſcopus Torcellanus, *Torcello*, ſub Patriarcha Veneto. *Ughellus in Epiſcopis Torcellanis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 1397 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 128 *num. CXXXIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCIII pag.* 310.

Anno 1333. F. Johannes Gaſqui, a nonnullis *de Monpelier* (fortaſſis *Montpeillier*), ab aliis *de Monte-Peſſulano* nuncupatus, Epiſcopus Maſſilienſis, *Marſeille*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXII pag.*229 *ex Taegio & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 127 *num. CXXXII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 22.

Anno 1333. F. Ricardus, Anglus, Epiſcopus Certonenſis, ſeu Cherronen., & melius Cherſoneſus, in Taurica Cherſoneſo. *S. Clementis* exilio, & morte, celebris eſt urbs illa. Hinc ejuſdem Sancti nomine Cathedralem Eccleſiam donavit *Johannes XXII*, qui Epiſcopatum ibi conſtituit, & Ricardum noſtrum primum Epiſcopum creavit, ut docet *Cavalerius Tomo I pag.* 107 *num. LXXXIII.* Vide *Bullam* - Ad Unitatem - *Datam IV Auguſti MCCCXXXIII.*

Anno 1334. F. Petrus Auvogadri Vercellenſis, Epiſcopus Albenſis, in Ducatu Montisferrati, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Ughellus in Epiſcopis Alben. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.*288 *Edit. II ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XVII pag.* 117. *Cavalerius Tomo I pag.*146 *num. CXCII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23 *col. I.* Ad Epiſcopatum *Siſtaricenſem* translatus fuit *Petrus*, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis VI* dicetur.

Circa Annum 1334. F. Godefridus Leodienſis, Epiſcopus Brachialenſis, Coadjutor Epiſcopi Tullenſis, *Toul*, in Lotaringia, ſub Archiepiſcopo Trevirenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 111 *num. XCI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 22, *ex Monumentis Tullen.* Inſula eſt in *Illyrico*, a Slavis *Brac*, ab Italis *Brazza*, latine *Brachia*, nuncupata.

Circa Annum 1334. F. Johannes Benedictus, Venetus, Epiſcopus Tarviſinus, *Trevigi*, in Dominio Venetorum, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcop. Tarviſinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 552 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.*111 *num. XC*, & *Tomo II pag.*172 *num. XXIV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXIV pag.* 304.

F. Jordanus de Miramonte, Epiſcopus Sernenſis. Hujus Epiſcopi meminit *Percinus Monumen. Conventus Toloſani ad an. MCCCI pag.* 67 *col. I*, ubi hæc habet: *F. Jordanus de Miramonte, de Prædicatione Toloſana hoc anno numeratur in citato Ms. inter Epiſcopos Sernenſes, electus a Papa Johanne XXII promovente Rege Roberto, de quo nihil amplius reperi.* Legendum crediderim *Cernenſis*. *Cerne* eſt in *Libya*: *Robertus* autem *Neapoli*, *Jeruſalem*, & in *Sicilia* regnabat.

LEGATI.

Anno 1317. F. Petrus de Palude Ord. Prædicatorum, & FF. Stephanus e Neiraco, ac Guillelmus e Gandavo Ord. Minorum Legati ad Philippum Francorum Regem, & Robertum Comitem Flandriæ. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. XVIII, XX, & XXIII* ex variis Bullis Apoſtolicis, quas laudat. *Baluzius Tomo I Pap. Avenion. Waddingus Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVII num. VII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXLII pag.* 604. Emendandi tamen *Odoricus* & *Echard* qui legationem iſtam rejiciunt ad annum *MCCCXVIII*. Enim vero fatentur omnes, *Rainaudum* Archiepiſcopum *Bituricenſem*, & *Berengarium* noſtrum e *Landora* Legatos ad Regem *Franciæ*, & *Belgas*, miſſos fuiſſe, cum *Petrus Paludanus*, & ſocii legationem ſuam jamjam obierant, ut videre eſt apud *Odoricum ad an. MCCCXVIII num. XXIII*, at *Rainaudum* & *Berengarium* anno *MCCCXVII* Legatos fuiſſe, ex eo liquet, quod *Berengarius* noſter hoc anno *MCCCXVII* abfuit e Capitulo Generali *Pampelonenſi*, quia, inquit *Bernardus Guidonis* ejuſdem ætatis Scriptor, *D. Johannes Papa XXII miſerat eum in Franciam tunc Legatum, feceruntque Diffinitores ex ſe ipſis Vicarium Magiſtri Ordinis in ipſo duntaxat Capitulo juxta tenorem Conſtitutionum F. Petrum de Palude Diffinitorem Provinciæ Franciæ, Magiſtrum in Theologia.* Id conſtat etiam ex Actis ejuſdem Capituli.

Anno 1317. F. Berengarius de Landora, Generalis Magiſter Ordinis, Legatus ad Regem Franciæ Philippum miſſus *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCXII pag.* 514, ceterique hac in *Appendice* laudati ubi de Archiepiſcopis. *Odoricus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num. XXIII.*

Anno 1317. F. ... Prior Ordinis Prædicatorum, & F. Iſernus de Monte Alto Guardianus Ord. Minorum, Agennenſes, Nuncii Apoſtolici in Vaſconia conſtituti ſunt, ut ex variis Diplomatibus probat *Waddingus Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXVII num. VIII.*

F. Ber-

F. Bernardus Guidonis Ord. Prædicator., & Bertrandus de Turre Ord. Minorum Legati ad Robertum Siciliæ Regem, & Amedeum Sabaudiæ Comitem. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCXVII num. XXXIV. Waddingus Annal. Minor. ad an. MCCCXVII num. VI ex Epiſtol. XC, XCI, XCII, XCIII, CV, CCCCLXXXV, DVIII, & DXXIII Tomo I Johan. XXII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXXXI pag.* 576 *col. II* ex antiquo *Ms.* ibidem deſcripto. Anno 1317.

EOdem Anno, ut Guelphos inter, & Gibellinos pacem componerent, in Tuſciam & Lombardiam Legati miſſi ſunt iidem FF. Bernardus& Bertrandus. *Conſtitutiones VI, VII, & VIII Johan. XXII*, & auctores mox laudati. Adeas *Odoricum ad an. MCCCXVIII num. XXXII*, & *Bzovium ad eundem annum num. III.* Anno 1317.

IIdem ad Regem Franciæ, & Belgas Legati. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXVIII num XXIII* ex variis Bullis Pontificiis, quas laudat. *Waddingus Annal. Minor. ad an. MCCCXVIII num. I. Echard* loco citato. De tribus illis Legationibus conſulendus *Percinus* noſter in *Opuſculo de Inquiſitione Parte III Cap. VII pag.* 105, ubi Diplomata laudat, & partim tranſcribit. Anno 1318.

F. Berengarius de Landora ex Generali Magiſtro Ord. Archiepiſcopus Compoſtellan., Legatus ad Alfonſum Hiſpaniæ Regem. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXII pag.* 514 *col. II.* Conſulendi Scriptores, quos laudat *Echard*. Ejuſdem Legationis meminit *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 356. Anno 1318.

F. Andreas Gezzius, de quo in *Appendice ad Pontificatum B. Benedicti XI*, Legatus in Italiam miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. III pag. 52 ex Lombardello. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Anno 1318.

F. Guillelmus Petri de Godino, S. R. E. Cardinalis, ut in præcedenti, & in hac *Appendice* dictum eſt, Legatus a Latere in Hiſpanias miſſus. *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCXXXVI pag. 592 col. I, & II. Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag. 344 col. II ex Ughello, Fernandez, & Plodio, Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXII num. XIII. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Anno 1320.

F. Johannes Dominici Legatus ad Oroſium Serviæ Regem. *Conſtitut. XXXVIII & XXXIX Johannis XXII. Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad ann. MCCCXXII num. XX, MCCCXXIII num. XVIII, MCCCXXIV num. XXVI.* Anno 1323.

F. Guillelmus de Lauduno Archiepiſcopus Viennenſis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Legatus ad Galliæ Regem. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXIII num. X, ex Regeſto Pontificio.* Anno 1323.

F. Johannes de Serone S. Sedis Apoſtolicæ Nuncius in Norwegia, Suecia, & Gocia. *Conſtit. L Johan. XXII.* Anno 1326.

F. Benedictus de Cunis, vel potius Cumis, Nuncius ad Regem Siciliæ miſſus. *Conſtitut. LI Johan. XXII.* Illum crediderim *Benedictum de Aſſignano*, profeſſione Comenſem, quem ejuſdem Civitatis Epiſcopum diximus hac in *Appendice*. Hinc in *Conſtitutione* mox laudata legendum videtur: *Benedictum de Cumis*. Sic nuncupatur in *Actis Capituli Generalis Cadurcenſis an. MCCCXIX*, ubi hæc habentur: *Aſſignamus ad legendum Sententias Pariſius iſto anno F. Benedictum de Cumis, de Provincia Lombardiæ Superioris.* Anno 1326.

IDem miſſus ad Andronicum Imperatorem Orientis, ut ipſum, ac Græcos ad fidem orthodoxam alliceret. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVI num. XXVII ex Regeſto Pontificio.* Anno 1326.

F. Guillelmus Dulcinus, poſtea Epiſcopus, ut hac in *Appendice* dictum fuit, Apoſtolicæ Sedis Nuncius. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXVII num, XVIII.* Anno 1327.

F. Petrus de Palude, Patriarcha Jeroſolymitanus, ut in hac *Appendice* videre eſt, Legatus ad Soldanum miſſus. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCXXXI num. XXX. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXLII pag. 604 col. II, ex Chronicis Sandionyſianis*, quæ tranſcribit. Anno 1329.

F. Arnaldus e Sancto Michaele, Ord. Prædicatorum, & F. Geraldus Othonis, Generalis Miniſter Minorum, Legati miſſi ad Reges Angliæ, & Scotiæ. *Bulla* - Cum ſicut - *data V Septembr. MCCCXXXIII. Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIII num. XXIII.* Anno 1333.

FF. Franciſcus Archiepiſcopus Voſprenſis, & Ricardus Epiſcopus Cerſonenſis, de quibus in hac *Appendice*, Legati ad Græcos miſſi. *Bulla* - Arduis - *Data IV Auguſti MCCCXXXIII.* Anno 1333.

BENEDICTUS VULGO XII.

(a) *Ptholomaus Lucenſis.*
(b) Ex eodem, & ex *Ms. Vaticano*.
(c) Ex Epitaphio *Benedicti XII*.
Anno 1335 Die 9 Januarii.

Natione Gallus, Avenione fuit electus (*a*) Die XX Decembris MCCCXXXIV. Ibidem conſecratus (*b*) eſt in Ædibus Sacris Fratrum Prædicatorum Die VIII Januarii MCCCXXXV. Obiit (*c*) Avenione Die XXV Aprilis MCCCXLII. Sedit Annos VII, Menſes IV, Dies VI.

Magiſtrum, & Fratres Electionis, ac Conſecrationis ſuæ certiores facit, & orat, ut pro ſe preces fundant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus Provincialibus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Altitudo cęleſtis conſilii, ſupra cuncta tenens in excelſis imperium, ſic dat eſſe rebus, & diſpenſat ineffabili providentia munera gratiarum, ſic creaturarum conditiones, & ſtatus ordinat, ac prout vult variat, & diſponit, quod ſenſus humanus ejus ſecreta conſilia perſcrutari non valens, in horum conſideratione potius hebetatur, cum ſint inveſtigabiles vię Domini, & Sapientię ſuę magnitudinem humani non capiant intellectus; facit enim fortem ex debili, balbutientibus eloquium tribuit, & ponit nonnunquam humilem in ſublimi, plenam, & perfectam habens ad ſingula, tanquam palmo concludens omnia, poteſtatem.

Certiores facit ut ſupra.

Sane fel. rec. Johanne Papa XXII Prędeceſſore noſtro nuper, ſicut Domino placuit, ab hac luce ſubtracto, & ad cęleſtem patriam ab hujus mundi miſeria, ſicut pie credimus, evocato, ejuſque corpore cum ſolemnitate debita tumulato, Venerabiles fratres noſtri Epiſcopi, Presbyteri, & Diaconi Sacroſanctę Romanę Eccleſię Cardinales, de quorum numero tunc eramus, pro futuri Paſtoris ſubſtitutione convenientes in unum, ſub deliberatione conſilii, quam tanti negotii qualitas exigebat, habito ſuper electione futuri Papę celebriore tractatu, licet conſentire poſſent in alios majorum meritorum claritate conſpicuos, & plurium virtutum titulis inſignitos, tandem tamen ad perſonam noſtram dirigentes unanimiter vota ſua, Nos ad Summi Pontificatus apicem, divinę dignationis clementia, evocarunt. Nos igitur, noſtrarum inſufficientiam virium cognoſcentes, & adminiſtrationis tam ardue ſarcinam, tantique operis gravitatem in tanta conſideratione penſantes, intra noſtra precordia, quid inter tot varias, & diverſas ſeculi fluctuationes, & pugnas agendum, quidve penſandum exiſteret, animo duximus trepido revolvendum. Demum vero ſpiritus virtute reſumpta in illo, qui aſſurgit in occurſum timentium, & implorantium humiliter nomen ſuum, quique in ſemitis ſuis greſſus hominis perficit, inter hujuſmodi cogitationum fremitus anchoram ſpei noſtrę figimus, ad ferendum ſub ejus fiducia jugum ſervituris Apoſtolicę imbecilles humeros humiliter ſubmittentes, ac ſubſequenter benedictionis, & coronationis ſolemnia, & cetera recepimus ſecundum morem ejuſdem Romanę Eccleſię in perſonis Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum hactenus obſervatum, anxiato, & humiliato ſpiritu Domino ſupplicando, ut ipſe qui Nos jugum hujuſmodi ſubire conceſſit, ſic ad ipſum portandum debilitatem noſtram ſuę virtutis robore fulciat, ſicque illud faciat ſua benignitate portabile, quod ſub eo Nos non contingat ex noſtra debilitate deficere; ſed ita ſua omnipotentia, Nobis, & gregi dominico, vigilantię noſtrę commiſſo, potius proficere, quod de talento nobis credito dignam valeamus in extremo judicio reddere rationem. Conſiderantes igitur Nos, tanquam hominem, inter mundanos conflictus, & turbines conſtitutum, noſtrumque imperfectum diligentius attendentes, ad devotionem veſtram, Deo gratam, noſtrę mentis levamus oculos, & ad veſtrarum devotionum ſuffragia ferventius aſpiramus.

Mandatum.

Quapropter univerſitatem veſtram precamur, & obſecramus attentius, per viſcera miſericordię Jeſu Chriſti, quatenus pro perſona noſtra, ſtatuque ſalubri, & felici univerſalis Eccleſię, orationes devotas, & ſedulas ad supernę Majeſtatis clementiam effundatis, & etiam effundi faciatis in veſtris Generalibus Capitulis celebrandis, ut opem Dominus, qui humeris noſtris imbecillibus molem impoſuit Apoſtolicę ſervitutis, nobis ſuę omnipotentię dextera porrigat, defectumque noſtrum ſuę virtutis robore fulciat, ut dum navigabimus in hujus vitę ſeculo, tempeſtuoſo fluctibus, & procellis, ſciamus, & poſſimus diſperſa colligere, fracta connectere, deperdita reſtaurare, cuſtodire pinguia, manuducere fortia, & humilia confovere, aliaſque Sponſę noſtrę nobis divinitus copulatę Romanę prefatę ac generali Eccleſię preeſſe pariter, & prodeſſe. Nos enim Ordinem veſtrum devotę caritatis zelantes affectu, ipſius ſalutis, & proſperitatis cupimus incrementum, cui libenti animo, quatenus ſecundum Deum poterimus, prout expedire viderimus, annuemus. Cum, ſicut intelleximus, portitores hujuſmodi literarum interdum eſſe conſueverunt contra intentionem mittentium exactores, nunc importunę petitionis Inſtantia, nunc etiam murmurationum ſuſurris, ac detractionum, & querelarum comminationibus exigendo; ſcire vos, volumus, quod noſtrę intentionis exiſtit, latoreſque preſentium jurare volumus, quod ad exigendum, vel obtinendum aliquid preter ea, quę ad victum, & ob infirmitatem, & aliis de cauſis neceſſaria, per alias eis ſub certa forma literas miniſtrari precipimus, talibus inſtantiis, murmurationibus, detractionibus, ſeu comminationibus non utantur, nec recipere oblata preſumant. Ideoque, ut noſtris in hac parte intentioni, & beneplacitis concurratis, prefatis eorum abuſibus, ceteriſque ſimilibus, ſi forſan eis, quod non eſt veriſimile, uti preſumerent contra proprium juramentum, contemptis, omnino vos ipſis tribuendo

aliquid

aliquid non gravetis; cum non per exactiones hujuſmodi, ſed alias retributione congrua intendamus ipſorum laboribus reſpondere: Datum Avenione V Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Fundant.*) Adeas *Fontanam Monument. Dominican. Parte II Cap. III ad an. MCCCXXXV pag.* 206.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter *Acta Capituli Generalis Londinenſis Anni MCCCXXXV*. Idemmet Diploma aliis inſcriptum legitur apud *Odoricum Raynaldum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXV num. III*, *Waddingum Annal. Minor. ad eundem annum num. II pag.* 424 *Tom. III.*
3. *Prædicatorum.*) *Tranſmiſit* Summus Pontifex, inquit, *Odoricus* loco laudato, num. IV, *eaſdem literas, immutatis extremis ſententiis, ad Philippum Galliæ, Eduardum Angliæ, Robertum Siciliæ, Alfonſum Caſtellæ, Philippum Navarræ, Alfonſum Aragonum, Alfonſum Luſitaniæ, Carolum Hungariæ, Robertum Sueciæ, Caſimirum Poloniæ, Johannem Bohemiæ, Hugonem Cypri, Leonem Armeniæ, Reges, tum ad Reginas, ac præcipuos dignitate Principes, Duces, Comites, Urbis Senatores, Religioſorum Ordinum Magiſtros, quos, etiam ad fundendas pro ipſo preces, ut pro dignitate Pontificatum gereret, tum ad operam pro augendo cultu Divini Nominis, ac re Chriſtiana amplificanda collocandam, ſolicitavit.*

Ne Mendicantes ad Benedictinum, & Ciſtercienſem Ordines tranſeant (1).

Anno 1335 Die 4 Julii.

Ex Bullario (2) Romano in Benedicto XII. Eſt I.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. II.

Regularem vitam profeſſis ſic (3) expedit ſubtrahi omnem inquietudinis, & turbationis materiam, quod in contemplationis ſuavitate quieſcere valeant, & tranquillum Domino reddere famulatum. Cum igitur ex eo, quod Profeſſores Ordinum Mendicantium ad Monachorum Nigrorum, & Ciſtercienſium Ordines conſueverunt plerumque tranſire, multas in dictis Ordinibus turbationes, infeſtationes, moleſtias, damna, & ſcandala proveniſſe, experientia doceat manifeſte; Nos iis ex debito Paſtoralis Officii pro futuro tempore occurrere cupientes, de conſilio Fratrum noſtrorum, decernimus, ne quis cujuſvis Ordinis Mendicantium Profeſſor ad aliquem duorum Ordinum quoquomodo tranſire valeat ſine Romani Pontificis licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam faciente de Conſtitutione hujuſmodi mentionem. Non obſtantibus Privilegiis Apoſtolicis quibuſcunque conceſſis in contrarium dictis Ordinibus Mendicantium, ſeu ipſorum Prȩlatis, aut aliquibus eorundem, quia quoad hoc ex nunc fore nullius decernimus firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam hujus noſtrȩ prohibitionis, derogationis, ac voluntatis infringere &c. Datum Avenione IV Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Inhibitio. Clauſula derogans. Sanctio pœnalis.

1. *Tranſeant.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Bullario.*) Legitur apud *Caſtellanum pag.* 41, *Rodericum in nova Collectione Privileg. Apoſtolicor. pag.* 54. Meminit *Gonzales in Summario Privilegior. pag.* 58.
3. *Sic.*) Deſideratur quidem apud *Cherubinum*, ſed legitur apud *Caſtellanum*.

Ludovicum Bavarum paternis monitis hortatur (1), ut ad meliorem frugem ſeſe recipiat, & a moleſtiis Fratribus Prædicatoribus illatis abſtineat.

Anno 1339 Die 23 Januarii.

Ex Odorico (4) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXXXIX num. II.

Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Magnifico Viro Ludovico de Bavaria, promereri gratiam in prȩſenti, per quam aſſequi valeat gloriam in futuro. III.

Literas magnificentiȩ tuȩ benignitate ſolita recepimus, & quȩ continebantur in eis, pleno collegimus intellectu. Sane cum tam per eas, quam diverſas tuas literas, alias hactenus nobis miſſas, te reconciliationem tuam nobis, & Eccleſiȩ Sanctȩ Dei deſiderare aſſerueris, & aſſeras affectibus ferventibus, & devotis, in eis nihilominus ſubjungendo, quod noſtris, & Eccleſiȩ Romanȩ juribus, & honoribus, derogare non intendis in aliquo, ſed ad eorum exaltationem te proponis impendere reverenter; non ſufficimus admirari, quod licet nos propter prȩlocutiones olim ſuper eadem reconciliatione inceptas, quas deſiderabamus, ſicut adhuc deſideramus, ad debitum finem perduci, procedere contra te ſuper iis etiam, quȩ per te attentata referuntur interim, de quibus inferius aliqua exprimuntur, te per viam manſuetudinis ab iis, & aliis deteſtandis exceſſibus cupientes retrahere, omiſerimus aggravare proceſſus per Prȩdeceſſorem (3) noſtrum adverſus te, ut noſti, habitos, diverſas ſpirituales & temporales pȩnas, & ſententias continentes, tenendo negotium hujuſmodi ſub ſpe reconciliationis ejuſdem, de benignitate Apoſtolica, in ſuſpenſo; tu tamen, ſicut habet rumor implacidus, & infeſtus, deducens, ut videtur, hujuſmodi noſtram benignitatem & manſuetudinem in contemptum, ſtatuta de facto feciſſe una cum nonnullis partium earum Principibus his diebus prȩteritis diceris, per quȩ, licet nulla tibi eſſet, vel ſit attributa quomodolibet auctoritas ſuper hoc, vel poteſtas, prȩdictos proceſſus habitos, & ſententias promulgatas contra te per eundem Prȩdeceſſorem, de conſilio fratrum ſuorum S. R. E. Cardinalium, cum magna ſolemnitate, prȩſente multitudine fidelium copioſa, & in diverſis mundi partibus publicatos, dixiſti, & pronuntiaſti de facto, ut prȩmittitur, fore nullos, quanquam nulli homini, quantacunque ſit auctoritate ſuffultus, liceat ſe de iis, quȩ per Romanum Pontificem, maxime ſuper iis, quȩ ad judicium ſpectant Eccleſiȩ, ordinantur, intromittere, niſi de licentia, & auctoritate ipſius; honori, & primatiȩ prȩfatȩ Romanȩ Eccleſiȩ prȩſumptuoſe nimis, & temerarie, quantum in te fuit, ſi ſinceritas ſuffragetur relatibus, detrahendo. Prȩterea ſtatuendo de facto mandaſti, ut aſſeritur, quod in partibus Alamanniȩ (4) mandata non recipiantur Apoſtolica, nec pareatur eiſdem, nec illos, quibus per Sedem prȩdictam

Exordium. Conqueritur de moleſtiis a Ludovico Noſtratibus, aliiſque exhibitis.

provideri contingit de dignitatibus, & aliis beneficiis eccleſiaſticis dictarum partium, permiſiſti, aut permittis ad dignitates & beneficia hujuſmodi recipi, & admitti. Et ulterius Prelatos, Religioſos, & alias Perſonas Eccleſiaſticas partium earundem ad violandum interdictum eccleſiaſticum, auctoritate Apoſtolica in diverſis Civitatibus, Villis, Terris, & Locis partium earundem appoſitum, propter capsionem, & captivationem perſonarum ipſorum, ac bonorum ſubtractionem, & alias crudeliter & inhumaniter, non abſque plurimorum ſcandalis, contemptu clavium Eccleſię, ac animarum periculis, non erubeſcis compellere, faciendo divina officia in locis eiſdem, interdicto eccleſiaſtico, ut premittitur, ſuppoſitis, damnabiliter profanari: quamplurimos etiam Religioſos, & preſertim Fratres Ordinis Predicatorum, qui Dei timorem & amorem, ac reverentiam Sedis predictę, ſuarumque animarum ſalutem injuſtis & iniquis mandatis, & preſumptionibus ſacrilegis & damnandis hujuſmodi preferentes, profanare in locis predictis recuſarunt divina, fugando, affligendo, & ſic crudeliter perſequendo, quod multi Conventus eorum propter hoc ſunt, proh dolor! diſſipati. Ad hęc; detrahendo non parum ejuſdem Eccleſię Romanę juribus & honoribus, Vicarium in certis partibus Alamannię, quanquam ad te non pertineat, deputaſti, ut fertur. Hęc autem, quę premiſimus, ut de multis aliis, quę fert rumor hujuſmodi, taceatur ad preſens, ſi vera ſunt, in Divinę Majeſtatis contumeliam & offenſam, ac jurium, & honorum detractionem Sedis predictę, fideique leſionem catholicę cedere procul dubio dignoſcuntur. Talia namque, quę non ſolum Deum, & Sedem eandem, graviter non immerito provocant, ſed horrore mentes concutiunt, & commovent Catholicorum Regum, Magnatum, & Principum orbis terrę; maxime cum ex ita fides tangatur catholica, ex qua juſtus vivit, & extra quam non eſt alicui gratia, neque ſalus; non ſunt ſigna, vel facta penitentis hominis, Deum timentis, ac volentis revereri Sacroſanctam Eccleſiam, matrem ſuam, & reverti ad ejus gremium, cum ſe ſentit eſſe, delictis & offenſis ſuis exigentibus, extra illud. Quis enim fidelis dubitat, quin illi homines peſtilentes heretici, & ſchiſmatici manifeſti, qui adhuc ſub tegmine alarum tuarum morari dicuntur, te, de cujus ſalute ac honore non curant, ſed ad hoc cum evidenti tuę ſalutis & famę detrimento tantum aſpirans, ut tuo protecti munimine ſibi pro ſuis ſceleribus effugiant ultionem, retrahere moliti fuerint hactenus, & etiam, adulando peſtifere, moliantur in hujuſmodi & alia precipitia confuſionis & damnationis ęternę (5)? Nos igitur, qui te ſuper premiſſis paterna caritate alloquimur, & tuam deſideramus ſalutem, premiſſa, quę tuę optatę reconciliationi obvia ſunt admodum, & augmentum procurant indignationis divinę, ponentes tenore preſentium ante oculos mentis tuę, tibi conſulimus, & paternis exhortationibus, & ſalutaribus monitis ſuademus, quatenus, diligenter conſiderans vias tuas malas, & dum tibi vitę tempus ſupereſt, ab eis convertere, & ad vias rectas dirigere non differas greſſus tuos, ut poſſis illa verba prophetica dicere Domino: Cogitavi vias meas, & converti pedes meos in teſtimonia tua: non ſolum ſępe, ſed ſępius intra tua precordia revolvendo, quod moriturus es, & tibi, qui jam in annos proceſſiſti plurimos, mortis terminus appropinquat, & ignoras penitus diem mortis. Et quid etiam, ſi, quod abſit, te contingeret in tali ſtatu, & cum talibus operibus, terminum claudere vitę tuę, exinde, cum te tua ſequerentur opera, reportares? Profecto nihil aliud, niſi penas cruciatus perpetui, & tormenta. Et ut tua reconciliatio, tibi utique ſalutifera, peccatis tuis non impediatur propriis, ſed potius Deum & Eccleſiam Sanctam ſuam, ac Nos, & eandam Sedem tibi magis placabiles conſtituas in hac parte, a premiſſis exceſſibus omnino deſiſtere ſtudeas, & cum effectu attentata, ut premittitur, circa hęc tam pie, quam provide revocare, non procraſtinando, dum tempus habes, ſicut premiſimus, proſequi reconciliationem eandem: circa quam, ſi te digne ad id coaptaveris, Nos, & Sedem predictam quantum cum divino beneplacito, & honore ipſius Eccleſię, fieri poterit, propitios reperies, & benignos. Et inter cetera ſatis expediens videretur, quod ab offenſa, & irriſatione illorum, qui prodeſſe, vel obeſſe tibi valerent ſuper his, abſtineres. Datum Avenione X Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Nota. (margin note beside "torum, qui Dei timorem")

1. *Hortatur.*) Legendus *Odoricus ad an. MCCCXXXIX num. I.*

2. *Odorico.*) Ex *Regeſto Vaticano Epiſt. CCCXCII Tomo V Benedicti XII.*

3. *Predeceſſorem.*) *Johannem XXII.*

4. *Alamannie.*) *Alemannie.*

5. *Eterne.*) *Odoricus* addendum monet: *Te impellere?*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, Archiepiſcopi, & Epiſcopi Dignitates, Benedicto XII Summo Pontifice, Promotos exhibens.

PATRIARCHA.

Circa Annum 1337. F. Thomas de Hanapis Patriarcha Jeroſolymitanus. *Cavalerius Tomo I pag. 113 num. XCVII ex Johanne Marieta, & Plodio.*

ARCHIEPISCOPI.

Circa Annum 1334. F. Petrus Philippi Archiepiſcopus Upſalenſis, in Suecia. *Echard Tomo II Scriptor. Ord. in Supplemento noviſſimo*

noviſſimo pag. 1 *col. II ex Hiſtoria Eccleſiæ Suetiæ pag.* 104, & *Tomo I ad an. MCCXCI pag.*428 *col. II ex Cronicis* incerti Auctoris, & ex *Hiſtoria* mox laudata. Anno *MCCCXLI* vivere deſiit *Petrus Philippi*; id ex Scriptoribus mox laudatis conſtat. Verum, quo anno fuerit inauguratus, incertum. *Meſſenius* tamen ipſum a *Johanne XXII* circa annum *MCCCXXXI* confirmatum fuiſſe, indicat.

F. Gaddus Piſanus, ex Epiſcopo Corcyræ nigræ, ut in *Appendice* præcedenti dictum eſt, Archiepiſcopus Corcyrenſis, *Corfu*, in ejuſdem nominis Inſula, ditionis Venetorum. *Cavalerius Tomo I pag.* 121 *num. CXVIII*, ceterique ſupra laudati. Circa Annum 1341.

F. Johannes Gallus, Archiepiſcopus Arelatenſis, *Arles*, in Gallo-Provincia. *Cavalerius Tomo I pag.* 129 *num. CXLIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VII pag.* 54 *ex Taegio, & Gallia Chriſtiana*. Anno 1341.

EPISCOPI.

F. Johannes Genevenſis, ſeu Johannes de Cors, Epiſcopus Tinienſis, *Tine*, in Liburnia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 123 *num. CXXII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXIX pag.* 309 *ex Ughello. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXLII pag.* 613. Epiſcopus *Tiburtinus* fuit *Johannes* noſter, ut hac in *Appendice* dicetur. Anno 1334.

F. Petrus Pireto, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Mirapiſcenſis, *Mirepoix*, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Toloſano. *Cavalerius Tomo I pag.* 129 *num. CXLII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXCI pag.* 238 *ex Gallia Chriſtiana. Echard Tomo I Scriptorum Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23, *& ad annum MCCCXXXIII pag.* 584 *col. I*. Is ipſe eſt *Petrus de Pireto*, quem *Johannes XXII* commendat, & cujus laudes celebrat in *Conſtitutione XLVI* data *XXVI* Aprilis *MCCCXXV*. Hinc emendandus *Plodius*, qui, ut obſervat *Cavalerius* mox laudatus, *Petrum* reiicit ad annum *MCCCCLXXXVI*. Anno 1335.

F. Hugo Vicentinus, ex Epiſcopo Juſtinopolitano, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* dictum eſt, Epiſcopus Mazarenſis, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Cavalerius Toma I pag.* 112 *numero XCIII*, ceterique ſupra laudati. Anno 1335.

F. Guillelmus Narbonenſis, Epiſcopus Nemauſenſis, *Nimes*, in Gallia Narbonenſi, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 113 *num. XCVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXVII pag.* 246 *ex Taegio, & Gallia Chriſtiana*. Anno 1336.

F. Petrus Fundanus, Epiſcopus Fundanus, *Fondi*, in Latio, immediate ſub S. Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 118 *num. CXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLIII pag.* 195 *ex Ughello*. Anno 1336.

F. Branca, Romanus, Epiſcopus Tiburtinus, *Tivoli*, in Latio, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcop. Tiburtin Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1309 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 113 *num. XCIX, & Tomo II pag.* 35 *num. I. Fontana Theatro Dominicana Parte I Cap. V Tit. DLXXXVIII pag.* 308. Eodem anno deceſſit e vivis. Anno 1337.

F. Johannes Genevenſis, ſeu Johannes de Cors, ex Epiſcopo *Tinienſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Tiburtinus, *Tivoli*, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Tiburtin. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1309 *Edit. II ex Regeſt Vatican. Epiſt. DXVIII An. III Benedicti XII. Cavalerius Tomo I pag.* 123, *num. CXXII. Fontana Theatro Dominicana Parte I Cap. V Tit. DLXXXVIII pag.* 308. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXLII pag.* 613 *&c.* Anno 1337 Die 1 Octobris.

F. Petrus de Palude, Patriarcha *Jeroſolymitanus*, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* videre eſt, Adminiſtrator Eccleſiæ Conſoranenſis, *Coſerans*, in Gallia Aquitanica, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor Ord. ad an. MCCCXLII pag.* 606 *col. I & II*, ubi Inſtrumentum tranſcribit, quo liquet Anno *MCCCXXXVII* hujuſce Sedis Adminiſtratorem fuiſſe *Petrum*. Circa Annum 1337.

F. Petrus Burgundus, Epiſcopus Sarlatenſis, *Sarlat*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 115 *num.* 103. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXVIII pag.* 289, *ex Taegio & Gallia Chriſtiana*. Anno 1338.

B Mat-

Anno 1338. **B.** Matthæus Urſinus, S. R. E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* dictum fuit, Epiſcopus Sabinenſis. *Ughellus in Epiſcopis Sabinen. Tomo I Italiæ Sacra pag.* 174 *Edit. II*. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Circa Annum 1339. **F.** Franciſcus de Biſtagno, ut apud *Ughellum*, vel *Bretagno*, ut ſcribunt *Cavalerius* & *Fontana*, Epiſcopus de Verſentia. *Ughellus Tomo IV Italiæ Sacra in Epiſcop. Accien. pag.* 908 *Edit. II*, cujus hæc verba: *Cetera Altaria ejuſdem Eccleſiæ* (Ciſtercienſis Cœnobii S. Mariæ de Morimundo in Valle Ticini) *conſecravit F. Franciſcus de Biſtagno Ord. Prædicatorum*, *Epiſcopus da Verſentia*. Ipſum excipit *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXX pag.* 321. Aſſipulatur etiam *Cavalerius Tomo I pag.* 116 *num. CVI*, ſed mendum irrepſiſſe, merito ſuſpicatur. Illum crediderim *Franciſcum Britonem Epiſcopum Biſaccienſem*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* mentio eſt.

Circa Annum 1340. **F.** Petrus de Triniaco, vel de Giaco, ut a *Laurentio Pignon* vocatur, Epiſcopus Silvanectenſis, *Senlis*, in Provincia Inſulæ Franciæ, ſub Archiep. Remenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23 *col. I*, ex *Laurentio Pignon*, & *Monumentis Conventus Antiſſiodorenſis*. *Cavalerius Tomo I pag.* 239 *num. LXXXV*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLI pag.* 296.

Circa Annum 1340. **F.** Nicolaus de Marvia, Epiſcopus Bergenſis, *Bergen*. In Norvegia, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 118 *num. CXIV*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXIII pag.* 139 *ex Fernandez*.

Circa Annum 1341. **F.** Magneſius de Neapoli, Epiſcopus Lubrenſis, ſeu Maſſæ Lubrenſis, *Maſſa di Sorrento*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Surrentino. *Cavalerius Tomo I pag.* 139 *num. CLXXVI*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLV pag.* 218, *ex Ughello*. Archiepiſcopum *Tranenſem* fuiſſe *Magneſium* dicetur in *Appendice ad Pontificatum Clementis VI*.

CLE-

CLEMENS VI.

Gallus, electus (*a*) fuit Avenione VII Maii MCCCXLII. Eodem Anno coronatus (*b*) eſt in Ædibus Sacris Fratrum Prædicatorum Avenionenſium Die XIX Maii. Obiit (*c*) Avenione VI Decembris MCCCLII. Sedit Annos X, Menſes VII.

(*a*) Ex *Ms. Vaticano*.
(*b*) Ex eodem.
(*c*) Ex eodem.

Anno 1342 Die 18 Decembris.

Eccleſiam Caſtri de Brachala (1) B. Mariæ de Conſolatione Eccleſiam nuncupandam decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Philippo de Sanguineto, Comiti Alti-fluminis, Caſſanen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. I.

SUmma prudentia prędiţos, & cęleſtis benedictionis rore perfuſos illos infallibiliter credimus, & tenemus, qui ad opera ſalutis intenti, terrena pro cęleſtibus, & tranſitoria pro ęternis felici commutare commercio cupientes, in benedictionibus ſeminare nituntur in terris, quę per vitam ęternam de benedictionibus metere valeant in excelſis. Itaque hujuſmodi pia vota fidelium libenter Apoſtolico favore proſequimur, & eis aſſenſum benignum, quantum cum Deo honeſte poſſumus, impertimur. Oblata ſiquidem pro parte tua petitio nobis, continebat, quod tu zelo devotionis accenſus, de propria ſalute recogitans, & cupiens pro terrenis ęterna mercari, ad Omnipotentis Dei, ac Beatę Virginis Matris ejus laudem & gloriam, quandam Eccleſiam in Caſtro tuo Brachala vulgariter nuncupato, Caſſanen. Diœceſis, ſituatam, in qua jus habere te aſſeris patronatus, ſub Beatę Marię Virginis vocabulo inſignitam, reędificari de novo, ac ſublimiorem conſtrui facere intendis, & majorem. Quare Nobis humiliter ſupplicaſti, ut tibi faciendi prędicta, licentiam concedere dignaremur, & quod eadem de cetero Eccleſia B. Marię de conſolatione ab omnibus nuncupetur. Nos igitur tuum purum propoſitum in hac parte favorabiliter proſequi cupientes, reędificandi, & conſtruendi de novo, ut prędicitur, eandem Eccleſiam auctoritate pręſentium plenam tibi concedimus, & liberam facultatem, volentes ipſam ab omnibus Chriſti fidelibus Eccleſiam B. Marię de Conſolatione in poſterum nuncupari. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis &c. Datum Avenione XVIII Menſis Decembris MCCCXLII (3), Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. Mandatum. Sanctio pœnalis.

1. *Brachala*.) In *Calabria citeriori*, ubi *Caſſanenſis* Diœceſis.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo in Archivo Conventus *Altomontii*, vulgo *Altomante* aſſervati.
3. *XVIII Menſis Decembris MCCCXLII*.) Sic Amanuenſis. Legendum: *XV Kal. Januarii*.

Ex Diplomate Johannis XXII, quod inſcribit, Archiepiſcopos Toloſanum, & Narbonenſem, ac Epiſcopum Sancti Papuli Conſervatores Monaſterii Pruliani (1) conſtituit.

Anno 1343 Die 1 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. II.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundem literarum fel. rec. Johannis PP. XXII Prędeceſſoris noſtri, in ejus Regeſtro repertum, pro eo quia, ſicut pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Monaſterii S. Marię de Pruliano, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Sancti Papuli Diœceſis, propoſitum extitit coram nobis, ipſę originales litterę ſunt caſualiter perditę, de Regeſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſarum Prioriſſę, & Sororum ſupplicationis inſtantiam pręſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Tholoſan. & Narbonen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Sancti Papuli, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Obviare malitiis perverſorum, & Religioſarum quieti conſulere perſonarum, Paſtorali ſolicitudine commonemur, ut & illorum peccandi refręnetur audacia, & ipſę eo devotius, quo quietius Domino valeant famulari. Cum itaque dilectę in Chriſto filię Prioriſſa & Sorores Monaſterii S. Marię de Pruliano per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Sancti Papuli Diœceſis, ſicut ipſę nobis inſinuare curarunt, a nonnullis qui nomen Domini recipere in vacuum non formidant, in perſonis & bonis earum aliquando moleſtentur, ſuper quibus locorum Ordinarii ſe reddunt in exhibenda eis juſtitia negligentes, ipſiſque Prioriſſę & Sororibus difficile ſit & grave ſuper ſingulis querelis earum ad Apoſtolicam Sedem habere recurſum; Nos volentes ipſis Prioriſſę, & Sororibus ſuper hoc de remedio conſulere opportuno, per quod quieti provideatur earum, & malignantium audacia compeſcatur, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, eiſdem

Tenor Bullæ Johannis XXII.

Prioriſſę

Prioriſſę & Sororibus, quotiens fuerit opportunum, faciatis de hujuſmodi moleſtatoribus, & injuriatoribus, religioſis, & ſecularibus, exemptis, & non exemptis, quicunque, & cujuſcunque conditionis fuerint perſonę, ac celeris juſtitię complementum, moleſtatores, & injuriatores eoſdem, necnon contradictores quoslibet, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus Concilii Generalis de duabus, & fel. rec. Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri de una, dietis, & quibuſcunque aliis Conſtitutionibus, ſuper hoc in contrarium editis, aut ſi aliquibus ab eadem ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & litteris dictę Sedis, quibuſvis perſonis in quacunque forma verborum conceſſis, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta veſtrę juriſdictionis explicatio, in hac parte poſſit quomodolibet impediri, & de quibus quorumque totis tenoribus in noſtris litteris mentionem

Conſtituit ut ſupra.

fieri oporteat ſpecialem. Datum Avenione VIII Kal. Novemb. Pontificatus noſtri Anno Quinto. Ceterum ut earundem literarum tenor prędictus omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciat ſic inſertus, auctoritate apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales litterę ſupradictę, & eadem prorſus ipſi tenori fides adhibeatur quandocunque & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem firmiter ſtetur in omnibus, ſicut eiſdem originalibus litteris ſtaretur ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, atque Archiepiſcopi, & Epiſcopus ſupradicti in executione contentorum in eiſdem litteris, juxta ipſius tenoris continentiam, poſſint perinde procedere, ac ſi prędictę originales litterę apparerent. Per hoc autem prędictis Prioriſſę & Sororibus nullum jus denuo acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod habent,

Sanctio pœnalis.

tantummodo conſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Datum Avenione Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

9
X
X

M. (3) Paſthel

Regiſtrata D. de Facla

M. Paſthel

Auſcultata (4) eſt cum Regeſtro — Pro P. de Caunis

P. de Seundro

Tho. Florent.

1. *Prullani.*) Conſule *Conſtitutionem I Innocentii III Tom. I pag.* 1, & *Conſtitutionem VII Honorii III*, ibidem *pag.* 6.

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur.

3. *M.*) Subſcriptiones hoc ordine leguntur in ipſomet Diplomate.

4. *Auſcultata.*) Sic legitur in ima parte Diplomatis.

Anno 1343 Die 11 Julii.

Conſervatores, qui Decretalem Bonifatii VIII, quæ incipit: *Super Cathedram*, ſervandam curent, inſtituit (1).

Ex Bullario Carmelitarum in Clemente VI Conſtitutione VI pag. 74.

III. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Ferrarien., & dilectis filiis ..... S. Silveſtri Nonantulan. Mutinen. Diœceſis, ac ..... S. Marię in Regula Imolen. Monaſteriorum Abbatibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium, in quo hujuſce Diplomatis cauſa.

FRequentes hactenus, immo innumeroſę quodammodo de diverſis mundi partibus Venerabilium Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, aliorumque Superiorum, Prælatorum, necnon dilectorum filiorum Rectorum, Curatorum, & Parochialium Sacerdotum querelę contra dilectos filios Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratres, Sedis Apoſtolicę jamdudum excitarunt, & noſtrum clamoroſis inſinuationibus excitare, ac fatigare non ceſſant auditum; quod iidem Fratres Decretalem dudum editam a fel. rec. Bonifatio Papa VIII Prędeceſſore noſtro, quę incipit: Super Cathedram: ac deinde per pię mem. Clementem Papam V Prędeceſſorem noſtrum in Viennen. Concilio innovatam, temere obſervare non curant, ſed ipſam transgredi non verentur in ejuſdem Sedis contemptum, animarum ſuarum periculum, & eorundem conquerentium, & Eccleſiarum Parochialium pręjudicium, & gravamen. Intelleximus quoque, quod plerumque pręfatis dictorum Prędicatorum, & Minorum, necnon Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum Fratribus, in cujus Ordinis dictorum Eremitarum perſonis idem Bonifatius Prędeceſſor Decretalem prędictam, in qua tantum de ipſis Prędicatorum, & Minorum cavetur Ordinibus, per omnia voluit poſtmodum integraliter, & inconcuſſe ſervari; quamque ſubſequenter fel. record. Johannes Papa XXII, Prędeceſſor noſter, ad dictorum Carmelitarum Ordinem antedictum, quoad omnia in ea contenta extendit, a prędictis Epiſcopis, Prælatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem Decretalis prędictę, graves injurię, atque moleſtię in diverſis partibus inferuntur. Inſuper

Inſuper etiam pro parte ven. fratris noſtri Epiſcopi Bononien., & dilectorum filiorum Cleri Civitatis, & Diœceſis Bononien. eidem Epiſcopo ſubjectorum, nobis extitit intimatum, quod prędicti eorundem Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres, contra tenorem Decretalis ejuſdem, multa eiſdem Epiſcopo, & Clero, & eorum ſingulis gravamina, & injurias inferunt & jacturas. Quia igitur parum eſſet jura condere, niſi, qui eadem tueatur, exiſtat; Nos dicti Johannis Prędeceſſoris, qui Decretalem prędictam, de Fratrum ſuorum conſilio, voluit, & mandavit integraliter obſervari, veſtigiis inhęrentes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, ſeu Judices, tam eiſdem Epiſcopo, & Clero Civitatis, & Diœceſis Bononien. prędictarum, & earum cuilibet adverſus Fratres prędictos, quam e converſo eiſdem Fratribus adverſus Epiſcopum, & Clerum prędictos, & ſingulos eorundem efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, ac facientes, Decretalem prędictam quoad omnia ejus Capitula firmiter obſervari, non permittatis contra tenorem ipſius per memoratos Fratres ipſorum Ordinum eiſdem Epiſcopo, & Clero, vel alicui, ſeu aliquibus eorundem, nec etiam per dictos Epiſcopum, & Clerum, ſeu aliquem, vel aliquos ipſorum, eiſdem Fratribus gravamina, aut injurias irrogari: facturi ipſis hinc inde de quibuſcunque injuriis, moleſtationibus, gravaminibus, & damnis illatis hactenus, & etiam in poſterum inferendis eiſdem contra tenorem Decretalis ejuſdem, in illis videlicet, quę judicialem requirant indaginem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitię complementum: moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoslibet, & rebelles quandocunque, & quotieſcunque expedierit, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita compeſcendo. Non obſtantibus quibuſcunque exemptionibus ſpecialibus, vel generalibus, tam Fratribus, & Ordinibus prędictis, vel alicui ſeu aliquibus Fratrum, & Ordinum eorundem, quam prędictis Epiſcopo, & Clero, ſeu ipſorum alicui, ſeu aliquibus communiter, vel diviſim ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis; ac ejuſdem Bonifatii, qua cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem; vel Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur: ſeu ne Judices, & Conſervatores a Sede deputati prędicta extra Civitatem, & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorum trahere pręſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis auctoritate pręſentium non trahatur; ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & moleſtiis, & aliis, quę judicialem indaginem exigunt, pęnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes adjectis. Conſervatores ſe nullatenus intromittant, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum per literas Apoſtolicas ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare; ſeu ſi tam eiſdem Fratribus, vel eorum Ordinibus, aut alicui, ſeu aliquibus Fratrum, & Ordinum prędictorum, quam Epiſcopo, & Clero prędictis, vel aliquibus ipſorum, ſeu quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a prędicta ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca, vel alio quocunque modo ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & eorum perſonis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem; & quibuslibet aliis indulgentiis, ſeu privilegiis dictę Sedis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri; & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialem oporteat in noſtris literis fieri mentionem. Ceterum Judicibus, ſeu Conſervatoribus quibuſcunque per literas Apoſtolicas ſub quacunque alia, quam pręſenti verborum forma, vel expreſſione confectas, eiſdem dictorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratribus, ſeu ipſis Ordinibus communiter, vel diviſim ſuper damnis, & injuriis, & aliis quibuſcunque rebus, ſeu negotiis alias deputatis, & ſubdelegatis eorum, pręſentibus. & futuris auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ne aliquem, ſeu aliquos auctoritate literarum ipſarum pretextu, ſeu occaſione quorumcunque damnorum, vel injuriarum, ſive gravaminum contra tenorem prędictę Decretalis: Super Cathedram: ipſis Fratribus, ſeu eorum Ordinibus antedictis communiter, vel diviſim, a quibuſcunque perſonis illatorum hactenus, & etiam inferendorum in poſterum alicubi coram ſe deinceps ad judicium, vel alias quoquomodo vocare, ſeu in cauſa aliquatenus trahere pręſumant, inhibitionem hujuſmodi non ſolum ad futura, ſed etiam ad quoviſmodo adhuc pendentia, & jam cępta negotia, volentes extendi; ac decernentes pręfatas literas & proceſſus eorum auctoritate quomodocunque habitos, & habendos, ad damna, gravamina, & injurias hujuſmodi contra tenorem dictę Decretalis illata & inferenda, ut dictum eſt, deinceps aliquatenus non extendi, & etiam irritum, & inane, ſi ſecus ſuper pręmiſſis per quoſcunque ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Vobis nihilominus injungentes, ut inhibitionem noſtram hujuſmodi ad dictorum Judicum, & conſervatorum, & Delegatorum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Inſuper volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prępeditus: quodque a data pręſentium ſit vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris perpetuata poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in pręmiſſis omnibus cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, & pro prędictis, procedere, ac ſi prędicta omnia, & ſingula coram vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in prędictis omnibus, & ſingulis per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet; Conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita, non obſtante. Datum Avenione V Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Inſtituit ut ſupra.

Clauſula derogans.

t. *Inſtituit.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo, Tit. VII, & IX.*

Anno 1344 Die 6 Februarii..

Doctrinæ S. Thomæ magnam laudem tribuit, & Ædes Sacras Ordinis noſtri Die Feſto, vel per Octavas ejuſdem Sancti viſitantibus Indulgentias (1) elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN Ordine Fratrum Prędicatorum quaſi ſolis radius habitantibus in hac lacrymarum valle lux eruditionis relucet, dum ipſius Ordinis profeſſorum fructuoſa ſtudia mentes fidem orthodoxam profitentium fragiles lumine veritatis illuſtrant, & ſpinas punctionis lethiferę in horto ſuccreſcentes dominico novacula labiorum ſuccidunt, in quibus ęternę ſapientię gratia eſt diffuſa. Attendentes igitur, quod Ordo prędictus, in horto plantatus Eccleſię, ac in germine ineffabilis ſpiritualis utilitatis ſuccreſcens, illum prelucidum ac fructuoſum palmitem, Beatum videlicet Thomam de Aquino, Confeſſorem, ac Doctorem egregium, ex cujus ſapientię & doctrinę ſcriptis, & traditis, univerſalis Eccleſia multiplicem ſpiritualis ubertatis fructum recolligens, ipſius fructus odore reficitur inceſſanter (3), produxit; & quod idem Ordo, ut ſpiritualium fructuum ubertatem multifariam multiplicet multifario non laxatur labore. Et propterea dignum, quin immo, debitum, reputantes, ut Ordo prędictus, in eadem Eccleſia longe lateque diffuſus; ob honorem & reverentiam prędicti Doctoris almifici. ac prefati Ordinis pręclara merita, per Sedem Apoſtolicam ſpiritualibus foveatur preſidiis, & a cunctis ubique, qui Chriſtiana profeſſione cenſentur, devotione congrua multipliciter honoretur, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus ad loca Fratrum dicti Ordinis, imploraturi a Domino in locorum ipſorum Eccleſiis, veſtrorum veniam delictorum, in humilitate ſpiritus accedatis: Nos enim, ut eadem loca eo libentius, & devotius a fidelibus frequententur, quo per hoc fideles ipſi potiori dono cęleſtis gratię cenſerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere penitentibus, & confeſſis, qui dictas Eccleſias ipſorum locorum ubique exiſtentium in feſto ejuſdem Beati Thomę, & per octo dies feſtum ipſum immediate ſequentes annis ſingulis viſitaverint, ſingulis videlicet ejuſdem feſti, & aliis prędictis diebus, quibus viſitaverint, ut preſertur, unum annum & quadraginta dies de injunctis ſibi penitentiis miſericorditer in Domino relaxamus. Et nihilominus illas eiſdem Indulgentias elargimur, quę locorum prędictorum Eccleſias in feſtivitatibus Beati Dominici Confeſſoris, & Petri Martyris, & per octavas feſtivitatum ipſorum viſitantibus vere penitentibus & confeſſis. per Predeceſſores noſtros Romanos Pontifices, ſunt hactenus conceſſę. Datum Avinione VIII Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Ordinem noſtrum laudibus celebrat.

S. Thomæ Aquinatis encomium.

Indulget ut ſupra.

1. *Indulgentias.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ab anno *MCCCXLV* ſcriptum. Legitur etiam apud *Caſtellanum pag. 60*, & in *Conſtitutionibus anni MDVII num. LXXXV.* Authenticum habes in Bullario *Uſuſmaris pag. 87*, & *Libro E. pag. 70.*
3. *Reficitur inceſſanter.*) De hoc oraculo, cæteriſque, quibus Angelici Doctoris inconcuſſa tutiſſimaque dogmata Summi Pontifices ab *Alexandro IV* ad *Benedictum uſque XIII* Ordinis Prædicatorum Alumnum, feliciter regnantem, illuſtrarunt, dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.* Adeas *Caſtellanum pag. 61.*

Anno 1344 Die 3 Maii.

Gimontenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Percino Monument. Convent. Toloſani Seculo II ad an. MCCCXLII pag. 77.

V. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Prędicatoribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

INter eccleſiaſticos Ordines, in domo Domini militantes, illud de benedictione celeſti Ordini veſtro, & vobis ad laudes ſpeciales aſcribitur. ac rerum efficax magiſtra experientia teſtatur, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos ad ſalutis gratiam evocatis. proficientes vobis per vitę virtutum merita, & aliis nihilominus per exempla. Nos igitur, qui lucrifieri Chriſto animas cupimus, & hujuſmodi veſtros ab hactenus ſentimus odores, libenter loca veſtra in diverſis orbis partibus propagamus: ſperantes in illo. cui deprecationes laudum, devotum impenditis holocauſtum, quod quanto latius loca veſtra diffundimus, tanto abundantius ſpiritualis odoris aromata de veſtris bonis operibus ſentiemus: devotis veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, recipiendi (2) unum locum pro habitatione veſtra in villa de Gimonte, Lombarienſis Diœceſis, in qua quidem villa, ut aſſeritis, nulli Religioſi mendicantes exiſtunt, & in eo ędificandi, & conſtruendi domum, Eccleſiam, & Capellam, ſeu Oratorium, cum aliis neceſſariis officinis, & in eo commorandi, dummodo in eadem villa duodecim Fratres dicti Ordinis inibi pro tempore morituri, decenter, & congrue valeant ſuſtentari, ſine juris prejudicio Parochialis Eccleſię dictę villę, & cujuslibet alterius alieni &c (3). Datum Avenioni V Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Exordium ab Ordinis præconio.

Facultas conceſſa.

1. *Gimonten.*) In *Occitania*, ubi *Lombarienſis* Diœceſis.
2. *Recipiendi.*) Cœnobium iſtud receptum non fuiſſe, docet *Percinus* loco laudato.
3. *Alieni &c.*) Adderem: *Facultatem concedimus.*

Ab

Ab amicis, vel devotis acceptam pecuniam in debellandis Turcis (1), Religioſos ponere poſſe, declarat: & Fratri Oliverio, ut hanc Declarationem publicet, præſcribit.

Anno 1345 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Oliverio (3) de Vicentia, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ILlius, qui quęrit ſalutem omnium, vices, licet immeriti, gerentes, fideles curę noſtrę commiſſos ad pia opera per quę via ſalutis panditur, libenter etiam quoque donis ſpiritualibus, videlicet remiſſionibus, & indulgentiis invitamus. Dudum ſiquidem, non ſine mentis amaritudine auditis diris afflictionibus & oppreſſionibus, quibus Chriſti fideles in Romania, & aliis circumvicinis partibus commorantes, ab infidelibus Turcis, Chriſti, & Chriſtiani nominis perſecutoribus, & blaſphemis, moleſtabantur immaniter, & miſerabiliter torquebantur, paternę pietatis claudere nec potuimus, nec voluimus erga eos viſcera, quo minus de aliquo conſolationis, & defenſionis ſubſidio procuraremus, eiſdem fidelibus provideri; Quamobrem certum Galearum ſubſidium (4) tam per nos, quam quoſdam fideles alios ad partes illas pro defenſione chriſticolarum, ibi degentium, & repreſſione prędictorum infidelium adjudicavimus deſtinandum. Et ut hujuſmodi ſubſidium ad laudem Divini nominis, exaltationem ejuſdem fidei, & tuitionem, & conſolationem dictorum fidelium teneri poſſet commodius, & feliciter adaugeri, omnibus Chriſti fidelibus, qui hujuſmodi negotio in perſonis propriis, vel de bonis a Deo ſibi collatis, ſubſidium exhiberent, cunctas remiſſiones, & Indulgentias, ſub certis modis, & formis, prout in noſtris inde confectis literis continetur plenius, duximus concedendas. Sane cum, ſicut intelleximus, nonnullę perſonę Religioſę quibus habere proprium ſuarum Religionum profeſſio interdicit, habentes aliqua bona, ſcilicet ab amicis, & devotis ſuis, pia, & liberali largitate conceſſa, & penes ſe, diligentia, ſeu permiſſione ſuorum Superiorum detenta, zelo devotionis, quem habent ad negotium ſupradictum, miſerint, ſeu mittere velint, pro tenendis idoneis bellatoribus adverſus Turcas prędictos; Nos perſonarum earundem volentes devotionem hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, promovere, volumus, & concedimus, quod eędem perſonę, quę de bonis hujuſmodi de dictorum ſuorum Superiorum conſcientia largientur pro ſubſidio ſupradicto, prędictarum remiſſionum, & Indulgentiarum juxta quantitatem ſubſidii & devotionis affectum, quamvis in literis noſtris prędictis de his non habeatur mentio, ſi aliud eis non obſiſtit, ſint participes, & conſortes. Quo circa diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in partibus Venetiarum, & aliis circumvicinis, de quibus tibi videbitur, contenta in prętentibus literis publices, & facias ad augendam devotionem fidelium publicari. Datum apud Villam novam Avenionen. Dięceſis Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

In Chriſtianos Turcæ tyrannice ſæviunt.

Chriſtianis ſuppetias affert Pontifex.

Declaratio.

Mandatum.

1. *Turcis.*) In quos ab anno MCCCXLIII *Clemens VI* ſacram expeditionem indixerat, ut liquet ex Diplomate, quod refert *Odoricus Raynaldus ad eundem annum num. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Oliverio.*) Quod ejuſdem expeditionis in Turcas auctor fuerit *F. Venturinus Bergomas*, Ordinis Prædicatorum, docet *Bzovius ad an. MCCCXLVI num. XXVII.*
4. *Certum galearum ſubſidium.*) *Duximus deliberatione provida ordinandum*, inquit *Clemens* in Diplomate quod tranſcribit *Odoricus* ad annum MCCCXLIII num. VI, *quod viginti Galeæ* (ſeu triremes) *armatæ, ac munitæ in eiſdem partibus pro hujuſmodi ſubſidio . . . habeantur.*

Vivæ vocis oraculo Moniales Ordinis noſtri tributis ſolvendis eximit (1).

Anno 1345 Die 24 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VII.

Venerabilibus Patribus, Epiſcopis, & Abbatibus, necnon collectoribus, & officialibus Romanę Eccleſię univerſis, in partibus Italię conſtitutis, ad quos prętentes pervenerint. Bertrandus (3) Miſeratione Divina tituli Sancti Marci Presbyter Cardinalis ſalutem in ſalutis auctore.

Supplex Monialium petitio.

AD notitiam veſtram deducimus per prętentes, quod cum Sanctiſſimo Patri, & Domino Noſtro, Domino Clementi digna Dei providentia Papę Sexto pro parte Religioſarum Dominarum Prioriſſarum, & Conventuum Monaſteriorum Monialium Civitatum Mediolanenſis, & Januenſis, necnon Sanctę Marię de Puella, & Sanctę Catharinę in Civitate Albenſi, ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum degentium, ſicut & diverſorum aliorum fuiſſet in Conſiſtorio, & alibi humiliter ſupplicatum, quod licet ipſę per privilegia Romanorum Pontificum exemptę exiſterent a ſolutione decimarum, quas Romana Eccleſia pro diverſis emergentibus negotiis imponere conſuevit, & contributione, pro procuratoribus Legatorum, ſeu Nunciorum Sedis Apoſtolicę debitis facienda; Et vos, non obſtantibus dictis privilegiis eaſdem niteremini ad ſolvendum pro dicta decima, & contributione prędictę Sedis Legatis, & Nunciis facienda compellere; Idem Dominus noſter nobis oraculo vivę vocis commiſit, quod Nos informationem ſuper hoc recipere, & relationem ſibi poſtea facere curaremus. Nos igitur virtute commiſſionis hujuſmodi, licet aliqua privilegia originalia, & aliqua tranſumpta coram nobis exhibita viderimus, quia tamen judicialiter prętente parte nonſuimus plenius informati, relationem non ad finem deciſionis negotii, ſed ad aliquam proviſionem fiendam propter pericula, quę poſſent occurrere, occaſione proceſſuum prędictorum eidem Domino noſtro duximus faciendam. Qui Dominus noſter hujuſmodi relatione audita ordinavit, & voluit, quod, ſi prędictę Dominę a ſolutione decimę per Romanam Eccleſiam impoſitę, ſeu contributione pro Procuratoribus Legatorum, ſeu Nunciorum Sedis Apoſtolicę faciendam ſe excuſaverunt hactenus, nec exactum fuit aliquod ab eiſdem,

Eximit ut ſupra.

nihil pro prędictis per vos, vel alios exigatur ab ipſis, donec idem Dominus noſter aliud duxerit ordinandum. In quorum omnium teſtimonium preſentes literas fieri juſſimus, & noſtri ſigilli appenſione munirl. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Diœceſis ſub Anno Domini a Nativitate MCCCXLV Indictione decimatertia, die vigeſima quarta Maii, Pontificatus dicti Domini Clementis Divina providentia Papę Sexti Anno Quarto.

1. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.XIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo, quod aſſervatur in Cœnobio *S. Euſtorgii Mediolanenſis.*

3. *Bertrandus.*) De quo Ciaconius *Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCXXXIV pag.*472.

Anno 1345 Die 30 Julii.

Ut bellum pro Religione adverſus Turcas ſuſcipiendum Populis Fratres ſuadeant (1).

VIII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vicario Generali Fratrum Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Turcarum tyrannis.

Chriſtianorum ſubſidio veniunt Pontifices catholici.

Indulgentia Cruceſignatis conceſſa.

MAgna repleti mentis amaritudine, tactique dolore cordis intrinſecus, dudum auditis duriſſimis oppreſſionibus, & ſeviſſimis afflictionibus, quas gens illa Turcarum, blaſphemorum, & perſecutorum crudelium nominis Chriſtiani fidelibus in Romania, & locis circumvicinis, degentibus, intulerant, & continue ferali rabie inferebant, paternę pietatis nequivimus viſcera continere, quo minus eiſdem fidelibus, prout habebat fide dignorum relatio doloroſa, per Turcas prędictos eorum ſanguinem ſitientes, tam per terram, quam per mare impugnabantur hoſtiliter, vaſtabantur ignis incendiis, ſpoliabantur bonis ſuis, vulnerabantur, capiebantur, & ſicut animalia ducebantur in prędam, multis in ore gladii horribiliter interfectis, providere de alicujus opportunę defenſionis, & protectionis ſubſidio curaremus. Ideoque tam per nos, & Romanam Eccleſiam, quam cariſſimum in Chriſto filium Hugonem (3) Regem Cypri illuſtrem, & dilectos filios Magiſtrum (4), & Fratres Hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolymitani, ac Ducem, & Commune Venetorum (5), & quoſdam fideles alios certam armatam galearum, tenendam in illis partibus, pro certo tempore illuc ordinavimus deſtinandam. Poſtmodum autem attendentes, quod negotium hujuſmodi non ſolum ad defenſionem Fidei, & profeſſorum ipſius, ſed ad eandem fidem catholicam, ad laudem, & gloriam divini nominis, conſolationemque totius cętus fidelium, dilatandam, ampliori egere fulcimento, quod multarum exigebat expenſarum profluvia, noſcebatur, ad quę facilius, & utilius ſupportanda, fidelium auxilia, & caritativa ſubſidia opportuna multipliciter exiſtebant, ad hoc fideles ipſos quibuſdam ſpiritualibus munificentiis, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus, providimus Invitandos, nonnullis Vener. Fratribus noſtris Archiepiſcopis, & eorum Suffraganeis, per noſtras dantes literas in mandatis, ut ipſorum ſinguli, videlicet in ſuis ſingulis Civitatibus, & Diœceſi per ſe, ac alias perſonas Eccleſiaſticas Seculares, & Regulares Ordinum quorumcunque idoneas, curarent publice proponere Verbum Crucis, & venerabile ſignum ejus, fidelibus illud devote ſuſcipere volentibus, concedendo, & eorum humeris imponendo, & pro pręmiſſis ad loca, de quibus eis videretur expediens, fideles convocando prędictos, eoſque ſuis ſalubribus exhortationibus commonendo, ut recipientes cum reverentia ſignum Crucis, illudque ſuis cordibus imprimentes, contra infidelium prędictorum perfidiam inſurgerent, & negotium ipſum aſſumerent, & proſequerentur viriliter, & potenter. Ut autem fideles prędicti tanto libentius pręmiſſa ſtuderent proſequi, quanto ex ſuis laboribus potiorem gratiam ſe percepturos ſentirent; Nos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, & illa, quam Nobis Deus, licet indignis, ligandi, atque ſolvendi, contulit, poteſtate, fidelibus ipſis, qui cum dicta armata, vel alias in ſuccurſum, & ſubſidium chriſtianorum prędictorum, partium Romanię, contra infideles eoſdem in perſonis propriis, & expenſis ſuis per mare, ſive per terram infra dictum tempus proficiſcerentur, & per unum annum continue, vel interpolatim, eodem durante tempore, in dicti proſecutione negotii laborarent, necnon & illis, qui in eadem proſecutione decederent, vel vulnerati ex illis vulneribus ubicunque morerentur, illam ſuorum peccaminum, de quibus veraciter corde contriti, & ore confeſſi fuerint veniam duximus indulgendam, quę concedi transfretantibus in Terrę Sanctę ſubſidium conſuevit. Eis autem, qui non in perſonis propriis, ſed in ſuis duntaxat expenſis, juxta facultatem, & qualitatem ſuam bellatores idoneos deſtinarent, per tempus prędictum in hujuſmodi proſecutione negotii moraturos, & illis ſimiliter, qui licet alienis expenſis in propriis tamen perſonis illuc accederent, per tempus moraturi ſupraſcriptum, & eis etiam, qui tantum pro dicto negotio de bonis propriis erogarent, quantum eſſent illuc eundo, per dictum tempus morando, & inde redeundo etiam, expenſuri, eandem ſuorum conceſſimus veniam peccatorum. Hujuſmodi quoque remiſſionis volumus, & conceſſimus eſſe participes, juxta quantitatem ſubſidii, & devotionis affectum, omnes, qui ad ſubventionem dicti negotii, de bonis ſuis congrue miniſtrarent, & circa pręmiſſa pręſtarent auxilium, & conſilium opportunum, ſicut in eiſdem literis plenius continetur. Et licet, ſicut intelleximus, nonnulli ex eiſdem Archiepiſcopis, & Suffraganeis, circa pręmiſſa exequenda ſatis ſe reddiderint diligentes, ut prędictum tamen negotium, pro quo, ſicut habet multorum fide digna relatio, divina pietatis clementia in pleriſque mundi partibus ſtupenda miracula operatur; quodque ferventibus, & ſinceris affectibus proſequimur, amplius valeat, auctore Domino, cujus res agitur, proſperari, volumus quod de tuo. ac dilectorum filiorum Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmelo Ordinibus, de ſingulis eiſdem Ordinibus, videlicet in ſingulis provinciis per Ordines ipſos deſtinatis, quatuor, vel plures, ſeu pauciores Fratres idonei, prout ipſę Provincię ampliores, vel ſtrictiores fuerint, & expedire vide-

videbitur, deputentur, qui ſolemniter in locis populoſis, & inſignibus provinciarum ipſarum, prędicationem, & publicationem faciant, ſolemniter, diligenter, & fideliter, ſupradictas. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in ſingulis provinciis, per eundem tuum Ordinem, ut prefertur, diſtinctis, aſſumi facias, & ordines celeriter dictos Fratres, qui zelum Dei habentes, ferventer, & devote prędicationem, & publicationem huiuſmodi exequi fideliter, adhibita diligentia, & ſolicitudine, ſtudeant, & complere. Ne autem propter concurrentiam Fratrum prefatorum Ordinum, qui ad pręmiſſa, ſicut premittitur, aſſumentur, oriri valeat diſſenſio, vel ſcandalum ſuſcitari, ſic volumus ordinari, quod in ſingulis eiſdem locis populoſis, & inſignibus, Fratres ipſi diebus Dominicis, & Feſtivis gradatim, & ſucceſſive, ſicut prçcedunt, & ſubſequuntur, in Proceſſionibus, ad huiuſmodi prędicationem, & publicationem procedant, ſcilicet unus Frater ex eiſdem Ordinibus uno die Dominico vel Feſtivo, ſecundo alius alterius Ordinis, & tertio, & quarto alii Ordinum aliorum ſubſequentibus diebus Dominicis, & feſtivis, quouſque pręmiſſa compleverint, ſolemniter, & devote. Ut autem Fratres ipſi, ad hujuſmodi Officium aſſumendi, tanto laborent circa illud ſolertius, & devotius, quanto ampliorem fructum ex ſuis laboribus hujuſmodi ſe cognoverint percepturos, eos juxta quantitatem laboris, & devotionis affectum prędictarum Indulgentiarum eſſe volumus participes, & conſortes. Datum Avinione III Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Mandatum.

1. *Suadeant.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCXLIII num. I,* & *ad annum MCCCXLV num. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Aſſervatur Autographum in Cœnobio *San-Maximinenſi.* Meminit *Genzalez in Summaris Privilegiorum pag. 59.* Aliud exemplar habes in *Bullario Bononienſi fol. 17* ex Authentico *Bononiæ* aſſervato. *Odoricus ad an. MCCCXLV num. VIII* laudat *Epiſtolam CLXXIV Tomi IV Clementis VI.* Idem Diploma Miniſtro Generali Fratrum Minorum inſcriptum refert *Waddingus Annal. Minor. Tomo III in Regeſto pag. 324.*

3. *Hugonem.*) Qui Turcas debellarat anno *MCCCXXXVII,* ut liquet ex *Bulla,* quæ legitur apud *Odoricum ad annum MCCCXXXVIII num. LXXII.*

4. *Magiſtrum.*) *Helionem de Villanova,* cui inſcribitur Diploma quod legitur apud *Odoricum ad annum MCCCXLIII num. V.*

5. *Venetorum.*) *Bertucium Gradenicum* Ducem *Venetiarum* fuiſſe anno *MCCCXLIII* conſtat ex *Bulla,* quam tranſcripſit *Odoricus* ad eundem annum *num. VII.*

Anno 1345 Die 17 Decembris.

Pro Cœnobiis conſtituendis in Dalmatia (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

IX.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vicario Generali dilecti filii Magiſtri, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Dalmatia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab Ordinis laude.

EX munere cęleſtis gratię, illud Ordini veſtro, & perſonis ejuſdem donum ineſſe credimus, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos doctrina verbi pariter & exemplo ad ſalutis gratiam evocatis. Eſt igitur, & eſſe debet Nobis, & Apoſtolicę Sedi cura ſolicita, Loca veſtra per orbem terrarum longe lateque diffundere, ut quanto ipſa diffuſius propagemus, tanto per amplius, prout in gratiarum omnium largitore confidimus, majorem ſemper operum veſtrorum fragrantiam, ad ędificationem Chriſti fidelium, ſentiamus. Hinc eſt, quod Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, recipiendi unum in Kataro, (3) & alium in Scuteri (4) Civitatibus Provincię Hungarię ſub dominio Regis Raſcię, necnon tria (5) alia in aliis civitatibus, vel caſtris, villis, ſeu terris inſignibus illarum partium per Ordinem Prędicatorum tibi, fili Vicari, decretarum, ſive limitatarum, de quibus tribus locis pro utilitate dicti Ordinis ac Eccleſię Dei, & Chriſti fidelium votis videbitur expedire, ad nomen, opus, & uſum Fratrum & Ordinis prędictorum, dummodo in ſingulis pręnominatis, & aliis civitatibus, caſtris, villis, ſeu terris hujuſmodi, duodecim Fratres dicti Ordinis honeſte, & congrue valeant ſuſtentari, & ędificandi in eiſdem ſingulis locis Eccleſiam, ſeu Oratorium cum Cęmeterio, ac domibus, & aliis neceſſariis officinis, ſine juris pręjudicio Eccleſiarum Parochialium, & cujuslibet alterius alieni, felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis, non obſtantibus quibuſcunque, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica vobis licentiam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenione XVI Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Facultas conceſſa.

B. de Vallo.

1. *Dalmatia.*) *Auctis deinde numero Conventibus,* inquit *Ferrarius* de Rebus Hungar. Provinciæ Ord. Præd. Parte IV Lib. unico pag. 507, *Hungaria Provincia a Dalmatina ſub an. Chriſti MCCCLXXXVI ſejuncta eſt.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Raguſino.*

3. *Kataro.*) *Cathari* ſcilicet, vulgo *Cattaro,* in *Dalmatia.* Extat iſtud Cœnobium *Catharenſe, S. Nicolai* nomine inſignitum.

4. *Scuteri.*) Seu *Scodra,* Slavis *Scadar,* Italis *Scutari,* alias in *Dalmatia,* nunc in *Albania,* ſeu *Epiro.* A Turcis oppreſſa fuit *Scodrenſis* civitas, nec ſupereſt veſtigium Cœnobii noſtri *Scodrenſis.*

5. *Tria.*) *Sibinicenſis* Conventus unus fuit ex tribus iſtis. Conſtitutum eſt anno *MCCCXLVI* die XXX Julii. Id liquet ex erectionis Diplomate *Raguſii* dato eadem die a *F. Dominico* Comitis *Dalmatici* Vicario in Provincia *Hungarię.*

Bla-

Anno 1346 Die 27 Julii.

Blanchæ, & Mariæ (1) Jacobi (2) Regis Aragonum natis, ut Ordinis Monaſterium (3) conſtituere poſſint, & illuc e Monaſterio de Sixena (4) Hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolymitan. ſe transferre.

Ex Archivo (5) *Ordinis lib.* B. *fol.* 583.

X.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Blanchę Prioriſſę, ac Marię ipſius Prioriſſę Germanę Moniali Monaſterii de Sixena Hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolymitan., Ilerden. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIum eſſe credimus & in oculis Divinę Majeſtatis acceptum, ſi perſonas ſub obſervantia regulari degentes, ac prępſertim in fragilitate ſexus fęminei conſtitutas, quibus favor eſt plenior adhibendus, circa ea, quę ſecuritatem, & tranquillitatem animarum, & corporum earum conſpiciunt, & per quę non ſolum ipſę eo devotius, quo quietius penſum ſuum jugiter exſolvant Altiſſimo, ſed etiam aliis fidelibus ſpirituales commoditates proveniant, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter proſequamur. Sane petitio, pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, continebat, quod vos, natę inclytę recordationis Jacobi Regis Aragonum illuſtris, animadvertentes fore Monaſterii veſtri Regulam ſatis lapſam, licet ipſum Monaſterium in bonis competenter abundet, compunctione quadam cordis, hactenus deſideraſtis, & adhuc deſideratis, ſub diſtrictiori regula virtutum domino famulari, & devotionem veſtram ad Regulam, & Ordinem Religioſarum ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium direxiſtis, cupientes ad honorem Omnipotentis Dei, & Beatę Virginis glorioſę, ac Sancti Dominici Confeſſoris, unum ſolemne Monaſterium, cum Eccleſia, clauſtro, ac omnibus aliis neceſſariis officinis, de bonis, quę a cariſſimo in Chriſto filio noſtro Petro (6) Rege Aragonum illuſtri, & aliis de genere veſtro dari procurabitis, & aliis quę huic ſancto operi, a fidelibus largientur, circa Barchinon., vel Terraconen. civitates facere conſtrui, & ędificari; ad quod quidem Monaſterium, poſtquam conſtructum fuerit, vos transferre poſſitis, ibidem ſub Regula, & habitu dictarum Religioſarum, ſecundum inſtituta, & ſub cura dictorum Fratrum, viventium, Altiſſimo perpetuo ſervituras. Quare pro parte veſtra nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut vobis faciendi pręmiſſa, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, pium, ac laudabile veſtrum in hac parte propoſitum plurimum in Domino commendantes, ac volentes, ut illud adimplere libere poſſitis, favorem Apoſtolicum impertiri, hujuſmodi veſtris ſupplicationibus inclinati, faciendi conſtrui, & ędificari juxta alteram Civitatum prędictarum pręfatum Monaſterium cum Eccleſia, clauſtro, & Domibus, ac aliis neceſſariis officinis, ac etiam ipſum ſufficienter dotari, in quo Abbatiſſa, vel Prioriſſa, ac Moniales, ſeu Sorores inſtituantur, juxta facultates Monaſterii memorati, ac transferendi vos de prędicto Monaſterio de Sixena ad pręfatum aliud Monaſterium, cum conſtructum, & dotatum fuerit, ut pręfertur, inibi perpetuo Altiſſimo, ſecundum inſtituta, & ſub cura, dictorum Fratrum, virtutum domino ſervituras, cujuſcunque alterius licentia minime requiſita, jure tamen Diœceſan., & Parochialis Eccleſię loci, in quo ipſum Monaſterium conſtructum fuerit, ac cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, vobis auctoritate Apoſtolica plenam, & liberam licentiam tenore pręſentium elargimur; Proviſo tamen quod nihil de bonis dicti Monaſterii, in quo nunc degitis, pro conſtructione, ſeu fundatione ac dotatione dicti alterius Monaſterii aliquatenus convertatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione VI Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex Sororum petitio.

Concedit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Blanchæ & Mariæ.*) Conſulendus *Franciſcus Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. II Cap. XCV pag.* 276.
2. *Jacobi.*) Hujus nominis *II.*
3. *Monaſterium.*) *Barchinone* fundatum fuit. Monaſterium *Montis Sion* vocatur.
4. *Sixena.*) Vulgo *Xixena*.
5. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo aſſervato in Monaſterio *Montis Sion*, *Barchinonenſis*.
6. *Petro.*) Hujus nominis *IV.*

Anno 1346 Die 31 Julii.

Soltanienſis (1) Archiepiſcopus Antiſtitem Seleucienſem compellat ad errorem ejurandum (2).

Ex Odorico (3) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXLVI num. LXX.*

XI.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Soltanienſi, ejuſque Suffraganeis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

MOleſta, & diſplicens aſſertio nonnullorum fidelium ad Apoſtolatus noſtri perduxit auditum, quod venerabilis Frater Pontius, Archiepiſcopus Seleucienſis, Apoſtolicę inſtructionis oblitus, pluſquam expediat ſapere ſatagens, non ea quęrit, quibus ad utilitatem erudiat, ſed illa inſerere pręſumit ignarus, quibus loquacior appareat, vel doctior hominibus videatur. Ipſe namque non ſobrie ſapiens, ſed nimię vanitatis ebrietate deſipiens, quandam poſtillam ſuper Evangelium B. Johannis, ut fertur, compoſuit, & tranſtulit in linguam Armenicam, in qua poſtilla inter alia auſus eſt contra determinationem, & deciſionem Sanctę Romanę, catholicę, ac univerſalis Eccleſię perniciose inſerere, ac pertinaci ſua imperitia affirmare, quod Redemptor noſter Dei Filius Jeſus Chriſtus, ac ejus Apoſtoli nec in communi, nec in ſpeciali aliqua habuerunt; quodque in iis, quę ipſos habuiſſe Scriptura ſacra teſtatur, ne-

nequaquam eis jus utendi, ſeu conſumendi competat, ſeu ex ipſis alia acquirendi. Et non reputans ſibi ſufficere, quod per hoc ſe præcipitio damnationis immergit, ſed, ut etiam alios ſecum attrahat in gehennam, poſtillam hujuſmodi, tranſumptum illius, ſeu copiam multis Orientalium exhibens, in publicam ſatagit producere notionem. Quoniam vero hęc, ſi vera ſunt, tanto nobis amplius moleſta redduntur, quanto talia, niſi in eorum extinguantur initiis, latius & perículoſius dilatantur, quantoque illarum partium populi, utpote divinę legis perfectam notitiam non habentes, in errorem facilius prolabuntur; Nos, nolentes, hoc ſub diſſimulatione tranſire, ne ipſius inſaniam Archiepiſcopi approbare ſilentio videamur, Fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper his vos, & veſtrum quilibet, communiter, vel diviſim, diligentius informetis, &, ſi, pręcedente informatione debita, inveneritis ita eſſe, poſtillam hujuſmodi damnatam, & erroneam reputantes, Inhibeatis expreſſe ſub pęnis, & ſententiis, de quibus videritis expedire, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus, ne quis ea uti, aut ipſam de cetero pro vera tenere, vel reputare, ſive prędicare pręſumat: quinimmo eam tanquam ab eadem Eccleſia Romana damnatam abiiciant & confutent. Pręfatum quoque Archiepiſcopum, clero & populo congregatis, ut eandem poſtillam abjuret, & publice deteſtetur, ac contrarium aſſerat, & prędicet ſecundum ejuſdem fidei veritatem, efficaciter inducatis. Alioquin, ſi vos audire noluerit, vel, ſi poſt abjurationem, deteſtationem, ac prędicationem hujuſmodi in priſtinum, quod abſit, relabatur errorem, vos, vel alius veſtrum, ipſum ex parte noſtra peremptorie citare curetis, ut infra quatuor menſium ſpatium, a citatione noſtra hujuſmodi computandum, apoſtolico conſpectui perſonaliter ſe prędſentet, facturus, & recepturus quod juſtitia ſuadebit. Contradictores, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, &c. Datum Avinione II Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Soltanienſis.*) Frater ſcilicet *Antonius*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Ejurandam.*) Conſulas *Odoricum Raynaldum ad an. MCCCXLVI num. LXX.*
3. *Odorico.*) Ex *Regeſto Vaticano*, cujus varias Epiſtolas laudat.

Mare magnum, Diploma ſcilicet privilegia (1) firmans, & augens.

Anno 1346 Die 24 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VIrtute conſpicuos Sacri veſtri Ordinis Profeſſores, qui contemplationi cęleſtium ferventer invigilant, & pię vitę ſtudio ſine intermiſſione deſudant, decet per Apoſtolicę circumſpectionis auxilium ſic provide dirigi, & ſolicite confoveri, ut alicujus prętextu calumnię nullum internę pacis excidium, nullumque Religionis ſtatus perferant detrimentum, ſed in his robur, & vigorem habeant, per quę circa cultum divini nominis devotis, & quietis, mentibus invaleſcant. Hinc eſt, quod cum, ſicut nobis exponere curaviſtis, tu, fili Magiſter, & Prędeceſſores tui, juxta ejuſdem Ordinis conſuetudinem obſervatam hactenus, & a Sede Apoſtolica toleratam, ſtatim poſtquam electi ſecundum prędicti Conſtitutiones Ordinis extitiſtis, Fratrum ipſius curam geſſeritis, Magiſterii officium plene ac libere in omnibus exercentes, iidemque Fratres vobis devote, ac humiliter obedierint, ac intenderint reverenter, & in eodem Ordine ſit ſtatutum, ut Magiſter ipſius, qui pro tempore fuerit, a Magiſterii officio amoveri valeat a Diffinitoribus Capituli generalis; Nos volentes ambiguitatis ſcrupulum in hac parte de veſtris cordibus amputare, ac Ordinem ipſum pręfatę Sedi immediate ſubjectum, a Sede approbatum eadem, honeſtate floridum, pręclarum ſcientia, & virtute fęcundum, Privilegio Apoſtolicę gratię attollere ſingulari; veſtris ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtrę ad inſtar fel. rec. Bonifatii VIII, ac Benedicti XI, Johannis XXII, Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, ut Succeſſores tui, fili Magiſter, qui erunt pro tempore, ſtatim poſtquam electi fuerint ſecundum Conſtitutiones ſupradictas, eo ipſo veri ejuſdem Ordinis Magiſtri effecti, curam animarum Fratrum ipſius Ordinis plene habeant, & libere gerant, ipſoſque Fratres auctoritate propria ligare, abſolvere, necnon in eodem Ordine agere valeant, quę ipſi, & Diffinitores prefati, juxta prędictas Conſtitutiones, eiſdem Ordini, & Fratribus ſecundum Deum viderint expedire; aliaſque poſſint officium Magiſterii licite in omnibus exercere, iidemque Fratres tibi Magiſter, & Succeſſoribus ipſis devote ac humiliter obediant, & intendant, & pręfati Succeſſores, & tu, Magiſter, a Diffinitoribus Capituli generalis ipſius Ordinis, ſecundum Ordinis Conſtitutiones ejuſdem, abſolvi, & amoveri poſſitis, auctoritate Apoſtolica indulgemus; Ratum habentes, & firmum quicquid ſuper prędictis per te, Magiſter, dictoſque Prędeceſſores, Fratres, & Diffinitores factum & obſervatum eſt hactenus, conceſſa tibi exequendi Magiſterii officium, quoad prędicta omnia & alia facultate libera &c. (3). Auctoritate pręſentium indulgemus, decernentes vos, ſeu perſonas Ordinis veſtri in prędictis caſibus Ordinariis ipſis minime ſubjacere. Decernimus ergo irritum & inane quicquid contra tenorem conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum hujuſmodi per quoſcunque fuerit attentatum, & interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, ſi quas contra conceſſiones, conſtitutiones, & inhibitiones eaſdem, in vos, vel veſtrum aliquos, vel loca veſtra, ſeu benefactores veſtros, vel executores, aut hęredes prędictos in poſterum promulgari contigerit, penitus non tenere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum Conceſſionum, Conſtitutionum, & inhibitionum infringere &c. Datum Avinione VIII Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Privilegia conceſſa.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ſcriptum anno *MCCCXLVII* die *XIV* Januarii ſic incipit: *In Dei nomine Amen.*

Amen, Anno ejuſdem Incarnationis Milleſimo Trecenteſimo quadrageſimo ſeptimo, Indictione prima ſecundum morem & conſuetudinem Notariorum Civitatis Florentinæ (his firmantur quæ dicta ſunt in Præfatione num.XIX Tomo I pag. 31.) *tempore Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini Domini noſtri Clementis Papæ Sexti die quarta decima menſis Januarii actum Florentiæ in quadam Sala* (ſeu aula) *domorum ſeu palatii Archiepiſcopatus Florentini &c.*

3. *Libera &c.*) Ut in Conſtitutione XIII Bonifatii VIII ad hæc uſque verba ; *Præjudicium generetur*.

Anno 1348 Die 24 Maii.

Fratribus Capituli Generalis Lugduni celebrandi (1), ut Deum, ſceleribus Chriſtianorum læſum, precibus ſolicitis placent (2).

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXLVIII num. XXXIV.

XIII.

Clemens Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Lugduni in Generali Capitulo in proximo congregandis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet ſperemus indubie, quod vos, caritatis igne ſuccenſi paternum, quem erga vos gerimus, filiali devotione recompenſantes affectum, veſtrarum nos orationum continua opitulatione juvetis ; anxie tamen, & non ſine gravi amaritudine animi attendentes, qualiter, peccatis exigentibus, in univerſa fere orbis terrę partibus, guerrarum calamitatibus atteritur, & inteſtinis odiis laniatur, proh dolor ! populus Chriſtianus, ac ſuper inducta mortalitatis peſte (4), ſenes, juvenes, magni, & parvi, ſubito, & improviſe tela vitę ſuccisa, quaſi communiter de medio ſubtrahuntur, hujuſmodi Orationum veſtrarum patrocinia inſtantius imploramus ; attentius deprecantes ut hęc, & procellas tempeſtatum varias nos circumdantium intuentes, & intumeſcentes fluctus undique filiali nobiſcum compaſſione penſantes, illum cujus imperio quieſcunt fluctus, & ſtat ſpiritus procellarum, pulſetis precibus, & clamoribus excitetis, ut ipſe, qui cum iratus fuerit non obliviſcitur miſereri, populo ſuo, quem ſui pretioſi Sanguinis aſperſione redemit, (Mandatum.) miſericordię ſuę ſinum placatus aperiat, & guerris, ac odiis quibuſcunque ſedatis, concordiam paret, tribuat pacem, peſtem auferat, conferat ſalutem ; ſicque orationum veſtrarum ſuffragiis populum, & ipſam Eccleſiam, in tantis anguſtiis conſtitutos potentię ſuę dextera protegat, & defendat, quod temporibus noſtris eidem populo pax, & tranquillitas optata proveniat, & tandem, cum Redemptor noſter uniuſcujuſque merita lance diſcuſſionis extremę libraturus advenerit, nos una cum grege nobis credito cum benedictionis munere ad participium regni cęleſtis invitans in dilecta ſua tabernacula introducat &c. (5). Datum Avinione IX Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Celebrandi*.) Die *VIII Junii MCCCXLVIII*.

2. *Placent*.) *Graſſante . . . . inter orientales peſtilentia*, inquit *Odoricus* ad annum MCCCXLVIII num.XXXIV, *mercatores Itali, ac præſertim Genuenſes, ex conſortio infidelium lalem traxere : qui cum reditum tardius ornaſſent, maxima ex parte in redita obiere, & omnia loca, in quibus ægros expoſuere, mox ea peſtis infecit. Siculi primi vim mali ſenſere : experti inde Piſani, ac Genuenſes : brevique Italiam, Gallias, Sardiniam, Corſicam depaſci, atque in alia regna ſe diffundere cœpit*. Hinc viros Religioſos ad fundendas preces hortatur Summus Pontifex, ut flagellum a ſuis placatus Deus averteret.

3. *Odorico*.) Ex *Epiſtola XXI Tomi VII Clementis VI*. Eadem de re Minoritis, & Auguſtinianis ejuſdem tenoris Epiſtolas datas fuiſſe, teſtatur *Odoricus* loco laudato.

4. *Peſte*.) *Tantam Religioſorum virorum numerum hæc epidemia abſumptum ferunt*, verba ſunt Odorici, *ut exhauſtis Monaſteriis priſtinæ auſterioris vitæ relaxandæ ſumpta ſit occaſio, atque admodum diſciplina vetus ſit diſſoluta, cum præcipua ſanctitatis & ſcientiæ lumina in Ordinibus ſacris extincta eſſent*.

5. *Introducat &c.*) Quædam hic deſunt.

Anno 1350 Die 13 Februarii.

Fratres Guillelmum (1) Chiſſimenſem, & Gaſpertum (2) Cenetenſem Epiſcopos in Romaniam legat (3).

Ex Odorico (4) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCL num.XXVIII.

XIV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Guillelmo Chiſſimenſi (5), & Gaſperto Cenetenſi Epiſcopis, Apoſtolicę Sedis Nunciis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum vos ad partes Romanię (6) pro negotiis unionis Latinę, Gręcęque, Eccleſiarum, auctore Domino, promovendis principaliter tranſmittamus ; Nos cupientes attentius, negotium ipſum, ſubmotis impedimentis quibuslibet, feliciter proſperari, in omnes & ſingulos ejuſdem negotii turbatores, & impeditores cenſuram eccleſiaſticam, non obſtante ſi eis, aut eorum aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi (Legatio.) mentionem, exercendi, vobis, & utrique veſtrum, plenam concedimus, tenore pręſentium, poteſtatem. Datum Avinione Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Guillelmum*.) Ordinis Minorum alumnum. Adeas *Waddingum Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXLIX, num.VI.*

2. *Gaſpertum*.) Seu *Gaſbertum* Ordinis Prædicatorum. Conſulendus *Echard Tomo Scriptor. Ordinis ad annum MCCCLXXVI pag.674.*

3. *Legat*.) *Neque in Peloponneſum modo*, inquit *Odoricus* ad annum MCCCL num. XXVIII, *excurſiones hoſtiles agebant Turcæ, verum in Thraciam quoque, & alias Conſtantinopolitani Imperii terras. Ad quas propulſandas cum pro ineundo ſociali bello Oratores Johannis Cantacuzeni Græcorum Imperatoris ad Apoſtolicam Sedem ſuperiori anno . . venissent, eoſque honorifice exceptos, habitoſque, Clemens in Orientem dimiſiſſet, pollicitus Pontificios Legatos brevi eorum veſtigia ſecuturos, hoc anno promiſſa perfecit, miſſis Guillelmo Chiſſimenſi, & Gaſperto Cenetenſi Epiſcopis, quibus præcipuam injunxit provinciam, ut Græcos ad Romanæ Eccleſiæ obſequium revocare ſtuderent.*

4. *Odorico*.) Ex *Epiſtola Secr. CXLVIII Tomo VIII*. Legitur etiam apud *Waddingum* loco laudato, *num. VII*, apud

Emi-

Digitized by Google

Eminentiſſimum Cardinalem *Cozzam Hiſtor. Polemica Tomo III pag.239.*

5. *Chiſſimenſi.*) Sic etiam *Waddingus*, librarius vero *Echard* ſcripſit *Chitericenſi*.

6. *Romaniæ.*) Seu *Thraciæ*.

Anno 1350 Die 13 Februarii.

Johanni Cantacuzeno Imperatori Græcorum de Legatione Fratrum Guillelmi Chiſſimenſis, & Gaſperti Cenetenſis Epiſcoporum (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCCL num. XXX.

XV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Johanni Cantacuzeno Imperatori Gręcorum illuſtri, gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

AD literas plures, quas nobis Sublimitas tua miſit, quas benigne recepimus, tibi per venerabiles Fratres noſtros Guillelmum Chiſſimenſem, & Gaſpertum Cenetenſem Epiſcopos, Apoſtolicę Sedis Nuncios, exhibitores pręſentium, viros utique probatę virtutis, eminentis ſcientię, & in quibus timor Domini ſanctus manet, providimus reſpondendum, Serenitatem tuam attente rogantes, ſibique ſinceris affectibus ſuadentes (3), quatenus quę dicti Nuncii, vel alter eorum tibi ſuper contentis in hujuſmodi literis, & ambaſſiatis per tuos Nuncios (4) nobis factis, & illa tangentibus, pro parte noſtra retulerint (5), credas indubie: illaque ſic, prout ſperamus & credimus, ad effectum debitę proſecutionis adducas, quod tuę, ſubditorumque tuorum, ſaluti conſulas, providens & quieti. Datum Avinione Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Legatos commendat.

XVI.

EOdem modo (6) Johanni Palęologo Imperatori Gręcorum.

1. *Epiſcoporum.*) De quibus in *Notis* ad præcedens Diploma. Audiendus hic *Odoricus* ad annum MCCCL num. XXX. *Provocati*, inquit, *ſimillimis* (præcedentibus) *literis ad conatus omnes pro abrumpendis infelicibus ſchiſmatis vinculis contendendos plures viri Imperatoriæ aulæ proceres, tum Johannes Palæologus, ac Johannes Cantacuzenus Imperatores certiores facti, Guillelmum ac Gaſpertum Epiſcopos ad ipſos, & Patriarcham mitti, quos hiſce literis inſcriptis ſubjecta forma, Cantacuzeno commendavit.*

2. *Odorico.*) Idem Diplomma tranſcribunt *Waddingus Annal. Minor. Tomo III ad annum MCCCXLIX num. VIII*, *Eminen. Cozza Hiſtoria Polemica Tomo III pag.239.*

3. *Suadentes.*) *Habitos a ſe honorificentiſſime, cultoſque Internuncios, refert Cantacuzenus.* Verba ſunt *Odorici*. Legendi *Cantacuzenus Libro IV Cap. IX*, & *Leo Allatius de Eccleſiarum Occidentalis, & Orientalis perpetuo Conſenſu Col.853.*

4. *Nuncios.*) *Georgium Spanopolum Protoveſtiarium, Nicolaum Sigerum* Populi Prætorem, magnum Interpretem *Conſtantinopolitani* Imperii, & *Franciſcum de Pertuxo*, Militem. Legendum Diploma *Datum Avenione XVII Kalendas Maii, Pontificatus Clementis VI Anno VI*, Chriſti *MCCCXLVIII.* Extat apud *Odoricum* ad eundem annum *numero XXVI.*

5. *Retulerint.*) Anno *MCCCXLVIII.*

6. *Eodem modo.*) Auctor eſt *Waddingus* loco laudato, *numero VIII.* Idem docet *Odoricus* citatus *Nota I.*

Anno 1350 Die 13 Februarii.

Fratres Guillelmum Chiſſimenſem, & Gaſpertum Cenetenſem, Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Legatos, Franciſco de Pertuxo commendat (1).

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCXLIX num. IX pag.565.

XVII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Franciſco de Pectuxo (3), Militi (4), Sancti Flori (5) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SI conſideres, fili, quantum tibi in futuro accreſceret ad famę pręconium, & in futuro adiicies ad meritum, & ſalutem, ſi negotium unionis Latinę & Gręcę, Eccleſiarum, quas antiquo ſchiſmate introducto, diviſionis caput, & auctor ſcandali, qui primum ſchiſma ſuſcitavit in cęlo, non ſine damnatione innumerabilium animarum ab hactenus ſeparavit, illo ſummo lapide angulari Chriſto Jeſu, qui parietem utrumque connexuit, operationibus tuis infundente gratiam, & promotioni pręſtante virtutem, per tuę diſcretionis ſtudium finem perfectionis attigerit, ut ſperamus, profecto ad felicem tam ſalutaris operis conſummationem nullis excitatus precibus, nullis exhortationibus provocatus, nullis pręventus monitis, ſponte curres, operarias manus appones, ſolicitus convertes ſtudia, impendes etiam & laborem. Siquidem cum, Evangelica veritate teſtante, majus gaudium ſit Dei Angelis ſuper uno peccatore pęnitentiam agente, quam ſuper nonaginta novem juſtis, quibus pęnitentia non eſt opus, quantis illa cęleſtis aula perfundetur gaudiis, quanta jucundabitur lętitia, & quantis tripudiis exultabit, eiſdem Gręcis ad Romanę & univerſalis, ac unicę Sanctę Dei Eccleſię, redeuntibus unitatem, ſuper converſione tantę multitudinis peccatorum? Cum autem, fili, pro ipſius promotione Deo grati negotii Venerabiles Fratres noſtros Guillelmum Chiſſimen., & Gaſpertum Ceneten., Epiſcopos, Apoſtolicę Sedis Nuncios, exhibitores pręſentium, viros utique probatę virtutis, eminentis ſcientię, & in quibus timor Domini ſanctus permanet, ad Johannem Catacuzenum, & Johannem Palęologum, Imperatores illuſtres, & Patriarcham Gręcorum ipſorum, ſub ſpe divini favoris duximus deſtinandos; Nobilitatem tuam monemus, & hortamur in Domino, attentius deprecantes, tibique in remiſſionem peccaminum expreſſius injungentes, quatenus dictos Nuncios, vel eorum alterum, pro noſtra, & dictę Sedis reverentia, benigne recipias, & eos circa hujuſmodi, eis commiſſum negotium, promovendum feliciter conſiliis dirigas, auxiliis foveas, ſibique aſſiſtas favoribus opportunis, ita quod, pręſtante Deo, negotium ipſum votivum ducatur ad exitum, tuque tanti particeps operis, famę gloriam, & ſalutis pręmia conſequaris. Datum Avinione Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Exordium.

Legatos commendat.

1. *Commendat.*) Conſulenda præcedentia Diplomata. Adeas *Odoricum Raynaldum ad an. MCCCL num. XXVIII.*

2. *Waddingo.*) Ejuſdem meminit *Odoricus* mox laudatus.

3. *Pelluxo.*) *Pertuxo*, ut apud *Odoricum*, & in Diplomate citato *Nota IV* ad præcedentem *Conſtitutionem*.
4. *Militi.*) Seu Nobili.
5. *Sancti Flori.*) *Sainct Fleur* in *Alvernia* Provinciæ *Galliæ*.

Anno 1350 Die 13 Februarii.

Coloranno (1) Aſſani, Capitaneo Civitatis Conſtantinopolitanæ, ut Fratres Guillelmum Chiſſimenſem, & Gaſpertum Cenetenſem, Epiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Legatos, habeat commendatos (2).

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCL num. XXIX.

XVIII. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Nobili viro Coloranno Aſſani, Capitaneo Civitatis Conſtantinopolitanę, gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

SI conſideres &c (4). Datum Avinione Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

XIX. EOdem modo (5), mutatis mutandis, Patriarchę Gręcorum.

1. *Coloranno.*) Quem Waddingus *Coloramum*, Bzovius *Calo Johannem* vocant.
2. *Commendatos.*) Legenda præcedentia Diplomata. Adeas *Odoricum ad annum MCCCL num. XXVIII*, & *Spondanum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXLIX num. X.*
3. *Odorico.*) Meminit *Waddingus ad an. MCCCXLIX num. IX*; legitur apud Eminentiſſimum Cardinalem *Cozzam Hiſtor. Polemica Tomo III pag.* 239.
4. *Conſideres &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.
5. *Eodem modo.*) Auctor eſt *Waddingus* mox laudatus. *Odoricus* etiam ſuffragatur numero XXVIII his verbis: *Apoſtolicas quoque de his literas dedit ad Græcorum Patriarcham, hortatuſque eſt, ut ſtudia ſua pro redintegranda Eccleſiarum conjunctione collocaret.*

Anno 1351 Die 10 Aprilis.

Provinciali Aragoniæ (1), ut Monaſterium, prope Barchinonem conſtituere poſſit.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. fol. 584.

XX. Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio .... Priori Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincię Aragonię, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter alia opera Divinę placita voluntati fundare, ac ędificare cęnobia in quibus prudentes Virgines, cupientes accenſis lampadibus obviam ire Sponſo, gratum, & devotum Altiſſimo exhibeant famulatum, non minimum reputamus, cum in eis divinis laudibus glorificetur Altiſſimus, & per innocentis vitę meritum gloria ęternę beatitudinis acquiratur: propter quod piis deſideriis devotorum, qui circa id diſponuntur, libenter Nos favorabiles exhibemus. Sane petitio tua, Nobis nuper exhibita, continebat, quod nonnulli Chriſti fideles rebus humanis exempti, in ultimis eorum voluntatibus, ſeu teſtamentis, de bonis a Deo collatis eiſdem nonnullas pecuniarum quantitates, & res, ac bona alia pro uno Monaſterio ad opus Monialium Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium prope Civitatem Barchinonen., in loco habili & honeſto, conſtruendo, & dotando etiam legaverunt. Quare nobis humiliter ſupplicaſti, ut recipiendi locum hujuſmodi, & in eo fundandi, & ędificandi Monaſterium ipſum, & habendi in eodem Monaſterio campanile, campanam, cęmeterium, & alias neceſſarias officinas, licentiam concedere, auctoritate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod noſtra intereſt, ut pię voluntates decedentium compleantur, & divinum adaugeri cultum ferventi deſiderio affectantes, diſcretioni tuę, non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis Prędicatorum, contrariis quibuſcunque, recipiendi locum eundem, & in eo fundandi, & conſtruendi hujuſmodi Monaſterium, cum neceſſariis officinis, & ibidem Eccleſiam cum campanili, ac campana, & cęmeterium habendi, ac in Monaſterio ipſo, hac vice primaria, Moniales, & Sorores, ac Prioriſſam, quę pręſit eiſdem, quę ſecundum inſtituta, & ſub cura hujuſmodi vivant, inſtituendi, ponendi, & collocandi, ac Monaſterium ipſum eidem Ordini Prędicatorum incorporandi, ſpecialem licentiam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, elargimur. Et nihilominus eidem Monaſterio, poſtquam conſtructum, & dotatum fuerit, ut pręfertur, ut ipſum, ac Prioriſſa, & Moniales degentes pro tempore in eodem, omnibus privilegiis, libertatibus, & immunitatibus conceſſis Monaſteriis, ac Prioriſſis, & Monialibus aliis ejuſdem Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta hujuſmodi viventibus, perinde uti, & gaudere valeant, ac ſi eis ſpecialiter, & expreſſe conceſſa fuiſſent, concedimus de gratia ſpeciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Villam Novam Avinionen. Dięceſis IV Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Supplex Provincialis petitio.

Conceſſio.

Omnibus Ordinis Prædicatorum Privilegiis Monaſterium donat.

Sanctio pœnalis.

1. *Provinciali Aragoniæ.*) Fratri ſcilicet *Nicolao Roſelli*, ut ex ſequenti Diplomate conſtat.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo aſſervato in Monaſterio *Montis Sion Barchinonen.*

Pro-

Provinciali Aragoniæ, ut Fidei Cenſores inſtituere, ac deſtituere poſſit (1). Anno 1351 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib. B. fol.* 555.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Roſelli (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Sacrę Theologię Magiſtro, Priori (4) Fratrum dicti Ordinis Provincię Aragonię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXI.

FIdei Catholicę, extra quam nulli eſt gratia, nulli ſalus, affectantes ſummopere ubilibet pollere nitorem, ad effugandas nebulas hereticę falſitatis, quas adverſus illam malignus ſpiritus per miniſtros ſuos, perditionis filios, indeſinenter exſufflat, opportuna ſolicite remedia ex debito ſervitutis Apoſtolicę providemus, ut ſupercreſcentibus in vinea Domini ſabaoth tribulis, falſitatis huiuſmodi, falſę fidei, reſecatis, vinea ipſa fructus ſalutis, & gratię, cultoribus ſuis in ubertate producat. Cum itaque, ſicut nobis exponere curaviſti, Priori Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum, Provincię Hiſpanię, de qua quidem Provincia, Provincia Aragonię tunc temporis exiſtebat (5), per literas Apoſtolicas hactenus conceſſum extiterit, ut ipſe adverſus hereticę pravitatis labe reſperſos, necnon credentes, fautores, & receptatores eorum, Inquiſitores, quotiens opportunum foret, auctoritate Apoſtolica deputaret, & ab aliquibus revocetur in dubium, an poſt diviſionem ejuſdem Provincię Hiſpanię Provincialis ipſius Provincię Aragonię poſſit adverſus reſperſos, credentes, fautores, & receptatores huiuſmodi, Inquiſitores ex Fratribus dicti Ordinis deputare; Nos, volentes ſuper hoc de opportuno remedio providere, tuis ſupplicationibus inclinati, tibi & ſucceſſoribus tuis, Prioribus Provincialibus Fratrum Ordinis, & Provincię Aragonię prędictorum, qui pro tempore fuerint, auctoritate Apoſtolica, indulgemus, ut tu, & ipſi ſic de Inquiſitoribus ex eiſdem Fratribus Ordinis, & Provincię prędictorum, adverſus hereticos, credentes, fautores, & receptatores eoſdem, in dicta Provincia Aragonię, ac omnibus & ſingulis Regnis, & Terris cariſſimi in Chriſto filii noſtri ... Regis Aragonum illuſtris, ſubiectis dominio, providere, ac eos inſtituere, & deſtituere valeatis, ſicut ante diviſionem hujuſmodi in dicta Provincia Aragonię Prior Provincialis ejuſdem Provincię Hiſpanię poterat antefatus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum apud Villam Novam Avenionen. Diec. IV Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium. Supplex Provincialis petitio. Concessio. Sanctio pœnalis.

1. *Poſſit.*) Ut in *Diſſertatione I* Tomo ultimo.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum aſſervatur in Cœnobio *Barchionenſi S. Catharinæ*.
3. *Roſelli.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCLXII pag.* 649. Fuit S. R. E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii VI*.
4. *Priori.*) Electus erat Anno *MCCCL* Die *XXIV Junii* in Comitiis Provincialibus *Pampilonæ* habitis. *Echard* mox laudatus, *pag.* 650.
5. *Exiſtebat.*) Anno *MCCCI* Provincia *Aragoniæ* diviſa fuit ab *Hiſpaniæ* Provincia.

F. Nicolao Roſelli (1) Provinciali, & Inquiſitori Aragoniæ, ut in eos, qui, Sanguinem Chriſti in Paſſione effuſum a Deitate fuiſſe ſeparatum, dixerint, inquirat (2). Anno 1351 Die 20 Julii.

Ex Archivo (3) *Ord. lib. B. fol.* 555.

Frater Johannes (4) miſeratione divina Sacroſanctę Romanę, ac Univerſalis Eccleſię Tit. Sanctę Sabinę Presbyter Cardinalis, venerabili, & religioſo viro Fratri Nicolao Roſelli, Inquiſitori Aragonię hereticę pravitatis, Fratrum Ordinis Prędicatorum, ac Provinciali Provincię Aragonię, ſacręque Theologię Magiſtro, Salutem in Domino ſempiternam. XXII.

NOveritis, quod audito novo errore, ſeu hereſi, ſine aliquo penitus fundamento, ſcilicet quod Sanguis Chriſti in Paſſione effuſus a Deitate fuerat ſeparatus, adivimus Sanctiſſimum in Chriſto Patrem, & Dominum noſtrum Dominum Clementem, digna Dei providentia, Papam Sextum: Et ſic prędictam hereſim fuiſſe publice prędicatam explicavimus; qui valde errorem hujuſmodi perhorreſcens, arguit, ſicut plenus ſpiritu ſapientię, & intellectus, nimis, & ſolide contra eum; Voluitque, quod ad elidendum, & eradicandum prędictum errorem, quem dixit eſſe hereſim, in virtute Dei, modo, & forma debitis procedatis. In cujus rei teſtimonium ſigillum noſtrum his pręſentibus duximus apponendum. Datum, & actum Avenione in Domo habitationis noſtrę, ſub Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo primo, Indictione quarta, Die XX menſis Julii, Pontificatus ejuſdem Domini noſtri Papę Anno X.

1. *Roſelli.*) De quo in præcedenti Diplomate.
2. *Inquirat.*) Hinc origo celebris controverſiæ, de qua *Waddingus Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLI num. XIII pag.* 8. hæc habet: *Gravior fuit alia controverſia, quæ Barchinone hoc anno exorta eſt inter Patres Prædicatores & Minores. Dum enim aliqui in prædicta civitate aſſererent, & publice prædicarent, Sanguinem Chriſti in Paſſione effuſum, a Divinitate fuiſſe ſeparatum, & proinde non eſſe in triduo mortis adorandum cultu latriæ, atque id ipſum ex roſtris in ſuo Monaſterio doceret F. Franciſcus Bajuli, Minoritarum Guardianus, feria ſexta Paraſceves die XVII Aprilis* (legendum *XV* non vero *XVII*, nam hoc anno *MCCCLI* aureus numerus fuit *III*, litera Dominicalis *B.*, Paſcha *XVII* Aprilis) *Nicolaus Roſcelli* (Roſelli) *tunc in Regno Aragoniæ Inquiſitor per*

per ſuas literas monuit Johannem Morlandinum Vaſconem Lemovicenſem, ex Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, a ſuo avunculo Clemente VI anno proxime elapſo, ſimul cum Paſtore Ordinis Minorum ad Cardinalatum, & S. Sabinæ titulum aſſumptum. Hic reſcripſit, ſe vivæ vocis oraculo accepiſſe in mandatis a Pontifice die XX Julii, ut ad palinodiam cogerentur, qui ita prædicaverant, judicatumque fuiſſe omnino hanc opinionem pro hæretica cenſendam. Compacto proceſſu Nicolaus Inquiſiter ſolis literis Johannis Cardinalis innixus, ſevere contra Guardianum egit, atque ut revocaret quæ circa quæſtionem hanc prædicaverat, in curia, & præſentia Epiſcopi Barchinonenſis effecit. Ita tunc abſque magno ſtrepitu & tumultu peractum, concluſumque negotium.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo aſſervato *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ*. Meminerunt *Eymericus Directtor. Inquiſitor. Parte II Quæſt. X num. I pag. 280*, *Waddingus* mox laudatus, *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLII num. IX*, *Bzovius ad an. MCCCLII num. XX*, *Echard* loco citato, *pag. 650*, aliique, quos laudat iſte.

4. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Anno 1351 Die 26 Septembris.

Comitatus Andegaviæ (1), & Cenomanenſem (2), Fidei Cenſorum, quos Provincialis Provinciæ Franciæ conſtituerit, juris ac poteſtatis eſſe, declarat (3).

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLI num. XXXVII.

XXIII.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Supplex Provincialis petitio.

NUper pro parte dilecti filii Prioris Fratrum Ordinis Prędicatorum Provincialis Provincię Francię juxta morem dicti Ordinis, nobis extitit intimatum, quod licet .... Prior dicti Ordinis ejuſdem Provincię Francię, qui eſt pro tempore, ab antiquo potuiſſet, prout poteſt, per ſpecialia privilegia Sedis Apoſtolicę Ordini prędicto conceſſa, certum numerum Fratrum dicti Ordinis ad exercendum in Regno Francię Inquiſitionis officium deputare: quia tamen poſtmodum felicis record. Nicolaus (4) Papa IV. Prędeceſſor noſter Fratribus dicti Ordinis Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem, tunc in dicto Regno deputatis auctoritate Apoſtolica, & ex tunc in poſterum deputandis, hujuſmodi officium Inquiſitionis committens, Comitatus, & Terras claręmemorię Caroli (5) Regis Sicilię, tunc viventis, excepit: dilecti filii Inquiſitores pravitatis ejuſdem per dictum Priorem tunc, & qui fuerunt in poſterum ad hujuſmodi Inquiſitionis officium in dicto Regno vigore privilegiorum hujuſmodi deputati, in Andegavię, & Cenomanenſi Comitatibus, atque Terris in dicto Regno conſiſtentibus, qui tunc ejuſdem Regis exiſtere noſcebantur, etiam poſtquam dictus Rex, & ipſius in Regno Sicilię heredes habere deſierunt dictos Comitatus, & Terras, pręfatum Inquiſitionis officium dubitarunt, & dubitant in dictis Terris, & Comitatibus exercere: propter quod in eis errores, & hereſes poſſent multipliciter pullulare. Nos igitur, attendentes, quod plurimum periculoſum exiſteret, ſi hujuſmodi pravitate reſperſi, quod abſit, in eorum pertinacia locum refugii invenirent dilectis filiis Guillelmo Militis (6), dicti Ordinis profeſſori, & in Sacra Theologia Magiſtro, & aliis Fratribus dicti Ordinis Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem in Regno Francię, qui nunc ſunt, & quos in poſterum vigore privilegiorum hujuſmodi deputari contigerit, ut prefertur, qui in dictis Comitatibus, atque Terris dictum Inquiſitionis officium contra hereticos, pręmiſſis nequaquam obſtantibus, ſervatis tamen Viennenſis Concilii, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſuper hoc editis, exercere valeant, prout in vicinis Terris Turonię videlicet, & Pictavii per privilegium ipſius Prędeceſſoris eſt fieri conſuetum, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur. Nulli ergo &c. Datum apud Villam Novam Avenionen. Dięceſis VI Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Declaratio.

Sanctio pœnalis.

1. *Andegaviæ.*) *Anjou*, in *Gallia Celtica*.
2. *Cenomanenſem.*) Vulgo *Le Maine*, in *Gallia Celtica*.
3. *Declarat.*) *Nec minus aſſerendæ in Galliis religioni, quam reſtituendæ paci ſtuduit Clemens*, inquit *Odoricus* ad annum MCCCLI num. XXXVII. *Florebat prius mos, quem S. Ludovicus, clariſſimum Regum exemplar, a Romano Pontifice induci curaverat, ut Cenſores fidei, ad ſubnaſcentes hæreſes evellendas e Galliis, excubarent. Cujus propagandi moris ergo, cum apud Andegavenſes intermiſſus fuiſſet, Clemens cenſorum fidei in Gallia Cognitori Dominicanæ familiæ religioſo viro jus contulit, ut Andegavis, quemadmodum in finitimis Provinciis cenſuram fidei exerceret: quod Diploma a nobis afferendum viſum eſt, ad obſtruenda eorum ora, qui temere effutiunt, Inquiſitionis ſacra Tribunalia nunquam in Galliis poſita fuiſſe.*
4. *Nicolaus.*) IV, *Conſtitutione XX.*
5. *Caroli.*) II.
6. *Guillelmo Militis.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Urbani V.* Adeas *Echard Tomo I Sciptorum Ordinis ad annum MCCCLXXIV pag. 673*.

An.... Die....

Priori, & Fratribus de Sangoſſa (1), ut Conventum alio transferre valeant.

Ex F. Johanne Lopez Hiſtor. Ord. III Parte Lib. I Cap. LXXII.

XXIV.

Clemens Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus de Sangoſſa, Pampilonenſis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis veſtrę, in qua devotum Deo redditis famulatum, promeretur honeſtas, ut quę ſtatui veſtro ad perſeverantiam opportuna fore conſpicimus, vobis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter concedamus. Exhibita nobis ſiquidem pro parte veſtra petitio continebat, quod nuper locus veſter, qui extra muros villę de Sangoſſa conſiſtebat, occaſione guerrarum, quę in illis partibus ingruebant pro tuitione, & ſecuritate dictę villę totaliter fuit combuſtus, & quod cariſſimus in Chriſto filius noſter Carolus (2) Rex Navarrę, Synagogam Judęorum cum quibuſdam domibus, & plateis, intra muros dictę villę conſiſtentes vobis pro ędificatione novi loci donavit; Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis conſtruendi alium locum licentiam concedere dignaremur &c (3).

1. *Sangoſſa.*) In *Navarra* Regno, ad *Aragonium* fluvium, alias *Sueſſa* nuncupata fuit, teſte *Floriano*.
2. *Carolus.*) Hujus nominis *Secundus*.
3. *Dignaremur &c.*) Quædam deſiderantur.

APPEN-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Clemente VI Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALES.

F. Geraldus de Domaro, rectius de Danmario, & de Guardia, Gallus, Lemovicenſis, Alumnus Provinciæ Toloſanæ, ex Magiſtro Generali Ordinis, S. R. E. Cardinalis Tit. S. Sabinæ. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCXLII pag.* 496. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. XV pag.* 22. *Cavalerius Tomo II pag.* 197. *Leander Albertus de viris illuſtrib. Ord. Prædicator. Baluzius Hiſtor. Pap. Avenion. Luſitanus in Chronicis. Fernandez. Plodius. Altamura. Panvinius. Frizonius. Contelorius. Poſſevinus*, ceterique paſſim. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXLII pag.* 609. Ille eſt, quem *Gherardum de S. Adomaro* nonnulli vocant. Anno 1342.

F. Johannes de Molendinis, vulgo *de la Molineyrie*, vel *des Moulins*, Alumnus Provinciæ Toloſanæ, ex Magiſtro Generali Ordinis, S. R. E. Cardinalis Tit. S. Sabinæ. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCXLII pag.* 516. *Baluzius Hiſtor. Pap. Avenion. Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCL num. XLVIII* ex *Bulla data Avenione XIV Kal. Januarii Pontificat. Clementis VI Anno IX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XVI pag.* 23, *ex Olmeda, Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo II pag.* 198 *num. III. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXLIX pag.* 627. A nonnullis *de Molinis, de Molino*, ab aliis *Morlandinus*, vel *Molendinus* nuncupatur. Anno 1350.

PATRIARCHA.

F. Humbertus, hujus nominis II, Delphinus, terreno Principatu dimiſſo, & votis ſolemnibus nuncupatis, Alexandrinus Patriarcha creatus eſt ineunte Anno MCCCLI. *Laurentius Pignon in Catalogo Prælatorum ex Ordine aſſumptorum. Cavalerius Tomo I pag.* 140 *num. CLXXXII. Guillelmus Marlot in Metropolis Remenſis Hiſtoria. Andreas Du Cheſnius in Genealogia familiarum Burgundiæ, & Delphinorum Viennenſium &c. Baluzius Pap. Avenionen. Valbonæſius in Hiſtoria Delphinatus. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. II pag.* 44 *ex Gallia Chriſtiana. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLV pag.* 641. Anno 1351.

ARCHIEPISCOPI.

F. Philippus Neapolitanus, ex Epiſcopo Lavellenſi, ut hac in *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Tranenſis, *Trani*, in Regno Neapolitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 133 *num. CLVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CV pag.* 106 *ex Ughello*. Anno 1343 Die 26 Martii.

F. Antonius, Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſide. *Galanus Conciliat. Eccleſ. Armen. cum Romana Cap. XXX num. LX pag.* 527 *Part. Hiſtorial. Cavalerius Tomo I pag.* 131 *num. CL. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad Annum MCCCXVIII pag.* 537. Circa Annum 1347.

F. Narva, ſeu Narnus, ex Epiſcopo Bergenſi, ut hac in *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Nidroſienſis, vulgo *Drontheim*, & *Trontheim*, in Norvegia. *Cavalerius Tomo I pag.* 131 *num. CXLIX ex S. Antonino, Plodio, & Souegio*. Circa Annum 1347.

F. Bernardus de Caſis, a Melano, Gallus, Archiepiſcopus Burdegalenſis, *Bourdeaux*, in Aquitania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XVIII pag.* 63 *ex Plodio, Caſtillo, Fernandez, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 144 *num. CLXXXVI.* Anno 1348.

F. Magneſius, ex Epiſcopo Maſſalubrenſi, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Archiepiſcopus Tranenſis, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CV pag.* 106 *ex Taegio, & Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 139 *num. CLXXVI.* Anno 1348.

F. Humbertus, Patriarcha Alexandrinus, ut hac in *Appendice* videre eſt, Adminiſtrator Archiepiſcopatus Remenſis in Gallia. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Anno 1352.

F. Pe-

Anno 1352. F. Petrus, quem nonnulli *Pinum* vocant, Giſius, ex Epiſcopo Albintimilienſi, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Brunduſinus, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Archiep. Brunduſinis Tomo IX Italiæ Sacræ pag.35 Edit. II ex Regeſt. Vatican. Epiſt. XXXIV fol.40. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap.IV Tit. XVII pag. 62. Cavalerius Tomo I pag. 144 num. CLXXXVIII.*

EPISCOPI.

Anno 1342. F. Marcus Roncionus, Epiſcopus Urbinas, in ejuſdem nominis Ducatu. *Ughellus in Epiſcop. Urbinaten. Tomo II Italiæ Sacræ pag. 786, ex Regeſto Vaticano Epiſt. LXXXVI fol. 169. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXV pag. 110 ex Monument. Conventus Piſani. Cavalerius Tomo I pag. 130 num. CXLIV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 24.* Nunc Metropolis eſt *Urbinatenſis* Sedes.

Anno 1342. F. Albertus Boſon, Epiſcopus Auximanus, *Oſimo*, in Piceno, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Auximan. Tomo I Italiæ Sacræ pag 503 ex Regeſt. Vatican. Epiſt. LXII fol. 186 Pontificat. Clementis VI An. I. Fontana in Appendice ad Theatrum Dominican. pag. 621. Cavalerius Tomo I pag. 127 num. CXXXIII.*

F. Michael de Verona, Epiſcopus Milopotamen., *Milopotamo*, in Inſula Cretenſi, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Cavalerius*, ceterique mox laudandi.

Anno 1342. IDem Epiſcopus Clugienſis, *Chiozza*, in Republica Veneta, ſub Patriarcha Veneto. *Ughellus in Epiſcop. Clugien. Tomo V Italiæ Sacræ pag 1352 ex Regeſt Vatican.*, & ex *Michaelis* Epitaphio, quod deſcribit. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXC pag. 174, & Tit. CCCXCV pag. 239. Cavalerius Tomo I pag. 125 num. CXXVII.*

Anno 1342. F. Lucas Manellus, Florentinus, Epiſcopus Ziconenſis, ſeu Zichnenſis, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Philippenſi. *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcop. Auximanis pag. 503. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCLV pag. 328. Cavalerius Tomo I pag. 147 num. CXCV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXIII pag. 652.* Epiſcopum *Auximanum* fuiſſe *Lucam*, dicetur in hac *Appendice*.

Anno 1342. F. Angelus Acciajolus, ex Epiſcopo Aquilano, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* dictum fuit, Epiſcopus Florentinus, *Firenze*, in Hetruria. *Ughellus in Epiſcop. Aquilan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.388, & in Epiſcop. Florentin. Tomo III pag. 148. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLV pag. 75, ex Caſtillo, & Podio. Cavalerius Tomo I pag. 142 num. CLXXXIV.* Nunc Archiepiſcopalis eſt *Florentina* Sedes. *Caſſinenſem* Epiſcopum fuiſſe *F. Angelum*, dicetur in ſequenti *Appendice*.

Anno 1342. F. Philippus Neapolitanus, Epiſcop. Lavellenſis, *Lavello*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Ughellus Tomo VII Italiæ Sacræ pag. 741 ex Regeſt. Vatican. Epiſt. XLVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIX pag. 212. Cavalerius Tomo I pag. 133 num. CLVI.* Archiepiſcopum *Tranenſem* fuiſſe *Philippum*, dictum eſt hac in *Appendice*.

Anno 1342. F. Petrus Salamia, Epiſcopus Catacenſis, *Catanzaro*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Ughellus in Epiſcop. Catacen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 373 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CL pag. 160. Cavalerius Tomo I pag. 155 num. 233.*

Anno 1343. F. Alfonſus Boni hominis, Epiſcopus Marochitanus, *Maroc*, in Africa. *Cavalerius Tomo I pag. 124 num. CXXV, ex Bzovio, & Fontana. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXXIX pag. 594.*

Anno 1343. F. Stanislaus Cracovienſis, Epiſcopus Petinenſis, *Pedena*, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejen. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXII pag. 263, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 130 numero CXLV. F. Dominicus Frydrychowicz in Libro cui titulus: S. Hyacinthus Poloniæ Patronus &c. pag. 233.*

Anno 1343. F. Marcus Novarienſis, Epiſcop. Civitatis novæ, ſeu Æmonienſis, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcop. Æmonien. Tomo V Italiæ Sacræ pag 238 Edit. II, ex Regeſt. Vatican. Epiſt. IV Lib. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXV pag. 188. Cavalerius Tomo I pag. 130 num. CXLVI.*

Circa Annum 1344. F. Franciſcus e Manthea, Epiſcopus Tropeienſis, *Tropea*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi.

Fonta-

Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCV pag. 314 *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 125 *numero CXXVIII, ex Taegio.*

F. Henricus de Monte, Siculus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Acerranus, *Cerra*, in Regno Neapo- Anno 1344.
litano, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. *Ughellus in Epiſcop. Acerran. Tomo VI Italia Sacra pag.* 219 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. VI pag.* 114. *Cavalerius Tomo I pag.* 134 *num. CLVII.*

F. Geratdus, Epiſcopus Trivicanus, *Trevico*, in Regno Neapoiitano, ſub Archiepiſcopo Beneventa- Anno 1344.
no. *Ughellus in Epiſcop. Trivican. Tomo VIII Italia Sacra pag.* 384 *ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCVII pag.* 318. *Cavalerius Tomo I pag.* 135 *num. CLXII.* Epiſcopum *Napollenſem* fuiſſe *Gerardum* dicetur hac in *Appendice.*

F. Elias Saguini, Epiſcopus Veſtanus, *Veſti*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Sipontino. Anno 1344.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXI pag. 321 *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 135 *num.* 163.

F. Thomas Lyldius, Epiſcopus Elienſis, *Ely*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius* Anno 1344.
Tomo I pag. 145 *num. CLXXXIX & pag* 696 *num. VIII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCLXI pag.* 649 *ex Godwino de Præſulib. Angliæ pag.* 320, *ex Monacho Elienſi in Anglia Sacra*, aliiſque, *Baleo* ſcilicet, *Luſitano* &c.

F. Guaiterus Bononienſis, Epiſcop. Tongarenſis, ut ſcribit *Fontana*, ſeu Tangarenſis, Tingitanus Circa Annum 1345.
nempe, vulgo *Tangari*, *Tangeri*, & *Tanger*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Eborenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 127 *num. CXXXV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCII pag.* 310, *ex Fernandez, & Plodio.*

F. Johannes de Mileto, Epiſcopus Cephaludenſis, *Cefalu*, in Siciliæ Regno, ſub Archiepiſcopo Meſ- Circa Annum 1345.
ſanenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 127 *num. CXXXVII, ex Valle, & Plodio.*

F. Guilielmus, Gallus, Epiſcopus Ochienſis, vulgo *Ochio*, in Imperio Japoniæ. *Cavalerius Tomo I* Circa Annum 1345.
pag. 127 *num. CXXXVI, ex Plodio.*

F. Petrus Aquenſis, Epiſcopus Graſſenſis, *Graſſe*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunen- Anoo 1345.
ſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXX pag.* 198, *ex Taegio, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 134 *num. CLIX.*

F. Arnoldus, vel Atbordus, ex Epiſcopo Signienſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* dic- Anno 1345.
tum fuit, Epiſcopus Alerienſis, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXII pag.* 120, *ex Taegio, & Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 139 *num. CLXXVII.*

F. Paulus Lapus de Bolenziis, Epiſcopus Chalcedonenſis, in Bithinia, ſub Archiepiſcopo Nicomediæ. Circa Annum 1345.
Cavalerius Tomo I pag. 139 *num. CLXXVIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXX pag.* 150, *ex Olmeda.*

F. Philippus Gezza de Rufinis, Romanus, Epiſcopus Æſernienſis, vulgo *Sergna*, & *Iſernia*, in Regno Anno 1345.
Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Ughellus Tomo VI Italia Sacra pag.* 399 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 623. *Cavalerius Tomo I pag.* 172 *num. CCLXXXVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXX pag* 682. Epiſcopus Tiburtinus, & S. R. E. Cardinalis fuit *Philippus*, ut in *Appendicibus ad Pontificatus Urbani V, & Urbani VI* dicetur.

F. Lucas Manellus, Florentinus, ex Epiſcopo Zichnenſi, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Anno 1345.
Auximanus, *Oſimo*, in Piceno, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Auximanis Tomo I Italia Sacra pag.* 503 *ex Regeſt. Vatican. Epiſt. XXXVII fol.* 43 *An. IV Parte I Lib. III. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Epiſcopus *Fanenſis* fuit *Lucas*, ut in *Appendice* ſequenti dicetur.

F. Pontius Eſcandevilla, Epiſcopus Montis Marani, *Monte Marano*, in Regno Neapolitano, ſub Anno 1345.
Archie-

Digitized by Google

Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. Montis Marani Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 341 *ex Regeſt. Vatican. Epiſt. LI An. IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCC pag.*240. *Cavalerius Tomo I pag.* 134 *num. CLVIII.*

Anno 1346. IDem Epiſcopus Trivicanus, *Trevico*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. Trivican. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.*384 *Edit. II, ex Lib. Solution. An. MCCCXLVII die XXII Februarii. Cavalerius* mox laudatus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCVII pag.* 311. Succeſſit iſte *F. Gerardo*, de quo mox agetur.

Circa Annum 1346. F. Johannes Ruſca, Epiſcopus Veronenſis, in Statu Veneto, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 129 *num. CXLI ex Plodio*. Quædam Familiæ *Ruſcæ* monumenta *Plodius* laudat.

Anno 1346. F. Gerardus, ex Epiſcopo Trivicano, ut in hac *Appendice* dictum eſt, Epiſcopus Rapollanus, *Rapolla*, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXXIII pag.* 270. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Circa Annum 1347. F. Mamimetrus, Italus, Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXXVII pag.* 202, *ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 130 *num. CXLVII.*

Circa Annum 1347. F. Iſrael, Epiſcopus Coronenſis, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 131 *num. CXLVIII.*

Anno 1348. F. Petrus Garſinus, vel de Garſinis, ex Epiſcopo Sorenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* dictum fuit, Epiſcopus Anagninus, *Anagni*, in Campania Romana, immediate ſub S. Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 147 *num. CXCVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXIX pag.* 123, *ex Ughello, & Plodio*. Hic a Fontana *Petrus de Maſſinis* vocatur.

Circa Annum 1348. F. Narva, ſeu Narnus, de quo inter Archiepiſcopos hujus *Appendicis*, Epiſcopus Bergenſis, in Norvegia, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXIII pag.*139, *ex S. Antonino. Cavalerius Tomo I pag.* 131 *num. CXLIX.*

Anno 1348. F. Arnoldus, Epiſcopus Sorenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLVII, ex Lib. IV Proviſion. Prælator. Epiſt. CIV. Cavalerius Tomo I pag.* 134 *num. CLX.*

Anno 1348. F. Philippus, Gallus, Alumnus Carnotenſis Cœnobii, Epiſcopus Aurelianenſis, *Orleans*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Pariſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXVI pag.* 135, *ex Taegio, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 135 *num. CLXIV.*

Anno 1348. F. Paulus Zuccarus, Florentinus, Epiſcopus Maſſalubrenſis, *Maſſa di Sorrento*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Surrentino. *Ughellus in Epiſcop. Maſſalubren. Tomo VI Italiæ Sacræ pag* 646 *Edit. II ex Regeſt. Vatican. Epiſt. XCVI fol.* 66. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLV pag.* 218, *ex Razzio, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 138 *num. CLXXIV.*

Anno 1348. F. Hugolinus de Petralonga, Epiſcopus Sutrinus, *Sutri*, in Provincia Patrimonii S. Petri, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Sutrinis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1276 *ex Regeſt. Vatican. Epiſt. CCXVI fol.* 127. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXVIII pag.* 301. *Cavalerius Tomo I pag.* 140 *num. CLXXIX.*

Anno 1348. F. Jacobus Sergius, Epiſcopus Minorenſis, *Minori*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Ughellus in Epiſcop. Minoren. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 310 *ex Regeſt. Vatican. Epiſt. CCLVI fol.* 124. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXC pag.* 236. *Cavalerius Tomo I pag.* 147 *numero CXCVII.*

Anno 1348. F. Nicolaus de Juvenatio, Epiſcopus Polymnianenſis, *Polignano*, in Regno Neapolitano, ſub Archie-

Archiepiſcopo Barenſi. *Vghellus in Epiſcop. Polymnianen Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 754. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXVI pag.* 268 *ex Valle*. *Cavalerius Tomo I pag.* 147 *num. CXCVIII.*

F. Petrus, Epiſcopus Callienſis, *Cagli*, in Umbria Superiore, ſub Archiepiſcopo Urbinatenſi. *Vghellus in Epiſcop. Callien. Tomo II Italiæ Sacræ pag* 820 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXI pag.* 151, *ex Taegio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 255 *num. CLI.* Ille eſt *Petrus de Viterbio*, quem, ut notatur apud *Vghellum* mox laudatum, *Fontana* reiicit ad annum *MCCCCXLVIII.* Anno 1348.

F. Johannes Renolius, vel Revolli, Epiſcopus Arauſicanus, *Orange*, in Gallo-Provincia, ſub Archiep. Arelatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLVI pag.* 128, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.* 135 *num. CLXV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23 *col. I, & ad an. MCCCLV pag.* 642 *col. I.* Circa Annum 1349.

F. Walterus de Coppello, Epiſcopus Draconarienſis, *Dragonara*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Vghellus Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 281 *Edit. II, ex Regeſt. Vatican. Epiſt. CXII fol.* 105. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXVIII pag.* 187. *Cavalerius Tomo I pag.* 136 *num. CLXVI.* Anno 1349.

F. Bartholomæus de Papazurris, Romanus, Epiſcopus Theanenſis, *Teano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Vghellus Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 570 *Edit. II, ex Regeſt. Vatican. Epiſt. X fol.* 23 *An. VII Clementis VI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXIII pag.* 306. *Cavalerius Tomo I pag.* 151 *num. CCXVI.* Epiſcopus *Theatinus*, vulgo *Chieti*, & Archiepiſcop. Patracenſis fuit *Bartholomæus*, ut in ſequenti *Appendice* dicetur. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXV pag.* 652 *col. II.* Anno 1349.

F. Jacobus Sazalius, vel Serzalius, Epiſcopus Scalenſis, *Scala*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Vghellus in Epiſcop. Scalen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 333 *Edit. II, ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXII pag.* 291. *Cavalerius Tomo I pag.* 156 *numero CCXXXVII.* Anno 1349.

F. Nicolaus de S. Martino, Epiſcopus Maceratenſis, *Macerata*, in Piceno, ſub Archiep. Firmano. *Vghellus in Epiſcop. Maceraten. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 737 *Edit. II, ex Regeſt. Vatican. Epiſt.* 169 *fol.* 50. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLIII pag.* 221. *Cavalerius Tomo I pag.* 156 *num.* 234. Epiſcopus *Recanatenſis* fuit *Nicolaus*, ut in ſequenti *Appendice* videre eſt. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXVII pag.* 661, ubi de variis Eccleſiis, a quibus Archiepiſcopus & Epiſcopus electus fuit *Nicolaus* noſter, loquitur. Anno 1349.

F. Petrus de Neapoli, Epiſcopus Marſicanus, *Marſico novo*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXVII ex Taegio, & Vghello. Cavalerius Tomo I pag.* 140 *num. CLXXX.* Anno 1349

F. Petrus Avogadri ex Epiſcopo Albenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII* videre eſt, Epiſcopus Siſtaricenſis, *Siſteron*, in Gallo-Provincia, ſub Archiep. Aquenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLII pag.* 296, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.* 146 *num. CXCII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23 *col. I.* Anno 1349.

F. Gaſpertus, vel Gasbertus, Orgolius, Legatus, ut hac in *Appendice* dicetur, Epiſcopus Cenetenſis, *Ceneda*, in Marchia Tarviſina, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Vghellus in Epiſcop. Ceneten. Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 207 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLVI pag.* 162. *Cavalerius Tomo I pag.* 163 *num. CCLVI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXVI pag.* 674. *Conſtitutiones XIV, XV, XVI, & XVII Clementis VI.* Anno 1349.

F. Jacobus Navellus, Epiſcopus Melenſis, *Milo*, in ejuſdem nominis Inſula Maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Rhodienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 138 *num. CLXX, ex Plodio.* Circa Annum 1349.

F. Petrus Gau, Hiſpanus, Epiſcopus Syrenſis, *Siro*, in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Athenienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXI pag.* 303, *ex Fernandez, & Diago. Cavalerius Tomo I pag.* 138 *num. CLXXI.* Circa Annum 1350.

Anno 1350. F. Clemens Bnollus, Gallus, Epiſcopus Tullenſis, in Lotharingia, ſub Archiep. Trevirenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCX pag.* 315, *ex Plodio, Fernandez, & Stephano Sampaio. Cavalerius Tomo I pag.* 138 *num. CLXXII.*

Anno 1350. F. Petrus Giſius, Epiſcopus Albintimilienſis, *Vintimiglia*, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit XXI pag.* 120, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Clementis VI, Ughello, & Valle. Cavalerius Tomo I pag.* 144 *num. CLXXXVIII.*

Anno 1350. F. Petrus de Tuſcia. Calix muncupatus, Epiſcopus Caſtrenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hidruntino. *Ughellus in Epiſcop. Caſtren. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 94 *Edit. I. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLIX pag.* 160, *ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 69 *num. CCXVIII.* Archiepiſcopum *Raguſinum* fuiſſe *Petrum*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Urbani V.*

Circa Annum 1350. F. Adam de Nemours, vel de Nemoſio, quem Nemauſenſem nonnulli vocant, Epiſcopus Silvanectenſis, *Senlis*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Remenſi. *Laurentius Pignon in Catalogo promotorum ad Dignitates extra Ordinem. Cavalerius Tomo I pag.* 247 *num. CIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLI pag* 296, *ex Plodio, Sampaio, & Fernandez. Echard Tomo I in Indice Epiſcopor. pag.* 22 *col. I.* De Anno inter Auctores non convenit, & ad annum *MCCCCXLVIII* paſſim reiicitur. Fratris *Laurentii Pignon* Galli, qui ſcribebat anno *MCCCXCIV*, ſententiæ ſubſcripſi.

Circa Annum 1350. F. Theodoricus de Wiſchel, Epiſcopus Naturenſis, in Thracia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *Echard Tomo I Scriptorum Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 26 *col. II* ex antiquo Ms., cui titulus: *Chronica Weſalienſis*. Addit *Echard*, Conventus *Weſalienſis* alumnum fuiſſe *Theodoricum*. & ſuis curis, ac largiſſimis eleemoſynis idem Cœnobium reparaſſe, quod igne conſumptum fuerat die VII Auguſti.

Circa Annum 1351. F. Nicolaus Hiſpanus, Epiſcopus Ilerdenſis, *Lerida*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 139 *num. CLXXV, ex Plodio.*

Anno 1351. F. Nicolaus Neapolitanus, Epiſcopus Biſacienſis, *Biſaccia*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Compſano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCI pag.* 142, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 146 *num. CXCIII.*

Anno 1352. F. Marcus Ardinghellus, Florentinus, Epiſcopus Pennenſis, & Hadrianenſis, *Penna, & Atri*, in Aprutio, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLIX pag.* 261, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 139 *num. CCXLV.* Idem Epiſcopus *Camerinus* fuit, ut in ſequenti *Appendice* dicetur.

LEGATI.

Anno 1343. F. Geraldus de Domaro, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Legatus in Gallia. *Cavalerius*, aliique nonnulli ſupra laudati.

Anno 1350. F. Gaſpertus Orgolius, de quo inter Epiſcopos huius *Appendicis*, Legatus ad Cantacuzenum, Græcorum Imperatorem. *Conſtitutiones XIV, XV, XVI & XVII Clementis VI.*

Anno 1350. F...... Provincialis Provinciæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum, & F. Rogerius de Palheriis Ord. Minorum Legati in Aragoniam miſſi. *Waddingus Annal. Minor. Tomo III ad an. MCCCL num. III pag.* 570, *ex Epiſt. CIX Lib. IX Clementis VI.*

Anno 1352. F. Petrus Giſius Archiepiſcopus Brunduſinus, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Legatus in Regno Neapolitano conſtitutus. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

INNO-

INNOCENTIUS VI.

Natione Gallus, electus (a) eſt Avenione XVIII Decembris MCCCLII. Ibidem coronatus (b) fuit Die XXX ejuſdem Menſis. Obiit (c) Avenione XII Septembris MCCCLXII. Sedit Annos IX, Menſes VIII, Dies XXVI.

(a) Ex *Ms. Vaticano*. (b) Ex eodem. (c) *Urbanus V Lib. I Epiſt. I*

Mariæ Menendæ (1), ut Monaſterium Sororum Ordinis in Villa Nova (2) Portugallenſis Diœceſeos conſtituere poſſit. Anno 1353 Die 5 Martii.

Ex Arch. (3) *Ordinis*.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto Filię Nobili Mulieri Marię Menendę, Portugallenſis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. I.

TUę devotionis merita, quibus in ſinceritate fidei ęterno Regi placere deſideras, ac Romanam Eccleſiam revereris, rationabiliter nos inducunt, ut deſideriis tuis, illis pręſertim, quę tuę ſalutis commodum, & divini cultus augmentum reſpiciunt, opportunis favoribus annuamus. Exhibitę ſiquidem nobis pro parte tua petitionis ſeries continebat, quod tu, de ſalute propria cogitans, cupienſque terrena in cęleſtia, tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, in quibuſdam domibus tuis in Villa Nova Portugallenſis Dięceſis, & ad te ſpectantibus, ac ſufficientibus pro uno Monaſterio inibi conſtruendo, pręcordialiter deſideras quoddam Monaſterium Canonicarum (4) Ordinis S. Auguſtini, quę ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum perpetuo vivere debeant cum Eccleſia, ſeu Oratorio, cęmeterio, domibus, & aliis officinis pro certo competenti numero earundem Canonicarum, fundare, & ędificare, ac de bonis tuis propriis ſic Monaſterium pręfatum dotare, quod ipſius Monaſterii fructus, redditus, & proventus quingentas libras monetę Regni Portugallię valeant annuatim, & nihilominus jus patronatus ejuſdem Eccleſię dictę Dięceſis, & hortos, & loca quędam eiſdem domibus contigua, & plura alia ad te ſimiliter ſpectantia pro ſuſtentatione dictarum Canonicarum, & aliarum inibi pro tempore degentium, in augmentum dotis hujuſmodi eidem Monaſterio aſſignare. Quare pro parte tua nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut tibi fundandi, dotandi, & ędificandi Monaſterium hujuſmodi, licentiam concedere dignaremur. Nos itaque hujuſmodi tuum deſiderium in Domino commendantes, ac propterea volentes votis tuis annuere favorabiliter in hac parte, tibi fundandi, & conſtruendi dictum Monaſterium in eiſdem Domibus cum Eccleſia, ſeu Oratorio, & aliis officinis prędictis, dote ſupradicta de bonis prędictis eidem Monaſterio primitus aſſignata, jureque Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem &c. Datum Avenione III Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. Supplex Oratricis petitio. Conceſſio.

1. *Maria Menenda.*) Adeas *Caſſegam Hiſtor. Portugal. Parte I pag.* 313.
2. *Villa Nova.*) In *Luſitania*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur in *Hiſtoria Portugallia* mox laudata.
4. *Canonicarum.*) Vide *Notam IV ad Conſtitutionem VII Honorii III. Tomo I pag.* 7.

Præſules, Principes, ceterique præbeant auxiliarem manum F. Johanni Schandelant (1), Inquiſitori Germaniæ. Anno 1353 Die 15 Julii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLIII num. XXVI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Civitatum, ac Locorum Dominis, & Communitatum Rectoribus, per Alemanniam conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. II.

INjuncto nobis circa gregem dominicum ex officio paſtorali ſolerter vigilare nos convenit, ne lupina rabies hęreticę pravitatis, ſub ovino vellere ſponte latitans, mactet crudeliter, & diſperdat, quod fidei vivificat ſacramentum. Cum itaque, ſicut accepimus, hujuſmodi peſtifera rabies ſpecialiter illorum, qui Beckardi (2) vocantur, in Alamanniæ partibus, procurante humani generis inimico, exarſiſſe dicatur; nos cupientes, quod peſtis ipſa de caulis fidelium propellatur, & quod officium Inquiſitionis, dilecto filio Johanni, dicto Schandelant, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſacręque Theologię Profeſſori, Inquiſitori hęreticę pravitatis, auctoritate apoſtolica, commiſſum, noſtris temporibus, ad profectum fidei, & animarum ſalutem, auctore Domino, proſperetur, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per apoſtolica vobis ſcripta in virtute ſanctę obedientię, firmiter pręcipiendo, mandantes, quatenus ob reverentiam divinam, & noſtram, ſi Dei, & Apoſtolicę Sedis vultis effugere ultionem, ipſi Inquiſitori favorabiliter aſſiſtentes, & in proſecutione dicti negotii fidei, conſilium, auxilium, & favorem

Exordium. Mandatum.

totis viribus, tota mente, omnique occaſione poſtpoſita, impendatis, pręſtantes eidem veſtros carceres, quibus in eiſdem partibus carere dicitur officium Inquiſitionis hujuſmodi, donec officio prędicto de certis carceribus ſit proviſum; preces & mandata noſtra taliter impleturi, ut cauſam fidei videamini ex animo aſſumere, ac fovere, & apud Deum, & Sedem Apoſtolicam poſſitis exinde merito commendari. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Dięceſis Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *F. Johanni Schandelant.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Beckardi.*) Seu *Begardi*, ſic dicti ab hæreſiarcha *Beghardo Bertoldo de Rorbach*, cujus meminit *Nauclerus* apud *Odoricum Raynaldum* ad annum MCCCLIII num. XXVII. *Paruere*, inquit Odoricus, *Pontificiis Imperiis Germani, paucis enim poſt annis hæreſiarcham fidei cenſorum imperio rogis traditum Spiræ, refert Nauclerus, qui illius errores enumerat: Poſt hæc, inquit, tempora judicabatur Spiræ Begbardus Bertoldus de Rorbach. Hic antea in Herbipoli quoſdam articulos reclamaverat, videlicet, quod Chriſtus in paſſione ſua ſic fuerit a Patre derelictus, quod præ nimio dolore dubitaverit, ſalvarine anima ſua deberet. Secundus Articulus, quod Chriſtus in Cruce propter nimiam paſſionem, & dolorem maledixerit B. M. Virgini. Tertius, quod maledixerit terræ, quæ ſuſcepit ejus Sanguinem de Cruce. Propter præmiſſa fugiens, ad Diœceſim Spirenſem venit, ubi articulos hos veros aſſeruit. Addidit etiam, quod homo in hac vita in tantum proficere poſſit, quod nec orare, nec jejunare eum oporteret. Item quod laicus illuminatus poſſit plus proficere in docendo, & plus ſit ſibi credendum, quam Evangelio, aut Doctoribus Sacræ Scripturæ. Item quod homo devotus in perceptione cibi communis poſſit percipere tantam gratiam, ac ſi acciperet Euchariſtiæ Sacramentum. Et quia relapſus, tradebatur curiæ ſeculari, & eſt incineratus.*

Anno 1353 Die 27 Octobris.

F. Johannem, Græcorum Imperatoris Nuncium, benigne exceptum ſignificat, & eidem Imperatori de redintegrandæ conjunctionis Eccleſiarum pio ſuſcepto conſilio gratulatur (1).

III. *Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLIII num. XXIII.*

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Johanni Cantacuzeno, Imperatori Gręcorum illuſtri, gratiam in pręſenti, quę perducat ad gloriam in futuro.

F. Johannes Imperatoris Orator.

MAgnitudinis tuę literas pręſentatas nobis per dilectum filium Johannem, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Ambaſſiatorem, & Nuncium tuum, latorem pręſentium, & ipſum quoque Ambaſſiatorem, conſideratione tua, benigne recepimus: & tam eiſdem literis ſerioſe perlectis, quam his, quę pręfatus Ambaſſiator pro parte tua nobis prudenter, & provide reſeravit, diligenter auditis, innotuit nobis deſiderii fervor, & affectionis patuit plenitudo, quibus mens tua indeſinenter exęſtuat, ut inveterati ſchiſmatis purgata rubigine, ac errorum tenebris effugatis, ad unitatem Sanctę Romanę ac Univerſalis Eccleſię, & agnitionem catholicę fidei, quam Eccleſia ipſa, veritatis magiſtra, & neſcia falſitatis, tenet, docet, & prędicat; quamque Redemptor omnium Chriſtus, qui auctor eſt ejus, dividi non patitur, una cum populo tibi ſubdito revertaris; ſicque tibi, & eis ſalubriter conſulens, ducatum prębeas ad ſalutem. Ex quo magnificavit anima noſtra utique Dominum, & in Deo ſalutari noſtro ſpiritus noſter in eo potius exultavit, quo veriſimiliter credimus, & in eo, qui parietem utrumque connexuit, confidimus amplius, & ſperamus, quod unionis utriuſque Eccleſię, Latinę ſcilicet & Gręcę, negotium, in cujus proſecutione multorum Prędeceſſorum noſtrorum pia ſtudia quam maxime laborarunt, ad optatę conſummationis exitum perducetur: ſicque temporibus noſtris Dominicus grex, pręſtante illo, qui eum nobis paſcendum, regendumque commiſit, antiqui hoſtis ſuperatis fraudibus, uno ſolum Paſtore paſcetur, uno tantummodo quieſcet ovili. Eia igitur, Princeps inclyte, animum robora, fortifica mentem, & conſiderans quod, teſtante veritate, inchoare non ſufficit, ſed perſeverare expediat ad ſalutem; quodque nullus certantium pugilum, niſi compos victorię coronatur, opus tam ſalutaris negotii, confiſus in eo, qui imbecillia quęque roborat, & firmat infirma, inſtantius operare. Imple inchoati miniſterii partes, & in caulam Domini, ubi nec lupi rapacis inſidias paveant, nec rugitus leonis timeant devorantis, oves congrega oberrantes, fer ad arcam Domini manipulorum copiam, ut inde paleis & ariſtis tritura & ventilabro veritatis excuſſis, inferatur in horrea divina frumentum; firmiter credens, & indubie tenens, quod ab eo, per quem Reges regnant, & curvantur imperia, & in pręſenti, quibuſcunque procellarum & tempeſtatum adverſum te commotis fluctibus nutu ſuę potentię quietatis, ſtatus tui robur, & in futuro ęternę beatitudinis gaudia, mercedis premium conſequeris; quodque nos, qui vices illius, licet immeriti gerimus, tibi velut filio de regione diſſimilitudinis venienti cum ingenti lętitia apertis brachiis occurrentes, non ſolum ſpiritualibus, ſed temporalibus quoque pręſidiis, quantum cum Deo poterimus, te quod affectu prętendis, effectu operis, ut fiducialiter credimus, exequentem, favorabiliter proſequemur. Ceterum, quod de promotione noſtra ad apicem Apoſtolicę dignitatis exultans, affectum tuę circa nos indicas caritatis, debitas tibi gratias agimus: ſed unde tibi oritur materia gaudii, inde nos pavor concutit, terret nos inde timor: ſiquidem honoris faſtigium, oneris molem habet annexam; ad quam ſupportandam imbecilles nobis humeros intuemur, de propria virtute diffidimus, & de qualitate meriti deſperamus. Sed in eum, qui fuit oneris auctor, ſperantes, adminiſtrationis etiam adjutorem ipſum ſuppliciter exoramus, ut infirmitatem noſtram ſic roboret, ſic noſtros ſuppleat imperfectus, quod eo pręſtante, pręfatam Eccleſiam ad ſui laudem, & gloriam, ac ſalutem ejuſdem commiſſi, ut pręmittitur, nobis gregis, utiliter regere, ac tandem cum ipſo populo ad Sancta Sanctorum puris introire mentibus mereamur. Datum Avinione VI Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Romana Eccleſia veritatis Magiſtra, & falſitatis neſcia.

SS. Pontifex Imperatori gratulatur.

Ipſum hortatur.

1. *Gratulatur.*) Conſulendi *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLIII num XXIV, XXV, & ſequentibus*, ac *Odoricus Raynaldus ad eundem annum num. XXII, XXIII, & XXIV.*

2. *Odorico.*) Ex *Regeſto Vaticano*, Legitur etiam apud *Bzovium* mox laudatum, *num. XXIV*, & Eminen. Cardinalem *Cozzam Hiſtor. Polemica Tomo III pag. 252.*

Hugoni

Hugoni Epiſcopo Valentino (1), & Fratri Nicolao Roſelli (2) Ordinis Prædicatorum, ut, provocatione ſublata, in nonnullos quæſtionem inſtituant (3).

Anno 1353 Die 28 Novembris.

Ex Arch. (4) *Ordinis lib. B. fol. 566.*

IV.

Bertrandus (5) miſeratione divina Epiſcopus Sabinen. Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalis, venerabili in Chriſto Patri, Domino Hugoni, Epiſcopo Valentino, ac religioſo viro Fratri Nicolao Roſelli Priori Provinciali, & Inquiſitori hęreticę pravitatis, in Regnis Aragonię, ac Valentię, ſalutem in Domino, & mandatis Apoſtolicis firmiter obedire.

Hujus vivæ vocis Oraculi cauſa.

AD audientiam Sanctiſſimi Patris Domini Noſtri Domini Innocentii Divina Providentia PP. VI, nuper fide digna relatione perducto, quod dudum, cauſa appellationis, ad Sedem Apoſtolicam interjectę, quę inter Fratrem Jacobum Juſti (6), & quondam Fratres Guillelmum Gilaberti, & Martinum Petri, Ordinis Tertię Regulę Beati Franciſci, Civitatis, & Diœceſis Valentin., appellantes ex una parte, & quondam Fratrem R... de Maſqueſa Ordinis Prędicatorum, Commiſſarium quondam Fratris Leonardi de Podio Certoſo (7) in dictis Regnis Inquiſitoris pravitatis ejuſdem, ſuper quibuſdam Articulis hereſim ſapientibus appellatum, ex altera, nobis Bertrando tunc Tituli Sancti Marci Presbytero Cardinali, per fel. rec. Dominum Clementem Papam VI commiſſa extitit per nos audienda, & ſibi poſtmodum referenda, quodque nos de ipſius Domini Clementis Papę ſpeciali mandato, nobis tunc facto oraculo vivę vocis, bonę mem. Domino Raymundo, tunc Epiſcopo Valentino Prędeceſſori veſtri Epiſcopi, & ejus Vicario in virtute ſanctę obedientię pręcipiendo mandavimus, quatenus recepta a dictis Fratribus Tertię Regulę ſupradictę, quos tunc dicebantur tenere in ſuis carceribus mancipatos, fide juſſoria cautione idonea de ſtando juri, & de non exeundo Civitatem, & ſuburbia Valentin., donec idem Dominus Clemens Papa aliud ſuper hoc duceret ordinandum, eoſque, ſi eandem cautionem pręſtare poſſent liberarent, ſeu liberari facerent a carceribus ſupradictis, prout in noſtris literis exinde confectis plenius continetur. Et quod idem Dominus Raymundus, tunc Epiſcopus, a dictis Fratribus carceratis, & quibuſdam eorum fidejuſſoribus, obligationem ſuper his recepit de triginta millibus ſolidorum, quodque proceſſu temporis dicti Fratres Guillelmus Gilaberti, & Martinus Petri a ſeculo migraverunt, ſed quod dictus Frater Jacobus Juſti, cui Redemptor noſter, nolens mortem peccatoris, ſed ut magis convertatur, & vivat, vitam pręſentem ſic prorogavit ex gratia, ne ęterna miſerabiliter privaretur, & ut quanto ejus erant graviora ſcelera, tanto magis haberet ſpatium pęnitendi, dictam Civitatem, & ſuburbia, intra quę, ad evitanda majora pericula, non ſine magnę rationabilitatis cauſa fuerat arreſtatus (8), abſque licentia, immo ſcitu veſtri Epiſcopi, ſeu veſtri Vicarii pluries exire pręſumpſit, ac ſuis antiquis erroribus, & diverſis hęreſibus involutus, non ſolum ut ſimplex hęreticus, ſed hęreſiarca manifeſtus, tam per ſuam ſpontaneam confeſſionem, quam per idonearum perſonarum teſtimonia, dicitur reperiri. Idem Dominus noſter Dominus Innocentius Papa, nolens, quod idem Frater Jacobus beneficio appellationis, quod pro conſervanda, & defendenda juſtitia, non pro fovenda iniquitate, a ſacris eſt indultum Canonibus, adjuvetur, quodque provide attendens, quod in ipſius miſſione ad Romanam Curiam propter longarum viarum diſcrimina poſſet evenire periculum evaſionis ejuſdem, Nobis commiſit, & mandavit oraculo vivę vocis, quod vobis per noſtras literas committeremus, & etiam mandaremus, quod vos, non obſtante appellatione prędicta, cui nihilominus idem Frater Jacobus expreſſe renunciaſſe aſſeritur, contra dictum Fratrem Jacobum, ac contra prędictos Guillelmum Gilaberti, & Martinum Petri defunctos, ſi eos inveneritis mortuos in hęretica pravitate, in hujuſmodi cauſa fidei procedere ſecundum juſtitiam curaretis. Quocirca volentes, prout tenemur, Apoſtolicis obedire mandatis, vobis ex parte, & de mandato dicti Domini noſtri Papę committimus, & mandamus, quatenus, non obſtante dicta appellatione, contra dictum Fratrem Jacobum vivum, & alios pręfatos Guillelmum, & Martinum, defunctos, in dicta cauſa, juſtitia pręvia, procedatis. In cujus rei teſtimonium pręſentes literas fieri fecimus, & noſtri ſigilli appenſione muniri. Datum Avenione die vigeſima octava menſis Novembris, Indictione VI, Anno Nativitatis Domini milleſimo trecenteſimo quinquageſimo tertio, Pontificatus dicti Domini noſtri Papę Anno Primo.

Mandatum.

1. *Valentino.*) Vulgo *Valencia*, in *Hiſpania Tarraconenſi.* Nunc Archiepiſcopalis eſt hæc Sedes.

2. *Roſelli.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

3. *Inſtituant.*) *Tempore Clementis VI*, inquit *Eymericus* Director. Inquiſitor. Parte II Quæſt. XI num. VI pag. 283, *inſurrexerunt in partibus illis, videlicet in Valentia, multi Begardi, quorum erat principalis quidam vocatus Frater Jacobus Juſti, qui dogmatizaverunt .... hæreſes Begardorum: & inter alia, quod condemnati Religioſi, Clerici, & Laici, pro dictis hæreſibus, tam per Dominum dictum Clementem in Curia, quam per Inquiſitores in aliis mundi partibus, erant Beati, & in cœlis Martyres Jeſu Chriſti: & tandem hæreſes eorum fuerunt Valentiæ condemnatæ per Fratrem Nicolaum Roſelli prædictum Inquiſitorem. & poſtmodum Presbyterum Cardinalem, & per Dominum Hugonem de Fenolete, Epiſcopum Valentinum. Et tres jam mortui, ſcilicet Guillelmus Gilaberti, & Bartholomæus Fuſterii, & quidam alius, fuerunt exhumati, & ut impœnitentes hæretici condemnati. Et dictus Frater Jacobus Juſti, dictis hæreſibus abjuratis, extitit immuratus, & ibi mortuus.*

4. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo aſſervato in *Barchinonenſi* Cœnobio *S. Catharinæ.*

5. *Bertrandus.*) *Deucius* nuncupatus, natione *Gallus*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCXXXIV pag.* 472.

6. *Jacobum Juſti.*) Hinc ſolvitur quæſtio *Prateolum* inter & *Franciſcum Peñam* mota de tempore quo vixerit *Jacobus* iſte.

7. *Leonardi de Podio Certoſo.*) Illum crediderim *Arnaldum de Podio*, quem ad ætatis incertæ Scriptores ablegat *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis Seculo XIV pag.* 721.

8. *Arreſtatus.*) Id eſt detentus, a Gallica voce *Arreſter*, detinere.

Fratrum

Anno 1356
Die 31 Januarii.

Fratrum Unitorum (1), quos ab errore Fratres Prædicatores evellerant, Ordinem probat, ipſumque ſubiicit poteſtati Magiſtri Generalis Fratrum Prædicatorum.

Ex Bullario (2) Caſtellani pag. 69.

V.

Innocentius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis filiis Gubernatori Fratrum de Majori Armenia Unitorum nuncupatorum, & eiſdem Fratribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Apoſtolicę Sedis benignitas Summi Paſtoris imitando veſtigia, ſalutem cupiens ſingulorum, pia illorum vota libenter benevolo favore proſequimur (3), qui ab erroris invio ad viam veritatis reducti, mundanis relictis illecebris, in Religionis obſervantia, in ea (4) ſecularibus curis exuti, ad ſalutis bravium liberius currere valeant in humilitatis ſpiritu, virtutum Domino deſiderant impendere famulatum.

Supplex Fratrum Unitorum petitio.

Sane ex tenore petitionis, pro parte veſtra vobis oblatę, lętanter accepimus, quod dudum quibuſdam Fratribus (5) Ordinis Prędicatorum auctoritate fel. record. Johannis Papę Secundi (6), Prędeceſſoris noſtri, in Armenię majoris partibus Domini Evangelium prędicantibus, nos (7) divina gratia inſpirante, a diverſis erroribus, ad veram Jeſu Chriſti fidem, & ad unitatem, & obedientiam Sacroſanctę Romanę Eccleſię deducti, cupientes a ſeculi vanitatibus elongari, & obſequiis divinis ſecurius inſiſtere, regularis vitę obſervantiam aſſumpſiſtis, & illam ex tunc, vivendo ſecundum Regulam B. Auguſtini, & Conſtitutiones dicti Ordinis Prędicatorum, ac promiſſa per nos (8) obedientia Romano Pontifici Vicario Jeſu Chriſti, & Gubernatori noſtro (9), & Profeſſione facta de vivendo ſecundum Regulam, & Conſtitutiones prędictas, tenuiſtis, & etiam obſervaſtis, in divino officio diurno, & nocturno, & aliis obſervantiis Regularibus dictis Fratribus Ordinis Prędicatorum vos confirmando (10), eo ſalvo, quod carnes comeditis, & in communi poſſeſſiones, & redditus retinetis, quodque nonnulla Monaſteria, & Loca alia Religioſa cum Eccleſiis, Domibus, Cęmeteriis, Campanilibus, & Campanis, & aliis neceſſariis officinis conſtruxiſtis, & conſtrui feciſtis, & quędam etiam acquiſiviſtis, in quorum Monaſteriis ſinguli Priores Conventuales eſſe noſcuntur, qui ab omnibus Fratribus, vel majori parte Fratrum ipſorum Monaſteriorum eligi debent, quorumque electiones tu, fili Gubernator, confirmas, vel caſſas, ſecundum quod de conſilio Fratrum diſcretorum ęſtimas expedire. Annis quoquę ſingulis per nos (11) in Die Pentecoſtes generale celebratur Capitulum, in quo corriguntur crimina, & defectus, aut Priores Monaſteriorum, ſi negligentes, vel defectuoſi reperti extiterint, a Prioratuum eorum abſolvuntur officiis, & quę agenda ſunt, ibi ordinantur, & aliqui ex vobis magis literati ad prędicandum fidem Chriſti ſchiſmaticis, qui variis detinentur erroribus, deputantur. Et ſi gubernator noſter (12), qui eſt pro tempore Fratrum prędictorum, defunctus, vel ab officio Gubernationis, amotus extiterit, alius Gubernator a prędictis Prioribus eligitur, & electus ab eis, vel majori parte ipſorum, ſine aliqua confirmatione, verus Gubernator exiſtit, & noſtrorum (13) Fratrum prędictorum curam in ſpiritualibus, & temporalibus habeant (14), ſicut Magiſter Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum in ſuo Ordine dignoſcitur obtinere. Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ad conſolationem fidelium in eadem majori Armenia conſiſtentium, & ad majorem firmitatem, & augmentum fidei ſupradictę, quam conſtanter inibi prędicant, & alii ad fidem eandem, & regularem vitam aſſumendam promptius annuentur (15), vobis recipiendi, & aſſumendi, & etiam profitendi dictam Regulam, & Ordinem prędicti S. Auguſtini; ita tamen quod ſecundum illos, & Conſtitutiones prędictas vivere debeatis, ac Monaſteria, & Loca hujuſmodi retinendi, & alia de novo acquirendi, & in eis commorandi, & alias perſonas ad Profeſſionem recipiendi de (16) vobis licentiam concedere, quod Magiſter Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtens per ſe, ſeu Vicarium ſuum viſitandi, corrigendi, & reformandi noſtrum (17) Ordinem tam in capite, quam in membris poteſtatem habeat ſtatuere, & ordinare, de benignitate apoſtolica dignaremur.

Conceſſio.

Nos igitur, qui piis deſideriis, per quę via paratur ſecurior ad ſalutem, libenter apoſtolicum impertimur aſſenſum, veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis prędictis, Ordinem, & Regulam Sancti Auguſtini recipiendi, aſſumendi, & profitendi, ita quod ex tunc ſecundum illas Conſtitutiones prędictas, niſi quoad habendum poſſeſſiones & redditus in communi, & quoad abſtinentiam carnium, in quibus aliis Religioſis dicti Ordinis Sancti Auguſtini teneamini vos conformare, vivere debeatis: ac Monaſteria, & loca prędicta cum hujuſmodi Eccleſiis, Cęmeteriis, Campanilibus, Campanis, & aliis officinis, poſſeſſionibus, & redditibus retinendi, dummodo hoc in aliorum prędudicium non redundet, & poſt receptionem, aſſumptionem, & profeſſionem hujuſmodi, alia Monaſteria, & loca cum Eccleſiis, Cęmeteriis, Campanilibus, Campanis, & aliis neceſſariis officinis canonice de novo, ſine tamen juris prędudicio alieni, conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, aut alias acquirendi, & retinendi, & in eis commorandi, ac perſonas, quę de ſeculo fugientes ad Religionem veſtram tranſire voluerint, in Fratres, & ad Profeſſionem, ſecundum Inſtituta dicti Ordinis S. Auguſtini, & Conſtitutiones prędictas, recipiendi, & admittendi, quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate apoſtolica, licentiam elargimur, & inſuper ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod poſt veſtram receptionem, aſſumptionem, & profeſſionem hujuſmodi, idem Magiſter Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtens, per ſe, ſeu Vicarium ſuum, talem & tantum in viſitando, corrigendo, & reformando noſtrum (18) Ordinem in capite, & in membris poteſtatem habeat, qualem, & quantam in ipſo Prędicatorum Ordine noſcitur obtinere.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Conceſſionis, Statuti, & Ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem

Digitized by Google

autem hoc attentare prȩſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avinione II Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Unitorum.*) Qui fuerint, docet *Galanus Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana Cap. XXX Primæ Partis Hiſtorialis Numeris XII, XLV, XLVI, XLVIII & XLIX.* Vide Conſtitutionem datam *MCCCLVI* Die *XXX* Junii.
2. *Bullario.*) Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi Corporis Chriſti.*
3. *Proſequimur.*) *Proſequitur.*
4. *In ea.*) Ut in ea.
5. *Quibuſdam Fratribus.*) Quorum Dux fuit B. *Bartholomæus, Parvus* nuncupatus.
6. *Secundi.*) Legendum: *XXII.*
7. *Nos.*) *Vos.*
8. *Nos.*) *Vos.*
9. *Noſtro.*) *Veſtro.*
10. *Confirmando.*) *Conformando.*
11. *Nos.*) *Vos.*
12. *Noſter.*) *Veſter.*
13. *Noſtrorum.*) *Veſtrorum.*
14. *Habeant.*) *Habet.*
15. *Annuentur.*) Forſan *annumerentur.*
16. *De.*) Superflua videtur hæc vox.
17. *Noſtrum.*) *Veſtrum.*
18. *Noſtrum.*) *Veſtrum.*

Provinciali Aragoniæ, ut Cœnobium in Villa S. Matthæi Dertuſenſis (1) Diœceſeos conſtituere poſſit.

Anno 1356 Die 4 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Prȩdicatorum, Provinciȩ Aragoniȩ, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrȩ Religionis veſtrȩ, in qua devotum redditis Deo famulatum, devotio promeretur, ut votis veſtris, in his prȩſertim, quȩ divini cultus, & ipſius religionis augmentum reſpiciunt, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod vos cum Apoſtolicȩ Sedis licentia, & dilecti filii Magiſtri S. Mariȩ de Munteſie Ordinis Calatravenſis (3), Valentinȩ (4) Diȩceſis, & nonnullorum nobilium, & aliorum de Regno Valentiȩ, ad B. Dominicum, & Ordinem veſtrum devotionem habentium ſpecialem, auxilio, quod pro ſuarum animarum, vobis pie, & fideliter offerunt, deſideratis ad Omnipotentis Dei gloriam, & Chriſti fidelium animarum ſalutem, fundare, & conſtruere unum locum veſtri Ordinis in Villa S. Matthȩi Dertuſenſis Diȩceſis, prȩſertim, cum nec ibidem, nec prope ad aliquas dietas, locus, ſeu Conventus aliquis dicti Ordinis exiſtat. Nos itaque qui prȩmiſſorum, cultus, religionis augmentum, veſtrique Ordinis propagationem ferventer appetimus, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis pro uſu, & habitatione Fratrum veſtri Ordinis, recipiendi, fundandi, & conſtruendi in Villa prȩdicta in loco tamen ad hoc congruo, & honeſto, unum locum (5), ſeu Oratorio, Campanile, Campana, Cȩmeterio, & aliis neceſſariis officinis, dummodo ibidem duodecim Fratres veſtri Ordinis decenter valeant ſuſtentari, fel. rec. Bonifatii Papȩ VIII Prȩdeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne Fratres Ordinis mendicantium in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocunque, conventus de novo recipere prȩſumant, abſque Sedis Apoſtolicȩ licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia Conſtitutione, contrariis, nequaquam obſtantibus, jure tamen Parochialis Eccleſiȩ, & cujuslibet alterius ſemper in omnibus ſalvo, plenam, & liberam auctoritate apoſtolica licentiam elargimur. Vobis nihilominus eadem auctoritate apoſtolica tenore prȩſentium concedentes, quod locus prȩdictus, cum conſtructus, & fundatus fuerit, ut prȩfertur, cum perſonis dicti Ordinis, quȩ in eo degent pro tempore, omnibus privilegiis, libertatibus, & indulgentiis, Ordini veſtro ab Apoſtolica Sede conceſſis, perpetuo gaudeat, & potiatur. Nulli ergo &c. noſtrȩ conceſſionis infringere &c. Datum Avinione II Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Concedit ut ſupra.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Dertuſenſis.*) Vulgo *Tortoſa*, in *Hiſpania Tarraconenſi.*
2. *Archivo,*) In quo Exemplar ex Autographo, quod aſſervatur in Cœnobio *Dertuſenſi.*
3. *Calatravenſis.*) Eſt Ordo Militaris, inſtitutus in *Hiſpania*, approbatus ab *Alexandro III*, & ab *Innocentio III* confirmatus. Adeas *Miræum* de *Ordinibus Equeſtribus*, *Franciſcum de Acugna de origine & progreſſu Ordinis Calatravenſis*, & *Michaelem Maragnon* de *Origine & Inſtitut. Ordinis Calatravenſis.*
4. *Valentinæ.*) In *Hiſpania.*
5. *Locum.*) Adderem: *Cum Eccleſia.*

Anno 1356
Die 30 Junii.

Ordinem Armenorum (1) probans, decernit, ut ex Inſtitutis Fratrum Prædicatorum vitam agant Armeni; & juris ac poteſtatis ſint Magiſtri Generalis Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Prioribus, & Fratribus Domorum Armenorum citra mare conſiſtentium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. CUpientibus a ſeculi vanitatibus elongari, & relictis mundanis illecebris virtutum Domino ſibi (3) regulari obſervantia famulari, ut in ea ſecularibus curis exuti, per viam ſalutis liberius currere poſſint ad bravium, Apoſtolicum convenit prębere conſenſum, ut cum in hujuſmodi ſuo propoſito ſe ſoveri conſpexerint, in eo fortius exardeſcant. Sane petitio, pro parte veſtra nobis exhibita, continebat, quod vos cupientes obſequiis divinis ſecurius inſiſtere, regularis vitę obſervantiam aſſumpſiſtis, & illam ex tunc tenuiſtis, & obſervaſtis, nulla ſuper hoc a Sede Apoſtolica, vel locorum Ordinariis obtenta licentia, & nonnullas domos, cum Eccleſiis, cęmeteriis, campanilibus, & campanis, & aliis neceſſariis officinis conſtruxiſtis, & conſtrui feciſtis, & nonnullos, poſſeſſiones, & redditus, alias licite, acquiſiviſtis; Et quia hujuſmodi licentia per vos obtenta non extitit, & etiam quia Priorem aliquem Generalem (4) ſub cujus regimine more aliorum Religioſorum gubernari poſſetis, non habuiſtis, nec habetis,

Hujuſce Diplomatis cauſa. multa inter vos ſcandala fuerunt ſubſecuta, & tanquam Oves Paſtore carentes fuiſtis diutinis temporibus evagati. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis ſtatui meo (5), & animarum veſtrarum ſaluti providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui piis illorum deſideriis, per quę via paratur ſecurior ad ſalutem, libenter impertimur aſſenſum, volentes ſuper his paterna ſolicitudine providere, veſtris ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, pręſentium

Mandatum. tenore, ſtatuimus, quod in domibus, ſeu locis veſtris Ordo Canonicus, ſecundum Deum, & regulam Beati Auguſtini. quam exponunt (6) vobis, & ſucceſſoribus veſtris, auctoritate prędicta, concedimus perpetuis futuris temporibus obſervetur. Illamque, vos, & veſtrum ſinguli, cupientes inibi ſub regulari habitu virtutum Domino famulari, habeatis de cetero profiteri; ita tamen, quod ſecundum illam, ac etiam inſtituta Fratrum Ordinis Pędicatorum, preterquam in habendo poſſeſſiones, & redditus in communi, ac in eſu carnium, in quibus vobis permittimus, ut vos aliis Religioſis dicti Ordinis Sancti Auguſtini regulariter viventibus conformare poſſitis, vivere debeatis. Inſuper vobis auctoritate Apoſtolica concedimus, ut in veſtris, quę ad pręſens habetis, & in aliis Domibus, ſive locis, quę in futurum, pręſtante Domino, acquirere canonice vos continget, Eccleſias, cum Cęmeteriis, campanilibus, &

Clauſula derogans. campanis conſtruere ſeu conſtrui facere, & habere, abſque tamen alieni juris pręjudicio, perſonas etiam, quę de ſeculo fugientes ad Religionem veſtram tranſire voluerint ad profeſſionem ſecundum Regulam Sancti Auguſtini, & Inſtituta pędicta, in Fratres recipere & admittere licite valeatis. Ut autem in pędictis, & aliis regularibus obſervantiis, formaque vivendi, poſſitis plenius inſtrui, & ſecundum eas laudabiliter impendere Domino famulatum, eadem auctoritate ſtatuimus, quod primus Prior Generalis veſter de dicto Ordine Pędicatorum eſſe debeat (7), cujus ſalubribus, & monitis, & mandatis per vos in ſpiritualibus, & temporalibus efficaciter, & devote pareri, volumus, & intendi; quodque eo cedente, vel decedente, liceat vobis Priorem Generalem de Ordine veſtro eligere, qui eo ipſo quod per vos, vel majorem partem veſtrum canonice electus fuerit, abſque alia confirmatione veſter Prior Generalis exiſtat, cui ſimiliter in ſpiritualibus & temporalibus exhibere teneamini obedientiam, & reverentiam debitam & devotam; ac nihilominus poſt veſtram profeſſionem hujuſmodi Magiſter Fratrum dicti Ordinis Pędicatorum, qui eſt, & erit pro tempore per ſe, ſeu Vicarium ſuum, talem, & tantam in viſitando, corrigendo, & reformando veſtrum Ordinem, in capite, & in membris, poteſtatem habeat, qualem, & quantam in ipſo Pędicatorum Ordine noſcitur obtinere, felicis recordationis Clemen-

Sanctio pœnalis. tis Papę V Pędeceſſoris noſtri, ac Apoſtolicis, & aliis quibuſcunque conſtitutionibus contrariis, non obſtantibus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum conceſſionis & ſtatutorum infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Dięceſis II Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Armenorum.*) Tunc Monachorum *S. Baſilii*, ut liquet ex *Galano Conciliation. Eccleſiæ Armenæ cum Romana Cap.* XXX *num.* XI *Parte I Hiſtoriali pag.* 511. Vide *Conſtitutionem datam* XXXI *Januarii* MCCLVI.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar in *Bullario Bononienſi fol.* 19, ex Authentico *Bononiæ* aſſervato.

3. *Sibi.*) *Sub.*

4. *Generalem.*) Hinc Magiſter *Johannes Chernacenſis* in *Epiſtola* ad *Fratres Armenos Unitos*, apud *Galanum* mox laudatum, hæc habet numero XXXIX pag. 520. *Tunc ego, ad Latinos in occidentem profectus, petii almam Urbem Romam, ubi poſtquam plurima præſens vidi, & audivi, quibus plene de totius noſtræ fidei veritate, quam S. Romana profitebatur Eccleſia, certior factus fui, animadverti, non modo populum noſtrum a rectis Chriſtianæ fidei ſemitis deviare, verum noſtros etiam Monachos, a Canonibus Sanctorum Patrum aberrantes, non habere Ordinem, neque Regulam, neque Conſtitutiones, neque Capitula, nec paupertatis, & obedientiæ vota, ſed quemlibet eorum negotiationibus, atque uſuris addictum, ultro citroque pro voluntate circumvagare, ita denique inculte ruditerque vivere, ut carerent Comitiis tum Provincialibus, tum Conventualibus, nec Provinciales Superiores haberent, neque Priores, neque Viſitatores, nec ullos demum ſui Ordinis zelatores, ſed unaſquiſque pro ſua voluntatis deſiderio regeret ſemetipſum. Videns ergo, omnia iſta apud Latinos perfectiſſime obſervari, deficere vero in noſtris Monachis, nimio zelo affectus ſum, ac diu noctuque cogitabam, quonam modo potuiſſem Monachorum Armeniæ, eorumque Monaſteriorum, & Conſtitutionum reformationi proſpicere. Quapropter in Orientem reverſus, ego & ſocii mei votum fecimus vivendi religioſe juxta Regulam S. Auguſtini, & Conſtitutiones S. Dominici, quem & habere propoſuimus tanquam Patrem, fundamentum, ac principium noſtræ Congregationis, emiſſaque Religionis profeſſione in manu cujuſdam*

Do-

Digitized by Google

Domini Johannis (Ordinis Prædicatorum) *genere Latini, qui a Romano Pontifice* (Johanne XXII) *miſſus fuerat cum plenitudine poteſtatis Epiſcopus* Urbis *Theſiis; electus fui a ſociis juxta facultatem, ab eodem Epiſcopo nobis traditam, Superior Provincialis noſtri Ordinis* Unitorum.

5. *Meo.*) *Veſtro.*

6. *Exponunt:*) Legerem :*expreſſe.*

7. *Debeat.*) Hinc etiam Magiſter *Johannes* in *Epiſtola* mox laudata ſic loquitur numero XLII pag.521:*Cum igitur noſtra reductionis ad veram fidem, atque reformationis noſtrorum Monachorum auctores extiterint Fratres Prædicatores S. Dominici, eaque de cauſa Congregatio noſtra ſuper Ordinem eorum fundata eſt: Volumus idcirco, ut Fratres prædicti a nobis tanquam Patres, Auctores, & Magiſtri noſtri habeantur eiſque honor præcipuus a toto Ordine noſtro exhibeatur: ac inſuper, quod nihil inter nos fiat, niſi per inſtructionem, & definitionem ipſorum, neque ſine illorum præſentia ullum a nobis Capitulum celebretur. Immo pro viribus curabimus, ut in cunctis noſtris Monaſteriis ſemper aliquot eorum reſideant, habentes tanquam Patres cum honore debito, prima loca. In omnibus denique dubiis ad fidem pertinentibus, dummodo ad Sedem Apoſtolicam recurſus haberi nequeat, pro ipſorum ſententia ſtabimus.* Hæc ſeculo *XIV* gentilibus ſuis ſcribebat Magiſter *Johannes.* Gallus autem, vir clariſſimus D. *Joſephus de Tournefort*, qui paucis ab hinc annis regiones illas peragravit, & *Pariſiis* obiit XXVIII Decembris *MDCCXXVIII*, hæc de *Armenis* habet in *Itinerario Orientali Epiſt.* XX, Gallice conſcripto. *Armeni* Religioſi, vel Schiſmatici ſunt, vel Catholici. Schiſmatici Regulam *S. Baſilii* profitentur. Catholici nomen dederunt Ordini *S. Dominici*. Provincialem creat Generalis Magiſter Prædicatorum. Anno circiter *MCCCXX*, Johanne XX*II* Summo Pontifice, P. *Bartholomæus* Dominicanus plures *Armenos* evulſit ab erroribus, & ejuſdem Ordinis varia Cœnobia conſtituta fuerunt ab ipſo. Quædam nunc etiam florent in *Naſcivanenſi* Provincia . . . Ibi Fratres Prædicatores *Armeni* vitam degunt. Ut autem ſarta tecta præcepta patrum Religioſi habeant, a teneris unguibus identidem Romam nonnulli mittuntur, ibique ſacras ejuſdem Ordinis leges edocentur.

Ut F. Nicolaus (1) Cardinalatus onus ſuſcipiat.

Anno 1356 Die 23 Decembris.

Ex Diago Hiſtor. Provin. Aragon. Lib. I Cap. XXIII pag.44.

VIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao, olim Priori Fratrum Prędicatorum Provincię Aragonię, Sanctę Romanę Eccleſię Presbytero Cardinali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SUmmus olim magiſter & opifex ore prophetico inquiens: Suſcitabo tabernaculum David, quod cecidit; ac poſt pauca ſubinferens: & ea quę corruerant inſtaurabo: Vicarios ſuos, pro tempore futuros, inſtruxit in Eccleſia ſua reparare quę decidunt, & ut neceſſarios Miniſtros ipſius, quos fortis humanę fragilitas frequentius ſubtrahit, & diutius manere non ſinit, remedio viciſſitudinarię ſubſtitutionis inſtaurent. Hinc igitur Nos, non ſine amaritudine recenſentes, ſolemnes a paucis retro temporibus in eadem Eccleſia cecidiſſe columnas, & multiplicatas in ea ex multorum Cardinalium ſubtractione ruinas, illas, hujuſmodi ſequentes doctrinam, cum Fratribus noſtris ipſius Eccleſię Cardinalibus frequenti & perpenſa deliberatione pręhabita, implere ſtuduimus, ad miniſteriorum vices, aliis dilectis, ut credimus, & electis a Domino, de ipſorum Fratrum conſilio, ſurrogatis, ut eidem pię matri Eccleſię pro patribus filii naſcerentur, quorum conſilio dirigi poſſet in dubiis & fulciri ſuffragiis in adverſis, inter quos ad perſonam tuam, quam virtutum Dominus multis virtutibus inſignivit, noſtrę conſiderationis aciem dirigentes, te ad hujuſmodi miniſterii onus aſſumpſimus, & ad Cardinalatus honorem duximus promovendum, aſſignaturi tibi Titulum juxta morem. Ideoque diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus onus, Apoſtolica conſideratione humeris tuis impoſitum, ſuſcipiens reverenter, ad pręſentiam noſtram abſque moroſę diſpendio tarditatis accedas (2), nobiſcum divinis obſequiis, & ejuſdem Eccleſię ſervitiis vacaturus. Datum Avinioni X Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Nicolaus Cardinalis creatur.

1. *Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.* Conſulendus *Diago a pag.* 43 ad 46. Adeas etiam Auctores laudatos in *Appendice.*

2. *Accedas.*) *Roſellius Avenionem, quo Apoſtolicis literis honorifice, paramanterque invitabatur, continuo perrexit,* inquit *Echard* Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXII pag.650 col.II, *& ab Innocentio tum Pileum, tum Titulum S. Sixti accepit, quem ad obitum uſque retinuit. Mutato vero ſtatu priſtinum vitæ genus non mutavit, ſed ubique quantum ſibi pro negotiis, & dignitate integrum eſſet, cum ſuis Fratribus, velut unus ex illis ſemper aderat, ut Majoricæ contigit, ubi publicæ cuidam ſupplicationi ibidem quotannis ultima quaque anni die fieri ſolitæ, ac ſolemnitati, cum ceteris ejuſdem Conventus ſodalibus intereſſe voluit.*

Inſtituit (1) Conſervatores, qui Decretalem Bonifatii VIII, quæ incipit *Super cathedram* ſervandam curent in Anglia.

Anno 1357 Die 25 Auguſti.

Ex *Bullario Carmelitano in Innocentio VI Conſt.XVII Parte I pag.97.*

IX.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Weſtmonaſterii, Priori S. Bartholomęi Smethefeld per Priorem ſoliti gubernari, Monaſteriorum, London. Diœceſis, ac Archidiacono London., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FRequentes hactenus &c. (2). Inſuper etiam ex parte venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi London., & dilectorum filiorum Capitulorum Majorum, ac aliarum Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis London., necnon Pręlatorum, Conventuum, Priorum, Rectorum, Curatorum, Sacerdotum, & Vicariorum Parochialium, ac Cleri tam Regularium, quam Secularium Civitatis, & Diœceſis prędictarum, Nobis extitit intimatum, quod prędicti eorundem Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres contra tenorem Decretalis ejuſdem multa eiſdem Epiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Conventibus, Prioribus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, & Vicariis, & Clero, & eorum ſingulis gravamina, & injurias inferunt, & jacturas &c. (3). Datum Avenione VIII Kalend. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Inſtituit.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullar, Tomo ultimo Tit.VII & IX.*
2. *Hactenus &c.*) Ut in *Conſtitutione data XI Julii MCCCXLIII* ad hæc uſque verba: *Partibus inferuntur.*
3. *Jacturas &c.*) Ut in eodem ad finem uſque.

Anno 1358 Die 24 Januarii.

F. Petrus Simon (1) Epiſcopus Auximanus creatur.

Ex Ughello in Epiſcop. Auximatib. Tomo I Italiæ Sacræ pag.503 Edit.II.

X.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis populis Diœceſis Eccleſię Auximanę, olim cathedralis (2), immediate ſubjectę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter cetera, quę ſuperna diſpoſitione nobis imminent peragenda, ad id nimirum ſoliciti reddimur, ut viduatis Eccleſiis, pręſertim eidem Eccleſię immediate ſubjectis, tales pręficiamus in paſtores, per quorum induſtriam, & ſolicitudinem circumſpectam indemnitati earum provideatur ſalubriter, & Eccleſię ipſę in ſpiritualibus, & temporalibus proficere valeant incrementis. Sane Diœceſis Eccleſię Auximanę, olim cathedralis, prędictę Romanę Eccleſię immediate ſubjectę, ex eo paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos hodie venerabilem F. Magiſtrum Lucam (3) Fanenſem, tunc dictę Diœceſis Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo, quo dictę Diœc. ipſius Eccleſię Auximanę, cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Fanenſem, tunc vacantem, auctoritate Apoſtolica duximus transferendum, pręficiendo eum dictę Eccleſię in Epiſcopum, & paſtorem. Nos ad proviſionem ipſius Diœceſis dictę Eccleſię Auximanę celerem, & felicem, ne ipſa Diœceſis diu paſtore careret, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper hoc habuimus cum dictis noſtris Fratribus diligentem, demum ad dilectum filium Petrum Simonem de Æſculo, electum dictę Diœceſis ipſius Eccleſię Auximanę, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędirum, vitę ac morum honeſtate decoratum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum percepimus teſtimonio, laudabiliter inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis: quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona ipſius Petri Simonis Electi dictę Diœceſis ipſius Eccleſię Auximanę, de prędictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate prędicta providimus, ipſumque illi pręfecimus in Epiſcopum & Paſtorem curam & adminiſtrationem ipſius Diœceſis ſibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod pręfata Eccleſia & Diœceſis ſub ipſius Electi felice regimine, gratia ſibi aſſiſtente divina, grata ſuſcipiet incrementa. Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus eundem Electum, tanquam patrem & paſtorem animarum veſtrarum devote ſuſcipientes, & debita honorificentia proſequentes, ipſius ſalubribus monitis, & mandatis humiliter intendatis, ita quod ipſe in vobis devotionis filios, & vos ſubſequenter in eo patrem inveniſſe benevolum gaudeatis. Datum Avenione IX Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Lucas ad Eccleſiam Fanenſem transfertur.

F. Petrus Simon Epiſcopus conſtitutus.

1. *Petrus Simon.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Olim Cathedralis.*) Johannes enim XXII, Epiſcopali dignitate privaverat *Auximanam* civitatem. Hinc *Lucas* hoc in Diplomate vocatur Epiſcopus *Auximanæ* Diœceſis, non vero *Auximanæ* civitatis.
3. *Lucam.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

Anno 1358 Die 1 Octobris.

Archiepiſcopis, & Epiſcopis Angliæ, ne Fratres Mendicantes moleſtiis afficiant (1).

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLVII pag.63.

XI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus univerſis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, in Regno Anglię conſiſtentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

GRavem dilectorum filiorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum Ordinum Fratrum querelam accepimus, continentem, quod ipſi tam prętextu quarundam prędicationum in Regno Anglię per nonnullos contra ſtatum dictorum Fratrum, illum de facto depravantium, & condemnantium, & non eſſe in ſtatu ſalutis, falſo aſſerentium, olim factarum, quam quęſtionis, quę inter venerabilem Fratrem noſtrum Richardum Archiepiſcopum Armachanum, ex parte una, & Fratres prędictos, ex altera, ſuper nonnullis articulis per partes ipſas hinc inde propoſitis, coram quibuſdam ex Venerabilibus Fratribus noſtris S.R.E. Cardinalibus ex commiſſione noſtra apud Sedem Apoſtolicam pendere dignoſcitur, in Confeſſionibus Chriſti fidelium audiendis, prędicationibus Verbi Dei, & libera ſepultura, necnon & eleemoſynis eis fieri ab eiſdem Fratribus conſuetis, quas eis facere, aſſerunt mendaciter eſſe peccatum, contra juſtitiam, impediuntur, & etiam perturbantur in ipſorum Fratrum pręjudicium, & maximam lęſionem. Quare pro ipſorum parte fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ipſis ſuper hoc paterna ſolicitudine curaremus. Nos igitur, ęquum, & congruum reputantes, quod hujuſmodi lite pendente nihil per alterutram partium in ipſarum partium, & litis pręjudicium debeat innovari; Univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatenus Fratres ipſos in prędictis confeſſionibus, prędicationibus, & ſepulturis, ac eleemoſynis non impediatis, nec per veſtros ſubditos impediri etiam permittatis. Per prędicta autem non intendimus liti prędictę aliquod prędjudicium generari, nec ea pendente quicquam, ut pręmittitur, volumus innovari. Datum Avinioni Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Cavet ut ſupra.

1 Aſ-

1. *Afficiant.*) *Magna excitata eſt ſub hoc tempus tempeſtas in Anglia contra quatuor Ordines Mendicantes, prædicantibus quibuſdam adverſus hoc vitæ genus, & aſſerentibus non eſſe in ſtatu ſalutis illius profeſſores. Plurimis Eccleſiarum Prælatis, & Parochis non diſplicuit improbum hoc adverſantium ſtudium, qui nimis ægre ferebant, privilegiis multis Regulares à ſuo divelli imperio, apud Principes ſummo honore coli, populorum beneficentia abunde ali, commodis ædificiis multiplicari, doctrinæ, & virtutis nomine paſſim communi Clero præferri. Aliud magis pungebat, cenſus decrementum; miniſtrantibus enim libere Religioſis Sacramenta, præſertim Pœnitentiæ, quotidianum lucrum, & populi erga ſe ſtudium ſentiebant imminui. Obloquentes proinde non corripuerunt, nec Regulares protexerunt, ſed ſecretis quibuſdam machinis ſupplantare ſtuduerunt, donec palam occurrendum fuit publicis Religioſorum querelis.* Hinc præſens Conſtitutio. Ex *Waddingo Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLVII num. III pag. 62.* Conſulendus idem *Waddingus num. IV, V, & VI.* De his in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII, & IX.* Adeas etiam *Odoricum Raynaldum Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLVIII num. V, & VI,* ubi varios Auctores hac de re laudat.

2. *Waddingo.*) Legitur etiam apud *Odoricum* mox citatum.

Moniales Ordinis Prædicatorum quibuſcunque Tributis ſolvendis eximit (1).

Anno 1359 Die 10 Auguſti.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. fol. 304, & 313.

XII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Guidoni Portuenſi, Ægidio Sabinen., Epiſcopis, Apoſtolicę Sedis Legatis, & aliis quibuſcunque ejuſdem Sedis Legatis, Nunciis, ac Collectoribus, & Subcollectoribus Decimarum, & aliarum quarumcunque ſubventionum, in Italię, Alemannię, Francię, Hiſpanię, & aliis quibuſcunque partibus per Sedem eandem, pro ſe, ſeu Regibus, vel Principibus, aut aliis impoſitarum, ſeu eis conceſſarum, necnon Procurationum aliorum Legatorum, & Nunciorum dictę Sedis, qui inibi pro tempore prętérito extiterunt, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Petitio pro parte dilectarum in Chriſto filiarum univerſarum Prioriſſarum, Monialium, & Conventuum, Monaſteriorum, Prioratuum, & aliorum locorum Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, nobis exhibita, continebat, quod licet ipſę vigore privilegiorum eis a Sede Apoſtolica conceſſorum a ſolutione procurationum Legatorum, & Nunciorum dictę Sedis, necnon Decimarum, & aliarum quarumcunque ſubventionum, quę per Sedem ipſam pro tempore imponuntur, ſeu conceduntur, omnino exemptę, liberę, & immunes exiſtant, hujuſmodi procurationes, decimas, ac ſubventiones ſolvere, aut in eis contribuere minime conſueverunt. Vos tamen eas ad ſolvendum procurationes vobis, Legatis, & Nunciis, necnon aliis Legatis, & Nunciis dictę Sedis, qui inibi pro tempore prętérito extiterunt, debitas, ac decimas, & ſubventiones alias per Sedem ipſam, pro ſe, & Regibus, ſeu Principibus, ſeu aliis impoſitas, ſeu ipſis conceſſas, & contribuendum in ipſis per vos, vel alium, ſeu alios compellere ohtimini, & contra eas, & eorum Monaſteria, Prioratus, & Loca, diverſos propterea proceſſus feciſtis, ſuſpenſionis, excommunicationis, & interdicti ſententias, & pęnas alias continentes; propter quod ex parte nonnullarum, ex dictis Prioriſſis, Monialibus, & Conventibus fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum. Quare pro parte ipſarum Prioriſſarum, Monialium, & Conventuum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper iis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictas Prioriſſas, Moniales, & Conventus ad hujuſmodi, ſeu ſimiles procurationes, ſubventiones, & Decimas ſolvendum, ſeu in eis contribuendum contra Privilegia, & conſuetudines prędicta, per vos, vel alium, ſeu alios nullatenus compellatis, ac prędictos, ac alios quoſcunque proceſſus contra eas propterea factos ſine difficultate qualibet relaxetis, & relaxare faciatis. Datum apud Villam Novam Aveoionen. Dięceſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Supplex Monialium petitio.

Concedit ut ſupra.

1. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

2. *Archivo.*) In quo duplex exemplar authenticum ex Autographis aſſervatis in Cœnobio *de Tauro Zamorenſi*, & Monaſterio *Madritenſi S. Dominici.*

Salmanticenſes Fratres Prædicatores quibuſcunque Tributis ſolvendis immunes declarat (1).

Anno 1359 Die 31 Octobris.

Ex Arch. (2) Ord. lib. B. fol. 46.

XIII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Guidoni Epiſcopo Portuenſi, Apoſtolicę Sedis Legato, necnon univerſis, & ſingulis ejuſdem Sedis Nunciis, in partibus Hiſpanię conſtitutis, ac Collectoribus, & Subcollectoribus Procurationum aliorum Legatorum, & Nunciorum dictę Sedis, qui in ipſis Partibus pro tempore prętérito extiterunt, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Salmantin. petitio continebat, quod licet univerſi Fratres, Domus, & Loca dicti Ordinis vigore Privilegiorum eis a Sede Apoſtolica conceſſorum a ſolutione Procurationum exiſtant immunes, hujuſmodique procurationes ſolvere, aut in eis contribuere minime conſueverint, vos tamen ipſos Priorem, & Fratres Sal-

Supplex Fratrum petitio.

Salmantin., ad ſolvendum procurationes vobis, Legato, & Nunciis, necnon aliis Legatis, & Nunciis Sedis Apoſtolicę, qui in illis partibus pro tempore preterito extiterunt debitas, & ad contribuendum in eis, per vos, vel alium, ſeu alios compellere nitimini, & contra eos diverſos propterea proceſſus feciſtis, ſuſpenſionis, excommunicationis, & interdicti ſententias, & pęnas, alias continentes; propter quod pro parte dictorum Prioris, & Fratrum fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum. Quare iidem Prior, & Fratres nobis humiliter ſupplicarunt, ut eis ſuper hoc providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Priorem, & Fratres ad hujuſmodi procurationes ſolvendum, ſeu etiam in eis contribuendum, contra Privilegia, & conſuetudines hujuſmodi per vos, vel alium, ſeu alios nullatenus compellatis, & prędictos, ac alios quoſcunque proceſſus contra eos propterea factos, ſine difficultate qualibet relaxetis, & relaxari faciatis. Datum Avenioni II Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Eximit ut ſupra.

1. *Declarat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Salmanticenſi.*

Anno 1360 Die 15 Octobris.

Ut Cæſarauguſtanus (1) Antiſtes excommunicatione devinctos &c. declaret eos, qui Calatayubenſes (2) Fratres variis moleſtiis affecerunt.

Ex Archivo (3) Ordinis Lib. B. fol. 526.

XIV.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Cęſarauguſtano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Moleſtias exhibitas refert.

Significarunt nobis dilecti filii Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum domus de Calatayubio, Tiraſonenſis Diœceſis, quod cum olim certi homines, qui de Regno Aragonię banniti fuerant, ad prefatam Domum, ut in ea mortis vitarent periculum, confugiſſent, nobilis Vir Jordanus Petrus Durriea Gubernator Aragonię, & quidam ſui, in ea parte complices, ad dictam domum, cauſa capiendi dictos homines accedentes, domum ipſam ejuſque dormitorium, fractis, dirutis, & ad terram proſtratis januis domus, & perforatis parietibus dormitorii ejuſdem, manu armata, & cum magno impetu, intraverunt, & in nonnullos ex dictis Fratribus, non abſque plagis, & ſanguinis effuſione, manibus injectis, Dei timore poſtpoſito, auſu ſacrilego, temere violentis; ac deinde fractis januis dicti dormitorii, dictos homines, qui in quadam Cella dictę domus exiſtebant, ipſius Cellę janua fracta, & per dictum Gubernatorem uno ex dictis hominibus graviter vulnerato, & etiam quendam Fratrem dictę domus, de ipſa domo, & ſolo eccleſiaſtico ejuſdem domus, illius immunitatem violando, ejecerunt, & captos, & catenis ligatos, manibus ipſorum retro ligatis, ad forum dicti loci de Calatayubio duxerunt; idemque Gubernator eoſdem homines, contra ipſos ſuper hoc per eum ſententia lata, decollari mandavit, & fecit, dicto Fratre ſic ligato ad judicem eccleſiaſticum dicti loci remiſſo, & inſuper per certos familiares ſuos, quoſdam ex dictis Fratribus, qui ad prędicandum, & pro certis negotiis ipſorum Prioris, & Fratrum incedebant, cum lapidibus vulnerari auſu ſimili mandavit, & fecit; & nonnullas alias ipſi Priori, & Fratribus intulit, & inferri fecit injurias, & jacturas; ſuper quo dicti Prior, & Fratres ad Apoſtolicę Sedis remedium humiliter recurrerunt. Quocirca Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi tibi de hujuſmodi manuum injectione, prędicti Fratris ejectione, captione, ductione, & vulneratione ipſorum Fratrum conſtiterit, eundem Jordanum, & familiares, & alios quos in his culpabiles eſſe repereris, tamdiu, auctoritate noſtra, excommunicatos publice nuncies, & facias ab omnibus arctius evitari, donec ſuper his congrue ſatisfecerint, & cum Literarum tuarum teſtimonio ad Sedem venerint Apoſtolicam abſolvendi. Super aliis vero, vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod Canonicum fuerit, appellatione remota, decernas; faciens, quod decreveris, per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Non obſtante, ſi aliquibus communiter, vel diviſim a prefata ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Avenion. Idibus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Mandatum.

1. *Cæſarauguſtanus.*) In *Hiſpania Tarraconenſi.*
2. *Calatayubenſes.*) In *Aragonia* Regno.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Barchinonenſi.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Innocentio VI Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS,

F. Nicolaus Roſell, Majoricenſis, S. R. E. Cardinalis tituli S. Sixti, *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLII pag.* 536. *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. I Cap. XXIII pag.* 43. *Leander Albertus de viris illuſtrib. Ord. Prædicatorum. Nicolaus Antonius Biblioth. Hiſpan. Vet. Lib. IX Cap. VI. Ludovicus Jacob Biblioth. Pontif. Cavalerius Tomo II pag.* 199 *num. IV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II num. XVII pag.* 23 *ex S. Antonino, Fernandez, Plodio, & Olmeda. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXII pag.* 649.
Anno 1356 Die 23 Decembris.

ARCHIEPISCOPI,

F. Simon Jatumæus, vel Sacumæus, aut Tacumæus, ſic enim variant Scriptores, ex Epiſcopo Hieracienſi, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Thebanus. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLVII pag.* 737, *ex Sixto Senenſi, Auguſtino Juſtiniani, & Leone Allatio.*
Circa Annum 1355.

F. Pirrus Sambiaſe, Neritenſis, ex Epiſcopo Velienſi, ut hac in *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Brunduſinus, in Regno Neapolitano. *Cavalerius Tomo I pag.* 143 *num. CLXXXV, ex Valle.*
Circa Annum 1355.

F. Thomas Clahnchenſis, Armenus, Archiepiſcopus Naſcivanenſis, in Armenia Majori. *Galanus Conciliat. Eccleſ. Armen. cum Romana Cap. XXX num. LXIII pag.* 5. 8 *Parte Hiſtoriali. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. IX pag.* 55. *Cavalerius Tomo I pag.* 141 *num. CLXXXIII.*
Anno 1356.

F. Matthæus de Coſtino, Archiepiſcopus Corinthius, in Peloponneſo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXIII pag* 70, *ex S. Antonino, Luſitano, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 146 *num. CXC.* De anno inter Auctores non convenit.
Circa Annum 1360.

F. Johannes Columna, Romanus, Archiepiſcopus Nicoſienſis, in Regno Cypri. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXIX pag.* 91, *ex Fernandez, & Plodio, Cavalerius Tomo I pag.* 146 *num. CXCI.*
Anno 1360.

F. Guillelmus Lemovicenſis, alumnus Provinciæ Toloſanæ, ex Epiſcopo Lombarienſi, ut mox dicetur, Archiepiſcopus Beneventanus, *Benevento*, in Italia. *Taegius in Monumen. Ordinis. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIII pag.* 60, *ex Gallia Chriſtiana. Ughellus in Archiep. Beneventan. Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 150 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 148 *num. CC.*
Anno 1360.

F. Bartholomæus de Papazurris ex Epiſcopo Theatino, ut in hac *Appendice* videre eſt, Archiepiſcopus Patracenſis, *Patras*, in Achaja. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXIV pag.* 93, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 151 *num. CCXVI.* Ejuſdem meminit *Echard* laudatus in præcedenti *Appendice*, ubi *Bartholomæus* noſter inter Epiſcopos recenſetur.
Anno 1362.

EPISCOPI.

F. Gualterus Bituricenſis, Epiſcopus Lucionenſis, *Luſſon*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCL pag.* 220, *ex Taegio, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 140 *num. CLXXXI.*
Anno 1353.

F. Petrus Lopez de Aquiar, Hiſpanus, Epiſcopus Lucenſis, *Lugo*, in Gallæciæ Regno, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLVII pag.* 219, *ex Ægidio, in Theatro Lucenſis Eccleſiæ. Cavalerius Tomo I pag.* 144 *num. CLXXXVII.*
Circa Annum 1353.

F. Bartho-

Anno 1353. **F.** Bartholomæus de Papazurris, ex Epiſcopo Theanenſi, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Theatinus, *Chieti*, in Aprutio. *Ughellus in Epiſcop. Theatin. Tomo VI Italia Sacra pag.* 743, *ex Regeſt Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CI pag.* 104. *Cavalerius*, *Echard &c.* ſupra laudati. Nunc Metropolis eſt Eccleſia *Theatina*. Archiepiſcopum *Patracenſem* fuiſſe *Bartholomæum* mox dictum eſt.

Circa Annum 1353. **F.** Pirrus Sambiase, Neritenſis, de quo inter Archiepiſcopos hujus *Appendicis*, Epiſcopus Velienſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 143 *num. CLXXXV*, *ex Valle*.

Circa Annum 1354. **F.** Simon Jaturnæus, de quo inter Archiepiſcopos hujus *Appendicis*, Epiſcopus Hieracienſis, vulgo *Geracuos*, in Bulgaris. ſub Archiepiſcopo Ternobenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLVII pag* 737, ex variis Auctoribus, quos laudat.

Anno 1355. **F.** Angelus Acciaioli, ex Epiſcopo Florentino, ut in præcedenti *Appendice* videre eſt, Epiſcopus & Abbas Caſinenſis, *Monte Caſino*, in Regno Neapolitano. *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 576 *Edit. II*. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Anno 1357. **F.** Nicolaus de S. Martino, Epiſcopus Maceratenſis, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus etiam Recanatenſis, creatus eſt, *Recanati*, in Piceno. *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1220 *Edit. II*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXXVIII pag.* 278, *ex Plodio*. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Anno 1357. **F.** Thomas Ringſtede, Anglus, Epiſcopus Bangorenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 127 *num CCXLII & pag.* 696 *num. IX*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXV pag.* 652, *ex Godwino*, aliiſque, quos laudat, & emendat.

Anno 1358. **F.** Lucas Manellus, ex Epiſcopo Auximano, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Fanenſis, *Fano*, in Umbris, Immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Fanen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 666, *& in Epiſcop. Auximan. pag.* 503 *Edit. II*, *ex Regeſto Vaticano*. *Cavalerius Tomo I pag.* 147 *num. CXCV*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLI pag.* 191. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXIII pag* 652. Emendandi tamen *Echard*, ceterique docentes, *Lucam* anno *MCCCLX* ex *Auximana* Sede ad *Fanenſem* translatum fuiſſe, *Innocentius VI* ſiquidem in *Conſtitutione X* data IX Kalendas Februarii, Pontificatus anno Sexto, Chriſti MCCCLVIII, hæc habet: *Hodie venerabilem F. Magiſtrum Lucam Fanenſem, tunc dictæ Diœceſis* (Auximanæ) *Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo, quo dictæ Diœceſis ipſius Eccleſiæ Auximanæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Fanenſem, tunc vacantem, auctoritate Apoſtolica duximus transferendum*.

Anno 1358. **F.** Petrus Simon de Maſſæia, Aſculanus, Epiſcopus Auximanus, *Oſimo*, in Piceno, Immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Auximan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 503 *Edit. II*. *Conſtitut. X Innocentii VI*. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 621. *Cavalerius Tomo I pag.* 170 *num. CCLXXVII*.

Circa Annum 1358. **F.** Ricardus de Thedaldia, Florentinus, alumnus Cœnobii S. Mariæ Novellæ, Epiſcopus Calenenſis, *Carinola*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXIX pag.* 155, *ex Ughello*, *& Monumentis Convent. S. Mariæ Novellæ*. *Cavalerius Tomo I pag.* 148 *num. CCI*.

Anno 1358. **F.** Henricus de Grandonibus, Florentinus, alumnus Cœnobii S. Mariæ Novellæ, Epiſcopus Sueſſanus, *Seſſa*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Ughellus in Epiſcop. Sueſſan. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 539 *Edit. II*, *ex Regeſto Vaticano*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXIV pag.* 300. *Cavalerius Tomo I pag.* 148 *num. CXCIX*.

Anno 1358. **F.** Bernardus de Agrevolo, Epiſcopus Crotonenſis, *Cotrone*, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Ughellus in Epiſcop. Crotonen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 385 *ex Regeſt. Vatican. Epiſt. XVII pag.* 21 *An. VI*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCVII pag.* 181. *Cavalerius Tomo I pag.* 152 *num. CCXVII*.

F. Bernar-

F. Bernardus Noviuionus, Epiſcopus Plocenſis, in Maſſovia, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXI pag. 266, ex Ughello in Ms., Plodio, & Bzovio. Dominicus Frydrychowicz in Libro cui titulus: S. Hyacinthus Poloniæ Patronus &c. pag. 221. Cavalerius Tomo I pag. 150 num. CCIX.* Anno 1358.

F. Johannes Schandelant, ab aliis Scadland, Schadenland, & Schanland nuncupatus, Epiſcopus Culmenſis, *Culm*, in Pruſſia Regali, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Georgius Helwich in Prodromo Wormatien. Annal. pag. 39. Henricus Heiſter in Suffraganeis Colonien. Pantaleo in Proſopographia Parte II pag. 10*, aliique quos laudat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXIII pag. 672*. Ille ipſe eſt *Johannes Culmenſis*, de quo *Cavalerius Tomo I pag. 158 num. CCXLIII*. Emendandus autem videtur *Echard* Johannem *Schandelant*, a Johanne *Gzolant* non diſtinguens. Primo enim *Johannes* iſte, *Gzolant* ſcilicet, Epiſcopus fuit ſedente *Nicolao III*, ut in ipſius *Appendice* videre eſt, ille vero, *Schandelant* nempe, anno *MCCCLIII* die *XV* Julii munus Inquiſitoris obibat, nondum ad onus Epiſcopale promotus, ut liquet ex *Conſtitutione II Innocentii VI*. Secundo *Gzolant* Epiſcopatus *Culmenſem*, & deinde *Hildeſimenſem* duntaxat obtinuit, *Scandelant* vero *Culmenſis* primum, deinde *Hildeſimenſis*, poſtea *Wormatienſis*, *Auguſtanus* tandem Epiſcopus evaſit. Tertio *Johannes Gzolant* obiit *Hildeſiæ*, ibique ſepultus eſt in Eccleſia Cathedrali, ut docent *Dominicus Frydrychowicz*, & *Fontana* laudati in *Appendice ad Pontificatum Nicolai III*: quod autem *Johannes Schandelant* deceſſerit *Confluentiæ*, ibique ſepulturæ traditus ſit, conſtat ex his quæ habet *Echard pag. 672 col. II*, ubi hoc Epitaphium legitur. *Hic jacet Dominus Johannes Schadland de Colonia, Magiſter Theologiæ, Inquiſitor Hæreticorum, Epiſcopus Eccleſiarum Culmenſis, Hildesheimenſis, Wormatienſis, & Auguſtenſis, Ordinis Prædicatorum, qui obiit anno Domini MCCCLXXIII Kalendis Aprilibus*. Nec omittendum quod *Johannes Schandelant* hoc in Epitaphio dicitur *De Colonia*, quia, ut aſſerit *Gaſpar Bruſchius in Hildeſimen Epiſcopis*, Johannes *Schandelant* natus eſt *Coloniæ*; At *Johannes Gzolant POLONUS* fuit, Oriundus e *Buuczorum* familia. Hac difficultate jactatus *Martinus Hankius De Sileſiis indigenis eruditis Cap. XVII*, utrumque *Johannem* confundens, legendum cenſet: *Hic jacet Dominus Johannes Schadland de POLONIA &c.*, non vero *De COLONIA*. Sic nodum ſcindit iſte, non ſolvit. Verum quam debilis ſit hæc reſponſio, non dico, ipſamet loquitur. Anno 1359.

F. Guillelmus Aragonus, Epiſcopus Teralbenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXVIII pag. 305, ex Fernandez, & Lopez. Cavalerius Tomo I pag. 150 num. CCX.* Circa Annum 1359.

F. Antonius Senenſis, Epiſcopus Lunenſis, *Luna*, in Liguria, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLI pag. 221, ex Ugurgerio. Cavalerius Tomo I pag. 149 num. CCIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXIII pag. 651. Ughellus in Epiſcop. Lunen. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 854 Edit. II.* Circa Annum 1359.

F. Guillelmus Lemovicenſis, de quo inter Archiepiſcopos hujus *Appendicis* mentio eſt, Epiſcopus Lombarienſis, *Lombez*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Toloſano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLIV pag. 218, ex Taegio, Fernandez, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Anno 1360.

F. Johannes de Herderen, alumnus Cœnobii Moſæ-Trajectenſis, Epiſcopus Barenſis, in Helleſponto, ſub Archiepiſcopo Cyſico. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. II, ex Monumentis Conventus Moſæ-Trajecten.* Suffraganeum *Leodienſis* Antiſtitis fuiſſe Johannem, *Echard* docet ibidem. Anno 1360.

F. Petrus de Villiers, profeſſione Trecenſis, Epiſcopus Nivernenſis, *Nevers*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Senonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXVI pag. 249. ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag. 164 num. CCLVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord in Indice Epiſcopor pag. 23 col. I ex Monumen. Conventus Trecenſis, & ex G. du Peyrat pag. 326.* Ad Sedem *Trecenſem* translatum fuiſſe *Petrum*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XI*. Anno 1361.

F. Marcus Ardinghellus, ex Epiſcopo Pennenſi, ut in præcedenti *Appendice* dictum eſt, Epiſcopus Camerinus, *Camerino*. in Marchia Anconitana, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXIV pag. 151 ex Ughello, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 159 num. CCXLV.* Anno 1361.

F. Guillelmus Sudre, alumnus Provinciæ Toloſanæ, Epiſcopus Maſſilienſis, *Marſeille*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Dionyſius Sammarthanus in Nova Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag. 159 num. CCXLVII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXII pag. 229. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXIII pag. 670*, ubi varios Auctores vel excipit, vel emendat. Notat *Dionyſius Sammarthanus*, quod Anno *MCCCLXI* die *II* Septembris *Johannem Olerii* Officialem ſuum crea- Circa Annum 1361.

creavit *Guillelmus* noſter, & die X ejuſdem Menſis *F. Guillelmum de Maſſilia*, alias de *Rupevaria*, vulgo *Roque-vaire*, Ord. FF. Prædicatorum alumnum, Vicarium ſuum generalem conſtituit. S. R. E. Cardinalem fuiſſe *Guillelmum* dicetur in ſequenti *Appendice*.

Anno 1362. F. Petrus de Novio, Epiſcopus Nebienſis, *Nebbio*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXVI pag.* 246, *ex Taegio*, *& Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 149 *num. CCIV*,

Anno 1362. F. Johannes Scandelant, ex Epiſcopo Culmenſi, ut hac in *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Hildeſimenſis, *Hildesheim*, in Saxonia, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Echard*, ceterique ſupra laudati. *Wormatienſis* Epiſcopus fuit *Johannes*, ut in *Appendice ad Pontificatum Urbani V* dicetur.

LEGATI.

Circa Annum 1353. F. Johannes Schandelant, de quo ſæpius in hac *Appendice*, Legatus. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXIII pag.* 670,

Anno 1355 &c, F. Simon Lingonienſis, Generalis Magiſter Ordinis, Legatus ad Galliæ, & Angliæ Reges miſſus. *Cavalerius Tomo I pag.* 162 *num. CCLIV*, *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag* 356, *& Monumen. Dominican. Parte II Cap. VIII ad an. MCCCLV pag.* 224, *& ad an. MCCCLX pag.* 228. *Echard Tomo I Scriptor. Ord ad an. MCCCLII pag* 636 *&c*. Ceterum non una duntaxat, ſed variis Legationibus clarus fuit *Simon* noſter, ut ex Auctoribus mox laudatis videre eſt,

URBA-

Digitized by Google

URBANUS V.

Natione Gallus, Abbas S. Victoris Maſſilienſis, abſens electus (*a*) eſt Avenione XXIII Septembris MCCCLXII. Electionis Decretum ſubſignatum Maſſilia miſit Avenionem Die XXVII Octobris. Avenione inthronizatus eſt XXXI ejuſdem Menſis. Conſecratus tandem fuit ibidem VI Novembris eodem Anno MCCCLXII. Diem clauſit extremum (*b*) Avenione XIX Decembris MCCCLXX. Sedit a Die Electionis Annos VIII, Menſes II, Dies XXVI. A Die Inthronizationis Annos VIII, Menſem I, Dies XIX. A Die Conſecrationis Annos VIII, Menſem I, Dies XIV.

(*a*) Ex *Mſ. Vaticano.*

(*b*) Ex *Epiſtola Cardinalium ad Albanenſem Epiſcopum Urbani V fratrem.*

Fratribus Mendicantibus, ut Sacræ Theologiæ Magiſtros Pragam mittant, ibidem Theologiam profeſſuros (1).

Anno 1366 Die 11 Novembrir.

Ex Bullario (2) Carmelitano in Urbano V Conſt. XXVI Parte I pag. 128.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Minorum Miniſtro, ac Predicatorum, Eremitarum S. Auguſtini, & Sancte Marie de Monte Carmelo, Ordinum, Prinribus Fratrum, Provincialibus Provinciarum illarum, in quibur ſecundum morem ſingulorum Ordinum dictorum Regnum Bohemie conſiſtit; necnon Guardiano, Prinribur, & Fratribus domorum Pragenſium Ordinum predictorum, Salutem, & Apoſtnlicam Benedictionem. I.

ETſi ſacre Theologie ſtudio, per quam vere, & Cathnlice Fidei, eterneque Deitatis, & humane ſalutir, & ſummi boni habetur agnitio, ſit ubilibet inſiſtendum, in Generalibus tamen Studiis propter ſtudentium multitudinem, & concurſum circa ejus lecturam, tanto diligentius decet attendi, quanto in eis ejuſdem ſcientie veritar magis exquiritur; & ſi qua emergunt dubia, lucidius declarantur. Cupientes igitur, premiſſorum intuitu, necnon conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Carnli Romanorum Imperatorir ſemper Auguſti, ac Bohemie Regir Illuſtrir, ſuper hoc nobis humiliter ſupplicantis, quod Generale Studium, quod in qualibet licita facultate, & Apoſtnlice Sedis indultn viget in Civitate Pragenſi, que in Regno Bnhemie principaliter exiſtit, in ſacultate per bonorum ſufficientiam Magiſtrorum tanquam nova plantatin floreat, atque fructificet: diſcretionem veſtram hortamur attente, quatenus nb Divine majeſtatis, & nnſtram, ac predicte Sedir reverentiam, qund etiam ſine exhortatione aliqua ſacere debetis, in ſingulis dnmibus, ſeu locis veſtrir de civitate predicta doctos, ſufficientes, & bonor in eadem ſacultate Magiſtros, qui ibidem in ea degant, & dnceant juxta morem aliorum Generalium Studinrum, habere, & tenere cnntinun ſtudeatis, id tam per vor, quam apud Superiorer veſtror ſic fideliter, & ſnlicite procurantes, quod inde optatus fructus proveniat, qui ſperatur, noſque proinde veſtram pnſſimus in Domino diligentiam commendare. Datum Avenione III Idus Novembris, Pontificatur nnſtri Anno Quinto.

Exordium.

Mandatum.

1. *Profeſſuros.*) *Magno ſtudio*, inquit Waddingus Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLXVI num. XIII pag. 214, *Carolus Imperator hereditarii ſui Regni Bohemia gloriam quarens, undique viros doctos ac pios accivit, per quos gentem illam tum religionis cultu, tum legum, ac bonorum morum diſciplina illuſtravit. Schola inſuper liberalium artium ab eo hoc tempore Praga erecta, cum Pontifice egit, ut praciperet Religionum, maxime Mendicantium, Superioribus, quatenus in eam Civitatem deſtinarent viros eruditos, quorum doctrina & ſcholaſticis Diſſertationibus ſcientiarum ſplendor clarius effulgeret. Fecit Urbanus data hac Epiſtola ad Religionum Prafectos.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud Waddingum mox laudatum *num. XIV.*

Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, ut Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum ad Eccleſiam Græcam cum S. Romana reconciliandam juvent (1).

Anno 1367 Die 6 Novembris.

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo IV ad an. MCCCLXVII num. V pag. 119.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectir filiis univerſir Fratribus Predicatorum, & Minorum Ordinum in ultramarinir partibus conſtitutir, ad quos preſenter litere pervenerint, Salutem, & Apoſtnlicam Benedictionem. II.

TRactatum reconciliationis Grecorum cum S. Romana Eccleſia, Matre, ac Magiſtra cunctorum Chriſti fidelium, a qua ipſi Greci ſunt damnabiliter ſeparati, jamdiu fuiſſe inchnatum, vor credimus nnn latere, cujur nptatum finem tanto ardentiur deſiderare debetis, quanto pleniur nnſcitis ex hoc proventurum indubie lucrum innumerabilium pereuntium animarum. Eapropter, licet tanti boni vos avidos, & cooperatorer etiam, prout vobis poſſibile redditor, eſtimemus, ut tamen ad hoc en prnmptinrer ſitis, quo ad id per Apoſtolica ſcripta fueritir excitati, vos hortamur in Dominn, per eadem ſcripta mandanter, quatenus Venerabili Fratri noſtro Paulo Patriarche Conſtantinopolitano, latori preſentium, ejuſ-

Mandatum.

ejuſmodi pium negotium multis laboribus, ſumptibus, & periculis proſequenti, ad omnem ejus requiſitionem in dicto negotio veſtris conſiliis, auxiliis, & favoribus devota promptitudine aſſiſtatis. Datum Romæ apud S. Petrum VIII Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno....(3).

1. *Juvent.*) *Romæ jam conſtitutus Urbanus honorifice excepit Paulum Patriarcham Conſtantinopolitanum, a Johanne Palæologo Imperatore pro unione Eccleſiarum cum aliis ſeptem Oratoribus deſtinatum. Reverenti munera largitus, literas etiam addidit ad omnes Principes & Rectores Urbium Orientis, ut ſacro huic Eccleſiarum & animorum fœderi vellent cooperari. Id ipſum ſcripſit.... Fratribus Ordinum Prædicatorum, & Minorum in ultramarinis partibus conſtitutis.* Hæc *Waddingus* Annal. Minor. ad an. MCCCLXVII num. IV; Sed ex *Geſtis Urbani V* apud *Boſquetum* Summus Pontifex Urbanus Legatos excepit Viterbii. *Dicto Urbano adhuc Viterbii exiſtente*, inquit Auctor Geſtorum, *venerunt ad ipſum...... Comes Sabaudiæ, Patriarcha Conſtantinopolitanus, & aliqui alii viri notabiles miſſi pro parte Imperatoris Conſtantinopolitani, pro ſui parte eidem Papæ promittentes, ipſum rediturum ad Romanæ Eccleſiæ unitatem, & ſuper hoc breviter perſonaliter venturum ad ipſum Papam. Qui Papa de Viterbio recedens die decima ſexta Menſis Octobris Romam intravit.* In eandem ſententiam ivit *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt.* ad annum *MCCCLXVII num. V.* Suffragatur etiam *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCLXII pag. 557.*

2. *Waddingo.*) Ex *Epiſtol. Secret. An. VI fol. 11.*

3. *Anno...*) Annus deeſt apud *Waddingum*; cum autem inter Epiſtolas Anni *Sexti* recenſeatur iſta, legendum *Anno Sexto.*

Anno 1368 Die 16 Junii.

Caput & Corpus S. Thomæ Aquinatis Toloſam transferenda (1) decernit.

Ex Percino (2) Hiſtor. Translat. Corporis S. Thomæ pag. 219.

III. Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. COpioſus in miſericordia Dominus, & in cunctis operibus ſuis glorioſus, inſufficientiæ noſtræ Univerſalis Eccleſiæ, ſponſæ ſuæ inclytæ, regimen pia dignatione committens, collo debilitatis noſtræ jugum imponens, apicem ſervitutis ad hoc ſolium excelſum nos aſcendere voluit, ut libenter, & ſolerter exequamur, quæ ad Divini nominis gloriam & honorem tendere dignoſcuntur; & tanquam de ſupremi vertice montis noſtrum ad infima inferentes (3) intuitum, quid ſingularum perſonarum Eccleſiaſticarum commodis, earumque ſtatui conveniat, perſpiciamus (4) attentius; & qualiter inter ipſos quorumlibet litigiorum vepribus radicitus amputatis, dilectio ſincera permaneat, & vigeat ſoliditas caritatis, ſolertius attendamus. Ad hoc enim vocati ſumus a Domino, ad hoc noſtros quotidie (5) diffundimus cogitatus, ad hoc noſtri pectoris ſtudia deſideranter exponimus; Et ut Sanctorum Reliquiæ honorabiliter collocentur, & hujuſmodi perſonarum Eccleſiaſticarum ſtatus perſeveret pacificus, quietis ubertate lætetur, & dirigatur ad exiſtentiam ſalutarem, ſollicitudines noſtras (6) libenter impendimus, & labores. Dudum ſiquidem contra omnes, & ſingulos, qui Corpus Beati Thomæ de Aquino, quod olim in Monaſterio Foſſæ Novæ, Ciſtercienſis Ordinis, Terracinen. Diœceſis, quieſcebat, de ipſo Monaſterio receperant, eorumque receptatores, fautores, & defenſores, ad dilectorum filiorum Abbatis, & Conventus dicti Monaſterii inſtantiam, varios proceſſus, diverſas Excommunicationis, ſuſpenſionis, & Interdicti ſententias, & alias pœnas continentes, fecimus, & etiam fieri conceſſimus. Cum autem, ſicut fide dignorum relatione percepimus, ex proceſſibus ipſis gravia ſcandala, & magna pericula ſequi, niſi celeri remedio ſuccurratur (7), præſumantur veriſimiliter in futurum; Nos proceſſus ipſos, & quidquid eſt ex eis, vel ob eos, ex conceſſione prædicta (8), penitus revocamus; & eos haberi volumus penitus pro infectis: & inſuper Chriſti fidelium devotionem adaugeri, & ipſorum fidelium animarum profectum, quæ ex ſubſcriptis indubie provenire ſperamus, promovere ſalubriter intendentes: ac decens reputantes, & congruum, ut dictum Corpus glorioſi Sancti, qui dum vixit, Ordinis FF. Prædicatorum Profeſſor exiſtens, tanquam Doctor egregius per ſua profunda (9), & ſalutifera documenta Univerſalem illuſtravit Eccleſiam, eam decorando virtutibus, & moribus informando, cum iiſdem Fratribus collocetur; ex certa noſtra ſcientia, ad eandem laudem Dei, exaltationem Eccleſiæ, fideliumque ſalutem, tenore præſentium, ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod corpus prædictum ad Domum FF. Prædicatorum, Toloſam transferatur, & ibidem collocetur, & honorabiliter perpetuo veneretur. Volumus autem, quod ſi Magiſtro, & Capitulo Generali dicti Ordinis proxime celebrando, placuerit, ejuſdem Corporis dextrum Brachium Priori, & Fratribus dicti Ordinis Pariſiorum (10), ad decus, & honorem totius Studii Pariſienſis, in quo idem glorioſus Sanctus ſua facundia fœcunda, cœleſtis irrigui gratia influente, Scripturarum ænigmata reſeravit, ſolvit nodos, obſcura dilucidavit, dubiaque declaravit, ad augendam devotionem fidelium tranſmittatur, & in ipſa domo honorifice perpetuis temporibus veneretur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, conſtitutionis, ordinationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire &c. Datum apud Montem Flaſconem XVI (11) Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

1. *Transferenda.*) Conſulendus *Percinus* loco laudato. *Hiſtoria Translationis Corporis S. Thomæ* legitur etiam apud *Papebrochium in Actis Sanctorum Martii ad Diem VII a pag.* 725 *ad* 740.

2. *Percino.*) Illud idem tranſcribit *Papebrochius* loco mox laudato, *pag.* 732.

3. *Inferentes.*) Ex Papebrochio: *Reflectentes.*

4. *Perſpiciamus.*) Ex eodem: *Proſpiciamus.*

5. *Quotidie.*) Idem: *Aſſidue.*

6. *Noſtras.*) Deſideratur apud *Papebrochium.*

7. *Succurratur.*) Ex eodem: *Succurramus.*

8. *Ex Conceſſione prædicta.*) Idem legit: *Et Conceſſionem prædictam.*

9. *Profunda.*) Ex Papebrochio: *Perlucida.*

10. *Pariſiorum.*) *Narratio Brachii S. Thomæ in Conventu Pariſienſi* (S. Jacobi) *depoſiti* legitur apud *Papebrochium* loco citato, *pag.* 740. Adeas *Percinum pag.* 221, ubi tranſcribit *Ms. Toloſanum.*

11. *XVI.*) Apud Papebrochium: *X.*

Ut

Ut Corpus & Caput S. Thomæ Aquinatis ad ſe deferantur (1).

Anno 1368 Die 1 Julii

Ex Percino Hiſtor. Translation. S. Thomæ pag. 219.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Guillelmo de Lordato (2) Canonico Convenenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. IV.

Exordium a laude S. Thomæ.

CUm ex certis rationabilibus cauſis, ad id animum noſtrum inducentibus, duxerimus ordinandum, quod Caput, & Corpus B. Thomę de Aquino, qui dum vixit Ordinis FF. Prędicatorum Profeſſor exiſtens, tanquam Doctor egregius per ſua ſalutifera, & prelucida documenta Univerſalem illuſtravit Eccleſiam, eam decorando virtutibus, & moribus informando, ad nos deferantur; diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes clericos, & perſonas Eccleſiaſticas ſeculares, & Regulares, Principes, Duces, Comites, Barones, Nobiles, Milites, & Laicos, Communia quoque, & univerſitates Comitatuum, Caſtrorum, Villarum, & aliorum locorum quorumcunque, qui corpus, & caput hujuſmodi, ſeu eorum aliquod, ſub ſua poteſtate habent de pręſenti, vel habebunt, auctoritate Apoſtolica moneas, ut prędicta tibi infra terminum, eis pręfigendum, integraliter tradant realiter & aſſignent, per te ad nos eodem modo deferenda; Alioquin ex tunc in omnes, & ſingulos Caput, & Corpus prędicta, vel aliquod eorum penes ſe, ſeu ſub ſua poteſtate habentes, vel habituros, qui hujuſmodi monitioni non paruerint cum effectu, in ſingulares perſonas cujuſcunque ordinis, conditionis, ſtatus, pręeminentię, ſeu dignitatis exiſtant, etiamſi Pontificali, vel alia quacunque Eccleſiaſtica vel Seculari pręfulgeant, & in Civitates &c. (3) ſententiam proferas excommunicationis nominatim, candelis accenſis, & extinctis. Si vero Communitates extiterint, eas pariter communitates interdictum tantum incurriſſe, nuncies, & facias illis nunciari, diebus Dominicis, & Feſtivis, ubi major in Eccleſiis eſt Cleri, & populi concurſus, donec Caput, & Corpus prędicta reſtituerint, & ad Sedem Apoſtolicam venerint pro beneficio abſolutionis: invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Ceterum ſi prędictorum forſan per te monendorum pręſentia per te commode, & ſecure haberi nequiret, commonitionem hujuſmodi per edicta publica in locis publicis affigendi, plenam concedimus poteſtatem. Et volumus, quod perinde ipſos monitos coarctes. Non obſtante Conſtitutione felicis recordationis Bonifatii Papę VIII. Prędeceſſoris noſtri, in qua cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam &c. Et non obſtante etiam Conſtitutione de duabus dietis in Concilio Generali, aut aliis Conſtitutionibus quibuſcunque &c. etiam ſi de verbo ad verbum plena, & expreſſa mentio de illis facienda foret &c. Datum apud Montem Flaſconem, Balneoregienſis Diœceſis, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto,

Mandatum.

1. *Deferantur.*) Adeas *Percinum* loco laudato, ubi ex antiquo *Ms.* ſcitu digniſſima refert: & hac de re alia Diplomata, quæ deſiderantur, conſcripta eſſe docet.
2. *De Lordato.*) Conſulendus *Percinus* mox citatus.
3. *Civitates &c.*) Quædam hic, & inferius, deſunt.

Archiepiſcopo, Cancellario, Magiſtris & Doctoribus, ceteriſque Clericis, & Laicis Toloſanis, ut in Corpus S. Thomæ Aquinatis Toloſam transferendum effundant honores, ejuſdemque benedictam & catholicam Doctrinam ſequantur (1).

Anno 1368 Die 31 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 297.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Archiepiſcopo Toloſano, & dilectis filiis Cancellario Eccleſię Toloſanę, univerſiſque Magiſtris, & Rectoribus, ceteriſque Clericis, & Laicis in Civitate, & Provincia Toloſana commorantibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. V.

Exordium.

LAudabilis Deus in Sanctis ſuis, in ſui majeſtate mirabilis, cujus ineffabilis altitudo providentię nullis incluſa limitibus, nullis terminis comprehenſa, recti cenſura judicii, cęleſtia pariter, & terrena diſponit, etſi cunctos ejus miniſtros magnificet, altis decoret honoribus, & cęleſtis efficiat beatitudinis poſſeſſores; illos tamen, ut dignis digna rependat, potioribus attollit inſigniis dignitatum, & pręmiorum uberiori retributione proſequitur, quos digniores agnoſcit, & commendat intenſior excellentia meritorum. Sic & alma mater Eccleſia, ejus ſacra veſtigia inſequens, & exemplo ducta laudabili, licet univerſos in regnis cęleſtibus conſtitutos ſtudiis honorare ſolicite non deſiſtat; egregios tamen Doctores, per quorum prelucida, & ſalutaria documenta eadem Eccleſia illuſtratur, virtutibuſque, & moribus informatur, libenter, & ſolerter inſequitur, quę ſunt Dei, pręmiſſa debita meditatione, perluſtrans ad Divini nominis honorem, gloriam, & exaltationem Catholicę Fidei, ſalutemque fidelium, rite cenſuit, mireque providit, eoſdem in univerſali Eccleſia honorificentię potioris impendiis attollendos. Sane, cum ſacrum, & venerabile Corpus Beati Thomę de Aquino, Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſit de mandato noſtro ad Eccleſiam Fratrum Prędicatorum Toloſan. de proximo transferendum (3); Nos attendentes, quanta a Deo ſcientię doctrina (4) Ordinem Fratrum Prędicatorum, ac univerſalem Eccleſiam illuſtravit, ac Beati Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam eandem doctrinis, & ſcientiis quampluri- mis adornavit; Volenteſque propterea, idem Corpus ſpeciali honorificentia attolli, univerſitatem veſtram requirimus, & hortamur in Domino Jeſu Chriſto, vobis nihilominus per apoſtolica ſcripta man-

Mandatum.

Præconium Doctrinæ Sancti Thomæ.

mandantes, quatenus dictum Corpus, cum ad partes eaſdem transferetur, benigne, & honorifice ſuſci-
pientes, eumque devote, ac venerabiliter pertractantes, faciatis ab aliis, quantum in vobis eſt, cum
debita honorificentia, ac devotione ſuſcipi, ac tractari, Volumus inſuper, & tenore pręſentium vobis
injungimus, ut dicti Beati Thomę Doctrinam tanquam benedictam, & Catholicam ſectemini (5). eamque
ſtudeatis totis viribus ampliare. Datum apud Montem Flaſconem II Kal. Septembris, Pontificatus noſ-
tri Anno Sexto.

1. *Sequantur.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex *Regeſto*
Vaticano, ſic enim legitur ad calcem Diplomatis: *Ego infraſcri-*
ptus fidem facio, & atteſtor, qualiter præſens ſumptum fuit
extractum ex Archivo ſecreto Vaticano exiſten. in libro Bulla-
rum Urbani *V Anno VI fol. 20 a tergo, & collationatum con-*
cordat. Ideo in fidem ſubſcripſi, & meo ſigillo ſignavi. Romæ
hac die XX *Menſis Decembris MDCLXVII.*
F. R. . . Epiſcopus Sidonien. Archivi Vaticani Præfectus.
Aliud exemplar legere eſt *Lib. B. fol. 469* ex Authentico, quod
habetur in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli Venetiis.* Aſſervatur
Autographum in Cœnobio noſtro *Toloſano.* Ejuſdem meminere
Scriptores omnes qui doctrinam Doctoris Angelici laudibus cele-
brarunt. Laudatur a Summo Pontifice *Benedicto XIII*, feliciter
regnante, in Conſtitutione *Pretioſus.* Illud idem Diploma tranſ-
cripſerunt *Papebrochius* Societatis *Jeſu* ſcriptor clariſſimus in
Actis Sanctorum Martii ad diem VII pag. 733, Sylvius, Picci-
nardus, Baronius noſter, *Percinus, Bzovius &c.* Ceteros mit-
to, ſed nota quod hallucinatur librarius *Bzovii* hocce Diploma
referens ad annum *MCCLXX.*
3. *Transferendum.*) Hujuſce Translationis feſtum celebrat Ordo noſter die XXVIII Januarii. Hiſtoria vero *Translationis* Auctore *F. Raymundo Hugonis*, Ordinis FF. Prædicatorum, Conventus *Bergeracenſis*, legitur ad calcem *Monumentorum Conventus Toloſani*. Conſulendus *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXVIII num. XV.*
4. *Scientia doctrina.*) Sic in Authentico *Vaticano*, in aliis autem: *Scientia dotatus.*
5. *Sectemini.*) Adeas *Percinum Monument. Conventus Toloſani in Opuſculo de Academia Toloſana Parte II Cap. VI num. VI pag. 155.*

Anno 1368 Die 31 Augusti.

Ne Caput & Corpus S. Thomæ Toloſam delata, alio transferantur.

Ex Actis (2) Sanctorum Tomo I Martii ad Diem VII pag. 734.

VI. Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ALma Mater Eccleſia, Jeſu Chriſti veſtigia inſequens, Dei electos attollit honorificentia ſpeciali,
eorumque corpora veneratur, & conſervat, ut etiam a cunctis Chriſti fidelibus honorentur. Sane
cum ſacrum, & venerabile Corpus, & Caput B. Thomę de Aquino, Ordinis Prędicatorum, ſint de man-
dato noſtro per dilectum filium Heliam (3) Raymundum, Magiſtrum Ordinis antedicti, ad Eccleſiam
Fratrum Prędicatorum Toloſanam de proximo transferenda, ibique perpetuo tenenda, & conſervanda,
& cum omni reverentia extollenda, Nos ſacrilegorum audaciam volentes, qua poſſumus, induſtria re-
frenare, pręſentium tenore omnibus & ſingulis Clericis, Eccleſiaſticiſque perſonis, ſecularibus, & re-
gularibus, necnon quibuſcunque laicis, ſecularibuſque perſonis, cujuſcunque ſtatus, vel conditionis
exiſtant, etiamſi Pontificali, vel alia qualibet pręfulgeant dignitate, Eccleſiaſtica, vel mundana, etiamſi
de illa oporteret fieri expreſſam in pręſentibus mentionem, diſtrictius inhibemus, ne Caput, vel Corpus,

Inhibitio.

aut ejuſdem Corporis, vel capitis partem dicti B. Thomę, poſtquam in dicta Eccleſia fuerint debite &
honorifice collocata, de Conventu Toloſano extrahere, vel exinde aſportare, abſque licentia, & aſſen-
ſu dilectorum filiorum Magiſtri, qui pro tempore fuerit, & Capituli Generalis Fratrum dicti Ordinis,
& Prioris, & Conventus Toloſani, pręſumant. Nos enim, ſi quid ſecus actum, vel attentatum fuerit,
eo ipſo viribus vacuamus; & nihilominus in omnes & ſingulos, qui Caput, aut Corpus, aut partem ip-
forum dicti B. Thomę, poſtquam translata, ſeu collocata fuerint, ut prefertur, aſportaverint, ſubri-
puerint, ſeu amoverint de Eccleſia ſupradicta, necnon in id procurantes, ſeu procurantibus dantes conſi-
lium, auxilium, ſeu favorem, excommunicationis ſententiam ferimus in his ſcriptis. Non obſtante ſi
aſportantibus, ſubripientibus, ſeu amoventibus hujuſmodi, vel quibuſvis aliis, communiter, vel divi-
ſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, & excommunicari non poſſint per literas

Sanctio pœnalis.

Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, & de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi men-
tionem. Nulli ergo omnino &c. noſtrę voluntatis, & inhibitionis infringere &c. Datum apud Montem
Flaſconem II Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Delata.*) Conſulenda præcedens *Conſtitutio.*
2. *Actis.*) Ejuſdem meminerunt *Percinus Hiſtor. Translation. S. Thomæ pag. 221*, & *Echard* mox laudandus.
3. *Heliam.*) *Eliam* ſcilicet *Raymundi*, de quo legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXVII pag. 660.*

Anno 1368 Die...

Declarans, quod a correctione appellari non poteſt (1), quoſdam Fratres, qui Sedem Apoſtolicam appellarant, ad Capitulum (2) Generale remittit.

Ex *Percino Monument. Convent. Toloſani ad an. MCCCLXVIII pag. 79.*

VII. Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Definitoribus Capituli Generalis, proxime celebrandi in Ordine FF. Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD audientiam noſtram pervenit, quod cum dilectus filius F. Helias (3) Raymundi, Magiſter Ordi-
nis FF. Prędicatorum, dilectum Filium Bernardum Armengaudi ſuum Vicarium ad Toloſanam
Provinciam deſtinaſſet ad corrigendum, & ordinandum in ea quędam ſalubria pro Obſervantia Regula-
ri &c. (4), Prior Provincialis (5), & nonnulli alii Fratres, ejuſmodi correctionem, & ordinationem
tan-

tanquam ſibi male conſcii formidantes, ab ipſo Magiſtro Helia, & a Vicario, & a quibuſdam prętenſis gravaminibus, quę aſſerebant ſibi per ipſos Heliam, & Vicarium illata, ad Sedem Apoſtolicam appellaverunt, in grave ſcandalum, & turbationem Ordinis memorati. Nos igitur, attendentes, quod non decet famulos Dei litigare, & quod a correctione appellari non poteſt; de veſtra prudentia confiſi, vobis hujuſmodi appellationis negotium, & querelarum cauſas ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii, omnibus juris ſolemnitatibus, & ordine prętermiſſo, ſed ſola facti veritate inſpecta, ſecundum ejuſdem Ordinis inſtituta, audiendas committimus, & ſine dilatione terminandas. Vobis nihilominus poteſtatem corrigendi, & puniendi illos, quos ſuper his inveneritis deliquiſſe, tenore prętentium auctoritate Apoſtolica concedentes. Datum apud Montem Flaſconem (6) Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Appellari non poteſt.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Capitulum.*) *Brugis in Flandria* celebratum fuit hocce Capitulum XX Maii *MCCCLXIX.*
3. *Helias.*) *Elias*, Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXVII pag.* 660.
4. *Regulari &c.*) Quædam hic omiſit *Percinus*.
5. *Provincialis.*) *Qui tunc erat Sanctius de Ficola, filius Conventus Marciaci, electus in Capitulo Provinciali Sancti Severi Anno MCCCLXIV.* Verba ſunt *Percini*.
6. *Flaſconem.*) Qua die datum ſit Diploma, non legitur apud Auctorem mox laudatum.

F. Laurentio de Brixia Ordinis Prædicatorum: & F. Petro de Tranſiberim Ordinis Minorum, ut Urbis Hoſpitalia, & Monaſteria viſitent, ac reforment (1).

Anno 1369 Die 19 Decembris.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo IV ad an. MCCCLXIX. num. VII. pag. 122.

VIII.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Laurentio de Brixia Prędicatorum, & Petro de Tranſiberim Minorum Fratrum, Ordinum Profeſſoribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUmmi Paſtoris, qui viſitat gregem ſuum, vices nobis, licet immeritis, commiſſas tunc recte gerimus, cum Viſitationis officium exercemus, quod tanto ſolertius erga pauperes, & fragilioris ſexus perſonas nos gerere convenit, quanto ipſę noſtrę ſolicitudinis miniſterio noſcuntur amplius indigere. Sane cum, ſicut fide digna relatione didicimus, Hoſpitalia, & Monaſteria Monialium Urbis ſunt, quod dolenter referimus, plurimum deformata, Nos, de his dolentes ab intimis, & ad ipſorum Hoſpitalium, & Monaſteriorum reformationem paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, ac de circumſpectione, & zelo veſtris ad pauperes, & religionem, plenam in Domino fiduciam obtinentes, vobis, & utrique veſtrum in ſolidum per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ad Hoſpitale noſtrum Sancti Spiritus in Saxia, & cetera Hoſpitalia, ac etiam Monaſteria Monialium dictę Urbis, Ciſtercien., Cluniacen., Sanctorum Benedicti, & Auguſtini, & Sanctę Clarę, & aliorum Ordinum quorumcunque perſonaliter accedentes, & habentes prę oculis ſolum Deum, auctoritate noſtra viſitetis, & inquiratis, corrigatis, & reformetis in eiſdem tam in capitibus, quam in membris: ſpecialiter de redditibus, & bonis dicti, & aliorum Hoſpitalium, & adminiſtratione, & cura, quę pauperibus exhibetur, necnon honeſtate ipſarum Monialium, & obſervantia regulari, & aliis, quę Viſitationis, & inquiſitionis, correctionis, & reformationis officio videritis indigere. Si vero in hujuſmodi correctionibus, punitionibus, & reformationibus ſcrupuli dubitationis emerſerint, ſuper illis ad dilectos Filios noſtros Bernardum (2) Baſilicę XII Apoſtolorum, & Franciſcum (3) tituli Sanctę Sabinę, Presbyteros Cardinales, quibus dudum pręfatum Viſitationis, & reformationis officium in tota dicta Urbe per alias noſtras literas, quibus non intendimus derogare, commiſimus, recurratis. Contradictores &c. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & exemptionibus, ac literis Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Sancti Spiritus, & aliis Hoſpitalibus, ac etiam Monaſteriis, & Ordinibus quibuſcunque conceſſis, etiamſi de ipſis, & eorum locis, & nominibus, ac tenoribus de verbo ad verbum eſſet in pręſentibus mentio facienda; ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim ab Apoſtolica Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIV Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Exordium.

Hujus Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Reforment.*) Adeas *Waddingum Annal. Minor. ad annum MCCCLXIX num. VI.*
2. *Bernardum.*) *De Boſqueto* nuncupatum, cujus meminit *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCCLXII pag.* 568.
3. *Franciſcum.*) De quo *Ciaconius* mox laudatus, *pag.* 570.

AP-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Urbano V Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS.

Anno 1366 Die 18 Septembris. F. Guillelmus Sudre, Gallus, Provinciæ Toloſanæ alumnus, Maſſilienſis Epiſcopus, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, S. R. E. Cardinalis tituli SS. Johannis & Pauli. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLXII pag.* 562. *Ughellus in Epiſcop. Oſtien. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 72 *Edit. II. Baluzius de Pap. Avenionen, Guæſnæus Annal. Maſſilien. Ruffi Hiſtor. Maſſilien. Cavalerius Tomo I pag.* 159 *numero CCXLVII, & Tomo II pag.* 200 *num. V. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XVIII pag.* 24 *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V, & Olmeda. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXIII pag.* 670. Epiſcopus *Oſtienſis* fuit *Guillelmus*, ut hac in *Appendice* dicetur.

PATRIARCHA.

Anno 1369 Die 22 Junii. F. Guillelmus Militis, Gallus, Andegavenſis, Patriarcha Jeroſolymitanus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. IV pag.* 47 *ex Lib Proviſion. Prælator. Urbani V, Ughello in Mſs. &c. Cavalerius Tomo I pag.* 182 *num. CCCXXV. Echard Tomo I Scriptor Ord. ad annum MCCCLXXIV pag.* 673, *ex Laurentio Pignon.*

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1363. F. Simon Gallus, Provinciæ Toloſanæ alumnus, Archiepiſcopus Turonenſis, *Tours*, in Gallia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CX pag.* 109, *ex Taegio, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 169 *num. CCLXX.*

Anno 1363. F. Hugo de Bruzeo, Archiepiſcopus Beneventanus, *Benevento*, in Italia. *Ughellus in Archiep. Beneventanis Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 151 *Edit. II, ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XIII pag.* 60. *Cavalerius Tomo I pag.* 152 *num. CCXIX.*

Anno 1363. F. Johannes, ex Priore Cœnobii Raguſini, Archiepiſcopus Antibarenſis, *Antivari*, in Illyrico. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. III pag.* 52, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag.* 149 *num. CCVI.*

Anno 1365. F. Carolus Alenſonius, Regiæ Gallorum proſapiæ Princeps, Archiepiſcopus Lugdunenſis, *Lion*, in Gallia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LVI pag.* 83, *ex Gallia Chriſtiana, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 161 *num. CLIII.*

Circa Annum 1365. F. Henricus Teuto, Archiepiſcopus Cæſarienſis, in Cappadocia. *Cavalerius Tomo I pag.* 153 *num. CCXX, ex Ambroſio Altamura &c.*

Anno 1366. F. Dominicus Dalmata, ex Epiſcopo Caulenſi, ut hac in *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Jaderenſis, *Zara*, in Dalmatia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LI pag.* 79, *ex Ughello, Ferrario, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 168 *num. CCLXIX.*

Anno 1368. F. Johannes Salamonius, Archiepiſcopus Nazarenus, in Palæſtina. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXVI pag.* 88, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 175 *num. CCXCV.* Notandum quod Archiepiſcopus *Nazarenus* Eccleſiam habet in oppido *Barulo*, vulgo *Barletta*, in Regno *Neapolitano*.

Anno 1368. F. Andreas Turrianus, Mediolanenſis, Archiepiſcopus Januenſis, *Genova*, in Liguria. *Ughellus in Archiepiſcop. Jannen, Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 890 *ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LII pag.* 79, *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 164 *num. CCLVIII. Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCLXXVII pag.* 675.

F. Johan-

F. Johannes Fardinas, Archiepiſcopus Coloſſenſis, ſeu Rhodius, vulgo *Rhodes*, in ejuſdem nominis Inſula, cujus incolæ *Coloſſenſes* nuncupati fuerunt ex celebri *Coloſſo*, qui numeratur inter ſeptem orbis miracula. Id notandum, ut emendentur, qui *Rhodios* a *Coloſſenſibus* Græcis Archiepiſcopis diſtinguunt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXVIII pag.67, ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag.* 160 *num. CCXLVIII.* Anno 1370.

F. Jacobus Campana, Archiepiſcopus Tranenſis, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CV pag.* 107, *ex Libro Proviſion. Prælator. Urbani V, & Monumentis Cœnobii Senenſis S. Dominici. Cavalerius Tomo I pag.* 174 *num. CCXCI*. Epiſcopum *Lunenſem* fuiſſe *Jacobum*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Urbani VI.* Anno 1370.

F. Petrus Calix, patria Cæſenas, ex Epiſcopo Caſtrenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis VI* dictum fuit, Archiepiſcopus Raguſinus, in ejuſdem nominis Republica. *Ex antiquis Monumen. Cœnobii Raguſini*, quibus conſtat, quod *Petrus* anno *MCCCLXXI* præerat Eccleſiæ *Raguſinæ. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXVII pag.* 95, *ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.*69 *num. CCXVIII.* Circa Annum 1370.

EPISCOPI.

F. Hermanus Wolf, Epiſcopus Chryſopolitanus, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Philippenſi, ab *Innocentio VI* electus, & ab *Urbano V* confirmatus eſt. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCIX pag.* 182, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Innocentii VI, & Urbani V. Cavalerius Tomo I pag.* 149 *num. CCII.* Anno 1362.

F. Jacobus Polonus, Epiſcopus Chelmenſis, *Chelm*, & *Chielmnick*, in Ruſſia Nigra, ſub Archiepiſcopo Leopolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCX pag.* 182, *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 149 *num. CCV*. Epiſcopus *Hildeſimenſis* fuit, ut mox dicetur. Circa Annum 1362.

F. Blaſius, Epiſcopus Alerienſis, *Aleria*, in Inſula Corſica, ſub Archiepiſcopo Piſano. *Ughellus in Epiſcop. Alerien. Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 503. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXII pag.* 120. *Cavalerius Tomo I pag.* 154 *num. CCXXVI.* Anno 1362.

F. Gregorius Hiſpanus, Epiſcopus Marochitanus, *Maroc*, in Africa. *Cavalerius Tomo I pag.* 161 *num. CCLI, ex Plodio.* Circa Annum 1362.

F. Yvo, aliis Evenus, de Begaignon, Gallus, ex illuſtri familia Rumen-Begaignon oriundus, Epiſcopus Trecorenſis, *Treguier*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCVI pag* 311, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V, & Gallia Chriſtiana. Laurentius Pignon. Loubineau Hiſtor. Britan. Tomo II. Cavalerius Tomo I pag.* 166 *num. CCLXI*, aliique quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXI pag.* 667. S. R. E. Cardinalem fuiſſe *Yvonem*, dicetur in ſequenti *Appendice*. Anno 1362.

F. Raphael de Camelco, Epiſcopus Nebienſis, *Nebbio*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Januenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXVI pag.* 246, *ex antiquo Mſ. Archivi Ordinis. Cavalerius Tomo I pag.* 170 *num. CCLXXVI*. In Inſtrumento publico an. *MCCCLXXXIII* apud *Ludovicum de Gongora*, in Libro, cui Titulus: *Grandeſſos de Genoa*: pag. 137 vocatur *Raphael de Cantello*. Anno 1363.

F. Enecus Alamannia, Aragonus, Epiſcopus Syracuſanus, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Montis Regalis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCCLXX pag.* 302, *ex Pirro, & Lopez. Cavalerius Tomo I pag.* 169 *num. CCLXXI.* Anno 1363.

F. Dominicus Dalmata, de quo inter Archiepiſcopos hujus *Appendicis* dictum fuit, Epiſcopus Caulenſis, *Caſtel vetere*, in Magna Græcia, ſub Archiepiſcopo Rhegien. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLIV pag.* 162, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 168 *num. CCLXIX.* Circa Annum 1363.

F. Franciſcus Siculus, patria Meſſanenſis, Epiſcopus Theanenſis, *Tiano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Ughellus in Epiſcop. Theanen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 570 *Edit. II, ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXIII pag.* 306. *Cavalerius Tomo I pag.* 157 *num. CCXXXVIII.* Anno 1363.

Anno 1363. F. Antonius de Rivello, Epiſcopus Melphienſis, *Melfi*, in Regno Neapolitano, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 914 *Edit. II*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXVIII pag.* 233. *Cavalerius Tomo I pag.* 154 *num. CCXXVIII.*

Anno 1363. F. Marcheſanus, Bononienſis, Epiſcopus Draconarienſis, *Dragonara*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. Draconarien Tomo VIII Italiæ Sacræ pag* 281, *ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXVIII pag.* 187. *Cavalerius Tomo I pag.* 154 *num. CCXXVII.*

Anno 1363. F. Jacobus Polonus, ex Epiſcopo Chelmenſi, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Hildeſimenſis, *Hildesheim*, in Saxonia inferiori, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Fontana* & *Cavalerius* ſupra laudati.

Anno 1363. F. Adimarus de Rupe, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag.* 140, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V*, & *ex Ughello in Mſs. Cavalerius Tomo I pag.* 150 *num. CCVII.*

Anno 1363. F. Adamus Scotus, Epiſcopus Candidæ Caſæ, *With-hern*, in Scotia, ſub Archiepiſcopo Glaſquenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXX pag.* 154, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag.* 150 *num. CCVIII.*

Anno 1363. F. Matthæus de Brunis, Epiſcopus Sueſſanus, *Seſſa*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Ughellus Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 540 *Edit. II. Cavalerius Tomo I pag.* 173 *num. CCLXXXVIII.*

Circa Annum 1363. F. Johannes Senenſis, Epiſcopus Sitienſis, ſeu Cytæus, vulgo *Sitia*, in Inſula Cretenſi, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLVII pag.* 295, *ex antiquo Inſtrumento*, & *Ugurgerio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 150 *num. CCXII.*

Anno 1364. F. Goddeſchalcus Faledol, Epiſcopus Lincopenſis, in Suetia, ſub Archiepiſcopo Upſalienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXVI pag.* 215, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag.* 151 *num. CCXII.*

Anno 1364. F. Magnus, Epiſcopus Hammarienſis, *Hammer*, in Norvegia, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXXVI pag.* 202, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag.* 151 *num. CCXIII.*

Anno 1364. F. Julianus de Angelis, Epiſcopus Hierapetrenſis, *Gierapetra*, in Inſula Cretæ, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXV pag.* 197, *ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag.* 151 *num. CCXIV.*

Anno 1364. F. Albertus de Uſti, Epiſcopus Miltonenſis, in Hungaria, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXXVI pag.* 235, *ex Mſs. Bzovii*. *Cavalerius Tomo I pag.* 151 *num. CCXV*. Ut verum fatear Epiſcopatum *Miltonenſem*, nec in *Hungaria*, nec alibi reperire eſt. Legendum fortaſſis *Milonen.*, ſeu *Melonen.*, vulgo *Milo*, in ejuſdem nominis Inſula Maris *Ægæi*. Hic autem Epiſcopatus eſt ſub Archiepiſcopo *Coloſſenſi*, ſeu *Rhodio*, quem *Coloſſenſem* nuncupari, dictum eſt ſuperius.

Anno 1364. F. Guillelmus, Petrus a nonnullis vocatur, de Rance, Epiſcopus Sajenſis, vel Sagienſis, vulgo *Seez*; in Normannia, ſub Archiepiſcopo Roromagenſi. *Laurentius Pignon. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DIV pag.* 281, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.* 167 *num. CCLXIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXIX pag.* 677, ubi laudat, & excipit *Ludovicum a Valleoleti*, qui *Guillelmum* noſtrum *Petrum de Rancia* nuncupat. Appellatur etiam *de Raiſa*, & *de Ranſo*, ſed id corrupte; cognominatus eſt enim *de Rance*, ex ejuſdem nominis oppido *Trecenſis* Diœceſis, ubi lucis uſuram accepit.

Anno 1364. F. Johannes Lombardus, Epiſcopus Placentinus, *Piacenza*, in Lombardia, ſub Archiepiſcopo Bononienſi. *Ughellus in Epiſcopis Placentinis Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 229, *ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXVIII pag.* 265. *Cavalerius Tomo I pag.* 157 *num. CCXXXIX.*

F. Bertra-

F. Bertramus Teuto, Confluentini Cœnobii alumnus, Epiſcopus Teſelicenſis, ſeu Tephelicenſis, Anno 1364.
Teſlis, iu Georgia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXVI pag.304, ex Plodio, Tritemio,*
Taegio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 174 num. CCXCIII, aliique cum domeſtici, tum extranei,
quos laudat, & excipit, vel emendat *Echard Tomo I Scripeor. Ord. ad annum MCCCLXXXVII pag* 689. Suf-
fraganeum, ut vocant, ſeu Vicarium *Metenſis* Epiſcopi fuiſſe *Bertramum*, in confeſſo eſt apud omnes.
Bertrandus a nonnullis, ab aliis *Bernardus* vocatur. In ipſius Epitaphio, quod legitur apud *Echard* pag.691
col. 1 *Bertramus* appellatur.

F. Benedictus Vallatus, Romanus, Epiſcopus Cortonenſis, *Cortona*, in Hetruria, immediate ſub S. Se- Anno 1364.
de. *Vghellus in Epiſcop. Cortonen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 626. *Fontana Theatra Dominicano Parce I Cap. V*
*Tic. CCV pag.*180, *ex Lib. Proviſion. Pralator. Vrbani V. Cavalerius Tomo I pag. 171 num. CCLXXXI.*

F. Franciſcus e Regno, Epiſcopus Pactenſis & Liparenſis, in Regno Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Meſ- Anno 1364.
ſanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXVII pag.*216, *ex Vghello, & Pirro. Cava-*
lerius Tomo I pag. 159 *num. CCXLIV.* Epiſcopum *Mazarenſem* fuiſſe *Franciſcum*, dicetur in ſequenti *Appen-*
dice.

F. Salvius de Bario, a *Taegio* nuncupatus Saulus, Epiſcopus Salpenſis, in Regno Neapolitano, ſub Ar- Anno 1364.
chiepiſcopo Tranenſi. *Vghellus in Epiſcop. Salpen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 919. *Fontana Theatro Domi-*
nicano Parte I Cap. V Tit. DVII pag. 283, *ex Taegia. Cavalerius Tomo I pag.* 160 *num. CCL. Echard Tomo I*
Scriptorum Ordinis ad annum MCCCLXXIV pag. 674.

F. Seraphinus de Brixia, Epiſcopus Bovenſis, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Fontana* Anno 1365.
Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CI pag. 145, *ex Taegio, & Vghello. Cavalerius Tomo I pag.* 161
num. CCLII.

F. Bartholomæus, vel Bonomettus, ut ab aliis appellatur, Epiſcopus Montis Corbini, *Monte Corvi-* Anno 1365.
no, in Regno Neapolitauo, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V*
*Tit. CCCXCIX pag.*240, *ex Vghello, & antiquo Ms. Archivi Ord. Cavalerius Toma I pag.* 153 *num. CCXXII.*

F. Carolus Epiſcopus Fridenſis, ſeu Frigdonenſis, in Sclavonia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Fon-* Anno 1365.
tana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCL pag. 194, *ex Libro Proviſion. Prælator. Vrbani V. Cavalerius*
Tomo I pag. 153 *num. CCXXI.* Hic notandum, quod *Fontana* noſter *Fridenſem* vocat Epiſcopatum *Farenſem*,
ſeu *Pharenſem*, *Pharienſem*, vel *Parenſem*, vulgo *Phara*, Italis *Leſina*, Slavis *Huar*. Eſt in ejuſdem nomi-
nis Inſula *Illyrici*, ſub Archiepiſcopo *Spalatenſi*.

F. Raymundus Berengerius, filius Jacobi Regis Aragonum, Epiſcopus Dertuſanus, *Tortoſa*, in Cata- Circa An-
lonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 152 *num. CCXVIII, ex Plodio.* num 1365.

F. Petrus de Anagnia, Epiſcopus Stephanenſis, *Stephano*, in Albania, ſub Archepiſcopo Raguſino. Anno 1365.
*Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXII pag.*299, *ex Lib. Proviſion. Vrbani V. Cavalerius Tomo I*
pag. 153 *num. CCXXIII.*

F. Nicolaus Epiſcopus Majoricenſis, *Mallorca*, in ejuſdem nominis Inſula. *Fontana Theatro Domini-* Anno 1366.
cano Parte I Cap. V Tit. CCCLXI pag. 223 *ex antiquo Ms. Archivi Ordinis. Cavalerius Toma I pag.* 155
num. CCXXIX.

F. Gervaſius de Caſtro, Anglus, S. T. Magiſter, Epiſcopus Bangorenſis, *Bangor*, in Anglia, ſub Ar- Anno 1366.
chiepiſcopo Cantuarienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CVIII pag.* 147, *ex antiquo Ms.*
Archivi Ord. Cavalerius Tomo I pag. 155 *num. CCXXX, & pag.* 696 *num. IX. Echard Toma I Scriptor. Ord.*
ad an. MCCCLXV pag. 653 *col. I.*

F. Petrus Beneventanus, Epiſcopus Montis Corbini, *Monte Corvino*, in Regno Neapolitano, ſub Ar- Anno 1366.
chiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parce I Cap. V Tit. CCCXCIX pag* 240, *ex Vghello,*
& Taegia. Cavalerius Tomo I pag. 156 *num. CCXXXV.*

Anno 1366. F. Nicolaus e Liguria, Epiſcopus Marianenſis, *Mariana*, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Januenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXVI pag.225, ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag. 177 num. CCC.*

Anno 1366. F. Bertrandus *Le Hungre*, Metenſis patria & profeſſione, Epiſcopus Theſſalienſis, in Græcia, & Epiſcopi Tullenſis Suffraganeus, ſeu Vicarius. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 22 col. I, ex Monumentis Conventus Tullenſis.* Hunc nonnulli confundunt cum *Bertramo* Epiſcopo *Tephelicenſi*, de quo dictum eſt hac in *Appendice*. Adeas *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXV pag.307, & Cavalerium Tomo I pag. 174 num. CCXCIII.*

Anno 1366. F. Simon Lingonienſis, Gallus, ex Magiſtro Generali Ordinis Epiſcopus Nannetenſis, *Nantes*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCIX pag. 244 ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V, Gallia Chriſtiana, S. Antonino, Plodio, & Olmeda. Cavalerius Tomo I pag. 162 num. CCLIV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLII pag. 636.* Idem Epiſcopus *Venetenſis* fuit, ut in *Appendice* ſequenti videre eſt.

Anno 1366. F. Guillelmus Sudre, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Oſtienſis, & Velitrinus. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Anno 1367. F. Johannes de Viterbio, Epiſcopus Civitatenſis, *Civitate*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXXVI pag. 170, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 157 num. CCXLI.*

F. Bartholomæus de Benevento, Epiſcopus Leſinenſis, *Leſina*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXVIII pag.214, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 155 num. CCXXXI.*

Anno 1367. IDem Epiſcopus Turtibulenſis, *Tortivoli*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXI pag.315, ex Ughello. Cavalerius* loco mox laudato.

Anno 1367. F. Antonius de Solutiis, Epiſcopus Scodrenſis, *Scutari*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXVIII pag. 292, ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Tomo I pag. 155 num. CCXXXII.*

Anno 1367. F. Thomas de Sulmona, Aprutinus, Epiſcopus Caſtellanetenſis, *Caſtellanetta*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Tarentino. *Ughellus in Epiſcopis Caſtellaneten. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 154 Edit. II, ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLVI pag. 159. Cavalerius Tomo I pag. 169 num. CCLXXII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXX pag. 682.*

Anno 1367. F. Gibertus Georgius, Venetus, Epiſcopus Parentinus, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcop. Parentinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.409, ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLIII pag. 260. Cavalerius Tomo I pag. 176 num. CCXCVIII.*

Anno 1367. F. Philippus Gezza de Rufinis, ex Epiſcopo Æſernienſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Clementis VI* dictum fuit, Epiſcopus Tiburtinus, *Tivoli*, in Latio, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcopis Tiburtinis Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1309, ex Regeſt. Vatican. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXVIII pag. 308. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. S. R. E. Cardinalis fuit *Philippus* noſter, ut in *Appendice ad Pontificatum Urbani VI* dicetur.

Anno 1368. F. Johannes Carnotenſis, Gallus, Epiſcopus Ruſionenſis, *Ruſio*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Trajanopolitano. *Cavalerius Tomo I pag. 156 num. CCXXXVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXCVIII pag.280, ex Nicolao Le Febvre.*

Anno 1368. F. Jacobus Petrus de Pigalordis, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Argolicenſis, *Argo*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. L pag.130, ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V, & Ughello in Mſs. Cavalerius Tomo I pag. 177 num. CCCI.*

F. Rober-

F. Robertus Gervaſii, Gallus, Epiſcopus Saniʒienſis, ſeu Senecenſis, *Senez*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXXVII pag.688, ex Bulla Urbani V data apud Urbem Veterem V Idus Octobris Pontificatus anno VII*, ex variis *Mſs.*, & ex *Baluzio*. Anno 1369.

F. Benedictus Hungarus, Epiſcopus Bergenſis, in Norvegia, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXIII pag.139, ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V. Cavalerius Toma I pag. 157 num. CCXL.* Anno 1369.

F. Johannes Scandeland, Epiſcopus Culmenſis, & Hildeſimenſis, ac Legatus, ut in præcedentibus *Appendicibus* dictum fuit, ex Epiſcopo Hildeſimenſi, Epiſcopus Auguſtanus, in Germania, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Cavalerius Tomo I pag 165 num. CCLIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXV pag.134, ex Leandro Alberto. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXIII pag. 672.* Anno 1369.

IDem Epiſcopus Wormatienſis, *Worms*, in Germania, ſub Archiepiſcopo Moguntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLVI pag.326, ex Lib. Proviſion. Prælator. Urbani V, & Gallia Chriſtiana antiqua fol. 312. Cavalerius* loco laudato. Anno 1370.

F. Nicolaus de Surrento, Epiſcopus Abellinus, *Avellino*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. I pag.152, ex Taegio, & Ughella. Cavalerius Tomo I pag. 178 num. CCCVIII.* Anno 1370.

F. Johannes de Aldobrandinis, Florentinus, Epiſcopus Eugubinus, *Gubbio*, in Ducatu Urbinatenſi, nunc ſub Archiepiſcopo Urbinaten. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXVIII pag.190, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.171 num. CCLXXXIV.* Anno 1370.

F. Antonius de Guardavalle, Senenſis, Epiſcopus Senenſis. *Cavalerius Tomo I pag.* 166 *num. CCLXII*, ex *Plodio*, & certis antiquis monumentis: ex quibus evincitur quidem quod *Senenſis* Epiſcopus *Antonius* noſter fuerit; ſed, ut notat *Cavalerius*, utrum *Senis* in *Hetruria* ſederit, an *Senenſis* Epiſcopus fuerit in *Croatia*, ſub Archiepiſcopo *Spalatenſi*, de hoc Scriptores diſſident. Circa Annum 1370.

F. Johannes, Epiſcopus Taureſienſis, *Taurir*, in Perſide. *Cavalerius Tomo I pag. 163 num, CCLV.* Ipſius mentio in *Conſtitutione Gregorii XI data XXVIII Januar. MCCCLXXV.* Circa Annum 1370.

LEGATI.

F. Guillelmus Sudre, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Legatus a Latere in Regnum Neapolitanum miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Tit. I num. IX pag. 344. Cavalerius*, aliique nonnulli ſupra laudati, quibus aſtipulatur *Thomas Aquinas* Carmelita excalceatus. Verum *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLXII pag.562*, & *Baluzius de Pap. Avenion.* pertendunt Legatum iſtum fuiſſe *Guillelmum de Agrifolio*, non Juniorem, ut excidit *Frizonio*, ſed Seniorem, Cardinalem *S. Mariæ Trans-Tiberim*, Tituli *Callixti*. Circa Annum 1366.

F. Simon e Puteo, vulgo *del Pozzò*, Meſſanus, Doctor Pariſienſis, de quo ſæpius dicetur in ſequentibus *Appendicibus*, Nuncius in Sicilia. *Cavalerius Tomo I pag. 185 num. CCCXLII.* Circa Annum 1370.

GREGORIUS XI,

(*a*) *Gregor. XI Conſtit. XLI.*
(*b*) Ex Epiſt. Cardinal. apud *Odoric. ad an. MCCCLXXVIII num. XIX.*

Gallus, electus (*a*) Avenione XXX Decembris MCCCLXX. Coronatus fuit ibidem V Januarii MCCCLXXI. Obiit (*b*) Romæ XXVII Martii MCCCLXXVIII. Sedit Annos VII, Menſes II, Dies XXVII.

Anno 1371 Die 15 Februarii.

De Sententia ferenda in Raymundum (1) de Tarraga, alias Judæum, tum Ordinis Prædicatorum, & Fidei deſertorem.

Ex Archivo (2) *Ordinis lib. B. fol. 568.*

I.

Guido (3) miſeratione divina Portuen. Epiſcopus, Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalis, Religioſo viro Fratri Nicolao Eymerici, Ordinis Prędicatorum, Magiſtro in Theologia, & Inquiſitori hęreticę pravitatis in Tarraconen., & Cęſarauguſtan. Provinciis, Salutem in Domino.

CUm vos Fratrem Raymundum de Tarraga ejuſdem Ordinis, de Judaiſmo ad Chriſtianam fidem converſum, ſuper nonnullis Capitulis hęreſim manifeſte ſapientibus jam per duos annos, & amplius tenueritis, & adhuc teneatis Barchinone veſtris carceribus mancipatum, prout ad Domini noſtri Sanctiſſimi Pontificis notitiam fide digna relatione pervenit, de mandato ejuſdem Domini noſtri, vivę vocis oraculo nobis facto, vobis auctoritate apoſtolica, nobis in hac parte commiſſa, in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna diſtricte pręcipiendo mandamus, quatenus omni excuſatione ceſſante, vos una cum venerabili prędicto Archiepiſcopo Tarraconen. eidem Fratri Raymundo, & de ipſo, bonum & breve juſtitię complementum juxta ſanctiones canonicas faciatis, ſervatis, quę in talibus ſervari debent, & hactenus ſervari conſueverunt. Nos enim contra vos ad pęnas prędictas, & alias veſtra exigente contumacia procedemus, ſi mandatis noſtris, immo verbis Apoſtolicis in hac parte non parueritis cum effectu. In quorum omnium teſtimonium pręſentes literas fieri fecimus, & ſigilli noſtri mandavimus appenſione muniri. Datum Avenione. die XV Menſis Februarii, Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo, Indictione IX, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, Domini Gregorii divina Providentia Papę Undecimi Anno Primo.

1. *Raymundum.*) Adeas *Peñam Commentar. LII ad Quæſtion. XXVII Director. Inquiſitor. pag.* 335, & *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXCIX pag.* 710 *col. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Barchinonenſi.*
3. *Guido.*) De quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCXLII pag.* 493.

Anno 1371 Die 1 Aprilis.

Toloſano (1), & Burdigalenſi (2) Archiepiſcopis, ac Lemovicenſi (3) Epiſcopo, ut animadvertant in eos, qui Fratres Prædicatores moleſtiis affecerint.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

II.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabilibus Fratribus Toloſan., & Burdigalen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Lemovicenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Mandatum.

VIri ſub Religionis habitu Domino famulantes, apoſtolicis debent pręſidiis communiri, & ut eo devotius, & quietius valeant divinis vacare obſequiis, quo a perverſorum conatibus conſpexerint ſe defenſos, intereſt noſtra, ſemper jis de opportunis remediis providere. Sane dilectorum filiorum Magiſtri, & Fratrum Ordinis Prędicatorum conqueſtione percepimus, quod nonnulli, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, eos diverſis, & gravibus injuriis, violentiis, & moleſtiis in diverſis mundi partibus perturbare, & affligere non formidant. Nos, eorundem Magiſtri, & Fratrum providere quieti, & malignorum conatibus obviare volentes, fraternitati veſtrę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiamſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis Conſervatores, & Judices, eidem Magiſtro, & Fratribus efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis, eos a prędictis, & quibuſvis aliis indebite moleſtari, vel eiſdem damna, vel violentias, injurias, vel moleſtias erogari; facturi eiſdem Magiſtro, & Fratribus, cum ab eis, vel procuratore, aut procuratoribus eorum fueritis requiſiti, de prędictis, & aliis perſonis quibuslibet, de quibuſcunque moleſtiis, violentiis, injuriis, atque damnis, pręſentibus, & futuris, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem, ſummarie, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, in aliis vero, prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitię complementum. Moleſtatores, pręſumptores, & Injuriatores hujuſmodi. necnon contradictores quoslibet, & rebelles cujuſcunque dignitatis, ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterint, etiamſi Pontificali pręfulgeant dignitate, quandocunque & quotieſcunque expedierit, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, in quibus cavetur, ne aliquis extra ſuam Civitatem, vel Dięceſim niſi in certis exceptis caſibus, ultra unam dietam a

Clauſula derogans.

fine ſuę Dięceſis ad judicium evocetur; ſeu Judices, vel Conſervatores a Sede deputati prędicta, extra Civitatem & Dięceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, aut alii, vel aliis vices ſuas committere, ſive aliquos ultra unam dietam a fine Dięceſis eorundem trahere pręſumant, ſeu quod de aliis, quam de manifeſtis injuriis, & moleſtiis, & aliis, quę judicialem indaginem exigunt, pęnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes adjectis, conſervatores ſe nullatenus intromittant. & de duabus dietis in Concilio Generali, dummodo ultra dietas (5) aliquis extra ſuam Civitatem vel Dięceſim auctoritate pręſentium ad judicium non trahatur, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & eorum perſonis, locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, ac qualibet alia Sanctę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam, pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua, cujuſque toto tenore de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Ceterum volumus, & auctoritate apoſtolica decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum, etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico impeditus; quodque a data pręſentium, ſit vobis, & cuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & ſingulis eorum, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, perpetua poteſtas, & juriſdictio attributa, ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, & pro prędictis, procedere, ac ſi prędicta omnia & ſingula eorum a vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum, in prędictis omnibus, & ſingulis, per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet. Conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus, & qualibet alia in contrarium edita non obſtante. Datum Avinione Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Toloſano*.) *Gaufrido* ſcilicet *de Vayrolis*.
2. *Burdigalenſi*.) Cui nomen *Henricus*.
3. *Lemovicenſi*.) Is erat *Johannes de Cros*.
4. *Archivo*.) In quo Exemplar. Ejuſdem Diplomatis meminit *Percinus Monument. Conventus Toloſani Seculo II pag.* 79; ubi notat *ex Annalibus Toloſæ Ms. Bullam banc a Curia Toloſana receptam, ſcriptamque in Regiſtro Urbis fuiſſe: cujus executioni ſe ſtatim accinxit Archiepiſcopus Toloſanus*. Addit quod *idem Pontifex nominat eodem anno ſpecialiter Archiepiſcopum Toloſanum Conſervatorem Privilegiorum noſtrorum, quod diu poſt acceptavit ſpecialiter Bernardus du Roſier Archiepiſcopus Toloſanus anno ſcilicet MCCCLII Pontificatus Nicolai V anno VI, cujus ſpecialem declarationem habemus*, inquit, *in Archivis*.
5. *Dietas*.) Ipſarum numerus deeſt.

Ilerdenſi Epiſcopo, ut quendam Judæum juriſdictioni Fratris Eymerici Inquiſitoris reſtituat (1). Anno 1371 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ord. Lib. B. fol. 567.

Miſeratione Divina Guido (3) Portuen., & Ægidius (4) Tuſculi, Epiſcopi, Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, Venerabili in Chriſto Patri Domino Epiſcopo Ilerden., Salutem in Domino. III.

DE mandato Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri Domini Gregorii Divina Providentia Papę Undecimi, vivę vocis oraculo nobis facto, tenore pręſentium vobis pręcipimus, & mandamus, quatenus Aſtruchum de Piera, Judęum Barchinonen., penes vos, & in veſtra cuſtodia certis de cauſis, ut dicitur, exiſtentem, venerabili in Chriſto Patri Domino Epiſcopo Barchinonen., & Fratri Nicolao Eymerico (5) Inquiſitori hęreticę pravitatis in Terris cariſſimi Regis Aragonum, vel ab eis certum mandatum habenti, infra ſexdecim dierum ſpatium a pręſentatione, ſeu notificatione pręſentium vobis factis, immediate ſequentium, tradatis, liberetis, & realiter aſſignetis. Datum Avinione ſub ſigillis noſtris Anno a Nativitate Domini milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo primo, Indictione nona, die decima menſis Aprilis, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Papę Anno Primo.

1. *Reſtituat*.) Factum narrat *Eymericus* ipſe *Directorii Inquiſitorum Parte II Quæſt. XLVI pag.* 381.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo aſſervato *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinæ*. Legitur apud *Eymericum* loco mox laudato.
3. *Guido*.) *De Bolonia* nuncupatus. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCXLII pag.* 493.
4. *Ægidius*.) De quo *Ciaconius ad annum MCCCLII pag.* 539.
5. *Eymerico*.) Natione *Catalanus*, Patria *Gerundenſis* fuit *Eymericus*, egregius ille Doctor, Inquiſitor intrepidus, qui XL annis pro fide catholica viriliter decertavit. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXCIX pag.* 709, & 710, ubi de *Aſtrucho de Piera* loquitur.

Ne

Ne tres hic inſerti Articuli (1) circa Euchariſtiam prædicentur.

Anno 1371 Die 8 Auguſti.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXI num. XI.

IV. Miſeratione Divina Petrus (3) S. Euſtachii, & Guillermus (4) S. Angeli, Diaconi Cardinales, Reverendis Patribus Tarraconenſis, & Cęſarauguſtanę Provinciarum Archiepiſcopis, eorumque Suffraganeis, necnon Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, a Sede Apoſtolica in ipſis provinciis deputatis, Salutem, & ſinceram in Domino Caritatem.

Relatione Religioſi Fratris Nicolai Eymerici (5), Magiſtri in Theologia, ac in dictis Provinciis hęreticę pravitatis Inquiſitoris, ad audientiam Domini noſtri Papę nuper pervenit, quod tam in veſtris, quam in Suffraganeorum veſtrorum Eccleſiis palam & publice per certos Religioſos prędicati fuerunt tres Articuli ſubſequentes in effectu. Primus, quod ſi Hoſtia conſecrata cadat, ſeu projiciatur in cloacam, lutum, ſeu aliquem turpem locum, quod Speciebus remanentibus, ſub eis eſſe deſinit Corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis. Secundus quod ſi Hoſtia conſecrata a mure corrodatur, ſeu a bruto ſumatur, quod remanentibus dictis Speciebus, ſub eis deſinit eſſe Corpus Chriſti, & redit ſubſtantia panis. Tertius, quod ſi Hoſtia conſecrata a juſto, vel a peccatore ſumatur, quod dum Species dentibus teritur, Chriſtus ad cęlum rapiatur, & in ventrem hominis non trajicitur. Supplicato igitur per ipſum Inquiſitorem eidem Domino noſtro Papę ſuper hujuſmodi articulis, ex quorum prędicatione poſſent ſcandala ſuſcitari, ſalubriter provideri; idem Dominus noſter Papa nobis ibidem pręſentibus vivę vocis oraculo expreſſe commiſit, quatenus auctoritate ſua Apoſtolica vobis mandaremus, ut omnis morę ſublato diſpendio in dictis veſtris Provinciis ſub pęna excommunicationis inhibeatis, ne quis deinceps dictos articulos publice prępſumat prędicare. Nos igitur Petrus, & Guillermus, Cardinales prędicti, hujuſmodi mandatum apoſtolicum cupientes exequi, ut tenemur, vobis, & veſtrum cuilibet in virtute ſanctę obedientię pręcipimus, & mandamus, ne ab inde in antea dictos articulos, ſeu eorum alterum ſub eiſdem, vel aliis verbis idem ſonantibus, in ſubſtantia, ſeu in effectu in veſtris Eccleſiis, vel alibi palam, ſeu publice prędicari a quoquam permittatis; & hoc ſub pęna excommunicationis, qua contrarium facientes innodetis ipſo facto: notificantes vobis nihilominus ſimili mandato, per ipſum Dominum noſtrum Papam nobis facto, quod idem Dominus noſter Papa Fratri Johanni de Latone (6) Ordinis Minorum, qui aliquos de dictis articulis in veſtris Eccleſiis frequenter recitando prędicaverat, inhiberi fecit ſub pęna excommunicationis, ne dictos articulos de cetero publice prędicare pręſumat. In quorum omnium teſtimonium ſigilla noſtra pręſentibus duximus imponenda. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Diœceſis, Die VIII Menſis Auguſti Anno Domini MCCCLXXI, Indictione IX, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris Domini Domini noſtri Gregorii, Divina Providentia Papę XI, Anno Primo.

(Margin: Articuli. — Inhibitio.)

1. *Articuli.*) Conſulendus *Pena Commentar. XV Prima Parte Director. Inquiſitor. pag. 46*, ubi Theologos laudat hac de re differentes.
2. *Odorico.*) Legitur etiam apud *Eymericum Director. Inquiſitor. Parte I pag. 45, Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXI num. XIII*. Adeas etiam *Spondanum ad eundem Annum num. III.*
3. *Petrus.*) *Flandrinus* nuncupatus, alias *Flandrius*, de quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCLXX pag. 605.*
4. *Guillermus.*] Seu *Guillelmus Novelleti*, de quo *Ciaconius* loco mox laudato.
5. *Eymerici.*) Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicator. ad an. MCCCXCIX pag. 709 &c.*
6. *Johanni de Latone.*) Conſule *Waddingum Annal. Minor. ad an. MCCCLXXI num. XIV pag. 148 &c.*

Ex relatione F. Eymerici in Raymundum (1) de Tarraga, Ordinis, & Fidei deſertorem inquirendum decernit.

Anno 1371 Die 23 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis Lib. B. fol. 568.

V. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri .... Archiepiſcopo Tarraconen., & dilecto filio Nicolao Eymerici, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, in omnibus terris cariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri, Regis Aragonum illuſtris, ditioni ſubjectis Inquiſitori hęreticę pravitatis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Prę cunctis mentis noſtrę deſideriis catholicę fidei incrementum affectantes, nimio dolore replemur, cum audimus aliquos, vel ſentimus, ad illius depreſſionem quacunque malignitate ſatagere, vel damnabilibus derogando, ſeu commentis eam mendacibus pervertendo, ad quorum iniqua ſternenda molimina eo animoſius aſpiramus, quo in animarum ſtragem pernicioſius eos agnoſcimus conſpirare. Sane nuper ad noſtrum, non ſine diſplicentia grandi, fide digna relatione, pervenit auditum, quod Raymundus de Tarraga, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, qui dudum de judaicę cęcitatis errore ad lucem rediit Fidei chriſtianę, damnabiliter ſatore majorum operum procurante, publicet, tenet, aſſerit, & prędicat doctrina ſua ſacrilega & perverſa, nonnullos errores ſuper quibus tu, fili Nicolae, Inquiſitor hęreticę pravitatis in partibus illis, auctoritate apoſtolica deputatus, contra eundem Raymundum, prout ad tuum ſpectabat officium inquiſiviſti. Cum autem prędicta, ſi veritate nitantur, remanere non debeant impunita, diſcretioni veſtrę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus legitimis in prędictis per te, Inquiſitor, habitis, ſervatis proceſſibus pręfatum Raymundum, ſi aliquos errores hęreticales teneat, approbet, vel deffendat, niſi eos ſponte abjuraverit, ac pęnituerit, & ſatisfactionem exhibuerit competentem, eum, appellatione remota, puniatis juxta Canonicas Sanctiones. Si vero propter alicujus, ſeu aliquorum potentiam, malitiam, vel timorem, prędicta exequi non poſſetis, dictum Raymundum cum omnibus proceſſibus contra eum

(Margin: Hujuſce Diplomatis cauſa. — Mandatum.)

eum ſuper his factis, & habitis, & per vos faciendis, & habendis, & cum omnibus documentis, quę ſuper his haberi poterunt, veſtris ſigillis ſigillatis, ſub fida cuſtodia nobis quantocius mittere non tardetis; contradictores quoſlibet, & rebelles cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis exiſtant, etiam ſi Pontificali, vel alia qualibet Eccleſiaſtica, vel mundana prętulgeant dignitate, auctoritate noſtra, & per alia juris remedia, de quibus vobis videbitur, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, qua cavetur, ne quis extra ſuam Civitatem, & Diœceſim, niſi in certis exceptis caſibus, & in illis ultra unam dietam, a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur; ſeu ne Judices a Sede Apoſtolica deputati extra Civitatem & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere pręſumant, & de duabus dietis in Concilio Generali, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, quam perſonis ultra certum numerum ad judicium non vocandis, aut aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio, quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & earum perſonis, & locis, ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de qua, cujuſque toto tenore, de verbo ad verbum in noſtris literis habenda ſit mentio ſpecialis. Datum apud Villam Novam, Avinionen. Diœceſis, X Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Raymundum.*) Legendæ *Notationes* ad vivæ vocis oraculum datum XI Februarii *MCCCLXXI*. Hic autem notandum Primo, non ſolum *Eymericum*, cæteroſque ſcriptores coævos, ſed & ipſa Diplomata Pontificia errores *Raymundi de Tarraga* ab erroribus *Raymundi Lulli Majoricenſis* liquido diſtinxiſſe. Secundo *Raymundum de Tarraga* nunquam cognominatum fuiſſe *Lullum* in Pontificiis Diplomatibus. Tertio *Eymericum* omni perſonarum delectu, omni diſcrimine remoto, ſic jus dixiſſe, ut incorrupta fide vivens in quoſcunque nocentes animadverteret, & mortuus hæreticos a tribus circiter ſeculis inſequatur aureo illo libro, *Directorio* nempe *Inquiſitorum*, quo veluti canone utuntur Fidei Quæſitores.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Barchinonenſi*.

Uni ex noſtris, & aliis nonnullis munus Pœnitentiarii Urbis prorogat (1). Anno 1371 Die 22 Septembris.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo IV ad an. MCCCLXXI num. XIII pag. 148.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Johanni Cambereti, Henrico de Buda, Petro de Bardis, Angelo de Campofloris, Nicolao de Ayrolo, Angelo Guerruccii, Jacobo de Vratislavia, Raynerio de Viterbio, & Roberto de Tinelby. Fratribus Ordinum Minorum, Prędicatorum, & Eremitarum Sancti Auguſtini, noſtris in Alma Urbe Pęnitentiariis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VI.

GRata veſtrę devotionis obſequia, & cura ſolicita, quibus erga Romipetas, & alios pęnitentes, qui ad Almam Urbem, cauſa peregrinationis, devotionis, & pęnitentię undique confluunt, laboraſtis hactenus, & continuo laboratis, merito nos inducunt, ut vobis ſimus opportuno tempore gratioſi. Attendentes igitur, quod vos officium Pęnitentiarię, quod in Urbe pręfata tempore fel. record. Urbani Papę V, Prędeceſſoris noſtri commiſſum vobis fuit, auctoritate apoſtolica exercendum, prudenter & laudabiliter, ſicut relatione fide digna percepimus, exercuiſtis, & ſperantes, quod illud exercebitis laudabilius in futurum, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vos, & veſtrum quemlibet in hujuſmodi Pęnitentiarię officio, ex certa ſcientia, auctoritate apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis infringere &c. Datum apud Villam Novam Avinion. Diœceſis X Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. — Confirmatio. — Sanctio pœnalis.

1. *Prorogat.* Conſulendus *Waddingus Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLXXI num. XII.*

Abbati Sanctæ Mariæ Vallisdignæ Diœceſeos Valentinæ (1), ne quis moleſtiam Fratribus Prædicatoribus exhibeat. Anno 1372 Die 29 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Sanctę Marię Vallisdignę, Valentinę Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VII.

EXhibita nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Civitatis Valentinę, Provincię Tarraconenſis, petitio continebat, quod licet dilectus filius Bernardus de Candello Officialis Valentin. in eoſdem Priorem, & Fratres, & eorum domum, qui ab omni juriſdictione, dominio, & poteſtate quorumlibet Judicum ordinariorum ſunt prorſus exempti (3), & Sedi Apoſtolicę immediate ſubjecti, nullam haberet juriſdictionem ordinariam, ſeu etiam delegatam; tamen idem Officialis eoſdem Priorem, & Fratres pluries coram ſe auctoritate ordinaria ad judicium evocavit, & evocat; & niſi coram eo compareant, eos excommunicat, & ſuſpendit a divinis, & eorum Eccleſiam eccleſiaſtico ſupponit interdicto, ipſoſque Priorem, & Fratres excommunicatos, & ſuſpenſos pluries fecit, & facit publice nunciari, etiam poſt, & contra appellationes legitimas, ab eo occaſione prędictorum pro parte dictorum

Supplex Fratrum petitio.

dictorum Prioris, & Fratrum ad dictam Sedem interjectas, ac pręmiſſis non contentus, quoſcunque ad Eccleſiam dictorum Prioris, & Fratrum euntes, & inibi audientes divina, & ipſis, Priori, & Fratribus confitentes excommunicavit, & excommunicat, monens generaliter ſub pęna excommunicationis, quam, ut dicebat, tulit in ſcriptis, quod nullus penes eoſdem Priorem & Fratres eligat ſepulturam, aſſerendo, quod nullus poteſt eis confiteri, nec ab ipſis audire divina, ſed ſolum a ſuo Curato, ac ipſi & non alteri tenetur quis confiteri, & nihilominus impedivit, prout impedit, & fecit, & facit, quo minus dicti Prior & Fratres, emolumenta eis, & eorum Eccleſię ratione funeralium, & legatorum, & alia data percipere valeant, & habere, & alia quamplura gravamina eiſdem Priori, & Fratribus inferre non ceſſat; propter quę prędicti Prior, & Fratres, ſentientes exinde indebite ſe gravari, ad Sedem appellarunt prędictam, & deinde nobis humiliter ſupplicarunt, ut providere eis ſuper pręmiſſis de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod inſtatum fuerit ſimpliciter & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore, ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Non obſtante, ſi eidem officiali, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a prędicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Avinione IV Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum. (margin, beside "…dignaremur. Nos itaque…")

Clauſula derogans. (margin, beside "Non obſtante…")

1. *Valentinæ.*) In *Hiſpania Tarraconenſi*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Valentino*.
3. *Exempti.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulo V.*

Anno 1372 Die 15 Martii.

F. Walcherus Karlinger (1), aliique duo, quæſtionem inſtituant in Epiſcopum Alberſtadenſem, Fatum inducentem, liberumque arbitrium, ac merita & demerita tollentem (2).

Ex Oderico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXII num. XXXIII.

VIII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Herbordo Prępoſito Eccleſię S. Severi Erfordenſi, Maguntinę Diœceſis, ac Walchero Karlinger, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in nonnullis partibus Alemannię Inquiſitori hęreticę pravitatis, ac Rodulfo, Ordinis Fr. Eremitarum S. Auguſtini Profeſſori, in ſacra Theologia Magiſtris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis cauſa.

NOn abſque multa amaritudine noſtri cordis fide dignis relatibus ad noſtrum pervenit auditum, quod Albertus Alberſtadenſis Epiſcopus coram multis nobilibus, & aliis tam clericis, quam laicis, civitatis & Diœceſis ſuę, paſtorali gubernationi, non diſſipationi, a Sede Apoſtolica commiſſarum, in verba nefandiſſima aſperſa labe pravitatis hęreticę ſępius eſt prolapſus, aſſerendo inter cetera contra catholicam fidem, & Sanctorum Patrum definitiones, quod omnia in hoc mundo ex neceſſitate eveniunt, & quod fata cuilibet homini vitę ac mortis neceſſitatem imponunt; & quod non eſt habendum conſilium, nec deliberandum de aliquo, cum omnes actus hominum, etiam a libero arbitrio procedentes, noſcantur ex neceſſitate cęleſtis influentię provenire; quodque de his idem Epiſcopus eſt in illis partibus publice diffamatus: propter quę nonnulli, etiam nobiles, & alii de partibus illis dicto Epiſcopo, qui literatus aſſeritur, humana ſcientia potius, quam divina ſapientia eruditus, damnabiliter in hac parte credentes, & per hęc putantes tolli merita, & demerita, incipiunt omittere invocationem divini auxilii, & Sanctorum, nonnullaque alia opera pietatis, & alias in dicta fide catholica vacillare; ac alia multa & periculoſa nimium ſcandala in dictis partibus oriuntur; Nos igitur, ne tam lethalis morbus ſerpat in plurimos, & Chriſti fideles ſua peſtifera contagione commaculet, ſed jam ortus penitus extirpetur, volentes, prout ad noſtrum ſpectat officium, ſuper his de opportuno remedio providere; diſcretioni veſtrę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi vocatis dicto Epiſcopo, & aliis, qui fuerint evocandi, inveneritis ita eſſe, ſeu eundem Epiſcopum fore de prędictis publice diffamatum, ipſi Epiſcopo ex parte noſtra in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis, & ſuſpenſionis ab adminiſtratione ſpiritualium & temporalium, pęnis, quas eo ipſo incurrat, niſi fecerit quę pręceperitis ſibi, diſtricte mandantes, quod in pręſentia veſtra, ac Cleri & populi dictarum civitatis & Diœceſis, ad hoc ſpecialiter congregandorum, errorem & temeritatem hujuſmodi veraciter & humiliter recognoſcens, prędicta temere prolata per eum publice revocare, retractare, & deteſtari, ac jurare procuret, dicendo, & aſſerendo, quod talia credere, & aſſertive dicere hęreticum eſt, & a pręfata Fide catholica alienum, confecto exinde publico inſtrumento: & ſi hoc infra certum peremptorium terminum competentem, quem ad id ſibi duxeritis ſtatuendum, non fecerit, ipſum ex parte noſtra citetis, quod infra duorum menſium ſpatium, a die citationis hujuſmodi computandum, conſpectui noſtro perſonaliter ſe pręſentet, ſuper his, & aliis noſtris pariturus mandatis, ac pęnam, & pęnitentiam debitas ſubiturus, ac ſuper pręmiſſis ſtaturus, & recepturus quod juſtitia ſuadebit. Et nihilominus, ſive idem Epiſcopus pręmiſſa aſſertionem & verba revocaverit, retractaverit, & abjuraverit publice, ut pręfertur, ſive non, vos & quilibet veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios ea publice prędicetis, & aſſeratis fore hęretica, & a Sancta Romana Eccleſia matre, & magiſtra cunctorum fidelium reprobata: tuque fili, Inquiſitor, & alii Inquiſitores hęreticę pravitatis contra

Mandatum. (margin, beside "…oriuntur; Nos igitur…")

contra omnes & ſingulos huiuſmodi hęreſis labe reſperſos, prout ad veſtrum ſpectat officium, procedatis &c. Datum Avinione Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Walcherus Karlinger.*) Quem *Bzovius Annal. Eccleſiaſt.* ad an. MCCCLXXII num. XXXV *Valtherum Karlingerum* vocat, & Provincialem *Saxoniæ* dicit.
2. *Tallentem.*) Conſulendi *Bzovius*, mox laudatus, & *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCLXXII num. XXX.*
3. *Odorico.*) Ex *Regeſto Vaticano*. Meminit *Bzovius* mox citatus.

Philippo (1) Cardinali Vicario, ut diſſolvat, & compenſet damna (2) facta Fratribus Tudertin., & aliis.

Anno 1372 Die 22 Aprilis.

Ex Waddingo Annal. Minor. Tomo IV in Regeſto pag. 110.

IX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Philippo Epiſcopo Sabinen. in nonnullis Provinciis, & Terris Romanę Eccleſię in partibus Italię conſiſtentibus, noſtro, & pro Eccleſia ipſa in temporalibus Vicario Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dudum pro ſecuritate Status Romanę Eccleſię in Prędicatorum Tudertin., & Minorum Ortan. Fratrum, & Monialium S. Marię Magdalenę Narnien. Sanctę Clarę, Ordinum, locis fuerint per Officiales dictę Eccleſię factę arces, & propterea Fratres, & Moniales pręfati perdiderint Loca, & Monaſteria ſua, & alia Monaſteria, & Loca, non abſque Fratrum, & Monialium gravibus damnis, & expenſis, ędificare cogantur, volumus, prout rationis exiſtit, quod prędictis Fratribus, & Monialibus pro hujuſmodi ſuorum compenſatione damnorum, & expenſarum, ac fabricę novorum Locorum & Monaſterii de proventibus Romanę Eccleſię, conſiſtentibus in partibus tui Vicariatus, ſatisfieri facias, prout juſtum fuerit, & tuę circumſpectioni videbitur expedire. Datum Avinione X Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Mandatum.

1. *Philippo.*) Ex nobili *Caballolaorum* familia oriundo; Conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCLXII pag. 566.*
2. *Damna.*) Adeas *Waddingum Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLXXII num. XXXIX pag. 170.*

Archiepiſcopo Tarraconenſi, ut Raymundi Lull (1) ſcripta penitus recognoſcat, & comburenda decernat, ſi hæreſi inficiantur.

Anno 1372 Die 5 Junii.

Ex Peña (2) ad eadem Director. Inquiſitor. pag. 85.

X.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri... Archiepiſcopo Terraconen. (3) Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper, dilecto filio Nicolao Eymerici (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſore, Magiſtro in Theologia, in partibus Aragonię Inquiſitore hęreticę pravitatis, nobis referente, percepimus, quod in partibus illis nonnulli laici, quamplures libros habent in vulgari per Raymundum Lull, civem Majoricen., compoſitos, in quibus, ut idem Inquiſitor videtur aſſerere, errores quamplurimi in fide continentur. Nos igitur in pręmiſſis, prout ex debito tenemur paſtoralis officii, providere volentes, Fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus hujuſmodi libros per quoſcunque habeantur, ſeu detineantur, tibi facias exhiberi: & ſi per tuam, ac dicti Inquiſitoris, & aliorum Magiſtrorum in Theologica facultate, & juriſperitorum, quos propter ea coram te evoces, repereris, quod pręfati libri errores in fide contineant, eoſdem libros comburas, & comburi facias, atque mandes, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, de quibus videbitur, appellatione poſtpoſita, compeſcendo: Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis de una, & de duabus dietis, & aliis contrariis quibuſcunque; ſeu ſi eidem Raymundo, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum apud Pontem Sorgię, Avinionen. Diœceſis, Non. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Raymundi Lull.*) *Majoricenſis*. Adeas *Eymericum Directorii Inquiſitor. Secunda Parte Quaeſt. XXVI pag. 331*, *Peñam Commentar. LI* in eandem *Quaeſtionem*, *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXII num. IX &c., Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXCIX pag. 714.*
2. *Peña.*) Idem tranſcripſit *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLXXII num. XXXV* ea *Regeſto Vaticano*. Legitur etiam apud *Bzovium ad an. MCCCLXXII num. XIX*. Ejuſdem meminerunt Auctores, de quibus in *I Nota*, aliique paſſim.
3. *Terraconen.*) *Tarraconen.*
4. *Eymerici.*) De quo conſulendi Scriptores quos laudat *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXCIX pag. 717.*

Anno 1372 Die 22 Junii.

Fratri Guillelmo Magiſtro ſacri Palatii, aliiſque nonnullis, difficultates aliquas enodandas committit (1).

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLXXII num. XXXIII pag. 167.

XI. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Gauffredo Coriſopeten., & Franciſco Cavallecen., & Galtera Glauſtren. Epiſcopis, necnon dilectis filiis Guillelmo (3) Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro (4), & Johanni Cleutrot Pęnitentiario noſtro, ac Jordano de Caſtellan. Magiſtro Regenti in Conventu Avinionen. Pręedicatorum, & Eremitarum Sancti Auguſtini, Ordinum Profeſſoribus, ſacrę Theologię Doctoribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. AD procurandum ſalutem animarum, non ſolum fidelium Chriſti, ſed etiam deviantium, & alienorum a fide catholica, fidei ſtudio, prout nobis ex alto conceditur, intendentes, de declarationibus dubiorum, quę pręedicantibus Verbum Dei, pręſertim inter infideles, & hęreticos, ac ſchiſmaticos, in remotis partibus conſtitutis, ſępe oriri contingunt, libenter apoſtolica ſolicitudine providemus, ut ipſi Pręedicatores de pręedicandis, & exercendis per eos certiores effecti, pręedicationis miniſterium promptius, & libentius, ac fructuoſius exequantur. Hujus Diplomatis cauſa. Sane dilecti filii Bartholomęus de Alvernia Vicarius dilecti filii Miniſtri Generalis Ordinis Fratrum Minorum, ac Fratres ejuſdem Ordinis in partibus Boſnę conſtituti, & tanquam apes argumentoſę circa pręedicationem Verbi Dei, ac converſionem hęreticorum, & ſchiſmaticorum partium pręedictarum, in quibus eorum habitat multitudo, ſuos nuncios ad Sedem Apoſtolicam deſtinarunt, per quos nobis fecerunt exponi, quod cum in eiſdem partibus, non ſit niſi in quibuſdam, utique paucis, perſonis, reſpectu reliquę copioſę multitudinis errantium, fides catholica propagata, & non ſint etiam ibidem Eccleſię Parochiales, & per conſequens, nec Rectores earum, quibus cura immineat animarum, nonnulla dubia eis occurrunt, quorum declaratio ad ſervationem ſuarum conſcientiarum, & ad ſalutem proficeret animarum. Quare iidem Nuncii nobis humiliter ſupplicarunt, ut ipſa dubia, quę nobis tradiderunt in ſcriptis, declarare, ſeu declarari facere auctoritate apoſtolica dignaremur. Mandatum. Nos igitur aliis innumerabilibus, & etiam arduis S. R. E., & etiam univerſalis Eccleſię, negotiis occupati, ad hoc per nos ipſos intendere non valentes, ac de prudentia, & ſcientia veſtrum, qui eſtis in Lege Domini eruditi, utpote in ſacra Theologia Magiſtri, & de zelo caritatis, quam habetis ad ſalvandas animas, gerentes in Domino fiduciam pleniorem, diſcretioni veſtrę tenore pręſentium, auctoritate apoſtolica committimus, & mandamus, quatenus vocatis, & adjunctis vobis aliquibus aliis in dicta Theologia Magiſtris, & Doctoribus decretorum exiſtentibus in Romana Curia, de quibus vobis videbitur, ac diligenter viſis, & examinatis hujuſmodi dubiis, quę vobis tradi pręcepimus, & quę haberi volumus pręſentibus pro expreſſis, habentes pre oculis ſolum Deum, & ſalutem animarum hujuſmodi attendentes, dubia ipſa auctoritate noſtra ſecundum Sacram Scripturam, & Canones declaretis; mandantes Nota. auctoritate pręedicta per eoſdem Vicarium & Fratres, ac alios declarationem veſtram hujuſmodi firmiter teneri, & etiam obſervari. Datum Avinione X Kalend. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Committit.*) Legendus *Waddingus Annal. Minor. Tomo IV ad an. MCCCLXXII num. XXX.*
2. *Waddingo.*) Ex *Regeſto Vaticano*, Meminit *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLXXII num VII.*
3. *Guillelmo.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor Ordinis ad annum MCCCLXX pag. 664.* Emendandus *Alva* in Libro cui Titulus *Sol veritatis Rad. CXCVIII.*
4. *Palatii Apoſtolici Magiſtro.*) Recenſendus ergo eos inter, quos omiſit *Fontana.*

Anno 1372 Die 27 Julii.

Ut Prælati, ceterique Fideles Germaniæ Inquiſitoribus auxilio ſint in hæreticos (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus univerſis, & ſingulis Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus, Prioribus, Pręepoſitis, Decanis, aliiſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Pręlatis, ac Perſonis Eccleſiaſticis, necnon Nobilibus Viris, Principibus, Ducibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, aliiſque terrarum Dominis, ac Univerſitatibus, & Rectoribus Civitatum, Oppidorum, & Caſtrorum, & Villarum, per Alemaniam, Coloniam, & Sileſiam, & alias quaſdam partes fidelium, conſtitutis, ad quos pręſentes pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujuſce Diplomatis cauſa. PErduxit ad audientiam noſtram relatio fide digna, quod dilecti filii Inquiſitores hęreticę pravitatis, in Civitatibus, Diœceſibus, & Provinciis Magdeburgenſi, & Bremenſi, & in terris Thuringię, Haſſię, & Saxonię per Sedem Apoſtolicam deputati, & eorum Vicarii, auxilio divinę gratię, & aſſiſtentia magnatum, & univerſitatum partium earundem nonullos Beghardos (3) & Beghinas, in quibus reperti erant multi hęreticales errores, prout ex commiſſi eis officii tenebantur debito, perſequentes, eos de pręedictis partibus extirparunt, nonnullis eorum hęreticorum converſis, & aliis ex ipſis juſti judicii animadverſione punitis. Verum, ut habet pręedicta relatio, plures ex Beghardis, & Beghinis eiſdem, de dictis, & aliis partibus, timore ipſorum Inquiſitorum perterriti ad partes Ducatus Stetinenſis, & ad Terram Sileſię,

ac

ac Civitatem, & Diœceſim Wratislavienſem, & alias partes veſtras, in quibus Beghardorum, & Beghinarum hujuſmodi eſſe dicitur multitudo, qua juvari, & in ſua defendi pravitate, confidunt, fugiſſe dicuntur, Univerſitatem veſtram requirimus, & rogamus attente, quatenus Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem in eiſdem veſtris partibus deputatis, & eorum Vicariis, & Nunciis, contra quoſcunque hęreticos, ſeu hujuſmodi ſtatum Beghardorum, & Beghinarum tenentes, ſeu alias utriuſque ſexus hęretica labe infectos, pro Dei, & fidei Catholicę reverentia aſſiſtatis, cum veſtro brachio ſeculari, ac aliis veſtris auxiliis, conſiliis, & favoribus opportunis, cum ſuper hoc fueritis requiſiti, ut de agro Dominico extirpata zizania, ſeges Domini creſcat, in horreum Dominicum inferenda, voſque proinde cęleſte pręmium liberius reportetis. Datum apud Villam Novam Avinionenſis Diœceſis, VI Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Mandatum.

1. *Hæreticos.*) Conſulenda *Diſſertatio I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo Wratislavienſi.
3. *Beghardos.*) De quibus ſæpius dictum fuit.

Fidei Cenſoribus, ut in Chriſtianos, Saracenorum impietatem ſequentes, & in Saracenos, Chriſtianos ad id inducentes, animadvertant (1).

Anno 1372 Die 3 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 570.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Prędicatorum, & Minorum, Ordinum, Inquiſitoribus hęreticę pravitatis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIII.

ADmodum dolenter audivimus, & narrantes, quod non ſolum quidam de Saracena impietate ad Chriſtianam fidem converſi, ad eandem ſunt impietatem reverſi, verum etiam quamplurimi Chriſtiani veritatem fidei abnegantes, ſe damnabiliter ad Agarenorum perfidiam tranſtulerunt; quod tanto magis reprobum fore cognoſcitur, quanto ex hoc per Chriſti fideles nomen ſanctiſſimum quadam familiari hoſtilitate ſecurius blaſphematur. Cum autem huic peſti damnabili congruis, & feſtinis, deceat remediis obviari; Univerſitati veſtrę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus infra terminos vobis ad inquirendum contra hęreticos auctoritate Apoſtolicę Sedis deſignatos ſuper pręmiſſis, tam per Chriſtianos, quam etiam per Saracenos, inter Chriſtianos morantes, inquiſita diligenter, & ſolicite veritate, contra omnes, quos talia inveneritis hactenus commiſiſſe, aut committere in futurum, tanquam contra hęreticos, contra fautores etiam, receptatores, & defenſores hęreticorum procedere ſtudeatis. Saracenos quoque, qui Chriſtianos utriuſque ſexus ad dictam eorum perfidiam induxerunt, aut inveneritis de cetero inducentes, pęna debita puniatis. Contradictores &c. Invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Datum apud Villam Novam, Avinion. Diœceſis, III Nonas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Hujus Diplomatis cauſa.

Mandat ut ſupra.

1. *Animadvertant.*) *Cum ... in finitimis Hungariæ Provinciis*, inquit *Odoricus Raynaldus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXII num. XXXIV, *plures impii, abjecto Chriſti cultu, ad Mahumeticam ſuperſtitionem deſciſcerent, atque alii, qui ab ea ad Chriſtianorum caſtra transfugerant, poſtquam Baptiſmo fuiſſent initiati, ad priſtinam impietatem relaberentur, Gregorius tantum flagitium repreſſurus Prædicatoribus & Minoritis, quibus de fidei cauſis cognoſcendi munus erat injunctum, dedit imperia, ut in hos eodem pœnæ genere, atque in hæreticos animadverterent.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo aſſervatur *Barchinone* in *S. Catharinæ* Cœnobio. *Odoricus* laudat *Regeſtum Vaticanum*. Illud idem *Diploma* tranſcripſit *Waddingus Annal. Minor. Tom. IV ad annum MCCCLXXII pag.* 169. In *Bullario Romano* eſt *Secunda*.

Archiepiſcopus Toloſanus, & F. Hugo de Verduno (1) Inquiſitor, quæſtionem inſtituant (2) in nonnullos Eccleſiaſticos, & Religioſos.

Anno 1372 Die 18 Novembris.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXII num. XXXV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri... Archiepiſcopo Toloſano, & dilecto filio Hugoni de Verduno, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, Inquiſitori hęreticę pravitatis, in partibus illis auctoritate apoſtolica deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIV.

NUper diſplicenter accepimus, quod in civitate Toloſana, nonnullę perſonę Eccleſiaſticę ſeculares, & etiam regulares, plus ſapere, quam oportet, contra doctrinam Apoſtoli, temere appetentes, in ſuis prędicationibus, diſputationibus, reſponſionibus, determinationibus, ac lecturis, nonnulla erronea, & fidei orthodoxę contraria prędicare, docere, tenere, & aſſerere non verentur, in animarum ſuarum periculum, Chriſti fidelium pernicioſum exemplum, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur, prout ex debito tenemur paſtoralis officii, tam circa correctionem exceſſuum hujuſmodi, ne ſanguis prędictorum de noſtris manibus requiratur, quam circa ſuarum ſalutem animarum providere, ſalubriter cupientes, ac ſperantes, id poſſe per veſtrę diligentię ſtudium feliciter, divina ſuffragante gratia, provenire; diſcretioni veſtrę per apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus omnes & ſingulos Seculares, & etiam Religioſos, qui Toloſę errorem aliquem contrarium Fidei orthodoxę prędicaverunt, aut in futurum prędicabunt, vel docuerunt, ſeu tenuerunt, aut aſſeruerunt, vel in futurum hoc facient in ſuis diſputationibus, reſponſionibus, determinationibus, aut lecturis, auctoritate apoſtolica, prout Mandatum.

juſtum fuerit, corrigatis, puniatis, & ipſos hujuſmodi eorum errores revocare compellatis. Datum Avinione XIV Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *F. Hugo de Verduno.*) Adeas *Percinum* in *Opuſculo de Inquiſitione Parte III Cap. V pag.* 103 *col. I.*

2. *Inſtituant.*) Conſulendus *Odoricus Raynaldus ad annum MCCCLXXII num. XXXV.*

Anno 1373 Die 1 Januarii.

De comburendis libris Raymundi (1) de Tarraga.

Ex Archivo (2) Ord. lib. B. fol. 569.

XV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri .... Archiepiſcopo Tarraconen., & dilecto filio Nicolao Eymerici, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, in omnibus terris cariſſimi in Chriſto filii noſtri Petri, Regis Aragonum illuſtris, ditioni ſubiectis Inquiſitori hereticę pravitatis, Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis cauſa.

DUdum ad audientiam noſtram deducto, quod quondam Raymundus de Tarraga, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, qui olim de judaicę cecitatis errore ad lumen redierat fidei chriſtianę, damnabiliter, favore malorum operum procurante, publice tenebat doctrina ſua ſacrilega, & perverſa, nonnullos errores, ſuper quibus tu, fili Nicolae Inquiſitor hereticę pravitatis in partibus illis auctoritate Apoſtolica deputatus, contra eundem Raymundum proceſſiſti, prout ad tuum ſpectabat officium Inquiſitionis, Nos vobis noſtris dedimus literis (3) in mandatis, ut, legitimis in pręmiſſis per te, Inquiſitor, habitis ſervatis proceſſibus, prętatum Raymundum, ſi aliquos errores hereticales teneret, approbaret, vel deffenderet, niſi eos ſponte abjuraret, ac peniteret, & ſatisfactionem exhiberet competentem, eum, appellatione remota, puniretis juxta canonicas ſanctiones. Cum autem, ſicut accepimus, dictus Raymundus, qui dum vivebat nonnullos libros & ſcripturas, varios errores hereticales continentes, feciſſe dicitur, viam fuerit univerſę carnis ingreſſus, nos in pręmiſſis, prout ex debito tenemur paſtoralis officii,

Mandatum.

procedere volentes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus omnes, & ſingulos libros, & ſcripturas hujuſmodi vobis auctoritate Apoſtolica faciatis exhiberi, & omnes hujuſmodi libros, & ſcripturas, qui errores hereticales contineant, condemnetis & comburatis, ſeu comburi faciatis, contradictores quoslibet, & rebelles, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, aut conditionis exiſtant, etiam ſi, Pontificali, vel alia qualibet Eccleſiaſtica, vel mundana prefulgeant dignitate, auctoritate noſtra, & per alia juris remedia, de quibus vobis videbitur, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis de una, & duabus dietis, & aliis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Avinione Kalendis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Raymundi.*) Vide *Notas* ad vivæ vocis Oraculum datum *XV* Februarii *MCCCLXXI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum ex Autographo *Barchinonenſi.*

3. *Literis.*) *Conſtitutione* ſcilicet *V.*

Anno 1373 Die 6 Februarii.

Inquiſitoribus, ut, quamvis per Superiores ipſis non liceat, Romanam Curiam cum ſocio petere poſſint (1).

Ex Eymerico (2) in Directorio Inquiſitorum.

XVI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

NEgotia Catholicę Fidei per nos ipſos promovere, & per alios promoveri facere, prout ad id tenemur, plenis deſideriis affectantes; univerſis, & ſingulis Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fra-

Concedit ut ſupra.

tribus, Inquiſitoribus hereticę pravitatis, ubilibet conſtitutis, pręſentibus, & futuris, veniendi libere ad Romanam Curiam, in eaque morandi cum uno ſocio ſui Ordinis, non obtenta, vel petita licentia quorumcunque ſuorum Superiorum, ſeu Pręlatorum, & hujuſmodi ſocium mutandi, & alium de ſua Provincia aſſumendi, & ſecum tenendi quotiens fuerit opportunum; non obſtantibus quibuſcunque prohibitio-

Clauſula derogans.

nibus, ſeu Conſtitutionibus eorundem Pręlatorum, ſeu Capitulorum Generalium, vel Provincialium Ordinum prędictorum, quorumcunque tenorum exiſtant, contrariis, plenam licentiam, tenore pręſentium impertimur. Ipſos autem Inquiſitores hortamur, ut ſe facere expediri de dicta Curia quamcito poterunt, bona fide procurent, & ad partes in quibus eis commiſſum eſt Inquiſitionis officium, ad illud exequendum ſolicite, non differant remeare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & hortationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinione VIII Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Poſſint.*) Conſulendi *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. IX pag.* 238, & *Eymericus* mox laudandus.

2. *Eymerico.*) *Secunda Parte Directorii Inquiſitor. pag.* 146, & *Tertia Parte quaſt. XX pag.* 594.

Fratri-

Digitized by Google

Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut Generalis Magiſter Generale Capitulum de uno ad alium locum transferre, & in biennium differre poſſit (1).

Anno 1373 Die 27 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis lib. B. fol. 329.

XVII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Ordinis.

DUm profundis meditationibus ad ſacrę veſtrę Religionis beatitudinem, in pręcelſę ſublimitatis ſpecula pręlucentem, cui benedixit Dominus, paternę dirigimus conſiderationis intuitum, & attente proſpicimus, quod inter ceteros eccleſiaſticos Ordines in domo Domini militantes, illud vobis, qui contemplationi cęleſtium ferventer vigilatis, & Ordini veſtro ad laudes ſpeciales aſcribitur, ac rerum efficax experientia magiſtra teſtatur, quod ubique locorum, in quibus degitis, fideles populos ad ſalutis gratiam evocatis, proficientes vobis per vitę meritum, & aliis nihilominus per exemplum: dignum, immo potius debitum reputamus, & congruum, ut illa vobis gratioſe concedamus, quę proſpero ſtatui veſtro fore conſpicimus opportuna. Cum itaque, ſicut accepimus, in Conſtitutionibus veſtris, ubi de Capitulo Generali legitur, ſtatutum habeatur, quod Capitulum Generale veſtri Ordinis, uno anno Pariſiis, & alio Bononię celebretur, niſi Magiſtro Ordinis, & Definitoribus pro tempore exiſtentibus, quandoque aliud videatur; quodque Magiſter Ordinis, vel ejus Vicesgerens, hujuſmodi Capitulum mutare poſſit, quoad locum, ſi expediens de Fratrum conſilio diſcretorum videatur: quodque aliquando propter guerras, & viarum pericula, necnon paupertatem Conventuum, & Domorum ipſius Ordinis, & alia varia diſcrimina, quę frequenter occurrunt, difficile, & diſpendioſum exiſtit omni anno de quacunque Provincia mundi ſecundum morem dicti Ordinis Fratres in Generali Capitulo congregari. Quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere vobis in pręmiſſis de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, gerentes vos in viſceribus caritatis ſicut filios prędilectos, hujuſmodi veſtris ſupplicationibus inclinati, ut Magiſter, & Generale Capitulum dicti Ordinis pro tempore exiſtentes, vel ipſo Magiſtro mortuo, vel amoto, ejuſdem Magiſtri Vicesgerens, ita ab hujuſmodi Capitulo ſuperſedere uno anno, vel duobus, & mutare ipſum Capitulum quoad tempus, quando, & quoties, de diſcretorum conſilio judicaverint expedire, valeant; ſicut quoad locum mutare poſſunt dictum Capitulum Generale per Conſtitutionem ſupradictam, auctoritate Apoſtolica vobis tenore pręſentium concedimus de gratia ſpeciali; ac volumus, quod omnia & ſingula quę in proximo ſequenti Capitulo Generali prędicti veſtri Ordinis circa hęc, quę, ut pręmittitur, conceſſimus, ac dependentia, & emergentia ex eis, ac connexa, & conſequentia ad eadem contigerit ordinari, perinde habeant auctoritate Apoſtolica prędicta firmitatem roboris, ac ſi per tria Capitula more dicti Ordinis fuiſſent generaliter confirmata: & inſuper ratum habemus, atque gratum quę per immediate pręcedens Capitulum Generale dicti Ordinis circa ſuperſeſſionem, & prolongationem biennalem Capituli Generalis ordinata fuerunt & conſequentia ad ipſa, & alia, quę occaſione pręmiſſorum emerſerunt, ſpecialiter & expreſſe electiones Definitorum Capituli Generalis factas in ſecundis provincialibus Capitulis ſingularum Provinciarum, & generaliter omnia & ſingula ad pręmiſſa opportuna, conſequentia, & ſecuta. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, voluntatis, ratihabitionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. apud Villam Novam, Avinionen. Diœceſis, VI Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hujus Diplomatis cauſa.

Supplex Fratrum petitio.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

1. *Poſſit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar, Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Urbevetano S. Dominici.*

Monaſterii Staynacenſis (1) Privilegia firmat.

Anno 1373 Die 27 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis Lib. B. fol. 267.

XVIII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sanctę Marię in Staynach, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventibus, Curienſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm a nobis petitur quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem noſtri officii ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilectę in Domino filię, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, omnes libertates, & immunitates, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſeu privilegia, ſeu alias indulgentias, vobis, & Monaſterio veſtro conceſſas, necnon libertates, & exemptiones ſecularium exactionum, a Regibus, & Principibus, & aliis Chriſti fidelibus, rationabiliter vobis, & Monaſterio prędicto indultas, ſicut eas juſte, & pacifice obtinetis, vobis, & per vos eidem Monaſterio veſtro, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Siquis &c. Datum Avinioni VI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Confirmatio.

1. *Staynacenſis.*) Vide *Conſtitutionem CCV Alexandri IV. Tomo I hujuſce Bullarii pag.* 361.

2. *Archi-*

Digitized by Google

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo, quod habetur in *Staynacenſi* Monaſterio, Plumbum ſericis filis appenditur. Aliud ejuſdem tenoris Exemplar authenticum habes in eodem *Archivo Ordinis*. Datum fertur *Avenione* VI Idus Novembris, Pontificatus *Gregorii XI* Anno III.

Anno 1373 Die 9 Novembris.

Religioſos, etiam Mendicantes, Sanctæ Sedis Capellanos, Priorum, aliorumque Superiorum juris ac poteſtatis eſſe (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

PEr Romani Pontificis providentiam circumſpectam, ſic Sedis Apoſtolicę privilegia, & indulta moderari dignoſcuntur, quod in eis materia malignandi nulli detur, ac perſonę, quę ſub Religionis habitu vacare debent ſtudio pię vitę, a bono obedientię, & perſeverantia divini ſervitii nullatenus retrahantur. Sane nuper ad noſtrum relatione fide digna pervenit auditum, quod nonnulli Religioſi, etiam Mendicantes, qui in Capellanos Sedis Apoſtolicę ſe recipi procurarunt, propterea bonum obedientię, & correctionem recuſantes, per mundum, per plurimum ſine ſuorum Superiorum licentia, ſępius evagando diſcurrunt, & quandoque ad Romanam Curiam accedunt, aſſerentes, ſine ſuorum Superiorum licentia ſe hoc facere poſſe. Nos igitur in prçmiſſis, prout ex debito tenemur paſtoralis officii, ſalubriter providere cupientes, auctoritate Apoſtolica, tenore prçſentium ſtatuimus, volumus, & etiam ordinamus, quod omnes, & ſinguli Religioſi quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, dictę Sedis Capellani, qui ſunt, & in antea erunt, perinde eorum Superioribus, & correctoribus ipſorum, in omnibus, & per omnia ſint ſubjecti, ac ſi prędictę Sedis Capellani non eſſent. Non obſtantibus exemptionibus, & aliis quibuſcunque privilegiis, indulgentiis, gratiis, & literis Apoſtolicis, Capellanis dictę Sedis, & alias communiter, vel diviſim, ſub quacunque forma, & expreſſione verborum a dicta Sede conceſſis, & in poſterum concedendis, etiam ſi de illis plena, & expreſſa mentio de verbo ad verbum in prçſentibus ſit habenda, quę quoad hoc alicui in nullo volumus ſuffragari. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, voluntatis, & ordinationis infringere &c. Datum Avinioni V Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Decernit ut ſupra.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Eſſe.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. In *Bullario Romano* eſt *VI.* Legitur apud *Caſtellanum pag. 61*, *Conſettium pag. 23* *Rodericum in Nova Collectione Privilegior. Apoſtolicor. pag. 65.*

Anno 1374 Die 6 Martii.

Mare magnum, Diploma ſcilicet Ordinis Prædicatorum privilegia (1) firmans, & augens.

Ex Bullario Romano in Gregorio XI. Conſtitutione VII.

XX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VIrtute conſpicuos Sacri veſtri Ordinis Profeſſores &c. (2). Datum Avinione II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*

2. *Profeſſores &c.*) Ut in *Conſtitutione V Johannis XXII* ad finem uſque.

Anno 1374 Die 6 Martii.

Nonnullos adjuncta conditione denuo Sacro Baptiſmatis fonte abluendos, & Ordinibus initiandos eſſe declarat (1).

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXIV num. VIII.

XXI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum in Terris Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scytarum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mochitorum (4), aliarumque non credentium nationum, Orientis, & & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium conſtitutis, & ad eas proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis cauſa.

HAbet ex parte veſtra expoſitio nobis facta, quod de multis perſonis partium prędictarum, quę ut Presbyteri divina celebrarunt officia, & pro talibus reputantur, frequenter dubitari contingit, an juxta formam Eccleſię Baptizandi (5) fuerint, vel non, & an Ordines receperint, in quibus, ut prçmittitur, miniſtrarunt; quodque ſi in ordinandis ipſis de novo interſtitia temporum ſervarentur, magnum ſcandalum inter populares, qui ab eiſdem audierunt divina, & ſunt etiam eiſdem confeſſi, poſſent veriſimiliter generari: quare pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his providere ſalubriter de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque cupientes, ut hujuſmodi veſtrum ſanctum ne-

Declaratio.

negotium felicius, auctore Domino, proſperetur, & optatum de bono in melius ſuſcipiat incrementum; intendentes quoque animarum prędictarum, & aliorum fidelium partium earundem ſaluti utiliter providere, vobis, & ſingulis veſtrum tam in Sacerdotii, quam in Diaconatus Ordinibus conſtitutis, ut omnes, & ſingulos partium prędictarum, de quibus dubitatur, ſi fuerint baptizati, vel non, baptizare juxta proviſionem juris in hujuſmodi caſu adhibitam, valeatis, his verbis pręmiſſis, videlicet: Si Baptizatus es, non te rebaptizo: Sed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Inſuper eiſdem fidelibus de partibus antedictis realiter ordinatis, qui divina, ut pręmittitur, celebrarunt, quod a veſtri Ordinis, vel aliis Epiſcopis, gratiam, & communionem dictę Sedis habentibus, & in partibus commorantibus antedictis, omnes tam Minores, quam Sacros Ordines ſtatutis temporibus, aliquo tamen intervallo in hujuſmodi Sacris Ordinibus recipiendis, & conferendis, propter eorum reverentiam obſervato, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit, alioquin omnes una die, & eadem ſimul pręfatos Ordines Sacros, & Minores pro hujuſmodi ſcandalo evitando recipere, ipſiſque Epiſcopis dictos Minores & Sacros Ordines perſonis eiſdem, ſecundum pręfatam diſtinctionem cum intervallo, vel una, & eadem die ſimul valeant conferre, dicendo videlicet. Si ordinatus es rite, non te reordino; ſed ſi nondum ordinatus es, te ordino ad Sacros Ordines antedictos: Servata alias forma, & materia, ac ſolemnitate debita in pręmiſſis, quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, de gratia concedimus ſpeciali. Datum Avinion. II Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Declarat.*) *Inſtructi ſunt ampliſſima auctoritate ii Religioſi viri, qui ad gentes Evangelii luce colluſtrandas, atque hæreticos, vel ſchiſmaticos a ſuis erroribus revocandos, miſſi ſunt: atque inter cetera, ut cum interdum non rite ab hæreticis Baptiſmus, aut Sacri Ordines conferrentur, ea ſacramenta certis legibus impertirentur. Porro ſi qui ex iis, qui ad inferendum gentibus Evangelium erant profecturi, abjecta perſeverantiæ palma in Occidentem greſſum reflecterent, pronuntiavit Pontifex, ipſos omnibus privilegiis ſpoliandos, exauctorandoſque.* Laudat *Odoricus Epiſtolam current. pag.12. Regeſti Anni IV Pontificat. Gregorii XI.*

2. *Odorico.*) Ex *Regeſto Pontificio pag.11 An. mox citato.*

3. *Saracenorum.*) De *Saracenis*, & aliis dictum eſt *Tomo I.* Hic unum addam, *Saraceni* ſcilicet nomen, non a *Sara* neque a voce *Saraka*, id eſt *prædari*, peti, ſed a *Scheik*, id eſt *Oriente*. Hinc *Saracenus* Orientalem ſignificat.

4. *Mochitorum.*) Vide *Notam V* ad *Conſtitutionem datam XXIII Octobris MCCCXXI.*

5. *Baptizandi.*) *Baptizati*, ut monet *Odoricus*.

Fratribus Prædicatoribus, ne Fratres Unitos (1), ſibi jam ſubjectos, in Ordinem ſuum aſcribant.

Anno 1374 Die 6 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, ejuſque Vicario in Armenię Majoris, & aliis partibus Orientis conſtituto, ceteriſque Fratribus ejuſdem Ordinis pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CONſervationi & augmento Religionum quarumlibet, pręſertim in partibus Sciſmaticorum, & infidelium, ſtrenue militantium, Domino Jeſu Chriſto, paternis ſtudiis intendentes, ac cupientes fidelium ſcandalis & turbationibus obviare, illa libenter diſponimus, quę circa hęc credimus profutura. Sane ad noſtrum auditum pervenit, non ſine turbatione, quod licet Ordo Fratrum Unitorum, in partibus Armenię majoris conſiſtens, vobis immediate ſubjectus, paucis exceptis, veſtro Ordini ſe conformans, ſit per Sedem Apoſtolicam approbatus, & Fratres ipſi, licet non multi, utpote numerum centenarium, ut aſſeritur, minime attingentes, verbo & exemplo multum ſpiritualem fructum faciant in partibus prędictis, tamen nonnulli ex eis ex devotionis, vel alia quacunque cauſa partes relinquentes eaſdem, & ad occidentales plagas voluntarie convolantes, ad Ordinem veſtrum ſe transferunt, & recipiuntur in eo, licet, tanquam ignorantes latinam literam minus ſecundum Deum proficere valeant in eodem, ex quo magnum ſcandalum in animis aliorum Fratrum dicti Ordinis Unitorum, & fidelium partium prędictarum generatur, & converſio, ac conſervatio ipſorum fidelium putantium eumdem Ordinem Unitorum non eſſe in ſtatu.... (3), multipliciter impeditur. Nos igitur qui ferventibus deſideriis cupimus, multos lucrifacere Domino noſtro Jeſu Chriſto, cujus, licet indigni, vices exercemus in terris, hujuſmodi ſcandalis, & impedimento ſalutis animarum opportunis obviare remediis intendentes, licet Ordo veſter ſit in Eccleſia Dei tanquam luminare majus, excellentior dicto Unitorum Ordine meritis & doctrina, ipſumque numero & virtutibus deſideremus... (4) tamen ex pręmiſſis ſcandalorum & impedimenti... (5) ponderandis, vobis, & cuilibet veſtrum, ceteriſque quorumcumque aliorum Ordinum Pręlatis............. inhibemus..... (6) contra noſtram inhibitionem hujuſmodi temere receptus extiterit in futurum, eum ad Gubernatorem ipſius Ordinis Unitorum pro tempore exiſtentem, qui ejus maior Pręlatus exiſtit, remitti jubemus, per eum pro tranſgreſſione hujuſmodi puniendum; Vos omnes pręſertim Te, Vicari, in Domino exhortantes, quatenus Gubernatorem pręfatum in ſuo officio, & Fratres ſibi ſubjectos caritative dirigere, informare & adjuvare curetis, ut ipſi fulti veſtro pio ſuffragio religioſe vivere valeant, & circa converſionem infidelium, & converſorum conſervationem in Fide catholica, virtuoſiſque operibus.... (7). Ipſoſque Fratres Unitos, per pręſentes ſimiliter exhortamur, quod vobis, prout tenentur, humiliter obediant, veſtraque correctionem & monita ſuſcipiant reverenter, ut ſint Superiorum caritas, & inferiorum humilitas, cum aliis junctę virtutibus, utroſque cum Dei gratia provehant in excelſa. Nulli ergo &c. inhibitionis & mandati &c. Si quis &c. Datum Avenione II Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium.

Hujus Diplomatis cauſa.

Nota verba.

Inhibitio.

Fratribus Prædicatoribus FF. Unitos commendat.

Sanctio pœnalis.

1. Uni-

1. *Unitos.*) De quibus dictum fuit in *Notis* ad *Conſtitutiones V*, & *VI Innocentii VI.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Quia vero temporis injuria lectu difficillimum eſt, ne fidem indubitatis detrahi poſſit ex incertis, hæc ab illis diſſociata leguntur in ſequentibus *Annotationibus*.
3. *Statu* ...) *Salutis*.
4. *Deſideremus* ...) *Augeri*.
5. *Impedimenti* ...) *Cauſis utique*.
6. *Prælatis* ... *inhibemus* ...) *Prælatis*, *ac Fratribus*; *ſeu Profeſſis diſtricte inhibemus*, *ne in poſterum quacumque ex cauſa ad veſtrum Ordinem*, *vel alios Ordines accedant*, *aut recipiantur*; *& ſi quis contra*.
7. *Operibus* ...) *Juvare valeant hilariter*, *& quiete*.

Anno 1374 Die 6 Martii.

Fidei Præconum, ſeu Miſſionariorum famulis concedit, ut ſemel in vita ad illum, quem elegerint, Sacerdotem poſſint peccatorum deferre confeſſionem, & a cunctis peccatis abſolvi (1).

Ex Bullario (2) Uſuſmaris pag.88.

XXIII. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

QUi relictis parentibus, amicis, & patria, abjectiſque mundi illecebris, ſe ad partes infidelium conferunt, ut prędicantibus fidem catholicam, prout ſciunt, & poſſunt, jugiter ſerviant, non indigne merentur, ut eos Sedes Apoſtolica, congruis gratiis proſequatur. Cum itaque nonnullos Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum, ad partes Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scitharum, Ruthenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Motithorum (4), aliarumque nationum Orientis, & Aquilonis, ad prędicandum in eiſdem fidem pręfatam, pręſentialiter deſtinemus. Nos, volentes eorundem Fratrum, veros, & continuos familiares, ad ſerviendum Fratribus ipſis tanto promptiores reddere, quanto exinde majus pręmium, ſe viderint percepturos: univerſis, & ſingulis eiſdem, qui cum Fratribus ipſis ſe conferent, quandiu in eiſdem partibus in ſervitiis ipſorum erunt, ut Confeſſor, quem quilibet eorum duxerit eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem eis in ſinceritate fidei, & unitate Sanctę Romanę Eccleſię ac obedientia, & devotione noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum, Romanorum Pontificum, canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere, valeat, tenore pręſentium, indulgemus. Sic tamen, quod idem Confeſſor, de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam per ipſos, ſi ſupervixerint, vel per hęredes eorum, ſi tunc forte tranſierint, faciendam injungat quam ipſi, vel illi teneantur facere, ut pręfertur. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam iidem familiares, reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte committerent, quoad illa prędicta remiſſio eis nullatenus ſuffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Dat. Avinioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

1. *Abſolvi.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VIII.*
2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Caſtellanum pag.66*, apud *Rodericum in Nova Collectione Privilegior. pag.57.*
3. *Saracenorum.*) De quibus ad *Conſtitutionem XXI.*
4. *Motithorum.*) Conſule *Notam V* ad *Diploma datum XXIII Octobris MCCCXXI.*

Anno 1374 Die 6 Martii.

Fidei Præconibus, ſeu Miſſionariis, ut ex pecuniis, quibus ignoti fraudati ſunt, ſumptus peregrinationum, alioſque, ſuppeditare poſſint (1).

Ex Bullario (2) Caſtellani pag.63.

XXIV. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum ad Terras Saracenorum (3) Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sitharum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mathicorum (4), aliarumque non credentium nationum Orientis, & Aquilonis proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm vos ad Armenię maioris, & alias partes infidelium, ad evangelizandum gentibus, deſtinemus, ut commiſſum vobis negotium lucrifaciendi animas votivis proſperetur ſucceſſibus, vobis ea libenter concedimus per quę ſuſtentationi veſtrę provideatur, ac feliciter ſuccedat proſperitas negotii pręlibati. Igitur vos pro expenſarum oneribus levius ſupportandis, ad quę ferenda, cum per gentes ignotas, & infideles tranſibitis, fidelium eleemoſynas, ut nobis exponi feciſtis, non ſuppetere formidatis, recipiendi, in Conſtantinopolitana (5), Soldana (6), & Caphen. (7) Civitatibus, ac Terra Peyre (8) proprie Conſtantinopolitana (9) conſtitutis, quęcunque legata, & male ablata incerta, ſi iis, quibus eorum ſolutio, & reſtitutio fieri debeat, ignorentur, vel inveniri non poſſint, plenam, & liberam tenore pręſentium concedimus facultatem, ac volumus quod ii qui hujuſmodi legata, & male ablata vobis tradiderint, ad ſolutionem, ſeu reſtitutionem aliis faciendam de ipſis minime teneantur. Pręſentibus poſt quinque annos minime valituris. Datum Avinioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Conceſſio.

1. *Poſſint.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VIII.*
2. *Bullario.*) Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi*.
3. *Saracenorum.*) De quibus ſæpius ſupra.
4. *Mathicorum.*) Conſule *Notam V* ad *Diploma datum XXIII Octobris MCCCXXI.*

5 Con-

5. *Conſtantinopolitana.*) In *Thracia.*
6. *Soldana.*) In *Taurica Cherſoneſo.*
7. *Caphen.*) Vulgo *Caffa*, quæ *Tartariæ* minoris eſt caput. *Theodoſia* creditur.
8. *Peyre.*) Seu *Pera.*
9. *Proprie Conſtantinopolitana.*) Quia *Pera* ſuburbium eſt *Conſtantinopoleos*; ibi nunc latini, ceterique Catholici degunt.

Fidei Præconibus, ut iis qui conſiliis ſuis impedimento (1) fuerint, diem dicant, quo ſe ſiſtant apud Summum Pontificem.

Anno 1374 Die 6 Martii.

Ex Bullario (2) Caſtellani pag.63.

XXV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Terris Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum, Gazarorum, Gothorum, Sichorum, Rutenorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Jacobitarum, Neſtorianorum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mathicorum (4), aliarumque non credentium nationum, Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm vos ad Terras Saracenorum, Paganorum, Gręcorum, Gazarorum, Gothorum, Sichorum, Rutenorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Jacobitarum, Neſtorianorum, Nubianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mathicorum, aliarumque non credentium nationum, Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium, pro magnis, arduiſque negotiis, reſpicientibus exaltationem, & augmentum Catholicę fidei, deſtinemus; quia in deſideriis noſtris geritur, ut ſubmotis impedimentis quibuslibet, eorundem negotiorum proſecutioni, libere, & efficaciter, auctore Domino, intendere valeatis, omnes, & ſinguloa, cujuſcunque dignitatis, ordinis, conditionis, vel ſtatus, eccleſiaſtici, vel mundani extiterint, qui vobis, vel familiaribus veſtris, quandiu fueritis in proſecutione prędicta, impedimenta, vel obſtacula per ſe, vel alios pręſumpſerint miniſtrare, quo minus prędicta negotia, libere, & efficaciter proſequi, Deo favente, poſſitis, citandi, quod infra certum terminum competentem, quem eis ad hoc duxeritis pręfigendum, Apoſtolico conſpectui perſonaliter ſe prǫſentent, facturi ſuper his, & recepturi quod juxta ipſorum demerita expedire viderimus, vobis & cuilibet veſtrum auctoritate pręſentium concedimus facultatem; diem vero Citationis, & pręfixionis hujuſmodi, & quicquid ſuper pręmiſſis duxeritis faciendum, nobis per veſtras literas, harum ſeriem continentes, ſtudeatis fideliter intimare. Datum Avinioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Impedimento.*) Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap.IX ad an. MCCCLXXI pag.237.*
2. *Bullario.*) Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi.*
3. *Saracenorum.*) De quibus ſæpius ſupra.
4. *Mathicorum.*) Vide *Notam V* ad *Diploma datum XXIII Octobris MCCCXXI.*

Anathema contorquet in eos, qui Fidei Præconum conſiliis moram, & impedimentum intulerint (1).

Anno 1374 Die 6 Martii.

Ex Bullario (2) Caſtellani pag.66.

XXVI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Prędicatorum in Terris Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sitharum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mothitorum (4), aliarumque non credentium nationum Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm vos ad Terras Saracenorum, Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sitharum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mothitorum, aliarumque non credentium Nationum Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium pro magnis, arduiſque negotiis, reſpicientibus exaltationem, & augmentum Catholicę fidei deſtinemus, quia in deſideriis noſtris geritur, ut ſubmotis impedimentis quibuslibet, eorundem negotiorum proſecutioni libere, & efficaciter, auctore Domino, intendere valeatis, omnes, & ſingulos cujuſcunque dignitatis, Ordinis, conditionis, vel ſtatus extiterint, Eccleſiaſtici, vel mundani, qui vobis, vel familiaribus, vel Nunciis veſtris, quandiu fueritis in proſecutione prędicta, impedimenta, vel obſtacula, per ſe, vel alios pręſumpſerint miniſtrare, quo minus prędicta negotia libere, & efficaciter proſequi, Deo favente, poſſitis, auctoritate Apoſtolica eo ipſo decernimus excommunicationis ſententię ſubjacere, eorumque terras fore ſuppoſitas eccleſiaſtico interdicto, cujus excommunicationis abſolutionem, & interdicti relaxationem, abſque auctoritate Sedis Apoſtolicę ſpeciali, pręter quam in mortis articulo, ab alio, quam a vobis, vel veſtrum aliquo, & tunc etiam, niſi congrua ſatisfactione pręmiſſa, nequeant obtinere. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, & indulgentiis ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum eiſdem impedientibus, vel eo-

Excommunicatio.

Clauſula decegatur.

eorum aliquibus ab Apoſtolica Sede conceſſis, vel in poſterum concedendis, quę ad hoc eis in nullo volumus ſuffragari. Datum Avinioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Intulerint.*) Audiendus hic *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLXXIV num. VIII*, ubi hæc habet: *Proferenda apud Orientales, superſtitionum erroribus involutos, Religionis Chriſtianæ pio incitatus ſtudio Gregorius Papa, viros Religioſos, ac potiſſimum ex Dominicana familia ad Apoſtolicum illud munus obeundum delegit: cum ex ea olim prodiiſſent viri virtutibus conſpicui, qui, ut in literis ad Eliam ſupremum ejus Ordinis Magiſtrum datis loquitur:* Per gratiam Dei aſſiſtentem eiſdem in partibus Armeniæ Majoris multitudinem infidelium converterunt ad dictam fidem, in qua uſque ad hæc tempora permanſerunt, atque permanent de præſenti: in quibus etiam partibus iidem Fratres plantaverunt Ordinem Fratrum Unitorum dicto tuo Ordini ſubjectorum (Hæc *Odoricus* ex Regeſto Vaticano Anno IV Epiſtola current, pag. 3.) *Non defuere tamen*, inquit idem Auctor, *qui egregiis hujuſmodi exemplis ad penetrandas remotas eas pro diſſeminanda fide regiones excitatos nonnullos Prædicatores a ſacro eo conſilio avocarent. Quod ubi accepit Gregorius, Eliæ, de quo paulo ante memoravi, præcepit, ut in ſolemnibus Ordinis Comitiis Apoſtolico pro imperio, & anathematis intentata religione, præciperet, ne qui exercendo Evangelii prædicandi impdelibus muneri idoneos traiicere in Orientem cupientes, ab itinere deterrerent: immo libros, ſumptuſque neceſſarios ad adeundam aulam Pontificiam ſuppeditarent. Cumque plures, quos Divinus Spiritus pro Evangelii Armeniæ inferendi ardore incenderat, iter ornarent, Pontifex Religioſos Armenios, qui Prædicatoribus conjuncti erant, literis ſolicitavit, ut venientes debitis officiis proſequerentur.*

2. *Bullario.*) Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi*.

3. *Saracenorum.*) De quibus ſæpius dictum fuit.

4. *Mothitorum.*) Ut in *Nota V ad Conſtitutionem datam XXIII Octobris MCCCXXI.*

Anno 1374 Die 6 Martii.

Quinam adjuncta Conditione denuo baptizandi, & Sacris Ordinibus initiandi ſint (1).

Ex Bullario (2) Caſtellani pag. 64.

XXVII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum in Terris Saracenorum (3) Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sichorum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mathitorum (4), aliarumque non credentium nationum Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium conſtitutis, & ad eas proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Fidelium novella plantatio, quam in Orientalibus partibus per Miniſterium veſtrum, & aliorum Religioſorum in eiſdem evangelizantium Dei Verbum, plantaviſſe dignoſcitur ineffabilis ſapientiæ Conditoris, prout literis, & relatibus plurimorum fide dignorum accepimus, nos attente ſolicitat, & excitat mentem noſtram, ut plantationem ipſam, ubertatem fructuum ſpiritualium, dante Domino, producturam, opportunis ejuſdem Sedis favoribus, prout ſaluti fidelium ipſorum expedire cognoſcimus, foveamus. Habet ſiquidem ex parte veſtra expoſitio nobis facta, quod de multis perſonis partium prędictarum, quę ut Presbyteri divina celebrarunt officia, & pro talibus reputantur, frequenter dubitari contingit, an juxta formam Eccleſię baptizati fuerint, vel non, & an Ordines rite receperint, in quibus, ut pręmittitur, miniſtrarunt, quodque ſi in ordinandis ipſis de novo Interſtitia temporum ſervarentur, Hujus Diplomatis cauſa. magnum ſcandalum inter populares, qui ab eiſdem audierunt divina, & ſunt etiam eiſdem Confeſſi, poſſet veriſimiliter generari; Quare pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis providere ſalubriter de opportuno remedio dignaremur. Nos itaque cupientes, ut hujuſmodi ſanctum veſtrum negotium felicius, auctore Domino, proſperetur, & optatum de bono, in melius ſuſcipiat incrementum; intendentes quoque animarum prędictarum, & aliorum fidelium partium earundem ſaluti utiliter providere, vobis, & ſingulis veſtrum, tam in Sacerdotii, quam in Diaconatus ordinibus conſtitutis, ut omnes, & ſingulos partium prędictarum, de quibus dubitatur, ſi fuerint baptizati, vel non; baptizare Declaratio. juxta proviſionem iuris, in hujuſmodi caſu adhibitam, valeatis; iis verbis pręmiſſis, videlicet: Si baptizatus es, non te rebaptizo, ſed ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti; auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Inſuper eiſdem fidelibus de partibus ante dictis taliter ordinatis, qui divina, ut pręmittitur, celebrarunt, quod a veſtri Ordinis, vel aliis Epiſcopis, gratiam, & communionem dictę Sedis habentibus, & in partibus commorantibus antedictis, omnes tam Minores, quam Sacros Ordines, ſtatutis temporibus, aliquo etiam intervallo, in hujuſmodi Sacris Ordinibus recipiendis, & conferendis, propter eorum reverentiam obſervato, ſi ſine ſcandalo fieri poſſit; alioquin omnes una eadem die ſimul pręfatos Ordines, Sacros, & Minores pro hujuſmodi ſcandalo evitando, recipere; ipſiſque Epiſcopis dictos Minores, & Sacros ordines perſonis eiſdem, ſe- Sanctio pœnalis. cundum pręfatam diſtinctionem, cum intervallo, vel una, & eadem die ſimul valeant conferre dicendo, videlicet: Si ordinatus es rite, non te reordino ad Sacros Ordines antedictos; ſervata alias forma, & materia ac ſolemnitate debita in pręmiſſis: Quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium editis nequaquam obſtantibus, de gratia concedimus ſpeciali. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Sint.*) Conſulenda *Conſtitutio XXI* hac Die *VI* Martii data, Exordio ſiquidem, ac nonnullis aliis duntaxat verbis mutatis, eadem eſt ac præſens Diploma.

2. *Bullario.*) Aſſervatur Autographum in Cœnobio *Leopolienſi*.

3. *Saracenorum.*) Ut in *Conſtitutione XXI.*

4. *Mathitorum.*) Vide *Notam V ad Diploma datum XXIII Octobris MCCCXXI.*

Fidei Præconibus Ord. Prædicatorum, ut Gentes exteras impedimentis matrimonii ſolvere (1) poſſint.

Anno 1374 Die 6 Martii.

Ex Bullario (2) Caſtellani pag.64.

XXVIII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SUper gregem dominicum noſtrę vigilantię, diſpoſitione ſuperna, commiſſum exercere, quantum nobis ex alto conceditur, vigilis ſpeculatoris officium cupientes, ad ea potiſſime, opem, & operam impertimur, e quibus dilatatio catholicę fidei, unitaſque fidelium ſubſequi valeant, & animarum ſalutis commoda provenire, utendo plerumque poteſtatis plenitudine nobis divinitus attributa, prout perſonarum, locorum, & temporum qualitate penſata, id in Deo conſpicimus expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum in terris Saracenorum (3), Paganorum, Gręcorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Scitharum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mothitorum (4), aliarumque non credentium nationum Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium, conſtitutorum, & ad eas proficiſcentium, & in ipſis evangelizantium Verbum Dei, coram nobis fuit expoſitum, quod nonnulli prędictarum Orientalium, ſeu Aquilonarium infidelium nationum, qui ad fidem catholicam dictorum Fratrum prędicationis, & operationis miniſterio, ſeu alias ſunt converſi, pro eo quod in gradibus a lege divina non prohibitis matrimonia contrahere nequeunt abſque diſpenſatione Sedis Apoſtolicę ſpeciali, a fide catholica, & devotione Eccleſię totaliter recedentes, cum hęreticis, & Saracenis ſępius per contubernium copulantur; propter quod ipſi, & eorum proles, proh dolor! ſpiritualiter pereunt: & multarum inde ſequuntur pericula animarum. Quare pro parte dictorum Fratrum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper iis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur volentes hujuſmodi animarum obſervare (5) periculis, & futuris etiam pręcavere, ac cupientes, fidem catholicam non minui, ſed augeri, in favorem dictę fidei, cum univerſis gentibus de novo converſis ad fidem catholicam, quę ante converſionem ipſorum cum perſonis eis attingentibus, in quibuſcunque conſanguinitatis, vel affinitatis gradibus a lege divina non prohibitis matrimonia contraxerunt, quod juxta Conſtitutionem fel. rec. Innocentii Papę III Prędeceſſoris noſtri ſuper hoc editam, quę incipit: Gaudemus (6): in matrimoniis ipſis, dictis impedimentis non obſtantibus, libere poſſint, & licite remanere conjuncti; cum ſchiſmaticis autem, qui ad unitatem catholicę Fidei, & plenam obedientiam S. Romanę Eccleſię effectualiter redierunt, quique cum perſonis in quarto gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, ipſis attinentibus, matrimonia contraxerunt, quod impedimento non obſtante, poſſint in hujuſmodi matrimoniis licite remanere, auctoritate prędicta ſimiliter diſpenſamus, prolem ſuſceptam & ſuſcipiendam ex matrimoniis, omnibus in caſibus ante dictis legitimam Apoſtolicę poteſtatis plenitudine decernentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę diſpenſationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Supplex Fratrum petitio.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

1. *Solvere.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*
2. *Bullario.*) Habes Autographum in Cœnobio *Leopolienſi.*
3. *Saracenorum.*) De quibus ſæpius.
4. *Mothitorum.*) Ut in *Nota V ad Diploma datum XXIII Octobris MCCCXXI.*
5. *Obſervare.*) *Obviare.*
6. *Gaudemus.*) Legitur *Lib. IV Decretal. Tit. XIX Cap. VIII.*

FF. Prædicatoribus in Armenia conſtitutis, ut mortuo Vicario Generali alium poſſint eligere (1).

Anno 1374 Die 9 Aprilis.

Ex Bullario (2) Caſtellani pag.65.

XXIX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus Ordinis Prędicatorum ad Armenię majoris, ac nonnullarum aliarum, Orientis, & Aquilonis, non credentium nationum partes, ad prędicandum infidelibus Sacrum Evangelium Jeſu Chriſti, & fideles earundem partium in fide Catholica roborandum, proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulget ut ſupra.

CUm vos ad Armenię majoris, & nonnullarum aliarum Orientis, & Aquilonis non credentium nationum partes, ad prędicandum eis ſacrum Evangelium Jeſu Chriſti, & fideles earundem partium in fide catholica roborandum, & confortandum, pręſentialiter deſtinemus, nos iis, quę impedire poſſent miniſterium prędicationis hujuſmodi, quantum eſt poſſibile, occurrere cupientes, concedimus, ut, cum contigerit dilectum filium Eliam Petiti (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum, dilecti filii Magiſtri dicti Ordinis Vicarium (4) in illis partibus deputatum eximi ab humanis, liceat vobis, ſeu majori parti veſtrum alium idoneum Fratrem dicti Ordinis eligere, & pręficere in Vicarium dicti Magiſtri in eiſdem partibus, devotioni veſtrę, tenore pręſentium indulgemus; Volentes, & ſtatuentes, quod electus hujuſmodi ſtatim, poſtquam electus fuerit, ut pręfertur, eo ipſo verus ejuſdem Magiſtri Vicarius in eiſdem partibus ſit, & cenſeatur, & ſimilem quam habet dictus Elias habeat in omnibus poteſtatem, voſque eidem dicto, ut vero Vicario ejuſdem Magiſtri, in omnibus obedire devote, & humiliter debeatis, quouſque Ma-

Clauſula derogans.

Magiſter dicti Ordinis, qui pro tempore fuerit, electum hujuſmodi duxerit amovendum. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus ſpecialibus contrariis non obſtantibus quibuſcumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare prǽſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni V Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Sanctio pœnalis.

1. *Eligere.*) *Ad Orientem, Auſtrum, & Septentrionem Gregorius Pontifex multos Prædicatores Evangelii Jeſu Chriſti Miniſtros cum P. Elia Petit, Gallo, Epiſcopo conſecrato delegavit*, inquit *Fontana* Monument. Dominican. Parte II Cap. IX ad annum MCCCLXXIV pag. 239, *ut ſacra prædicatione, morum candore, orationibus, jejuniis, & lacrymis populos illos ad venerationem veri Dei, & reverentiam Apoſtolicæ Sedis perducerent, ſacro regenerationis lavacro Chriſto regenerarent, Cœnobia fundarent, Eccleſias conſtruerent, & arás in noviter converſorum ad fidem conſolationem erigerent. Quod illi prompto animo exequentes, poſt ærumnas multas, perſecutiones frequentes, atque moleſtias innumeras pro Dei honore toleratas, Catholicam fidem ibidem & plantavere, & dilatavere, conſtructis cœnobiis, Eccleſiis, atque Aris.* Hæc ille ex *Paramo lib. II Cap. XXIX.* Vide *Notam IV.*

2. *Bullario.*) Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi.*

3. *Petiti.*) *Petit*, qui natione *Gallus* erat, ut ex *Fontana* mox audivimus.

4. *Vicarium.*) Hinc liquet hoc anno MCCCLXXIV die IX Aprilis *Eliam Petit* nondum inauguratum fuiſſe Epiſcopum. Vide *Notam VI* in *Diploma datum XXVIII Januar. MCCCLXXVIII.*

Anno 1374 Die 25 Julii.

Fratrem Thomam de Bozolaſco (1) alioſque ad Johannem Palæologum legat (2).

Ex Waddingo (3) *Annal. Minor. Tomo IV ad an. MCCCLXXIV num. II pag.* 187.

XXX.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Johanni Palęologo Imperatori Gręcorum Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Circa tuam, & populorum tuo Imperio ſubjectorum ſpiritualem, & temporalem ſalutem, auctore Domino, proventuram, & ad obſiſtendum impietati ſęviſſimorum Turcarum, hoſtium ſacri nominis Chriſtiani, meditatione paterna ſępius cogitantes, ſuper unione ipſorum populorum cum S. Eccleſia Romana matre, & Magiſtra cunctorum Chriſti fidelium, ſi forte ejuſdem unionis dies advenerit, dante Domino, facienda: & ſuper prǽſtando tuo culmini, & eiſdem populis potenti auxilio, contra dictos Turcas per eandem Eccleſiam, & Latinos: & quibuſdam aliis, quę hujuſmodi ſalutem proſpiciunt, tibi plenius exponendis vivę vocis oraculo, dilectos Filios Thomam de Bozolaſco Provincialem Lombardię Superioris, & Bartholomęum Cherracii Prędicatorum, & Minorum Ordinis profeſſores in Sacra Theologia Magiſtros, necnon Bertrandum Froce (4), & Hellonem Slegillez (5) Neapolitanę, & Friburg (6) prǽceptoriarum Prǽceptores (7) Hoſpitalis Sancti Johannis Jeroſolymitani, Apoſtolicę Sedis Nuncios, harum latores, de noſtra intentione plene informatos, ad tuę Celſitudinis prǽſentiam deſtinamus, quibus ſuper his, quę Imperiali ſerenitati ex parte noſtra narraverint, velis fidem plenariam adhibere. Datum .... VIII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Aono Quarto.

Legatio.

1. *Bozolaſco.*) Ipſe eſt quem *Thomam de Bozolaſto* vocat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCLXVII pag.* 662.

2. *Legat.*) Conſulendi *Waddingus Annal. Minor.* ad *annum MCCCLXXIV num. I*, & *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad eundem annum num. I.* Audiendus autem *Odoricus Raynaldus ad eundem Annum num. I*, ubi hæc habet. *Aucta in Europa Turcarum tyrannide, extremique exitii terrorem Græcis inferente, anno hujus ſeculi ſeptuageſimo quarto, indictione duodecima Gregorius Papa fulciendi Orientalis Imperii, ac veteris abolendi ſchiſmatis pio adductus ſtudio, cum Græci, quamvis reverſo ad Eccleſiæ Romanæ obſequia Palæologo Imperatore, in veteribus ſordibus hærerent, Internuncios Apoſtolicos pro redintegranda priſtina Eccleſiarum conjunctione mittere meditatus, de omnibus, quæ a Gaſperto Epiſcopo Cenetenſi, olim Clementis VI nomine cum Conſtantinopolitanis fuerant agitata, doceri cupidus, XIV Kalendas Aprilis geſtæ Legationis commentarios ad ſe illum tranſmittere juſſit* (Epiſtola Secret. pag. 22 Tomo IV Gregor. XI), *ac ſignificare, qua de cauſa perducta res ad exitum non fuiſſet, quidve ad Græcos in Eccleſiæ Catholicæ gremium revocandos præſtare opera foret. Sed Gaſperto interea vita functo, Raymundo deſignato Patavino Epiſcopo dedit imperia* (ibidem pag 26), *ut Gaſperti de Legatione Conſtantinopolitana memoratos Commentarios ad Sedem Apoſtolicam afferendos curaret. Tum lectiſſimos religioſos viros in orientem legavit, & Clerum, populumque Conſtantinopolitanum ad inveteratum ſchiſma removendum, . . excitavit.*

3. *Waddingo.*) Ex *Regeſto Vaticano Lib. Secr. fol.* 40. Legitur etiam apud *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLXXIV num. I.* Partim tranſcribitur apud *Odoricum ad eundem annum num. II.*

4. *Froce.*) Ex *Odorico* in ſequenti Diplomate: *Fronc.*

5. *Slegillez.*) *Odoricus* & *Bzovius* ſcripſere *Slegtholts.*

6. *Friburg.*) *De Friburg*, ut apud *Odoricum.*

7. *Præceptores.*) Seu Procuratores domorum, quas in Provinciis poſſidebant *Jeroſolymitani* Milites. Hinc *Jacobus de Vitriaco* in *Hiſtor. Jeroſolymitana Cap. LXV* apud *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo, *Præceptores*, hæc habet: *Pari modo ſummo & Principali Magiſtro Hoſpitalis S. Johannis, Procuratores domorum, quos Præceptores nominant, certam pecuniæ ſummam ſingulis annis tranſmittunt.* Hinc *Præceptores* illi ſunt quos vulgo *Commendatores* vocant, Gallice *Commandeurs*; *Præceptoria* autem ſunt prædia *Præceptoribus* aſſignata; Gallice *Commanderies.* Etiam nunc *Romæ* Prælatus ille qui præeſt Hoſpitali Sancti Spiritus in Saxia appellatur, Præceptor, retenta veteri nomenclatura.

8. *Datum ...*) Ex ſequenti Bulla *Novis* (oppidum eſt in *Gallo-Provincia*, vulgo *Noves* dictum) præſens Diploma, datum eſſe videtur. *Odoricus* tamen ſupra laudatus datum ſcribit *Avinione.* Potuit autem fieri, quod utrumque Diploma eadem quidem die ſit exaratum, & unum *Avenione*, aliud *Novis* datum fuerit, quia ſex Milliaribus duntaxat *Avenio* diſtat ab oppido *Novenſi.*

F. Tho-

F. Thomas de Bozolaſco, aliique legantur (1) ad Græcos.

Anno 1374 Die 25 Julii.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſ. ad an. MCCCLXXIV num. I.

XXXI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Pręlatis, Rectoribus, & perſonis Conſtantinopolitanis, gratiam in pręſenti, per quam obtineant gloriam in futuro.

CIrca ſalutem cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (3) Imperatoris Gręcorum illuſtris, ac veſtram, & populorum dicto Imperatori ſubjectorum, ſpiritualem & temporalem, auctore Domino, proventuram, & ad obſiſtendum impietati ſęviſſimorum Turcorum (4), hoſtium ſacri nominis Chriſtiani, meditatione paterna ſępius cogitantes, ſuper quibuſdam, quę hujuſmodi ſalutem proſpiciunt, eidem Imperatori, & vobis exponendis vivę vocis oraculo, dilectos filios Thomam de Bozolaſco, & Bartholomęum Cherracii, Fratrum Prędicatorum & Minorum Ordinis profeſſores, in Sacra Theologia Magiſtros, necnon Bertrandum Fronc, & Heſſonem Slegtholts Neapolis, & de Friburg, Pręceptoriarum Pręceptores Hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitani, Apoſtolicę Sedis Nuncios, harum latores, de noſtra intentione plene informatos, ad ejuſdem Imperatoris, & veſtram pręſentiam deſtinamus: quibus ſuper his quę vobis ex parte noſtra narraverint, velitis fidem plenariam adhibere. Datum Nonis (5), Avenionenſis Dięceſis, VIII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Legantur.*) Ut in præcedenti Diplomate.
2. *Odorico.*) Ejuſdem mentio apud *Bzovium*, & *Waddingum* laudatos in *Notis* ad præcedentem *Bullam*.
3. *Johannis.*) *Palæologi*.
4. *Turcorum.*) Seu *Turcarum*.
5. *Nonis.*) *Novis*, vulgo *Noves*.

Fratres Thomam de Bozolaſco Ordinis Prædicatorum, & Bartholomæum Cherracii Ordinis Minorum, S. Sedis Apoſtolicæ Nuncios, variis facultatibus donat (1).

Anno 1374 Die 5 Auguſti.

Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo IV ad an. MCCCLXXIV num. III. pag. 187.

XXXII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Thomę de Bozolaſco, Priori Provinciali Lombardię Superioris, & Bartholomęo Cherracii, Ordinum Prędicatorum, & Minorum, Sac. Theol. Magiſtris, Apoſt. Sedis Nunciis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD propagationem catholicę fidei, ſuper cujus cuſtodia ſumus, licet inſufficientibus meritis, a Domino deputati, & quorumlibet gloriantium nomine Chriſtiano, ſed deviantium a gremio Sacroſanctę Romanę ac Catholicę, & Apoſtolicę Eccleſię, matris, & magiſtrę cunctorum Chriſti fidelium, cui, auctore ipſo Domino, pręſidemus, reductionem, ac obedientiam, & reverentiam ipſius Eccleſię, paſtorali ſolicitudine intendentes, viam, & formam hujuſmodi deviis tenemur oſtendere, per quas ſalubriter ad dictum gremium poſſint accedere, in eoque perpetuo permanere. Sane cum vos, viros utique fideles, & prudentes, habentes zelum catholicę fidei, & in lege Domini eruditos, pro certis, arduis etiam, dictę fidei negotiis tractandis, & auctore Domino promovendis, ad Civitatem Conſtantinopolitanam intendamus de proximo deſtinare; Nos, attendentes, quod tam in ipſa Civitate, quam in aliis partibus ultramarinis, per quas tranſire debebitis, nonnullę ſunt perſonę utriuſque ſexus, Eccleſiaſticę, & Regulares, ac Seculares, quę ab unitate Sanctę Catholicę, & Apoſtolicę Eccleſię ſunt pręciſę, ac ſperantes in Spiritu, qui, ubi vult, ſpirat, quod per ipſius gratiam, & veſtram induſtriam, ac ſanctam prędicationem, nonnullę ex perſonis eiſdem ad dictam venerint unitatem ac obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam dictę Eccleſię, extra quam non eſt ſalus, vobis, & utrique veſtrum in ſolidum per vos, vel alium, ſeu alios, auctoritate noſtra perſonas eaſdem cujuſcunque ſexus, ſtatus, ordinis, dignitatis, vel conditionis exiſtant, etiamſi Pontificali, Imperiali, Regali, vel alia qualibet dignitate ſeu pręeminentia fulgeant, ad dictam unitatem recipiendi, & corpori ipſius Eccleſię uniendi, ſecundum ſubſcriptam formam, in talibus per dictam Eccleſiam conſuetam ſervari; quę talis eſt. Ego talis &c. Profiteor, & credo Sanctam Trinitatem, Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum &c. (3). Et inſuper cum eiſdem perſonis Eccleſiaſticis, quę dum erant in hujuſmodi ſchiſmate, etiam ſcienter, quoſcunque Ordines, etiam Sacerdotalem, ab Epiſcopis ſchiſmaticis, ſeu hęreticis, etiam eis in contemptum fidei adhęrendo, receperunt, auctoritate noſtra per manus impoſitionem abſolvendi, & reconciliandi, etiam ad cautelam, ſi dubitaretur, an alias fuerint abſoluti, & reconciliati, ac diſpenſandi ſuper ipſis Ordinibus, ſeu eorum executione, ipſoſque ad eoſdem ordines habilitandi, & habiles reddendi, etiamſi ante diſpenſationem, poſt converſionem tamen eorum, in ipſis Ordinibus miniſtrarunt. Et inſuper quibuslibet Antiſtibus gratiam & communionem Apoſtolicę Sedis habentibus perſonis eiſdem, hujuſmodi Ordines, etiam omnes, ſi de ipſorum collatione dubitetur, una & eadem die, ad hoc per dictam Eccleſiam conſueta, & etiam dominica, de novo, alias tamen juxta formam ejuſdem Eccleſię conferendi, & ipſis perſonis ejuſmodi Ordines recipiendi, licentiam tribuendi. Et tam vobis, etiam in ſolidum, quam ipſis Antiſtibus hujuſmodi perſonas poſt ſuſceptionem dictorum Ordinum, ut quęcunque dignitates; perſonatus, officia, & beneficia cum cura, vel ſine cura obtenta per eos a catholicis, vel ſchiſmaticis collata eiſdem, etiamſi dignitates ipſę majores poſt Pontificales in Cathedralibus, & principales in Collegiatis Eccleſiis exiſtant, retinere licite valeant, perinde ac ſi ante collationes eis factas de ipſis ſuper prędictis omnibus plene diſpenſatum fuiſſet, diſpenſandi, fructuſque per eos ex beneficiis ipſis perceptis remittendi eiſdem, & ad alia ſimilia in poſterum obtinenda, ſi eis canonice conferantur, etiam

Exordium.

Indulget ut ſupra.

etiam habilitandi, & alia circa hęc agendi, quę veſtrę circumſpectioni expedientia videbuntur; quibuſcunque Apoſtolicis, & aliis Conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum hujuſmodi contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Novis, Avin. Diœceſis, Nonis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Donat.*) Conſulenda *Conſtitutio XXX.*
2. *Waddingo.*) Partim legitur apud *Odoricum Raynaldum ad annum MCCCLXXIV num.III.*
3. *Spiritum Sanctum &c.*) Ut in *Conſtitutione III Clementis V* ſuperius exſcripta *pag.*107.

Anno 1374 Die 24 Septembris.

Magiſtro Domus Hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitan., ut impenſis ſuis Fratrem Thomam de Bozolaſco, ceteroſque S. R. E. Nuncios (1) Conſtantinopolim tranſvehat.

*Ex Waddingo Tomo IV Annal. Minor. ad an. MCCCLXXIV num. IV pag.*188.

XXXIII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Conventui domus hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitan., ſeu ejuſdem Magiſtri Locumtenenti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm dilectos filios Thomam de Bozolaſco, Priorem Provincialem Lombardię Superioris, & Bartholomęum Cherracii, Fratrum Prędicatorum, & Minorum Ordinum Profeſſores, in Sacra Theologia Magiſtros, necnon Bertrandum Froſe & Heſſonem Slegrheltz (2) Neapolitan., & Friburg Pręceptoriarum Pręceptores Hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitani, Apoſtolicę Sedis Nuncios, latores pręſentium, ad Civitatem Conſtantinopolitan. pro certis arduis negotiis deſtinemus, diſcretioni tuę in virtute Sanctę obedientię, & ſub pęna excommunicationis, quam ſingulares perſonas veſtras, ſi hujuſmodi noſtro mandato contempſeritis, ſeu neglexeritis obedire, incurrere volumus, eo ipſo, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus pręfatis Nunciis, ſeu illis ex eis, qui ad dictam Civitatem proficiſcentur, de galea (3) bene armata, in qua tute & commode ſtare poſſint, a Romana Curia uſque ad dictam Civitatem, & ab inde uſque ſaltem ad Terras Regni Sicilię citra Farum veſtris expenſis providere euretis, in hoc vos taliter habituri, quod digne commendari de prompta obedientia valeatis. Datum apud Villa Novam, Avinion. Diœceſis, VIII Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Mandatum.

1. *Nuncios.*) Conſulenda præcedentia Diplomata.
2. *Slegrheltz.*) Vide *Notam V* ad *Conſtitutionem XXX.*
3. *Galea.*) Seu *triremi.*

Anno 1374 Die 24 Septembris.

Fratribus Thomæ de Bozolaſco, & Bartholomæo Cherracii Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nunciis fidem adhibendam eſſe declarat (1).

*Ex Waddingo (2) Annal. Minor. Tomo IV ad an. MCCCLXXIV. num.V. pag.*188.

XXXIV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis, & ſingulis, ad quos pręſentes pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper pro certis fidei Catholicę, & Apoſtolicę Sedis negotiis dilectos filios Thomam de Bozolaſco Priorem Provincialem Lombardię Superioris, & Bartholomęum Cherracii Prędicatorum, & Minorum Ordinum Profeſſores, in Sac. Theologia Magiſtros, necnon Bertrandum Froze, & Heſſonem Slegherletz (3) Neapolitan., & Friburg, Pręceptoriarum Pręceptores S. Johannis Jeroſolymitan., Apoſtolicę Sedis Nuncios, per noſtras literas ad Civitatem Conſtantinopolitan. diſpoſuimus deſtinandos: & nonnullis Principibus, aliiſque perſonis ſcripſimus per noſtras Literas Apoſtolicas, quod ipſis quatuor Nunciis, ſuper iis, quę eis dicerent ex parte noſtra, fidem plenariam adhiberent, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem poſtmodum ex certis cauſis Bertrandum, & Heſſonem pręfatos revocaverimus pro pręſenti a nunciatione pręfata, & intendamus, quod dicti Thomas, & Bartholomęus conſummationem negotiationis hujuſmodi proſequantur, omnes & ſingulos, quibus, ut pręfertur, ſcripſimus, rogamus attente, quatenus dictis Thomę, & Bartholomęo, vel eorum alteri, non obſtante abſentia pręfatorum Bertrandi, & Heſſonis fidem velint indubiam adhibere. Datum apud Villam Novam, Avinion. Diœceſis, VIII Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Declaratio.

1. *Declarat.*) Vide præcedentia Diplomata.
2. *Waddingo.*) Alia nonnulla Diplomata hac de re ſcripta fuiſſe, conſtat ex *Bzovio ad an. MCCCLXXIV num. II*, & ex *Odorico Raynaldo ad eundem annum num.II*, ubi ſic loquitur Odoricus: *Juſſus eſt cum his Nunciis operam conjungere Simon Archiepiſcopus Thebanus ad redintegrandum eccleſiarum Sanctiſſimum fœdus, iidemque Johanna Regina Siciliæ, Andrea Contareno Venetorum, & Dominico e Campofregoſo Genuenſium Ducibus, Rhodiorum Equitum Magiſtro, Galatais, Franciſco Catalusio Mitylenes Regulo, Johanni Cantacuzino, eximperatori, Ordinis S. Baſilii Monacho, tum Demetrio Chidonii, & Philippo Conſtantinopolitanis proceribus, ac demum Johanni Palæologo Imperatori enixe commendati fuere.*
3. *Slegherletz.*) En unius & ejuſdem cognomen tertio variatum, ut videre eſt ex præcedentibus Diplomatibus.

Offi-

Officialibus Barchinonenſis Epiſcopi, ut quendam Manuſcriptum librum Raymundi Lulli teneant, & ad ſe mittant (1).

Anno 1374 Die 20 Septembris.

Ex Peña (2) ad calcem Director. Inquiſit. pag. 86.

XXXV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Franciſco Borele Priori Prioratus Eccleſię S. Eulalię de Campo, & Petro de Sancto Amancio, Hoſpitalario Dartuſę, officialibus venerabilis Fratris noſtri Barchinonen. Epiſcopi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD audientiam noſtram fide digna relatione perducto, quod dilectus filius Franciſcus Vitalis, prefati Epiſcopi Notarius, quendam librum Raymundi Lulli in Pergamenis, & vulgari Cathalanico ſcriptum, aſſignatum eidem Franciſco in cuſtodiam per vos, & dilectum filium Nicolaum Eymerici Ordinis Prędicatorum profeſſorem, Inquiſitorem hęreticę pravitatis, in quo errores ſcripti plurimi perhibentur, apud ſe habet: diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſtatim viſis pręſentibus, abſque alicujus morę diſpendio, pręfatum librum ad manus veſtras receptum, ad nos per fidelem, & idoneum portitorem mittere procuretis: Cauti, ne ullam in his committatis negligentiam, vel defectum. Datum apud Villam Novam, Avinion. Dięceſis, III Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Mandatum.

1. *Mittant.*) Adeas *Bzovium Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLXXIV a num. XX ad XXXI.*
2. *Peña.*) Ejuſdem Diplomatis meminit Peña *Commentar. LI in Quæſtion. XXVI ſecunda Partis Directorii Inquiſitor. pag.* 334, ibique laudat Regeſtum Pontificium, *Volumen* ſcilicet *ſecundum Anni IV Gregorii XI fol.* 201. Legitur apud *Bzovium* mox citatum. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCXCIX pag.* 714.

Chienſe (1), Caphenſe (2), Trepeſondenſe (3), & Peyræ (4) Cœnobia Fratribus Peregrinantibus Ordinis Prædicatorum reſtituenda jubet (5).

Anno 1375 Die 28 Januarii.

Ex Bullario Caſtellani pag. 67.

XXXVI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vicario dilecti filii Magiſtri Ordinis Fratrum Prędicatorum, ac Fratribus ejuſdem Ordinis in Terris Saracenorum (6), Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sitharum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Mothitarum (7), aliarumque non credentium nationum, Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium conſtitutis, & ad eas proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIncerus zelus, quem ad fidem catholicam extendendam, & ſalutem animarum, habetis, ut multos pereuntes, pro quibus ſalvandis, paupertatem, tribulationes, perſecutiones, & anguſtias multiplices, peregrinando in partibus Infidelium ſuſtinetis, Chriſto poſſitis lucrifacere, promeretur, ut ea, quę ad conſervationem peregrinationis hujuſmodi, & conſolationem veſtram cedere valeant, devotioni veſtrę liberaliter concedamus. Exordium. Sane exhibita nobis pro parte veſtra petitio continebat, quod olim per Fratres Ordinis Prędicatorum, cujus profeſſores eſtis, peregrinantes propter Deum in hujuſmodi partibus, prędeceſſores veſtros, Loca, ſeu Conventus civitatum Chienſium, Caphenſium, Trepeſondenſium, & Terrę Peyrę, proprie Conſtantinopolitanę, recta, & gubernata, fuerunt: ſed ſucceſſu temporum, peregrinantibus ipſis, ſeu ex quacunque alia cauſa, quam haberi volumus, pręſentibus pro expreſſa, loca ipſa Priori Provinciali Gręcię dicti Ordinis exiſtenti pro tempore ſubjecta per Magiſtrum, qui tunc erat, & Generale Capitulum dicti Ordinis, extiterunt. Supplex Fratrum petitio. Quare nobis humiliter ſupplicaſtis, ut cum vos eiſdem locis pro veſtris tranſitu, ac mora in eis interdum longo tempore faciendis, & peregrinatione prędicta plurimum egeatis, & eorum reſtitutio vobis nonniſi per tria Capitula dicti Ordinis fieri poſſit, Nos de benignitate Apoſtolica ipſam facere dignaremur. Nos igitur attendentes quod dicta reſtitutio, unio, & conceſſio ſecundum Deum fieri debeant, ac ad utilitatem dictę peregrinationis, melioremque ſtatum fidei, & dictorum Locorum, ac Conventuum eorundem cedere valeant, per nonnullos Sacrę Theologię Magiſtros, & alios fide dignos Fratres dicti Ordinis, Informatione recepta, veſtris ſupplicationibus inclinati, dicta Loca, & Conventus eorum, auctoritate Apoſtolica, pręſentium tenore, vobis reſtituimus, ac de novo annuimus, atque concedimus, ut illa ſecundum inſtituta, & conſuetudinem dicti Ordinis de cetero ad veſtrum uſum, & moram hujuſmodi habeatis, regatis, & gubernetis ut prius; Mandatum. Mandantes dilectis filiis Fratribus dictorum locorum, ut tibi, fili Vicari, ſicut eorum Immediato Prelato deinceps humiliter obediant, & intendant. Et inſuper eiſdem Provinciali, & aliis Fratribus dictę Provincię diſtrictius inhibemus, ne de dictis locis, & Conventibus (8), fel. record. Urbani Papę V, ſe quoquo modo de cetero intromittant. Decernentes irritum, & inane quicquid per eundem Provincialem, ſeu quoſcunque alios ſecus fuerit attentatum. Non obſtantibus fel. record. Urbani Papę V, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus, privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictorum Ordinis, & locorum contrariis quibuſcunque, per quę effectus pręſentium impediri valeat quomodolibet, vel differri; etiam ſi de eis, eorumque totis tenoribus in noſtris literis plena, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio ſit habenda, quę contra premiſſa nolumus alicui, ſeu aliquibus aliqualiter ſuffragari. Clauſula derogans. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę reſtitutionis, unionis, conceſſionis, mandati, inhibitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare Sanctio pœnalis.

pre-

prȩſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Avinioni V Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Chienſe.*) In Inſula ejuſdem nominis.
2. *Caphenſe.*) Vulgo *Caffa* in *Tartaria* Minori.
3. *Trepeſondenſe.*) Seu *Trapezunden*, vulgo *Trapiſonda*, & *Trebiſonda*, in *Cappadocia*, Provincia *Aſiæ* Minoris.
4. *Peyræ.*) Seu *Peræ*. Suburbium eſt *Conſtantinopolitanum*, ut notatum eſt ſupra.
5. *Jubet.*) Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. IX ad an. MCCCLXXVII pag.* 242.
6. *Saratenorum.*) De quibus ſæpius.
7. *Motbitarum.*) Vide *Notam V* ad *Diploma datum XXIII Octobris MCCCXXI.*
8. *Conventibus.*) Adderem: *Prætextu Conſtitutionis.*

Anno 1375 Die 28 Januarii.

Erga Græcam S. Romanæ Eccleſiæ reconciliandam bene affecto Johanni Cantacuzeno gratulatur, & ut rem totam ad optatos exitus perducat, hortatur (1).

Ex Bzovio (2) *Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXV num. II.*

XXXVII. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Johanni dicto Cantacuzeno, Ordinis Sancti Baſilii profeſſori, gratiam in prȩſenti, per quam obtineat gloriam in futuro.

Exordium. INter deſideria cordis noſtri illud noſcitur eſſe prȩcipuum, ut in commiſſo nobis Apoſtolatus officio id agamus ſolertius, & agi per alios noſtrȩ ſolicitudinis ſtudio procuremus, quod Salvatori noſtro Domino Jeſu Chriſto, cujus, licet indigni, vices exercemus in terris, ȩſtimamus acceptius, pluribus animabus ſalubrius, fidei Catholicȩ defenſioni validius, & expedientius tutelȩ populi Chriſtiani. Et cum tantorum bonorum aſſecutionem indagine diligenti perquirimus, ea in unione Latinorum & Grȩcorum, quos una Fides conjungit, ſed ſchiſma damnabile ſeparat, confidimus invenire, proptereaque, cum ſentimus aliqualem diſpoſitionem unionis hujuſmodi, lȩtantes in Domino optatam viam tutiores ingredimur, cujus patentiorem aditum invenimus, ſperantes in illo, qui dixit: quȩrite, & invenietis, pulſate & aperietur vobis; quod fructum noſtrȩ caritativȩ inquiſitionis cum ejus gratia ſortiemur. Gratulatur ipſi. Sane, quia venerabilis Frater noſter Johannes (3), Epiſcopus Tauriſienſis, lator prȩſentium, nobis expoſuit, quod in quadam diſputatione, quam nuper tu, & quidam alii Grȩci, tam Prȩlati, quam alii, cum quibuſdam Fratribus Ordinis Prȩdicatorum, quos ad partes Armeniȩ Majoris, ad conſervationem Fidelium, & converſionem infidelium dictarum partium, mittebamus, ſuper his, in quibus Grȩci a Latinis diſcordare noſcuntur, in Civitate Conſtantinopolitana habuiſtis, non immemor verbi Salvatoris noſtri, qui dixit Beato Petro, cujus ſumus Divina permiſſione ſucceſſor, Tu es Cephas, ſponte confeſſus es, te credere, & tenere S. Romanam Eccleſiam, quȩ Mater eſt omnium Fidelium, & Magiſtra, ſuper omnes orbis Eccleſias obtinere Primatum, & quod ad hoc defendendum, ſi expediret, morti exponeres corpus tuum; Cujus quidem Epiſcopi, uti fide digni, relationi hujuſmodi Nos fidem indubiam adhibentes, quamplurimum ſumus de dicta confeſſione lȩtati, agentes Deo gratias, qui cordi tuo eſt dignatus infundere, ut verbum tam bonum, tamque ſalutiferum eructaret. Cum enim hujuſmodi Primatus negatio olim prȩſumpta per Grȩcos eoſdem, diſſidii Latinorum, & ipſorum Grȩcorum fuerit cauſativa, & conſervativa ſchiſmatis ſubſecuti, tuque, prout fama publica prȩdicat, ſis vir magnȩ prudentiȩ, morum gravitate conſpicuus, dono ſcientiȩ redimitus, ac ex his, & Imperiali Celſitudine, qua claruiſti conſtitutus in ſeculo, omnibus populis eorundem Grȩcorum venerandus, imitabiliſque exiſtas; ſperamus in Deo, qui tibi tam ſalubris confeſſionis, tanquam laudandi primordii, largitus eſt gratiam, quod effectum obedientiȩ, & concordandi cum dictis Eccleſia, & Latinis in aliis in quibus hactenus diſcordaſti, donum pretioſius largietur; nec, ſi voles, Hortatur. ſolus accedes ad arcam Domini, ſed innumerabiles manipulos prȩſentabis eidem. Ideoque prudentiam tuam inſtanter requirimus, & rogamus attentius, quatenus, cum poſſis eſſe promotor prȩcipuus unionis prȩfatȩ, pro ea, ut ſit unum ovile, & unus Paſtor, & inconſutilis tunica Domini non ſcindatur ulterius, & non pereant animȩ in ſchiſmate conſtitutȩ, glorioſus ſtatus Grȩcorum prȩfatorum, qui poſt ſchiſma jam dictum miſerabiliter corruit, Dei, & prȩdictorum Eccleſiȩ, & Latinorum opitulatione reſurgat, exaltetur fides catholica, & infidelium perfidia confundatur, velis totis tuis niſibus laborare, ac ob reverentiam Dei, ac Apoſtolicȩ Sedis & noſtram, tam Latinos, ſpecialiter Religioſos, quam Grȩcos habitantes in Civitate prȩfata, & dictȩ Sedis magiſterio intendentes; ne lȩdantur in perſonis, vel bonis, ſicut jam lȩſi dicuntur, tuis prȩſidiis confovere. Ceterum ſi ſuper tractanda unione prȩfata ad prȩſentiam noſtram in Urbem Romanam, ad quam, Deo prȩvio, ire diſpoſuimus in autumno proxime ſecuturo, accederes; id multum haberemus acceptum, teque jucundis obtutibus videremus; ſperavemuſque tecum in unione prȩmiſſa utilem ordinem adhibere. Dat. Avinione V Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Hortatur.*) Rem paucis aperit *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. IX ad an. MCCCLXXV pag.* 239, cujus hæc verba: *Anno MCCCLXXV cum P.* Johannes *Tarviſien.* (Tauriſien.) *Epiſcopus in Armenia, Romam reverſurus per Conſtantinopolim cum Fratribus ſociis ſuis tranſiſſet, diſputationem habuit cum* Johanne *Cantacuzeno, atque aliis Doctoribus Græcis, de Primatu Romanæ Sedis ſuper Patriarchas quoſcunque, etiam Conſtantinopolitanum, qui caput Eccleſiæ Græcæ ſe venditabat, & convictus Cantacuzenus, Eximperator Conſtantinopolitanus, atque Baſilianus Monachus effectus, eundem Primatum confeſſus eſt ita, ut etiam pro illo, atque unione Eccleſiæ Græcæ cum Latina laboraſſet. Quibus Gregorio XI Pontifici Maximo nunciatis, ſcripſit ille Apoſtolicas literas ad Cantacuzenum, commendans .... ejus pietatem.* Adeas Bzovium ad an. MCCCLXXV num. I, III, & IV.

2. *Bzovio.*) Legitur etiam apud *Eminentiſſimum Cozzam Hiſtor. Polemica Tomo IV pag.* 5.

3. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Urbani V.*

Inquiſi-

Inquiſitori Arelaten., Aquen., Ebredunen., Viennen., ac Tarantaſien., Provinciarum, ut in earundem Provinciarum loca, infecta hæreſi, Verbi Dei Præcones mittendos curet (1). Anno 1375 Die 7 Maii.

Ex Bullar. (2) Carmelitano in Gregor. XI Conſtitutione VI, pag. 134.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Inquiſitori hęreticę pravitatis in Arelatenſi, Aquenſi, Ebredunenſi, Viennenſi, & Tarantaſienſi Civitatibus, & Dięceſibus, ac Provinciis auctoritate Apoſtolica deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXVIII.

CUm, ſicut relatibus fide dignis dolenter audivimus, in partibus Arelatenſis, Aquenſis, Ebredunenſis, & Viennenſis, Civitatum, Dięceſium, & Provinciarum, & certarum aliarum Terrarum tuę Inquiſitionis, ſint nonnullę perſonę utriuſque ſexus infectę diverſis erroribus hęreticę pravitatis, & hoc ex defectu Prędicatorum catholicę puritatis, qui in dictis partibus non fuerunt hactenus, nec ſunt etiam deputati; Nos partes ipſas hujuſmodi expurgari erroribus cupientes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus dilectos filios Priores, & Miniſtros, ac Provinciales, & Cuſtodes Fratrum Ordinum Prędicatorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, ac Minorum dictarum Civitatum, Dięceſium, & Provinciarum, & partium vicinarum eiſdem, ex parte noſtra requiras, & in virtute ſanctę Obedientię mandes eiſdem, quod Fratres .... (3), & Cuſtodiarum, prout eis ſubſunt, in lege Domini eruditos, ac honeſtate vitę, & morum gravitate conſpicuos, & orthodoxę fidei zelatores, ſcientes idioma partium prędictarum, ad illa ipſarum partium loca, quę eis inſinuaveris, ſtudeant fideliter deſtinare, in illis ad tuum beneplacitum permanſuros, & prędicaturos, maxime contra errores prętatos, ſaluberrimum Verbum Dei. Datum Avenione Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. *Mandatum.*

1. *Curet.*) Legenda varia alia Diplomata quæ tranſcripſit *Waddingus Annal. Minor. Tomo IV ad annum MCCCLXXV a pag.* 203 *ad* 210. Conſulendus ipſemet *Waddingus* ibidem *num. XI pag.* 202.

2. *Bullario.*) Ex Regeſto Pontificio in *Libro de Curia num. CCLIX fol.* 22. Legitur apud *Waddingum* mox laudatum, *num. XIX pag.* 206.

3. *Fratres ....*) Adde: *Locorum.* Ex *Waddingo.*

Nonnullos Raymundi Lull libros, ut erroneos & hæreticales damnat (1), ceteros interdicit. Anno 1376 Die 25 Januarii.

Ex Arch. (2) Ordinis.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Tarraconen., ejuſque Suffraganeis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXIX.

COnſervationi puritatis catholicę fidei, quam multi nequam filii ſcelerati ſuis falſis aſſertionibus maculare nitentes, inter triticum purum agri dominici peſtiferum ſemen zizanię ſeminant, cum ad noſtrum pręcipue ſpectet officium, ut evellamus prava, & deſtruamus perverſa, providere ſalubriter, & animarum illaqueationibus obviare confeſtim, plenis deſideriis affectantes, opportuna in iis, quę poſſumus remedia ſtudio paſtoralis ſolicitudinis adhibemus. *Exordium.* Dudum ſiquidem dilectus filius Nicolaus Eymeriel (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, in ſacra Theologia Magiſter, in Regnis Aragonię, Valentię, & Majoricarum Inquiſitor hęreticę pravitatis, nobis expoſuit, ſe in Regnis eiſdem inveniſſe viginti volumina diverſorum librorum in vulgari ſcriptorum a quodam Raymundo Lull, Cive Majoricen. editorum: In quibus, ut ipſi Inquiſitori videbatur, multi continebantur errores, & hęreſes manifeſtę, & quod nonnulli de prędictis, & aliis Regnis, libris utebantur eiſdem, & eorum doctrinę dabant fidem non modicam, in grande ſuarum periculum animarum; ſupplicavitque nobis Inquiſitor ipſe, ut, ne ſimplices deciperentur ex libris ipſis, dignaremur in hac parte de opportuno remedio providere. *Supplex F. Eymerici petitio.* Nos autem, cupientes animarum jam forſan imbutarum, & quę imbui poſſent, ex perverſo dogmate dictorum librorum, periculis celeriter obviare, dictos libros per Venerabilem fratrem noſtrum Petrum, Epiſcopum Oſtien., & per quam plures, etiam ultra vigeſimum numerum in eadem Theologia Magiſtros, examinari fecimus diligenter, per quorum relationem tandem habuimus, quod ipſi dictos libros omnes cum multa diligentia legerant, & examinaverant; Et quod ultra ducentos articulos erroneos, & hęreticales invenerant in eiſdem, ſuper quibus inter eoſdem Epiſcopum, & Magiſtros ſępius, & demum coram Nobis habita diſputatione ſolemni, ipſos articulos, quos ad vitandum prolixitatis tędium, & horribilitatem eorum, haberi volumus pręſentibus pro expreſſis, erroneos, & manifeſte hęreticales, de dictorum Epiſcopi, & Magiſtrorum concordi conſilio cenſuimus reputandos. *Damnat ut ſupra.* Cum autem, ſicut Inquiſitoris prętati continebat aſſertio, in prędictis Regnis alii libri, qui aſſeruntur editi a jam dicto Raymundo, reperiri dicantur, in quibus hujuſmodi jam reperti, & alii errores, & hęreſes creduntur probabiliter contineri; Nos volentes de hujuſmodi aliis libris, & eorum doctrina informari plenarie, & ſuper eis providere ſalubriter, ne fideles in errores hujuſmodi damnabiliter prolabantur, Fraternitati veſtrę, de Fratrum noſtrorum conſilio, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus diebus Dominicis, & feſtivis in ſingulis Eccleſiis veſtris Cathedralibus, ac curatis, necnon Religioſorum quorumcunque Ordinum, exemptorum, & non exemptorum, etiam Ciſtercien., Cartuſien., Cluniacen., Pręmonſtraten., Grandimonten., Sanctorum Benedicti, & Auguſtini, ac Fratrum Prędicatorum, Minorum, & Eremitarum ejuſdem Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, & aliorum Ordinum, veſtrarum Civitatum, & Dięceſum, intra Millarum ſolemnia exiſtentibus populis ad divina, & in prędicationibus per vos, vel alios, quam cito commode poteritis, facia-

faciatis proponi, quod omnes, & ſingulę perſonę utriuſque ſexus, cujuſcunque ſtatus, ordinis, vel conditionis exiſtant, earundem veſtrarum Civitatum, & Diœceſum, ſeu commorantes in eis, habentes libros quoſcunque a prętato Raymundo editos, ut pręfertur, ipſos infra unius menſis ſpatium vobis aſſignare, & illi, qui ſciunt alias perſonas libros eoſdem habentes, eas vobis revelare, ac nominare procurent, voſque libros recipi faciatis eoſdem; quos cum habueritis, eos, quam cito commode poteritis, curetis nobis fideliter deſtinare, ut ipſos ſimili examini ſubiicere valeamus. Ceterum quia doctrina, ſeu potius dogmatizatio prędictorum librorum examinatorum reperitur erronea, hereticalis, & periculoſa nimium animabus, & vehemens ſuſpitio eſt habenda, quod in aliis libris editis a dicto Raymundo, ſimiles, & alii, ut prefertur, contineantur errores, vobis mandamus, quod omnibus, & ſingulis eiſdem perſonis veſtrarum Civitatum, & Diœceſum doctrinam, ſeu potius dogmatizationem & uſum hujuſmodi librorum, interdicere ſtudeatis, donec ſuper his per Sedem Apoſtolicam aliud fuerit ordinatum. Contradictores

Clauſula derogans. per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus ſi ab aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium vocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet exemptionis, ac aliis privilegiis, & literis Apoſtolicis, quibuſcunque locis, perſonis, vel ordinibus, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis de quibus, quorumque totis tenoribus, etiam de verbo ad verbum in noſtris literis mentio ſit habenda, & per quę pręſentis mandati noſtri effectus valeat quomodolibet impediri. Inſuper volumus, quod per te, frater Archiepiſcope, tenor pręſentium ſub tuo, vel officialis tui ſigillo vobis, fratres Suffraganei tranſmittatur. cui per vos adhiberi volumus, velut ipſis originalibus, plenam fidem. Datum Avinion. VIII Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Damnat.*) Conſulendi *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLXXII a numero IX ad XXX*, *Echard de Scriptorib. Ordinis Tomo I ad an. MCCCXCIX pag. 714*, *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragon. Ord. Prædicator. Lib. II Cap. XLI pag. 265*, *Eymericus Director. Inquiſitor. ſecunda Parte Quæſt. XXVI pag. 311*, *Peña Commentar. LI in Quæſt. XXVI ſecunda Partis Directorii Inquiſitor. pag. 131*, *Jacobus Galterius in Tabula Chronografica Eccleſiæ Catholicæ XIII Seculi Cap. V pag. 685 Edit. Lugdunen. An. MDCXVI*, & alii apud illos laudati. Notandum tamen, quod varii Scriptores *Raymundi Lulli* partes tutati ſunt, *Antonius* nempe *Belluer* Canonicus *Majoricenſis* in *Apologia ejuſdem Raymundi*, *Salelles Tomo II Lib. III de materia Tribunal. Fidei Cap. XV*, *Johannes Segui*, in ejuſdem *Raymundi Vita*, *Wadingus Annal. Minor. Tomo III ad An. MCCCXV a Num. II ad XXI*, aliique, quos laudat, & excipit eruditus *P. Johan. Bapt. Sollerius in Actis SS. ad diem XXX Junii a pag. 633 ad 716*, ubi omni argumentorum genere præſentem *Conſtitutionem* impetit quidem, ſed nihil novi in ipſius Diſſertatione reperire eſt. Placet Auctoris eruditio, eloquentia movet, verum non ſecus ac *Waddingus* de *Belluer* Apologia mox laudata ſcribit, *non plene in omnibus ſatisfecit*. Hinc licet avidis oculis *Diſſertationem* perlegerim, licet omni ſemoto præjudicio *Sollerii* opinionis momenta perpenderim, licet in votis non ſemel fuerit, aſſentiri poſſe *Sollerio*, & hocce Diploma negligere, ſubiit tamen animum veritatis amor. Is ipſe, quo uno ductus quadam Diplomata contra *Raymundum de Tarraga*, ad hanc uſque diem inedita, ſuperius tranſcripſi, in cauſa eſt, cur iſtud hic deſcribatur, *Romanis typis*, & alias pluries jamjam editum.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Autographum aſſervatur *Gerundæ*. Legitur apud *Eymericum* mox laudatum. Idem tranſcripſerunt *Peña ad calcem Directorii Inquiſitor. Edit. Romana pag. 86*, *Bzovius ad an. MCCCLXXII num. XIII*. Ejuſdem *Conſtitutionis* fidem (quicquid dicat Sollerius) firmat Diploma Regium quod exſcripſere *Diago* mox laudatus, & *Bzovius ad annum MCCCLXXVII num. XXVIII*. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXCIX pag. 714 col. II*. Cetera Lulliſtarum objecta ſolvuntur ex his quæ habet *Bzovius ad annum MCCCLXXII*. Hic obiter notandum ex *Bzovio Num. XXVII*, quod *ipſi Lulliſtæ fatentur* hanc Conſtitutionem Gregorii XI *in Archivis Barcinone, Tarracone, & Valentiæ anno Domini MCCCLXXVI* (Anno nempe quo lata fuit) *fuiſſe aſcriptam, ut etiam exinde demonſtratio ſit, non fuiſſe confictam, quod eam Antiſtites tam celebrium Civitatum in monumentis Eccleſiarum ſuarum voluerint conſervari*.

3. *Eymerici.*) De quo *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. I Cap. XXIV pag. 46*.

Anno 1376 Die 12 Martii.

Fundendas preces, & Miſſas pro ſe, ac Clemente VI, celebrandas in Ædibus ſacris Cœnobii San-Maximinenſis (1) conſtituit.

Ex Odorico (2) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXVI num. XXIV.

XL. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium a laude FF. Prædicatorum. DE Fratrum Ordinis Prędicatorum, qui vitę meritis, & dono ſcientiarum quaſi ſidus prętutilans in militanti Eccleſia noſcitur coruſcare, devotis orationibus ſpecialiter ſperantes in Domino, & ob reverentiam B. Marię Magdalenę, ad quam ſpecialem devotionem habemus, & apud quam quidem Eccleſiam domus & Conventus dictorum Fratrum exiſtit, prędictam (3) Eccleſiam, nimirum B. Marię de Crolis Aquenſis Diœceſis (4), ipſi domui auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia interponimus & adnectimus.... Dum vixerimus, ſingulis diebus exceptis feſtivitatibus Salvatoris noſtri, & B. Marię Virginis

Fundatio. glorioſę, & tribus diebus proxime pręcedentibus feſtum Reſurrectionis ejuſdem Salvatoris noſtri, pro nobis celebretur una Miſſa, ut Deus nos in ſuis beneplacitis dirigat, & conſervet; ſitque dicta Miſſa aliquando de Trinitate, quandoque vero de Spiritu ſancto, & aliquoties de eadem Virgine glorioſa, aut de eadem B. Maria Magdalena: & in qualibet Miſſa dicatur illa collecta: Deus omnium fidelium, &c. quę pro Romano Pontifice ſolet dici. Et quater in anno per dictos Fratres pro nobis fiat proceſſio cum hymnis: Veni Creator Spiritus, & Miſſa ſolemni de Spiritu Sancto: & poterit illud fieri hujuſmodi diebus videlicet Pentecoſtes, in craſtinum Aſſumptionis ejuſdem B. Marię Virginis, & in die electionis noſtrę ad Summi Apoſtolatus officium, quę fuit die penultima Decembris, & in craſtinis feſtivitatis Apoſtolorum Petri & Pauli: & inſuper, poſt menſem a publicatione pręſentium facta in pręfata Eccleſia S. Maximi (5), ſingulis diebus pro anima felicis recordationis Clementis Papę VI Prędeceſſoris, & patrui noſtri, dicatur una Miſſa de mortuis cum collecta pro Pontifice, ut inferius continetur. Et poſtquam Nos eduxerit Dominus de ergaſtulo hujus vitę, prędictę Miſſę, quę in vita noſtra, ut pręmittitur, debent dici, & pro-

& proceſſiones ceſſent: ſed loco earum perpetuis temporibus quater in anno dicatur Officium deſunctorum, & quatuor Miſſę Conventuales his diebus, videlicet una in die anniverſarii noſtri, alia in craſtino commemorationis Deſunctorum, & alia nona die poſt prędictam feſtivitatem B. Marię Magdalenę immediate ſequente, alia vero in pręfata die, qua fuimus ad apicem Pontificatus aſſumpti. Et in caſu, in quo talia impedimenta eſſent, quod prędictę Miſſę his diebus commode celebrari non poſſent, diebus tunc immediate ſequentibus, impedimentis eiſdem ceſſantibus, celebrentur: ſingulisque diebus, etiam Dominicis, exceptis hujuſmodi feſtivitatibus noſtri Redemptoris, B. Marię Virginis, & B. Marię Magdalenę; necnon omnium Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ac B. Dominici, S. Thomę de Aquino, & B Petri Martyris de dicto Ordine Prędicatorum, & ejuſdem B. Maximi (5), celebrentur duę Miſſę de mortuis, una pro nobis, & altera pro ejuſdem Clementis, & aliorum omnium de genere noſtro, & illorum, qui dictam Eccleſiam ruralem fundaverunt & dotaverunt, animabus. Et dicatur illa collecta ſpecialiter in una: Deus qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum Gregorium, &c. & in altera: Deus qui inter Apoſtolicos Sacerdotes famulum tuum Clementem &c. cum aliis collectis dici ſolitis pro defunctis: Et ad prędicta deputetur Capella illa, quę eſt poſt illam, quam fundavit bonę memorię Guillelmus (6) Archiepiſcopus Toloſanus, & intituletur ſub nomine Beatorum Martialis Apoſtoli (7), & Magdalenę, quodque in propria Eccleſia in feſto B. Martialis dicatur Miſſa conventualis, & ea die fiat ſolemne officium de ipſo Sancto: quodque prędictę Miſſę celebrentur in hujuſmodi Capella ſic ordinata, & illa, quam fundavit dictus Clemens Papa: niſi tale ſubeſſet impedimentum, quod ibidem hujuſmodi celebratio, ſecundum quod premittitur, fieri non valeret, quo caſu celebrentur ipſę Miſſę in aliis capellis dictę Eccleſię, donec impedimentum ceſſaverit pręlibatum. Ad prędictas autem Miſſas celebrandas per Priorem dictę domus ſingulis diebus ſabbatis deputentur (8) duo Fratres, qui per totam hebdomadam hujuſmodi Miſſas debeant celebrare. Datum Avinione IV Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *San-Maximinenſis.*) In *Gallo-Provincia*; Provincialis tamen *Toloſani* juris eſt hocce Cœnobium.

2. *Oderico.*) Legitur etiam apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCLXX pag. 599.* Autographum tenet *San Maximinenſis* Conventus.

3. *Prædictam.*) Hinc liquet nonnulla deeſſe.

4. *Diœceſis...*) Hic etiam, & poſt hæc verba: *Et adneſſimus....* quædam deſiderantur.

5. *S. Maximi.*) Legendum: *S. Maximini.* Unus fuit ex Septuaginta duobus Diſcipulis, & Primus Antiſtes *Aquenſis.*

6. *Guillelmus.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII.*

7. *Martialis Apoſtoli.*) Duo hac de re Concilia, *XI* Eccleſiæ Seculo *Lemovicis* congregata fuerunt, ut ſcilicet definiretur, utrum *S. Martialis*, unus ex Septuaginta duobus Diſcipulis, *Apoſtolus* cenſendus eſſet, an vero *Confeſſor.* Cum autem de hoc inter Patres non conveniret, petierunt S. Sedis oraculum; quæ *S. Martialem* Apoſtoli titulo donandum eſſe decrevit. Hinc *Apoſtolus* nuncupatur hoc in Diplomate.

8. *Deputentur.*) Quicquid hic præſcribit SS. Pontifex omni, qua par eſt, religione Fratres *San-Maximinenſes* obſervant.

S. Catharinam (1) Senenſem, quibuſdam privilegiis donat.

Anno 1376
Die 1 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Catharinę Senenſi, ſub habitu Religionis Sororum de Pęnitentia Sancti Dominici Domino famulanti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam, non indigne meretur, ut petitionibus tuis, illis pręſertim, quas ex devotionis fervore prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, ut liceat tibi habere Altare portabile cum debita reverentia, & honore, ſuper quo in locis ad hoc congruentibus, & honeſtis poſſis, per aliquem idoneum Religioſum, vel Secularem, Miſſam, etiam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, cum qualitas negotiorum (3) id exegerit, facere celebrari; ita quod celebratio prędicta, quam ante diem forſan fieri continget, nec tibi, nec Sacerdoti taliter celebranti ad culpam valeat imputari; quodque parce hujuſmodi celebrationis conceſſione utaris; quia cum in Altaris officio immoletur Dominus noſter, Dei Filius, Jeſus Chriſtus, qui candor eſt lucis ęternę, congruit, hoc non in noctis tenebris fieri, ſed in luce, & inſuper quod celebratio hujuſmodi in locis eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, ſi te ad illa declinare contigerit, excommunicatis tamen & interdictis excluſis, non pulſatis campanis, & ſummiſſa voce, in tua & perſonarum tecum morantium pręſentia fieri poſſit, dummodo tu, vel perſonę ipſę cauſam non dederitis interdicto, nec id tibi, vel aliis contigerit ſpecialiter interdici, quodque Sacerdos pręfatus tibi, quoties expedierit, miniſtrare valeat Eccleſiaſtica Sacramenta, felicis recordationis Clementis Papę V Prędeceſſoris noſtri, & alia quallibet, Conſtitutionibus contrariis nequaquam obſtantibus, jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, devotioni tuę auctoritate pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum apud Villam Novam, Avenionenſis Diœceſis, Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Conceſſio.

Nota:

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *S. Catharinam.*) De qua Scriptores, quos laudat *Echard Tomo II Scriptor. Ordinis ad an. MCCCLXXX pag. 832 &c.* Unus hic audiendus *Spondanus* Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCLXXVI num. IV. *Fuit...* inquit, *hæc Catharina Soror de Pœnitentia, ſeu de Tertio Ordine S. Dominici. Senis Hetruriæ honeſtis & probis parentibus, patre pannorum tinctore, nata, quæ in ipſa infantia cæleſtibus viſionibus illuſtrari incipiens, procedente ætate in pietatis, & virtutum omnium cultu adeo profecit, ut frequentiſſime a Chriſto Domino viſitari, & miraculorum, revelationum, extaſium, prophetiæ, aliiſque ſupernaturalibus donis, quinimmo & impreſſione quinque Chriſti Stigmatum inſigniri meruit......Quam & non ſolum huic Pontifici Gregorio, verum etiam ejus Succeſſori Urbano acceptiſſimam fuiſſe, & in negotiis Eccleſiaſticis valde utilem,* divinisque

divinoque afflatu, nonnulla (*præter diſertiſſimas Epiſtolas*) *ſcripſiſſe*, *conſtat*. *Sed de illa plura hic diſſerere ſuperfluum fuerit*, *cum ſit ejus prodigioſa & plane cæleſtis vita non ſolum a viris fide digniſſimis ſinceriſſime deſcripta*, *verum etiam manibus piorum omnium adeo trita*, *ut non ſit qui eam ignoret*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio S. *Dominici Senarum*:

3. *Negotiorum*.) Legationes varias obiiſſe *S. Catharinam*, tam certum eſt quam quod maxime. *Avenionem* petierat hoc anno miſſa a *Florentinis*, ut ipſos reduceret in gratiam Summi Pontificis. Adeas *Odoricum Raynaldum ad an. MCCCLXXVI num VI &c.*

Anno 1378 Die 28 Januarii.

Confirmat (1) Decretum, quo quædam Cœnobia Fratribus Ordinis Prædicatorum Peregrinantibus Generalis Magiſter attribuerat.

Ex Bullario (2) *Caſtellani pag. 67.*

XLII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. FIdei Orthodoxę propagationem, & animarum ſalutem ſuper cuncta deſiderabilia cupientes, iis quę pro hujuſmodi propagatione, & ſalute provide ab aliis facta ſunt, libenter adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Supplex FF. petitio. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Elię Petiti (3) Ordinis Fratrum Pręedicatorum Confeſſoris (4), ſanctitatis (5) Fratrum eiuſdem Ordinis inter gentes peregrinantium propter Chriſtum, Vicarii (6) Generalis, & nonnullorum Fratrum ipſius Societatis nobis nuper exhibita continebat; quod dilectus filius Elias (7) ejuſdem Ordinis profeſſor, & Magiſter Generalis, zelans dictorum fidei, & Ordinis dilatationem per ſuas certi tenoris literas voluit, & declaravit, Lamburgen. (8), Caninicen. (9), Sumatricen. (10), Panſuten. (11), Primicilen. (12), & Cereten. (13), Conventus pręfati Ordinis in Pruſſię, & Valachię partibus conſiſtentes, ad Societatem dictorum Fratrum Peregrinantium ſpecialiter pertinere, prout in ipſis literis plenius continetur. Quare pro parte Vicarii, & Fratrum Pręedicatorum, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut voluntatem, & declarationem dicti Magiſtri ratas, & Confirmatio. gratas habere, eaſque auctoritate Apoſtolica confirmare, de benignitate ſolita dignaremur. Nos itaque, ut pręfertur, fidei Catholicę ampliationem, & animarum ſalutem ab intimis affectantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, voluntatem, & declarationem hujuſmodi ratas, & gratas habentes, eas Apoſtolica auctoritate confirmamus, & pręſentis ſcripti (14) communimus. Sanctio pœnalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę (15) apud Sanctum Petrum V Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Confirmat*.) Conſulendi *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. IX ad an. MCCCLXXVII pag.* 242, & *Simon Okolſki in Ruſſia Florida pag.* 13.
2. *Bullario*.) Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi*.
3. *Eliæ Petiti*.) Vide *Notas* in *Conſtitutionem datam IX Aprilis MCCCLXXIV*.
4. *Confeſſoris*.) *Profeſſoris*.
5. *Sanctitatis*.) *Societatis*.
6. *Vicarii*.) Emendandus ergo *Fontana*, qui hunc *Eliam* anno MCCCLXXIV Epiſcopum fuiſſe, cenſet *Monumen. Dominican. Parte II Cap. IX ad MCCCLXXIV pag.* 239.
7. *Elias*.) *Raymundi*, Toloſanus vulgo nuncupatus, Generalis Magiſter *Avenione* renunciatus in Comitiis anni *MCCCLXVII*. Legendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXVII pag.* 660.
8. *Lamburgen*.) *Lemburgen.*, ſeu *Leopolienſe* Cœnobium *Corporis Chriſti*: ut enim notat *Simon Okolſki*, in Ruſſia Florida pag. 70, *Leopolis* olim vocabatur *Lemburg*.
9. *Caninicen*.) *Camenecen.*, in ejuſdem nominis Epiſcopatu. Adeas *Simonem Okolſki pag.* 102.
10. *Sumatricen*.) *Smotricen.*, vulgo *Smotric*, in Epiſcopatu *Camenecenſi*. Simon Okolſki pag. 13, & 104.
11. *Panſuten*.) Sic etiam legebat *Fontana Monumen. Dominican. pag.* 242 *ex Bzovio de Provincia Poloniæ*; *Simon* vero *Okolſki in Ruſſia Florida pag.* 13 ſcribit: *Lancuten*. Legendum *Penſuten.*, ut apud *Ferrarium de Rebus Provinciæ Hungar. Parte IV Lib. unico Cap. II pag.* 523.
12. *Primicilen*.) *Primicellen*. Ex *Fontana*, *Bzovio*, & *Ferrario* mox laudatis. Vide *Ferrarium pag.* 525.
13. *Cereten*.) Conſulendus idem *Ferrarius pag.* 514.
14. *Scripti*.) Addendum: *Patrocinio*.
15. *Romæ*.) *Romam* enim perſuaſu *S. Catharinæ Senenſis* pervenerat *Gregorius* menſe Januario MCCCLXXVI, ſtylo veteri, novo MCCCLXXVII. Legendus *Ciaconius Vit. Pont. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLXX pag.* 576.

Anno.... Die....

S. Catharinæ Senenſi, ut Fratres, qui peccatorum ad ipſam confugientium Confeſſiones excipiant, delegare poſſit (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLIII.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Catharinę mulieri Senenſi, ſub habitu Religionis Sororum de Pęnitentia B. Dominici Domino famulanti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SIncerę devotionis affectus, & animarum ſalutis fervor, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut in his, quę hujuſmodi ſalutem reſpiciunt, votis tuis favorabiliter annuamus. Hujus Diplomatis cauſa. Cum itaque, ſicut accepimus, ſępe contingat nonnullos, quos Salvator noſter Dominus Jeſus Chriſtus ad tuam pręſentiam venire facit ſalubrem, & de commiſſis per eos ad pęnitentię frugem, in viam ſalutis, eius clementia, ipſoque dirigente, reducis, idoneos, & diſcretos appetere Confeſſores, tibique zelanti ſalutem huiuſmodi pęnitentium, difficile apparet pro eorum ſingulis Confeſſores idoneos reperire, & eiſdem pęnitentibus periculoſum valde redditur pęnitudinis, & confeſſionis hujuſmodi ſpatia prorogare. Conceſſio. Nos de literarum ſcientia, & diſcretione dilectorum filiorum Johannis de Senis Eremitarum

S. Au-

S. Auguſtini, ſacrę Theologię Magiſtri, & Raymundi (3) de Capua Prędicatorum, Ordinum Fratrum profeſſorum, in Sacerdotio, & tua ſocietate conſiſtentium, de quibus etiam apud Nos laudabilia perhibentur teſtimonia, in Domino confidentes, devotioni tuę, eoſdem Johannem, & Raymundum, ac unum alium Sacerdotem idoneum, cujuſcunque Mendicantium Ordinis fuerit, quem duxeris eligendum, ad audiendas confeſſiones prefatorum pęnitentium deputandi, qui, quoties opus fuerit, confeſſionibus eorundem pęnitentium diligenter auditis, de commiſſis per ipſos debitam eis abſolutionem impendant, & injungant pęnitentiam ſalutarem, niſi forte talia forent, propter quę ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda; non obſtantibus Conſtitutionibus contrariis quibuſcunque, plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum &c (4). Clauſula derogans.

1. *Poſſit.*) Videas Acta *S. Catharinæ Senenſis* apud *Papebrochium & Henſchenium Tomo II Actorum Sanctorum menſis Aprilis.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex antiquo *Manuſcripto* aſſervato in Archivo Conventus *S. Dominici Senarum.*
3. *Raymundi.*) Beati, de quo conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXX pag. 679.*
4. *Datum &c.*) Dies deſideratur.

Senenſibus Sororibus de Pœnitentia S. P. Dominici, ut delectum habeant (1) Sacerdotis ipſis Sacramenta adminiſtrantis.

Anno.... Die....

Ex Archivo (2) Ordinis.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis in Chriſto filiabus Lapę (3) quondam Jacobi Benincaſa (4), Cecchę quondam Clementis Ghori, Livę quondam Bartholomęi Franciſci, relictis Laicorum Viduis, Senenſibus, Sororibus de Pęnitentia B. Dominici, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XLIV.

BEnigno ſunt vobis illa concedenda favore, per quę ſcilicet pie deſiderare videmini conſcientię pacem, ut ſalutem animę, Deo propitio, conſequi valeatis. Exordium. Hinc eſt, quod Nos, in hac parte veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum auctoritate apoſtolica indulgemus, ut aliquem idoneum, & diſcretum Presbyterum Secularem, vel Religioſum, in veſtrum poſſitis eligere Confeſſorem, qui quoties opus vobis fuerit, opportunum, confeſſionibus veſtris diligenter auditis, pro commiſſis a vobis debitam abſolutionem impendat, & injungat pęnitentiam ſalutarem, niſi talia forſitan fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica eſſet merito conſulenda; Indulget ut ſupra. quodque idem Presbyter Euchariſtiam, & alia Eccleſiaſtica Sacramenta vobis miniſtrare poſſit, quoties expedierit, Ordinarii, vel alterius cujuſcunque licentia non petita; felicis recordationis Clementis Papę V Prędeceſſoris noſtri, & alia qualibet, Conſtitutionibus contrariis nequaquam obſtantibus; Clauſula derogans. jure tamen Parochialis Eccleſię ſemper ſalvo. Exceptio. Volumus autem, quod ſemel ſaltem in quolibet anno teneamini confiteri veſtro Parochiali Sacerdoti, & ab eo recipere Corpus Chriſti. Sanctio pœnalis. Nulli ergo &c. Datum &c (5).

1. *Habeant.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit. XIV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Lapa.*) Matri *S. Catharinæ Senenſis.*
4. *Jacobi Benincaſa.*) Patris ejuſdem Sanctæ. De ceteris conſulas Acta *S. Catharinæ Senenſis* apud *Papebrochium Tomo II Menſis Aprilis.*
5. *Datum &c.*) Dies deeſt.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Gregorio XI Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALIS.

F. Yvo, aliis Evenus, Begaignon, Gallus Epiſcopus Trecorienſis, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, S. R. E. Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus. *Friſonius* ex antiquo Ms., cujus hæc verba: *Yvo, alias Evenus, Begaignon Ordinis Prædicatorum, Cardinalis Epiſcopus Præneſtinus, vulgo Cardinalis de Morlacia. Sarnellius Epiſtola XL ad P. Cavalerium* ex eodem *Ms. Cavalerius Tomo I pag.* 166 *num. CCLXI*, & *Tomo II pag.* 201 *num VI. Albertus Le Grand.* Anno 1371.

ARCHIEPISCOPUS.

F. Jacobus Gualterotti, Piſanus, Lanfranci filius, Archiepiſcopus Turritanus, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CIX pag.* 108, *ex Monumentis Conventus Piſani. Cavalerius Tomo I pag.* 167 *num. CCLXIV.* Circa Annum 1375.

EPIS-

EPISCOPI.

Anno 1371. F. Franciſcus e Regno, ex Epiſcopo Pactenſi, & Liparenſi, ut in præcedenti *Appendice*, dictum fuit, Epiſcopus Mazarenſis, *Mazzara*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Panormitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXIV pag.* 231, *ex Ughello, & Pirro. Cavalerius Tomo I pag* 159 *num. CCXLIV.*

Anno 1371. F. Yvo, aliis Evenus, Begaignon S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Prænestinus. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Anno 1371. F. Johannes Gibrois, vel de Gibroſco, Gallus, patria & profeſſione Pruvinenſis, Epiſcopus Tolonenſis, *Toulon*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi. *Laurentius Pignon in Catalogo promotorum ad Dignitates extra Ordinem. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 22 *ex Gallia Chriſtiana*, in qua cognominatur *Silveſter de Girbiotto*, & *Hiſpanus* dicitur. *Johannes de Girbioto* vocatur a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCI pag.* 309, & a *Cavalerio Tomo I pag.* 299 *num. CCXCIII.*

Circa Annum 1372. F. Angelus de Bario, Epiſcopus Biteſtenſis. *Bitetto*. in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCVII pag.* 750, *ex Ughello*, & *Angeli* Epitaphio. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCIII pag.* 143. *Cavalerius Tomo I pag.* 199 *num. CCCCII.* De anno inter ipſos non convenit.

Anno 1372. F. Johannes Gilbert, Anglus, Epiſcopus Bangorenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCLXV pag.* 653 *col. I*, *ad annum MCCCXC pag.* 699 *col. II*, & *in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. II*, ex variis Auctoribus, quos laudat, excipit, vel emendat. *Cavalerius Tomo I pag.* 697 *num. XI.* Epiſcopum *Herefordenſem* fuiſſe *Johannem* hac in *Appendice* dicetur.

Anno 1372. F. Simon Lingonienſis ex Epiſcopo Nannetenſi, ut in præcedenti *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Venetenſis, *Vannes*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLII pag.* 637, *ex Baluzio*.

Anno 1373. F. Johannes Aubry, Hibernus, patria Trimenſis, ab una parte Capituli electus Epiſcopus Ardachadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. II*, *ex Varæo*. Num fuerit inauguratus, non produnt Auctores.

Anno 1373. F. Guillelmus Polonus, Epiſcopus Caminienſis, in Pomerania, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 160 *num. CCXLIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXV pag.* 152, *ex Bzovio. Dominicus Frydrychowicz in libro, cui titulus: S. Hyacinthus Poloniæ Patronus &c. pag.* 229.

Anno 1374. F. Guillelmus Andreas S. T. Magiſter, Epiſcopus Achadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. I*, *ex Varæo*. Ad Epiſcopatum *Medenſem* translatus eſt *Guillelmus*, ut in *Appendice* ſequenti dicetur.

Anno 1375. F. Johannes Gilbert, Anglus, ex Epiſcopo Bangorenſi, ut mox dictum fuit, Epiſcopus Herefordenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius*, & *Echard* ſupra laudati. *Menevenſis* Epiſcopus fuit *Johannes*, ut in ſequenti *Appendice* dicetur.

Anno 1376. F. Petrus de Villiers ex Epiſcopo Nivernenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Innocentii VI* dictum fuit, Epiſcopus Trecenſis, *Troyes*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Senonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCV pag.* 311, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 164 *num. CCLVII.*

Anno 1376. F. Dominicus de Lagne, Epiſcopus Savonenſis, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Mediolanenſi. *Ughellus in Epiſcop. Savonenſibus Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 739. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXVII pag.* 289. *Cavalerius Tomo I pag.* 174 *num. CCXCII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXXVI pag.* 687.

Anno 1377. F. Jacobus, Epiſcopus Kiovienſis, *Kiow*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Fontana Theatro Domini-*

Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCIX pag. 209. Cavalerius Tomo I pag. 166 num. CCLX. Simon Okolski in Ruſſia Florida pag. 58. Dominicus Frydrychowicz ſupra laudatus pag. 226.

F. Johannes de Piſtorio, Epiſcopus Aquilanus, in Aprutio, immediate ſub Sancta Sede. *Ughellus in Epiſcop. Aquilanis Tomo I Italiæ Sacræ pag. 389, ex Lib. Proviſion. Prælator. Gregor. XI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLIV pag. 127, ex Plodio, Marieta, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 170 num. CCLXXVIII.* Anno 1377.

F. Nicolaus Meyſen, vel Millina, Epiſcopus Lubecenſis, *Lubeck*, in Saxonia inferiori, ſub Archiepiſcopo Bremenſi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 26 col. I, ex Bucelino. Cavalerius Tomo I pag. 297 num. CCLXXXI.* Anno 1378.

LEGATI.

F. Simon e Puteo Nuncius Apoſtolicus in Sicilia. *Cavalerius Tomo I pag. 185 num. CCCXLII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXCV pag. 707.* Variis aliis legationibus clarum fuiſſe *Simonem* in præcedenti *Appendice* videre eſt, & in ſequentibus dicetur. Anno 1374.

F. Thomas de Bozolaſco, Lombardiæ Provincialis, Legatus ad Imperatorem Græcorum miſſus. *Bulla* - Circa tuam - *Data XXV Julii MCCCLXXIV.* Conſulendi Scriptores laudati in *Notis* ad eandem *Conſtitutionem.* Anno 1374.

B. Raymundus de Vineis, de Capua vulgo nuncupatus, Nuncius Apoſtolicus. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXX pag. 681, ex Actis Legationum B. Raymundi.* Circa Annum 1377.

S. Catharina Senenſis variis Legationibus clara. *Urbanus VIII*, cujus hæc verba *Lectione III*, quæ die feſto *S. Catharinæ Senenſis* a FF. Prædicatoribus recitatur. *Gregorio (XI) & Urbano VI ejus Succeſſori acceptiſſima fuit* (S. Catharina); *adeo ut Legationibus eorum fungeretur.* Hanc Lectionem *Urbanum VIII* edidiſſe; & ſua manu ſcripſiſſe, certum. De Legationibus, quas obiit *S. Catharina*, conſulendi Scriptores laudati in *Annotationibus ad Conſtitutionem XLI.*

URBA-

(a) Epiſtola Cardinal. apud Ciaconium l. II Vit. Pontif. & Cardinal. in Urbano VI, & Odoric. ad an. MCCCLXXVIII num. XIX.
(b) Ex Ciaconio, aliiſque paſſim.

URBANUS VI.

Neapolitanus, electus (a) eſt Romæ VIII Aprilis MCCCLXXVIII. Eodem Anno XVIII Aprilis Conſecratus fuit ibidem: Ibique mortuus (b) eſt XV Octobris MCCCLXXXIX. Sedit Annos XI, Menſes VI, Dies VIII.

Anno 1378 Die 21 Novembris.

Carolo (1) Regi Franciæ, ut F. Raymundi (2) de Capua, aliorumque S. Sedis Nunciorum votis ſubſcribat (3).

Ex Archivo (4) Ordinis.

I. Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Carolo Regi Francorum Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum pro certis arduis negotiis, ſtatum Sanctę Matris Eccleſię, ac fidem Catholicam concernentibus, dilectos filios nobilem virum Jacobum Ceva Militem, & legum Doctorem, Romanę Curię Mareſcallum, & Raymundum de Capua Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, Pęnitentiarium, tuę Serenitati deſtinemus, prout in quibuſdam aliis noſtris literis (5), eidem Serenitati tranſmiſſis, continetur; Idcirco, ut promptius, & favorabilius apud ſublimitatem tuam eadem negotia, prout cupimus, & tuam decet majeſtatem Regiam, proſperum exauditionis tuę ſortiantur effectum, Venerabilem Fratrem noſtrum Gulielmum Valentin. . . . . & . . . . Epiſcopum (6), qui tempore datę pręſentium in partibus ultramontanis moram trahebat, & trahit, in facto pręcipue informatum, pręfatis Jacobo, & Raymundo pro exequendis coram ipſa Majeſtate dictis negotiis duximus adjungendum, tuę ſincerę devotionis, ac juſtitię, & fidei probatam, & toti mundo notam, conſtantiam obſecrantes in Domino Jeſu Chriſto, cujus in hac parte res principaliter agitur, quatenus pręfatos noſtros tres Nuncios benigne audire, relatis in hac parte fidem dare, & demum eos ad exauditionis gratiam pro cultu veritatis, & juſtitię dignetur admittere tua regia magnitudo. Datum Romę apud Sanctam Mariam in Tranſtiberim XI Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Hortatur ut ſupra.

1. *Carolo.*) Hujus nominis *V*, qui *ſapiens* nuncupatur.
2. *Raymundi.*) Beati, *cujus nomen*, *ut monet* Odoricus *Raynaldus* Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXVIII num. XXII, *in Dominicano Ordine maxima Sanctitatis opinione floret*. Narrat *Raymundus*, triennio ante ſchiſma exortum, *S. Catharinam Senenſem*, cui a Confeſſionibus erat, Divino lumine colluſtratam prædixiſſe ſchiſma, cujus cauſa Legationem iſtam obivit ipſe *Raymundus*, quem conſulas velim *Parte II Vita S. Catharina Senenſis Cap. X*, apud *Odoricum* loco mox laudato. Variis ad Principes & Regna, Legationibus ab *Urbano VI* & *Bonifatio IX* implicitum fuiſſe B *Raymundum*, docet *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXX pag. 680*, dicetur in ſequentibus *Appendicibus*.
3. *Subſcribat.*) *Quod ad Raymundum Capuanum ſpectat*, verba ſunt *Odorici Raynaldi* ad an. MCCCLXXX num. XXVII, *is ab Urbano ad Carolum V, Francorum Regem fuerat miſſus, ut ipſum a ſchiſmate revocaret; qui ſuſcepto itinere vix ex ſchiſmaticorum cruentis manibus, aſtricto vinculis ab hoſtibus ejus ſocio, evaſit. Genuaque ſubſtiterat. Ad quem extant S. Catharinæ paulo ante obitum data litera, ut fortem animum gereret, quo Martyrum Jeſu gloriam adipiſceretur. Perſtrinxit autem non ſecutum conſilia a ſe ſuggeſta, eo quo par erat pietatis ardore.*
4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo, quod habes *Senis* in Cœnobio *S. Dominici*.
5. *Literis.*) Deſiderantur hæ literæ.
6. *Valentinum . . . . & . . . . Epiſcopum.*) Aliquid deeſt. Hinc quis ille fuerit, difficile dictu. Floruit per id tempus *Valentinus* Epiſcopus *Quinqueccleſienſis*, dein S. R. E. Cardinalis, qui partes *Urbani VI* juvit egregie, ut videre eſt apud *Odoricum ad an. MCCCLXXIX num. XXXIX*, & *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCCLXXVIII pag. 651*.

Anno 1379 Die 7 Januarii.

F. Dominico de Afragola (1), ut ab Antipapa Clemente Siculos abducat (2), & abductos cenſuris Eccleſiaſticis ſolvat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

II. Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Afragola, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum te ad prędicandum contra iniquitatis alumnos, Robertum (4) Antipapam, qui auſu temerario ſe Clementem Papam nominare pręſumit, ac ejus complices, & ſequaces, necnon credentes, receptatores, & fautores eorum, ad Regnum Sicilię pręſentialiter deſtinemus; Nos, volentes, quod in hujuſmodi officio prędicandi, tanto amplius proſpereris, quanto per Nos fueris majori poteſtate munitus, diſcretioni tuę omnes & ſingulas perſonas dicti Regni, quę pręfato Antipapę adhęſiſſent, ſeu credidiſſent, aut eidem & aliis cum ipſo per Nos damnatis, dediſſent conſilium, auxilium, vel favorem, & propterea incidiſſent in pęnas, & ſententias per proceſſus noſtros contra talia perpetrantes inflictas, & promulgatas, ab hujuſmodi pęnis, & ſententiis auctoritate noſtra abſolvendi, & liberandi, ſi hoc humiliter petierint, in forma Eccleſię conſueta, ita tamen, quod perſonę ipſę antequam per te abſolvantur ſuum recognoſcentes errorem abjurent, & medio juramento promittant, quod iis ſe infra certum terminum, ex ipſis (5) pręfigendum, noſtro ſe conſpectui pręſentabunt, niſi notabilis paupertas, & in-

Indulget ut ſupra.

infirmitas, aut alia rationabilis cauſa, perſonas ipſas ab hujuſmodi pręſentatione de ſe nobis facienda legitime excuſaret, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, plenam & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Romę apud S. Mariam in Tranſtiberim VII Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Dominico de Afragola.*) Loco ad *Neapolim* ſito, *Afragola* ab indigenis nuncupato, natus eſt *F. Dominicus de Stelleopardis*, cujus meminerunt *Gravina de Sacro Depoſito Cap. XXII*, *Antonius Senenſis*, *Plodius*, *Fernandez*, *Altamura*, *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXCI pag.705*, aliique paſſim.
2. *Abducat.*) Conſulendus *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. IX ad annum MCCCLXXIX pag.245.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo aſſervato *Neapoli*, in Cœnobio *S. Dominici Majoris*. Ejuſdem Diplomatis mentio apud *Echard* & *Fontanam* citatos.
4. *Robertum.*) Ex Comitibus *Gebennenſibus* ortus eſt *Robertus*, Antipapa *Clemens VII* dictus.
5. *Iis ſe infra certum terminum ex ipſis.*) Legerem, *quod ſe infra certum terminum, ipſis*.

Petro (1) Regi Aragonum, ut F. Raymundum (2) de Capua S. Sedis Apoſtolicæ Legatum habeat commendatum. — Anno 1379 Die 9 Maii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Petro Regi Aragonum Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. III.

CUm dilectum filium Raymundum de Capua, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, S. Sedis Nuncium, latorem pręſentium, ad partes Regni Francię, pro quibuſdam negotiis, fidem orthodoxam tangentibus, deſtinemus, Celſitudinem tuam attente rogamus, quatenus dictum Raymundum (Mandatum.) cum familia, & rebus ſuis, ob noſtrę, & dictę Sedis, reverentiam, ſuſcipias commendatos, ac eiſdem de ſecuro conductu digneris tua Serenitas providere. Datum Romę apud S. Mariam in Tranſtiberim VII Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. De Fyano (4).

1. *Petro.*) Hujus nominis *IV*.
2. *Raymundum.*) Vide *Notas* ad *Conſtitutionem I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Senis* aſſervato in Cœnobio *S. Dominici*.
4. *F. de Fyano.*) Subſcripſit iſte Diplomati, vereor autem, ne amanuenſis ſit hallucinatus, & ſcribendum ſit: *F. de Prignano*. *Franciſcus* enim *de Prignano*, ſedente *Urbano VI*, Vicecancellarii munus pluries obivit. Conſulendus *Giaconius* in *Urbano VI*.

Provinciam Dalmatiæ dividit (1) ab Hungariæ Provincia. — Anno 1380 Die 3 Martii.

Ex *Archivo* (2) *Ordinis*.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. IV.

SEdis Apoſtolicę circumſpecta benignitas ad ea, per quę perſonę Eccleſiaſticę, & pręſertim ſub Religionis habitu Domino militantes, ſecundum ſuorum Ordinum inſtituta quietius vivere, & in humilitatis ſpiritu Domino ferventius deſervire poſſint, libenter intendit, illaſque, quantum cum Deo poteſt, favoribus proſequitur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte nonnullorum Fratrum Ordinis Prędicatorum petitio continebat, quod olim dilecti filii Magiſter, & Fratres prędicti Ordinis in (Diviſionis cauſa.) Capitulo Generali dicti Ordinis Carcaſſonę (3) celebrato provide attendentes, quod Provincia Hungarię ſecundum morem dicti Ordinis erat adeo ampla, & diffuſa, quod Prior Provincialis dictę Provincię pro tempore exiſtens, non poterat ſingulis annis, ut tenebatur ſecundum ejuſdem Ordinis inſtituta, ſingula, loca dicti Ordinis in ſua Provincia conſiſtentia, per ſe, vel per ſuum Vicarium commode viſitare, propter hoc, & ex aliis cauſis rationabilibus, ad id eos moventibus, ordinaverunt, & etiam ſtatuerunt, ut natio, & Patria Dalmatię, quę ſecundum morem dicti Ordinis de dicta Provincia exiſtebat, & in qua tredecim (4) loca ejuſdem Ordinis, videlicet Diracen. (5), Scutaren. (6), Dulcinen. (7), Catharen. (8), Raguſinen. (9), Quaren. (10) Spalaten. (11), Tragurien. (12), Sibinicen. (13), Jadren. (14), Veglien. (15), Nonen. (16), Signien. (17), & Arben. (18), conſiſtebant, additis eis tribus locis prędicti Ordinis de Provincia Lombardię inferioris, videlicet: Utinen. (19), Civitaten. (20), & Juſtinopolitanen. (21), eſſet Provincia per ſe, ac diſtincta, & ſeparata a Provincia Hungarię ſupradicta, & denominaretur, & appellaretur Provincia Dalmatię. Cumautem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in Conſtitutionibus dicti Ordinis caveatur expreſſe, quod cum per Capitulum Generale dicti Ordinis ordinatum fuerit, quod aliqua Provincia dicti Ordinis in duas Provincias dividatur, quę quidem Ordinatio ſecundum morem dicti Ordinis inchoatio nuncupatur, hujuſmodi ordinatio vigorem non habeat, niſi poſtmodum per duo alia Generalia Capitula dicti Ordinis approbata, & etiam confirmata fuerit, pro parte dictorum Fratrum (Diviſio.) fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi ordinationem per dictum Generale Capitulum, ut pręfertur, factam, de hujuſmodi Provincia Dalmatię, quę, ut pręfertur, apud eos inchoatio nuncupatur, auctoritate Apoſtolica, non obſtante, quod ipſa per duo alia Generalia Capitula dicti Ordinis approbata, ſeu confirmata non fuerit, confirmare, & approbare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod onus in plures diviſum facilius ſupportatur, & quod humana fragilitas tanto facilius ab illicitis refrenatur, quanto pluribus fuerit gubernaculis coarctata; & intenſis deſideriis affectantes, quod dictus Ordo, ad quem ſpecialem gerimus dilectionis affectum, ſpiritualibus ſemper pro-

Digitized by Google

proficiat incrementis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus, quod hujuſmodi ordinatio, quę ut prędfertur, inchoatio nuncupatur, per dictum Generale Capitulum, ut prędfertur, facta perinde a datis pręſentium valeat, & plenam obtineat roboris firmitatem ac ſi per duo alia Generalia Capitula dicti Ordinis confirmata, & approbata efficaciter extitiſſet; Statuentes, & etiam ordinantes auctoritate prędicta, quod deinceps natio, & Patria Dalmatię prędicta, & pręfata loca dicti Ordinis inibi conſiſtentia, adjunctis eis pręfatis aliis tribus locis dicti Ordinis, quę, ut pręfertur, hactenus de Provincia Lombardię inferioris extiterunt, unam Provinciam per ſe diſtinctam a pręfata Provincia Hungarię faciant, & Provincia Dalmatię exiſtat, & nuncupetur, juxta morem dicti Ordinis, ibique Prior Provincialis eiuſdem Ordinis, prout in aliis Provinciis eſt fieri conſuetum, perpetuis futuris temporibus deputetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum voluntatis, conſtitutionis, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum V Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Valaſcus.

1. *Dividit.*) Conſulendus *Ferrarius de Rebus Hungariæ Provinciæ*, & notandum quod ex hac Provincia *Dalmatiæ* Anno MCCCCLXXXVI prodiit Congregatio *Raguſina*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo *Raguſino*.
3. *Carcaſſenæ.*) In *Occitania*.
4. *Tredecim.*) Quatuordecim recenſentur.
5. *Diracen.*) *Dyrracen*, & *Durracen.*, vulgo *Durazzo*, in *Albania maritima*, ad oſtia fluvii *Argentaro* in mare *Adriaticum*.
6. *Scutaren.*) Seu *Scodren.*, vulgo *Scutari*, in *Albania*.
7. *Dulcinen.*) *Olcinen.*, & *Ulcinen.*, vulgo *Dolcigno*, in *Illyrico*, in ora Maris *Adriatici*.
8. *Catharen.*) Vulgo *Cattaro*, in *Dalmatia*.
9. *Raguſinen.*) In ejuſdem nominis Republica.
10. *Quaren.*) In alio ejuſdem fere tenoris Diplomate dato XII Auguſti *MCCCXCI* legitur *Obſaren.*, ſeu *Abſaren.*, *Abſoren.*, & *Auſaren.*, vulgo *Oſero*, in *Liburniæ*. Regio eſt *Illyrici*.
11. *Spalaten.*) Vulgo *Spalatro*, in *Illyrico*.
12. *Traguricn.*) Vulgo *Trau* ibidem.
13. *Sibinicen.*) Vulgo *Sebenico*, in *Dalmatia*.
14. *Jadren.*) Vulgo *Zara* Italis, *Zadar* Slavis, in *Illyrico*.
15. *Veglien.*) *Vegien.*, vulgo *Veggia*, & *Vegla*, in *Illyrico*.
16. *Nonen.*) Sen *Enonen.*, vulgo *Nona*, in *Illyrico*.
17. *Signien.*) *Senien.*, vulgo *Segna*, Slavis *Zeng*, in *Illyrico*.
18. *Arben.*) Vulgo *Arbo*, Slavis *Rab*, in *Illyrico*.
19. *Utinen.*) Vulgo *Udine*. Urbs eſt *Forojulii* Provinciæ primatia, in Dominio *Venetorum*.
20 *Civitaten.*) Vulgo *Citta nova*, in *Iſtria*.
21. *Juſtinopolitanen.*) Vulgo *Capo d'Iſtria*.

Anno 1380 Die 29 Martii.

Senenſibus Sororibus (1) de Pœnitentia S. Dominici, ut ſemel in vita, Sacerdos, quem elegerint, poſſit ipſas abſolvere a quocunque peccato.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus, Liſę quondam Johannis Angelini natę, Franciſcę relictę Vannis Bindi; Franciſcę, & Nicolutię quondam Landi Ghini, Margaritę relictę Bindi Dotii, Blaſię relictę Blaſii, Johannę quondam Vannis, Catharinę quondam Campanę, Caſtalutię quondam Mini, Blaſię quondam Martini, Petrę quondam Cecchi, Tavanę relictę Vannis, Sovinę relictę Contis, Liſę relictę Franciſci, Andreę quondam Mei, Cinę relictę Angeli, Johannę Relictę Johannis, Johannę quondam Petri. Pinę relictę Jacobi, Liſę Petri, Nicolutię relictę Nerii, Johannę relictę Bartholomei, Teſſę, & Pię quondam Andreę Petri, Franciſcę, & Chriſtophorę, ac Jacobę quondam Nicolai, Franciſcę olim Jacobi, Catharinę quondam Vannis, Bartholomeę Guelfutii, Philippę relictę Luviſii, Petrę olim Antonii, Margaritę quondam Menzini, Catharinę relictę Johannis, Bartholomeę Blaſii, Angelę quondam Vannis, Bartholomeę Bartolini, Minę quondam Petri, Franciſcę relictę Jughetti, Liſę quondam Jughetti, Catharinę quondam Blaſii, Catharinę relictę Michaelis, Catharinę, & Margaritę Lucę, Geminę Franciſci, Catharinę Franciſci, Verdę relictę Johannis, Johannę Bartolini, Johannę quondam Pagni, Franciſcę Relictę Matthęi, Bellę relictę Franciſci, Cunapolinę quondam Nocti, Johannę relictę Antonii, Teſſę relictę Philippi, Jacobę quondam Johannis, Perugię relictę, Saniſlenę relictę Nicolai, Gemmę olim Petri, Johannę quondam Bartholomei, & Jacobę relictę Accorſi, Mulieribus Senenſibus, ſub habitu de Pęnitentia Sancti Dominici Domino famulantibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PRovenit ex veſtrę devotionis affectu, quo Nos, & Romanam Eccleſiam reveremini, ut petitiones veſtras, illas pręſertim, quę animarum veſtrarum ſalutem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc eſt, quod Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, ut Confeſſor, quem quęlibet veſtrarum duxerit eligendum, omnium peccatorum veſtrorum, de quibus corde contritę, & ore confeſſę fueritis, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem vobis in ſinceritate fidei, & unitate S. Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, devotioni veſtrę tenore pręſentium Indulgemus. Sic tamen, quod idem Confeſſor de iis, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam vobis, per vos, ſi ſupervixeritis, vel per alios ſi tunc forte tranſieritis, faciendam injungat; quam vos, vel illi facere teneamini, ut pręfertur. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam red-

Indulget ut ſupra.

reddamini procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte committeretis, quoad illa, prędicta remiſſio vobis nullatenus ſuffragetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Sanctio pœnalis.

1. *Sororibus.*) Licet eas inter Sorores, de quibus hoc in Diplomate, nulla mentio ſit Sanctæ *Catharinæ Senenſis*, cujus Pater *Jacobus* vocabatur, nullus tamen dubito, quin ipſamet Sancta *Catharina*, *Senenſibus* ſuis conſulens, hocce Privilegium fuerit aſſecuta. Aderat *Romæ*, quo vocaverat eam Summus Pontifex *Urbanus VI*, ut teſtatur Beatus *Raymundus* in *Vita S. Catharinæ*, ibique obiit hoc anno Die XIX Menſis Aprilis. Nec omittendum quod ipſemet *Raymundus* addit: *Summus Pontifex* (Urbanus) *Ea* (S. Catharina Senenſi) *viſa gaviſus eſt, voluitque coram Cardinalibus, qui tunc aderant, quod verbum faceret exhortationis potiſſime propter ſchiſma, quod tunc incipiebat: quod & perfecte fecit, animando unumquenque eorum ad fortem conſtantiam verbis, & ſententiis plurimis, ac oſtendendo Divinam providentiam ſemper adeſſe cuilibet, ſed potiſſime, cum Sancta Eccleſia patitur, & concludendo, quod propter inchoatum ſchiſma in nullo trepidare deberent, ſed agere quæ Dei ſunt, & nullum timere. Cumque ſua verba compleſſet, Pontifex exhilaratus, verba ejus reaſſumpſit vertens ſe ad Cardinales dicens: Ecce fratres, ecce Fratres, dum timidi ſumus, quantum in conſpectu Domini culpabiles reddimur. Hæc muliercula nos confundit; mulierculam autem voco non in contemptum ejus, ſed in expreſſionem ſexus fœminei naturaliter fragilis, & ad noſtram inſtructionem. Iſta ſiquidem naturaliter timere deberet etiam quando nos eſſemus bene ſecuri, & tamen ubi nos formidamus ipſa ſtat abſque timore, ſuiſque perſuaſionibus nos confortat: magna hinc nobis debet oriri confuſio. . . . His & aliis ſermonibus Summus Pontifex ſe ac Fratres ſuos confortans, Virginem Sanctam commendavit in Domino, ac gratias quamplurimas ſpirituales ei pro ſe, ac ſuis conceſſit.* Hæc ultima verba notanda.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum *Senis* aſſervatur in Cœnobio *S. Dominici*.

Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum, ut in Armenia, Georgia, Græcia, Tartaria, Ruſſia, & Valachia ipſe, vel Vicarius Generalis, Inquiſitores inſtituat (1).

Anno 1381 Die 1 Aprilis.

Ex Bullario (2) *Caſtellani pag.68.*

Urbanus Epiſcopus Servus, Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. VI.

AD ea, quę Catholicę fidei augmentum reſpiciunt, libenter, prout ex debito tenemur paſtoralis officii intendimus, ac ut Chriſti fideles in fide perſeverare, & a fidei tramite deviantes redire valeant, ſolicitudinis noſtrę partes liberaliter adhibemus. Sane cum ad extirpandos errores, ſeminandamque orthodoxę fidei veritatem ſint in ultramarinis partibus, quę per infideles occupantur, quamplures perſonę neceſſarię, ac etiam opportunę, &, ſicut accepimus, quondam Johannes de Gallo, tui Ordinis Prędicatorum profeſſor, qui in partibus prędictis per felic. record. Gregorii Papę (3) XI, Prędeceſſorem noſtrum, Inquiſitor hęreticę pravitatis extiterat deputatus in partibus illis, fuerit vita functus, ſintque ad hujuſmodi Inquiſitionis Officium aliqui opportuni; Nos, volentes in pręmiſſis, quantum cum Deo poſſumus, providere, ac de diſcretione tua gerentes in iis, & aliis fiduciam in Domino ſpecialem, tibi, & Vicario tuo in illis partibus pro tempore deputato, in poſterum (4) deputando, inſtituendi auctoritate Apoſtolica tres perſonas idoneas, & diſcretas, unam videlicet in Armenia, & Georgia, & aliam in Gręcia, & Tartaria, ac aliam in Ruſcia (5), & Valachia majori, & minori, Inquiſitores pravitatis prędictę, & eis, ut omnia, quę ad hujuſmodi Inquiſitionis officium pertinent, libere exercere valeant, licentiam concedendi; contradictores quoſlibet, & rebelles, auctoritate Apoſtolica compeſcendo, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prędicti Ordinis contrariis quibuſcunque, tenore pręſentium concedimus facultatem. Volumus autem, quod iidem Inquiſitores, cum deputati fuerint, ut pręfertur, in manibus tuis, aut Vicarii prędicti, pręſtare teneantur in forma, quę ſequitur, juramentum; forma autem juramenti hujuſmodi talis eſt. Ego Inquiſitor, ab hac hora in antea fidelis ero B. Petro, Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo, Domino Urbano Papę VI, ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus: non ero in conſilio, conſenſu, vel facto, ut vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione. Conſilium vero quod per ſe, vel nuncium, aut literas mihi credituri ſunt, ſigno, verbo, vel nutu, me ſciente, ad eorum damnum nemini pandam. Si damnum eorum tractari ſcivero, pro poſſe meo impediam, ne fiat; quod ſi per me impedire non poſſem, per nuncium, aut literas eis ſignificare curabo, vel illi, per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Officium Inquiſitionis mihi commiſſum fideliter geram, & ſolicite exercebo: prece, vel pretio, favore, vel odio, a juſtitia non recedam; etiam pęnas, ſeu pęnitentias injungendo, vel relaxando, ſeu alias diſpenſando, dona, munera, ſeu exenia (6), aut obligationem, ſeu promiſſionem ſuper illis per me, vel alium, ſeu alios, a perſonis, coram me cauſas habentibus, ſeu ab aliis pro iiſdem, pro pęnitentiis impoſitis, vel imponendis, nec alias mihi, vel meo Officio applicando, non recipiam; quin immo omnes Officiales meos, cum diligentia, qua potero, ab iis faciam abſtinere, & ad hoc aſtringam eos eorum proprio juramento. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Datum Romę apud S. Petrum Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Exordium.

Indulget ut ſupra.

Clauſula derogans.

Ad jusjurandum Inquiſitores adigendi.

Verba in quæ jurabunt.

1. *Inſtituat.*) Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap.IX pag.244 ad an. MCCCLXXVIII*, ubi hac de re laudat *Ferrarium*, & *Paramum*.
2. *Bullario.*) Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi*.
3. *Gregorii Papæ.*) *Gregorium Papam*.
4. *In poſterum.*) *Et in poſterum*.
5. *Ruſcia.*) *Ruſſia*.
6. *Munera, ſeu exenia.*) *Exenium*, idem quod *Xenium* Græcæ Ξένιον, quod ex voce Ξένος Hoſpes, donum ſignificat hoſpitibus dari ſolitum. Hic autem denotat oblationem, vel tributi præſtationem, nomine doni honeſtatam.

Anno 1381 Die 3 Aprilis.

Ut Ordo Fratrum Unitorum juris ac poteſtatis ſit Magiſtri Generalis Fratrum Prædicatorum, & ad iſtum Prædicatorum Ordinem Fratres Uniti ſe transferre poſſint (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD ea, quę fidei, fideliumque conſervationem, & ſtatum reſpiciunt, libenter intendimus, eiſque, prout locorum, & temporum qualitas exigit, noſtrę ſolicitudinis partes liberaliter impertimur. Sane, ſicut accepimus, in nonnullis partibus, quę per infideles detinentur, ſunt nonnulli Fratres Ordinis Unitorum nuncupati, per fel. record. Innocentium Papam VI. Prędeceſſorem, auctoritate Apoſtolica approbati (3), in cujus approbatione idem Prędeceſſor ſtatuit, & etiam ordinavit, quod poſtquam Fratres in eodem Ordine profeſſionem emiſerint regularem, dilectus filius Magiſter Fratrum Ordinis Prędicatorum pro tempore exiſtens, per ſe, vel Vicarium ſuum, talem, & tantam in viſitando, corrigendo, & reformando Ordinem Fratrum Unitorum, tam in capite, quam in membris, poteſtatem haberet, qualem, & quantam in ipſos Prędicatorum Ordinis Fratres noſcitur obtinere. Qui Fratres Unitorum locis ſuis, quę inhabitare conſueverant per infideles impios ſpoliati, habitatione carentes, nequeunt, prout tenentur, ſub regulari obſervantia Domino militare, nec alia pia opera exercere; immo, quod diſplicenter audivimus, compelluntur diſcurrere, & vagare, in animarum ſuarum periculum, Religionis opprobrium, & ſcandalum plurimorum. Nos igitur cupientes, prout ex debito tenemur Officii paſtoralis, ſuper iis celeriter, quantum cum Deo poſſumus, providere, volumus, & auctoritate Apoſtolica concedimus, ut liceat eiſdem Fratribus Ordinis Unitorum ad Ordinem Fratrum Prędicatorum tranſire, in eoque licite profiteri, ac libere remanere: Quodque Magiſter Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtens dilectum filium Gubernatorem Fratrum dicti Ordinis Unitorum, qui eſt, & pro tempore fuerit, ſi cauſa rationabilis id expoſcet, ab Officio, & Gubernatione dicti Ordinis Unitorum valeat amovere, & quod confirmatio electionis dicti Gubernatoris Fratrum Unitorum ad eundem Magiſtrum Ordinis Prędicatorum pertinere noſcatur; Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinum prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum III Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hujus Diplomatis cauſa.

Mandat, & Indulget ut ſupra.

Clauſula derogans.

1. *Poſſint.*) Vide *Notas* ad *Conſtit. V, & VII Innocentii VI.* *pag. 69.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum. Autographum eſt in Cœnobio *Leopolienſi.* Legitur apud *Caſtellanum*
3. *Approbati.*) *Conſtitutione V data XXXI Januarii MCCCLVI.*

Anno 1381 Die 3 Aprilis.

Fratribus Peregrinantibus, ſeu Miſſionariis, (1) Ordinis Prædicatorum, ut antelucano tempore Divina celebrare poſſint.

Ex Bullario Caſtellani pag. 68.

VIII.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Fratribus Societatis Fratrum Peregrinantium in partibus ultramarinis in Sacerdotio conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Eccleſiam geritis, promeretur, ut votis veſtris favorabiliter annuamus, illis pręſertim, per quę, ſicut pie deſideratis, divinis officiis intenti exiſtatis, & ſpiritualis ſalutis vobis permaneant incrementa. Cum itaque, ſicut pro parte veſtra nobis exhibita petitio continebat, quandoque vobis Miſſas celebrantibus, vel celebrare volentibus in terris infidelium, infideles ipſi, vobis multa inferant impedimenta, ſic, quod non poteſtis ea devotione qua decet, tantum myſterium exercere, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis celebrandi ante diem, cum caſus neceſſitatis expoſcet, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut Miſſam, antequam eluceſcat dies, circa tamen diurnam lucem, cum neceſſitas hujuſmodi id exigerit, liceat vobis celebrare, devotioni veſtrę auctoritate pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus, proviſo quod parce hujuſmodi conceſſione utamini; quia cum in Altaris Officii myſterio immoletur Dominus Noſter Jeſus Chriſtus, Dei Filius, qui candor eſt lucis ęternę, congruit, hoc non in noctis tenebris fieri, ſed in luce. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Peregrinantibus.*) *Conſule Tractatum de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VIII.*

Li-

Limites alias a ſe conſtitutos coarctans, ut cujuslibet Ordinis Cœnobia &c. centum & quadraginta cannis ab Ædibus Sacris Ordinis Prædicatorum diſtent (1), decernit. Anno 1385 Die 28 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, ac univerſis Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. IX.

QUia plerumque in futurorum eventibus ſic humani fallitur incertitudo judicii, ut quod utile conjectura veriſimilis, immo etiam attenta interdum conſideratio, pollicetur, non ſolum inutile, ſed damnoſum reperiri contingat: nonnunquam quod conſulte ſtatuitur, poſtmodum conſultius immutatur; & hoc quippe neceſſitas pręſentis proviſionis evidenter oſtendit. Dudum ſiquidem, ut, inter Religioſos potiſſime, per noſtrę diligentię ſtudium, ęmulationis, & diſſenſionis tolleretur occaſio, & caritatis integritas ſervaretur, per noſtras ſub certa forma Literas (3), ordinandum duximus, diſtrictius inhibendo, quod nulli liceret ex tunc de Fratrum Minorum, Pęnitentię Jeſu Chriſti, Beatę Marię de Monte Carmeli, Eremitarum S. Auguſtini, S. Clarę, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique Mulieri de prędictis, ſeu omnibus aliis Ordinibus, aliquod Monaſterium, Eccleſiam, vel Oratorium ędificare, ſeu conſtruere, nulli quoque Seculari, ſeu Religioſo cujuſcunque Profeſſionis, Eccleſiam, vel Monaſterium, ſive Oratorium jam ędificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, infra ſpatium trecentarum cannarum a veſtris Eccleſiis menſurandum per aera etiam, ubi alias certe non permitteret loci diſpoſitio menſurari; ſtatuentes, ut quicquid contra hujuſmodi ordinationis, & inhibitionis noſtrę, tenorem ex tunc ędificatum exiſteret, dirueretur omnino. Verum, quia quod ad pacem veſtram, & prędictorum Fratrum, & Ordinum, proviſum fuerat, non ſolum Vobis, ſed etiam multis aliis, qui propter prędictum confuſum cannarum ſpatium, in hujuſmodi ordinatione, ac inhibitione contenſum, quaſi omnibus, etiam ſolemnibus Civitatibus inveniebantur excludi, ad ſcandalum ceſſiſſe comperimus, diverſis propterea litigiorum materiis ſuſcitatis, Nos ſuper his cum Fratribus noſtris deliberatione pręhabita, hujuſmodi ſpatium, de ipſorum Fratrum conſilio, reſtringentes, ipſum ad centum quadraginta cannas, duximus reducendum, omnibus aliis, quę in pręmiſſis noſtris literis continentur in ſuo nihilominus robore duraturis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę reſtrictionis, & reductionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Viterbii IV Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium. Huius Diplomatis cauſa. Decernit ut ſupra. Sanctio pœnalis.

1. *Diſtent.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XLIX fol. 41. Regeſti Pauli II*, qui Conſtitutionem iſtam confirmavit. Ejuſdem prorſus tenoris eſt *Conſtitutio LXXXVI Clementis IV.*
3. *Literas.*) Deſiderantur hæ literæ.

Supprimentes Fratrum Prædicatorum bona, legata, ceteraque id genus, excommunicandos decernit (1). Anno 1384 Die 12 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Secularis, & Collegiatę Eccleſię Sanctę Perpetuę Faventinę Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. X.

SIgnificarunt nobis dilecti filii Prior, & Fratres Ordinis Prędicatorum Faventini (3), quod nonnulli iniquitatis filii, quos prorſus ignorant, legata, libros eccleſiaſticos, Inſtrumenta publica, ornamenta ſacerdotalia, ac nonnulla alia bona, eis in eleemoſynam erogata, temere & malitioſe occultare, & occulte detinere pręſumunt; non curantes ea pręfatis Priori, & Fratribus exhibere, in animarum ſuarum periculum, ac ipſorum Prioris, & Fratrum non modicum detrimentum, ſuper quo iidem Prior, & Fratres, Apoſtolicę Sedis remedium imploraverunt. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes, hujuſmodi occultos detentores legatorum, librorum, inſtrumentorum, & aliorum bonorum prędictorum ex parte noſtra publice in Eccleſiis coram populo per te, vel alium moneas, ut infra competentem terminum, quem eis pręfixeris, ea pręfatis Priori & Fratribus a ſe debita reſtituant, & revelent, ac de ipſis plenam, & debitam ſatisfactionem impendant: Et ſi non adimpleverint infra alium competentem terminum, quem eis cum hoc peremptorie duxeris pręfigendum, ex tunc in eos generalem excommunicationis ſententiam proferas, & eam ſacias, ubi, & quando expedire videris, uſque ad ſatisfactionem condignam ſolemniter publicari. Datum apud Caſtrum Lucerię (4) Chriſtianorum II Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Mandatum.

1. *Decernit.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Titulis I & X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo *Faventiæ* aſſervato.
3. *Faventini.*) *Faenza*, in *Æmilia*.
4. *Luceria.*) In Regno *Neapolitano*.

Anno 1387 Die 27 Novembr.

Sacras Ædes S. Ægidii Pragen. (1) viſitantibus Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XI. Urbanus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CUm itaque (3) ſicut accepimus Eccleſia S. Ægidii Pragen. reparatione indigere noſcatur, Nos, cupientes, quod dicta Eccleſia congruis honoribus frequentetur, & etiam reparetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad reparationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem dono cœleſtis gratiæ, exinde uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis D. N. J. C., & Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. M. Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, ac Apoſtolorum Petri, & Pauli, & S. Ægidii prædicti, ac ipſius Eccleſiæ Dedicationis Feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini Noſtri, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Mariæ, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtæ, & Apoſtolorum Petri, & Pauli prædictorum Feſtivitatum Octavas, & per ſex dies dictum Feſtum Pentecoſtes immediate ſequentes, præfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet Feſtivitatum, ac celebritatis, unum annum & quadraginta dies, Octavarum vero, & ſex dierum prædictorum diebus, quibus prædictam Eccleſiam viſitaverint, & manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Peruſii, V Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Indulget ut ſupra.

1. *Pragen.*) In *Bohemia*. Quo tempore hæc Eccleſia donati fuerint FF. noſtri, dicetur inferius.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter Monumenta Conventus *Pragenſis*.
3. *Cum itaque.*) Exordium deeſt.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Urbano VI Summo Pontifice, Promotos exhibens.

CARDINALES.

Anno 1378. F. Philippus Gezza de Ruſinis, Romanus, Epiſcopus Tiburtinus, ut in *Appendice ad Pontificatum Urbani V* dictum fuit, S. R. E. Cardinalis tituli SS. Gabinii & Suſannæ. *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLXXVIII pag.* 643. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XX pag.* 25, *ex Ughello*, *Fernandez*, *& Plodio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 172 *num. CCLXXXVII*, *& Tomo II pag.* 202 *numero VIII*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXX pag.* 682, *ex S. Antonino*, *Panvinio*, *Contelorio*, *Razzio*, *Michaele Juſtiniano*, *& Proſpero Mandoſio*.

Anno 1378. F. Nicolaus Caracciolus, non Miſquinus, vel Miſcinus, ut corrupte ſcribunt aliqui, ſed Moſchinus (ex utraque ſiquidem Moſchinorum & Caracciolorum gente nobiliſſima duxit originem) S. R. E. Cardinalis tituli S. Cyriaci ad Thermas. *Ciaconius Vit. Pontif.*, *& Cardinal. Tomo II ad annum MCCCLXXVIII pag.* 641. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XIX pag.* 24, *ex Ughello*, *Fernandez*, *& Plodio*. *Cavalerius Tomo II pag.* 202 *num. VII*, *& Tomo I pag.* 176 *num. CCXCIX*, *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXXIX pag.* 696, *ex S. Antonino*, aliiſque, quos laudat.

Anno 1378. F. Thomas Anglus, S. R. E. Cardinalis tituli S. Petri ad Vincula. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Num. XXI pag.* 25, *ex Ughello in additionibus ad Ciaconium*, *Antonio Senenſi*, *ſeu Luſitano*, *& Pitſeo*. *Cavalerius Tomo II pag.* 203 *num. IX*, *ex Sarnellio in Epiſtol. Eccleſiaſt.*, *Souegio*, *& Ambroſio Altamura*. Ejuſdem *Thomæ* meminit *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLXXVIII pag.* 665.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1378. F. Jacobus Tura, Archiepiſcopus Tranenſis, in Regno Neapolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CV pag.* 107, *ex Plodio*, *Fernandez*, *& Ugurgerio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 167 *num. CCLXVI.*

F. Jaco-

F. Jacobus Petri de Piſis, Archiepiſcopus Turritanus, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Par-* Anno 1379.
te I Cap. IV Tit. CIX pag. 109, *ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 170 *num. CCLXXV.*

F. Nicolaus Caracciolus Moſchinus, S. R. E. Cardinalis, ut mox dictum fuit, Archiepiſcopus Meſſa- Anno 1380.
nenſis, *Meſſina*, in Sicilia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXI pag.* 85, *ex Bonſilio in*
Epiſcop. Meſſanen., Pirro in Sicilia ſacra, & Ughello in Notis ad Ciaconium. Cavalerius Tomo I pag. 176
num. CCXCIX. Succeſſit *Nicolaus* Fratri *Dionyſio de Murrio*, brevique tempore præfuit, variis Legatio-
nibus implicatus. Hinc ſolvitur ſcrupulus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXXIX pag.* 696.

F. Antonius de Genebreda, Hiſpanus, alumnus Provinciæ Aragoniæ, Archiepiſcopus Athenienſis, in Anno 1382.
Græcia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. X pag.* 59, *ex Diago, & Plodio. Cavalerius To-*
mo I pag. 174 *num. CCXC.*

F. Andreas a Dyrrachio, Archiepiſcopus Raguſinus, in ejuſdem nominis Republica. *Fontana Theatro* Anno 1387.
Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXVII pag. 95, *ex Ughello, Ferrario, Plodio, & ex Lib. Proviſion. Prælato-*
rum Bonifatii IX. Cavalerius Tomo I pag. 182 *num. CCCXXVI.* Archiepiſcopum iſtum a *Bonifatio IX* anno
MCCCLXXXIX conſtitutum fuiſſe, docent Auctores mox laudati; verum ex publicis Tabulis, & ex anti-
quis aliis monumentis aſſervatis in Archivo *Raguſini* Cœnobii conſtat, *Andream* noſtrum ab *Urbano VI*
anno *MCCCLXXXVII* Archiepiſcopum creatum fuiſſe.

EPISCOPI.

F. Andreas Bonconti, alumnus Piſani Cœnobii, Epiſcopus titularis in Partibus infidelium, & Suffra- Circa Annum 1378.
ganeus, ſeu Vicarius Maſſilienſis Epiſcopi. *Cavalerius Tomo I pag.* 167 *num. CCLXV, ex Plodio.*

F. Dominicus Senenſis, Epiſcopus Germanicenſis, *Germanicia*, in Syria, ſub Archiepiſcopo Hierapo- Circa Annum 1378.
litano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXI pag.* 196, *ex Tabulariis Archivi Sapientiæ,*
& Ugurgerio. Cavalerius Tomo I pag. 169 *num. CCLXXIII.* Suffraganeus, ſeu Vicarius *Senenſis* Antiſtitis
fuit *Dominicus* noſter.

F. Jacobus Campana, ex Archiepiſcopo Tranenſi, ut in *Appendice ad Pontificatum Urbani V* dictum Anno 1378.
fuit, Epiſcopus Lunenſis, in Hetruria, immediate ſub Sancta Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I*
Cap. V Tit. CCCLI pag. 221, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 174 *num. CCXCI.*

F. Simon de Puteo, patria, & profeſſione Meſſanenſis, Nuncius Apoſtolicus, ut in præcedentibus Anno 1378.
Appendicibus videre eſt, Epiſcopus Catanenſis, *Catania*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Montis Regalis.
Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLI pag. 160, *ex Pirro in Sicilia ſacra. Cavalerius Tomo I*
pag. 185 *num. CCCXLII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXCV pag.* 707.

BEatus Andreas de Franchis, ſeu de Bocagnis, Epiſcopus Piſtorienſis, *Piſtoja*, in Hetruria, ſub Ar- Anno 1378.
chiepiſcopo Florentino. *Ughellus in Epiſcop. Piſtorien. Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 306. *Fontana Theatro Do-*
minicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXVII pag. 264, *ex ejuſdem Beati Epitaphio, & Luſitano. Cavalerius To-*
mo I pag. 191 *num. CCCLXVIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCC pag.* 717, ex variis Auctori-
bus, quos laudat, excipit, vel emendat. Unus eſt ex quatuor Beatis Præſulibus Ordinis Prædicatorum,
quibus Summus Pontifex *Benedictus XIII*, ejuſdem Ordinis alumnus, feliciter regnans, ſtatuit marmoreas
ſtatuas in Sacello *S. P. Dominici*, ab eodem Summo Pontifice paucis ab hinc annis erecto in Ædibus ſacris
Cœnobii *S. Mariæ ſupra Minervam* de Urbe.

F. Andreas de Porta Moſellæ, alumnus Metenſis Cœnobii, Epiſcopus titularis Gabulenſis, & Suffra- Circa Annum 1378.
ganeus, ſeu Vicarius Metenſis Epiſcopi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 22 *col. I,*
ex Chronicis Conventus Metenſis. Ejuſdem meminit *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis pag.* 64 *col. I ad an.*
MDXXV, & in addendis pag. 997.

F. Dominicus Florent, quem Itali *Fiorenza*, vel de Florentia nuncupant, cum *Florent* cognominetur Anno 1379.
ex familia, cujus mentio erit in *Notis ad Bullam datam VIII Junii MCCCCXI*, Gallus, patria & profeſſione
San-Maximinenſis, Epiſcopus Albienſis, in Occitania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XIX*
pag. 119, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 218 *num. XXIII*, ceterique infra laudandi. Epiſco-
pus enim *S. Pontii Tomeriarum*, rurſus *Albienſis* Epiſcopus, & Archiepiſcopus *Toloſanus* fuit *Dominicus*
noſter. Nunc Metropolis eſt *Albienſis* Eccleſia.

F. Domi-

Anno 1379. F. Dominicus Hungarus, Epiſcopus Nitrienſis, *Nitracht*, in Hungaria, ſub Archiepiſcopo Strigonienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXV pag.* 249, *ex Ferrario*, *&* *Taegio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 188 *num. CCCLVII.*

Anno 1379. F. Petrus de Ilperinis, ſeu Albertinis. Minervitani Cœnobii alumnus, Epiſcopus Marſicanus, *Marſiconovo*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Salernitano. *Ughellus in Epiſcopis Marſicanis Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 515 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXVII pag.* 226. *Cavalerius Tomo I pag.* 172 *num. CCLXXXV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXXV pag.* 687 *col. I.*

Anno 1379. F. Jacobus Cina, e Sancto Andrea nuncupatus, Epiſcopus Termulanus, *Termoli*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Ughellus in Epiſcop. Termulanis Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 375 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXI pag.* 305, *ex Ugurgerio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 168 *num. CCLXVIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCLXXX pag.* 581.

Anno 1379. F. Alfonſus de Hortigoſa, Hiſpanus, Epiſcopus Gaditanus, *Cadix*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Hiſpalenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLV pag.* 195, *ex Fernandez*. *Cavalerius Tomo I pag.* 168 *num. CCLXVII.*

Circa Annum 1380. F. Stephanus Rutenus, Epiſcopus Ceretenſis, in Valachia inferiori, ſeu potius in Moldavia. Bachoviam, *Backow*, urbem Valachiæ, translatus eſt Ceretenſis Epiſcopatus. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.*59, *ex Dlugoſſio*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLX pag.* 164. *Cavalerius Tomo I pag.* 170 *num. CCLXXIV.*

Anno 1380. F. Benedictus Ardingellus, Epiſcopus Caſtellanetenſis, *Caſtellaneta*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Tarentino. *Cavalerius Tomo I pag.* 172 *num. CCLXXXVI*, *ex Lopez*, *&* *Plodio*. Ejuſdem meminit *Ughellus* in Epiſcopis *Caſtellaneten.*

Circa Annum 1380. F. Thomas Paruta, Epiſcopus Æmonienſis, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Cavalerius Tomo I pag.*201 *num. CCCCVI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXIX pag.* 190, *ex Plodio*, *&* *Fernandez*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 24, *ex Actis Sanctorum Tomo III Aprilis ad Vitam S. Catharinæ Senenſis num. XX.* Conſulendus *Ughellus Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 243 *Edit. II.* Emendandus autem *Fontana*, qui Epiſcopatum iſtum *Eumonienſem* vocat, & diſtinguit ab *Æmonienſi*, ſeu *Civitatis novæ*.

Anno 1380. F. Guillelmus Andreas, ex Epiſcopo Achadenſi, ut in præcedenti *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Medenſis, *Methe*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. I*, *ex Varæo*.

Circa Annum 1381. F. Martinus de Amantia, Gallus, Patria, & Profeſſione Metenſis, Epiſcopus Gabulenſis, Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Epiſcopi Metenſis. *Echard Tomo II Scriptorum Ordinis ad annum MDXXV pag.* 63 *col. II*, & *in addendis pag.* 997 *col. II.*

Anno 1381. F. Bartholomæus de Riparia, Epiſcopus Bajonenſis, *Bayonne*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auxitano. *Dionyſius Sammarthanus in Noviſſima Gallia Chriſtiana in Epiſcop. Bajonen. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXCII pag.* 705, ex variis Auctoribus, quos laudat, & excipit, vel emendat. *Cavalerius Tomo I pag.* 326 *num CCCLXX ex Altamura*, qui queritur de *Fontana*, quod Epiſcopum iſtum neglexerit. In hoc tamen deficit *Altamura*, quod *Bartholomæum* noſtrum remittat ad annum *MDXIV*. Primo ſiquidem Doctoris Regentis munus obibat *Bartholomæus* anno *MCCCLXVI*, ut ex Actis Univerſitatis probat *Percinus Monument. Conveut. Toloſani ad annum MCCCLXVI pag.*79. Secundo Provinciæ *Toloſanæ* præerat anno *MCCCLXXV*, ut ex *Toloſanis Mſs.* evincit *Souegius* noſter in *Anno Dominicano*. Tertio Annis *MCCCLXXXVII*, *MCCCLXXXVIII*, *MCCCXC*, & *MCCCXCII Bajonæ* ſediſſe *Bartholomæum*, liquet ex Tabulis Monaſterii *Bajonenſis* Monialium *S. Bernardi*.

Anno 1381. F. Petrus Auletta, Epiſcopus Bovinenſis, *Bovino*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CIV pag.* 146, *ex Taegio*, *&* *Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 171 *num. CCLXXX.*

F. Coma-

F. Conradus Lugdnnenſis, Epiſcopus Lanſannenſis, in Helvetiis, ſub Archiepiſcopo Biſuntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXI pag.* 213, *ex Ughello in Notis ad Galliam Chriſtianam. Cavalerius Tomo I pag.* 171 *num. CCLXXIX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 22. Anno 1381.

F. Johannes Caſtellanus, Epiſcopus Salmanticenſis, in Hiſpania Tarraconenſi, ſub Archiepiſcopo Circa Annum 1381.
Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DV pag.* 282, *ex Fernandez, & Ægidio in Theatro Salmanticenſis Eccleſiæ. Cavalerius Tomo I pag.* 171 *num. CCLXXXII.*

F. Adeodatus Piccinus, alumnus Piſani Cœnobii, Epiſcopus Buzenſis, ſeu potius, *Bugenſis*, Circa Annum 1382.
vulgo *Bugia*, in Africa, ſub Archiepiſcopo Julio-Cæſarenſi. Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi *Sueſſani* fuit Adeodatus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXII pag.* 148, *ex Monumentis Conventus Piſani. Cavalerius Tomo I pag.* 171 *num. CCLXXXIII, ex Plodio.*

F. Mauritius de Colangiis, Gallus, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Nivernenſis, *Nevers*, in Gallia, ſub Anno 1382.
Archiepiſcopo Senonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXVI pag.* 249, *ex Gallia Chriſtiana*, & *Epitaphio Mauritii. Cavalerius Tomo I pag.* 183 *num. CCCXXIX.*

F. Beroaldus, vel Berardus de Teramo, Aprutinus, Epiſcnpus Aquilanus, in Aprutio, immediate Anno 1382.
ſub S. Sede. *Cavalerius Tomo I pag.* 180 *num. CCCXV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLIV pag.* 127. *Ughellus in Epiſcopis Aquilanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 389. In hoc tamen emendandus *Ughellus*, quod *Beroaldum* intruſum dixerit, ut enim notat *Cavalerius*, ab *Urbano VI*, non autem a *Clemente* renunciatus fuit Epiſcopus.

F. Dominicus Florent, Regii Cœnobii San-Maximinenſis alumnus, ex Epiſcopo Albienſi, ut in hac Anno 1382.
Appendice dictum fuit, Epiſcopus S. Pontii Tomeriarum, ſeu Pontiopolitanus, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Pare I Cap. V Tit. DXXII pag.* 288, *ex Bzovio, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 218 *num. XXIII.* Rurſus *Albienſis* Epiſcopus, & poſtea *Toloſanus* Archiepiſcopus evaſit *Dominicus* noſter, Legationibus clarus, ut in ſequentibus *Appendicibus* dicetur.

F. Willelmus Bottlesham, Anglus, Epiſcopus Nanatenſis. *Ex Actis Concilii Londinenſis contra Wicleſum an. MCCCLXXXII*, cui ſubſcripſit *Willelmus* his verbis apud *Labbeum* Concilior. General. Tomo XI Circa Annum 1382.
pag. 2054 Edit. Pariſien. *Frater Willielmus Bottlesham Epiſcopus Nanatenſis, Magiſter in Theologia.* Quod autem Prædicatorum Ordinis alumnus fuerit Epiſcopus iſte, liquet ex ſerie Doctorum, qui interfuerunt huic Concilio, ipſam exhibet *Labbeus* loco laudato *pag.* 2060. Ejuſdem Epiſcopi meminerunt *Robertus Humbleton, Spelmannus in Conciliis Angliæ Tomo II, Foxus* apud *Godwinum* in *Epiſcopis Angliæ, Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25, *ad an. MCCCXC pag.* 699 *col. II, & ad annum MCCCXCIX pag.* 717. Ille ipſe eſt *Bottlesham*, quem *Balens, Pitſeus, Thomas Walſinghamus, Bzovius, Poſſevinus, Fontana, Altamura*, & *Cavalerius Tomo I pag.* 192 *num. CCCLXIX* vocant *Johannem*. Sed *Bethleemitanæ* præfuiſſe *Bottleshamum* noſtrum, cenſet *Cavalerius* mox laudatus. Idem docet *Echard pag.* 717, cujus hæc verba: *Quæ vero ſit Eccleſia Nanatenſis, quam Nannatonenſem appellat Foxus a Godwino citatus, ad quam noſtrum Bottleshamum promotum meminit XXV Julii MCCCLXXXII hactenus apud Geographos Eccleſiaſticos non reperi. Forte non alia eſt quam Bethleemitana, ſic a nato ibi Chriſto corrupte dicta.* Hæc ille. Urbis *Nagnatenſis*, in *Hibernia* ſitæ, meminit *Varæus* apud *Baudrand*, vel potius *Ferrarium, Lexicon Geographiæ*, verbo: *Nagnata*. Quod Epiſcopus *Landavenſis*, tum *Roffenſis* fuerit *Willelmus* noſter, hac in *Appendice* dicetur.

F. Hubertus Schenck, Epiſcopus Hippuſenſis, in Secunda Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Nazareno. Circa Annum 1382.
Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 *col. I.* Ille eſt *Hubertus*, quem nonnulli vocant *Hipponenſem* Epiſcopum, ut videre eſt apud *Cavalerium Tomo I pag.* 200 *num. CCCCIV.* Antiſtitis *Ultrajectenſis* Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit, ut docent *Cavalerius*, & *Echard* mox laudati, & legitur variis in Diplomatibus *Bonifatii IX*, in quibus *Hippuſenſis* Epiſcopus appellatur. Sic etiam vocatur in *Bulla*, quæ incipit: *Juſtis & honeſtis*. Data eſt ab *Innocentio VII Romæ apud S. Petrum II Idus Decemb, Pontificatus anno Primo*, Chriſti *MCCCCIV*. Aſſervatur in Archivo Ordinis. Hoc Diplomate *F. Huberto Hippuſenſi* Epiſcopo cura Monaſterii noſtri prope *Duerſtede*, Trajectenſis Diœceſis, prorogatur.

F. Thomas Rushoock, S. T. Magiſter, Epiſcopus Landavenſis, *Landaff*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Anno 1383.
Cantuarienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 697 *num. X, & pag.* 287 *num. CCCLII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 26 *col. II, ex Goſwino.* Epiſcopus *Ciceſtrenſis* fuit *Thomas*, ut hsc in *Appendice* dicetur.

Digitized by Google

Circa Annum 1383. F. Antonius Cipollonius, Florentinus, Epiſcopus Feſulanus, *Fieſole*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Ughellus in Epiſcop. Feſulan. Tomo III Italiæ Sacræ pag. 256. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLV pag. 192. Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXXIV*. Variis aliis Eccleſiis præfuiſſe *Antonium*, dicetur in *Appendice* ſequenti.

Anno 1383. F. Ferrerius Caſanello, Gallus, Epiſcopus Ebroicenſis, *Evreux*, in Normannia, ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXX pag.* 187, *ex Spondano, & Taegio. Cavalerius Tomo I pag.* 175 *num. CCXCVI.*

Anno 1384. F. Michael Pauli de Pelagallo, Senenſis, Epiſcopus Senenſis; *Siena*, in Hetruria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXIX pag.* 99, *ex Plodio, Fernandez &c. Cavalerius Tomo I pag.* 217 *numero XVII, & Tomo II pag. XXV num. III.*

Anno 1385. F. Willelmus Bottleſham, ex Epiſcopo Nanatenſi, ut mox dictum fuit, Epiſcopus Landavenſis, *Landaff*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Hiſtor. Eccleſiæ Roffenſis* apud *Wartonum in Anglia Sacra Tomo I pag* 379. *Echard* locis ſupra laudatis. *Godwinus in Epiſcop. Angliæ. Cavalerius Tomo I pag.* 175 *num. CCXCIV.* Ad Eccleſiam *Roffenſem* translatus eſt *Willelmus*, ut mox dicetur.

Anno 1385. F. Simon Saltarelli, ex eadem familia, ac ejuſdem nominis & cognominis, ac Archiepiſcopus Piſanus, de quo in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII*, Epiſcopus Comaclenſis, *Comacchio*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Ughellus in Epiſcopis Comaclen. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 484 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Tit. CXCIV pag.* 176. *Cavalerius Tomo I pag.* 199 *num. CCCCIII.* Ad Sedem *Tergeſtinam* translatum fuiſſe *Simonem*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii IX.*

Anno 1385. F. Thomas Rushoock, ex Epiſcopo Landavenſi, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Ciceſtrenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius*, & *Echard* ſupra laudati.

Anno 1385. F. Benedictus Matthæuccius Accorſelli de Tuderto, Epiſcopus Saſſenatenſis, *Sarſina*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Ughellus in Epiſcop. Saſſenaten. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 670 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXX pag.* 290. *Cavalerius Tomo I pag.* 184 *num. CCCXXXVIII.*

Circa Annum 1385. F. Johannes Abrahardi, Epiſcopus Vencienſis, *Vence*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXI pag.* 317, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 184 *num. CCCXXXV.*

Anno 1385. F. Ludovicus de Neapoli, Epiſcopus Vicoæquenſis, *Vico*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Surrentino. *Ughellus in Epiſcop. Vicoæquen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 632 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXXIV pag.* 323, *ex Taegio. Cavalerius Tomo I pag.* 182 *num. CCCXXV.*

Circa Annum 1387. F. Philippus, Epiſcopus Kiovienſis, *Kiow*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCIX pag.* 209, *ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag.* 249 *numero CXXI. Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 58. *Dominicus Frydrychowicz in Libro*, cui titulus; *S. Hyacinthus Poloniæ Patronus &c. pag.* 226.

Anno 1388. F. Johannes de Venetiis, Epiſcopus Parentinus, *Parenzo*, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Ughellus in Epiſcop. Parentinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 409 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLIII pag.* 260, *ex Taegio. Cavalerius Tomo I pag.* 203 *num. CCCCXIII.*

Anno 1388. F. Damianus Zavalia, Genuenſis, Epiſcopus Montis Regalis, *Mondovi*, in Pedemontio, ſub Archiepiſcopo Taurinenſi. *Ughellus Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 1088. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCII pag* 241. *Cavalerius Tomo I pag.* 196 *num. CCCLXXXIX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCIV pag.* 749. *Franciſcus Auguſtinus in Hiſtoria Chronologica Pontificum Pedemontii pag.* 94, ubi *Damianus* noſter *Zovaglia* cognominatur.

Circa Annum 1388. F. Johannes, Epiſcopus Vigilienſis, *Biſeglia*, in Apulia, ſub Archiepiſcopo Tranenſi. Eruditus *Sarnellius* in *Indice Epiſcoporum Vigilien. Cavalerius Tomo I pag.* 176 *num. CCXCVII.*

F. Johan-

F. Johannes Gilbert, ex Epiſcopo Herefordenſi, ut in præcedenti *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Menevenſis, *S. David*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 178 *numero CCCIV*, & *pag.* 697 *num. XI*. *Echard* ſupra laudatus. Anno 1389.

F. Johannes Baſileenſis, Epiſcopus Lombarienſis, *Lombez.*, in Gallia, ſub Archiepiſcopo Toloſano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXLIV pag.* 218, *ex Gallia Chriſtiana*, *&* *Trithemio. Cavalerius Tomo I pag.* 180 *num. CCCXVII*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXXIX pag.* 696. Anno 1389.

F. Guillelmus de Valen, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa. *Cavalerius Tomo I pag.* 189 *numero CCCLVIII*, *ex Soucgio in Anno Dominicano*.

IDem Epiſcopus Ebroicenſis, *Evreux*, in Normannia, ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXX pag.* 188, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.* 189 *numero CCCLVIII*. Anno 1389.

F. Willelmus Bottlesham, ex Epiſcopo Nanatenſi Epiſcopus Landavenſis, ut hac in *Appendice* dictum fuit, & ex Epiſcopo Landavenſi, Epiſcopus Roffenſis, *Rocheſter*, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 192 *num. CCCLXIX*. *Echard*, ceterique ſupra laudati. Anno 1389.

LEGATI.

F. Nicolaus Caracciolus Moſchinus, S. R. E. Cardinalis, Legatus a Latere, ab anno MCCCLXXVIII ad Annum MCCCLXXXII tribus potiſſimum Legationibus claruit: Ad Peruſinos ſiquidem, ac Florentinos, quos Summo Pontifici conciliavit, primum, tum ad Venetos inter & Genuenſes mutuo concitatos ſanciendam pacem, demum ad Carolum Regem Neapolitanum, miſſus fuit. *S. Antoninus Hiſtor. Parte III Tit. XXIII Cap. X §. I. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. I Num. XI pag.* 345, *ex Plodio, Fernandez*, *&* *Ciaconio*; idem *Fontana* de his tribus Legationibus egit *Monument. Dominican. pag.* 248, 251, *&* 252. *Echard*, *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Conſulendus etiam *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCLXXVIII num. XII.* Ab Anno 1378 ad Annum 1382.

BEatus Raymundus a Vineis, ſeu de Capua, Legatus ad Carolum Regem Galliæ. *Conſtitutio I Urbani VI Data XXI Novemb. MCCCLXXVIII*. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II pag.* 357 *num. XXVI*. *Echard*, ceterique laudati in *Notis ad Conſtitutionem I Urbani VI.* Anno 1378.

F. Philippus Gezza de Rufinis, S. R. E. Cardinalis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Legatus a Latere per Italiam conſtitutus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I pag.* 345 *Num. X*. *Cavalerius*, ceterique ſupra citati. Anno 1379.

F. Jacobus Campana, Archiepiſcopus, & Epiſcopus, ut in hac *Appendice*, & in alia *ad Pontificatum Urbani V* dictum fuit, Legatus in Lombardiam miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II Num. XXV pag.* 357, *ex Ughello*. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Anno 1380.

F. Petrus Curialia, Surrentinus, S. Theologiæ Magiſter, Legatus ad Regem Siciliæ miſſus. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I Num. XXVII*, *&* *XXX pag.* 357, ex Inſtrumento quod tranſcribit, ex Regiis Regeſtis &c. Anno 1382.

S. Catharina Senenſis, *Urbano VI* Summo Pontifice, Legationibus claruit, ut ex *Urbano VIII*, ceteriſque laudatis in præcedenti *Appendice* videre eſt.

(a) Ex Lib. Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium apud *Ciaconium Tomo II pag. 703.* (b) Ex eodem. (c) Ex Lib. I Innocen. VII apud *Oderic. ad an. MCCCCIV num. XII.*

BONIFATIUS IX,

Neapolitanus, Electus (*a*) eſt Romæ Die II Novembris Anno MCCCLXXXIX. Conſecratus (*b*) fuit IX ejuſdem Menſis, Obiit (*c*) Romæ Die 1 Octobris MCCCCIV. Sedit Annos XIV, Menſes XI.

Anno 1389 Die 15 Novembr.

Provinciali, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Provinciæ Lombardiæ, ut Cœnobium Mutilianenſe (1) conſtituere poſſint.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

I.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Magiſtro Provinciali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Provincię Lombardię inferioris, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę veſtrę Religionis, in qua ſub voluntarię paupertatis habitu militantes, devotum, & ſedulum in humilitatis ſpiritu exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, in his pręſertim, quę propagationem veſtri Ordinis concernunt, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, quod dilecti filii Univerſitas, & Habitatores Caſtri Mutilianen., Florentin. (3) Dięceſis, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, prope dictum Caſtrum in Contrata, quę dicitur la Volta, in proprio fundo, & loco alias ad hoc congruo, & honeſto, de bonis ſibi a Deo collatis, unam domum cum Eccleſia, ſive Capella, ſeu Oratorio, Campanili, Campana, & aliis neceſſariis officinis conſtruere, & fundare, ipſamque domum Fratribus dicti Ordinis donare proponunt; Quare pro parte dictorum habitatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis faciendi pręmiſſa, vobiſque Eccleſiam eandem recipiendi, & perpetuo retinendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque qui divini cultus augmentum, veſtrique Ordinis propagationem, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem habitatoribus faciendi pręmiſſa, vobiſque eandem Eccleſiam recipiendi, & pro uſu, & habitatione prędictis, perpetuo retinendi, fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, Villa, Caſtro, ſeu alio loco quocunque, ad habitandum domos, ſeu loca quęcunque de novo recipere, vel recepta mutare pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quacunque alia Conſtitutione Apoſtolica, contraria nequaquam obſtante, jure tamen Parochialis Eccleſię, & alterius cujuſcunque in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam, tenore pręſentium, licentiam elargimur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum XV Die (4) Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Fratrum, & Habitatorum Mutilianen. ſupplex petitio.

Indulget ut ſupra.

1. *Mutilianen.*) In *Romandiola Florentina.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, ex Autographo in Cœnobio *Mutilianenſi* aſſervato.
3. *Florentin.*) Nunc Diœceſis eſt *Faventina.*
4. *XV Die.*) Sic Amanuenſis, in Bullis ſiquidem vel a Kalendis, vel a Nonis, vel ab Idibus numerantur dies, ut dictum fuit in *Præfatione ad Primum Tomum.*

Anno 1389 Die 20 Novembris.

F. Philippus de Franchenſteyn S. Sedis Capellanus creatur.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

II.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Philippo de Franchenſteyn, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VIrtutibus (2) clarus, & meritis, ſicut famę laudabili teſtimonio commendaris, illam in noſtro & Apoſtolicę Sedis conſpectu, gratiam meruiſti, quod perſonam tuam paterna benevolentia proſequamur, & eam libenter attollamus honoris gratia ſpecialis. Ut igitur in effectu percipias quod ſuggerit noſtrę mentis affectus, te in noſtrum, & dictę Sedis Capellanum gratioſe recipimus, ac noſtrorum, & ipſius Sedis Capellanorum conſortio favorabiliter aggregamus; Intendentes, quod per hoc favoris Apoſtolici pręſidia plenius ſortiaris, quodque omnibus indulgentiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, & privilegiis per felicis recordationis Johannem XXII, & Clementem VI, Romanos Pontifices Prędeceſſores noſtros, Capellanis dictę Sedis conceſſis, uti, & gaudere libere & licite valeas; pię memorię Innocentii VI. Urbani V. Gregorii XI, & Urbani VI, Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum Reſtrictionibus, Ordinationibus, Declarationibus, Voluntatibus, & Decretis, ac aliis in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque. Sic igitur de bono in melius ſtudiis virtutum intendas, quod merito ad faciendam tibi pleniorem gratiam invitemur. Nulli ergo &c. noſtrę receptionis, & aggregationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XII Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Inſtitutio.

Sanctio pœnalis.

1. Archi.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex Archivo Apoſtolico *Libro LI fol.* 81.

2. *Virtutibus*.) Ejuſdem fere tenoris alia quamplura Diplomata ſervantur in Archivo Ordinis, quæ miſſa ſunt, ut in *Præfatione ad Primum Tomum* dictum fuit. Verum, ut illorum Fratrum, qui, ſedente *Bonifatio IX*, Capellani ſunt conſtituti, nomina ſciat Lector, & diem teneat, quo Capellani creati ſunt, tria notabo: Primo, Nomen cujuſque Fratris; Secundo, quo tempore Diploma datum ſit: Tertio, ubinam reperiatur Autographum. *Bonifatius* ergo *Nonus* Sanctæ Sedis Capellanos creavit

F. Eylardum Bambonwen, Diplomate dato Romæ apud Sanctum Petrum XII Kal. Decembris, Pontificatus Anno Primo. Ex Arch. Apoſtolico *Lib. LI fol.* 83.

F. Johannem Weſton, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum IV Kal. Aprilis, Pontificatus Anno Primo. Ex Arch. Apoſtolico *Lib. III. fol.* 9.

F. Petrum de Paſſignane, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XI Kal Februarii, Pontificatus Anno Secundo. Ex Arch Apoſtol. *Lib. XXXVIII fol.* 49.

F. Johannem de Tractis de Alexandria, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Nonis Martii, Pontificatus Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtolico *Lib. XXIII fol.* 87.

F. Hubertum Willelmi de Sciedam, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VI Idus Aprilis, Pontificatus Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XLVI fol.* 27.

F. Johannem de Arnholte, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum IV Idus Aprilis, Pontificat. Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XXVII fol.* 38.

F. Petrum Johannis de Trapeſundis, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum V Kal. Junii, Pontificatus Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtolico *Lib. XLVII fol.* 113.

F. Matthæum Horlec, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Nonis Junii, Pontificatus Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtol *Lib. LXXXII fol.* 63.

F. Thymionem de Segemberg, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XV Kal. Julii, Pontificat. Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XIV fol.* 34.

F. Johannem Andreæ de Thealdis de Janua, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XV Kal. Julii, Pontificat. Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XIV fol.* 213.

F. Albertum Rake, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XV Kal. Junii, Pontificat. Anno Secundo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. CX fol.* 34.

F. Johannem Berghem, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XV Kal. Julii, Pontificat. Anno Secundo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. CX fol.* 148, & *Lib. XXV fol.* 320.

F. Hermannum de Lerbeke, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XV Kal. Julii, Pontificatus Anno Secundo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. CXIII fol.* 34.

F. Thomam Sweke, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XIII Kal. Auguſti, Pontificatus Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXIII fol.* 50.

F. Johannem Romana de Calizano, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XV Kal. Decembris, Pontificatus Anno Quinto. Ex Arch. Apoſt. *Lib. XXV fol.* 121.

F. Johannem de Rore de Argentin., Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XVI Kal. Decembris, Pontificat. Anno Quinto. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XVI fol.* 14, & *Lib. XLVIII. fol.* 36.

F. Nicolaum Lupi de Elbingo, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kalendis Januarii, Pontificatus Anno Quinto. Ex Arch. Apoſt. *Lib. XXXV fol.* 58.

F. Nicolaum Penig, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Nonis Februarii, Pontificatus Anno Quinto. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LII fol.* 128.

F. Ovinterum Rout Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VI Idus Martii, Pontificatus Anno Quinto, Ex Arch Apoſt. *Lib. XLVII fol.* 38.

F. Johannem Solden, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kal. Junii, Pontificatus Anno Quinto. Ex Arch. Apoſt. *Lib. XXXVI fol.* 25.

F. Andream Johannis, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VI Kal. Decembris, Pontificatus Anno Sexto. Ex Arch. Apoſt. *Lib. X fol.* 11.

F. Johannem Dadesley, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XI Kal. Auguſti, Pontificatus Anno Sexto. Ex Arch. Apoſt, *Lib. LIII fol.* 275, & eodem *Libro fol.* 255.

F. Wenceſlaum Obſecy, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum II Kal. Decembris, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. LXXII fol.* 97.

F. Michaelem Jacobi Lewini de Necolitez, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum II Kalendas Decembris, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. LXXII fol.* 106.

F. Giſebertum de Amſterdam, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum III Kal. Martii, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. LXXII fol.* 101.

F. Johannem Gherbez, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Idibus Martii, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. LXXII f. l.* 102.

F. Johannem Canazole, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XIII Kal. Aprilis, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXII fol.* 112.

F. Gilbertum Styrtheley, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum X Kal. Aprilis, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XXVI fol.* 140.

F. Walterum Burford, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VII Kalendas Maii, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXII fol.* 104.

F. Matthæum Matthæoli de Agubio, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum III Nonas Junii, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. LXXII fol.* 107.

F. Goeſwinium Loerat de Tyla, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XIV Kal. Auguſti, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXII fol.* 108.

F. Gregorium de Peynre de Tyla, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XI Kalendas Auguſti, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXII fol.* 109.

F. Adam Leyns, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum III Nonas Septembris, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXII fol.* 110.

E. Johannem de Oslacheim, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Idibus Septembris, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXII. fol.* 112,

F. Henricum Blidenbach, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kal. Octobris, Pontificatus Anno Octavo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXII fol.* 111.

F. Hen-

F. Henricum Mandit, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VI Kalendas Decembris, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XVI fol.* 32.

F. Hermannum Sceper, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum II Nonas Decembris, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XXIII fol.* 14.

F. Willelmum Broock, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum V Idus Januarii, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXXII fol.* 90.

F. Lambertum de Schepen, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum II Nonas Martii, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. IX fol.* 14.

F. Nicolaum Inglys Torpe, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Idibus Martii, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXXII fol.* 104.

F. Thomaſium Sinibaldi de Angellnis de Prato, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum IV Nonas Maii, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 51.

F. Ayum de Pilſim Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kalendis Julii, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXXII fol.* 112.

F. Johannem de Verneſio, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum, V Kalendas Auguſti, Pontificatus Anno Nono. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXXII fol.* 111.

F. Danielem de Leodio, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum V Kalendas Auguſti, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXXII fol.* 111.

F. Auguſtinum de Sancto Michaele, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum V Kalendas Auguſti, Pontificatus Anno Nono. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. LXXXII fol.* 113.

F. Emanuelem de Cameyrana, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Nonis Decembris, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſt. *Lib. XC fol.* 47.

F. Matthæum Guidonis de Bovia, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XIV Kal. Januarii, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 53.

F. Johannem Jacobi de Glaconia, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XVIII Kalendas Februarii, Pontificatus Anno Decimo. Ex Archivo Apoſtol. *Lib. XC fol.* 52.

F. Nicolaum Schitſin, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XVII Kalendas Februarii, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 50.

F. Albertum de Fraſcarolo, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VI Idus Februarii, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 52.

F. Petrum Johannis, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kalendis Martii, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 54.

F. Conradum, dictum Balbach, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum X Kalendas Aprilis, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 55.

F. Johannem Giviſalici, Diplomate dato Romæ apud S Petrum II Idus Maii, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 58.

F. Johannem Pruet, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Idibus Maii, Pontificatus Anno Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. XC fol.* 59.

F. Andream Dominici, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Idibus Decembris, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Libro CXXXIX fol.* 49.

F. Gerardum Schenke, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Idibus Decembris, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Archivo Apoſtol. *Libro CXXXIX fol.* 58.

F. Johannem Overtan, Diplomate dato Romæ apud Sanctum Petrum Idibus Januarii, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Arch. Apoſtolico *Lib. CXXXIX fol.* 51.

F. Petrum Chriſtofori, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kalendis Februarii, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXVIX fol.* 56.

F. Demetrium Johannis Cury de Duratio, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kalendis Martii, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. CXXXIX fol.* 52.

F. Nicolaum Nothm de Plana, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Nonis Martii, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. CXXXIX fol.* 51.

F. Johannem Viſerſcheit, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XIV Kalendas Aprilis, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. CXXXIX fol.* 52.

F. Conradum Scopper de Nurenburga, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum X Kalendas Junii, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Arch. Apoſtol. *Lib. CXXXIX fol.* 55.

F. Bertoldum BonicKe, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VI Nonas Julii, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro CXXXIX fol* 56.

F. Thomam Spycer, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kalendis Auguſti, Pontificatus Anno Tertio Decimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXXXIX fol.* 57.

Anno 1389 Die 8 Decembris.

Ut F. Andreas de Capha, Græciæ, & Tartariæ Inquiſitor (1) ſocium ſibi deligere poſſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

III.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Andreę de Capha Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in partibus Gręcię & Tartarię Inquiſitori hęreticę pravitatis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Ad ea, quę pro Catholicę fidei favore providenda ſunt, libenter intendimus, & eis, ut illibata conſiſtant, adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem fel. rec. Urbanus PP. VI, Prędeceſſor noſter, ad extirpandum errores, & ſervandam dictę fidei puritatem in ultramarinis partibus, quę

quę per infideles occupantur, dilecto filio Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, & ejus Vicario in illis partibus pro tempore deputato, eorum propriis nominibus non expreſſis, inſtituendi auctoritate apoſtolica tres perſonas idoneas, & diſcretas, unam videlicet in Armenia, & Georgia, & aliam in Grecia, & Tartaria, ac aliam in Ruſſia, & Walachia majori, & minori, Inquiſitores hęreticę pravitatis, & concedendi eis licentiam auctoritate prędicta, omnia, quę ad hujuſmodi Inquiſitionis officium pertinent, exequendi, plenam & liberam conceſſit per ſuas literas facultatem, prout in dictis literis plenius continetur. Et deinde, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, cum dilectus filius Helias Peretti (3) Profeſſor dicti Ordinis, ac Vicarius prefati Magiſtri in illis partibus deputatus, te Inquiſitorem pravitatis ejuſdem, vigore literarum, & Vicariatus hujuſmodi, in Grecia & Tartaria prędictis auctoritate Apoſtolica inſtituiſſet, tandem dilectus filius Raymundus (4) dicti Ordinis Magiſter te in officio Inquiſitionis hujuſmodi per ſuas literas confirmavit: quare pro parte tua fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut inſtitutioni & confirmationi prędictis robur apoſtolicę firmitatis adiicere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati inſtitutionem & confirmationem prędictas auctoritate apoſtolica tenore preſentium confirmamus & approbamus, ac preſentis ſcripti patrocinio communimus; tibi nihilominus aſſumendi unum ex Fratribus dicti Ordinis devotum, & voluntarium in ſocium tuum, ac tecum ducendi ad partes prędictas, & tenendi eundem, eidemque fratri, ſi voluerit, tecum manendi, cujuſcunque licentia minime requiſita, plenam, & liberam facultatem, tenore preſentium de uberioris dono gratię concedentes. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Statutis, & Conſuetudinibus prefati Ordinis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis & approbationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Andreas Inquiſitor conſtitutus.

Conceſſio.

1. *Inquiſitor.*) Conſulenda *Conſtitutio VI Urbani VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Archivo Apoſtolico *Lib. I fol. 69.*
3. *Helias Peretti.*) *Elias* ſcilicet *Petit*, Gallus, de quo ſæpius dictum eſt.
4. *Raymundus.*) *B.* nempe *Raymundus de Capua.*

F. Antonius Traverſus de Averſa Fidei Cenſor in Regno Siciliæ conſtituitur (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Anno 1389 Die 8 Decembris.

IV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto filio Antonio Traverſo de Averſa, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in Regno Sicilię, & Terra citra & ultra farum hęreticę pravitatis Inquiſitori, per Sedem Apoſtolicam deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines varias, & immenſas, quę noſtris humeris inceſſanter incumbunt, illa potiſſime urget, & excitat mentem noſtram, ut per veſtrę operationis miniſterium de vinea Domini Sabaoth, cujus nobis, licet immeritis, eſt cura commiſſa, hęretici, qui velut vulpeculę inter ſarmenta latentes, eam conantur multipliciter demoliri, penitus extirpentur, fideſque Catholica, eradicatis penitus cunctis erroribus, proſperetur fortius, & amplius dilatetur, taleſque ad id peragendum cupimus deputare perſonas, quarum honeſta converſatio exemplum prębeat puritatis, & erudita labia doctrinam tribuant ſalutarem. Cupientes itaque Inquiſitionis hęreticę pravitatis officio in Regno Sicilię, & Terra citra & ultra farum adverſus peſtem pravitatis hujuſmodi ſalubriter providere, ac ſperantes, quod tu, quem, ut accepimus teſtimoniis fide dignis, conſtantia fidei, Religionis zelo, literarum ſcientia, & multiplicium virtutum donis Dominus inſignivit, ſcies, & poteris per tuam diligentiam, & ſolicitudinis ſtudium, labem hujuſmodi extirpare, te Inquiſitorem hęreticę pravitatis in dictis Regno, & in Terra, in quibus Fratres tui Ordinis conſueverunt hujuſmodi Inquiſitionis officium exercere, auctoritate apoſtolica conſtituimus, & etiam deputamus; diſcretioni tuę per apoſtolica ſcripta mandantes, tibique in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus in Regno & Terra prędictis, hominum timore poſtpoſito, virtutem Sancti Spiritus induens, prędictum Inquiſitionis officium in eiſdem Regno, & Terris prout tanti negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis ęternę ſic efficaciter proſequi, & exequi ſtudeas diligenter, ut per ſolicitudinis tuę prudentiam radix pravitatis ejuſdem exinde penitus evellatur, & dicta vinea, exterminatis eiſdem vulpeculis fructus afferat catholicę puritatis: in hujuſmodi negotio proceſſurus tam ſecundum indulgentias & privilegia, Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem auctoritate apoſtolica deputatis, ſeu officio Inquiſitionis hujuſmodi ab eadem Sede conceſſa, quam ſecundum canonicas ſanctiones. Per hujuſmodi autem deputationem de tua perſona in hujuſmodi Inquiſitionis officio per nos factam, locorum Ordinariis, & aliis Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem, in eiſdem Regno, & Terris, apoſtolica, vel alia quavis auctoritate canonice deputatis, quo minus & ipſi hujuſmodi Inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout volunt dictę canonicę ſanctiones exercere valeant, nec non prędictis, vel quibuſcunque aliis privilegiis, ſi qua ſint eis a dicta Sede conceſſa, nullum volumus prejudicium generari. Volumus autem, quod antequam hujuſmodi Inquiſitionis officium incipias exercere, preſtes in manibus Venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Sabinenſis fidelitatis debitę juramentum juxta formam, quam eidem Epiſcopo ſub Bulla noſtra mittimus interclusam. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

F. Antonius Inquiſitor creatur.

1. *Conſtituitur.*) Conſule *Diſſertationem I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Archivo Apoſtolico *Lib. I fol. 197.*

Ut

Anno 1389 Die 8 Decembris.

Ut Ædes Sacras Fratrum Prædicatorum S. Mariæ de Corona (1), ter a Saracenis deſtructas, Chriſti Fideles renovent, ac viſitent, Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

V.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia suę pietatis, quę merita ſupplicum excedit, & vota, bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri. Nihilominus tamen deſiderantes Domino reddere populum acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum ei quaſi quibuſdam allectivis muneribus, indulgentiis videlicet, & remiſſionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores. Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Pręd́icatorum Beatę Marię Virginis de Corona, quę ad unum milliare extra muros Caphen. (3) conſiſtit, & a perfidis Saracenis deſtructa fuit ter, ac reparatione indiget non modicum ſumptuoſa, congruis honoribus frequentetur, ac etiam reparetur, & ut Chriſti Fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad reparationem hujuſmodi manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentia Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes; necnon in Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, ac Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, dictorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & dictę Eccleſię Dedicationis, Feſtivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, & per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, necnon Nativitatis, Aſſumptionis Beatę Marię, ac Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli, & dictę Eccleſię Dedicationis prędictarum Feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictum Feſtum Pentecoſtes immediate ſequentes, prętatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet Feſtivitatum, & celebritatis, unum annum & quadraginta dies, octavarum vero, & ſex dierum prędictorum, diebus, quibus dictam Eccleſiam viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus duratura viſitantibus eandem Eccleſiam, vel ad ejus reparationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut alias per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum VI Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Indulget ut ſupra.

1. *S. Maria de Corona*.) In *Taurica Cherſoneſo*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 68.
3. *Caphen.*) Vulgo *Caffa*, olim *Theodoſia*, in *Taurica Cherſoneſo*.

Anno 1389 Die 13 Decembris.

Ut Ædes Sacras Fratrum Prædicatorum Caphen. (1) reficiant Fideles, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet is &c (3). Cum igitur Eccleſia loci Fratrum Ordinis Prędicatorum, Unitorum (4) nuncupatorum, Caphen., quę ad honorem, & ſub vocabulo Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum fundata, & conſtructa extitit, & ad quam populus propter devotionem confluere conſuevit, & confluit multitudo, ut, quę etiam reparatione noſcitur indigere non modicum ſumptuoſa, reparetur, & etiam congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles &c (5). Datum Romę apud S. Petrum, Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Caphen.*) In *Taurica Cherſoneſo*. Adeas *Fontanam monumen. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCLXXXIX pag.* 254.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 68. Meminit *Fontana* loco laudato.
3. *Licet is &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc uſque verba. *Gratiæ aptiores*.
4. *Unitorum*.) De quibus in *Notis* ad *Conſtitutiones V*, & *VI Innocentii VI*.
5. *Fideles &c.*) Ut in præcedenti ad finem uſque.

F. San-

F. Santus (1) de Reate Summi Pontificis Pœnitentiarius creatur.

Anno 1390 Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Santo de Reate, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Pęnitentiario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

F. Santus Pœnitentiarius conſtitutus.

RElígionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, providentia ſpiritualium, & alia multiplicia probitatis, & virtutum tuarum merita, quibus perſonam tuam fide dignis percepimus inſignitam teſtimoniis, promerentur, ut te gratis & condiguis favoribus & gratiis honoremus. Hinc eſt, quod nos de perſona tua prędicta pręmiſſorum obtentu plenam in Domino fiduciam obtinentes, necnon conſideratione dilecti filii noſtri Stephani tituli Sancti Marcelli Presbyteri Cardinalis, aſſerentis, te dilectum Capellanum eſſe, & continuum commenſalem ſuum, nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, te in Pęnitentiarium noſtrum conſtituimus, & etiam ordinamus, tibi tenore pręſentium committentes, ut hujuſmodi officium Pęnitentiarii in Romana Curia ſicut alii noſtri in eadem Curia Pęnitentiarii illud ibidem gerere & exercere diligenter & fideliter ſtudeas. Volumus autem, quod tu, prius quam ipſum officium incipias exercere, in manibus dilecti filii noſtri Franciſci tituli Sanctę Suſannę Presbyteri Cardinalis majoris Pęnitentiarii noſtri de hujuſmodi fideliter exercendo officio pręſtes corporaliter juramentum, juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt. Ego Santus de Reate Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſor, in Romana Curia Pęnitentiarius ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo Domino Bonifatio PP. IX, ejuſque Succeſſoribus canonice intrantibus, neque ero in facto, conſilio, vel conſenſu quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione, conſilium quod mihi per ſe, vel amicum ſuum, ſeu literas credituri ſunt, ſigno, verbo, vel nutu me ſciente ad eorum damnum, ſeu pręjudicium nulli pandam: ſi damnum illorum tractari ſcivero, pro poſſe meo impediam, ne fiat, quod ſi per me impedire non poſſem, per nuncium aut literas eis ſignificare curabo, vel illi per quem citius ad eorum notitiam deducatur. Papatum Romanum & Regalia Beati Petri, & omnia jura Romanę Eccleſię, quę habet, ubique manutenebo totis viribus & defendam, ac adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum contra omnem hoſtem, res quoque ipſius Domini Papę, & Eccleſię Romanę quę meę cuſtodię committentur, diligenter cuſtodiam, & fideliter reſignabo. Ambaxiatas etiam, & quęcunque alia negotia mihi commiſſa firmiter portabo, ac fideliter, & diligenter referam ſine fraude, & pro confeſſionibus audiendis & abſolutionibus faciendis, ſeu aliis, quę ſpectant ad meum officium nihil omnino per me, aut alium exigam, vel petam, aut recipiam, etiam ſub titulo, vel ſpecie, eleemoſynę, vel alio quovis modo, & non abſolvam, vel diſpenſabo ſcienter in aliquo caſu mihi non permiſſo, nec ſcienter quenquam abſolvam a peccato vel peccatis aliquibus in aliquo caſu ambiguo, nec etiam in hujuſmodi caſibus ambiguis ſcienter cum aliquo diſpenſabo, niſi de ſpeciali mandato Summi Pontificis, vel Pęnitentiarii Majoris, cui exprimam dictum caſum ſine alicujus revelatione vel expreſſione perſonę, non injungam pęnitentias pecuniarias expreſſe mihi, vel alicui certę perſonę, vel Ordini meo, aut alteri applicandas, ſuper reſtitutionibus injungendis & faciendis ſervabo prout eſt per pię memorię Dominum Benedictum Papam XII ordinatum, & ſupraſcripta omnia & ſingula promitto, & juro attendere & obſervarę ſine omni dolo, & fraude, ac malitia. Sic me Deus adjuvet, & hęc ſancta Dei Evangelia. Datum Romę apud Sanctum Petrum Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Santus.*) Licet Diplomata, quibus Fratres noſtri conſtituti ſunt *Pœnitentiarii*, miſſa faciam, ut in *Præfatione ad Primum Tomum* dictum fuit; unum tamen & alterum deſcripſi, ut ea his aliorum tenor, qui mutato nomine idem eſt, præ oculis ſit. De *Pœnitentiariis* conſulendus *Pontana Theatro Dominicano Parte II Cap. V Tit. II pag.* 470 *&c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Archivo Apoſtolico *Lib. III fol.* 193.

Epiſcopo Lycienſi (1), ut Fratres Prædicatores in poſſeſſionem Cœnobii Sancti Johannis Lycienſis mittat.

Anno 1390 Die 28 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Lycien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Idem Cœnobium conſtituendum Decreverat Urbanus VI.

RAtioni congruit, & convenit ęquitati, ut ea, quę de Romani Pontificis conceſſione proceſſerunt, licet literę Apoſtolicę confectę non fuerint ſuper illis, ſuum ſortiantur effectum. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Johannis de Ayno, Civis Lycien., fel. rec. Urbano Papę VI Prędeceſſori noſtro expoſito, quod ipſe Johannes de propria ſalute recogitans, & cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, de bonis ſibi a Deo collatis in Civitate Lycien. In fundo proprio quandam Eccleſiam ſub vocabulo, S. Johannis Baptiſtę cum Campanili, Campana, Cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis, ac unam Domum juxta eandem Eccleſiam de conſenſu, & licentia Epiſcopi Lycien., qui tunc erat, ea intentione fundare, & ędificare cęperat, ut in ipſa domo ad honorem, & reverentiam Dei, & Sancti Dominici aliqui Fratres Ordinis Prędicatorum, qui in dicta Eccleſia officiis divinis inſiſterent, & Altiſſimo laudabiliter deſervirent, perpetuis temporibus morarentur, ac pro parte dilecti Johannis eidem Prędeceſſori humiliter ſupplicato, ut quod aliqui ex prędictis Fratribus dictam domum pro eorum uſu, & habitatione aliiſque pręmiſſis peragendis recipere valerent, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica, dignaretur; idem Prędeceſſor, videlicet VI Kalendas (3) Decembris, Pontificatus ſui Anno Undeci-

Undecimo, voluit, & conceſſit certo judici dari in mandatis, ut hujuſmodi Fratribus qui in dicta Eccleſia Altiſſimo in hujuſmodi Divinis officiis deſervirent laudabiliter, ut prefertur, eandem domum pro ipſorum uſu, & habitatione prefatis, poſtquam Eccleſia, & Domus predictę, ut premittitur, conſtructę, & ędificatę forent, recipiendi, & perpetuo retinendi, felicis recordationis Bonifatii Papę VIII, Predeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium Domos, vel loca de novo ubivis ad habitandum recipere, aut recepta mutare, preſumant abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus, jure tamen parochialis Eccleſię, & cujuſlibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica licentiam largiretur; & nihilominus prefatis Fratribus, ut in eadem domo pro tempore reſiderent eadem auctoritate concederet, quod ipſi omnibus privilegiis, libertatibus, indulgentiis, gratiis, immunitatibus, & exemptionibus a predicta Sede conceſſis gauderent, & uterentur, quibus alii Fratres dicti Ordinis, in aliis domibus Fratrum hujuſmodi commorantes, gaudebant, & quomodolibet potiebantur. Ne autem pro eo, quod ſuper voluntate, & conceſſione hujuſmodi, literę Apoſtolicę Predeceſſoris confectę non fuerunt, prefati Fratres hujuſmodi voluntatis, & conceſſionis...(4) volentes effectu, & apoſtolica auctoritate decernentes, quod hujuſmodi voluntas, & conceſſio perinde a dicta die XXVI Novembris VI Kal. Decembris ſuum ſortiantur effectum, ac ſi ſuper his ejuſdem Predeceſſoris literę ſub ipſius diei data confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque preſentes literę ad probandum plene voluntatis, & conceſſionis hujuſmodi (5) ubique ſufficiant, nec ad id probationis alterius adminiculum requiratur, fraternitati tuę, de qua in

Mandatum. his, & aliis plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eiſdem Fratribus juxta tenorem voluntatis, & conceſſionis predicti Predeceſſoris, recipiendi dictam domum cum Eccleſia, Campanili, Campana, & aliis neceſſariis officinis, auctoritate noſtra licentiam largiaris, eiſque quod omnibus privilegiis, libertatibus, & aliis ſupradictis uti poſſint, & valeant, prout ſuperius eſt expreſſum, nihilominus eadem auctoritate concedas. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Jo. de Sanctonuſſo.

1. *Lycien.*) In *Apulia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo, quod habes in Cœnobio *S. Johannis Baptiſtæ Lycien.*, vulgo *S. Johannis de Aymo*.
3. *VI Kalendas*.) Die nempe *XXVI* Novembris Anni *MCCCLXXXVIII*.
4. *Conceſſionis*...) Quædam hic deſunt.
5. *Hujuſmodi*.) Adderem: *Tenorem*.

Anno 1390 Die 14 Novembris.

F. Jacobus (1) de Ockenbrocke Sareptenſis Epiſcopus creatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

IX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. dilecto filio Jacobo de Ockenbrocke Electo Sarepten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. DIvina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula, licet immeriti, conſtituti, ad univerſas orbis eccleſias aciem noſtrę conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo apoſtolici favoris auxilium adhibemus. Sed de illis cogitare perpenſius nos convenit quas propriis carere paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores preficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam ſalubriter dirigant, & informent; ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium, & in antea vacaturarum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus reſervandas, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Sarepten. per obitum bo. me. Bartholomęi Epiſcopi Sarepten., qui apud eandem Sedem debitum naturę perſolvit, apud Sedem ipſam vacante, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus preter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Predicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia preditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis; quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi preficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur premia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos prefata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum preſentes literas habueris expeditas ad Eccleſiam ipſam accedas & perſonaliter reſideas in eadem, quodque Pontificalia officia extra Civitatem, & Diœceſim Sarepten. nequeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem predictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido, & adminiſtratori fructuoſo gaudeat ſe commiſſam, tuque preter ęternę retributionis premium, noſtram & Sedis predictę benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVIII Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Jacobus Epiſcopus conſtitutus.

1. Jaco-

1. *Jacobus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIV fol.* 121.

Confirmat Literas, quibus F. Raymundus (1) Generalis Magiſter Ordinis Prædicatorum decernit, ut in unaquaque Provincia unum ſaltem Cœnobium ſit, in quo ne latum quidem unguem ab inſtitutis & Regula diſcedere liceat.

Anno 1391 Die 9 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

X.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IIs, quę Religionis conſervationem, & augmentum concernunt, libenter intendimus, & eis Apoſtolicę Sedis munimen impertimur. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Raymundi, Magiſtri Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod, cum dudum ipſe ſuum Ordinem viſitaret, reperiit inter cetera multos Fratres ejuſdem Ordinis devotionis ſervore accenſos, deſiderantes regularem obſervantiam per Beatum Dominicum, & alios antiquos Fratres ejuſdem Ordinis ordinatam ſervare ad unguem, qui conſiderans, quod dictorum Fratrum deſiderium ſalva conſcientia impedire non poterat, nec debeat, immo firmiter putans, ſe reum coram Deo, niſi eos juvaret, & promoveret ad perfectionem hujuſmodi eorum deſiderii tam laudabilis, per dilectum filium Conradum de Pruſia (3) ejuſdem Ordinis profeſſorem, virum utique vitę commendabilis, ac famę laudabilis, in partibus Alemanię incepit, prędictos Fratres, ut pręfertur, ſic deſiderantes, in Provincia Teutonię ſecundum conſuetudinem dicti Ordinis congregare, & jam in loco dicti Ordinis ſito in Columbaria (4), Baſilien. Diœceſis, circa triginta Fratres congregavit, quibus idem Magiſter dictum Conradum prępoſuit, qui Conſtitutiones dicti Ordinis integraliter obſervant cum effectu, & adeo Prędicationi verbi Dei exemplo dicti Beati Dominici virtuoſe inſiſtunt, quod de tota patria circumſtante concurrunt homines ad audiendum doctrinam eorum, quam factis etiam virtuoſe confirmant. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, prędictus Raymundus, qui, ut aſſerit, per decem annos, & ultra, dictum Ordinem gubernavit, propoſuerit hoc idem facere, ſeu ordinare in qualibet Provincia dicti Ordinis, videlicet quod in qualibet ex dictis Provinciis ſit pro regulari obſervantia unus locus dicti Ordinis, in quo regularis obſervantia ejuſdem Ordinis ſecundum inſtituta B. Dominici prędicti ſervetur ad unguem, juxta tenorem prędictarum Conſtitutionum, de multorum Fratrum ejuſdem Ordinis conſilio, & aſſenſu, tam auctoritate officii ſui, quam Generalis Capituli (5) ejuſdem Ordinis ultimo celebrati, ſibi commiſſa, per ſuas certi tenoris literas ordinavit, ſtatuit, & decrevit, ac mandavit, quod infra annum a notitia literarum ſuarum hujuſmodi Priores Provinciales, ſeu Prędidentes in ſua Provincia ordinent, & taliter faciant, quod in ſua Provincia ſit unus locus deputatus ad hujuſmodi obſervantiam regularem, in quo poſſint ad minus vivere duodecim Fratres Ordinis prędibati, qui dictas Conſtitutiones ad unguem, prout in dictis literis plenius continetur, ſervent, pro parte ipſius Raymundi nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut ordinationem, ſtatutum, & decretum, ac mandatum hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta, rata habere, & grata, illaque auctoritate Apoſtolica confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum prędicta, ac omnia & ſingula in prędictis literis contenta, quarum tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor autem dictarum literarum talis eſt. Univerſis & ſingulis Prioribus Provincialibus, ſeu Prędidentibus, in quibuſcunque Provinciis, tam pręſentibus, quam futuris, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Frater Raymundus ejuſdem Ordinis humilis Magiſter & Servus, Salutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari. Quanto inſufficientiorem ad regimen tanti Ordinis me conſpicio, tanto magis neceſſitatem video ad laborandum ſolicite pro ipſius Ordinis reformatione, & augmento. Sane, cum reformationis vocabulum proprie dicat purę formę reaſſumptionem, nullam viam invenio meliorem, ipſum Ordinem reformandi, quam ſi mentis oculis reſpicimus ad Petram (6), unde exciſi ſumus, & ad cavernam loci de qua pręciſi ſumus, ad Abraham ſcilicet multarum gentium Patrem, Beatum Dominicum qui virtute Spiritus genuit nos, & ad Saram, videlicet Sacram Religionem, per Sanctos Patres ordinatam, quę peperit nos. Iis diligenter attentis juxta gratiam mihi datam, & dum Ordinem viſitarem inventis quam pluribus Fratribus, qui ferventer deſiderant reduci ad primam formam obſervantię regularis, per Beatiſſimum Patrem noſtrum Dominicum inchoatam, & per Sanctos Succeſſores ejus poſtmodum conſummatam, poſt longi temporis deliberationem, & multiplicem habitam collationem cum Fratribus magis timentibus Deum, decrevi omnino, tam pro inceptione reformationis totalis, quam pro ſatisfactione ſancti deſiderii Fratrum prędictorum taliter ordinare, quod in qualibet Provincia ſępedicti Ordinis ſit adminus unus Conventus, in quo regularis obſervantia teneatur ad unguem juxta noſtrarum Conſtitutionum tenorem, & formam. Quam ob rem de multorum Fratrum, Deum timentium, & Religionem noſtram ferventer diligentium, non tantum conſilio, & aſſenſu, ſed etiam inſtantia & ſupplicatione ferventi, omni modo, & via, quibus melius poſſumus, tam auctoritate officii mei, quam Capituli Generalis ultimo celebrati, mihi commiſſa, ordino, ſtatuo, & decerno, ac nihilominus vobis, ac cuilibet veſtrum pręcipio, in virtute obedientię promiſſę, & Spiritus Sancti, per quem filii Dei aguntur, & aggregantur, quatenus infra annum a notitia pręſentium quilibet veſtrum ordinet, & taliter faciat in Provincia ſua, quod ſit ibi unus Conventus deputatus ad obſervantiam regularem, in quo poſſint vivere ad minus duodecim Fratres, & deinde Fratres voluntarios ad dictam obſervantiam ibidem aſſignet uſque ad numerum prętaxatum, vel amplius, ſi tot ſibi Deus dederit inveniri; ſin autem, illos, quos invenerit, aſſignet In dicto Conventu in quo ſervetur ad unguem, ut dictum eſt, tenor Conſtitutionum noſtrarum, & obſervantia regularis, ſicut in ipſis Conſtitutionibus eſt expreſſa. Fratres autem jam in quibuſdam Conventibus Provinciarum no-

Supplex Generalis Magiſtri petitio.

Confirmat ut ſupra.

Tenor literarum F. Raymundi Magiſtri Generalis Ord. Prædicatorum.

Sanctio pœnalis.

noſtrarum per me ad hanc regularem obſervantiam congregatos, & eorum Pręſidentes per me deputatos, nullo modo moleſtare, aut impedire quomodolibet pręſumatis; Immo ipſos adjuvetis & foveatis, ac in ſancto propoſito confirmetis, juxta gratiam vobis datam. Ceterum quicunque veſtrum, quod abſit, ex notabili negligentia, vel, quod deterius eſſet, ex propoſito, dicto meo pręcepto inobediens fuerit, poſt annum ſuperius taxatum ſe noverit ab officio Prioratus, ſi fuerit Prior Provincialis, aut Vicariatus, ſi fuerit Vicarius Provincię, abſolutum in pęnam, & inhabilitatum per decem annos ad idem officium reaſſumendum, quem, vel quos, dicti pręcepti mei tranſgreſſorem, vel tranſgreſſores, ex nunc, prout ex tunc, & ex tunc, prout ex nunc, modo, quo ſupradictum eſt, abſolvo, & inhabilito, pręſentium per tenorem. In quorum omnium teſtimonium pręſentes patentes literas fieri feci, & ſigillo Ordinis noſtri muniri. Datum Romę Anno Domini Milleſimo trecenteſimo nonageſimo, die primo Menſis Novembris. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum V Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Raymundus.*) Beatus, de quo conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCLXXX pag.680.* Adeas etiam *Fontanam* Libro, cui titulus: *Conſtitutiones, Declarationes, & Ordinationes Capitulorum &c. a pag.547. ad 575.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.XV fol.*104.
3. *Pruſia.*) *Pruſſia.*
4. *Columbaria.*) Vulgo *Colmar*, in *Alſatia.*
5. *Capituli.*) *Vienna* in *Auſtria* celebrati anno *MCCCLXXXVIII.*
6. *Petram.*) Ex *Iſaia LI* 1, & 2.

Anno 1391 Die 20 Februarii.

Ædes Sacras FF. Prædicatorum Peruſin. (1) a Veſperis Secundi Diei Menſis Auguſti ad Veſperas tertii Diei ejuſdem Menſis viſitantes eadem Indulgentia donat ac viſitantes Eccleſiam de Portiuncula.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulget ut ſupra.

SPlendor Paternę glorię, qui ſua mundum illuminat ineffabili claritate, pia vota fidelium, de clementiſſima ipſius Majeſtate ſperantium, tunc pręcipue benigno favore proſequitur, cum ipſorum devota humilitas Sanctorum precibus adjuvatur. Cupientes itaque, ut Eccleſia Sancti Dominici Ordinis Fratrum Pręedicatorum de Peruſia congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentia Dei Miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui a Veſperis ſecundi diei Menſis Auguſti, uſque ad veſperas tertii diei ipſius Menſis, eandem Eccleſiam devote viſitaverint, annuatim illam indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marię de Portiuncula Aſſiſinatis Dięceſis a Veſperis primi diei dicti Menſis uſque ad Veſperas ſecundi Diei ipſius Menſis conſequuntur. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam Sancti Dominici, vel ad ejus fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum X Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Peruſin.*) In *Hetruria* ditionis Pontificię.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XV fol.*114.

Anno 1391 Die 5 Martii.

Ut Johannes Roderici de Saa Majorum ſuorum cineres ex quocunque loco transferre (1) poſſit ad ſepulcrum exſtruendum in Ædibus Sacris FF. Prædicatorum, vel Minorum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Johanni Roderici de Saa Militi Portugallen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EXigit tuę devotionis integritas, quam ad nos & Romanam geris Eccleſiam, ut ad ea ſolitę benignitatis extendamus affectum, quę ex cauſa devotionis placere novimus votis tuis. Hodie ſiquidem pro parte tua nobis expoſito, quod tu ex devotionis fervore pro tuę, tuorumque progenitorum, & aliorum

Supplex petitio.

de tua generatione, animarum ſalute, & ad divini cultus augmentum, in aliqua ex Eccleſiis domorum Fratrum Pręedicatorum, vel Minorum Ordinum Portugallen. de bonis tibi a Deo collatis unam capellam fundare, conſtruere, atque perficere, necnon paramentis, libris, calicibus, & aliis neceſſariis pro uno

Conceſſio.

perpetuo Presbytero, qui ejuſdem Ordinis fuerit profeſſione, in ea Domino ſerrituro, ut alias, proponebas, Nos tibi faciendi pręmiſſa plenam, & liberam per alias literas noſtras licentiam duximus concedendam, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis pro parte tua petitio continebat, tu corpora, ſeu cineres, & oſſa progenitorum tuorum, & aliorum de genere tuo ubicunque ſepulta, de locis, ubi ſepulta fuerint, & ad hujuſmodi Capellam, poſtquam conſtructa fuerit, transferre, & in ea, ac ſepulcro per te ad id deputando, deſideres facere ſepeliri, pro parte tua fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi corpora ſeu cineres, & oſſa exhumanandi, & ad ipſam

Digitized by Google

ipſam Capellam transferendi,& in ea, ac ſepulcro hujuſmodi ſepelliri faciendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi ut corpora, ſeu cineres, & oſſa prędicta, dummodo illi, quorum fuerunt, tempore obitus eorum, excommunicati, aut interdicti non fuerint, & ſi forſan excommunicationis, vel interdicti ſententiis ligati deceſſiſſent, poſtea non extiterint debite abſoluti, & alias in ſinceritate fidei, & unitate prędictę Romanę Eccleſię, ab hac luce migraverint, de locis, ubi ſepulta ſunt, exhumare, & ad Capellam prędictam, poſtquam conſtructa fuerit, ut prefertur, libere & licite valeas, non obſtantibus fel. rec. Bonifatii PP. VIII. Prędeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiarum & locorum, in quibus hujuſmodi corpora ſepulta fuerunt, ut premittitur, contrariis nequaquam obſtantibus; jure tamen earundem Eccleſiarum, & locorum, & aliorum quorumcunque alias in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia tenore preſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum III Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Transferre.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo* Tit. IX.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. XV fol. 88.

Epiſcopo Portugallen. (1), ut Fratres Cœnobii S. Mariæ de Victoria in Bonorum mobilium & non mobilium poſſeſſionem (2) venire poſſint.

Anno 1391 Die 6 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Portugallen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIII.

EXhibita nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (4) Portugallię & Algarbii Regis Illuſtris petitio continebat, quod, cum olim Portugallię & Algarbii Regna invaderentur per ſchiſmaticos, idemque Rex una cum dilectis filiis populo Civitatis Portugallen. contra eoſdem ſchiſmaticos manu armata in campo exiviſſent, & dictis ſchiſmaticis proſtratis, & conflictis victoriam maximam de ipſis ſchiſmaticis reportaſſent, dictus Johannes Rex, credens firmiter ſe hujuſmodi victoriam habuiſſe precibus, & meritis Beatę Marię Virginis in loco, ubi eandem victoriam habuit, ad laudem dictę Virginis fundari, & conſtrui unum locum cum Eccleſia, domibus, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum, in quo iidem Fratres perpetuum Domino redderent famulatum, qui quidem locus vulgariter nuncupatur Sancta Maria de Victoria, ipſumque locum a quinque annis citra eiſdem Fratribus pro eorum uſu & habitatione donavit, & conceſſit, in quo nonnulli Fratres ejuſdem Ordinis commorantur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubiungebat, dictus locus propter nimiam diſtantiam a converſatione Fidelium ſit plurimum ſeparatus, dicti Fratres eleemoſynas, de quibus vivere valeant, a Chriſti fidelibus ad ſufficientiam pro eorum vitę ſuſtentatione habere non poſſunt, dubitetque dictus Rex, ne dicti Fratres hujuſmodi locum propter nimiam penuriam, & indigentiam victualium derelinquere cogantur; pro parte ipſius Regis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Fratribus dictę domus, qui ſunt, & erunt pro tempore, ut poſſeſſiones, & alia bona mobilia & immobilia, quę ipſis a Chriſti fidelibus donari, ſeu in teſtamentis & ultimis voluntatibus relinqui, ſeu legari continget, pro ipſorum victu & veſtitu, & aliis neceſſitatibus, retinere libere, & licite valeant, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de premiſſis certam notitiam non habentes, ac deſiderantes cultum divinum noſtris temporibus non minui, ſed augeri, ipſius Regis in hac parte ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Fratribus domus prędictę, ut ipſi hujuſmodi poſſeſſiones, & bona mobilia, & immobilia, ſi, ut prefertur, eis a Chriſti fidelibus dari, concedi, aut erogari, ſeu in teſtamentis & ultimis voluntatibus relinqui, ſeu legari contingat, recipere, & perpetuo retinere, pro ipſorum victu & veſtitu, & aliis neceſſitatibus, libere & licite valeant; quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, ordinationibus, & conſuetudinibus dicti Ordinis contrariis nequaquam obſtantibus, Auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris. Datum Romę apud S. Petrum II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Hujus Diplomatis cauſa.

Supplex Regis petitio.

Mandat, & Indulget ut ſupra.

1. *Portugallen.*) In *Luſitania* Regno, ſub Archiepiſcopo *Bracarenſi*.

2. *Poſſeſſionem.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullar.* Tomo ultimo Tit. I.

3. *Archivo.* In quo duplex Exemplar authenticum ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Ulyſſipponenſi*.

4. *Johannis.*) Hujus nominis I, cognomento *Patris patriæ*.

Ædes Sacras Fratrum Prædicatorum Cathanien. (1) Diebus Dominicis, & Feriis Sextis viſitantibus Indulgentiam concedit.

Anno 1391 Die 14 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIV.

SPlendor Paternę glorię &c. (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Cathanien., in qua, ſicut accepimus, venerabilis Frater noſter Simon Epiſcopus Cathanien. de bonis ſibi a Deo collatis quoddam Preſepe ad inſtar Preſepis Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & quod-

quoddam ſepulcrum ad inſtar Sepulcri Dominici, non ſine magno, & ſumptuoſo ornatu conſtrui fecit, & ad quam quidem Eccleſiam propter hujuſmodi dictorum Prǫſepis & Sepulcri ſtructuram cauſa devotionis magna frequenter confluit Populi multitudo, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem uberius dono cęleſtis gratię conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. (4) qui per Anni circulum ratione Prǫſepis ſingulis Dominicis, & ratione ſepulcri prędictorum ſingulis Veneris diebus, Eccleſiam ipſam devote viſitaverint duos annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Prǫſentibus poſt decennium minime valituris. Volumus autem &c. (5). Datum Romę apud S. Petrum II Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Indulget ut ſupra.

1. *Cathanien.*) Seu *Catanien.*, in *Sicilia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. III fol.* 26.
3. *Gloria. &c.*) Ut in *Conſtitutione XI.*
4. *Dei &c.*) Ut in eadem.
5. *Autem &c.*) Ibidem.

Anno 1391 Die 10 Aprilis.

F. Raymundo (1) Generali Magiſtro, & Capitulo Generali Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut Appellationem ad Sedem Apoſtolicam circumſcribentes, ultimæ cognitionis jure controverſias Provinciæ Trinacriæ (2) tollant.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Raymundo Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Generali Capitulo ejuſdem Ordinis in proximo celebrando conventuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HOneſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque proſequimur favoribus opportunis. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Johannis de Anania Ordinis veſtri profeſſoris in Sacra Theologia Magiſtri petitio continebat, quod cum de Menſe Julii proxime prǫterito, dilectus Filius Raymundus Magiſter ejuſdem Ordinis, ex certis rationabilibus, & juſtis cauſis, dilectum Filium Simonem de Amatore, ejuſdem Ordinis profeſſorem, tunc Procuratorem Provincialem Fratrum dicti Ordinis Provincię Trinacrię ſecundum morem dicti Ordinis ab hujuſmodi Prioratus officio, & ipſo Simone ad id conſentiente, ac volente, abſolviſſet, & etiam de expreſſa voluntate, & conſenſu ejuſdem Simonis, ac nonnullorum aliorum Fratrum prędicti Ordinis, dictum Johannem Vicarium dicti Ordinis in prędicta Provincia pro utilitate Fratrum ejuſdem Ordinis, in eadem Provincia conſiſtentium, deputaſſet, idemque Johannes ad eandem Provinciam cum ſuis literis, ſuper hujuſmodi deputatione confectis, ſe perſonaliter contuliſſet. prǫfatus Simon in contrarium voluntate mutata ad Romanam Curiam accedens, a quibuſdam Curialibus nobis aſſiſtentibus nonnullas literas ad te, fili Raymunde, directas obtinuit, per quas tibi ſcriptum extitit, quod noſtrę voluntatis erat, quod idem Simon in dicta Provincia Fratribus prędicti Ordinis prǫeſſet, quodque tu propter hujuſmodi literas tibi directas modo, ut dicitur, prędictum Johannem ab hujuſmodi Vicariatus officio per tuas literas abſolviſti, & prędictum Simonem in eadem Provincia Vicarium Generalem dicti Ordinis inſtituiſti; & quod hujuſmodi negotiis ſic pendentibus prǫfatus Johannes ex auctoritate ſibi per te commiſſa ſecundum Conſtitutiones dicti Ordinis certum locum & diem Fratribus dicti Ordinis in eadem Provincia conſiſtentibus ſtatuit, in quo convenire deberent pro electione futuri Prioris Provincialis facienda, & ad nonnulla alia negotia, bonum ſtatum ejuſdem Ordinis contingentia, pertractanda. & deinde de menſe Auguſti proxime prǫterito dum prǫfatus Simon ad eandem Provinciam, cum prędictis ſuis literis, per quas, ut prǫfertur, ipſum inſtituerat dictę Provincię Vicarium accedens, & eiſdem literis, ac ipſarum tenore patefactis, & publicatis a duabus partibus, vel quaſi, Fratrum dictę Provincię, aſſerentium ſe ex ipſarum literarum tenore, & ex inſtitutione hujuſmodi de ipſo Simone facta fore gravatos, fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum, & Apoſtolici inſtanter (4) fuerunt prediti; & nihilominus prǫfatus Johannes cum aliis ejuſdem Provincię Fratribus, ſibi adhęrentibus, in loco & die prędictis pro hujuſmodi electione Prioris Provincialis dictę Provincię facienda convenit, & ſervatis ſervandis juxta morem, & ſtatuta dicti Ordinis, prǫfatus Johannes in Priorem Provincialem prędictę Provincię concorditer & unanimiter extitit electus, & hujuſmodi electio per illum, qui ad hoc ſufficiens mandatum habebat, extitit confirmata; Sed idem Simon, qui ſe pro Vicario ejuſdem Provincię gerebat, premiſſis non obſtantibus, cum quibuſdam ſuis in hac parte complicibus dicti Ordinis profeſſoribus, in certo loco dictę Provincię, ut fertur, conveniens eſſe (5) ab eiſdem complicibus in Priorem Provincialem dictę Provincię eligi procuravit, & fecit licet de facto (6). Quare pro parte Johannis, & aliorum fere duarum partium Fratrum dictę Provincię eidem Johanni in hoc adhęrentium, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut, ne ipſi, & alii dictę Provincię Fratres litium confractibus involvantur, qui aſſidue divinis obſequiis inſiſtere conantur, providere ſuper prǫmiſſis de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, de veſtra circumſpectione & prudentia ſpecialem in Domino fiduciam obtinentes, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus hujuſmodi electionem de prǫfato Johanne factam, & confirmationem inde ſecutam, ſi eas canonice & ſecundum morem, & ſtatuta dicti Ordinis factas repereritis, eas ratas habentes & gratas, illas etiam auctoritate noſtra approbetis, & etiam confirmetis, & hujuſmodi litigiis, eadem auctoritate finem debitum imponatis. Contradictores per Cenſuram &c. Non obſtantibus ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud S. Petrum IV Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

Supplex Fratrum petitio.

Mandatum.

1. Ray-

1. *Raymundo.*) Beato, de quo ſæpius dictum eſt.
2. *Trinacriæ.*) Sic a tribus Promontoriis dicta fuit *Sicilia*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.3.*
4. *Apoſtolici inſtanter.*) Turbatus locus. Legendum videtur. *Apoſtolis, inſtantes, fuerunt prædiſti*. Vel dicendum, quod *Apoſtolici*, idem eſt ac *Apoſtoli*. Quid autem ſignificet hæc vox *Apoſtoli*, norunt juriſperiti. Sic enim vocant *Expeditiones*, ut loquuntur, ſeu Literas, quas ſpeciei quintuplicis eſſe ferunt: *Apoſtolos* ſcilicet *Conventionales*, *Teſtimoniales*, *Declaratorios*, *Refutatorios*, et *Reverentiales*. Inſtanter peti debent *Apoſtoli*. Hinc legitur: *Inſtanter*: ſupple *Petentes*; vel ſcribendum, *Inſtantes*, ut mox dictum fuit.
5. *Convenions eſſe.*) *Convenientes, ſe.*
6. *Licet de facto.*) *Eligi de facto.*

Conſtituit Conſervatores, qui Decretalem Bonifatii VIII, quæ incipit; *Super Cathedram*: ſervandam (1) curent.

Anno 1391 Die 6 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Ormaſten. (3), & Polatien. (4), ac Baletnen. (5) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XVI.

FRequentes hactenus &c. (6). Et Urbanus PP. VI, Prędeceſſores noſtri, ad Servorum B. Marię Fratrum prędictorum Ordines antedictos, quoad omnia in ea contenta extenderunt, a prędictis Epiſcopis, Pręlatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem Decretalis prędictę graves injurię atque moleſtię in diverſis partibus inferuntur; nuper etiam pro parte venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Scuracen. (7), nobis extitit intimatum &c. (8). Datum Romę apud Sanctum Petrum VIII Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Servandam.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII. & IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVII fol.278.*
3. *Ormaſten.*) *Hormaſten.*, in *Macedonia*.
4. *Polatien.*) Vulgo *Pulati*, urbs olim Epiſcopalis in *Albania*, Lacum *Scodra* verſus & Montem Nigrum. Nunc in rudetibus jacet.
5. *Baletnen.*) Ut ingenue loquar, *Baletnen.* Epiſcopatum non novi. Legerem *Pallenen.*, vulgo *Pataleues*, peninſula eſt *Macedoniæ*.
6. *Frequentes hactenus &c.*) Ut in *Diplomate dato XI Julii MCCCXLIII.*
7. *Scuracen.*) Fortaſſis *Scutaten.*, vulgo *Scutari* in *Albania*.
8. *Intimatum &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox laudata ad finem uſque.

Moniales Ordinis Prædicatorum Lemagen. (1) fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſiæ Parochialis Lemagen. donat.

Anno 1391 Die 17 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sanctę Marię in Lemago per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus Padeburnen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XVII.

ETſi ex debito ſolicitudinis paſtoralis, quibuslibet Religioſis perſonis nos deceat in ſuis opportunitatibus eſſe favorabiles, & benignos, mulieribus tamen, quę ſub regulari habitu Domino famulantur, tanto propenſiori nos convenit auxilio ſubvenire, quanto ex fragilitate ſexus ſeminei majoribus dignoſcuntur ſubſidiis indigere. *Exordium.* Dudum ſiquidem fel. rec. Urbanus PP. VI prędeceſſor noſter Abbati Monaſterii Sanctorum Petri & Pauli Padeburnen., ejus proprio nomine non expreſſo, ſuis dedit literis in mandatis, ut Parochialem Eccleſiam oppidi Lemagen., Padeburnen Dięceſis, cum ſuis Capellis annexis, & certis Altaribus in ipſa Eccleſia canonice fundatis, Monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica perpetuo uniret, & annecteret, *Hujus Diplomatis cauſa.* ita quod liceret vobis Eccleſię prędictę, cum capellis, & Altaribus prędictis, ac jurium, & pertinentiarum earundem, poſſeſſionem libere apprehendere, & licite retinere perpetuo, Dięceſani loci, vel cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, proviſo tamen, quod congrua portio Vicario in eadem Eccleſia Domino ſervituro per ipſum Abbatem de ipſius Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus aſſignaretur, de qua idem Vicarius valeret congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare, *Indulget ut ſupra.* prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, ex hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſię prędictę, quę ipſi Monaſterio veſtro, vigore prędictarum literarum per eundem Abbatem poſtea incorporata, & annexa canonice fuit, & cujus poſſeſſionem habetis, hujuſmodi portio pro eodem Vicario, in eadem Eccleſia, cum Capellis & Altaribus ipſis Domino pro tempore ſervituro, ut pręfertur, extiterit inſtituta, ipſeque Vicarius etiam pro tempore tantum ex eiſdem fructibus, redditibus, & proventibus percipiat, quod incorporatio, & annexio vobis, quę fere nullos alios utiles redditus, ex quibus congrue ſuſtentari valeatis, in prędictarum poſſidetis, modicam admodum afferunt utilitatem, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere vobis ſuper hoc de opportuno remedio, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. *Clauſula derogans.* Nos igitur, cupientes inopię veſtrę in pręmiſſis de alicujus ſubventionis auxilio liberaliter providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ut cedente, vel decedente dilecto filio perpetuo Vicario ejuſdem Eccleſię cum Capellis & Altaribus ipſis, qui nunc eſt, vel alias ipſam perpetuam Vicariam ejuſdem Eccleſię cum hujuſmodi Capellis & Altaribus quomodolibet dimittente, liceat vobis pro tempore eandem Eccleſiam cum Capellis & Altaribus antedictis per idoneum Secularem Presbyterum, ad nutum veſtrum pro tempore ponendum, & amovendum, ad id tamen loci Ordinarii accedente conſenſu, ſumptibus veſtris regi facere, & omnes fructus, redditus, & proventus hujuſmodi portionis, ſeu Vicarię in ſuſtentationem veſtram convertere valeatis. *Sanctio pœnalis.* Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, ita tamen quod in Eccleſia ipſa

Digitized by Google

ipſa deſerviatur laudabiliter in divinis, quodque ratione Vicarię, ſeu portionis hujuſmodi, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia onera, quę eidem Vicario pro tempore incumberent ratione Vicarię, ſeu portionis hujuſmodi pro tempore teneamini integre ſupportare, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium de ſpecialis dono gratię indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Lemagen.*) In *Weſtphalia*. De hoc Monaſterio ſic in Codice Lingonienſi legebat Echard: *In Provincia Saxonia* ... Monaſterium *Lode in terminis Conventus Mindenſis, nunc translatum in Civitatem Lemego*. Echard in Notitia Ordinis Prædicatorum *Tomo I Scriptor. Ord. pag.15.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XV fol.150.*

Anno 1391 Die 19 Junii.

Ædes Sacras Fratrum Prædicatorum Camerinen. (1) Die Feſto Sancti Sebaſtiani viſitantibus Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum itaque (3), ſicut accepimus in Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum Camerinen. nonnullę Reliquię S. Sebaſtiani reverentur & conſervantur. Nos, cupientes, ut dicta Eccleſia congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. (4) qui in feſto prędicti S. Sebaſtiani pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ut pręfertur, duos Annos, & duas quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. (5). Datum Romę apud S. Petrum XIII Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Indulget ut ſupra.

1. *Camerinen.*) In *Marchia Anconitana*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol.152.*

3. *Cum itaque*.) Exordium deeſt, idem videtur ac illud quod legere eſt in *Diplomate dato VIII Decembris MCCCLXXXIX.*

4. *Dei &c.*) Ut in eodem ad hæc uſque verba:

5. *Autem &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Anno 1391 Die 7 Julii.

Eccleſiam Parochialem, Paſtoriam nuncupatam, Monaſterio S. Barbaræ extra muros Treveren. (1), Ordinis Prædicatorum, confert.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Abbatiſſę, Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Barbarę Virginis extra Muros Treveren. per Prioriſſam ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Sacrę veſtrę Religionis, ſub qua, abjectis mundi illecebris, devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut veſtris, ac Monaſterii veſtri neceſſitatibus, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter conſulamus. Sane petitio pro parte venerabilis Fratris noſtri Werneri Archiepiſcopi Treveren., & veſtra, nobis nuper exhibita, continebat, quod olim bo: me: Enno Archiepiſcopus Treveren. immediatus Prędeceſſor ipſius Werneri Archiepiſcopi, gerens ad prędictum veſtrum Monaſterium ſpecialis devotionis affectum, & attendens, quod redditus, & proventus ejuſdem veſtri Monaſterii erant, prout ſunt, adeo tenues, & exiles, quod Moniales ipſius Monaſterii, quę numero viginti duę continuo inibi Domino famulantes exiſtebant, prout exiſtunt, de dictis redditibus, & proventibus nullatenus poterant, prout nec poſſunt, congrue ſuſtentari, pie propoſuerat veſtris neceſſitatibus ſubvenire, ſed antequam idem Enno Archiepiſcopus hujuſmodi ſuum pium propoſitum effectui mancipaſſet, ſicut Domino placuit, extitit vita functus; propter quod idem Wernerus Archiepiſcopus dicti Prędeceſſoris inhęrens veſtigiis, & cupiens vobis, & eidem Monaſterio veſtro de alicujus ſubventionis auxilio providere, Rectoriam, Paſtoriam nuncupatam. Eccleſię Parochialis, Paſtorię nuncupatę, S.Petri Apoſtoli in Darsheim, Treveren. Dięceſis, quę ad collationem dilectorum filiorum Abbatis & Conventus Monaſterii S. Maximini extra Muros Treviren., Ordinis S. Benedicti, pertinebat, & in qua quidem Eccleſia diu antea quędam perpetua Vicaria a pręfata Rectoria dictę Eccleſię diſtincta pro perpetuo Vicario pro tempore inibi inſtituendo, & Domino perpetuo ſervituro, qui curam animarum Parochianorum ejuſdem Eccleſię gereret, canonice inſtituta extitit, cum conſenſu etiam dilecti filii Runſi Abbatis, & Conventus Monaſterii S. Maximini prędictorum dictę Eccleſię Patronorum, ac dilectorum filiorum Prępoſiti, Decani, & Capituli Eccleſię Treveren., necnon Georgii Archidiaconi S. Martini de Tollega in Eccleſia Treveren., cum dicta Parochialis Eccleſia infra limites Archidiaconatus Sancti Martini de Tollega in eadem Treveren. Eccleſia conſtituta exiſtat, eidem veſtro Monaſterio auctoritate ordinaria perpetuo incorporavit, annexuit & univit, prout in patentibus literis inde confectis prędictorum Werneri Archiepiſcopi, ac Abbatis & Conventus, necnon Archidiaconi ſigillis munitis, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ab aliquibus aſſeratur, incorporationem, annectionem, & unionem prędictas viribus non ſubſiſtere, pro eo quod ſuper incorporatione, annectione, & unio-

Archiepiſcopi, & Monialium ſupplex petitio.

& unione prędictis tractatus Abbatis, & Conventus, ac Capituli, necnon Archidiaconi pręfatorum forſan non pręceſſit, ac alias debita juris ſolemnitas, quę in talibus requiruntur, in iiſdem incorporatione, annectione, & unione forſan ſervata non exiſtant, & etiam pro eo quod literę prędictę per Tabellionem, aut Teſtes ſubſcriptę non exiſtunt, pro parte Werneri Archiepiſcopi, & veſtra, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Rectoriam, cujus viginti, pręfato Monaſterio S. Barbarę, cujus decem Marcarum argenti, fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſeritis, non excedunt, de novo incorporare, annectere, & unire, de ſpeciali gratia, auctoritate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eandem Rectoriam, etiamſi diſpoſitioni Apoſtolicę generaliter, vel ſpecialiter reſervata exiſtat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem veſtro Monaſterio, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica, perpetuo incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod, cedente vel decedente Rectore dictę Eccleſię, qui nunc eſt, aut Rectoriam ipſam alias quomodolibet dimittente, liceat vobis, Rectorię, juriumque, & pertinentiarum hujuſmodi corporalem poſſeſſionem libere apprehendere, & licite perpetuo retinere, Diœceſani loci, vel cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, proviſo, quod ſi hujuſmodi portio pro dicto perpetuo Vicario, ut pręfertur, aſſignata congrua non fuerit, provide a Diœceſano de ipſius Parochialis Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus congrua aſſignetur, de qua idem Vicarius valeat congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia ſibi onera ſupportare. Non obſtantibus, ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales prędictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint; & ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel aliis quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas & proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta per eandem Romanam Curiam, volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda eſſet in noſtris literis mentio ſpecialis; Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Confert ut ſupra.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Treveren.*) *Seu Treviren.*, vulgo *Treves*, in *Germania*, ubi cetera loca, de quibus hoc in Diplomate.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVIII fol.* 283.

Monialium Vicariatus Bononienſis S. Mariæ Montis Guardiæ (1) privilegia firmat.

Anno 1391 Die 28 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sanctę Marię Montis Guardię, per Prioriſſam ſoliti gubernari, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis. Ordinis Sancti Auguſtini Bononien. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VEſtrę merita religionis, in qua, mundanis relegatis illecebris, divinę contemplationi vacatis, exposcunt, ut Apoſtolica Sedes, cui nullo mediante ſubeſtis, congruis vos attollat honoribus, & ſpecialibus gratiis proſequatur. Cum itaque, ſicut oblata Nobis ex parte veſtra petitio continebat, Monaſterium veſtrum tam exemptionis privilegio, quam aliis diverſarum dotari meruerit titulis gratiarum, voſque in loco veſtro Sancti Mathię prope Bononiam, quem a bonę memorię D. Epiſcopo Bononien., loci Diœceſano ſuper hoc obtenta licentia in fundo proprio conſtruxiſtis, propter majorem ejuſdem loci commoditatem reſidentiam faciatis, eodem propterea Monaſterio minime derelicto. Nos nolentes, ut hujuſmodi prętextu reſidentię, quam in loco Sancti Mathię facitis ſupradicto, vobis hujuſmodi veſtra privilegia, libertates, immunitates, & gratię inutilia fiant, veſtris ſupplicationibus inclinati, ut vos, & locus etiam ipſe Sancti Mathię, vobis in eo degentibus, & dicto Monaſterio, ſicut prędicitur, non relicto, omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus memoratis rationabiliter vobis, & Monaſterio prędicto conceſſis, gaudere plenarie, ac uti libere valeatis, ſicut illis vos, & Monaſterium ipſum gaudetis, & utimini, dum in eodem Monaſterio reſidetis, auctoritate vobis pręſentium indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Anagnię V Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Exordium.

Confirmatio.

1. *Montis Guardia*.) Conſulenda *Conſtitutio XXX Honorii III.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum ex Autographo aſſervato in Monaſterio *Bononienſi S. Mathia*.

Anno 1391 Die 7 Auguſti.

F. Nicolaus (1) Piſtoris Epiſcopus Cathneſienſis creatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Piſtoris, electo Cathneſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina favente &c.(3). Dudum ſiquidem bonę memorię Petro Epiſcopo Cathneſien. regimini Eccleſię
Cathneſien pręſidente, nos, cupientes eidem Eccleſię cum vacaret &c. decernentes ex tunc irri-
tum & inane &c. Poſtmodum vero pręfata eccleſia per obitum dicti Petri, qui extra Romanam Cu-
riam &c. nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem &c. de qua nullus
pręter nos &c. ne longę vacationis exponatur &c. poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem eccle-
ſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te,
F. Nicolaus ſit Epiſcopus. Ordinis Fratrum Predicatorum profeſſorem, in ſacra pagina peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum,
vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſ-
que multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus ocu-
los noſtrę mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus
noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum acceptà pręfatę eccleſię Cathneſien de dictorum
Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſto-
rem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie
committendo, in illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque pręter ęternę &c. noſtram & dic-
tę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud S. Petrum
VII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* XXI. *fol.* 159.
3. *Favente &c.*) Quæ hic deſunt ex aliis ejuſdem tenoris *Conſtitutionibus* mutuanda.

Anno 1391 Die 12 Auguſti.

F. Hugolino (1) de Camerino Ordinis Fratrum Prædicatorum Procuratori Generali, ut, cujus Provinciæ ſint Cœnobia Utinen.(2), Civitaten., & Juſtinopolitan., Apoſtolica auctoritate decernat.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

XXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Hugolino de Camerino, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in Sacra Theologia Magiſtro, ejuſdem Ordinis in Romana Curia Generali Procuratori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Sedis Apoſtolicę circumſpecta benignitas ad ea, per quę perſonę Eccleſiaſticę, pręſertim ſub Religio-
nis habitu Domino militantes, ſecundum ſuorum Ordinum inſtituta, quietius vivere, & in humilita-
Exordium. tis ſpiritu Domino ferventius deſervire poſſint, libenter intendit, illaque, quantum cum Deo poteſt, fa-
voribus proſequitur opportunis. Dudum ſiquidem pro parte nonnullorum Fratrum Ordinis Prędicato-
rum fel. rec. Urbano PP. VI Prędeceſſori noſtro expoſito, quod olim dilecti filii Magiſtri, & Fratres
prędicti Ordinis in Capitulo Generali dicti Ordinis, Carcaſonę (4) celebrato, provide attendentes,
quod Provincia Hungarię ſecundum morem dicti Ordinis erat adeo ampla & diffuſa, quod Prior Pro-
vincialis dictę Provincię pro tempore exiſtens non poterat ſingulis annis, ut tenebatur ſecundum ejuſdem
Ordinis inſtituta, ſingula loca dicti Ordinis in ſua Provincia conſiſtentia per ſe, vel ſuum Vicarium
commode viſitare; propter hoc, & aliis cauſis rationabilibus ad id eos moventibus, ordinarunt, &
etiam ſtatuerunt, ut Natio Dalmatię, quę ſecundum morem dicti Ordinis de dicta Provincia exiſtebat,
& in qua tredecim loca ejuſdem Ordinis, videlicet, Duracen., Scutaren., Dulcinen., Cataren., Ragu-
ſin., Obſaren, Spalaten., Tragurien., Sibinicen., Jadren., Vegien.. Nonen., Signien., & Arben. conſiſ-
tebant, additis eis tribus locis prędicti Ordinis de Provincia Lombardię inferioris, videlicet, Utinen.
Civitaten., & Juſtinopolitan., eſſet Provincia per ſe, ac diſtincta, & ſeparata a Provincia Hungarię ſupra-
Supplex Fratrum petitio. dicta, quę denominetur, & appelletur Provincia Dalmatię, quodque in Conſtitutionibus dicti Ordinis
cavebatur expreſſe, quod cum hujuſmodi ordinatio per Capitulum Generale dicti Ordinis fieret, in-
choatio nuncuparetur, & hujuſmodi inchoatio vigorem non haberet niſi per duo alia Generalia Capitu-
la dicti Ordinis ſubſequenter foret approbata, & etiam confirmata; pręfatus Prędeceſſor per literas ſuas
voluit, & Apoſtolica auctoritate decrevit. quod hujuſmodi ordinatio, quę, ut pręfertur, inchoatio nun-
cupabatur, per dictum Capitulum Generale, ut pręmittitur, facta provide, a data earundem literarum
valeret, & plenam obtineret roboris firmitatem, ac ſi per duo alia Capitula Generalia dicti Ordinis
confirmata & approbata efficaciter extitiſſet; ſtatuens, & etiam ordinans, quod deinceps Natio, &
Patria Dalmatię prędicta, & pręfata loca dicti Ordinis, in ea conſiſtentia, adjunctis eis prędictis aliis locis
tribus dicti Ordinis, quę, ut pręfertur, hactenus de Provincia Lombardię Inferioris extiterant, unam
Provinciam per ſe diſtinctam a pręfata Provincia Hungarię faceret, & Provincia Dalmatię exiſteret, &
nuncuparetur juxta morem dicti Ordinis, ibique Prior Provincialis ejuſdem Ordinis, prout in aliis
Provinciis erat fieri conſuetum, perpetuis futuris temporibus deputaretur, prout in ipſis literis plenius
con-

continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte nonnullorum Fratrum Utinen., Civitaten., & Juſtinopolitan. locorum prędictorum petitio continebat, jam decem anni ſint elapſi, quibus pręfatus Prior Provincialis Provincię Dalmatię ipſa loca, poſtquam, ut pręmittitur, non ſine magno eorum diſpendio a Provincia Lombardię Inferioris prędictę, de qua tunc exiſtebant, per dictum Generale Capitulum ſeparata, & eidem Provincię Dalmatię adjuncta fuerant, per ſe, vel ſuos Commiſſarios minime viſitavit, nec in aliquo ſe de illis intromiſit, prout nec etiam ſe intromittit de pręſenti, & ſic hujuſmodi tria loca nec in Provincia prima, nec in ſecunda remanſiſſe videantur, propter quod regularis obſervantia deperit, & juriſdictio non exercetur ibidem, in Fratrum & locorum prędictorum non modicum detrimentum, pro parte ipſorum Fratrum trium locorum prędictorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eorum ſtatui in pręmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ipſorum Fratrum, aſſerentium te de prędictis fore plenius informatum, ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, habita ſuper hoc, cum prędicto Dalmatię, ac dilecto filio Inferioris Lombardię Provinciarum earundem Prioribus Provincialibus, & aliquibus probis Fratribus dicti Ordinis deliberatione matura, & communicato conſilio, auctoritate Apoſtolica ſtatuas, & ordines, quod deinceps tria loca prędicta ad alteram Inferioris Lombardię & Dalmatię Provinciarum earundem, de qua tibi juxta Religionis honeſtatem, Fratrum, & locorum prędictorum evidentiorem quietem & utilitatem magis videbitur expediens, in totum perpetuo debeant pertinere. Volumus autem quod hujuſmodi ordinatio, per te, ut pręmittitur facienda, proinde perpetuę robur habeat firmitatis, ac ſi per tria Capitula Generalia dicti Ordinis ſucceſſive approbata & confirmata efficaciter extitiſſet; hujuſmodi ejuſdem Prędeceſſoris noſtri, ac pię memorię Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ut nullis niſi dignitate prędicis, aut perſonatum obtinentibus, vel Eccleſiarum Cathedralium Canonicis, Cauſę auctoritate literarum dictę Sedis committantur, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum II Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Hugolino.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCXVII pag.759.*
2. *Utinen.*) Legenda *Conſtitutio IV Urbani VI.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXI fol.58.* Hujuſce Diplomatis meminit *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap.X ad an.MCCCXCIV pag.261.*
4. *Carcaſonæ.*) In *Occitania*. Adeas *Fontanam* mox laudatum.

F. Petrus (1) de Faya fit Epiſcopus Agenenſis.

Anno 1391 Die 4 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Faya Electo Agenen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c.(3). Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Agenen. regimini Eccleſię Agenen. pręſidente, nos cupientes eidem eccleſię cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni &c. Decernentes ex tunc irritum & inane &c. Poſtmodum vero pręfata eccleſia per obitum dicti Johannis, qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus pręter nos &c. ne longę vacationis exponatur &c. Poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem. Demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum in Sacra Theologia peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua, nobis & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, pręfatę eccleſię Agenen., de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque pręter ęternę &c. noſtram & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud S. Petrum II Non. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

F. Petrus Epiſcopus conſtitutus.

1. *Petrus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXI fol.160.*
3. *Apoſtolatus officium &c.*) Quæ hic deſunt ex aliis ejuſdem tenoris petenda.

Anno 1391 Die 17 Novembris.

F. Simon de Amatore Inquiſitor Regni Trinacriæ conſtituitur (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Simoni de Amatore, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in Sacra Theologia Magiſtro, in Regno Trinacrię hęreticę pravitatis Inquiſitori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter varias & diverſas ſolicitudines, quę noſtris incumbunt humeris, illa potiſſime pulſat, & excitat mentem noſtram, ut noſtrę operationis miniſterio de vinea Domini Sabaoth, cujus nobis, licet immeritis, eſt cura commiſſa, hęretici & ſchiſmatici, qui, quaſi vulpeculę inter ſarmenta latentes, conantur eandem multipliciter demoliri, penitus extirpentur, fideſque catholica, eradicatis exinde cunctis erroribus, proſperetur, & amplius dilatetur; taleſque ad id peragendum cupimus deputari perſonas, quarum honeſta converſatio exemplum prębeat puritatis, & labia erudita doctrinam tribuant ſalutarem. Cum itaque, ſicut accepimus, in Regno Trinacrię Officium Inquiſitoris hęreticę pravitatis per obitum quondam Franciſci de Meſſana Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, qui in eodem regno Inquiſitor pravitatis hujuſmodi, dum viveret, exiſtebat, & in quo quidem Regno, ut aſſeritur, unus duntaxat Inquiſitor hujuſmodi pravitatis ab antiquo ſemper eſſe conſuevit, vacavit & vacet ad pręſens, Nos, cupientes, ut hujuſmodi officium in ipſo Regno provide ac diligenter exerceatur, ac ſperantes, quod tu, qui, ut fide dignorum habet aſſertio, Catholicę fidei fervens zelator, & Religionis amator exiſtis, & aliis multiplicium virtutum donis a Domino, eorum largitore, es multipliciter inſignitus, ſcies, & poteris per tuę diligentię ſtudium hujuſmodi officium laudabiliter exercere, ac inibi catholicę fidei fructuoſos palmites ampliare, te Inquiſitorem hęreticę pravitatis hujuſmodi in toto dicto Regno uſque ad Apoſtolicę Sedis beneplacitum, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium conſtituimus & etiam deputamus, ita quod ab hujuſmodi officio abſque dictę Sedis licentia & ſpeciali mandato nequeas aliquatenus amoveri; removentes ex nunc quoſcunque alios, qui forte ad hujuſmodi officium quavis auctoritate in dicto regno deputati exiſterent quoquo modo; quo circa diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, tibique in remiſſionem peccaminum injungimus, quatenus in caritate Dei, hominum timore poſtpoſito, virtutem ſpiritus induens, hujuſmodi Inquiſitionis Officium in dicto Regno, prout tanti negotii utilitas perſuadet, ſub ſpe ęternę mercedis, ſic efficaciter exequi ſtudeas, ac etiam diligenter, quod per ſolicitudinis tuę circumſpectam prudentiam, & providam circumſpectionem, radix hujuſmodi pravitatis exinde penitus evellatur, & prędicta vinea exterminatis predictis vulpeculis, uberes fructus afferat catholicę puritatis; proceſſurus in hujuſmodi negotio tam ſecundum privilegia & indulgentias Inquiſitoribus pravitatis prędictę, auctoritate apoſtolica deputatis, ſeu officio Inquiſitionis ab eadem Sede conceſſa, quam etiam ſecundum Canonicas ſanctiones. Per hujuſmodi autem conſtitutionem, & deputationem de perſona tua in hujuſmodi Inquiſitionis officio per nos factam, locorum Ordinariis, quo minus ipſius hujuſmodi Inquiſitionis Officium ſuper pravitate prędicta, prout diſponunt canonicę ſanctiones, exercere valeant, non obſtantibus prędictis & quibuſcunque aliis privilegiis & Indulgentiis Ordini tuo, vel eiſdem Inquiſitoribus, ſeu officio, ſi qua eis a dicta Sede ſint conceſſa, nullum volumus pręjudicium generari. Datum Romę apud Sanctum Petrum XV Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Inſtitutio.

1. *Conſtituitur.*) Conſulenda *Diſſertatio I Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXIV ſol.* 139.

Anno 1392 Die 17 Januarii.

Ædes Sacras Cœnobii S. Johannis Lycien. (1) Ordinis FF. Prædicatorum viſitantibus Indulgentiam impertitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXV.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

LIcet is de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis Fidelibus digne &c. (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Prędicatorum Lycien. in honorem B. Johannis Baptiſtę fundata, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad hujuſmodi conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia &c. (4), qui in ipſius B. Johannis feſtivitate & per ipſius S. Johannis Octavas Eccleſiam prędictam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujus manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatibus quinque annos, octavarum vero prędictarum diebus, quibus pręfatam Eccleſiam viſitaverint & ad ejus reparationem manus porrexerint adjutrices, ut pręfertur, unum annum & quadraginta dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. (5). Datum Romę apud S. Petrum XVI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Lycien.*) In *Apulia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplaria, authenticum unum ex Autographo aſſervato in Cœnobio S. *Johannis de Aymo Lycien.*, aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro* XXXIII *fol.* 248.
3. *Digne &c.*) Ut in *Diplomate dato VIII Decembris MCCCLXXXIX* ad hæc uſque verba: *Gratiæ aptiores.*
4. *Miſericordia &c.*) Ut in eodem ad hæc uſque: *Et Confeſſis.*
5. *Autem &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Hoſpi-

Hoſpitium Pauperum in Civitate Lycienſi (1) fundandum, Fratribus Ordinis Prædicatorum Lycien. ſubiicit.

Anno 1392 Die 17 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Aymo, Camerario Civitatis Lycien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXVI.

Exordium.

Sincerę devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam geris Eccleſiam, promeretur, ut votis tuis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, & ſuſtentationem Chriſti pauperum conſpiciunt, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tu cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis tibi a Deo collatis in fundo proprio in Civitate Lycien. in loco ad id congruo, & honeſto, quoddam Hoſpitale cum neceſſariis officinis pro receptione pauperum, & infirmorum ad illud confluentium, fundare, ac certos, perpetuos, & ſufficientes redditus pro ſuſtentatione pauperum, & infirmorum hujuſmodi aſſignare proponas, pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi fundandi Hoſpitale hujuſmodi licentiam concedere, ipſumque Hoſpitale dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus S. Johannis Baptiſtę Lycien. Ordinis Prędicatorum, cum omnibus privilegiis, pręrogativis, exemptionibus, & aliis indulgentiis per omnia eo modo, quo Hoſpitale pauperum Domus Dei Viterbien. dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sanctę Marię ad gradus extra muros Viterbien. dicti Ordinis per privilegia felicis recordationis Bonifatii VIII, & Benedicti XI Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum ſuper hoc conceſſa (3), ſubjectum extitit, perpetuo ſubiicere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur volentes te in hujuſmodi tuo laudabili propoſito confovere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi fundandi prędictum Hoſpitale in prędicta Civitate cum officinis, & redditibus hujuſmodi, auctoritate apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur; & nihilominus ipſum Hoſpitale per te, ut pręmittitur, fundandum pręfatis Priori, & Fratribus Domus Sancti Johannis, cum privilegiis, pręrogativis, exemptionibus, & indulgentiis omnibus, eo modo per omnia perpetuo ſubiicimus, & ſubjectum eſſe volumus, quo dictum Hoſpitale, Domus Dei, Priori, & Fratribus Domus Sanctę Marię pręfatis per privilegia ſupradicta eſt ſubjectum; jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius alias in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum XVI Kalend. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Sanctio pœnalis.

1. *Lycienſi.*) In *Apulia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, ex Autographo, quod tenet Conventus *Lycienſis.*
3. *Conceſſa.*) *Conſtitutione XXIV Bonifatii VIII, & V B. Benedicti XI.*

F. Willelmus (1) Henrici Schalholtenſis Epiſcopus inſtituitur.

Anno 1392 Die 19 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Willelmo Henrici electo Schalholtenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXVII.

Exordium.

Apoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis nobis ex Alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini pręſidemus, utiliter exequi, coadiuvante Domino cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut, cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem Dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium, & in antea vacaturarum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Schalholtenſis ex eo apud dictam Sedem vacante, quod venerabilis Frater noſter Michael Epiſcopus tunc Schalholtenſis regimini, & omni adminiſtrationi ejuſdem Eccleſię, cui tunc pręerat, per dilectum filium Hugolinum (3) de Camerino Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, Procuratorem ipſius Michaelis Epiſcopi, ad hoc ab eo ſpecialiter conſtitutum, in manibus venerabilis fratris noſtri Franciſci Epiſcopi Prenellinenſis Sanctę Romanę Eccleſię Vicecancellarii apud Sedem prędictam libere, & ſponte ceſſit, dictuſque Epiſcopus ceſſionem hujuſmodi de ſpeciali mandato noſtro, ſuper hoc vivę vocis oraculo ſibi facto, apud Sedem admiſit eandem; nos ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te dicti Ordinis Profeſſorem in Presbyteratus Ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibent, direximus oculos

Michael Schalholtenſis Antiſtes cedit Epiſcopatus oneri.

F. Willelmus Epiſcopus conſtitutus.

oculos noſtrę mentis;quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis,& eiſdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod dicta Eccleſia ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente divina, proſpere dirigetur, & grata in eiſdem temporalibus, & ſpiritualibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuę per apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictę Eccleſię ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum XI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Willelmus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol.* 75.

3. *Hugolinum.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXVII pag.* 759.

Anno 1392 Die 23 Februarii.

Cœnobii Wiborch (1) fundandi facultas.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

XXVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Provincię Dacię, Ordinis Fratrum Pręicatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę veſtrę Religionis; ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, in his pręſertim, quę divini cultus, & veſtri Ordinis augmentum reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio pro parte cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Margaritę (3) Dacię (4), & Norwegię Reginę illuſtris, nobis nuper exhibita continebat, quod in Diœceſi Aboenſi, Regni Swecię, eſt quoddam ſolemne Caſtrum Wiborch nuncupatum, cum terra, ſeu oppido circa ipſum Caſtrum, quę quidem Terra, Caſtrum, ſeu Oppidum, & Chriſti fideles in eis degentes propter vicinitatem Rutenorum, & aliarum Infidelium Nationum, ipſorum Rutenorum & Infidelium incurſibus ſępius moleſtantur, & propterea eadem Regina vehementer affectat, quod in dicta Diœceſi prope Wiborch, ſeu in Terra, vel Oppido prędictis, aliquis locus Fratrum veſtri Ordinis pro conſolatione, & animarum ſalute dictorum fidelium, ac divini cultus augmento, ad honorem, & ſub vocabulo B. M. Virginis, & omnium Angelorum fundetur, & etiam conſtruatur. Quare pro parte dictę Reginę nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis recipiendi, ac fundandi, & conſtruendi, inibi locum hujuſmodi, qui vobis, & dicto etiam Ordini legitime acquiratur, cum Eccleſia, ſeu Oratorio, Cęmeterio, Campanili, Campana, & hortalitiis, Domibus, aliiſque neceſſariis officinis, licentiam concedere, de benignitate apoſtolica, dignaremur. Nos igitur qui hujuſmodi cultus, & Religionis augmenta ferventer appetimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis recipiendi, fundandi, & conſtruendi locum ipſum, in loco tamen ad hoc congruo & honeſto, pro uſu & habitatione prędictis fel. rec. Bonifatii PP VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua inhibetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, Caſtro, vel Villa locum ad habitandum recipere de novo pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & quibuſcunque aliis Conſtitutionibus contrariis nequaquam obſtantibus, jure tamen Parochialis Eccleſię in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate apoſtolica, tenore pręſentium licentiam elargimur. Vobis nihilominus concedentes, quod Fratres veſtri Ordinis in ipſo loco, poſtquam fundatus, & conſtructus extiterit, pro tempore moraturi, gaudeant omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, libertatibus, & gratiis, quibus alii Fratres dicti Ordinis, ex conceſſione Apoſtolica gaudent, & etiam potiuntur. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis &c. Datum Romę apud S. Petrum VII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Margaritæ Daciæ, & Norwegiæ Reginæ ſupplex petitio.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

1. *Wiborch.*) *Viburgenſis*, in *Jutia* Boreali. Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. X ad annum MCCCXCIII pag.* 260.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 274. Hujuſce *Conſtitutionis* meminit *Fontana* mox *laudatus.*

3. *Margarita.*) Regis *Aquini* conjugis, filiæ *Valdemari III*, Regis *Daniæ.*

4. *Dacia.*) Ingens eſt *Europæ* regio, in *Tranſylvaniam, Moldaviam*, & *Valacchiam* diviſa.

Anno 1392 Die 10 Martii.

F. Jacobus (1) Buthem Eccleſiæ Conſtantianenſi præficitur,

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Buthem, electo Conſtantianen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines varias, quibus aſſidue premimur, illa potiſſime pulſat & excitat mentem noſtram, ut ſtatus Eccleſiarum omnium curę noſtrę divina providentia commiſſarum ſpiritualiter & temporaliter augeat, quodque illis, quę ſuis deſtitutę Paſtoribus, vacationis incommoda deplorare noſcuntur, tales miniſtros pręficere ſtudeamus, per quorum regimen Eccleſię ipſę utiliter, & ſalubriter valeant gubernari.

Dudum

Dudum ſiquidem bonę memorię Nicolao Epiſcopo Conſtantianenſi regimini Conſtantianenſis Eccleſię prę-ſidente Nos cupientes eidem Eccleſię, cum ipſam vacare contingeret, utilem, & idoneam per Apoſtolicę Sedis providentiam preeſſe perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prędicta Eccleſia per obitum dicti Nicolai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędit um, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię de dictorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod prę fata Eccleſia ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente divina, proſpere & ſalubriter dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, ad prę ſatam Eccleſiam accedas, & perſonaliter reſideas in eadem, quodque Pontificialia officia extra Civitatem, & Diœceſim Conſtantianenſem nequeas exercere. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram, ac Sedis prędictę benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. F. Jacobus fit Epiſcopus.

1. *Jacobus*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXII fol.* 64.

Indulgentiam elargitur, ut Ædes Sacræ, Cœnobiumque Ripen. (1) Ordinis Fratrum Prædicatorum renoventur. Anno 1392 Die 25 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXX.

ECcleſiarum fabricis manum porrigere adjutricem pium apud Deum & meritorium reputantes, frequenter Chriſti fideles ad impendendum Eccleſiis ipſis auxilium noſtris literis exhortamur, & ut ad id eo fortius animentur, quo majus ex hoc animarum commodum ſe ſperaverint adipiſci, nonnunquam pro his temporalibus ſuffragiis ſpiritualia eis munera, videlicet remiſſiones, & Indulgentias elargimur. Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia loci Fratrum Ordinis Prędicatorum Ripen. libris, Calicibus, Crucibus, ornamentis, & paramentis a viginti annis proximis circa, per quoſdam malefactores ſpoliata fuerit, ipſeque locus ex tunc deſtructus, & quaſi deſolatus remanſerit, ac idem locus, & Eccleſia reparatione non modica indigere noſcantur in eorum neceſſariis officinis; Nos, cupientes, ut Eccleſia & locus prędicti debite reparentur, ac ipſa Eccleſia libris, Calicibus, Crucibus, & ornamentis, & paramentis congrue juvetur, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui manus porrexerint adjutrices, duos annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem (3). Dat. Romę apud S. Petrum VIII Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Exordium. Indulgentia.

1. *Ripen.*) In *Cimbrica Cherſoneſo*, ad oram maris *Germanici*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 80.

3. *Autem &c.*) Ut in *Diplomate dato VIII Decembris MCCCLXXXIX* ad finem uſque.

F. Henricus (1) Nonii Epiſcopus Ardakadenſis creatur. Anno 1392 Die 29 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico Nonii Electo Ardakaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXI.

DIvina diſponente Clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula, licet immeriti, conſtituti, ad univerſas orbis Eccleſias aciem noſtrę conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis perpenſius cogitare nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor Exordium.

noſtrum

noſtrum Paſtores pręficiantur idonei, qui ſciant commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam, & providentiam circumſpectam, ſalubriter dirigere, & informare, ac bona Eccleſiarum ipſarum nedum gubernent utiliter, ſed multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem bonę mem. Carolo Epiſcopo Ardakaden. regimini Eccleſię Ardakaden. pręſidente, Nos cupientes ipſi Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię diſpoſitioni & ordinationi noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Caroli Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad
F. Henricus Epiſcopus renunciatur. proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis; ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam hujuſmodi cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum, ad te, Ordinis Fratrum Pręedicatorum Profeſſorem, Capellanum noſtrum, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; Curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Henricus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXII fol. 95.*

Anno 1392 Die 21 Maii.

Ut Angliæ Provincia Fratrum Prædicatorum, ſicut ceteræ, Generali Magiſtro morem gerat (1).

Ex Arch. (2) Ordinis.

XXXII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. INter Religiones alias, quas cęleſtis Agricola ſua benignitate in horto plantavit Eccleſię, ad Ordinem Fratrum Prędicatorum ſincerum gerentes caritatis affectum, ad ea libenter intendimus, per quę ipſorum Fratrum, & Profeſſorum dicti Ordinis, quieti conſulamus, & ſubmoveamus obſtacula, per quę obedientię bono detrahitur, & ipſorum Fratrum Religio naufragatur, potiſſime, ut quietius Fratres ipſi in
Hujus Diplomatis cauſa. vocatione, qua vocati ſunt, animas Deo lucrifaciant, & bravium, propter quod certatim currunt in ſtadio, conſequi mereantur. Sane nuper quorundam fide dignorum relatione, non abſque mentis perturbatione, cognovimus, quod Fratres Ordinis Prędicatorum in Provincia Anglię, juxta morem dicti Ordinis conſtituti, non advertentes, quod capiti obſequi membra teneantur, quodque ad perſiſtentiam totius partium integritas requiratur, jam pretextu cujuſdam olim (3), quam quidam ex ipſis pretendunt fore per bonę mem. Nicolaum (4) tit. S. Ciriaci Presbyterum Cardinalem, ex commiſſione, & delegatione fel. rec. Urbani PP. VI, Prędeceſſoris noſtri, approbatam, quam etiam quarundam aliarum ordinationum, ſeu formarum in eorum Provincialibus Capitulis poſtea de facto editarum, quę utique in Romani Pontificis, qui ca-
Romanus Pontifex Caput & Moderator eſt omnium Religionum, ſeu Ordinum. put, & moderator eſt Religionum omnium, & ejus auctoritatis, & poteſtatis, quas in, & ſuper ipſum Ordinem, & ejus Profeſſores habet, & etiam contra prędicti Ordinis inſtituta, necnon Generalis Magiſtri pro tempore Ordinis prefati, & ejus juriſdictionis diminutionem cedunt, & inſtitutis eiſdem obviant evidenter, ſe ab obedientia Sedis Apoſtolicę, & Generalis Magiſtri prędicti Ordinis pro tempore exiſtentis, quodammodo ſubtraxerunt, & ſubtrahunt, ita quod ab aliis Profeſſoribus dicti Ordinis exiſtentibus in aliis Provinciis quoad regularem obſervantiam, ſeu obedientiam dicti Ordinis ſeparati videntur, & exinde in eodem Ordine ſcandala, & inconvenientia plurima ſunt ſecuta, & exoriri pejora veriſimiliter prę-
Mandatum. ſumuntur quotidie, niſi ſolicitudo noſtra appoſite provideat in pręmiſſis. Nos igitur, attendentes, quod ipſos Fratres, quos catholicę fidei ſovet integritas, decet uniformiter vivere juxta inſtituta prędicta, & ut inter eos nullius varietatis involucrum vendicet ſibi locum, necnon huic morbo suo tempore ſuo, ne putrefactus demum fomenta medicinę reſpuat, obviare, ac, ne ipſi Fratres prędictę Provincię de cetero diſcrepare videantur a capite, ſalubriter providere volentes, ex certa ſcientia, omnes hujuſmodi, & quaſcunque alias ordinationes, formas, & ſtatuta per eoſdem Fratres dictę Provincię in Capitulis hujuſmodi, ſeu alias qualitercunque hactenus edita, etiam juramento, ſeu prędictis, aut quibuſcunque Apoſtolicis confirmationibus, ſive privilegiis, vel indultis, ſeu firmitatibus aliis qualitercunque vallata, quę omnia pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, ſi &.....(5) canonice, & dicti Ordinis obviant regularibus inſtitutis eiſdem, aut in perniciem, ſeu diminutionem poteſtatis noſtrę, vel Sedis Apoſtolicę, ſeu etiam dicti Magiſtri Generalis pro tempore exiſtentis exercitii juriſdictionis in Fratres antedictos
cedere

cedere videantur ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium revocamus, ac prorſus de medio tollimus, & nullius eſſe decernimus roboris, vel momenti; & inſuper auctoritate Apoſtolica ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod ipſi Fratres Provincię prędictę, ſub excommunicationis pęna, quam alias ipſos ex eis, qui contrafecerint in hac parte, incurrere volumus, eo ipſo, in omnibus, & per omnia ipſi Magiſtro pro tempore exiſtenti ſubeſſe, ipſius mandatis, ordinationibus, & monitionibus juxta inſtituta prędicta, necnon literis tam juſtitię, quam gratię per eum conceſſis, & concedendis quibuslibet Fratribus dictę Provincię pro tempore, aut aſſignationum, ſive promotionum, vel quarumcunque conceſſionum juxta morem prędictum obedire, & obtemperare, necnon inſtitutis, & obſervantiis hujuſmodi ſe conformare, eaque obſervare abſque contradictione, & diminutione qualibet debeant ad inſtar aliorum Fratrum Ordinis prędicti, extra Provinciam Anglię commorantium, juxta morem antedictum. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę revocationis, conſtitutionis, ſtatuti, ordinationis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Gerat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.* In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXV fol.* 79.
3. *Olim.*) Legerem *Ordinationis.*
4. *Nicolaum.*) Fratrem, ſcilicet, *Nicolaum Caracciolum*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Urbani VI.*
5. *Et .....*) Nonnihil hic deſideratur.

Ut Altare Majus Cœnobii Fratrum Prædicatorum Ripen. (1) reficiant, Fidelibus Indulgentiam concedit.

Anno 1392 Die 30 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXIII.

Licet is de cujus munere venit (3) &c. Cupientes igitur, ut Altare majus Eccleſię Fratrum Ordinis Prędicatorum S. Catharinę Ripen., Dięceſis, quod propter ruinas murorum dictę Eccleſię in publico quaſi remanſit, & totaliter devaſtatum eſt, congruis honoribus frequentetur, & etiam reparetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad idem Altare, & ad ejus reparationem, necnon pro luminariis, paramentis, ornamentis, libris, calicibus, & imaginibus, manus eo promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in feſto Dedicationis ejuſdem pręfatum Altare devote viſitaverint annuatim, & ad ejus reparationem, necnon ad hujuſmodi luminaria, paramenta, ornamenta, libros, calices, & imagines, manus porrexerint adjutrices, duos annos, & duas quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem (4) &c. Datum Romę apud S. Petrum III Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Indulgentia.

1. *Ripen.*) In *Cimbrica Cherſoneſo.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CI fol.* 202.
3. *Venit &c.*) Ut in *Diplomate dato VIII Decembris MCCCLXXXIX* ad hæc uſque verba: *Gratiæ aptiores.*
4. *Autem &c.*) Ut in eodem ad finem uſque.

Indulgentiis donat viſitantes Altare B. Mariæ ſitum in Ædibus Sacris FF. Prædicatorum de Lanzhut (1).

Anno 1392 Die 22 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti Fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXXIV.

Licet is &c (3) Cupientes igitur ut Altare B. Marię, ſitum in Eccleſia Fratrum Ordinis Prędicatorum in Lanzhut (4), Friſingen. Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut ipſi fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad illud, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem cęleſtis dono gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, ac Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, ac Dedicationis ipſius Altaris feſtivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. M. Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, ac Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, feſtivitatum octavas, ac per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, prędictum Altare devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatum duos annos, & duas quadragenas, octavarum vero & ſex dierum prędictorum diebus, quibus Altare pręfatum viſitaverint, & adjutrices manus porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum XI Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Indulgentia.

1. *Lanshūt.*) Seu *Landiſhutan.* Cœnobium iſtud juris eſt Provincialis *Saxoniæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXVII fol.* 175.

3. *Licet iis &c.*) Quæ hic deſunt habes in *Diplomate Anno VIII Decembr. MCCCLXXXIX.*

4. *Friſingen.*) In *Bavaria ſuperiori*,

Anno 1392 Die 15 Septembris.

Monialibus Monaſterii S. Spiritus Peruſin. Ordinis S. Benedicti, ut ad Monaſterium S. Mariæ de Virginibus, & Ordinem Fratrum Prædicatorum ſe transferant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

HIs, quę divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter intendimus, & ut ope noſtrę proviſionis Monaſteria & pia loca, necnon & perſonę divinis obſequiis mancipatę in eiſdem detrimenta non ſubeant, apponimus diligentię noſtrę partes. Dudum ſiquidem pro parte, dilectarum in Chriſto filiarum Abbatiſſę Sancti Spiritus Peruſin., & Prioriſſę Monialium S. Marię de Virginibus Peruſin. per Prioriſſam ſoliti gubernari ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, S. Benedicti, & S. Auguſtini Ordinum, & Conventuum dictorum Monaſteriorum, expoſito fel. rec. Urbano PP. VI Prędeceſſori noſtro, quod dictum Monaſterium S. Spiritus, quod dilectis filiis Abbati, & Conventui Monaſterii S. Marię de Forneto Cortonenſis Dięceſis dicti Ordinis S. Benedicti, immediate ſubjectum exiſtit, propter guerras & armigerarum gentium incurſus, ac peſtes, quę in illis partibus viguerant, in ſuis facultatibus, & bonis ipſis temporalibus adeo diminutum eſt, & collapſum erat, quod dictę Abbatiſſę & Conventus ipſius Monaſterii S. Spiritus de facultatibus & bonis ipſis nequibant congrue ſuſtentari, & incumbentia eis onera ſupportare, & quod in ipſo Monaſterio S. Spiritus propter premiſſa, necnon ex eo quod Monaſterium ipſum ſalubriter rectum, ac in capite & in membris per Superiorem correctum & reformatum non fuerat, non vigebat quandoque obſervantia regularis in ipſo, multa ſcandala erant exinde ſecuta. quodque ſi S. Spiritus, & S. Marię de Virginibus Monaſteria prędicta inſimul unirentur, ex hoc etiam ſtatus earundem Abbatiſſę & Conventus Monaſterii S. Spiritus relevari, & earum inopię ſubveniri. ac in eodem Monaſterio regularis obſervantia veriſimiliter reformari, ſperabant; idem Prędeceſſor

Libellus ſupplex datus Urbano VI, ut utriuſque Monaſterii, cum Ordinis S. Benedicti, cum Ordinis S. Dominici Moniales habitarent ſimul.

Monialium preces audit Urbanus VI.

Abbatiſſę & Prioriſſę, ac Conventus prędictarum petitionibus annuens in ea prętati S. Spiritus, & S. Marię de Virginibus Monaſteria prędicta, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, auctoritate apoſtolica, inſimul per ſuas literas perpetuo incorporavit, annexuit, & univit, ita quod tunc eſſent duo Conventus, & quodlibet Monaſteriorum ipſorum ſua privilegia retineret, ſicut prius, & hujuſmodi Abbatiſſa, & Prioriſſa, ac Conventus retinerent, & ſervarent earum Regulas, prout in antea ſervaverant; annuo cenſu unius libre cerę prędictis Abbati, & Conventui Monaſterii S. Marię de Forneto, quam ipſi ab eiſdem Abbatiſſa & Conventu Monaſterii S. Spiritus recipere conſueverant, per eaſdem Abbatiſſam, & Conventum Monaſterii S. Spiritus pro tempore perſolvendo, nihilominus reſervato, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte earundem Abbatiſſę, Prioriſſę, & Conventuum S. Spiritus, & S. Marię de Virginibus Monaſteriorum prędictorum, petitio continebat, ne prędicta unio, quę nondum effectum plene ſortita exiſtit tam propter diverſitatem Ordinum prędictorum, & obſervantiarum regularium in Monaſteriis ipſis, quam alias ſatis inconveniens exiſtat, & dubitetur, quod ſit diſcordiarum & ſcandalorum perducina (3) multorum, niſi Sedes Apoſtolica opportune provideat ſuper illo; pro parte prędictarum Abbatiſſę, Prioriſſę, & Conventuum S. Spiritus, & S. Marię Monaſteriorum fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut dictum Monaſterium S. Spiritus cum ſuis poſſeſſionibus & bonis mobilibus, & immobilibus, ac fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, & actionibus univerſis. necnon ejus Abbatiſſam, & Conventum antedictas, ad dictum Monaſterium S. Marię de Virginibus transferre, ita quod de cetero ipſa Abbatiſſa, & dilectę in Chriſto filię Moniales prędicti Monaſterii S. Spiritus ipſum Monaſterium dimitterent, & ad dictum Monaſterium B. Marię de Virginibus tranſire, ac regularem profeſſionem per eaſdem Moniales dicti Monaſterii S. Marię de Virginibus emitti conſuetam emittere, & inibi ſub eadem obſervantia regulari, quę in eodem Monaſterio S. Marię de Virginibus habetur, Domino famulari poſſent, ita quod S. Marię de Virginibus, ac S. Spiritus Monaſteria prędicta unum Conventum de cetero facerent, qui per Prioriſſam dicti Monaſterii S. Marię de Virginibus pro tempore exiſtentem duntaxat regi debeat, ac concedere, cum reſervatione dicti cenſus annui, eiſdem Abbati, & Conventui prędicti Monaſterii S. Marię de Forneto, per eaſdem Prioriſſam & Conventum dicti Monaſterii de Virginibus, pro tempore perſolvendi, & alias in prę miſſis ſalubriter ſtatui eorundem Monaſteriorum providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur attendentes, quod prędicta unita Monaſteria ſub diſparitate habituum, & Religionum hujuſmodi apte regi nequeant, ac ipſis ſcandalis obviare volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prędictum Monaſterium S. Spiritus cum perſonis degentibus in eodem, ac hujuſmodi poſſeſſionibus, actionibus, juribus, bonis, fructibus, redditibus, & proventibus, a dominio & poteſtate dictorum Abbatis, & Conventus Monaſterii de Forneto, auctoritate apoſtolica, tenore preſentium, abſolvimus, & etiam liberamus, ac hujuſmodi poſſeſſiones, jura, actiones, bona, necnon fructus, redditus, & proventus, cum emolumentis, & pertinentiis ſuis univerſis, ad dictum Monaſterium S. Spiritus qualitercunque ſpectantibus, prędicto Monaſterio S. Marię de Virginibus, auctoritate apoſtolica perpetuo, & pleno jure appropriamus, ſubiicimus, & donamus, ac volumus, & auctoritate prędicta decernimus, quod prędictę Abbatiſſa & Moniales ejuſdem Monaſterii S. Spiritus, ad idem Monaſterium S. Marię de Virginibus auctoritate prędicta, ſuper hoc alicujus licentia, ſeu conſenſu minime requiſitis, tranſire, & hujuſmodi profeſſionem per eaſdem Moniales dicti Monaſterii B. Marię de Virginibus, ut prefertur, emitti conſuetam emittere, & de cetero ibidem cum

Altera ſupplex petitio incommoda hinc inferenda prævertit.

Decernit ut ſupra.

cum eiſdem Prioriſſa & Conventu dicti Monaſterii B. Marię de Virginibus, & in ipſo Monaſterio Sanctę Marię de Virginibus juxta inſtituta prędicta vivere, ac converſari, ac ibidem caritative tractari, necnon eundem habitum, quem ipſę Prioriſſa & Moniales prędicti Monaſterii S. Marię de Virginibus geſtant, etiam geſtare, & poſtquam ipſę Abbatiſſa, quę nunc eſt, & Moniales ejuſdem Monaſterii S. Spiritus ad dictum Monaſterium S. Marię de Virginibus tranſiverint, & profeſſionem inibi emiſerint antedictam, tam ipſę, quam etiam prędictę Moniales ejuſdem Monaſterii S. Marię de Virginibus dumtaxat unicum Conventum de cetero facere, qui per Prioriſſam pro tempore dicti Monaſterii S. Marię de Virginibus regi debeat, & eiſdem Abbatiſſę, & omnibus earundem Monialium dicti Monaſterii S. Spiritus, poſtquam profeſſionem hujuſmodi emiſerint in eodem Monaſterio S. Marię de Virginibus, ut pręfertur, de communibus ipſius Monaſterii S. Marię de Virginibus proventibus, ſicut aliis Monialibus hujuſmodi ejuſdem Monaſterii S. Marię de Virginibus, congrua debeat integra portio miniſtrari: ita tamen quod Prioriſſa prędicta, & Conventus dicti Monaſterii S. Marię de Virginibus hujuſmodi libram cerę pręfato Abbati & Conventui prędicti Monaſterii S. Marię de Forneto annuatim ſolvere ſint aſtrictę, quodque & Cęmeterium ejuſdem Monaſterii S. Spiritus, in qua quidem congruo (4) pro divinis celebrandis officiis, unus Presbyter, cui de fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi prędicti Monaſterii S. Marię de Virginibus prędictę Prioriſſa, & Conventus ejuſdem Monaſterii S. Marię de Virginibus ante omnia portionem congruam, de qua decenter ſuſtentari, & incumbentia ſibi onera ſupportare valeat, debeant aſſignare, ad profanos uſus velut hereditas, immo transferatur (5). Non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Statutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinum prędictorum contrariis, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacunque firmitate alia vallatis, necnon quibuſcunque privilegiis, indulgentiis, ac literis apoſtolicis ſpecialibus, vel generalibus quorumcunque tenorum exiſtant, dictis Monaſteriis, & Ordinibus conceſſis per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſubjectionis, donationis, voluntatis, & ſtatuti infringere. Datum Romę apud S. Petrum XVII Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

1. *Transferant.*) Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCXCII pag.* 258.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXI fol.* 186. Ejuſdem Diplomatis meminit *Fontana* mox laudatus.

3. *Perducina.*) *Producivo.*

4. *Congruo.*) Turbatus locus.

5. *Transferatur.*) Sic legerem: *Proviſo quod ad profanos uſus, velut hereditas minime transferatur.*

F. Johannes (1) Sproton Epiſcopus Sodorenſis conſtituitur.

Anno 1392 Die 27 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Sproton, Electo Sodoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Apoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis, nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini pręſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti corde reddimur & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, gubernare. Sane Eccleſia Sodoren. dudum Paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos hodie venerabilem Fratrem noſtrum Johannem Donkan Cathaden., tunc Sodoren. Epiſcopum, licet abſentem, a vinculo, quo ipſi Sodoren. Eccleſię, cui tunc pręerat, tenebatur de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine abſolventes, eum ad Eccleſiam Cathaden., tunc vacantem, duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, pręficiendo eum eidem Cathaden. Eccleſię in Epiſcopum, & Paſtorem, Nos ad proviſionem ipſius Sodoren. Eccleſię celerem, & felicem, ne longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis, intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Sodoren. Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitę ac morum honeſtate, ac aliis probitatis, & multiplicium virtutum meritis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus, ob tuorum exigentiam accepta meritorum eidem Sodoren. Eccleſię de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Sodoren. Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, Sodoren. Eccleſia ſub tuo felici regimine proſpere, & ſalubriter dirigetur & grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, feliciter, & prudenter, quod ipſa Sodoren. Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium benevolentię noſtrę ac Sedis prędictę gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Fr. Johannes Sproton ſuccedit Johanni Donkan.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXII fol.* 61.

Anno 1392 Die 10 Novembris.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii FF. Prædicatorum in Scolpe, Caminenſis (1) Diœceſeos.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SPlendor Paternę &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Pręedicatorum Ordinis in Scolpe, Caminen. Dięceſis, in qua, ut aſſeritur, multę Reliquię Sanctorum ſunt reconditę, & ad quam propter devotionis fervorem magna populi confluit multitudo, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad illam, quo ex hoc ibidem uberius dono cęleſtis gratię conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, ac Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię, & Nativitatis S. Johannis Baptiſtę, & dictorum Apoſtolorum Petri & Pauli, ac Dedicationis ejuſdem Eccleſię feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon prędictarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, & Nativitatis S. Johannis, & Apoſtolorum prędictorum feſtivitatum Octavas, ac ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, quinque annos & totidem quadragenas, Octavarum vero & ſex dierum prędictorum diebus, quibus pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Dat. Romę apud S. Petrum IV Idus Novemb., Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Indulgentia.

1. *Caminenſis.*) In *Pomerania ulteriori.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro XLII fol.* 160.

3. *Paterna &c.*) Quæ hic deſunt habes in *Conſtitutione XI.*

Anno 1393 Die 2 Januarii.

Indulgentias elargitur viſitantibus Ædes ſacras FF. Prædicatorum Sanctæ Trinitatis juxta Sariſberiam (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet is, de cujus munere venit, ut ſibi a fidelibus &c (3). Cupientes igitur ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Sanctę Trinitatis Deſſicharton juxta Civitatem Sariſburen., in qua quidem Eccleſia quoddam Altare ſub vocabulo SS. Petri Martyris & S. Annę fundatum eſt, & ob cujus S. Petri devotionem ad eandem Eccleſiam magna confluit Populi multitudo, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius hujuſmodi devotionis cauſa confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in feſto ejuſdem S. Petri Martyris prędictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, duos annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Dat. Peruſii IV Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Sariſberiam.*) Vulgo *Saleſbury*, & *Sariſbury*, in *Anglia.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXVII fol.* 174.

3. *Fidelibus &c.*) Ut in *Conſtitutione V.*

Anno 1393 Die 5 Januarii.

Provinciali, & Fratribus Ordinis Prædicatorum Provinciæ Lombardiæ, ut Montis Regalis (1) Cœnobium alio poſſint transferre.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIX. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali & Fratribus Ordinis Prędicatorum Provincię Lombardię Superioris, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę veſtrę Religionis, ſub qua devotum & ſedulum redditis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod vos certis rationabilibus cauſis deſideratis Domum veſtram, extra Muros Montis Regalis de licentia Sedis Apoſtolicę noviter fundatam & conſtructam, infra ipſam Civitatem Montis Regalis transferre. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis dictam Domum ad ipſam Civitatem transferendi, & mutandi, ac in eadem Civitate

Supplex Fratrum petitio.

pro

pro uſu & habitatione cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi aliam Domum de novo, & ędificandi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis pręfatam Domum infra dictam Civitatem, ad locum ad hoc congruum & honeſtum transferendi, ipſamque inibi de novo ędificandi, & conſtruendi cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium Domos, vel loca quęcunque de novo recipere, ſeu recepta mutare valeant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam elargimur; Proviſo, quod Eccleſia, & cęmeterium dictę Domus ędificatę ad profanos uſus velut hereditas minime transferantur. Nulli ergo &c. Dat. Peruſii Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Conceſſio.

Sanctio pœnalis.

1. *Montis Regalis.*) In *Pedemontio*. Juris eſt Provinciæ Sancti *Petri Martyris*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXVII fol.* 187.

Indulgentias impertitur, ut Chriſti fideles auxilio ſint Fratribus ad Montis Regalis Cœnobium denuo conſtruendum (1).

Anno 1393 Die 5 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XL.

Eccleſiarum & aliorum piorum locorum fabricis manum porrigere adjutricem pium apud Deum, & meritorium reputantes, frequenter Chriſti fideles ad impendendum Eccleſiis, & locis ipſis auxilium noſtris literis exhortamur, &, ut ad id eo ferventius animentur quo magis ex hoc animarum commodum ſe ſperaverint adipiſci, nonnunquam pro his temporalibus ſuffragiis ſpiritualia eis munera, videlicet Indulgentias & remiſſiones elargimur. Hodie ſiquidem dilectis filiis Priori Provinciali Provincię Lombardię Superioris, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, ſecundum morem dicti Ordinis, eorum Domum noviter extra muros Montis Regalis de licentia Sedis Apoſtolicę conſtructam infra Civitatem Montis Regalis mutandi, & de novo conſtruendi per alias noſtras literas (3) licentiam duximus concedendam. Cum itaque, ſicut accepimus, ipſi Prior & Fratres propoſuerint, hujuſmodi Domum juxta hujuſmodi licentiam per Nos eis conceſſam infra eandem Civitatem de novo conſtruere, quod ſine fidelium ſubſidiis minime facere poſſunt, Nos cupientes, quod hujuſmodi Domus in Civitate ipſa decenter conſtruatur, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur in Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis ad conſtructionem pręfatam velitis pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogare, ut per ſubventionem veſtram hujuſmodi Domus ipſa decenter conſtrui valeat, voſque per hęc, & alia bona, quę, Domino inſpirante, feceritis, poſſitis ad ęterna felicitatis gaudia pervenire, Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad conſtructionem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices tres Annos & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Dat. Peruſii Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium.

Montis Regalis Cœnobium alio transfertur.

Indulgentia.

1. *Conſtruendum.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXVII fol.* 188.

3. *Literas.*) Præcedentes.

Ædes ſacras Monaſterii SS. Philippi & Jacobi Januen. (1) Ord. Fratrum Prædicatorum Die feſto S. Demetrii viſitantibus Indulgentiam impertitur.

Anno 1393 Die 5 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XLI.

Licet is, de cujus munere venit, ut ſibi &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Monialium SS. Philippi & Jacobi Januen., Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, in qua, ut aſſeritur, Reliquię S. Demetrii honorifice conſervantur, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ibidem ex hoc uberius dono cęleſtis gratię conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli, Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in ipſius S. Demetrii feſtivitate dictam Eccleſiam annuatim devote viſitaverint, duos Annos & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c (4). Datum Peruſii Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Indulgentia.

1. *Januen.*) In *Liguria*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXVII fol.* 185.

3. *Sibi &c.*) Ut in *Diplomate dato VIII Decembris MCCCLXXXIX* ad hæc uſque verba: *Gratiæ aptiores*.

4. *Autem &c.*) Ut in eodem ad finem uſque.

Monaſterii

Anno 1393 Die 20 Januarii.

Monaſterii (1) Corporis Chriſti Venetiis fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus, Abbatiſſę, & Conventui Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis Ordinis S. Benedicti, Caſtellan. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex petitio.

SInceręe, devotionis affectus, quem ad Nos, & Rom. Eccleſiam gerere comprobamini, promeretur, ut votis veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus: Hodie ſiquidem pro parte veſtra Nobis expoſito, quod cum Monaſterium veſtrum non haberet aliquos redditus, unde valeretis ſuſtentari, eſſentque in loco de Venetiis Caſtellan. Dięceſis nonnullę Virgines, & Viduę cupientes in aliquo Monaſterio Monialium Ord. S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Pręedicatorum, viventium ſub perpetua clauſura, ubi nulli Regularium, vel Secularium perſonarum quovis modo, pręterquam temporibus, vel caſibus a jure permiſſis, intrare liceret, ſub regulari habitu virtutum Domino famulari, & vivere in communi, ac vellent, & valerent de bonis eis a Deo collatis pręfatum Monaſterium Corporis Chriſti pro ſe, & vobis ſufficienter dotare, Nos venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Caprulen. noſtris dedimus literis in mandatis, ut poſtquam virgines, & viduę hujuſmodi dictum veſtrum Monaſterium ſufficienter dotaſſent, ut pręfertur, vobis necnon virginibus, & viduis pręedictis pręfatum Ordinem S. Auguſtini profitendi, ac ſub cura hujuſmodi, & ſecundum Inſtituta pręedicta vivendi, & abſque pręjudicio parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in dicto veſtro Monaſterio neceſſarias officinas conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, & in eis perpetuo remanendi, auctoritate noſtra licentiam largiretur; Et nihilominus eadem auctoritate ſtatueret, & ordinaret, ut poſtquam vos, necnon Virgines, & Viduę ſupradictę hujuſmodi Ordinem S. Auguſtini, vigore dictarum literarum, expreſſe profeſſę eſſetis, ut pręfertur, ipſum Monaſterium non S. Benedicti, ſed S. Auguſtini Ordinum pręedictorum per Prioriſſam, & non Abbatiſſam, ex tunc de cetero gubernandum perpetuo cenſeretur, quodque nulli Secularium, vel Regularium perſonarum, pręterquam temporibus, vel caſibus a jure permiſſis, dictum Monaſterium veſtrum intrare liceret, ac ipſe Epiſcopus Abbatiſſatum ipſius Monaſterii extingueret, ejuſque loco erigeret Prioratum, ita quod tam tu filia Abbatiſſa, quam etiam illę, quę tibi in regimine ipſius Monaſterii ſuccederent, ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus non Abbatiſſę ſed Prioriſſę nuncuparentur; & quod hujuſmodi Prioriſſa, necnon Moniales ejuſdem Monaſterii veſtri pro tempore exiſtentes ſub cura Fratrum hujuſmodi, & ſecundum Inſtituta pręedicta ſub perpetua clauſura vivere tenerentur, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, & indulgentiis uti, & gaudere valerent, quibus alię Moniales quorumcunque aliorum Monaſteriorum dicti Ord. S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta hujuſmodi viventes, ex indulto Sedis Apoſtolicę potirentur, ſeu potiri poſſent quoquomodo, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, nonnullę Moniales bonę famę, converſationis, & vitę, quorundam aliorum Monaſteriorum dicti loci de Venetiis, non ſub hujuſmodi clauſura, nec in communi viventes, deſiderent in aliquo alio Monaſterio ſub hujuſmodi clauſura Domino perpetuo famulari, ac vivere in communi, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis recipiendi ſex ex eiſdem Monialibus hujuſmodi aliorum Monaſteriorum, etiamſi fuerint arctioris obſervantię regularis, dummodo aliud canonicum non obſiſtat, in dicto veſtro Monaſterio in Moniales, & Sorores recipiendi, ipſiſque a ſuis Superioribus, licet nondum obtenta, petita licentia ad ipſum veſtrum Monaſterium tranſeundi, & inibi perpetuo remanendi, quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, nec non ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinum hujuſmodi contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Dat. Peruſii XIII Kal. Feb., Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Facultas.

P. de Boſco.

lx (3)
. . . . de Papia
P. Petra.

Pro. G. Cleers.

V. Dominic. V.

1. *Monaſterii.*) Cujus fundator fuit *B. Johannes Dominici*, ut conſtat ex ejuſdem Monaſterii Chronicis Mſs., & ex variis Epiſtolis ejuſdem noſtri *Beati*. Extant in Archivo Monaſterii *Corporis Chriſti*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo Monaſterii *Corporis Chriſti*.

3. *lx.*) De hujuſmodi ſignis conſulenda *Praefatio*.

Ut

Ut Epiſcopus Caprulenſis Moniales Ordinis noſtri in Monaſterii (1) Corporis Chriſti poſſeſſionem mittat.

Anno 1393 Die 20 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Caprulen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XLIII.

APoſtolicę Sedis circumſpecta benignitas circa gregem Dominicum ſuę curę commiſſum, & Eccleſiarum, ac Monaſteriorum profectum. prout ei ex debito Paſtoralis incumbit officii, diligenter proſpicit, & intendit, ac Eccleſiarum, & Monaſteriorum ipſorum ſtatum mutat, prout eorum neceſſitas requirit, cauſę ſuadent rationabiles, & ſalus Chriſti fidelium exigit animarum. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum, Abbatiſſę, & Conventus Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis Ord. S. Benedicti, Caſtellan. Dięceſis, petitio continebat, quod cum ipſum Monaſterium, in quo ipſa Abbatiſſa, & duę alię Moniales duntaxat degunt, habeat aliquos redditus, unde Abbatiſſa, & Moniales ipſę valeant ſuſtentari, ſintque in loco de Venetiis pręfatę Dięceſis nonnullę Virgines, & Viduę cupientes in aliquo Monaſterio Monialium Ord. S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium ſub perpetua clauſura, ubi nulli Secularium, vel Regularium perſonarum quovis modo, pręterquam temporibus, vel caſibus a jure permiſſis, intrare liceat, ſub regulari habitu virtutum Domino famulari, & vivere in communi, ac velint, & valeant de bonis eis collatis, pręfatum Monaſterium Corporis Chriſti pro ſe, & dictis Abbatiſſa, & aliis duabus Monialibus, ſufficienter dotare pro parte Abbatiſſę, & Conventus prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis, & Virginibus, necnon Viduis hujuſmodi pręfatum Ord. S. Auguſtini profitendi, ac ſub hujuſmodi cura, & ſecundum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum inſtituta pręfata, eo modo, quo dilectę in Chriſto filię Moniales Monaſterii S. Dominici Piſan., dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta hujuſmodi, ex indulto Sedis pręfatę viventes, vivere tenentur, vivendi, ac in dicto Monaſterio Corporis Chriſti perpetuo remanendi, & inibi neceſſaria ędificia conſtruendi, licentiam concedere, & quod ipſum Monaſterium Corporis Chriſti, non S. Benedicti, ſed S. Auguſtini Ordinum prędictorum de cetero cenſeatur, & teneri debeat, ſtatuere, & ordinare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus poſtquam Virgines, & Viduę hujuſmodi dictum Monaſterium Corporis Chriſti ſufficienter dotaverint, ut pręfertur, Abbatiſſę, & duabus aliis Monialibus, necnon Virginibus, & Viduis prędictis, pręfatum Ordinem S. Auguſtini profitendi, ac ſub cura hujuſmodi, & ſecundum Inſtituta prędicta vivendi, & abſque prejudicio Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in dicto Monaſterio Corporis Chriſti neceſſarias officinas conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, & in eo perpetuo remanendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris, & nihilominus eadem auctoritate ſtatuas, & ordines, quod poſtquam Abbatiſſa, & alię duę Moniales, necnon Virgines, & Viduę ſupradictę hujuſmodi Ordinem S. Auguſtini Ordinum prędictorum (3) per Prioriſſam, & non Abbatiſſam ex tunc de cetero gubernandum perpetuo cenſeatur, quodque nulli Secularium, vel Regularium perſonarum, pręterquam temporibus, vel caſibus a jure permiſſis, dictum Monaſterium Corporis Chriſti intrare liceat, ac Abbatiſſatum ipſius Monaſterii extinguas, ejuſque loco erigas Prioratum; ita quod tam dicta Abbatiſſa, quę nunc eſt, quam etiam illę, quę ſibi in regimine ipſius Monaſterii ſuccedent, ex tunc de cetero perpetuis futuris temporibus non Abbatiſſę, ſed Prioriſſę nuncupentur, & quod hujuſmodi Prioriſſa, necnon Moniales ipſius Monaſterii pro tempore exiſtentes, ſub cura Fratrum hujuſmodi, & ſecundum inſtituta prędicta ſub perpetua clauſura vivere teneantur, ac omnibus, & ſingulis privilegiis, & indulgentiis uti, & gaudere valeant, quibus pręfatę S. Dominici, & aliorum quorumcunque Monaſteriorum dicti Ordinis S. Auguſtini Moniales ſub cura, & ſecundum Inſtituta hujuſmodi viventes ex indulto Sedis prędictę potiuntur, ſeu potiri poſſent quoquomodo, Conſtitutionibus Monaſterii Corporis Chriſti, ac Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Dat. Peruſii XIII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Hujus Diplomatis causa.

Mandatum.

P. de Boſco.

Ix.

.... de Papſa.

Pro. G. Cleert.

P. Petra.

B. Serghos. V.

1. *Monaſterii.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Monaſterio *Corporis Chriſti*.

3. *Ordinem S. Auguſtini Ordinum prædictorum.*) Legendum videtur: *Ordinem S. Auguſtini profeſſæ fuerint, Monaſterium prædictum.*

Anno 1393 Die 24 Januarii.

F. Nicolaus (1) Staynecker Epiſcopus Varnenſis renunciatur.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

XLIV. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Staynecker Electo Varnen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SUſcepti cura regiminis cor noſtrum continua pulſat inſtantia, ut ſolicitudinis debitum, ad quod univerſis orbis Eccleſiis nos Apoſtolicę ſervitutis neceſſitas obligat, earum ſingulis, prout nobis ex alto conceditur, exſolvamus in eo potiſſime, ut illarum regimina, quę propriis ſunt deſtitutę Paſtoribus, perſonis talibus committantur, per quarum ſolertiam circumſpectam, & ſolertem circumſpectionem, Eccleſię ipſę in ſpiritualibus, & temporalibus valeant adaugeri. Dudum ſiquidem Johanne Epiſcopo Varnen. Johannes F. Nicolai deceſſor. regimini Varnen. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem & idoneam prępſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis, qui extra Roman. Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, F. Nicolaus fit Epiſcopus. cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum meritis apud Nos laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictarum exigentiam meritorum, accepta, ipſi Varnen. Eccleſię de prędictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod de eadem Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quam primum prędentes literas habueris expeditas ad pręfatam Eccleſiam Varnen. te transferas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Varnen. Pontificalia officia nequeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, ut Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium benevolentię noſtrę gratiam exinde uberius conſequi merearis. Dat. Peruſii IX Kal. Febr., Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *F. Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVIII fol.* 249.

Anno 1393 Die 4 Februarii.

Thetfordienſis (1) Cœnobii Ædes ſacras viſitantibus Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLV. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet is de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia S. Trinitatis Domus Fratrum Prędicatorum de Thetforde, Norwicen. (4) Diœceſis, a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi cauſa devotionis eo libentius ad illam confluant, & ad hujuſmodi conſervationem manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, necnon Pentecoſtes, & Nativitatis, Indulgentia. Aſſumptionis, Purificationis, & Annuntiationis B. Marię, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & dictorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac ejuſdem Trinitatis, & Dedicationis ipſius Eccleſię feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per earum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, ac Nativitatis S. Johannis Baptiſtę, & dictorum Apoſtolorum feſtivitatum octavas, & ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem porrexerint manus adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, duos Annos & totidem quadragenas, octavarum vero & ſex dierum prędictorum diebus, quibus Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & manus porrexerint, ut pręfertur, adjutrices, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Dat. Peruſii II Non. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

2. *Thetfordienſis.*) Vulgo *Thetford*, in *Anglia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXVII fol.* 112.

3. *Fidelibus &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX.*

4. *Norwicen.*) vulgo *Norwich*, in *Norfolciæ* Comitatu, in *Anglia*.

Lege,

Lege, qua S. Sedis Capellani Ordinis Prædicatorum Præpoſitis morem gerere, & rebus ſacris, ſicut & ceteri, operam dare tenentur, F. Walterum ſolvit (1).

Anno 1393 Die 15 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. XLVI.

DUdum, videlicet Octavo Idus inſtantis menſis, ex cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ricardi Regis Angliç illuſtris, & nonnullorum aliorum fide digna relatione, ad noſtrum auditum perducto, quod nonnulli Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſores, in Regno Angliç conſiſtentes, Sedis Apoſtolicç Capellani, immunitatibus, libertatibus, & privilegiis per eandem Sedem eis conceſſis abutentes, ſuis Superioribus obedire, & ab eis corrigi, ac divinis officiis, quibus erant, prout ſunt aſtricti, vacare recuſantes, aſſerebant, ſe prętextu libertatum, privilegiorum, & immunitatum hujuſmodi, Superioribus obedire, & divinis officiis hujuſmodi intereſſe, non teneri, Provincialibus & aliis Prioribus, ac Superioribus Domorum dictorum Fratrum ipſius Regni, in quibus degebant, & eorum mandatis obedire, ac hujuſmodi divinis officiis intereſſe, & ea celebrare recuſabant, licet eis de eleemoſynis, & aliis, quę ad ipſas Domos proveniebant, ſicut aliis earundem Domorum Fratribus non Capellanis hujuſmodi providebatur; Nos ad inſtar nonnullorum Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum per noſtras literas (3) ſtatuimus, & etiam ordinavimus, quod omnes, & ſinguli Fratres hujuſmodi Domorum prętati, qui dictę Sedis Capellani tunc eſſent, & in futurum fierent, ex tunc Prioribus & aliis Superioribus, eorum correctioni, & mandatis in omnibus, & per omnia obedire, eiſque ſubiici, ac hujuſmodi divinis officiis nocturnis, & diurnis intereſſe, ac ea celebrare tenerentur, & eſſent aſtricti, ac ſi prędictę Sedis Capellani non eſſent, prout in ipſis literis plenius continetur. Attendentes igitur ſinceram devotionem quam dilectus filius Walterus Sommirton, dicti Ordinis Profeſſor, Capellanus noſter, ad Nos, & Romanam gerit Eccleſiam, ac grata, & accepta ſervitia per eum hactenus Nobis, & Romanę Eccleſię impenſa, & quę ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtit, & propterea volentes eum favoribus proſequi gratioſis, ipſius in hac parte ſupplicationibus inclinati, ſtatutum & ordinationem noſtram prędictam, & eorum effectum, ad prędictum Walterum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium decernimus & volumus non extendi. Nulli ergo &c. Noſtrę Conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Dat. Romę apud S. Petrum Idibus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Fratres Prædicatores S. Sedis Capellani Præpoſitis morigerari, & non ſecus ac ceteri Fratres rebus ſacris operam dare tenentur.

Immunem facit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Solvit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar.* *Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXVIII fol.* 133.

3. *Literas.*) Deſiderantur hæ literæ.

F. Raymundo (1) S. Sedis Apoſtolicæ Nuncio, ut Cenſuris Eccleſiaſticos, Religioſos, & Laicos ſolvere poſſit.

Anno 1393 Die 17 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ord. lib. B. fol.* 472.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo de Vinea de Capua, Ordinis Prędicatorum Magiſtro Generali, & Apoſtolicę Sedis Nuncio, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XLVII.

CUm te ad Regnum Trinacrię pro nonnullis noſtris, & Romanę Eccleſię negotiis duxerimus deſtinandum, Nos, volentes tibi ea concedere, per quę ſaluti animarum perſonarum ipſarum partium ſalubriter valeas providere, tibi, hujuſmodi negotiorum proſecutione durante, quaſcunque tam Eccleſiaſticas Religioſas, & ſeculares, quam etiam laicales perſonas utriuſque ſexus ipſius Regni, cujuſcunque ſtatus, Religionis, vel conditionis fuerint, ab omni excommunicationis ſententia, quam ex eo quod manus violentas in Clericos, vel Presbyteros, aut alias perſonas eccleſiaſticas, ſeculares, & Regulares citra, vel uſque ad ſanguinis effuſionem, abſque tamen membri mutilatione, vel morte, injecerunt, incurrerunt, dummodo injuriam paſſis ſatisfecerint competenter, ipſęque perſonę injuriam paſſę Epiſcopi, vel Abbates, aut Superiores non fuerint, hac vice duntaxat, abſolvendi in forma Eccleſię conſueta, injunctiſque eis pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda; & nihilominus cum illis ex perſonis prędictis, quę Eccleſiaſticę fuerint, ſuper Irregularitate, ſi quam hujuſmodi ſententia ligatę celebrando divina, aut immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptum clavium, contraxerunt, eis prius ad tempus, de quo tibi videbitur, a ſuorum Ordinum executione ſuſpenſis, diſpenſandi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus poteſtatem. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Concedit ut ſupra.

1. *Raymundo.*) Beato, de quo ſæpius ſupra, & in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato *Venetiis* in Cœnobio *SS. Johannis & Pauli.*

Anno 1393 Die 1 Decembris.

Quæ, ut Inſtituta Fratrum Prædicatorum in uno ſaltem cujuslibet Provinciæ Cœnobio ad amuſſim ſerventur, ſanxit Frater Raymundus (1), firmat, & ne quis hujuſmodi Decreto intercedat, cavet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei memoriam.

Exordium.

APoſtolicę Sedis benignitas perſonas ſub Religionis obſervantia aſſiduo ſtudio pię vitę vacantes, & eorum, ac aliorum animas Deo lucrifacere cupientes, congruo favore proſequitur, ac his, quę ad eorum pium deſiderium conſequendum provide facta ſunt, ut illibata permaneant, libenter adhibet ſollicitudinis ſuę partes. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Raymundi, Magiſtri Ordinis Fratrum Prędicatorum, nobis expoſito, quod dudum, cum ipſe ſuum Ordinem viſitaret, reperiit inter cetera multos Fratres ejuſdem Ordinis devotionis fervore accenſos, & deſiderantes Regularem obſervantiam per B. Dominicum, & alios antiquos Fratres ejuſdem Ordinis ordinatam, obſervare, & quod ipſe conſiderans, quod dictorum Fratrum deſiderium ſalva conſcientia impedire non poterat, nec debebat, immo firmiter putabat ſe reum coram Deo, niſi eos adjuvaret, & promoveret ad perfectionem huiuſmodi eorum deſiderii tam laudabilis, per dilectum filium Fratrem Conradum de Pruſſia ejuſdem Ordinis Profeſſorem, virum utique vitę commendabilis, & famę laudabilis in partibus Alemanię incepti,

Quæ hac de re geſta ſunt, refert.

qui prędictos Fratres, ut pręfertur, ſic deſiderantes in Provincia Teutonię ſecundum conſuetudinem dicti Ordinis inceperat congregare, & jam in loco dicti Ordinis ſito in Columbaria Baſileen. Diçceſis circa triginta Fratres congregaverat, quibus idem Magiſter dictum Conradum prępoſuerat, qui Conſtitutiones dicti Ordinis integraliter obſervabant cum effectu, & adeo prędicationi Verbi Dei, & exemplo dicti B. Dominici virtuoſe inſiſtebant, quod de tota patria circumſtante, concurrebant homines ad audiendum doctrinam eorum, quam factis etiam virtuoſis informabant, quodque ipſe Raymundus, qui, ut aſſerebat, ipſum Ordinem per decem annos, & ultra gubernaverat, proponens hoc idem facere, ſeu ordinare in qualibet Provincia dicti Ordinis, videlicet quod in qualibet ex dictis Provinciis, eſſet unus locus dicti Ordinis, in quo regularis obſervantia dicti Ordinis ſecundum ſtatuta B. Dominici prędicti ſervaretur juxta tenorem prędictarum Conſtitutionum, de multorum Fratrum ejuſdem Ordinis conſilio &

Confirmatio.

aſſenſu, tam auctoritate officii ſui, quam Generalis Capituli dicti Ordinis tunc ultimo celebrati, ſibi commiſſa, per ſuas certi tenoris literas ordinaverat, ſtatuerat, decreverat, & mandaverat, quod infra annum a notitia literarum ſuarum hujuſmodi Priores Provinciales, ſeu Pręſidentes, & eorum quilibet in ſua Provincia ordinaret, & taliter faceret, quod in ſua Provincia eſſet unus locus deputatus ad hujuſmodi obſervantiam regularem, in quo poſſent adminus venire duodecim Fratres Ordinis pręlibati, qui dictas Conſtitutiones ſervarent, prout in dictis literis continetur. Et pro parte ipſius nobis ſupplicato, ut

Cavet ut ſupra.

ordinationes, ſtatuta, decretum, & mandatum hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta rata habere & grata, illaque auctoritate Apoſtolica confirmare, de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos ipſius Magiſtri in hac parte ſupplicationibus inclinati, ordinationem, ſtatuta, decretum, & mandatum prędicta, ac omnia & ſingula in prędictis literis contenta, quorum tenorem noſtris literis, & pręſentibus inſeri fecimus, rata habentes, & grata, illa per eaſdem noſtras literas confirmavimus, & ipſarum literarum patrocinio communivimus, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut nuper accepimus, nonnulli Fratres ejuſdem Ordinis ſalutis ęternę immemores, ac Dei timore poſtpoſito, nolentes intelligere, ut bene agant, & ſecum alios trahere in pręcipitium ſatagentes, quamvis ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandatum hujuſmodi per ſe obſervare deſidia, & inertia nolint, neque curent, verumtamen eam obſervari ab aliis non permittunt, & nonnullos Fratres ipſius Ordinis devotos volentes prędictam obſervantiam debite obſervare, multis frivolis, & exquiſitis coloribus ab hujuſmodi eorum laudabili propoſito in hac parte damnabiliter retrahunt, & paſſim removere conantur, & impediunt, quantum in eis eſt, quo minus ordinatio, ſtatutum, decretum, & mandatum

Decretum irritum faciens.

prędicta debitum ſortiantur effectum, & nihilominus ſe jactant, quod utique ordinabunt, & procurabunt pro poſſe, ordinationem, ſtatutum, decretum, & mandata prędicta, etiam in Generali ipſius Ordinis Capitulo in feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrando, per Definitores ipſius Capituli, juxta dicti Ordinis morem, facere revocari in ſuarum animarum periculum, ac in contemptum Sedis Apoſtolicę, & ſcandalum plurimorum; Nos, quorum intereſt, hujuſmodi pravis conatibus, evidenter ad perniciem tendentibus, ſalubriter congruis remediis obviare cupientes, ne morbus factus Chronicus fomenta poſtmodum deſpiciat medicinę, omnibus, & ſingulis Definitoribus juxta hujuſmodi morem Ordinis pręfati, tam pręſentibus, quam futuris, & etiam quibuslibet Fratribus ipſius Ordinis, & aliis cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, & conditionis exiſtant, diſtricte & ſub excommunicationis pęna, quam contrarium facientes auctoritate Apoſtolica incurrere volumus ipſo facto, inhibemus expreſſe, ne aliquem Profeſſorem ipſius Ordinis ob frugem melioris vitę hujuſmodi obſervationem regularem ſupradictam, prout pręmittitur, ſic provide, ſicque ſalutifere ordinatam, obſervare volentem perpetuis futuris temporibus aliquatenus publice, vel occulte, directe, vel indirecte, ac quovis quęſito colore impediant per ſe, vel alium, ſeu alios, aut ab hujuſmodi laudabili propoſito, ſcilicet obſervantię hujuſmodi retrahant, ſeu impediri, vel retrahi faciant, vel procurent quovis modo, nec ordinationem, ſtatutum, & mandatum prędicta, maxime cum id ad eos non pertineat, auſu temerario revocent, ſeu etiam contra eam aliquid attentent, aut attentare prępſumant, ſed ea potius, & quęcunque alia, augmentum plurium Conventuum in quibus etiam hujuſmodi obſervantia ſervetur, per ipſum Magiſtrum forſan ordinanda concernentia, ſi non virtutis amore pro ſe ad obſervantiam hujuſmodi forſitan inclinentur, nec ſint apti,

ſu-

ſaltem permittant ęquanimiter, ut expedit, per alios Fratres dicti Ordinis obſervari, ac ipſos Fratres eandem obſervantiam obſervantes, & obſervare volentes, juxta illud, quod in poteſtate hominum non ſunt qui Spiritu Dei ducuntur, in hujuſmodi eorum laudabili propoſito confoveant potius, & confirment, ſi divinam, & noſtram gravem offenſionem deſiderant evitare. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum, forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari, contra tranſgreſſores inhibitionis noſtrę hujuſmodi, ſi impedierint, gravius proceſſuri. Tenor vero dictarum literarum ipſius Magiſtri ſequitur, & eſt talis. Univerſis, & ſingulis Prioribus Provincialibus, ſeu Pręſidentibus in quibuſcunque Provinciis tam pręſentibus, quam futuris Ordinis Fratrum Prędicatorum, Frater Raymundus ejuſdem Ordinis humilis Magiſter & Servus, Salutem, & Chriſtum Dominum efficaciter imitari &c. (3) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Inhibitionis, Conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Tenor literarum Fratris Raymundi.

Sanctio pœnalis.

1. *Raymundus.*) Beatus, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*. Legendum *Diploma datum IX Januarii MCCCXCI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IV fol.262.* Legitur etiam *Lib. B. fol.470,* ex Autographo Venetiis aſſervato, apud *Caſtellanum Parte I pag.7,* & apud *Fontanam* in Libro, cui Titulus: *Conſtitutiones, Declarationes, & Ordinationes &c. Ordinis Prædicatorum pag.550 &c.*

3. *Imitari &c.*) Ut in dicto *Diplomate* ad finem uſque.

Anno 1393 Die 3 Decembris.

F. Nicolaus (1) Wenceslai Epiſcopus Nazarotenſis creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Wenceslai Electo Nazaroten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolatus Officium, quanquam inſufficientibus meritis nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini pręſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonę memorię Franciſco Epiſcopo Nazaroten. Eccleſię pręſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, poſtmodum vero pręfata Eccleſia, per obitum ejuſdem Franciſci Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, & ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupraſcriptis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum meritis apud nos laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & dictis Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod eadem Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſpere dirigetur, & grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas ad pręfatam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque Pontificalia officia extra Civitatem, & Dięceſim Nazaroten. exercere non poſſis. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram, & dictę Sedis gratiam & benedictionem uberius exinde conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium.

Franciſcus F. Nicolai deceſſor.

F. Nicolaus Epiſcopus conſtituitur.

1. *Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.XLV fol.51.*

Anno 1394 Die 16 Januarii.

Moniales Ordinis Prædicatorum in poſſeſſionem Eccleſiæ Parochialis S. Salvatoris Ulixbonen. (1) venire poſſe declarat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

L.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam.

Exordium.

APoſtolicę Sedis circumſpecta benignitas dubia quę ex literis Apoſtolicis interdum oriuntur ad evitandum litium anfractus, quę exinde veriſimiliter exoriri poſſunt, libenter, cum ad illam recurſus, habetur, dilucidat, & declarat. Dudum ſiquidem a venerabili Fratre noſtro Johanne Epiſcopo Portugallen. Nobis expoſitò, quod in Parochiali Eccleſia S. Salvatoris Ulixbonen., in qua unus Rector, & nonnulli perpetui Portionarii (3) inſtituti eſſe noſcebantur, & cujus quidem Rectoris ſuſtentatio, ac jus Patronatus ipſius Eccleſię ad Regem Portugallię pro tempore exiſtentem pertinebat, erat quędam Capella de novo fundata, & conſtructa, ac competenter dotata, de bonis quondam Johannis Stephani Militis, Patrui dicti Epiſcopi, in qua quidem Capella idem Epiſcopus, & nonnulli alii conſanguinei ſui, eccleſiaſticam propoſuerant eligere ſepulturam, quodque ipſe Epiſcopus ex devotionis fervore, & pro divini cultus augmento deſiderabat eandem Eccleſiam erigi in Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, quę ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum vivere deberent, maxime cum ad id cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis Portugallię & Algarbii Regis Illuſtris, accederet aſſenſus, ipſeque Epiſcopus de bonis ſibi a Deo collatis proponebat, cum ipſius Eccleſię, & perpetuarum Portionum in ea conſiſtentium, facultates ad ſuſtentationem Prioriſſę & Monialium, ac aliarum Perſonarum ejuſdem Monaſterii competenter non ſufficerent, Monaſterium ipſum ſufficienter dotare; Nos pręfato Epiſcopo, dummodo pręfati Regis accederet hujuſmodi aſſenſus, Eccleſiam prędictam, abſque tamen prejudicio Rectoris, & Portionariorum perpetuorum, qui tunc in dicta Eccleſia exiſtebant, erigendi in Monaſterium dicti Ordinis Sancti Auguſtini, ac in eodem Monaſterio, poſtquam erectum foret unam Prioriſſam, & condecentem Monialium numerum ordinandi, & inſtituendi; quę quidem Prioriſſa & Moniales ſub cura, & ſecundum Inſtituta dictorum Fratrum vivere deberent, & etiam portiones prędictas, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio, poſtquam erectum foret, ut pręfertur, uniendi. interponendi (4), & annectendi, ita quod cedentibus, vel decedentibus Rectore, & Portionariis prędictis, aut Eccleſiam, & portiones eaſdem, quarum omnium fructus, redditus, & proventus ſexcentarum librarum Turonen., valorem annuum ſecundum communem exiſtimationem, ut aſſerebatur, non excedebant, alias quomodolibet dimittentibus, liceret Prioriſſę & Conventui ejuſdem Monaſterii, Eccleſiam, & portiones prędictas, & earum corporalem poſſeſſionem libere apprehendere, & licite retinere, Dięceſani loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita; ac in dicto Monaſterio, poſtquam erectum foret, ut pręfertur, unam perpetuam vicariam, pro uno perpetuo Vicario inibi inſtituendo, qui curam Parochianorum dictę Eccleſię gerere deberet, inſtituendi, & ordinandi, ac eidem Vicarię de hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus congruam portionem alligandi, de quibus idem Vicarius congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare valeret, aſſignandi, & alia, quę circa pręmiſſa opportuna, ſeu neceſſaria forent, faciendi, ſtatuendi, & ordinandi, plenam & liberam per noſtras literas poteſtatem duximus concedendum, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dicti Epiſcopi petitio continebat, licet idem Epiſcopus habito prius aſſenſu dicti Regis pręfatam Eccleſiam in hujuſmodi Monaſterium erexerit, & in eo unam Prioriſſam, ac condecentem Monialium numerum, quę ſub cura, & ſecundum inſtituta hujuſmodi prędictorum Fratrum laudabiliter viverent, inſtituerit, ac Eccleſiam & portiones prędictas, cum ſimul, vel ſucceſſive, illas vacare contingeret, pręfato Monaſterio, prędictarum literarum vigore, incorporaverit, univerit, & annexuerit, & alias omnia & ſingula in dictis literis contenta, juxta ipſarum literarum formam adimpleverit, tamen nonnulli ex eo, quod in ipſis literis continetur, quod Rectore & Portionariis prędictis cedentibus, vel decedentibus, nec in eis habetur, quod ipſis cedentibus, vel decedentibus, aut Eccleſiam & portiones hujuſmodi alias quomodolibet dimittentibus, ſimul, vel ſucceſſive, revocaverunt, prout revocant, in dubium, an pręfatus Epiſcopus potuerit auctoritate earundem literarum modo pręmiſſo pręfatas Eccleſiam, & portiones eidem Monaſterio incorporaſſe, & an Rectore, ſeu aliquo, vel aliquibus ex portionariis prędictis, cedente, vel decedente, aut cedentibus, vel decedentibus, liceat Prioriſſę & Conventui dicti Monaſterii, portionis, ſeu portionum hujuſmodi poſſeſſionem apprehendere, niſi Rector & Portionarii ipſi ſimul cedant, vel decedant, aut donec omnes ceſſerint, vel deceſſerint. Quare pro parte Epiſcopi, & Prioriſſę ac Conventus hujuſmodi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc de opportunę declarationis gratia, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur litium anfractus, quę exinde veriſimiliter exoriri poſſent amputare volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, declaramus, noſtrę intentionis fuiſſe & eſſe, quod ſive Rector, & Portionarii pręfati ſimul, ſive ſucceſſive, cedant, vel decedant, aut Eccleſiam & portiones pręfatas alias quomodolibet dimittant, liceat Prioriſſę & Conventui pręfatis, Eccleſię & portionum hujuſmodi corporalem poſſeſſionem apprehendere, & perpetuo retinere; non obſtantibus omnibus quę in eiſdem literis voluimus non obſtare. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XVII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Hujus Diplomatis cauſa.

Epiſcopi Portugallen., & Monialium ſupplex petitio.

Declarat ut ſupra.

1. *Ulixbonen.*) Seu *Ulyſſipponenſis*, in *Luſitaniæ* Regno.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar.
3. *Portionarii*.) Sic vocantur illi qui portionem menſæ Capitularis participant.
4. *Interponendi*.) Incorporandi.

Mo-

Moniales Monaſterii S. Salvatoris Ulixbonen. (1) Privilegiis Ordini Prædicatorum conceſſis donat.

Anno 1394 Die 16 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę & Conventui Monaſterii S. Salvatoris Ulixbonen. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę veſtrę Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut ea vobis favorabiliter concedamus per quę veſtris, ac Monaſterii veſtri commoditatibus conſulatur. Dudum ſiquidem pro parte venerabilis Fratris noſtri Johannis Epiſcopi Portugallen. nobis expoſito, quod in Parochiali Eccleſia S. Salvatoris Ulixbonen., in qua unus Rector, & nonnulli perpetui portionarii inſtituti eſſe noſcebantur, & cujus quidem Rectoris pręſentatio, ac jus patronatus ipſius Eccleſię ad Regem Portugallię pro tempore exiſtentem pertinebat, erat quędam Capella de novo fundata, & conſtructa, ac competenter dotata de bonis quondam Johannis Stephani Militis, Patrui dicti Epiſcopi, in qua quidem Capella idem Epiſcopus & nonnulli conſanguinei ſui Eccleſiaſticam propoſuerant eligere ſepulturam; quodque ipſe Epiſcoput ex devotionis fervore, & pro divini cultus augmento, deſiderabat eandem Eccleſiam erigi in Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, quę ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum vivere deberent, maxime cum ad id cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis Portugallię & Algarbii Regis illuſtris, accederet aſſenſus, Ipſeque Epiſcopus de bonis ſibi a Deo collatis proponeret, cum ipſius Eccleſię, & perpetuarum portionum conſiſtentium in ea, facultates ad ſuſtentationem Prioriſſę & Monialium, ac aliarum perſonarum ejuſdem Monaſterii competenter non ſufficerent, Monaſterium ipſum ſufficienter dotare; Nos pręfato Epiſcopo, dummodo ad id pręfati Regis accederet aſſenſus, Eccleſiam prędictam, abſque tamen pręjudicio Rectoris, & perpetuorum Portionariorum, qui tunc in dicta Eccleſia erant, erigendi in Monaſterium dicti Ordinis Sancti Auguſtini, ac in eodem Monaſterio, poſtquam erectum foret, unam Prioriſſam, & condecentem Monialium numerum ordinandi & inſtituendi; quę quidem Prioriſſa & Moniales ſub cura & ſecundum inſtituta dictorum Fratrum vivere deberent, ac etiam portiones prędictas cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio, poſtquam erectum foret, ut pręfertur, uniendi, & incorporandi, & annectendi, ita quod cedentibus, vel decedentibus Rectore, & Portionariis prędictis, aut Eccleſiam & portiones eaſdem, quarum omnium fructus, redditus, & proventus ſexcentarum librarum Florenorum parvorum ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſerebatur, non excedebant, alias quomodolibet dimittentibus, liceret Prioriſſę, & Conventui ejuſdem Monaſterii Eccleſiam & portiones prędictas, & earum corporalem poſſeſſionem libere apprehendere, & licite retinere, Dięceſani loci, & cujuslibet alterius licentia ſuper hoc minime requiſita: ac in dicto Monaſterio poſtquam erectum foret, ut pręfertur, unam perpetuam Vicariam pro uno perpetuo Vicario ibidem inſtituendo, qui curam Parochianorum prędictę Eccleſię exercere deberet, inſtituendi, & ordinandi, & eidem Vicario de hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus congruam portionem aſſignandi, de quibus idem Vicarius congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare valeret, aſſignandi, & alia quę circa pręmiſſa opportuna, ſeu neceſſaria forent faciendi, ſtatuendi, & ordinandi, plenam, & liberam per noſtras literas poteſtatem duximus concedendam, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro dicti Epiſcopi, atque veſtra parte, petitio continebat, idem Epiſcopus pręfatam Eccleſiam in hujuſmodi Monaſterio, habito prius pręfati Regia aſſenſu, erexeris, vos filias, Prioriſſam, & Conventum in condecenti numero ibidem inſtituerit, ac Eccleſiam, & portiones hujuſmodi cedentibus, vel decedentibus Rectore & Portionariis prędictis, vel alias Eccleſiam, & portiones ipſas quomodolibet dimittentibus, univerit, incorporaverit, & annexuerit, ac omnia alia & ſingula in eiſdem literis contenta, juxta ipſarum literarum formam, duxerit adimplenda; quare pro parte veſtra nobia fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis quod omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, & libertatibus aliis Monialibus & earum Prelatis dicti Ordinis S. Auguſtini, in aliis Monaſteriis, atque locis ejuſdem Ordinis, ſub cura, & ſecundum Inſtituta dictorum Fratrum viventibus, a Sede Apoſtolica conceſſis, uti, & gaudere valeatis. concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur volentes vos pręmiſſorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtrę, ut privilegiis, immunitatibus, & libertatibus hujuſmodi uti, & gaudere poſſitis, & eiſdem frui, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, Indulgemus; Quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis non obſtantibus, quę in eiſdem literis volumus non obſtare. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XVII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Hujus Diplomatis cauſa.

Indulget ut ſupra.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Ulixbonen.*) Conſule præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol. 273.*

Re-

Anno 1394
Die 14 Februarii.

Recilianenſis (1) Cœnobii Sacras Ædes viſitantibus Indulgentias impertitur ad decennium.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LII.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes igitur (3), ut Eccleſia S. Catharinę Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum de Reciliano Muran. (4) Dięceſis congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, ac ipſius Eccleſię Dedicationis feſtivitatibus, & in celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac B. Johannis Baptiſtę, ac BB. Petri & Pauli prędictorum feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis quinque Annos, & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum diebus, quibus dictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus, pręſentibus poſt decennium minime valituris. Volumus autem quod ſi alia &c. Datum Romę apud S. Petrum XVI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Recilianenſis.*) Vulgo *Recigliano.* Recenſetur ab *Echard in Notitia Ordinis Tomo I Scriptor. FF. Prædicatorum*, inter Vicariatus Provinciæ *Regni Siciliæ*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.* 103.

3. *Cupientes igitur.*) Exordium deeſt. Idem videtur ac Exordium *Conſtitutionis V*, e qua mutuanda ſunt cetera quæ hic deſiderantur.

4. *Muran.*) In *Baſilicata Provincia.*

Anno 1394
Die 14 Februarii.

Confratribus (1) Corporis Chriſti, & Annuntiatæ, ut in Ædibus Sacris Fratrum Prædicatorum S. Miniatis (2) Sacellum fundare poſſint.

Ex Archivo (3) Ordinis.

LIII.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Corporis Chriſti & Annuntiatę de Sancto Miniate, Lucan. Dięceſis, Confratriarum Prioribus, & Confratribus laicis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIum apud Deum, & meritorium eſſe cenſetur, ut ultimę voluntates defunctorum, perpetuum augmentum divini cultus reſpicientes, executioni mandentur, & ad hoc etiam libenter apponimus ſolicitudinis noſtrę partes. Sane petitio veſtra, nobis nuper exhibita, continebat, quod quondam Margarita Bindi Nardi de Sancto Miniate mulier, condens in ſua voluntate ultima Teſtamentum, vos hęredes ſuos univerſales inſtituit, & voluit quod de bonis ſuis ad eam tunc ſpectantibus de novo ędificaretur quędam Capella ad honorem, & ſub vocabulo Corporis Domini in Terzerio (4) foris Portę, vel in Terzerio Caſtri veteris, Caſtri de Sancto Miniate, Lucan. Dięceſis, locis taliter nuncupatis, & etiam dotaretur pro uno Presbytero pro tempore inibi Domino ſerrituro, per vos pro tempore loci Ordinario in honorem dictę Capellę pręſentando, & in eadem per ipſum Ordinarium pro tempore inſtituendo. Cum autem, ſicuti eadem petitio ſubjungebat, vos ex juſtis cauſis rationabiliter affectetis hujuſmodi Capellam in Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum conſiſtentis in hujuſmodi loci Terzerio foris Portę nuncupato, de bonis eiſdem de novo conſtruere, & etiam competenter dotare, ita tamen quod hujuſmodi Capella, ſive per Fratres dicti Ordinis, qui pro tempore in ipſa domo reſidebunt, ſive Secularem Preſbyterum, prout vobis videbitur, & duxeritis ordinandum, regatur, ac inibi in divinis officiis etiam pro tempore debeat Domino famulari, pro parte veſtra fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut vobis pręmiſſa in eadem Eccleſia complendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos itaque veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis conſtruendi dictam Capellam in Eccleſia prędicta, & eam dotandi de bonis hujuſmodi, ut pręfertur, ac etiam poſtquam conſtructa & dotata fuerit, ut pręmittitur, illam per Fratres ejuſdem Ordinis, qui pro tempore in eadem Domo reſidebunt, ſeu Presbyterum Secularem, de quibus vobis videbitur, pro tempore gubernari, & regi facere libere, & licite poſſitis, Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis prędicti, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, plenam, & liberam, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XVI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Supplex Confratrum petitio.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Confratribus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XV.*

2. *S. Miniatis.*) In *Hetruria.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XLII fol.* 130.

4. *Terzerio.*) *Terzerium*, ſeu *Tertiarium* eſt modus agri, ſic nuncupatus a *Tertia.* Quid autem ſit *Tertia*, docet *Du Cange in Gloſſario*, verbo: *Tertia*, quem conſulas velim. Hic unum notandum, Dotem ſcilicet, *Tertiam* vocari. Hinc *Terzerium* interpretaret *agrum dotalem.*

F. Jo-

F. Johannes (1) de Gronow fit Epiſcopus Miſthomenſis.

Anno 1394 Die 30 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Gronow electo Miſthomen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina diſponente &c. (3). Dudum ſiquidem bonę memorię Andrea Epiſcopo Miſthomen. regimini eccleſię Miſthomen. pręſidente, Nos cupientes eidem eccleſię, cum vacaret &c. proviſionem ipſius eccleſię ordinationi & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum & inane &c. Poſtmodum vero pręfata eccleſia per obitum dicti Andreę, qui extra Romanam Curiam &c. nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem &c. de qua nullus pręter nos &c., ne longę vacationis exponatur &c. poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in ſacra pagina peritiſſimum, religionis zelo conſpicuum, vitę, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, pręfatę eccleſię Miſthomen., de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias &c. Jugum igitur Domini &c. tuque pręter ęternę &c. noſtram & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud S. Petrum III Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. XXI fol. 70.
3. *Diſponente &c.*) Quæ hic deſiderantur, leguntur in aliis ejuſdem tenoris *Conſtitutionibus.*

Sacellum (1) S. Catharinæ Senenſis, in Ædibus Sacris S. Mariæ ſuper Minervam ſitum, viſitantes Indulgentiis donat.

Anno 1394 Die 5 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Splendor Paternę glorię &c. (3). Cupientes igitur, ut Capella Sanctę Catharinę ſita in Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum S. Marię ſuper Minervam de Urbe, quam, ut aſſeritur, bonę memorię Matthęus (4) Epiſcopus Sabinen. de bonis ad eum, ſuę perſonę ratione, ſpectantibus, fundavit, & apud quam Corpus ejus requieſcit (5), ac dilectus filius noſter Poncelius (6) tit. S. Clementis Presbyter Cardinalis, dicti Matthęi Nepos, ut aſſerit, ſepeliri poſcit, congruis honoribus frequentetur, Indulgentia. & , ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis &c. (7) qui in feſto ipſius S. Catharinę (8) Capellam ipſam devote viſitaverint annuatim Septem Annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Non. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Sacellum.*) In quo Corpus *S. Catharinæ Senenſis* quieſcit. Vocatur *Sacellum Sanctiſſimi Roſarii.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XL fol.* 30.
3. *Gloriæ &c.*) Ut in *Conſtitutione XI Bonifatii IX.*
4. *Matthæus.*) *Urſinus*, Beatus cujus laudes celebrat *Leander Albertus de viris illuſtribus Ordinis Prædicatorum.* Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCXVI pag.* 426, & *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXL pag.* 596, alioſque laudatos in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII.*
5. *Requieſcit.*) Licet enim *Avenione* mortuus ſit *Matthæus*, *corpus* tamen ipſius *Romam delatum*, *in Sacello S. Catharinæ a ſe conſtructo primum*, *mox in Sacrario*, *nunc in Eccleſia S. Mariæ ſuper Minervam in Arca Marmorea*, *una cum oſſibus* (Beati) *Latini Cardinalis Urſini conditum eſt. Patres illius Monaſterii inter Beatos Matthæum Cardinalem referunt, ac miraculis claruiſſe tradunt.* Ciaconius loco citato, *pag.* 427. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCXCIV pag.* 436.
6. *Poncellus.*) Ex eadem *Urſinorum* nobiliſſima proſapia. Legendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. ad annum MCCCLXXVIII pag.* 645.
7. *Omnipotentis &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox laudata.
8. *In Feſto ipſius S. Catharinæ.*) Ergo Feſtum *S. Catharinæ Senenſis* non multo poſt ejuſdem S. Virginis mortem *Romæ* celebrabatur, tantaque fuit ipſius Sanctitatis fama, ut *SANCTÆ* titulo donata ſit hoc in Diplomate, licet nondum ſolemni ritu fuiſſet aſcripta Sanctorum albo.

F. Ste-

Anno 1394
Die 8 Junii.

F. Stephanus (1) Martini fit Epiſcopus Ceretenſis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LVI. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano Martini Electo Ceteten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. DIvina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula, licet immeriti, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtrę conſiderationis extendimus; & pro eorum ſtatu ſalubriter dirigendo apoſtolici favoris pręſidio auxilium adhibemus, ſed de illis propenſius cogitare nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores pręficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam ſalubriter dirigant, & informent, ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem bonę mem. Johanne Epiſcopo Cereten. regimini Eccleſię Cereten. pręſidente, Nos cupientes ipſi Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandum, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de pręficiendo Eccleſię pręfatę perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Pędicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, & literarum ſcientia pręditum, vitę, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis; quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de dictorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos pręfata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas ad Eccleſiam ipſam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque Pontificalia officia extra tuam Civitatem, & Dięceſim Cereten. nequeas exercere. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictam ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud S. Petrum VI Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Johannes F. Stephani prædeceſſor.

F. Stephanus Epiſcopus conſtitutus.

1 *Stephanus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*

Anno 1394
Die 26 Junii.

Conſervatores (1) creat, ut Decretalis, quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervetur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LVII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Lauzanen. (3), & dilectis filiis Decano Conſtantien. (4), ac Theſaurario S. Petri Argentinen. (5) Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FRequentes hactenus &c. (6) Et Urbanus Papa VI, Prędeceſſores noſtri ad Servorum B. Marię Fratrum prędictorum Ordines antedictos, quoad omnia in ea contenta extenderunt, a prędictis Epiſcopis, Pręlatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem Decretalis prędictę graves injurię, atque moleſtię, in diverſis partibus inferuntur; nuper etiam pro parte venerabilis fratris noſtri Epiſcopi Baſileen. (7), & dilectorum filiorum Capitulorum Majoris Baſileen., & aliarum Eccleſiarum Civitatis & Dięceſis Baſileen., necnon Prelatorum, Conventuum Prefatorum, Rectorum, Sacerdotum, & Vicariorum Parochialium, ac Cleri tam Secularium, quam Regularium Civitatis & Dięceſis prędictarum, nobis extitit intimatum, quod prędicti eorundem Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres contra tenorem Decretalis ejuſdem multa eiſdem, & eorum ſingulis gravamina & injurias inferunt, & jacturas. Cum igitur parum eſſet jura condere, niſi qui eadem tueatur exiſtat, Nos Johannis, & Urbani Prędeceſſorum pręfatorum &c (8). Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Kalend. Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Conſervatores.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol. 176.*

3. *Lauza-*

3. *Lauſanen.*) In *Helvetiis*.
4. *Conſtantien.*) In *Suevia*.
5. *Argentin.*) In *Alſatia*.
6. *Haſtenus &c.*) Ut in *Diplomate dato XI Julii MCCCXLIII* ad hæc uſque verba: *Ad dictorum Carmelitarum*.
7. *Baſileen.*) In *Helvetiis*.
8. *Prafatorum &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad finem uſque.

Ædes ſacras Cœnobii Tiburtini (1) viſitantes donat Indulgentia conceſſa viſitantibus Eccleſiam B. Mariæ de Portiuncula.

Anno 1394 Die 15 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LVIII.

GLorioſus Deus in Sanctis ſuis, in ipſorum glorificatione congaudens, in veneratione B. Marię ſemper Virginis eo jucundius delectatur, quo ipſa, utpote Mater ejus effecta, meruit altius illis ceteris in cęleſtibus collocari. Exordium. Cupientes igitur ut Altare Majus Beatę Marię de Gloria Ordinis Fratrum Prędicatorum Tiburtin. congruis frequentetur honoribus, & ut Chriſti Fideles eo libentius cauſa devotionis ad ipſam confluant, & ad ipſius Eccleſię conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Indulgentia. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Feſtivitate Annuntiationis ipſius B. Virginis a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ipſius feſtivitatis, & per ſex dies ipſam feſtivitatem immediate ſequentes, Altare prędictum devote viſitaverint annuatim, & ad hujuſmodi conſervationem manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedimus, quam Eccleſiam B. Marię de Portiuncula, alias dictam de Angelis, extra muros Aſſiſinat. prima & ſecunda diebus menſis Auguſti viſitantibus annuatim, quomodolibet conſequuntur. Volumus autem, quod ſi alias, aliqua alia Indulgentia, viſitantibus Eccleſiam, aut Altare prędicta, vel ad eorum fabricam, aut conſervationem hujuſmodi manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum XVIII Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Tiburtin.*) Vulgo *Tivoli*, in *Campania Romana*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Archivo Apoſtolico *Lib. XL fol.* 131.

Eccleſiis Lyſmorenſi, & Wacerfordenſi præficit F. Robertum (1).

Anno 1394 Die 9 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Roberto Electo Lyſmorenſi, & Wacerfordenſi, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LIX.

ROmani Pontificis, quem Paſtor ille cęleſtis, & Epiſcopus animarum, poteſtatis ſibi plenitudine tradita Eccleſiis prętulit univerſis plena vigiliis ſolicitudo requirit, ut ipſe circa quarumlibet ſtatum Eccleſiarum, vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter quod per ejus providentiam circumſpectam Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus, & rector providus deputetur, per quem Eccleſię ipſę, ſuperni favoris auxilio ſuffragante, votivę proſperitatis ſucceſſibus gratulentur. Exordium. Dudum ſiquidem bonę memorię Thoma Epiſcopo Lyſmorenſi, & Wacerfordenſi, Lyſmorenſis & Wacerfordenſis Eccleſiarum invicem canonice unitarum regiminibus pręſidente, Thomas F. Roberti deceſſor. Nos cupientes eiſdem Eccleſiis, cum ipſas vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem earundem Eccleſiarum ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero dictis Eccleſiis per obitum ejuſdem Thomę Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacantibus, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem earundem Eccleſiarum celerem & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſię ipſę longę vacationis exponerentur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eiſdem Eccleſiis perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum fratribus noſtris habuimus diligentem; F. Robertus Epiſcopus conſtitutus. demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, & in ſacra Theologia Magiſtrum, cui de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, nobis, & eiſdem fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta eiſdem Eccleſiis, de eorundem fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica providemus, teque illis pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod pręfatę Eccleſię ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente divina, proſpere dirigentur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipient incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſę Eccleſię gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas, tuque pręter

ęternę retributionis pręmium, noſtram & dictę Sedis Benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Robertum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLV fol. 29.*

Anno 1394 Die 14 Octobris.

Ut Moniales Monaſterii S. Sixti (1) de Urbe Ordinis Prædicatorum ſint numero ſexaginta.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Idem ſanxerat Alexander IV.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sancti Sixti de Urbe, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, viventes devotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis ipſarum, illis pręſertim, quę earum, & dicti Monaſterii commoditatibus conſulunt, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem pro parte Prioriſſę ipſius Monaſterii, quę tunc erat, & dictarum Conventus fel. rec. Clementi PP. V Prędeceſſori noſtro expoſito, quod olim pię memorię Alexander PP. IV dicti Prędeceſſoris, & etiam noſter Prędeceſſor, ut Collegium Monialium dicti Monaſterii numerum ſexaginta Monialium nequaquam excederet, ſtatuerat (3) apoſtolica auctoritate, & ne aliqua ibidem abſque ſua licentia ſpeciali admitteretur de cetero in Sororem. Prioriſſę, & Conventui pręfatis, necnon Priori Provinciali dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Romanę (4) ſecundum morem dicti Ordinis, & ejus Vicario, qui pro tempore forent, in virtute ſanctę obedientię, & ſub excommunicationis pęna, quam ipſas, ſi contingat facerent necnon voluerant ipſo facto (5), auctoritate prędicta diſtrictius duxerat inhibendum, &

Ex Decreto Clementis IV, earundem Monialium numerus frequens erat ad octoginta.

quod in eodem Monaſterio per Dei gratiam plures tunc recipi poterant in Sorores, pręfatus Clemens Prędeceſſor numerum hujuſmodi augendum auctoritate pręfata ſtatuit (6), ut ſtatuto, & inhibitione hujuſmodi pręfati Alexandri Prędeceſſoris nequaquam obſtantibus, poſſent dictę Prioriſſa & Conventus adhuc viginti in eodem Monaſterio pręter dictas ſexaginta recipere in Sorores, quodque octogenarius Sororum numerus de cetero in dicto Monaſterio eſſet, niſi adeo ipſius Monaſterii excreſcerent facultates, quod merito hujuſmodi numerum expediret augmentari, & nihilominus ſub pęna ſupradictorum, ne aliqua in dicto Monaſterio, videlicet (7) pręfatum octogenarium numerum admitteretur de cetero in Sororem abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, Magiſtro Generali dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Priori Provinciali dictę Provincię, eorumque Vicariis, necnon Prioriſſę dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus, & Conventui pręfatis, per ſuas certi tenoris literas, auctoritate prędicta inhibuit, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte ipſarum Prioriſſę & Conventus petitio continebat, propter guerras, quę partes illas diutius afflixerunt, & onera, quę ſuſtinere oportuit, facultates ejuſdem Monaſterii ſint adeo diminutę, quod hujuſmodi octogenarius numerus in dicto Monaſterio non poſſit commode ſuſtentari, pro parte ipſarum Prioriſſę & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręfatum octogenarium ad pręfatum ſexagenarium numerum reducere,

Preſcribit ut ſupra.

ac alias ipſis ſuper hoc providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur cupientes Prioriſſę & Conventus, ac Monaſterii prędictorum commoditatibus ſalubriter providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate apoſtolica tenore pręſentium, hujuſmodi octogenarium numerum ad ſexaginta Monialium numerum reducimus, & nihilominus ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod donec ad hujuſmodi ſexagenarium numerum fuerit deventum, ac aliquam, vel aliquas ex Monialibus dicti Monaſterii decedere, vel ſe ad aliquod aliud Monaſterium canonice transferre continget, nulla in dicto Monaſterio in Monialium videlicet hujuſmodi ſexagenarium numerum, abſque Sedis apoſtolicę licentia ſpeciali de cetero recipi poſſit; & inſuper Magiſtro Generali dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Priori Provinciali ejuſdem Provincię, eorumque Vicariis, ac Prioriſſę dicti Monaſterii pro tempore exiſtentibus, & Conventui pręfatis, ne contra ſtatutum, reductionem, & ordinationem noſtram hujuſmodi ſub pęnis prędictis, quas contrafacientes incurrere volumus ipſo facto, quidquam attentare quoquomodo prę-

Decretum irritum faciens. Sanctio pœnalis.

ſumant, diſtrictius inhibemus: Decernentes ex nunc irritum & inane &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, reductionis, ordinationis, & inhibitionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum II Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *S. Sixti.* Vide *Conſtitutiones XI, & XXIII Honorii III.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol. 232.*

3. *Statuerat.*) Diplomate, quod deſideratur.

4. *Romanæ.*) Tunc enim Monaſterium *S. Sixti* juris erat Provinciæ *Romanæ.*

5. *Quam ipſas ſi contingat facerent, necnon voluerant ipſo facto.*) Ab amanuenſi hæc lectio, quam ſperne, ſic legerem: *Quam ipſi, ſi contrarium facerent, incurrerent ipſo facto.*

6. *Statuit.*) Diploma deeſt.

7. *Videlicet.*) Turbatus locus: legerem *ultra.*

F. Johan-

F. Johanni (1) Dominico de Eugubio, ut Fideles bellum pro Religione contra Turcas ſuſcipiant (2).

Anno 1394 Die 15 Octobris.

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXCIV num. XXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Dominico de Eugubio, Ordinis Pręd icatorum Profeſſori, & in ſacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXI.

AD Apoſtolatus noſtri aures nonnullorum fidelium populorum vehementi & amara valde querela pervenit, quod nonnullas Chriſtianas partes invaſit nefanda, ac horrenda Infidelium, Turcorum videlicet, multitudo, qui Deo mortui mundo vivunt, & in quibus tepeſcentibus membris ſola incaleſcit ſcelerum flamma, & ſola incentiva bulliunt vitiorum, ut vineam Domini Sabaoth valeant demoliri, ac aliis locare agricolis, & inficere greges ejus, &, quod gravius eſt, dicunt adverſus fideles ipſos, quod ſcribitur: Vadamus, & diſperdamus eos de gente, & non memorabitur nomen Iſrael amplius, & poſſideamus Nobis Sanctuarium Dei ipſorum. O damnationis & irę filii! O perditionis, & calamitatis alumni! O ſemen Chanaan, ſemen nequam! Exſurgat Deus, & ſuos diſſipet inimicos. Exſurgat, & veniat, ut populum ſuum ſuſcitet in confuſione prędictorum inveteratorum dierum malorum, & Angelum ſuum qui eos ſcindat, ſecetque per medium de alto ſolio ſuo mittat. Veniat populus Iſrael, & David rurſus leonem, & urſum de grege Domini arietes tollentes occidat, & ſpurios ipſos in fontibus impudicitię ipſorum percutiat, ita quod in facies ſuas cadant. Exſurgant inſuper Chriſti milites, Eccleſię filii, athletę Catholicę fidei, peregrinas luſtrantes Provincias, maria transeuntes, & regiones extraneas peragrantes pro fidei dilatatione & defenſione pręfatę. Vociſerat inſuper Eccleſia ululando anxia querela pręfata patrocinia Summi Patris, & dicit: Domine ſalva nos, perimus; parique voce: Succurre Princeps fidelibus, & provide filiis, pie Pater, ſparge rorem tuę gratię ſupplicanti, quoniam tenebrę cooperuerunt terram, & caligo invaſit populos antedictos, & velut errantes oves paſtoris deſtitutę cuſtodia, luporum crudelium timent inſidias, & a rugientium leonum faucibus abſorberi paveſcunt. Decet ergo nimirum, quod populus qui ambulat in tenebris, & habitat in regione umbrę mortis, videat mundi luminaria. Excita potentiam altiſſimi tui throni, & effunde ſuper infideles ipſos iram tuam, & indignatio irę tuę apprehendat eos, ut fiat habitatio eorum deſerta, & in tabernaculis ipſorum non ſit qui inhabitet. Datum Romę apud S. Petrum Idibus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Strages quas ediderunt Turcæ, deflens deſcribit.

Chriſti fideles in Turcas excitat.

1. *F. Johanni.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.* Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicatorum ad annum MCCCXCI pag. 704.*

2. *Suſcipiant.*) *Ingraveſcebat* enim *in dies Turcica tyrannis*, inquit *Odoricus Raynaldus* ad annum MCCCXCIV num. XXIV: *Nam anno ſuperiori Bajazetes Imperatorem Conſtantinopolitanum ad annuum decem millium aureorum pendendum vectigal, & ad dandum Templum Mahometano ritu profanandum adegerat: hoc vero anno in Græcia Siliſtriam, & Empolim ſibi ſubjecit, Valachiæ Deſpotam adegit ad filiam ipſi proſtituendam, ut concubinarum numerum augeret, pluribuſque in finitima Chriſtianorum Regna factis excurſionibus flammas latiſſime circumtulit, uti ſcurra Æthiops Bajazetis matri exprobarit, ipſam genuiſſe filium titioni ſimilem, qui orbem incendiis vaſtaret: cujus graſſationibus auditis Bonifatius majores in Turcas contrahendas vires cenſuit, deditque Provinciam Johanni Dominico Religioſo viro, ut in Alberti Auſtriæ Ducis ditione, Tarviſanaque Provincia, Chriſti fideles in Turcas commoveret.*

3. *Odorico.*) Laudat *Librum III Epiſtolar. curren. Bonifatii IX pag. 300.*

F. Johanni (1) Dominico de Eugubio de bello Turcis inferendo (2).

Anno 1394 Die 30 Octobris.

Ex Odorico Raynaldo (3) Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXCIV num. XXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Dominico de Eugubio, Ordinis Prędicatorum Profeſſori, & in ſacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXII.

NUper ad Apoſtolatus noſtri aures nonnullorum fidelium populorum vehementi & amara valde querela pervenit, quod infanda infidelium Paganorum, & horrenda Turcorum gens nonnullas partes Chriſtianitatis, & maxime Regni Hungarię occupaverunt, & quod fideles, & devoti partium prędictarum tot angariabantur preſſuris aſſidue, tot quotidie fatigabantur anguſtiis, & tot indeſinenter miſeriis affligebantur, quod deterior fidelium, ac devotorum ipſorum conditio exiſtebat, quam eſſet olim populi Dei ſub jugo Pharaonicę ſervitutis; de quibus lamentabatur regio illa triſtis de intolerabili perſecutione, quam patiebantur, & lamenta multiplicans clamabat ad Chriſti Vicarium, Chriſtianos Principes, Duces, Comites, & Barones, & univerſam Plebem Catholicam interpellabat, eis quoque ſua vulnera detegendo, a quibus ſalutaria ſuffragia poſtulabat, & expectabat. Datum Romę apud S. Petrum III Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Infelix Orientalium ſtatus.

1. *Johanni.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Inferendo.*) *Non Græciam modo*, inquit *Odoricus* ad an. MCCCXCIV num. XXV, *verum etiam alia Regna crebris populationibus devaſtari a Turcis Bonifatio relatum eſt: qui allicere quoque ad ſacri hujus belli ſocietatem Venetos ſtuduit, ac Johannem Dominicum ..... inſtruxit auctoritate, ut non ſolum in Auſtria, Tarviſanaque Provincia, verum in ditione quoque Veneta, Gradenſi Patriarchatu, & Archiepiſcopatu Salisburgenſi cruceſignatam expeditionem contra Barbaros, ad ſuo ſplendori aſſerendam Religionem, promulgandam curaret. Quam vero infelix eſſet Orientis, & Hungariæ ſtatus, invaleſcente ob ſchiſma infidelium ferocia, ex Pontificiis flebilibus literis ad eundem Johannem Dominicum datis, quarum partem ſubiicio, colligitur.* Hæc *Odoricus*, cujus ultimis verbis liquet præſens Diploma mutilum eſſe.

3. *Odorico Raynaldo.*) Ex *Lib. III Epiſtol. curren. Bonifatii IX pag. 311.*

Anno 1394 Die 9 Novembris.

F. Raymundo (1) Generali Magiſtro Provincialem Dalmatiæ conſtituendi poteſtatem facit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo Ordinis Fratrum Prędicatorum Generali Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

PErſonam tuam nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, paterna benevolentia proſequentes, ea tibi libenter concedimus per quę opportunitatibus tui Ordinis te reddere valeas fructuoſum. Tuis itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati tibi quemcunque Priorem Provincialem Provincię Dalmatię, tui Ordinis ad pręſens exiſtentem, ſi, & prout tibi videbitur, & conſcientia tua dictaverit, ab ipſo Provincia-
Conceſſio. latus officio abſolvendi, & ipſo abſoluto aliquem alium ex dilectis filiis Fratribus dicti tui Ordinis ad hoc idoneum, quem duxeris eligendum, in Priorem Provincialem ipſius Provincię Dalmatię, cum omnimoda poteſtate & auctoritate, quam veri Priores Provinciales dictę Provincię pro tempore exiſtentes in dicta Provincia habere, & exercere quovis modo potuerunt, conſueverunt, & debuerunt, hac vice duntaxat, tuo arbitrio auctoritate noſtra creandi, faciendi, & deputandi, ac omnia quę ad hujuſmodi Prioris Provincialis ipſius Provincię pro tempore exiſtentis officium pertinent ſibi concedendi, quibuſcunque Conſtitutionibus, & Indultis Apoſtolicis, ac Statutis, Ordinationibus, & Conſuetudinibus dicti Ordinis, & aliis contrariis, etiam juramento, confirmatione apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, nequaquam obſtantibus, plenam & liberam tenore pręſentium concedimus poteſtatem. Datum Romę apud S. Petrum V Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Raymundo.*) *B. ſcilicet Raymundo de Capua.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVIII fol.* 180.

Anno 1395 Die 29 Martii.

Ædes ſacras Cœnobii Lubicenſis (1) viſitantes, qui interfuerint oſtenſioni Reliquiarum SS. Innocentium, Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm itaque (3), ſicut accepimus, in Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum Lubicenſis nonnullę Reliquię Sanctorum Innocentium ſint reconditę, nos cupientes, ut Reliquię venerabilius, & Eccleſia
Indulgentia. hujuſmodi debite conſerventur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis ad hujuſmodi Reliquiarum oſtenſionem confluant, & ad dictę Eccleſię conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis &c., qui in die celebrationis feſti dictorum Innocentium oſtenſioni Reliquiarum hujuſmodi interfuerint, & ad ipſius Eccleſię conſervationem manus adjutrices porrexerint, ſeptem annos & totidem quadragenas miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum IV Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Lubicen.*) *Lubecen.*, vulgo *Lubeck*, in *Saxonia maritima*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro CLXXXI fol.* 153.
3. *Cum itaque.*) Exordium deeſt. Mutuandum videtur ex *Conſtitutione V*, in qua quæ hic deſunt, inveniuntur.

Anno 1395 Die 1 Junii.

Provinciali Romanæ Provinciæ Ordinis Prædicatorum, ut Vulteran. (1) Cœnobium in loco, centum duntaxat cannis (2) ab Eremitarum S. Auguſtini ſacris Ædibus diſtante, ponere poſſit.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

LXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Provincię Romanę, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis potiſſime, per quę divinus cultus augeri, & eadem Religio propagari valeat,
Vulterani Cœnobii ædificandi facultas jam antea data. favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem pro parte venerabilis fratris noſtri Antonii (4) Epiſcopi Vulteranenſi, & dilectorum filiorum Prioris, Populi, & Civitatis Vulteranenſis, ac veſtra, nobis expoſito, quod ipſi Priores & Commune ex ſpeciali devotione, quam ad Ordinem veſtrum gerebant, vehementer affectabant, quod in eadem Civitate, quę ſatis populoſa, & magna exiſtebat, prout exiſtit, fundaretur, & conſtrueretur unus locus pro uſu & habitatione Fratrum dicti Ordinis veſtri, qui in divinis ibidem Domino famularentur, & pro parte prędictorum Epiſcopi, Priorum, & Communis, ac veſtra nobis humi-

humiliter ſupplicato, ut vobis recipiendi hujuſmodi locum, ſi vobis pia largitione fidelium traderetur, vel illum alias juſtis titulis adipiſci poſſetis, ac ibidem ędificandi, & conſtruendi pro uſu & habitatione hujuſmodi unam Domum cum Eccleſia, ſive Capella, aut Oratorio, campanili, campana, cęmeterio, domibus, & aliis neceſſariis officinis, & illum perpetuo retinendi, licentiam concedere, de benignitate apoſtolica, dignaremur. Nos vobis, ut locum hujuſmodi qui tamen ad id eſſet congruus & honeſtus, recipere, & in eo unam domum cum hujuſmodi Eccleſia, ſeu Capella, aut Oratorio, campanili, campana, cęmeterio, domibus, & aliis neceſſariis officinis prędictis, fundare, & conſtruere, pro uſu & habitatione prędictis, perpetuo retinere, libere & licite poſſetis, plenam & liberam auctoritate apoſtolica licentiam duximus concedendam, prout in noſtris, inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, Epiſcopus & Commune prędicti vobis pro hujuſmodi ędificatione, & conſtructione faciendis quendam locum offerant ſatis congruum & honeſtum, niſi obſtaret conſtitutio fel. rec. Clementis PP. IV Prędeceſſoris noſtri, quę inhibet, ut nulli de Fratrum Prędicatorum, & Pęnitentię Jeſu Chriſti, S. Marię de Monte Carmeli, Eremitarum S. Auguſtini, & S. Clarę, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, aut mulierum de prędictis, ſeu quibuſlibet aliis regularibus Ordinibus, aliquod Monaſterium, ſeu Eccleſiam, vel Oratorium ędificare, ſeu conſtruere, nullique Seculari, ſeu Religioſo cujuſcunque profeſſionis Eccleſiam, vel Monaſterium, ſive Oratorium jam ędificatum in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, infra centum & quadraginta cannarum a veſtris Eccleſiis per aerem menſurandarum, etiam ubi alias recte non permitteret loci diſpoſitio menſurari, & quicquid contra hujuſmodi inhibitionis tenorem ex tunc ędificatum exiſteret, dirueretur omnino; &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, hujuſmodi locus, quem Epiſcopus & Commune prędicti vobis offerunt, ut pręfertur, ab Eccleſia domus Fratrum Eremitarum S. Auguſtini Vulteranenſis, non diſtet per hujuſmodi ſpatium centum & quadraginta cannarum; pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut, non obſtante conſtitutione & inhibitione prędictis, vobis recipiendi locum prędictum, & inibi hujuſmodi Eccleſiam, ſeu Capellam, aut Oratorium, cum campanili, campana, cęmeterio, ac domibus, & aliis neceſſariis officinis prędictis, ędificandi, & conſtruendi licentiam concedere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis recipiendi locum prędictum, & ibidem ędificandi, & conſtruendi hujuſmodi domum cum Eccleſia, ſeu Capella, aut Oratorio, campanili, campana, cęmeterio, & domibus, ac aliis neceſſariis officinis juxta tenorem literarum prędictarum noſtrarum, dummodo locus ipſe a prędicta Eccleſia domus eorundem Fratrum Eremitarum S. Auguſtini diſtet ſaltem per ſpatium centum cannarum, menſurando per aerem, ut pręfertur, conſtitutione, & inhibitione prędictis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, tenore pręſentium auctoritate apoſtolica, plenam & liberam licentiam elargimur. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Supplex Epiſcopi, aliorumque petitio.

Sanctio pœnalis.

1. *Vulteranum.*) Seu *Volaterranum*, in *Hetruria*.
2. *Cannis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIII fol. 85.*
4. *Antonii.*) Fratris ſcilicet *Antonii de Cipollonis*, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Epiſcopo Aliſano (1), ut Monaſterii S. Salvatoris Moniales alio transferat, & ibidem Cœnobium Fratrum Prædicatorum conſtruendum curet.

Anno 1395 Die 22 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Aliſan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis ſinceritas in qua dilecti filii Magiſter Generalis, & Fratres Ordinis Prędicatorum, ſub voluntarię paupertatis habitu militantes, ſpiritu devotum & ſedulum impendunt Domino famulatum, & vitę regularis, ſub qua degunt, honeſtas merito Nos inducunt, ut ea, quę Divini cultus augmentum, ac ipſorum utilitatem, ac dicti Ordinis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ipſis favorabiliter annuamus. Sane pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris Suenę de Sancto Severino Domicellę Salernitan. Dięceſis, nobis exhibita, petitio continebat, quod in Monaſterio Monialium S. Salvatoris Ordinis Sancti Benedicti, Aliſan. Dięceſis, propter guerras, quę in illis partibus viguerunt, & vigent, ipſę Moniales jam diu reſidere minime pręſumpſerunt, nec pręſumunt, & quatuor earum, quę duntaxar remanſerunt, extra idem Monaſterium commorantur; ipſaque Domicella in eodem Monaſterio divinum cultum augeri, & dictum Monaſterium extingui, ac ejus nomen ſupprimi, illudque in Domum Fratrum Prędicatorum, qui ibidem pro tempore reſidere, ac in divinis officiis Domino famulari teneantur, redigi, ſeu transferri, ipſiſque Magiſtro & Fratribus, ipſum locum, in quo dictum Monaſterium conſiſtit, tanquam ad id congruum, & honeſtum, pro uſu, & habitatione eorum, ita quod ibidem novam Domum cum Eccleſia, ſeu Oratorio, campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtruere, & etiam inibi pro tempore commorari valeant, concedere, dictaſque quatuor Moniales de dicto Monaſterio ad aliud, vel alia Monaſteria, ſeu Monaſterium prędicti Ordinis S. Benedicti per Sedem Apoſtolicam deſiderant transferri; quare pro parte dictę Suenę nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut nomen dicti Monaſterii S. Salvatoris ſupprimere, & prędictas quatuor Moniales ad aliud, vel alia, Monaſterium, vel Monaſteria ejuſdem Ordinis S. Benedicti transferri, mandare, & Magiſtro, & Fratribus ipſis, ut dictum Monaſterium ſic ſuppreſſum, ſive locum ipſum cum Eccleſia, ſeu Oratorio, cum campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aliis officinis ſuis, eidem Monaſterio immediate contiguis tantum, recipere, & perpetuo retinere, ac ibidem novam domum pro uſu & habitatione hujuſmodi eorundem cum eiſdem Eccleſia, ſeu Oratorio, campana, campanili, cęmeterio, domibus, horta-

Supplex D. Suenæ petitio.

hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtrui facere valeant, licentiam concedere, & alias ſuper his pro-

Mandatum.

videre de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus nomen dicti Monaſterii S. Salvatoris nuncupati auctoritate noſtra ſupprimas, & ipſas quatuor Moniales ſuperſtites de dicto Monaſterio S. Salvatoris cum omnibus & ſingulis poſſeſſionibus, bonis, fructibus, redditibus, proventibus, juriſdictionibus, & juribus aliis ad ipſum Monaſterium, ſeu Monaſteria hujuſmodi, de quo, ſeu quibus, ſibi videbitur, transferas, & inibi ipſas quatuor Moniales recipi facias, auctoritate prędicta, in Monachas, & Sorores, ac ibidem ſincera in Domino caritate tractari; ſibique de communibus ipſius Monaſterii, vel ipſorum Monaſteriorum, ad quod, vel quę eas tranferes, proventibus, ſicuti aliis Monialibus ipſius, vel ipſorum, Monaſterii, ſeu Monaſteriorum, integre provideri, ipſaſque poſſeſſiones, bona, fructus, redditus, proventus, jurisdictiones, & jura alia quęcunque eidem Monaſterio, ſeu Monaſteriis, ad quod, vel quę ipſas quatuor Moniales tranſtuleris, & in quo, vel quibus recipientur, ut pręfertur, prout tibi magis expedire videbitur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, eadem auctoritate apoſtolica concedere perpetuo, & donare procures; & deinde poſt hujuſmodi tranſitum prędictis Magiſtro, & Fratribus dictum Monaſterium, ſive locum cum Eccleſia, ſive Oratorio, campana, campanili, cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis contiguis hujuſmodi duntaxat, eadem auctoritate concedas, & ut ibidem novam domum pręfatam cum Eccleſia, ſeu Oratorio, ac campana, campanili, cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aliis ſuis officinis hujuſmodi, & prout ſibi videbitur, conſtruere, & ibidem pro tempore reſidere, dictumque locum in uſum ipſorum retinere perpetuo, libere, & licite valeant, licentiam largiaris, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſ-

Clauſula derogans.

cunque alterius alias in omnibus ſemper ſalvo; contradictores auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente domos, & loca quęcunque a Religioſis Mendicantibus de novo recipi, vel etiam recepta mutari abſque prędictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a prędicta Sede ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem; & nihilominus Fratribus ipſis, qui pro tempore in eadem nova domo reſidebunt auctoritate prędicta concedas, quod ipſi cum perſonis etiam in eadem domo ſecum pro tempore degentibus ad eorum officia neceſſariis, omnibus privilegiis, indulgentiis, ac libertatibus, & immunitatibus, uti, & gaudere valeant, quibus alię domus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, & perſonę in ipſis aliis domibus prędicti Ordinis Fra-

Decretum irritum faciens.

trum Prędicatorum degentes, potiuntur, & gaudent. Nos enim ex nunc irritum & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli er-

Sanctio pœnalis.

go &c. Datum Romę apud S. Petrum X Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Aliſano.*) *Aliphano*, in *Samnio*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIII fol.* 94.

Anno 1395 Die 28 Junii.

Officium Fidei Cenſoris F. Beltramo (1) continuat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Beltramo de Cornuſculo, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in ſacra Theologia Magiſtro, in Civitate & Diœceſi Mediolanenſi hęreticę pravitatis Inquiſitori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines varias, & immenſas, quę noſtris humeris inceſſanter incumbunt, ea potiſſime perurget, ut noſtrę operationis miniſterio de vinea Domini ſabaoth, cujus nobis, licet immeritis, eſt cura commiſſa, hęretici, qui velut vulpeculę inter ſarmenta latentes, eam conantur multipliciter demoliri, penitus extirpentur, fideſque catholica, eradicatis penitus cunctis erroribus, proſperetur fortius, & amplius dilatetur; taleſque ad id peragendum cupimus deputare perſonas, quarum honeſta converſatio exemplum prębeat puritatis, & erudita labia doctrinam tribuant ſalutarem. Cum itaque tu hactenus de

F. Beltramus Fidei Cenſor conſtitutus ab Urbano VI.

mandato fel. rec. Urbani PP. VI, Prędeceſſoris noſtri officium Inquiſitionis hęreticę pravitatis in Civitate & Diœceſi Mediolanen. laudabiliter exercueris, & ad pręſens etiam exerceas, Nos cupientes adverſus peſtem pravitatis hujuſmodi ſalubriter providere, ac ſperantes, quod tu, quem, ut accepimus, teſtimoniis fide dignis, conſtantia fidei, religionis zelo, literarum ſcientia, & multiplicium virtutum donis Dominus inſignivit, & pro quo alias dilecti filii Vicarius in Italia Generalis Magiſtri tui Ordinis Prędicatorum, & nonnulli alii dicti Ordinis Profeſſores in ſacra Theologia Magiſtri prędicto Prędeceſſori, ut hujuſmodi officium tibi in Civitate & Diœceſi prędictis committeret, humiliter ſupplicarunt, ſcies, & poteris per tuę providentię, & ſolicitudinis ſtudium labem hujuſmodi extirpare, & catholicę fidei fructuoſos palmites tranſplantare, te Inquiſitorem dictę pravitatis hęreticę in eiſdem Civitate & Diœceſi, ac alibi ubicunque Inquiſitor hujuſmodi pravitatis pro tempore exiſtens, conſuevit dictum officium exercere, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Statutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, & aliis contrariis quibuſcunque, auctoritate apoſtolica tenore pręſentium conſtituimus, & etiam deputamus, diſcre-

Confirmatio.

tioni tuę per apoſtolica ſcripta mandantes, tibique in remiſſionem peccaminum nihilominus injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore poſtpoſito, virtutem ſpiritus induens, prędictum Inquiſitionis officium in eiſdem Civitate & Diœceſi, ac ubicunque prędeceſſores tui Inquiſitores ejuſdem pravitatis qui fuerunt pro tempore deputati, illud exercuerunt, prout tanti negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis ęternę ſic efficaciter proſequi, & exequi ſtudeas diligenter, ut per ſolicitudinis tuę prudentiam radix

pravitatis

pravitatis ejuſdem exinde penitus evellatur, & dicta vinea, exterminatis eiſdem vulpeculis fructus afferat catholicę puritatis, in hujuſmodi negotio nihilominus proceſſurus tam ſecundum indulgentias, & privilegia Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem, auctoritate apoſtolica deputatis, ſeu officio Inquiſitionis hujuſmodi ab Apoſtolica Sede conceſſa, quam ſecundum canonicas ſanctiones; per hujuſmodi autem deputationem, de tua perſona in hujuſmodi Inquiſitionis officio per nos factam, loci Ordinario, quo minus ipſe Inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout volunt dictę canonicę ſanctiones, exercere valeat, aut prędictis, vel aliis quibuſcunque privilegiis, ſi qua ſunt ei a dicta Sede conceſſa, nullum volumus prę-judicium generari. Datum Romę apud S. Petrum IV Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Beltramo.*) Recenſendus eſt inter, quos non novit *Fontana*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIII fol.* 195.

Cœnobii Ordinis Fratrum Prædicatorum in Monticulo Gredlig (1) fundandi facultas.

Anno 1395. Die 5 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Archiepiſcopo Pragen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DUm tuę devotionis conſideramus affectum, quem ad Romanam geris Eccleſiam, inde favorem & gratiam tibi libenter impendimus, & petitiones tuas, pręſertim quę divini cultus augmentum reſpiciunt, & ex quibus ſalus animarum provenire ſperatur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter exaudimus. Sane petitio tua, Nobis nuper exhibita, continebat, quod nonnulli Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores zelo altioris contemplationis, & ut animas ſuas aptius Domino lucrifaciant, in deſerto, ſeu loco ſolitario, in Monticulo videlicet Gredlig, vulgariter nuncupato, tuę Dięceſis qui ad tuam Menſam Archiepiſcopalem Pragen. pertinet, & cujus valor vix ad ducentos florenos auri de Camera ſe extendit, & in quo dudum carceres Clericorum malefactorum Civitatis Pragen., & dictę Dięceſis deputati fuerunt, deſiderant commorari, & ibidem, tanquam in loco ad hoc congruo, & honeſto, pro uſu & habitatione ipſorum novam domum cum Eccleſia, ſeu Oratorio, ac campanili, campana, & cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aliis officinis neceſſariis conſtruere, in qua juxta inſtituta regularia B. Dominici vivere, ac Domino perpetuo famulari proponunt: Tuque locum ipſum prędictis Fratribus, ad hoc quod hujuſmodi novam Domum cum eiſdem Eccleſia, ſeu Oratorio, ac campanili, campana, ac cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi ibidem conſtruere, & in eadem pro tempore degere poſſint ſub obſervantia regulari Ordinis prędicti perpetuo deputare, ac Fratribus ipſis liberaliter donare ob divini cultus augmentum, & etiam ob remedium tuę ſalutis animę, pie deſideras, ſi hoc ex licentia Sedis Apoſtolicę procedat, quare Nobis humiliter ſupplicaſti; ut votis tuis in hac parte annuentes, tibi donandi perpetuo ac irrevocabiliter locum ipſum Fratribus ipſis, eiſdemque Fratribus locum ipſum recipiendi, & perpetuo retinendi, ac ibidem perpetuo degendi, & domum ipſam cum eiſdem Eccleſia, ſeu Oratorio, campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortalitiis, & officinis, conſtruendi, ut prętertur, licentiam concedere, ac etiam ſtatuere, & ordinare, quod ipſi Fratres, quibus locum ipſum donaveris, & qui infra decennium in hujuſmodi nova domo pro tempore reſidebunt, Archiepiſcopo Pragen., & Magiſtro Generali dicti Ordinis pro tempore exiſtentibus duntaxat, & nulli alii inferiori ab eiſdem Archiepiſcopo, & Magiſtro debeant eſſe ſubjecti; & aliis in premiſſis ſalubriter providere, de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur tuum pium propoſitum in hac parte merito attendentes, & illud potiſſime ob prędicti cultus augmentum congruo favore proſequi cupientes, ac eiſdem tuis ſupplicationibus inclinati fraternitati tuę deputandi & ordinandi perpetuo locum ipſum, ut prefertur, eiſdemque Fratribus eundem recipiendi, & ibidem novam dictam Domum cum hujuſmodi Eccleſia, ſeu Oratorio, ac campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & inibi perpetuo habitandi, & in uſus ſuos tenendi, fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente domos, vel loca quęcunque a Religioſis Mendicantibus de novo recipi, vel jam recepta mutari abſque Sedis prefatę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, plenam & liberam tenore pręſentium auctoritate Apoſtolica concedimus facultatem. Volumus etiam, & auctoritate prędicta ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod prędicti Fratres quibus eundem locum donabis, & quos in ipſa nova domo infra decem Annos, a tempore donationis hujuſmodi computandos, reſidere continget, Archiepiſcopo Pragen. & Magiſtro prefatis debeant tantummodo ſubeſſe, ut prefertur, jure tamen Parochialis Eccleſię & alterius cujuſcunque in omnibus ſemper ſalvo; volentes etiam, & eiſdem Fratribus auctoritate Apoſtolica concedentes, quod ipſi, qui in ipſo loco pro tempore reſidebunt, gaudeant omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus, quibus alii Fratres ejuſdem Ordinis ex conceſſionibus Apoſtolicis, alias gaudent, ſeu etiam potiuntur: & inſuper irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum III Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Supplex Archiepiſcopi petitio.

Concedit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Gredlig.*) In *Bohemia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LI fol.* 10.

Anno 1395 Die 8 Septembris.

Ricardo (1) Angliæ Regi, ut Clerici diurnas preces, Fratrum Prædicatorum more, ſecum perſolventes, dum per duos duntaxat Menſes abſuerint, eundem morem retinere poſſint.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Ricardo Regi Anglię Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SPecialis, & ſincera devotio, quam ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, merito Nos inducit, ut ea, quę a Nobis ſuppliciter expoſcis, gratioſe tibi, ac favorabiliter concedamus. Dudum ſiquidem, ut Clerici, Presbyteri, vel etiam ſeculares familiares, tui, qui, ut aſſerebas, horas Canonicas juxta morem Fratrum Ordinis Pędicatorum dicere conſueviſti, hujuſmodi horas Canonicas juxta morem hujuſmodi Fratrum dicti Ordinis, qui, ut aſſerebatur a more Romanę Eccleſię modicum differebat, dicerę valerent, nec tenerentur, ſi nollent, ad morem vel ordinem alium ſuper his obſervandum; Serenitati tuę auctoritate literarum (3) noſtrarum duximus indulgendum, prout in dictis literis plenius continetur; Volentes itaque te favore proſequi gratię amplioris ut quotieſcunque aliquem, vel aliquos ex Clericis, Presbyteris, vel Religioſis hujuſmodi, qui hujuſmodi horas tecum dicere conſueverunt a te, animo ad te redeundi, abſentari continget, ipſi ſic abſentes per duos Menſes a die, qua ſe a te abſentaverunt tantum computandos, hujuſmodi horas juxta pręfatum morem ipſorum Fratrum prędicti Ordinis dicere valeant, nec teneantur, ſi noluerint, morem & alium ordinem obſervare, eidem ſerenitati auctoritate pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei &c. Dat. Romę apud S. Petrum VI Idus Septembr., Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Ricardo*.) Hujus nominis *II*. Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCXCVI pag.* 263.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LI fol.* 195. Hujus Diplomatis mentio apud *Fontanam* mox laudatum.
3. *Literarum*.) Deſiderantur hæ literæ.

Anno 1395 Die 1 Novembris.

Monaſterium de Derteforde (1) quibuſdam Beneficiis Eccleſiaſticis donat.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

LXX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Monialium de Derteforde, per Prioriſſam ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium Roſſen. (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

MAgnę devotionis veſtrę ſinceritas, quam ad nos, & Romanam geritis Eccleſiam, & Religionis, ſub qua, abdicatis mundanis illecebris, devotum exhibitis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis pręſertim, quę commodum & utilitatem Monaſterii veſtri reſpicere dignoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio veſtra, Nobis nuper exhibita, continebat, quod olim jus patronatus de Norton Eſtudemo, alias dictę Norton bavem, & de Wittelee Parochialium Eccleſiarum Sareſburien. (4), & Wyntonien. (5) Dięceſium per quoſdam Patronos Laicos donatum, & deinde Eccleſię prędictę auctoritate ordinaria eidem Monaſterio unitę & incorporatę fuerunt, reſervatis nihilominus in ſingulis ipſarum Eccleſiarum, de quibus ipſi Vicarii ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera poſſent commode ſupportare, prout in quibuſdam patentibus literis inde confectis dicitur plenius contineri; voſque poſſeſſionem, ſeu quaſi, earundem Eccleſiarum, vigore donationum, & unionum, ac incorporationum hujuſmodi adeptę, eas cum ſuis juribus, & pertinentiis univerſis, ex tunc in uſus veſtros tenuiſtis, prout tenetis pacifice, & quiete. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos, quę, ut aſſeritis, non modica egeſtate laboratis, & diverſa onera habetis continue ſupportare, dubitetis donationes, uniones, & incorporationes prędictas ex certis cauſis juribus non ſubſiſtere, pro parte veſtra nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in relevamen onerum prędictorum vobis incumbentium Eccleſias prędictas, quarum ſexaginta, eidem Monaſterio, cujus ſexcentarum Marcharum ſterlinorum fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſeritis, non excedunt, de novo perpetuo incorporare, annectere, & unire, de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati eaſdem Eccleſias cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Monaſterio veſtro, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod liceat vobis corporalem poſſeſſionem per vos, vel alium, ſeu alios, propria auctoritate libere apprehendere, ac in eoſdem uſus veſtros perpetuis futuris temporibus libere retinere, & etiam poſſidere: ac fructus, redditus, & proventus earundem Eccleſiarum in utilitatem veſtram, necnon in ſupportationem onerum hujuſmodi vobis incumbentium pro tempore convertere, ſuper hoc Dięceſanorum Locorum, vel cujuſcunque alterius licentia, ſeu conſenſu minime requiſitis, reſervata tamen, ſi alias, ut pręfertur, reſervata congrua non exiſtat, de fructibus, redditibus, & proventibus cujuslibet prędictarum Eccleſiarum congrua portione, de quibus ipſi Vicarii ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera commode valeant ſupportare. Non obſtantibus Ordinationibus, & Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Parochialibus Eccleſiis, vel aliis eccleſiaſticis beneficiis, in illis partibus ſpeciales vel generales noſtras,

Supplex Monialium petitio.

Indulget ut ſupra.

Clauſula derogans.

noſtras, vel Prędeceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, aut Legatorum Sedis Apoſtolicę literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem ad prędictas Eccleſias volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Parochialium Eccleſiarum, aut beneficiorum aliorum volumus prejudicium generari, & quibuslibet literis, indulgentiis, privilegiis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum haberi debeat in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum Kal. Novemb., Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Decretum irritum faciens.
Sanctio pœnalis.

1. *Derteforde.*) In *Anglia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XIII fol.* 1.
3. *Roſſen.*) Legerem *Roſſen.*, vulgo *Rocheſter*, in *Anglia*; Epiſcopatus enim *Roſſen.* eſt in *Hibernia*.
4. *Sareſburien.*) *Sariſburien.*, vulgo *Sariſburg*, in *Anglia*.
5. *Wyntonien.*) *Wintonien.*, vulgo *Wincheſter* in *Anglia*.

Diploma, quo Johannes XXII Monaſterium de Derteforde (1) variis privilegiis donat, inſcribit.

Anno 1395 Die 1 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LXXI.

JUſtis, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto Prioriſſę & Conventus Monaſterii Monialium de Derteforde, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Roſſen. (3) Diœceſis, petitio continebat, quod dudum fel. rec. Johannes PP. XXII, Prędeceſſor noſter, clarę memorię Eduardi (4) Regis Anglię illuſtris piis deſideriis annuens ſibi (5) & clarę memorię Alienorę (6) Reginę Anglię Matris ejus, animarum ſalute, fundandi, & conſtruendi, in fundo proprio quoddam Monaſterium Sororum Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta, & ſub cura dictorum Fratrum viventium, quod dicta Regina, dum adhuc ageret in humanis, fundare diſpoſuerat, licet morte pręventa id non potuiſſet implere, per ſuas ſub certa forma literas conceſſit facultatem, prout in literis ſuis infra ſcriptis plenius continetur, & deinde idem Prędeceſſor, volens ipſum Monaſterium amplioribus favoribus & gratiis proſequi, quoddam privilegium eidem Monaſterio poſtquam fundatum & conſtructum foret, conceſſit, cujus tenor talis eſt. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. Apoſtolicę Sedis benignitas prudentes virgines, quę per Religionis obſervantiam, & vitę munditiam ſe pręparare deſiderant, cum accenſis lampadibus obviam ire Sponſo, tanto propenſiori debet proſequi ſtudio caritatis, quanto majori, propter fragilitatem ſexus, indigere ſuffragio dignoſcuntur. Sane dudum cariſſimi in Chriſto filii noſtri Eduardi Regis Anglię Illuſtris piis deſideriis annuentes ſibi, pro ſuę & clarę memorię Alinnorę Reginę Anglię, Matris ejus animarum ſalute, fundandi, & conſtruendi in fundo proprio, quoddam Monaſterium Sororum Ordinis Sancti Auguſtini ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, quod dicta Regina dum adhuc ageret in humanis fundare diſpoſuerat, licet morte pręventa id non potuiſſet implere, per noſtras ſub certa forma literas conceſſimus facultatem. Pium igitur & congruum reputantes, ut Sorores in dicto Monaſterio collocandę, poſtquam illud auctore Domino fundatum, conſtructum fuerit, pariter & dotatum, per Sedem Apoſtolicam illis gratiis fulciantur, quę ſuis & ejuſdem Monaſterii neceſſitatibus fuerint opportunę, ac conſiderantes, quod Nos, dudum inhęrentes veſtigiis fel. rec. Benedicti PP. XI Prędeceſſoris noſtri, qui univerſis Prioriſſis, & Sororibus Monaſteriorum eiuſdem Ordinis ſecundum Inſtituta & ſub cura Fratrum dicti Ordinis viventibus, nonnullas immunitates, & libertates duxit per ſpeciale privilegium auctoritate Apoſtolica concedendas (7), dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę & Sororibus Monaſterii de Bellomonte ſiti in Valenceins (8), quod per Prioriſſam gubernatur dicti Ordinis ſecundum Inſtituta, & ſub cura dictorum Fratrum viventibus, ſimile privilegium auctoritate Apoſtolica duximus concedendum, ad inſtar ejuſdem Privilegii dictis Prioriſſę, & Sororibus Monaſterii de Bellomonte per nos conceſſi, Prioriſſę & Sororibus in dicto Monaſterio per dictum Regem fundando, conſtruendo pariter & dotando, cum perfectum fuerit, collocandis, dictęque Prioriſſę, & Sorores in eo fuerint collocatę, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus, ut ad pręſtationem decimarum de quibuſcunque poſſeſſionibus, & aliis omnibus bonis, earum, quę ex conceſſione & donatione dicti Regis habebunt, & juſtis modis, pręſtante Domino, acquiſiverint in futurum, vel ad exhibendum annuum redditum, ſeu cenſum ipſorum Diœceſanis Epiſcopis, necnon pedagia, Theolonea, & alias exactiones quibuſvis Regibus, ſeu aliis perſonis ſecularibus, ac etiam ad dandum procurationes aliquas Legatis, vel Nunciis Apoſtolicę Sedis, ſive ad decimam, vel aliam portionem, aut ſubventionem aliquam de pertinentiis earundem cuiquam exhibendam, vel alias contribuendum in exactionibus, vel collectis, ſeu ſubſidiis aliquibus minime teneantur nec ad id compelli poſſint per literas Sedis ejuſdem, vel Legatorum ejus aut quorumcunque aliorum, etiamſi in ejuſdem Sedis literis contineatur expreſſe, quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, & Monaſteria ſe extendant, & aliqua eis, cujuſcunque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia non obſiſtat, niſi forſan dictę literę Sedis ejuſdem de indulto hujuſmodi, & Monaſteria earundem plenam & expreſſam fecerint mentionem, ac nihilominus a juriſdictione, & poteſtate Patriarcharum, Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum Diœceſanorum ſuorum, & quorumcunque aliorum eximimus ipſas,

Exordium.

Monialium ſupplex petitio.

Tenor Diplomatis Johannis XXII.
Exordium.

Regis Eduardi ſupplex petitio.

Privilegia Monaſterio de Derteforde a Johanne XXII conceſſa.

ipſas, & Monaſterium ſuum, cum illud fundatum, conſtructum fuerit pariter & dotatum, & loca earundem de gratia ſpeciali. Illis inſuper ipſas gaudere volentes privilegiis, gratiis, & indulgentiis, quę ipſi Prędicatorum Ordini ſunt conceſſa, & in poſterum concedentur, Nos enim ex nunc irritas decernimus, & inanes dictę ſuſpenſionis & excommunicationis ſententias, ſi quas in eas, vel aliquas earundem, vel Monaſterium, cum illud, ut prǽmittitur, fundatum, conſtructum fuerit pariter & dotatum, & loca earundem, ſeu quoſcunque alios occaſione earundem, prǽmiſſorum prętextu, contra hujuſmodi conceſſionis noſtrę tenorem, & quęcunque de cetero contigerit promulgari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, exemptionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Dat. (9) Romę apud S. Petrum Kal. Novemb., Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Derteforde.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.
3. *Roſſen.*) *Reſſen.*, ut dictum eſt in *Notis* ad præcedens Diploma.
4. *Eduardi.*) Hujus nominis *Quinti* a primo ejuſdem nuncupationis anteriorum temporum Rege: *Secundi* vero ex *Andegavenſium* Comitum ſtirpe.
5. *Sibi.*) Adderem: *Pro ſua.*
6. *Alienoræ*,) Seu *Eleonoræ*.
7. *Concedendas.*) Diplomate, quod deſideratur.
8. *Valenceins.*) *Valencenis*, in *Belgio*.
9. *Datum.*) Nonnihil hic deeſt, quo die ſcilicet, quo anno Diploma datum ſit a *Johanne XXII.*

Anno 1395 Die 8 Novembris.

F. Johannes (1) Zelich Glandacenſis Epiſcopus creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Zelich, Electo Glandacen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DIvina favente clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Heimingo Epiſcopo Glandacen. regimini ipſius Glandacen. Eccleſię prędidente, Nos cupientes ipſi Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per dictę Sedis providentiam, utilem, & idoneam prędidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prǽfata Eccleſia per obitum ipſius Heimingi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de prǽficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi prǽficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias & largitur prǽmia confidentes, quod dicta Eccleſia ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente Divina, proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictę Eccleſię ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam fructuoſum, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis prǽmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

F. Johannes Epiſcopus conſtitutus.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*

Anno 1395 Die 29 Novembris.

F. Conradus (1) Fader Argionenſis Epiſcopus renunciatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Conrado Fader Electo Argionen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini prędidemus, utiliter exequi coadjuvante Domino cupientes, ſolicti corde reddimur, & ſolertes; ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores prǽficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo, velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bo. me. Johanni Epiſcopo Argionen. regimini Argionen. Eccleſię prędidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prędidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane,

Johannes F. Conradi deceſſor.

& inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prętata Eccleſia per obitum dicti Johannis Epiſcopi, qui extra Roman. Eccleſiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua Nobis & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; In illo, qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod ipſa Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quamprimum preſentes literas habueris expeditas ad pretatam Eccleſiam Argionen. te transferas, & perſonaliter reſideas in eadem, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Argionen. Pontificalia officia nequeas exercere; Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictę Eccleſię ſuſcipiens reverenter, ſic te in eius cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod & ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque prçter ęternę retributionis prçmium, noſtram, & dictę Sedis gratiam, & benedictionem exinde uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud Sanctum Petrum III Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo. *Epiſcopus conſtituitur.*

1. *Conradus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro LXII fol. 73.*

F. Petrus (1) fit Epiſcopus Termulanus.

Anno 1395 Die 1 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Electo Termulan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula, licet immeriti, conſtituti, ad univerſas orbis Eccleſias aciem noſtrę conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis perpenſius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores pręficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam, ſalubriter dirigant & informent, ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. *Exordium.* Dudum ſiquidem bonę memorię Epiſcopo Termulan. regimini Eccleſię Termulan. prçſidente Nos, cupientes, eidem Eccleſię cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię, ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Conſtantini Epiſcopi, qui extra Roman. Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus prçter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de prçficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Electum Scalen., Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, conſiderationis grandium virtutum tuarum meritis, quibus perſonam tuam, prout fide dignorum teſtimonio accepimus, Altiſſimus inſignivit, & quod tu, qui regimini Scalen. Eccleſię hactenus laudabiliter prçfuiſti, dictam Termulan. Eccleſiam ſcies, & poteris auctore Domino utiliter regere, & feliciter gubernare, direximus oculos noſtrę mentis. *F. Petrus Conſtantino ſuccedit.* Intendentes itaque tam dictę Eccleſię Termulan, quam ejus gregi dominico ſalubriter providere, te a vinculo, quo eidem Scalen. Eccleſię, cui tunc prçeras, tenebaris, de ipſorum Fratrum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, abſolventes, te ad dictam Termulan. Eccleſiam transferimus, teque illi prçficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Termulan. Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi tradendo licentiam ad eandem Termulan. Eccleſiam tranſeundi; In illo qui dat gratias & largitur prçmia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, prçfata Termulan. Eccleſia per tuę induſtrię & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ad prçfatam Termulan. Eccleſiam cum gratia noſtrę benedictionis accedens, curam, & adminiſtrationem prçdictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Termulan. gubernatori provido, & adminiſtratori fructuoſo gaudeas ſe commiſſam, tuque prçter ęternę retributionis prçmium noſtram & dictę Sedis benedictionem, & gratiam

exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Petrus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXII fol.* 118.

Anno 1395 Die 1 Decembris.

F. Petruccius (1) de Pennis Epiſcopus Scalenſis inſtituitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXV.

Bonifatius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Petruccio de Pennis Electo Scalen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIvina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula, licet immeriti, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtrę conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalobriter dirigendo apoſtolici ſavoris auxilium adhibemus; ſed
Exordium. de illis propenſius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores pręficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam ſalubriter dirigant, & informent, ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Sane Scalen. Eccleſia ex eo paſtoris ſolatio deſtituta, quod nos hodie Venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Termulan., tunc Scalen. Epiſcopum, licet abſentem, a vinculo quo eidem Eccleſię, cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Termulan. tunc vacantem duximus auctoritate apoſtolica transferendum, pręficiendo ipſum eidem Termulan. Eccleſię in Epiſcopum, & Paſtorem: Nos ad proviſionem dictę Scalen. Eccleſię celerem, & felicem, ne ipſa Scalen. Eccleſia longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo Scalen.
F. Petrus e Scalenſi ad Termulanam Sedem translatus. Eccleſię pręfatę perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Pędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis: quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Scalen. Eccleſię de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem: curam, & adminiſtrationem ipſius Scalen. Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus, plenarie committendo; in illo,
F. Petruccius F. Petro ſuccedit. qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Scalen. Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, quod ipſa Scalen. Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Petruccius.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXII fol.* 104.

Anno 1396 Die 5 Januarii.

Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum, ut ſibi legatis bonis pro arbitrio uti poſſint (1).

Ex Bullario Uſuſmaris pag. 89.

LXXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, in qua relictis ſeculi vanitatibus exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut petitiones veſtras, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc
Exordium. eſt, quod Nos ad inſtar fel. rec. Bonifatii PP. VIII, & Clementis VI, Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut ea, quę pro ornamentis, aut libris, fabrica, luminaribus, anniverſario, ſeptimo, vigeſimo, trigeſimo, ſive aliis ad perpetuum cultum divinum, ſeu pro pitantiis, aut victu ad ſuſtentationem veſtram, aut pro indumentis, necnon annuis cenſibus redimendis, ad quorum ſolutionem aliquę domus veſtri Ordinis obligatę noſcuntur, vel domibus, prędiis, & hortis, aliiſque locis, vobis ſecundum inſtituta veſtri Ordinis opportunis, aut quę pro hu-
Indulget ut ſupra. juſmodi domibus, prędiis, & hortis, ac locis emendis, & perpetuas eleemoſynas, quę pro perpetuis memoriis anniverſariis vobis legantur, aut conferuntur, recipere, & ipſis gaudere, eaque in pręmiſſos, & alios uſus veſtros convertere licite valeatis, in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque, devotioni veſtrę, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem
Sanctio pœnalis. hoc attentare pręſumpſerit indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum Nonis Januarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Poſſint.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

F. Ja-

F. Jacobus (1) de Weſep Epiſcopus Gybeldenſis deſignatur.

Anno 1396 Die 19 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo de Weſep Electo Gybelden. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ROmani Pontificis, quem Paſtor ille cęleſtis, & Epiſcopus animarum pietatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis prętulit univerſis, plena vigiliis ſolicitudo requirit; ut circa cujuslibet ſtatum Eccleſię ſic vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumſpectam Eccleſiis ſingulis Paſtor accedat idoneus, & rector providus deputetur per quem Eccleſię ipſę, superni favoris auxilio ſuffragante, votivę proſperitatis ſucceſſibus gratulentur. Dudum ſiquidem bonę memorię Volkero Epiſcopo Gybelden. regimini Gybelden. Eccleſię pręſidente, nos cupientes eidem Eccleſię cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervantes decrevimus ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prędicta Eccleſia per ipſius Volkeri obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſten. ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, cui de literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, prędictę Eccleſię, de eorundem Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; In illo, qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, ad pręfatam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra Civitatem, & Diœceſim Gybelden. Pontificalia officia nequeas exercere. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis prędictę Eccleſię prompta devotione ſuſcipiens, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam fructuoſum, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam, exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

F. Jacobus Volkero ſuccedit.

1. *Jacobus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LX fol. 316.*

Archiepiſcopo Capuano (1), ut Mariam (2) Siciliæ Reginam in poſſeſſionem Monaſterii Sancti Petri ad Caſtellum de Neapoli Ordinis Sancti Benedicti mittat.

Anno 1396 Die 25 Februarii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

LXXVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Capuano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AFfluentis devotionis affectus, quo cariſſima in Chriſto filia noſtra Maria Regina Sicilię illuſtris erga Romanam Eccleſiam matrem ſuam pollere dignoſcitur, promeretur, ut ipſius Reginę perſonam multis utique virtutum titulis inſignitam, favoribus proſequentes uberibus, votis ſuis, iis potiſſime, liberaliter annuamus, per quę divinę majeſtatis conſpectui reddatur acceptior, gratioſior habeatur, ſibique pręter laudis humanę pręconium, ſalutis cumulus producatur. Habet ſiquidem expoſitę nobis dictę Reginę petitionis aſſertio, quod inter cetera deſideria mentis ſuę illud pręgrande fore conſpicitur, ut Sacer Fratrum Prędicatorum Ordo in horto plantatus Eccleſię ad laudem & gloriam Summi Regis per ſuę ſolicitudinis ſtudium, ſuique miniſterii ſolertiam curioſam, proſperis ſucceſſibus gaudeat, lętis ſecundetur accentibus (4), & votivis proficiat incrementis. Quare pręfata Regina ſupplici poſtulabat inſtantia, ut in Monaſterio Sancti Petri ad Caſtellum de Neapoli, Ordinis S Benedicti, Moniales, ſive Sorores ejuſdem Prędicatorum Ordinis ponere, ac inſtituere, libere valeat, ut in illo ipſę, ac illę quę in ipſo Monaſterio eis ſucceſſerint perpetuis futuris temporibus permanerent, benignam ſibi licentiam concedere dignaremur. Nos utique hujuſmodi ſuum laudabile deſiderium, ſalubreque propoſitum, dignis in Domino laudibus attollentes, & volentes patris more benevoli, ut illud de Apoſtolicę Sedis mu-

Supplex Reginæ Siciliæ petitio.

munifica liberalitate efficaciter impleatur, gerentes quoque circa prefatum Predicatorum Ordinem ſpecialis dilectionis affectum, memoratę Reginę prelibatum Monaſterium Sancti Petri, cum Domibus, officinis, juribus, pertinentiis ſuis omnibus, ubilibet conſtitutis, necnon theſauro, Reliquiis, & eccleſiaſticis ornamentis, auctoritate Apoſtolica, de gratia ſpeciali, conceſſimus, ac donavimus, ibique ponendi, & inſtituendi libere in eodem Moniales, ſive Sorores ipſius Predicatorum Ordinis uſque ad numerum, de quo ſua videret expedire diſcretio, ut per eas, necnon & illas, quę ipſis in eodem Monaſterio ſucceſſerint, ibidem perpetuo ſub ipſius Ordinis obſervantia, virtutum Domino ſerviatur, plenam, & liberam auctoritate predicta licentiam duximus largiendam. Ut autem Moniales, ſive Sorores predictę, quę in eodem Monaſterio pro tempore fuerint, in ſuis actibus ſalubrius, & honeſtius dirigantur, auctoritate memorata ſtatuimus, & ordinavimus, ut in Monaſterio ipſo Priorissa continuo haberetur a monialibus ipſis, ſive ſororibus, communiter eligenda, quodque predictum Monaſterium omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, & conceſſionibus gauderet, quę locis aliis ejuſdem Predicatorum Ordinis forent ab Apoſtolica Sede conceſſa.

Mandatum. Quo circa fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſublato morę diſpendio ad prefatum Monaſterium Sancti Petri te perſonaliter conferens predictam Reginam, vel procuratorem ſuum, aut alium ejus Nomine in corporalem poſſeſſionem Monaſterii, domorum, officinarum, jurium, pertinentiarum, theſauri, Reliquiarum, & ornamentorum predictorum, per te, vel per alium, ſeu alios auctoritate noſtra inducas, & tuearis inductam; Abbate, Monachis, & Converſis ejuſdem Monaſterii Sancti Petri amotis primitus ab eodem, ac Abbatem, Monachos, & Converſos predictos in Sancti Sebaſtiani, & Sancti Severini Majoris, ac Sanctę Marię de Capellis, Monaſteriis de Neapoli, ejuſdem Ordinis Sancti Benedicti collocare procures, faciens eos in Monaſteriis ipſis recipi in Monachos, & Converſos, & ſincera in Domino caritate tractari, contradicentes per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtante ſi aliquibus a Sede Apoſtolica ſit Indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam ac de verbo ad verbum de Iodulto hujuſmodi mentionem. Datum Laterani V. Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Capuane.*) *Capoa*, in Regno *Neapolitano*.

2. *Mariam.*) Licet inter Diplomata *Bonifatii IX* hanc reperierim *Conſtitutionem*, aſcribenda tamen videtur *Bonifatio VIII. Laterani* ſiquidem, non ſecus ac aliæ *Bonifatii VIII* data fertur, non apud *S. Petrum*, ubi ceteræ omnes, quæ hoc anno conceſſæ ſunt a *Bonifatio IX.* Quod levioris, immo leviſſimi, momenti ſit hæc obſervatio, non diffiteor, ſed alia gravisſima, ſequenti nempe, confirmatur. Enim vero nullam invenies *Mariam*, Reginam *Siciliæ*, cujus *affluentis devotionis affectum .... erga Romanam Eccleſiam Matrem ſuam* hoc anno *Bonifatius IX* commendare potuerit. Florebat quidem per id tempus *Maria*, e gente *Caſtillonea*, mater *Ludovici II*, quæ jus ad *Siciliæ* Regnum ſibi vindicabat. Verum Antipapam ſectabatur iſta. A *Bonifatio IX* defecerat etiam alia *Maria*, ex Aragonum ſtirpe oriunda, uxor *Martini*, Regina *Siciliæ* nuncupata. Hinc Regis *Siciliæ*, *Ladiſlai*, qui *Bonifatii IX* cauſa ſtabat, partes tutabatur idem *Bonifatius*; non eſt ergo credibile, quod aliquam ex illis, *Bonifatius IX* tot laudibus celebrarit hoc in Diplomate. Nec dici poteſt, quod Conjugi *Ladiſlai* inſcribatur Diploma. Licet enim multarum nuptiarum fuerit *Ladiſlaus*, nulli tamen ex uxoribus, quas habuit, inſcriptum fuit. Non Primæ, *Conſtantiæ* ſcilicet, cui *Ladiſlaus* ab anno *MCCCXCII* nuncium remiſerat: Non Secundæ, quæ quidem *Maria* vocabatur, ſed iſtam *Ladiſlaus* duxit anno duntaxat *MCCCCIII*; de Tertia, *Maria* nempe, quæ *Raymundo Urſino* primum, & poſt mortem *Raymundi*, nupſit *Ladiſlao*, nulla eſt difficultas. Hanc ergo, de qua loquitur Summus Pontifex, *Mariam* crediderim, Regis *Hungariæ* filiam, *Caroli II*, Regis *Siciliæ*, Conjugem, in quam unam apprime convenit quicquid hic legitur. Hinc *Bonifatio VIII* hocce Diploma tribuendum videtur. Adſtipulatur huic ſententiæ *Bernardus Guidonis*, cujus hæc verba apud *Echard in Notitia Ordinis Prædicatorum Tomo I Scriptorum pag. 8.* Monaſterium *S. Petri Martyris ad Caſtellum in Civitate Neapoli in Monaſterio ubi erant prius Monachi Nigri: quibus inde depulſis fundatum extitit, & dotatum a Carolo Rege Siciliæ, de conſenſu & auctoritate D. Bonifatii Papæ VIII, ad inſtantiam ipſius Regis, & magis ac principaliter Dominæ Marthæ* (Mariæ) *Reginæ, uxoris ſuæ ſuper hoc ſpecialiter ſupplicantis anno Domini MCCC. Ubi Rex & Regina poſuerunt Sororem Eliſabeth, germanam ipſius Reginæ, filiamque Regis Hungariæ, quæ alias fuerat Soror in Monaſterio de Inſula Sororum Ordinis in Hungaria.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum eſt *Neapoli*, in Monaſterio *SS. Petri & Sebaſtiani*.

4. *Accentibus.*) Fortaſſis *Acceſſionibus*; vel legendum *Latis jucundetur accentibus*.

F. Johannes (1) Bruchilla fit Epiſcopus Landavenſis.

Anno 1396 Die 12 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Bruchilla Electo Landaven., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ROmani Pontificis, quem Paſtor ille celeſtis, & Epiſcopus animarum, poteſtatis ſibi plenitudine tradita, Eccleſiis pretulit univerſis, plena vigiliis ſolicitudo requirit, ut ipſe circa eujuslibet ſtatum Eccleſię ſic vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumſpectam Eccleſiis ſingulis paſtor accedat idoneus, & rector providus deputetur, per quem Eccleſię ipſę, superni favoris auxilio ſuffragante, votivę proſperitatis ſucceſſibus gratulentur. Dudum ſiquidem bonę memorię Andrea Epiſcopo Landaven. regimini Landaven. Eccleſię preſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum ipſam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem & idoneam preeſſe perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari; poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ejuſdem Andreę Epiſcopi,

F. Johannes Andreæ ſucceſſor. qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus preter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de preficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Predicatorum profeſſorem, in Presbyteratus or-

Digitized by Google

ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtate, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque probitatis & multiplicium virtutum meritis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis: Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Landaven. Eccleſię, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod pręfata Eccleſia ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente divina, proſpere dirigetur ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori, gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXII fol. 97.*

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Sancti Severini (1).

Anno 1396 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXX.

Licet is, de cujus munere &c. (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Sanctę Marię de Mercato Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum de Sancto Severino, Auximan. Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus & confeſſis, qui in ultimo die Sabbati Menſis Auguſti a primis Veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei Altare majus prędictę Eccleſię devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius Eccleſię, ornamentorumque, conſervationem, fabricam, & reparationem, manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedimus, quam Eccleſiam Sancti Quiriaci de Ancona in feſtivitate ejuſdem Sancti Quiriaci viſitantes ex conceſſione felicis recordationis Gregorii PP. XI Prędeceſſoris noſtri annuatim quomodolibet conſequuntur (4). Volumus autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Exordium. Indulgentia.

L. P. de Boſco.

Regiſtrata Gratis.

J. B.... V.

1. *S. Severini.*) In *Piceno*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo, quod habetur in Cœnobio *S. Severini*.

3. *Munere &c.*) Ut in *Conſtitutione V.*

4. *Conſequuntur.*) Hanc Indulgentiam inſtar illius eſſe, quam *Alexander III*, aliique Summi Pontifices Eccleſiæ *S. Marci* Venetiarum conceſſere, legitur a tergo hujus Diplomatis. Sed alia manu, recentiori nempe, ſcriptum videtur.

Prior Cœnobii S. Severini duos vel tres Fratres conſtituat, qui ultima die Sabbati Menſis Auguſti peccata viſitantium Ædes ſacras ejuſdem Cœnobii poſſint excipere (1).

Anno 1396 Die 15 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis.... Priori, & Fratribus Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Sanctę Marię de Mercato de Sancto Severino, Auximan. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXXI.

Sacra veſtra Religio, ſub qua devotum Domino virtutum impenditis famulatum digne nos excitat, & inducit, ut petitiones veſtras in his pręſertim quę animarum ſalutem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam admittamus. Cum itaque Nos hodie de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in ultima die Sabbati Menſis Auguſti a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem diei Altare majus Eccleſię Sanctę Marię de Mercato Domus veſtrę devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius Eccleſię Ornamentorumque conſervationem, fabricam, & reparationem manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum conceſſerimus, quam Eccleſiam Sancti Quiriaci de Ancona in feſtivitate ejuſdem Sancti Quiriaci viſitantes ex conceſſione felicis recordationis Gregorii PP. XI Prędeceſſoris noſtri annuatim quomodolibet conſequuntur, prout in noſtris inde confectis literis (3) plenius continetur, Nos, ut Chriſti fideles ad ipſam Eccleſiam in hujuſmodi Die Sabbati annuatim confluentes conſcientię pacem, & animarum Salutem, Deo propitio, conſequantur, & indulgentię hujuſmodi melius participes eſſe poſſint, benignius agere volentes, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut Prior pręExordium. Conceſſio.

prędictę domus veſtrę pro tempore exiſtens, & duo, vel tres alii ex Fratribus ipſius domus ad hoc idonei, per ipſum Priorem pro tempore eligendi, Confeſſiones quarumcunque perſonarum ad prędictam Eccleſiam domus veſtrę, cauſa hujuſmodi Indulgentię aſſequendę prędicta die Sabbati annuatim accedentium, hujuſmodi Indulgentia durante duntaxat, audire, & ipſis diligenter auditis, eiſdem perſonis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere valeant, ac injungere pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, devotioni veſtrę, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Idibus Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Sanctio pœnalis.

Tun. N. De Frettona. P. De Boſco.
Jo. De Lyns.

1. *Excipere.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar, cujus Autographum eſt in Cœnobio *S. Severini.*
3. *Literis.*) Præcedentibus.

Anno 1396 Die 29 Novembris.

F. Conradus (1) Lindin de Wecſlaria Chriſtinopolitanus Epiſcopus renunciatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Conrado Lindin. de Wecſlaria Electo Chriſtinopolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SUſcepti cura regiminis cor noſtrum continua pulſat inſtantia, ut ſolicitudinis debitum, ad quod univerſis orbis Eccleſiis nos Apoſtolicę ſervitutis neceſſitas obligat, earum ſingulis, prout nobis ex alto conceditur, exſolvamus, in eo potiſſime, ut illarum regimina, quę propriis ſunt deſtitutę Paſtoribus, perſonis talibus committantur, per quarum ſolertiam circumſpectam Eccleſię ipſę in ſpiritualibus, & temporalibus valeant adaugeri. Dudum ſiquidem bonę memorię Gerardo Epiſcopo Chriſtinopolitan. regimini Chriſtinopolitan. Eccleſię pręſidente, nos cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręeſſe perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię diſpoſitioni, & ordinationi noſtrę ducimus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum dicti Gerardi Epiſcopi, qui extra Romanam Eccleſiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, videlicet Sexto Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto, de perſona dilecti filii Johannis Coctor Ordinis Fratrum Minorum Profeſſoris duximus eidem Eccleſię de Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica providendum, pręficiendo ipſum eidem Eccleſię in Epiſcopum, & Paſtorem. Nos igitur attendentes quod proviſio, & pręfectio prędictę ex eo juribus non ſubſiſtant, quod idem Johannes literas Apoſtolicas ſuper hujuſmodi proviſione, & pręfectione, prout juxta quandam ordinationem per nos ſuper hoc editam tenebatur, infra certum terminum expediri non fecit, vel ſaltem in Cancellaria noſtra poni, & ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice diſponere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa prolixioris vacationis detrimenta ſubiret, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum dictis Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, & aliis virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, convertimus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum conſilio Fratrum, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem: curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod pręfata Eccleſia ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente divina, proſpere dirigetur, & ſalubria in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, ad pręfatam Eccleſiam accedas, & perſonaliter reſideas in eadem, quodque Pontificalia officia extra tuas Civitatem, & Dięceſim Chriſtinopolitan. minime valeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod pręfata Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & Apoſtolicę Sedis benedictionem, & gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

F. Conradus fit Epiſcopus.

1. *Conradus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXX fol. 270.*

Ut

Ut Fratres Prædicatores, ceteroſque Tuneti (1) captivos e ſervitute redimant, Fidelibus Indulgentiam impertitur.

Anno 1397 Die 29 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prȩſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXIII.

Fidelium Chriſtianorum per paganos barbaros, & alios Chriſti nominis inimicos in captivitate detentorum liberationibus ſuffragia prȩbere, pium apud Deum & meritorium reputantes, frequenter alios Chriſti fideles ad impendendum ipſis captivis in eorum liberationibus ſuffragia, noſtris literis exhortamur, & ut ad id eo ferventius animentur, quo majus ex hoc animarum commodum ſe ſperaverint adipiſci, non nunquam pro his temporalibus ſuffragiis ſpiritualia etiam munera, Indulgentias videlicet, & remiſſiones elargimur. Dudum ſiquidem fideli relatione percepimus, quod in partibus Barbariȩ in Civitatem Tunicen. tres Monachi Sancti Benedicti, & tres Fratrum Minorum, duo Prȩdicatorum, & duo Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Ordinum Fratres, & quatuor viri laici, & ſex mulieres per ipſos barbaros, & paganos per plures annos crudeliter & inhumaniter detenti, & diris ſuppliciis, ut Chriſti nomen abnegarent, afflicti fuerunt, prout tunc temporis affligebantur, pro quorum liberatione dilectus filius Jacobus Danthonis de Terracina dicti Ordinis Fratrum Minorum Profeſſor, pietate motus, tria millia florenorum auri eiſdem paganis detentoribus ipſorum Chriſtianorum infra decem menſes, a medio menſis Februarii proxime prȩteriti computandos, dare, & ſolvere promiſerat, alioquin oportebat eos prȩdictum nomen Chriſti, & Orthodoxam fidem abnegare, & eorundem paganorum damnatam fidem profiteri, quodque ipſe Jacobus prȩdicta tria millia florenorum, minime ſolvere poterat, niſi ipſe per caritativa fidelium ſubſidia, & ſuffragia ad ſolutionem hujuſmodi adjuvaretur; Nos, videlicet V Idus Martii, etiam proxime prȩteriti ipſorum captivorum liberationem cupientes, omnibus Chriſti fidelibus, qui de bonis eis a Deo collatis ad liberationem prȩdictorum captivorum manus porrigerent adjutrices toties, quoties hujuſmodi manus adjutrices porrigerent, decem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pȩnitentiis miſericorditer relaxavimus, ac voluimus, quod prȩdictȩ literȩ poſt dictos decem Menſes minime valerent. Cum autem decem Menſes hujuſmodi antequam quantitas, ſive ſumma dictorum trium millium florenorum pro redemptione hujuſmodi a dicto Jacobo collecta fuerit, expiraverint, ſeu alias prȩterierint, dictique captivi adhuc in carceribus affligantur, Nos captivis ipſis, prout ex debito tenemur paſtoralis officii, occurrere cupientes, de Omnipotentis Dei miſericordia & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus, qui ad liberationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices toties, quoties hujuſmodi manus porrexerint, decem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pȩnitentiis miſericorditer relaxamus, prȩſentibus poſt octo menſes a fine dictorum primorum menſium decem computandos minime valituris. Datum Romȩ apud Sanctum Petrum IV Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Exordium.

Captivorum numerus.

Indulget ut ſupra.

1. *Tuneti.*) Vulgo *Tuniſi*, in *Africa*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIII fol.* 221.

Abbati Murbacenſi (1), ut Moniales Ordinis Prædicatorum in Monaſterii Schonenſteynbath (2) poſſeſſionem veniant.

Anno 1397 Die 9 Aprilis.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Murbacen., Baſileen. Diȩceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXIV.

Piis votis fidelium libenter annuimus, & his quȩ divini cultus augmentum, & religionis propagationem reſpiciunt, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte dilectorum filiorum Magiſtri Generalis, & Fratrum Ordinis Prȩdicatorum Provinciȩ Teutonicȩ juxta morem dicti Ordinis petitio nobis nuper exhibita, continebat, quod Monaſterium Monialium in Schonenſteynbath Ordinis S. Auguſtini, Baſileen. Diȩceſis, propter guerras, & mortalitates, quȩ in partibus illis hactenus viguerunt a pluribus annis, inhabitatum remanſit, & in ejus ȩdificiis, quaſi totaliter eſt collapſum, quod ex tunc nec in eo aliquȩ Moniales habitarunt, quodque nonnulliȩ honeſtȩ Mulieres, tam Virgines, quam Viduȩ, Provinciȩ prȩdictȩ, quarum aliquȩ ſunt de nobili genere procreatȩ, ac etiam quȩdam Moniales dicti Ordinis S. Auguſtini in diverſis Monaſteriis, & Domibus, ſive locis, in dicta Provincia conſiſtentibus, commorantes, ac ſub cura & ſecundum Inſtituta dictorum Fratrum Prȩdicatorum viventes, Monaſterium ipſum, ſi eis cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis pro earum uſu, & habitatione perpetua, concedatur, ac Magiſtro & Fratribus prȩdictis ſubmittatur, reȩdificare, ac de bonis ſuis, & aliorum fidelium piis ſuffragiis, pro una Prioriſſa & certo Monialium numero, inibi ſub clauſura perpetuo moraturis, quȩ ſub cura & ſecundum inſtituta hujuſmodi dictorum Fratrum Prȩdicatorum vivere debeant, competenter dotare proponunt. Quare pro parte ipſorum Magiſtri & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Mulieribus, & Monialibus prȩfatis Monaſterium prȩfatum cum juribus, & pertinentiis hujuſmodi concedere, & donare, ac ipſis Magiſtro & Fratribus Monaſterium, ac Mulieres, & Moniales hujuſmodi eorum curȩ & adminiſtrationi committere, & alias prȩmiſſa faciendi, licentiam elargiri de benignitate Apo-

Supplex Fratrum Prædicatorum petitio.

Mandat ut ſupra.

Apoſtolica dignaremur. Nos itaque qui hujuſmodi cultum, & propagationem noſtris temporibus adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, prędictum Monaſterium, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis eiſdem Mulieribus & Monialibus, auctoritate noſtra, dones, & concedas, necnon pręmiſſa faciendi, ac ipſis Monialibus ad pręfatum Monaſterium, ipſorum Superiorum licentia ſuper hoc petita, licet non obtenta, tranſeundi, & in eo perpetuo permanendi, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris; & nihilominus eidem Magiſtro numerum Monialium, ſive Sororum, dicti Monaſterii, in Monaſterio ipſo, juxta facultatem ejuſdem ſtatuendi, ipſaſque Moniales, ſeu Sorores, ad Regularem profeſſionem juxta morem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum admittendi, & in hac vice primaria unam ex ipſis, poſtquam profeſſionem eandem emiſerit, ad pręfati Monaſterii regimen utilem & idoneam, ipſi Monaſterio in Priorillam pręficiendi, ac curam, & adminiſtrationem ipſius Monaſterii, in ſpiritualibus ſibi, & temporalibus committendi, ſibique a ſuis ſubditis obedientiam & reverentiam debitas exhiberi faciendi, contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram Eccleſiaſticam, auctoritate Apoſtolica, compeſcendo, plenam, & liberam eadem auctoritate concedas facultatem. Nos enim eiſdem Priorillę & Monialibus, poſtquam Monaſterium ipſum reędificatum, ac conſtructum fuerit, & dotatum, ut pręfertur, ut omnibus & ſingulis privilegiis, & Indulgentiis, quibus Moniales ſub cura & ſecundum Inſtituta dictorum Fratrum Ordinis Prędicatorum gaudent, ſeu quomodolibet potiuntur, uti, & gaudere libere & licite poſſint, eadem auctoritate, concedimus per pręſentes; ſtatuentes nihilominus, ut de cetero perpetuis, & futuris temporibus pręfatum Monaſterium S. Brigittę de Schonenſteynbath nuncupetur, quodque Prioriſſa & Moniales pręfatę, ſub cura & ſecundum inſtituta ipſorum Fratrum Ordinis Prędicatorum vivere debeant, & teneantur: Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinum prędictorum, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque; Et inſuper ex nunc irritum decernimus & inane &c Datum Romę apud S. Petrum V Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Idem Monaſterium Privilegiis Fratrum Prædicatorum donat.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

1. *Murbacenſi.*) In *Alſatia Superiori.*
2. *Schonenſteynbath.*) Juris eſt Vicarii Generalis Congregationis *Alſatiæ.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXI fol. 76.*

Anno 1397 Die 9 Aprilis.

Quicquid, ut Inſtituta Fratrum Prædicatorum ad amuſſim ſerventur, Frater Raymundus (1) ejuſdem Ordinis Generalis Magiſter ſanxit, ratum habet & firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam.

His, quę pro Religionis obſervantia facta, & ordinata, ac conſtituta ſunt, & per quę Religioſarum perſonarum, pręſertim Ordinis Fratrum Prędicatorum, ad quem ſpecialis gerimus devotionis affectum, animarum ſaluti conſulitur, libenter annuimus, eiſque, cum a Nobis requiritur, ut illibata conſiſtant, Apoſtolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane petitio pro parte, dilectorum filiorum Conradi de Pruſſia, ac Johannis Dominici (3), & nonnullorum aliorum Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum, Nobis nuper exhibita, continebat, quod olim dilectus filius Raymundus, Magiſter Generalis dicti Ordinis, circa ſtatum regularis obſervantię ipſius Ordinis, reformationem, & diſciplinam, ut bonus paſtor vigilanter intendens, ac domos & perſonas dicti Ordinis, necnon Monaſteria, & loca Monialium Sancti Auguſtini ſub cura & ſecundum inſtituta hujuſmodi dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium in Italię, & Alemanię, aliiſque diverſis mundi partibus conſiſtentia, auctoritate Magiſterii hujuſmodi viſitans, nonnulla ſalubria ordinationes, & ſtatuta, quę per perſonas dictorum Ordinum & Monaſteriorum obſervari precepit, juxta Conſtitutiones laudabiles dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum innovavit, ſeu alias fecit, & nihilominus, ut pręfatus Prędicatorum Ordo, & etiam Moniales ſub cura & ſecundum inſtituta hujuſmodi viventes, bene & laudabiliter, necnon ſecundum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum diſciplinam ac hujuſmodi obſervantiam, & Conſtitutiones gubernarentur, nonnullos dicti Ordinis Prędicatorum profeſſores moribus & vita pręclaros, ac hujuſmodi obſervantię & diſciplinę pręcipuos zelatores in pleriſque Provinciis juxta morem dicti Ordinis Prędicatorum, ſuoſque cuilibet ipſorum in aliqua, vel aliquo, domo, ſeu Conventu dicti Ordinis Prędicatorum in ſpiritualibus, & temporalibus Generales Vicarios conſtituit, & etiam deputavit, prout hęc omnia in ſtatutis, ordinationibus, conſtitutionibus, & deputationibus, pręfatis, dicitur plenius contineri; Quare pro parte Conradi & Johannis ac aliorum Fratrum Prędicatorum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutis, & Ordinationibus, Conſtitutionibus, & deputationibus pręfatis robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & eis concedere, quod officium Vicariatus prędictorum Vicariorum, poſtquam pręfatus Raymundus Officium Magiſterii dicti Ordinis Prędicatorum dimiſerit, vel alias ab eo amotus fuerit, ſeu ceſſerit, vel deceſſerit, donec per Sedem Apoſtolicam, vel futurum Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum de hujuſmodi Vicariatus officio, ac domibus ipſis, cuilibet videlicet ipſorum, & Conventibus, de alio Vicario fuerit proviſum, ſeu per Sedem Apoſtolicam aliter ordinatum, nullatenus expiret, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos itaque premiſſa omnia habentes pręſentibus pro ſufficienter expreſſis & ſpecificatis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, & deputationes prędicta, ac omnia, & ſingula, quę circa premiſſa per ipſum Magiſtrum juxta Conſtitutiones pręfatas, & alias ſalubriter facta ſunt, rata habentes, & grata, ea omnia auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus: necnon quę-

Supplex Fratrum petitio.

Confirmatio.

Decretum irritum faciens.

quęcunque alia, augmentum plurium Conventuum concernentia, in quibus etiam dicta obſervantia teneatur per pręfatum Magiſtrum ſecundum dictas Conſtitutiones forſan ordinanda, & pręcipue ordinationes factas, & faciendas, & per eundem Magiſtrum circa Clauſuram Monaſteriorum Monialium prędictorum ſub excommunicationis pęna, quam contra facientes, vel etiam impedientes incurrere volumus ipſo facto, inviolabiliter pręcipimus obſervari; concedentes nihilominus quod officium Vicariatus prędictorum Vicariorum pręſentium, & futurorum, poſtquam prętatus Raymundus Officium Magiſterii dicti Ordinis Prędicatorum dimiſerit, vel alias ab eo amotus fuerit, ſeu ceſſerit, ſeu deceſſerit, donec per Sedem eandem per futurum Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Prędicatorum de hujuſmodi Vicariatus Officio, & Conventibus, & domibus ipſis, cuilibet videlicet ipſorum, de alio Vicario fuerit proviſum, vel per Sedem ipſam aliter ordinatum, nullatenus expiret. Decernentes ex nunc irritum & inane &c. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum V Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo. *Sanctio pœnalis.*

1. *Raymundus.*) Beatus, de quo ſæpius dictum eſt.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXI fol.76.*
3. *Johannis Dominici.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII.*

F. Rodericum (1) Alvari Epiſcopum Aconenſem conſtituit.

Anno 1397 Die 6 Junii.

Ex Archiva (2) Ordinis.

LXXXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Roderico Alvari, Electo Aconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus Officium, quanquam inſufficientibus, Nobis ex alto conceſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini pręſidemus, utiliter exequi, adjuvante Domino, cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis; tales eis in Paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonę memorię Ludovico Epiſcopo Aconen. regimini Eccleſię Aconen. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum dicti Ludovici Epiſcopi, qui extra Romanam Eccleſiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod ipſa Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, ad pręfatam Eccleſiam te transferas, & reſideas in eadem, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Aconen. Pontificalia officia nequeas exercere. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis pręfatę Eccleſię ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram & dictę Sedis benevolentiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum VIII Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Exordium.

Ludovicus F. Roderici deceſſor.

1. *Rodericum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXI. fol.250.*

Anno 1397
Die 10 Julii.

Prælatis, ceteriſque omnibus F. Simonem (1) de Amatore S. Sedis Legatum commendat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, ac dilectis filiis electis Abbatibus, Prępoſitis, Decanis, Archidiaconis, Plebanis, Rectoribus, aliiſque Eccleſiarum, & Monaſteriorum Pręlatis, ac ipſorum Vicesgerentibus, & aliis perſonis Eccleſiaſticis, Secularibus, & Regularibus Ordinum quorumcunque exemptis, & non exemptis, quocunque nomine nuncupentur, necnon nobilibus Viris Ducibus, Principibus, Marchionibus, Comitibus, Baronibus, Seneſcallis, Juſtitiariis, Admiratis, Poteſtatibus, Capitaneis, & officialibus, ceteriſque Dominis temporalibus, & Cuſtodibus portuum. & paſſuum, Univerſitatibus quoque & Communitatibus Civitatum, Caſtrorum, Terrarum, Villarum, & aliorum quorumcunque locorum, & aliis univerſis & ſingulis, ad quos pręſentes literę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Commendat ut ſupra.

CUm te (3) dilectum filium Simonem de Amatore, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, Capellanum, & familiarem noſtrum, ac ejuſdem Ordinis in Regno Germanię Provincialem, ad Regnum prędictum pro nonnullis noſtris & Romanę Eccleſię negotiis pręſentialiter deſtinemus, Nos, cupientes ipſum Simonem cum ejus ſociis, familiaribus, equitaturis, navigiis, valiſiis, bonis, & rebus ſuis in eundo, ſtando, & redeundo, plena ſecuritate gaudere, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem Simonem cum per portus, paſſus, terras, diſtrictus, & loca veſtra tranſitum fecerit, pro noſtra, & Apoſtolicę Sedis reverentia, benigne recommendatum habentes, & honorifice pertractantes, nullam ei, & ejus Sociis, ac familiaribus pręfatis, in perſonis, equitaturis, navigiis, valiſiis, bonis, & rebus prędictis inferatis injurias, moleſtiam, vel offenſam, nec ab aliis, quantum in vobis fuerit, permittatis inferri, ſed potius abſque ſolutione alicujus datii, pedagii, vel gabellę, & quacunque alia exactione, & impedimento aliquo ipſum tranſire permittatis, ſibi de ſecuro conductu, ſi a vobis illum petierit, ſic providere libere ſtudeatis, quod veſtra poſſit exinde apud Nos devotio merito commendari, pręſentibus poſt unum annum minime valituris. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Simonem.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXII fol.* 182.

3. *Te.*) Legerem: *Hodie.*

Anno 1397
Die 11 Julii.

F. Johannem (1) de Puig Epiſcopum Waterfordenſem, & Liſmorenſem creat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Puig Electo Wratraforden. (3), & Liſmoren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis, nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini pręſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut, cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonę memorię Thoma Epiſcopo Wratraforden, & Liſmoren. regimini Wratraforden, & Liſmoren. Eccleſiarum invicem canonice unitarum pręſidente, nos, cupientes, eiſdem Eccleſiis, cum ipſas vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem earundem Eccleſiarum ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus reſervandum, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque. quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prędictis Eccleſiis per ipſius Thomę Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacantibus, nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem earundem Eccleſiarum celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſię ipſę longę vacationis exponerentur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eiſdem Eccleſiis perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eiſdem Eccleſiis, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illis prę-

Thomas F. Johannis prædeceſſor.

F. Johannes Epiſcopus renunciatur.

pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod pręfatę Eccleſię ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente Divina, utiliter, & proſpere dirigentur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipient incrementa. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictarum Eccleſiarum ſuſcipiens reverenter, ſic te in earum cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod Eccleſię ipſę gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Johannem*,) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXI fol.* 252.

3. *Watraforden.*) *Waterforden.*, in *Hibernia*.

F. Johannem (1) Celli præficit Eccleſiæ Lidinenſi.

Anno 1397 Die 28 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXIX.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Celli de Tuderto, Electo Lidinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula, licet immeriti, conſtituti, ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtrę conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis perpenſius cogitare nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur; ut eis juxta cor noſtrum paſtores pręficiantur idonei, qui commiſſos ſibi populos, per ſuam circumſpectionem providam ſalubriter dirigant, & informent, ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem, bonę memorię Andrea Epiſcopo Lidinen. regimini Eccleſię Lidinen. pręſidente, Nos, cupientes ipſi Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam &c. decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari; poſtmodum vero, prędicta Eccleſia per obitum ipſius Andreę, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo Eccleſię pręfatę perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, ad Eccleſiam ipſam accedas, & perſonaliter reſideas in eadem. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & adminiſtratori fructuoſo gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Exordium.

Andreas F. Johannis deceſſor.

F. Johannes Epiſcopus deſignatus.

1. *Johannem*,) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*,

Ut

Digitized by Google

Anno 1397 Die 1 Octobris.

Ut vinculo ſervitutis Fratrem Johannem (1) de Francfordia Ordinis Prædicatorum Fideles levent, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XC.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

QUoniam, ut ait Apoſtolus, omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi prout in corpore geſſimus, ſive bonum fuit, ſive malum, oportet nos diem meſſionis extremę operibus miſericordię prævenire, & ęternorum intuitu id ſeminare in terris, quod cum multiplicato fructu recolligere, reddente Domino, valeamus in cęlis, firma fiducia tenentes, quod qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam ęternam Amen. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Johannes de Francfordia, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, in ſacra Theologia Magiſter in Sacerdotio conſtitutus, a Saracenis, Chriſtiani nominis inimicis captus (3), & per quinquennium continuum in partibus Barbarię diris carceribus mancipatus, detentus, & afflictus fuit, prout adhuc crudeliter detinetur, & affligitur in eiſdem carceribus, a quibus nequit abſque fidelium Chriſti piis ſuffragiis liberari, Nos ſuper his eidem Johanni pietate paterna, & Chriſtiana caritate compaſſi, cupientes, eundem Johannem ſuffragantibus noſtris ſubſidiis liberari, univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, vobis nihilominus in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus de bonis a Deo vobis collatis, pro liberatione hujuſmodi veſtras pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram hujuſmodi idem Johannes valeat liberari, voſque per hęc & alia bona, quę, Domino inſpirante, feceritis, ad ęternę poſſitis felicitatis gaudia pervenire; Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis qui pro liberatione hujuſmodi manus porrexerint adjutrices unum annum, & quadraginta dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Pręſentibus poſt biennium minime valituris. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Hujus Diplomatis cauſa.

Indulget ut ſupra.

1. *Johannem.*) *De Francfordia* nuncupatum ex patria & profeſſione, uti notat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXLI pag.795*. Claruit in *Conſtantienſi* Concilio, & adverſus *Hieronymum Pragenſem* decertavit. Ipſius laudes celebrat *Leander fol.144*. Meminerunt alii, quos citat *Echard* mox laudatus.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico libro XXXI fol.47*. Ejuſdem Diplomatis meminit *Fontana* mox laudandus.

3. *Captus.*) *Cum catholicam fidem infidelibus annuntiaret*, ut docet *Fontana*, quem conſulas velim *Monument. Dominican. Parte II Cap.X ad an.MCCCXCVIII pag.265*.

Anno 1397 Die 17 Octobris.

F. Nicolaus (1) Tzymerman Epiſcopus Miſſinenſis renunciatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Tzymerman, Electo Miſſinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini pręſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti reddimur, & ſolertes, ut cum de ipſorum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem, bonę memorię Franciſco Epiſcopo Miſſinen. regimini Miſſinen. Eccleſię prędſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Franciſci Epiſcopi, qui extra Romanam curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, & aliis multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Miſſinen. Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus: teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod eadem Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſpere

F. Nicolaus Franciſco ſuccedit.

proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quam primum præſentes literas habueris expeditas, ad præfatam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra Civitatem, & Diœceſim Miſſinen. Pontificalia officia nequeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prædictas, ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium benevolentiæ noſtræ, & Apoſtolicæ Sedis gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XVI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico.*

Ut F. Raymundus (1) Generalis Magiſter Angliæ Provincialem conſtituat.

Anno 1397 Die 11 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Raymundo Ordinis Fratrum Prædicatorum Generali Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XCII.

Perſonam tuam, Nobis & Sedi Apoſtolicæ devotam, paterna benevolentia proſequentes, ea tibi libenter concedimus, per quæ opportunitatibus tui Ordinis te reddere valeas fructuoſum. Tuis itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi aliquem Provinciæ Anglicanæ ex dilectis filiis Fratribus dicti tui Ordinis profeſſorem, ad hoc idoneum, quem duxeris eligendum, in Priorem Provincialem ipſius Provinciæ Anglicanæ cum omnimoda poteſtate & auctoritate, quam veri Priores Provinciales dictæ Provinciæ pro tempore exiſtentes in dicta Provincia gerere, & exercere quovis modo potuerunt, conſueverunt, & debuerunt, hac vice duntaxat tuo arbitrio, auctoritate noſtra creandi, faciendi, & deputandi, ac omnia, quæ ad hujuſmodi Prioris Provincialis ipſius Provinciæ pro tempore exiſtentis officium pertinent, ſibi concedendi, electione quacunque per dilectos filios Capitulum Provinciale Ordinis præfibati, ſeu aliquos ex eis in eodem Capitulo celebrato in Feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis proxime elapſo in Domo Nomeaſtri (3) ſuper Tynam (4), dicti Ordinis, Dimeliven.(5) Diœceſis, de Priore Provinciali dictæ Provinciæ Anglicanæ qualitercunque celebrata, ac quibuſcunque Conſtitutionibus & Indultis Apoſtolicis, necnon ſtatutis, ordinationibus, & conſuetudinibus dicti Ordinis, & aliis contrariis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam tenore præſentium concedimus poteſtatem. Datum Romæ apud Sanctum Petrum III Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium.

Indultum.

1. *Raymundus.*) Beatus, *de Capua*, & *de Vineis* nuncupatus.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.*80.

3. *Nomeaſtri.*) *Novi Caſtri*, vulgo *Nevvcaſtle*, & *Neufchaſtel*. Urbs eſt *Angliæ*, in *Northumbriæ* Comitatu.

4. *Tynam.*) *Tinam*, vel *Tinnam*, vulgo *Tine*. Fluvius eſt *Angliæ*, per *Northumbriam* in ortum fluens.

5. *Dimeliven.*) *Dunelmen.*, vulgo *Durham*, & *Dureſme*. Urbs eſt Epiſcopalis, ſub Archiepiſcopo *Eboracenſi*, in *Anglia*.

F. Nicolaus (1) de Bonifatio fit Epiſcopus Dolienſis.

Anno 1397 Die 28 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Bonifatio Electo Dolien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XCIII.

Apoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini præſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores præficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed & exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, feliciter regere, & ſalubriter gubernare. Dudum ſiquidem bonæ memoriæ Jacobo Epiſcopo Dolien. regimini Eccleſiæ Dolien. præſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſiæ, cum ipſam vacare contingeret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam, utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum ejuſdem Jacobi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa prolixæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, & ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, convertimus oculos noſtræ mentis. Quibus omnibus at-

Exordium.

Jacobus deceſſor F. Nicolai.

F. Nicolaus Epiſcopus deſignatus.

attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, pręfata Eccleſia ſub tuo felici regimine proſpere, & ſalubriter dirigetur grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas ad prędictam Eccleſiam accedas, & perſonaliter reſideas in eadem. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, ac fideliter, & prudenter, quod eadem Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium noſtrę benevolentię, & Apoſtolicę Sedis gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXV fol.*250.

Anno 1397 Die 13 Decembris.

Monaſterium in Ruth prope Wilperg (1) quibuſdam Beneficiis Eccleſiaſticis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa & Conventus Monaſterii in Ruth prope Wilperg per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, Conſtantien. Diœceſis, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis earum, illis pręſertim, per quę ipſarum, & dicti Monaſterii commoditatibus conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſę, & Conventus petitio continebat, quod olim venerabilis Frater noſter Burchardus, Epiſcopus Conſtantien., pie conſiderans, quod fructus, redditus, & proventus dicti Monaſterii propter guerrarum turbines, qui partes illas inhumaniter afflixerant, ac alia varia inconvenientia, adeo erant diminuti, quod ad ſupportationem onerum eidem Monaſterio incumbentium minime ſufficiebant, Parochialem Eccleſiam in Sultz (3) cum ejus filiali Eccleſia in Wilperg, dictę Diœceſis, quę de jure patronatus ejuſdem Monaſterii exiſtebat, prout exiſtit, prędictis Prioriſſę, & Conventui, ac Monaſterio, de conſilio, & aſſenſu dilectorum filiorum Capituli Conſtantien., in relevamen onerum prędictorum auctoritate ordinaria univit, annexuit & incorporavit, prout in literis authenticis inde confectis, eorundem Epiſcopi, & Capituli ſigillis munitis, dicitur plenius contineri, ipſęque Prioriſſa & Conventus Eccleſiam ipſam in Sultz cum filiali Eccleſia hujuſmodi vigore unionis, annexionis, & incorporationis hujuſmodi, aſſecutę, eam ex tunc, & etiam ante incorporationem hujuſmodi libere de facto per nonnullos annos tenuerunt, & poſſederunt, prout tenent, & poſſident de pręſenti. Cum autem, ſicut antedicta petitio ſubjungebat, pręfatę Prioriſſa & Conventus dubitent unionem, annexionem, & incorporationem hujuſmodi ex certis cauſis juribus non ſubſiſtere, pro parte earundem Prioriſſę & Conventus, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Eccleſiam in Sultz cum filiali Eccleſia hujuſmodi ipſis, & eidem Monaſterio de novo unire, annectere, & incorporare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam pręfatam in Sultz cum filiali Eccleſia hujuſmodi, cujus decem, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eiſdem Prioriſſę, & Conventui ac Monaſterio, cujus quinquaginta Marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem extimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, in ſupportationem onerum, eiſdem Prioriſſę & Conventui ac Monaſterio pro tempore incumbentium, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium in perpetuum unimus, annectimus, & incorporamus; Ita quod liceat eiſdem Prioriſſę, & Conventui corporalem ejuſdem Eccleſię Sultz, cum filiali Eccleſia hujuſmodi, poſſeſſionem ex nunc auctoritate propria de novo libere apprehendere, ac perpetuo licite retinere, alicujus ſuper hoc licentia minime requiſita, reſervata tamen, ſi alias reſervata non ſit, de ipſius Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi pro perpetuo Vicario ibibi inſtituendo, congrua portione, de qua idem Vicarius valeat congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ei incumbentia onera ſupportare. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis &c. (4) pręjudicium generari, & quibuslibet literis, privilegiis, & Indulgentiis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam &c. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę unionis, annexionis, incorporationis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Supplex Monialium petitio.

Donat ut ſupra.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Wilperg.*) In *Suevia.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXIV fol.*75.

3. *Sultz.*) Oppidum eſt *Sueviæ*; latine *Solicinium* nuncupatur.

4. *Faciendis &c.*) Nonnihil deeſt.

Monaſterio Ordinis Prædicatorum, extra muros oppidi Hircham (1) ſito, Beneficium Eccleſiaſticum confert.

Anno 1397 Die 20 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam.

XCV.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quem dilectę in Chriſto filię Priorиſſa & Conventus Monaſterii extra muros Oppidi Hircham, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Conſtantien. Dięceſis, ad Nos & Romanam gerunt Eccleſiam, non indigne meretur, ut votis earum, illis pręſertim, per quę ipſarum & dicti Monaſterii neceſſitatibus conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, earundem Prioriſſę & Conventus in hac parte ſupplicationibus inclinati, Parochialem Eccleſiam oppidi Oberndorf prope Caſtrum in Waſnegh dictę Dięceſis ſituatam, cujus quindecim, quę de jure patronatus ipſarum Prioriſſę, & Conventus, ut aſſeritur, exiſtit, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis pręfato Monaſterio, cujus ſeptuaginta marcharum argenti puri fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut etiam aſſeritur, non excedunt, in relevamen onerum, & expenſarum eiſdem Prioriſſę & Conventui incumbentium, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, incorporamus, annectimus, & unimus; ita quod cedente, vel decedente Rectore dictę Eccleſię, qui nunc eſt, aut alias ipſam Eccleſiam quomodolibet dimittente, liceat pręfatis Prioriſſę & Conventui ejuſdem Eccleſię corporalem poſſeſſionem, pręfata auctoritate, libere, apprehendere, & eam in uſus ipſarum perpetuo retinere, alicujus licentia ſuper hoc minime requiſita, reſervata tamen de fructibus, redditibus, & proventibus dictę Eccleſię pro perpetuo Vicario, in eadem perpetuo inſtituendo, congrua portione, de qua congrue ſuſtentari, epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia onera commode valeat ſupportare; Non obſtantibus ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales &c. (3) prejudicium generari, vel quibuſcunque literis, indulgentiis, & privilegiis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunquę tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę incorporationis, annexionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Dat. Romę apud Sanctum Petrum XIII Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Donatio. — Clauſula derogans. — Decretum irritum faciens. — Sanctio pœnalis.

1. *Hircham.*) In *Suevia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 73.
3. *Speciales &c.*) Quædam deſunt.

F. Maximo (1) de Conſtantinopoli Ord. Prædicatorum, ut ejuſdem Ordinis unum Cœnobium fundare poſſit in Græcia.

Anno 1398 Die 25 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Maximo de Conſtantinopoli Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XCVI.

Exordium.

AD ea, quę divini cultus augmentum, & catholicę fidei propagationem concernunt, libenter intendimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod in partibus Gręcię, de quibus oriundus exiſtis, Chriſti fideles, qui fidem S. Romanę & univerſalis Eccleſię profitentur ex eo in fide ipſa tepeſcunt, & in Gręcorum prolabuntur errores, quod pauci reperiuntur ibidem, qui in eis pro tempore proponant Verbum Dei, eoſque in dicta fidei ſinceritate corroborent, & confirment; quare tu, qui, ut aſſeris, relictis erroribus ipſis, in quibus ab infantia inſtructus, & ſalubri ductus conſilio, prędictę catholicę fidei puritatem profeſſus fuiſti, Nobis humiliter ſupplicaſti, ut ad propagationem dictę fidei in partibus illis, in aliqua Civitate, vel terra partium earundem aliquem locum ſive eccleſiaſticum, ſive profanum, tibi alias canonice aſſignandum, pro tua, & aliorum catholicorum Fratrum tui Ordinis habitatione, & uſu, qui quidem Fratres etiam Prędicationis officium in partibus ipſis exercere diligenter debeant, ſciant, vel valeant, recipiendi, tibi, & dictis Fratribus licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui dicti cultus augmentum intenſis deſideriis affectamus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, & eiſdem Fratribus, qui tecum duxerint commorari, ut hujuſmodi locum recipere, & in eo, dummodo ad id ſit habilis & honeſtus, domum pro uſu, & habitatione veſtris cum campanili, campana, cęmeterio, horto, & aliis neceſſariis officinis, abſque tamen alicujus prejudicio, & jure Parochialis Eccleſię, & cujuſcunque alterius in omnibus ſemper ſalvo, conſtruere libere, & licite poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur: fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua inhibetur, ne Religioſi Mendicantium Ordinum, in aliqua Civitate, vel Caſtro, aut Villa, ſeu loco quocunque, ad habitandum Domos, vel loca de novo recipere, necnon recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Dat. Romę V Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Supplex petitio. — Concedit ut ſupra. — Clauſula derogans. — Sanctio pœnalis.

1. *Maximo.*) Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCXCIX pag. 266.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol. 33.*

Anno 1398 Die 25 Februarii.

F. Maximo (1) de Conſtantinopoli, ut Sacra græce, ſervato ritu Fratrum Prædicatorum, celebrare poſſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Maximo de Conſtantinopoli Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Supplex petitio.

TUę devotionis ſinceritas promeretur, ut petitiones tuas, illas prǽſertim, quas ex fidei zelo prodire conſpicimus, ad exauditionis gratiam favorabiliter admittamus. Sane exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu, cupiens obviare abuſui nonnullorum Catholicorum in partibus Grecię commorantium, qui ad Grecorum Eccleſias confluunt, & inibi Miſſas, & alia eorum officia audiunt, aſſerentes ſe Epiſtolas, & Evangelia, cum leguntur, vel cantantur in lingua greca more partium earundem, melius intelligere, quam ſi legantur, vel dicantur, in latino; propter quod Catholici ipſi paſſim in ipſorum Grecorum prolabuntur errores, tuque deſideras Miſſas & alia divina officia in pręſentia populi alta voce in greco ſermone celebrare, dicere, legere, vel cantare, ad id videlicet, ut Catholici prefati in partibus prelibatis ad ipſarum Miſſarum & divinorum officiorum celebrationem pro tempore crebrius confluant, & ferventius interſint eiſdem; Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ad hoc ut hujuſmodi tuum deſiderium commodius conſequatur effectum, ut tibi etiam celebrandi Miſſas hujuſmodi in prefata lingua, ut prefertur, legendi, ſeu dicendi in partibus illis, licentiam concedere dignaremur. Nos itaque qui cunctorum fidelium animarum ſalutem intenſis deſideriis affectamus, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut in eiſdem partibus Grecię, in Eccleſiis tamen, & locis Catholicorum, ad quę pro tempore te declinare contigerit, Miſſas & alia hujuſmodi officia celebrare in prefata lingua, alias tamen juxta ritum, & inſtitutionem Ordinis Fratrum Predicatorum, cujus profeſſor exiſtis, nulla prorſus mutata ſententia, vel forma verborum, libere & licite valeas, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis contrariis quibuſcunque nequaquam obſtantibus, devotioni tuę auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum V Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Maximo.*) De quo in præcedenti Diplomate.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXVIII fol.* 213. Ejuſdem Diplomatis meminit *Fontana Monument. Dominican. Parte I Cap. X ad an. MCCCXCVIII pag. 265.*

Anno 1398 Die 16 Martii.

Viſitantes Ædes ſacras S. Mariæ ad Gradus Viterbien. (1) ea donantur Indulgentia, quæ conceſſa eſt inviſentibus ſacras Ædes S. Mariæ de Portiuncula.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DUm pręceſſa meritorum inſignia, quibus Regina cęlorum Virgo Maria, Dei Genitrix glorioſa, ſedibus prelata ſidereis, quaſi ſtella matutina prerutilat, devotę conſiderationis indagine perſcrutamur, & intra mentis noſtrę arcana revolvimus, quod ipſa Mater Miſericordię, fons gratię & pietatis, ac humani generis conſolatrix, pro ſalute omnium utriuſque ſexus Chriſti fidelium, qui delictorum oneribus pregravantur, ſedula, & pervigil exoratrix exiſtit ad Regem, quem genuit, quemque adoravit, ac maternis lactavit uberibus, dignum, quin potius debitum arbitramur; ut ipſi Chriſti fideles, ad ipſius Virginis Marię aſſiduam venerationem, atque memoriam, ſpiritualibus muneribus, Indulgentiis, videlicet, & peccatorum remiſſionibus invitemus, ut ipſi exinde divinę gratię promerendę reddantur aptiores. Cupientes igitur, ut Eccleſia domus Fratrum Ordinis Predicatorum S. Marię Virginis ad Gradus Viterbien. congruis honoribus frequentetur; Et ut Chriſti fideles, eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei Miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas feſtivitatis Annuntiationis ejuſdem B. Marię predictam Eccleſiam, devote viſitaverint annuatim, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marię de Portiuncula, alias de Angelis, extra Aſſiſinat., primo, & ſecundo diebus Auguſti annuatim quomodolibet conſequuntur. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam domus ejuſdem, vel ad ejus fabricam manus porrigentibus adjutrices, ſeu aliqua alia inibi Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Dat. Romę apud S. Petrum XVII Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Indulgentia.

1. *Viterbien.*) In Provincia *Patrimonii S. Petri.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXIV fol.* 213. Autographum eſt in Cœnobio *Viterbienſi.*

Andren-

Andrenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1398 Die 25 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DEſideria juſta petentium congruo favore proſequimur, & votis eorum, per quę divini cultus provenire ſperatur augmentum, libenter Nos exhibemus propitios & benignos. Sane petitio pro parte dilectę in Chriſto filię Nobilis mulieris Suevę de Orſinis (3) relictę quondam Franciſci de Banzio Ducis Andren. Nobis exhibita continebat, quod ipſa pie de animę ſuę ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia, tranſitoria in ęterna, felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis in Civitate Andren. in ipſius fundo unum locum, pro uſu & habitatione Fratrum Ordinis veſtri cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, domibus, & aliis neceſſariis officinis, fundare, conſtruere, ſeu conſtruere facere, Domino auxiliante, proponit, quare pro parte dictę Suevę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eidem Suevę faciendi pręmiſſa, & vobis recipiendi locum ipſum, pro uſu, & habitatione prędictis, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & prędicti Ordinis propagationem, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eidem Suevę faciendi pręmiſſa, ac vobis locum pręfatum cum hujuſmodi Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius jure ſemper ſalvo, ac tam fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus dicti Ordinis contrariis nequaquam obſtantibus, plenam & liberam facultatem auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium elargimur. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum VIII Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Supplex Suevæ de Orſinis petitio. — Concedit ut ſupra. — Sanctio pœnalis.

1. *Andrenſis*.) In *Bariana* Provincia Regni *Neapolitani*. Hoc Cœnobium juris eſt Provincialis *Apuliæ*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXIII fol.* 134.

3. *Sueva de Orſinis*.) Adeas *Sanſovinum*.

Pragenſi (1) ac Gneſnenſi (2) Archiepiſcopis, & Epiſcopo Wratislavienſi (3), ut Conſtitutionem Johannis XXII quæ incipit: *Vas electionis*; ſervandam curent (4).

Anno 1398 Die 10 Aprilis.

Ex Archivo (5) *Ordinis*.

C.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Pragen. & Gneſnen. Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Wratislavien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. — Hujus Diplomatis cauſa. — Bullam Johannis XXII inſcribit.

SUper egenum intendentes & pauperem, & dantes operam ſaluti animarum, quandam inter Pręlatos & Rectores Parochialium Eccleſiarum, & Clerum Secularem ex una parte, & Fratres Minorum & Prędicatorum Ordinum ex altera, Provincię Bohemię & Polonię contentionem exortam audivimus ſuper confeſſionibus audiendis, & abſolutionibus peccatorum eis volentium confiteri, ſuper qua ſpecialem Conſtitutionem, & litis deciſionem in perpetuum valituram fel. rec. Johannes PP. XXII Prędeceſſor noſter, de Fratrum ſuorum conſilio, & aſſenſu, ſpecialiter edidit, quę eſt talis. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, ac dilectis filiis electis, ad quos pręſentes literę pervenerint, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Vas electionis Doctor eximius, & egregius prędicator &c. (6). Sed quia parum eſſet jura condere, niſi qui ea tueatur exiſteret, Nos, volentes conſtitutionem, & litis diciſionem prędictas ſemper irrefragabiliter de cetero obſervari, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta diſtricte mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, alium, ſeu alios, Fratribus dictorum Ordinum Provincię prędictę, & confeſſis, ut pręmittitur, eiſdem, efficaciter defenſionis pręſidio aſſiſtentes, ac facientes Conſtitutionem eandem quoad omnia ejus capitula plenarie, prout jacet, firmiter & inviolabiliter obſervari, non permittatis contra tenorem ipſius memoratos Fratres, & confeſſos eiſdem, a prędictis Pręlatis, Rectoribus, & Clero, ſive aliis, moleſtari, & Sacramenta eiſdem confeſſis tam in vita, quam in extremis, ſeu mortis articulo, aut quotiens alias opportunum fuerit, a quoquam denegari, vel eis gravamina, aut injurias a quolibet irrogari, facturi prędictis, & cuilibet prędictorum, de illatis vexationibus, moleſtationibus, injuriis, & gravaminibus contra tenorem eundem, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem per viam judicii, in aliis vero, prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitię complementum; ita quod officium pręfatum, & juriſdictio veſtra ex nunc perpetua cenſeatur. Moleſtatores, injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores, & rebelles, quandocunque & quotieſcunque expedierit, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus tam de duabus dietis in Concilio generali, quam fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, quarum prima cavetur, ne quis, niſi in certis exceptis caſibus extra ſuam Civitatem & Dięceſim, ſecunda vero ne reus alterius Dięceſis ultra unam dietam a finibus ejuſdem Dięceſis, ad judicium evocetur, & aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, tam de judicibus delegatis, & conſervatoribus, quam aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, ac poteſtati, ejuſdemque libero exercitio quomodolibet obviare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici non poſſint

Mandatum. — Clauſula derogans.

poſſint niſi de verbo ad verbum oporteat in noſtris literis fieri mentionem. Dat. Romę apud S. Petrum IV Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Pragen.*) In *Bohemia*.
2. *Gneſnenſi.*) In *Polonia*.
3. *Wratislavien.*) In *Sileſia*, Provincia *Germaniæ*.
4. *Curent.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo vltimo Tit. VII.*
5. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 38.
6. *Prædicator &c.*) Ut in *Diplomate dato XXIV Julii MCCCXXI* ad finem uſque.

Anno 1398 Die 3 Maii.

Archiepiſcopo Piſan. (1), & Fratri Simoni de Caſſina Ordinis Fratrum Prædicatorum, Ordinem Armenorum (2) viſitandum, & reformandum permittit.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Piſan. & dilecto filio Simoni de Caſſina (4) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Sacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujus Diplomatis cauſa.

AD audientiam noſtram noveritis perveniſſe, quod nonnulli Fratres domorum Ordinis Armenorum in Civitate Piſan. commorantes, neſcientes a vitiis abſtinere, ſed ſuę profeſſionis & ſalutis immemores, ſpiritu rebellionis aſſumpto, nonnullas inſolentias, & exceſſus contra dilectum filium Priorem Generalem dicti Ordinis committere pręſumpſerunt; non curantes ad ipſius Prioris Generalis obedientiam redire, in animarum ſuarum periculum, dictorum Prioris, & Ordinis ſcandalum, & pernicioſum plurimorum exemplum; Nos igitur, attendentes, quod noſtra intereſt ſuper hoc de opportuno remedio providere, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel alter veſtrum, eoſdem Fratres auctoritate noſtra juxta ipſorum demerita, & alias, ſecundum dicti Ordinis inſtituta, punire, & corrigere, eoſque ad ſuorum Superiorum obedientiam reducere procuretis; & nihilominus ad Domos & Loca univerſa dicti Ordinis in partibus Italię (5) conſiſtentia, vos conferentes, & habentes prę oculis ſolum Deum eadem loca, & domos juxta prędicta inſtituta auctoritate pręfata viſitetis, tam in capitibus, quam in membris, & ea, quę ibidem correctionis, ſeu reformationis officio noveritis indigere, eadem auctoritate corrigatis, & etiam reformetis, quouſque Generale Capitulum dicti Ordinis contigerit de proximo celebrari. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & Conſuetudinibus dicti Ordinis, & aliis quibuſcunque, ſeu ſi Superioribus, & Fratribus, aliiſque perſonis dicti Ordinis prelibati a dicta ſit Sede indultum, quod ipſi ad judicium trahi, aut ſuſpendi, vel excommunicari, vel ipſi, aut ipſius Ordinis domus & loca, interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes &c. & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrę iuriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Ceterum quibuſcunque perſonis cujuſcunque ſtatus, dignitatis, gradus, & ordinis, aut pręeminentię exiſtant, vobis, & perſonis dicti Ordinis Armenorum duntaxat exceptis, ne de viſitatione, aut correctione huiuſmodi, cujuſvis facultatis ſeu poteſtatis prętextu, quouſque hujuſmodi Capitulum celebratum fuerit, ut pręfertur, ſe intromittere quoquomodo pręſumant, diſtrictius inhibemus. Decernentes ex nunc irritum &c. Dat. Romę apud S. Petrum V Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

1. *Piſan.*) In *Hetruria*.
2. *Armenorum.*) Fratrum ſcilicet *Unitorum*, de quibus ſæpius dictum eſt.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 256.
4. *Simoni de Caſſina.*) Legendus *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCXCIX pag.* 267.
5. *Italiæ.*) Hinc Ordinem *Armenorum* in *Italia* propagatum diſcimus. E *Scythia* Fratres *Unitos Genuam* tranſvectos olim fuiſſe, ibique Cœnobium poſuiſſe, docet *Clemens Galanus Conciliat. Eccleſiæ Armenæ cum Romana Parte I Hiſtoriali Cap. XXX num. XLVIII pag.* 523.

Anno 1398 Die 7 Maii.

Monaſterium Wedderſtedenſe (1) Ordinis Prædicatorum Fratris Sanderi (2) curæ committit.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta circa ſtatum eccleſiaſticum, & Monaſteriorum omnium ſalubriter dirigendum, proſpicit diligenter; & Eccleſiis, ac Monaſteriis ipſis, ut in ſuis juribus ſolerter conſerventur ſe gratioſam libenter exhibet, & benignam. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Sanderi de Brunſwich, Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod cum olim Monaſterium Monialium in Wedderſtede Ordinis S. Auguſtini, Alberſtaden. (4) Diœceſis, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, ad tantam paupertatem, & deſolationem deveniſſet, quod ędificia, & ſtructura, necnon ſepta, ipſius Monaſterii in magna parte collapſa forent adeo, quod in habitationibus dicti Monaſterii urticę & alię inutiles herbę creſcerent, ac feris & beſtiis nocte, dieque ad ipſum Monaſterium, propter ejus deſolationem hujuſmodi pateret introitus, & acceſſus, & propterea nonnulli nobiles partium illarum filias eorum, & conſanguineas in dicto Monaſterio Deo dicatas, de ipſo Monaſterio, ne ibi propter ejus deſolationem & paupertatem ejuſmodi fame & ſiti perirent, extrahere propoſuiſſent, prętatus Sanderus, tunc Prior Conventualis domus dicti Ordinis Fratrum Prę-

Sanderi ſupplex petitio.

Prędicatorum in Oppido Bronſvich (5) prędictę Dięceſis exiſtens, ad quorundam fide dignorum virorum inſtantiam, curam, & adminiſtrationem dicti Monaſterii, cui unus ex Fratribus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore pręeſſe, ac ad nutum Superiorum ſuorum deponi, & removeri conſuevit, duxit aſſumendam, dictumque Monaſterium diligenti opera, ac ſuis laboribus, & induſtria, necnon per ſubventionem parentum, conſanguineorum, & amicorum ſuorum, ſucceſſive relevans ędificia, ſtructuras, & tecta hujuſmodi, necnon Eccleſiam & campanilia ipſius Monaſterii in muris, tectis, parietibus, prout collapſa fuerant, renovavit, & reparavit, ipſumque Monaſterium in divino cultu, ac ornamentis ampliavit, & ad honeſtum ſtatum reduxit; Agros quoque, villas, decimas, proprietates, & annuos redditus eidem Monaſterio emit, & procuravit, dictumque Monaſterium per XXIII annos continue ſalubriter rexit, prout regit de pręſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, idem Sanderus ſeptuagenarius, vel quaſi exiſtat, ac cupiat eidem Monaſterio ulterius quoad vixerit pręeſſe, necnon agros, villas, decimas, proprietates, & redditus, ac alia bona hujuſmodi, per pręfatum Sanderum acquiſita, & in poſterum acquirenda eidem Monaſterio in parte, vel in toto, prout ipſe Sanderus id duxerit ordinandum, remanere, pro parte ipſius Sanderi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi, quod dicto Monaſterio, quoad vixerit, in omnibus, & per omnia, ac pleno jure, tam in ſpiritualibus, quam in temporalibus, prout hactenus pręfuit, & per Fratres dicti Ordinis Prędicatorum hactenus regi eſt conſuetum, pręeſſe, ac agros, villas, decimas, proprietates, redditus, & alia bona hujuſmodi eidem Monaſterio dare, & alienare libere valeret, concedere, & alias ſibi, & dicto Monaſterio, in pręmiſſis providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur cupientes pręfatum Monaſterium in ſuis juribus adaugeri, ac in tam ſolerti regimine conſervari, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręfatum Sanderum ab omni juriſdictione, & poteſtate quacunque ſuorum, & dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Superiorum, eximimus, & totaliter liberamus, ſibique, ut eidem Monaſterio, quoad vixerit, alias tamen ſecundum ſtatuta, & conſuetudines Monaſterii, & Ordinum prędictorum pleno jure, ut prefertur, pręeſſe, & quod per Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtentem, vel quemcunque alium ab eodem Monaſterio, & ejus cura & gubernatione hujuſmodi revocari, vel amoveri, aut per eos, pręmiſſorum occaſione, moleſtari minime valeat, quodque agros, villas, decimas, redditus, & alia bona hujuſmodi, per eum, ut pręmittitur, acquiſita & in poſterum acquirenda, eidem Monaſterio in parte, vel in toto, dare, & aſſignare, & dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Conventus dicti Monaſterii agros, villas, decimas, redditus, & bona hujuſmodi, quę ipſe Sanderus eis, & dicto Monaſterio duxerit aſſignanda, recipere, & in utilitatem dicti Monaſterii perpetuis futuris temporibus poſſidenda convertere, libere, & licite poſſint, & valeant, alicujus alterius licentia ſuper hoc minime requiſita; quodque ipſe Sanderus aliquem idoneum & diſcretum Presbyterum in ſuum poſſit eligere Confeſſorem, qui, quotiens ſibi fuerit opportunum, confeſſionibus ſuis diligenter auditis, pro commiſſis ei debitam abſolutionem impendat, & injungat pęnitentiam ſalutarem, niſi forte talia fuerint propter quę merito ſit Sedes Apoſtolica conſulenda, conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prędictis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus; diſtrictius inhibentes, pręfato Magiſtro, & quibuſcunque aliis, cujuſcunque gradus, ſtatus, ordinis, & conditionis exiſtant, ne Sanderum, & Prioriſſam, & Conventum prędictos contra hujuſmodi noſtrę conceſſionis tenorem moleſtare, ſeu impedire quoquomodo pręſumant, ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate &c. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Committit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Wedderſledenſe.*) In *Saxonia inferiori.*
2. *Sanderi.*) *De Brunſvvich*, ſeu *Brunſvvick*, a patria nuncupati.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 241.
4. *Alberſtaden.*) *Halberſtadien.*, in *Saxonia inferiori.*
5. *Bronſvich.*) *Brunſvvick*, rectius *Braunſvvick*; Urbs eſt *Saxonia*, latine *Brunopolis* nuncupata.

Quæ de Monaſteriorum clauſtris, ſeu clauſura, ſanxit F. Raymundus (1), a Monialibus Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis ſervanda decernit.

Anno 1398 Die 19 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. CIII.

His, quę pro Religionis obſervantia facta & ordinata, ac ſtatuta ſunt, per quę religioſarum perſonarum, pręſertim Ordinis Prędicatorum, vel ſub eorum cura, & ſecundum ipſorum inſtituta viventium, animarum ſaluti conſulitur, libenter annuimus, eiſque, cum a Nobis requiritur, ut illibata conſiſtant, Apoſtolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane pro parte dilecti filii Raymundi Magiſtri Generalis dicti Ordinis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus Ordinationes, & ſtatuta, ac omnia alia, & ſingula pro reformatione obſervantię regularis, ac diſciplina ipſius Ordinis, & pręcipue circa clauſuram Monaſteriorum Monialium Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum viventium per ipſum Magiſtrum juxta conſtitutiones pręfatas, & alias ſalubriter auctoritate dicti Magiſterii facta, atque a Nobis dudum per noſtras certi tenoris literas auctoritate Apoſtolica confirmata, & quę ſub certa pęna mandavimus obſervari, in Monaſterio Monialium Corporis Chriſti de Venetiis dicti Ordinis S. Auguſtini Caſtellan. Dięceſis, ſub cura, & ſecundum Inſtituta dictorum Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, ſpecialiter ſub pręfata pęna obſervari ab omnibus perſonis in dicto Monaſterio degentibus, mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati ſupradictas Ordinationes, & ſtatuta, ac omnia alia & ſingula pro reformatione obſervantię regularis, & diſciplinę ipſius Ordinis, & pręcipue circa dictorum Clauſuram Monaſteriorum, juxta

Exordium.

F. Raymundi ſupplex petitio.

Mandatum.

juxta ſupradictas conſtitutiones, & alias ſalubriter per dictum Magiſtrum facta, quę per vos, ut prę-mittitur, obſervari mandavimus, & mandamus, quęque haberi volumus pręſentibus pro ſufficienter expreſſis & ſpecificatis, ea in ſupradicto Monaſterio Corporis Chriſti ſpecialiter ab omnibus, quorum ibidem intereſt, obſervari ſub excommunicationis pęna, quam oppoſitum facientes, & hujuſmodi obſervationem quo minus procedere valeat, ſcienter impedientes, cujuſcunque gradus, ſtatus, vel conditionis

Decretum irritum faciens.

exiſtant, incurrere volumus ipſo facto, tenore pręſentium pręcipimus, & mandamus; decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam contigerit attentari.

Clauſula derogans.

Non obſtantibus in contrarium editis quibuſcunque, etiam ſi de illis facienda ſit mentio ſpecialis &c.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, pręcepti, mandati, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Dat. Romę apud S. Petrum XIV Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Raymundus*.) Beatus, de quo ſæpius ſupra.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 281.

Anno 1398 Die 27 Maii.

Monaſterium (1) Sanctæ Mariæ extra muros Mediolanen. Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum, & Provincialis Provinciæ Lombardiæ juris ac poteſtatis eſſe decernit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

EXigit honeſtas Sacrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Conventus Sanctę Marię, alias duarum Virginum Portę Ticinen. extra Muros Mediolanen. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes, devotum & ſedulum exhibent Domino famulatum, ut votis earum, illis pręſertim, per quę ipſarum quieti, & commoditatibus conſulitur, favorabiliter annuamus.

Idem ſanxerat Innocentius IV.

Dudum ſiquidem fel. rec. Innocentius Papa IV Prędeceſſor noſter Prioriſſam dicti Monaſterii quę tunc erat, & ejuſdem Conventum & Monaſterium ſupradictum Priori pro tempore exiſtenti, & Fratribus Domus dicti Ordinis Prędicatorum Mediolanen. Apoſtolica auctoritate commiſit, ſtatuens nihilominus pręfatus Prędeceſſor, ut dictę Prioriſſa, & Conventus ſub Magiſterio, & doctrina Magiſtri, & Prioris Provincialis Provincię Lombardię dicti Ordinis Prędicatorum, ſecundum morem Ordinis pręlibati, qui pro tempore eſſent, de cetero manerent, gaudentes illis privilegiis, quę eidem Ordini Prędicatorum erant ab Apoſtolica Sede conceſſa, vel in poſterum concederentur, ipſique Magiſter & Prior, contraria conſuetudine ipſius Ordinis Prędicatorum, vel indulgentia a dicta Sede obtenta, & obtinenda, nequaquam obſtantibus, animarum ipſarum Prioriſſę & Conventus curam gerentes & ſolicitudinem, ac ipſis Prioriſſę & Conventui de Inſtitutionibus ejuſdem Ordinis Prędicatorum, illas, quę eiſdem Prioriſſę, & Conventui competerent, ſine difficultate qualibet exhibentes, dicto Monaſterio per ſe, vel per alios Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, quos ad hoc idoneos judicarent, quoties expediret, officium viſitationis impenderent, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis & reformationis officio noſcerent indigere, inſtituerent, & deſtituerent, ac mutarent, & ordinarent, prout in aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub hujuſmodi cura viventium, fieri conſueverat: Electio tamen Prioriſſę dicti Monaſterii ad eundem Monialium Conventum libere pertineret, confeſſiones quoque ipſarum Prioriſſę & Conventus pręfati Prior & Fratres domus memoratę audirent, & miniſtrarent eis eccleſiaſtica Sacramenta; Et ne, pro eo quod in Monaſterio prędicto ejuſdem Ordinis Prędicatorum Fratres reſidere continue non tenebantur, pro defectu Sacerdotis poſſet periculum imminere, prędicti Magiſter & Prior Provincialis ad Confeſſiones ipſarum Prioriſſę & Conventus in neceſſitatis articulo audiendas, & miniſtranda ipſis Sacramenta prędicta aliquos diſcretos & providos deputarent Capellanos; voluitque dictus Prędeceſſor, quod liceret ipſis Prioriſſę & Conventui redditus, & poſſeſſiones recipere, & libere retinere, prout in dictis

Hujus Diplomatis cauſa.

Prędeceſſoris literis, inde confectis, plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus petitio continebat, Rectores Parochialis Eccleſię S. Petri in Campo Lauden. extra Muros prędictos, infra cujus Parochiam dictum Monaſterium ſitum eſt, pręmiſſa ęgre ferentes, eaſdem Prioriſſam & Conventum, ſupra auditione Confeſſionum & adminiſtratione Sacramentorum hujuſmodi ac Sepultura earundem, plurimum vexaverint, & moleſtaverint, & pręmiſſorum occaſione inter Prioriſſam & Conventum, ac Rectores pręfatos, etiam poſt, & contra antedictas literas diverſę lites, & quęſtiones fuerint ſubortę, adeo quod propterea quandoque accidit, aliquas ex perſonis dicti Conventus abſque hujuſmodi Sacramentis decedere, & ne ſimilia, ac etiam enormia, in futurum eveniant, veriſimiliter dubitent, pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut

Decernit ut ſupra.

providere ipſis ſuper hoc paterna diligentia curaremus. Nos itaque hujuſmodi lites, & quęſtiones amputare volentes, ac ſcandalis, quę exinde poſſent veriſimiliter exoriri, obviare cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium ſtatuimus, & etiam ordinamus, ut de cetero pręfatę Prioriſſa & Conventus ſub hujuſmodi regimine, ac cura dictorum Prioris & Fratrum Domus ejuſdem, alias juxta pręfatarum literarum ſeriem & tenorem maneant, ipſique Prior & Fratres dictę domus, vel perſonę idonęę per eos ad id deputandę, ipſarum Prioriſſę & Conventus Confeſſiones audiant, & eis hujuſmodi miniſtrent eccleſiaſtica Sacramenta, necnon decedentium ex eiſdem corpora eccleſiaſticę tradant ſepulturę, & nihilominus Rectori dictę Eccleſię, qui pro tempore erit, ac ejus Vicario, ſeu Capellano, ne de auditione confeſſionum, adminiſtratione Sacramentorum, ac traditione hujuſmodi corporum eccleſiaſticę ſepulturę, vel alias de Prioriſſa, & Conventu pręfatis, ſe intromittere, quoquomodo pręſu-

pręſumant, eadem auctoritate prohibemus, ſed duntaxat de antiquo annuo Cenſu, videlicet duarum librarum Cerę, per ipſas Prioriſſam, & Conventum Rectori prefato ſolvi conſueto, etiamſi ſuper pręmiſſis inter Prioriſſam & Conventum ac Rectorem pręfatos lis, cujus ſtatum haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, ſic debeat eſſe contentus, nec ulterius ab ipſis Prioriſſa & Conventu, pręmiſſorum occaſione, petere, exigere, ſeu levare debeat, ſive poſſit; Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, ac Ordinis prędictorum, & hujuſmodi litis pendentia, ſi quę forſan ſit, & aliis contrariis, ac etiam omnibus non obſtantibus, quę idem Prędeceſſor in ſuis prędictis literis voluit non obſtare; Nos inſuper ex nunc irritum &c. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum VI Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Clauſula derogans. Decretum irritum faciens. Sanctio pœnalis.

1. *Monaſterium.*) Nunc etiam floret.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXV fol.* 42.

Ut Fratres Ordinis Prædicatorum Monialibus Monaſterii S. Mariæ, alias extra muros Mediolanen., Sacramenta miniſtrent (1).

Anno 1398 Die 27 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CV.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

EXigit honeſtas ſacrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Conventus Monaſterii S. Marię Portę Ticinenſis extra Muros Mediolanen. per Prioriſſam ſoliti gubernari, quod Monaſterium Vetus nuncupatur, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum, viventes, devotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum; ut votis earum, illis pręſertim, per quę ipſarum quieti, & commoditatibus conſulitur, favorabiliter annuamus. Sane petitio, pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus Nobis nuper exhibita, continebat, quod ipſę vehementer affectant, ut dilecti filii Prior & Fratres Domus Ordinis Prędicatorum Mediolanen. eiſdem Prioriſſę & Conventui Miſſas celebrare, ac ipſarum Confeſſiones audire, & eis Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare, & Corpora decedentium ex ipſis eccleſiaſticę ſepulturę condere poſſint; Quare pro parte ipſarum Abbatiſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad tollendum ſcandala, quę inter ipſas, & Prępoſitum, ac Canonicos Collegiatę & Parochialis Eccleſię S. Laurentii Majoris Mediolanen., infra cujus Parochiam dictum Monaſterium ſitum eſt, qui pro tempore exiſtent, ſuper celebratione Miſſarum, auditione Confeſſionum, adminiſtratione Sacramentorum, ac traditione Corporum ſepulturę hujuſmodi poſſent veriſimiliter exoriri, eiſdem ſuper pręmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſcandalis obviare cupientes, pręfatis ſupplicationibus inclinati, ne ſuper celebratione Miſſarum, auditione Confeſſionum, aut adminiſtratione Sacramentorum, ſeu traditione Corporum hujuſmodi ſepulturę inter eoſdem Prioriſſam & Conventum, ac Prępoſitum & Canonicos dictę Eccleſię, qui pro tempore erunt, ſcandali materia ſuſcitetur, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica, eiſdem Prioriſſę, & Conventui concedimus, ac ſtatuimus, & ordinamus, quod dicti Prior & Fratres ejuſdem Domus eiſdem Prioriſſę & Conventui Miſſas celebrare, ac ipſarum Confeſſiones audire, & eis hujuſmodi eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare, ac decedentium ex eis Corpora tradere eccleſiaſticę ſepulturę libere, & licite poſſint, & debeant; diſtrictius inhibentes eiſdem Prępoſito & Canonicis, eorumque Vicariis, & Capellanis, ne de celebratione Miſſarum, auditione Confeſſionum, adminiſtratione Sacramentorum, ac traditione hujuſmodi Corporum Eccleſiaſticę Sepulturę, vel alias de Prioriſſa & Conventu pręfatis, ſe intromittere quoquomodo pręſumant, ſed iidem pręfati, & Canonici duntaxat de continuo annuo cenſu per Prioriſſam & Conventum pręfatas ipſis Prępoſito, & Canonicis pręſtari, ſeu ſolvi conſueto, etiam ſi ſuper pręmiſſis celebratione, auditione, miniſtratione, & traditione, inter Prioriſſam, & Conventum, ac Prępoſitum, & Canonicos pręfatos, lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, ſint, & eſſe debeant contenti, nec aliquid aliud ab ipſis Prioriſſa & Conventu Eccleſię prędictę petere; exigere, ſeu levare debeant, ſive poſſint. Et nihilominus eiſdem Prioriſſę & Conventui, ut Prior & Fratres prędicti eas tempore infirmitatis ipſarum viſitare, ac illi ex eis, qui per dictam Prioriſſam ad hoc eligentur, & requirentur pro tempore, exequias Monialium in dicto Monaſterio pro tempore decedentium, ac Miſſas annuales, ſeptias (3), trigeſimas in eodem Monaſterio libere celebrare, ac etiam eiſdem Prioriſſę, & Conventui Verbum Dei nunciare, quoties fuerit opportunum, quodque quęcunque ſeculares perſonę quoties aliqua in dicto Monaſterio recipi de novo contigerit, infra ſepta dicti Monaſterii acceptari, & parentes receptari, ac parentes quarumcunque in dicto Monaſterio infirmantium pro tempore Monaſterium ipſum miniſtrare (4), & infirmantes hujuſmodi viſitare, & quod ipſa Prioriſſa quaſcunque dicti Monaſterii Moniales ad poſſeſſiones, & alias pro utilitate dicti Monaſterii procuranda, quoties ſibi placuerit, deſtinare, libere, & licite poſſint, & valeant, Diœceſani loci & cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, eadem auctoritate tenore pręſentium indulgemus; & inſuper ex nunc irritum &c. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum VI Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Supplex Monialium petitio.

Decernit ut ſupra.

Decretum irritum faciens. Sanctio pœnalis.

1. *Miniſtrent.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.* Videas præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXV fol.* 24.
3. *Septias.*) Quæ ſcilicet celebrantur ſeptima ab obitu die. De hoc ſacro ritu pluribus, & erudite pro more diſſerit Sanctiſſimus Pontifex *Benedictus XIII*, Ordinis Prædicatorum, *Sermone XVIII De Purgatorio.*
4. *Miniſtrare.*) *Intrare*, ſeu ingredi.

Fratres

Anno 1398 Die 1 Junii.

Fratres Ordinis Armenorum Privilegiis Fratrum Prædicatorum donat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

APoſtolicę Sedis copioſa benignitas illa regularem vitam Profeſſoribus libenter concedit, per quę ipſis inquietudinis & turbationis materia ſubtrahatur, ut in contemplationis ſuavitate quieſcere valeant, & tranquillum reddere Domino famulatum, ac eis nonnunquam in Privilegiorum, & libertatum largitione ſe exhibet munificam, & in gratiis liberalem. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris Generalis & Fratrum Ordinis Armenorum citra mare conſiſtentium ſub Regula S. Auguſtini & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod licet viſitatio & correctio dictorum Fratrum Armenorum ad Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pertineat, tamen nonnulli locorum Ordinarii prętendentes correctionem & viſitationem hujuſmodi ad eos pertinere dictorum Fratres Ordinis Armenorum hujuſmodi viſitationis, & correctionis prętextu, indebite & de facto vexare, moleſtare, perturbare, & inquietare non verentur, in ipſorum Prioris & Fratrum Armenorum prędjudicium & gravamen. Quare pro parte dictorum Prioris & Fratrum Armenorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, quod omnibus & ſingulis Privilegiis, Indulgentiis, libertatibus, exemptionibus, & immunitatibus prędictis Magiſtro & Fratribus Ordinis Prędicatorum ab eadem Sede conceſſis, uti, & gaudere poſſint, concedere, & alias ſuper premiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur volentes pręfatos Priorem & Fratres Ordinis Armenorum ob ſincerę devotionis affectum, quem ad Nos & Romanam gerunt Eccleſiam, favoribus proſequi gratię ſpecialis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eiſdem Priori & Fratribus Armenorum auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, quod ipſi, eorumque Domus, & loca de cetero omnibus & ſingulis Privilegiis, gratiis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, & indulgentiis eiſdem Magiſtro & Fratribus Ordinis Prędicatorum a prędicta Sede, vel alias rite conceſſis perinde uti, & gaudere libere & licite valeant, ac ſi eiſdem Priori & Fratribus Armenorum ſpecialiter & nominatim conceſſa fuiſſent. Et nihilominus pręfatis Locorum Ordinariis, ne Priorem & Fratres Armenorum prędictos prętextu viſitationis, & correctionis hujuſmodi, ſeu alias indebite moleſtare, vexare, inquietare, aut quomodolibet perturbare, pręſumant, in virtute S. Obedientię diſtrictius inhibemus: Decernentes quoſvis Proceſſus, Sententias, ſive pęnas, quos, vel quas contra tenorem Privilegiorum, gratiarum, immunitatum, exemptionum, libertatum, & indulgentiarum hujuſmodi, quavis auctoritate haberi contigerit, ſeu etiam promulgari, irritos, & inanes, Sententias, pęnaſque alias in dictis Apoſtolicis privilegiis, & gratiis contra tranſgreſſores contentas propterea incurſuri. Per hoc autem Privilegiis, indulgentiis, & gratiis eiſdem Priori & Fratribus Armenorum a pręfata Sede forſan hactenus conceſſis, non intendimus in aliquo derogare. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Fratrum Armenorum ſupplex petitio.

Donat ut ſupra.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Donat.*) Conſule *Diploma Datum XXV Martii MCCCXCVIII*, & *Conſtitutiones* ibidem laudatas.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 149.

Anno 1398 Die 10 Junii.

Ut Moniales Monaſterii Beatæ Catharinæ Naemburgen. (1) quicquid de Monaſteriorum clauſtris, ſeu clauſura, a Fratre Raymundo ſancitum eſt, ſervent.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

HIs quę pro Religionis obſervantia &c (3). In Monaſterio Monialium Beatę Catharinę in Oppido Naemburg dicti Ordinis S. Auguſtini, Bambergen. (4) Dięceſis, ſub cura &c (5). ea in ſupradicto Monaſterio B. Catharinę &c (6). Datum Romę apud S. Petrum IV Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Naemburgen.*) *Nuremburgen.*, latine *Norinbergen.*, in *Franconia*, ad *Regnitium* fluvium.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol. 66.*

3. *Obſervantia &c.*) Ut in *Diplomate dato XIX Maii MCCCXCVIII* ad hæc uſque verba: *Obſervari in Monaſterio*.

4. *Bambergen.*) In *Franconia*.

5. *Sub cura &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hæc uſque: *Et ſpecificatis*.

6. *Catharinæ &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Ut Moniales Monaſterii *B.* Mariæ Virginis Rotenburgen. (1) a Fratre Raymundo de Monaſteriorum Clauſtris, ſeu Clauſura, ſancita, ſervent.

Anno 1398 Die 10 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CVIII.

HIs quę pro Religionis obſervantia &c. (3) in Monaſterio Monialium B. Marię Virginis in Oppido Rotenburg dicti Ordinis S. Auguſtini, Herbipolen. (4) Dięceſis, ſub cura &c. (5) ea in ſupradicto Monaſterio B. Marię &c. (6). Datum Romę apud S. Petrum IV Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Rotenburgen.*) In *Franconia*.
2. *Archivo*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 66.
3. *Obſervantia &c.*) Ut in *Diplomate dato XIX Maii MCCCXCVIII* ad hoc uſque verbum: *Obſervari*.
4. *Herbipolen.*) Wurtzburg incolis, *Italis* vero *Herbipoli*, in *Franconia*.
5. *Cura &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hæc uſque. *Et ſpecificatis*.
6. *Mariæ &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Ædes ſacras Cremonenſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat.

Anno 1398 Die 10 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CIX.

LIcet is &c. (3). Cupientes igitur ut Capella B. Marię Virginis S. Stephani ſita in Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum Cremonen. a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Capellam & ad hujuſmodi conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Epiphanię, Circumciſionis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, & Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, & Stephani prędictorum, ac Dedicationis ipſius Capellę, feſtivitatibus, & in celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum Feſtivitatum Octavas, ac per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, prędictam Capellam devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius conſervationem manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum & celebritatis tres Annos & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum, diebus, quibus Capellam ipſam devote viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur; centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum IV Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Nono. Indulgentia.

1. *Cremonenſis.*) In *Lombardia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXIII fol.* 213.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V.*

Ut quoties voluerint, Procuratores fabricæ Templi Domus Fratrum Prædicatorum Sanctorum Johannis & Pauli de Venetiis, iiſdem in Ædibus Sacris, Corpore Chriſti paſcantur, indulget (1).

Anno 1398 Die 29 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam.

CX.

EXimię devotionis affectus quem dilecti filii Nobiles Zacharias Gabrielis, & Laurentius Superantii ac Petrus Benedicti de Venetiis, Domicelli, Proviſores, ſive Procuratores Fabricę Eccleſię Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum SS. Johannis & Pauli etiam de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, ad Nos, & Romanam gerere comprobantur Eccleſiam, merito nos inducit, ut iis, quę ipſorum & Proviſorum, ſive Procuratorum dictę Fabricę, qui erunt pro tempore, animarum ſalutem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus, ipſorumque Domicellorum, qui, ut aſſerunt, zelo devotionis, quem ad dictum Ordinem gerunt, a Fratribus dictę Domus Euchariſtię deſiderant recipere Sacramentum, in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut liceat eiſdem Domicellis, & cuilibet ipſorum, ac Procuratoribus, ſive Proviſoribus dictę fabricę pro tempore exiſtentibus, a quocunque, ſeu quibuſcunque ex Fratribus dictę Domus, ad id idoneo, ſeu idoneis, toties quoties Domicellis, & Procuratoribus, ſive Proviſoribus pręfatis placuerit, & fuerit opportunum, hujuſmodi Euchariſtię Sacramentum recipere, fel. rec. Clementis PP. V Prędeceſſoris noſtri, & aliis quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus domus & Ordinis prędictorum contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apo- Indulget ut ſupra.

Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Datum Romę apud S. Petrum III Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Indulget.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

Anno 1398 Die 1 Julii.

Indulgentias elargitur viſitantibus Ædes ſacras Amantricenſis (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. DUm pręcelſa &c. (3). Cupientes igitur ut Eccleſia B. Marię Domus Fratrum Prędicatorum Ordinis de Amatrice, Aſculan. (4) Dięceſis, a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c., qui a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas feſtivitatis ejuſdem Aſſumptionis B. Marię devote viſitaverint annuatim illam Indulgentiam & Indulgentia. remiſſionem peccatorum concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Leonis de Roccha de Venis, Aquilan. (5) Dięceſis, a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas feſti ejuſdem S. Leonis quomodolibet conſequuntur. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Amantricenſis.*) Vulgo *Amatrice*, in *Aprutio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXIII fol.* 165.
3. *Dum pręcelſa &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.
4. *Aſculanę.*) *Aſculi.*
5. *Aquilanę.*) In *Aprutio*.

Anno 1398 Die 7 Julii.

F. Johannem (1) Serfort de Mevania Pœnitentiarium creat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Serfort de Mevania Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Pęnitentiario noſtro de Urbe, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. REligionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, providentia ſpiritualium, & alia multiplicia probitatis, ac virtutum merita, quibus perſonam tuam fide dignis teſtimoniis fore percipimus inſignitam, promerentur, ut te gratiis & condignis favoribus honoremus. Hinc eſt, quod Nos de perſona tua prędicta, pręmiſſorum obtentu, plenam in Domino fiduciam obtinentes, te, qui, ut aſſeris, in ſacra pagina peritus exiſtis, in Pęnitentiarium noſtrum in Urbe conſtituimus, & etiam ordinamus, tibi tenore pręſentium committentes, ut hujuſmodi officium Pęnitentiarii in Urbe pręfata, ſicut alii noſtri in illa illud ibidem gerere & exercere conſueverunt, diligenter & fideliter exequaris. Volumus autem, quod tu priuſquam ipſum officium incipias exercere, in manibus Major is Pęnitentiarii noſtri, de hujuſ- F. Johannes Pœnitentiarius conſtitutus. modi fideliter exercendo officio, pręſtes corporale juramentum, juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt. Ego Frater Johannes, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſor, Domini PP. in pręfata Urbe Pęnitentiarius, ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo Domino Bonifatio PP. IX, ejuſque ſucceſſoribus canonice intrantibus &c. (3) ſic me Deus adjuvet & hęc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, ordinationis, commiſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Johannem.*) Vide *Notam I ad Diploma datum XIII Junii MCCCXC.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIX fol.* 94.
3. *Intrantibus &c.*) Ut in Diplomate mox laudato, ad finem uſque.

Anno 1398 Die 22 Octobris.

De Clauſtris, ſeu clauſura Monaſterii S. Sixti (1) de ejuſdem Priore, Vicario, ſeu Confeſſore, ac Bonis mobilibus, leges ſancit (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. CIrca ſtatum Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium ſalubriter dirigendum juxta paſtoralis officii debitum intendentes, libenter ad ea, quę Monaſteriis ipſis, & perſonis in eis degentibus, expedire novimus, partes Apoſtolicę ſolicitudinis adhibemus. Hinc eſt, quod Nos, dilectarum in Chriſto filiarum Priorиſſę, & Conventus Monaſterii S. Sixti de Urbe ſub Regula S. Auguſtini & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, honeſtati & utilitati favorabiliter providere cupientes, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa ſcientia, ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus Frater Clericus Ordinis Prędicatorum intra Clauſuram dicti Monaſterii intrare, aut in Priorem, Vicarium, ſeu Confeſſorem dicti Monaſterii deputari, nec Prior,

Prior, Vicarius, ſeu Confeſſor dicti Monaſterii eſſe poſſit, aut debeat quoquomodo, niſi attigerit quadrageſimum ſuę ętatis annum; nec etiam Provincialis Provincię Romanę, Vicarius Generalis, ſeu particularis dicti Ordinis Prędicatorum, cujuſcunque ętatis pro tempore exiſtentes, poſſint intrare prędictam Clauſuram Monaſterii pręlibati, niſi in conſimilibus caſibus, in quibus pro ſuis officiis exercendis poſſint dicti Provincialis, aut Vicarius intrare Clauſuram Corporis Chriſti de Venetiis Caſtellan. Diœceſis, & S. Dominici Piſan. Monaſteriorum Ordinis prędicti; quodque nullus Frater dicti Ordinis, vel quicunque alterius, cujuſcunque conditionis, vel dignitatis exiſtat, ex quibuſcunque bonis mobilibus pręfati Monaſterii, ſive Peturę (4), ſive victualia, ſive alia quęcunque res, exiſtant, quidquam expendere, alienare, diſpenſare, dare, ſeu diſtribuere poſſit, aut debeat, niſi bona ipſa prius ad manus Monialium dicti Monaſterii, ad hoc pro tempore deputatarum, pervenerit realiter, & cum effectu; diſtrictius inhibentes univerſis & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, & aliis pro tempore exiſtentibus, ne, ſub excommunicationis pęna, quam contra facientes incurrere volumus ipſo facto, contra ſtatuti, & ordinationis noſtrę hujuſmodi tenorem facere, vel aliquid attentare, quoquomodo pręſumant, ac decernentes ex nunc irritum & inane &c. Per pręmiſſa autem Magiſtro Generali pro tempore exiſtenti, necnon dilecto filio Johanni de Anania, profeſſori dicti Ordinis, in Sacra Theologia Magiſtro, ad pręſens Vicario in dicto Monaſterio, quem propter hoc a ſuo Vicariatu non intendimus amovere, quo minus ipſam Clauſuram pręfati Monaſterii S. Sixti intrare libere & licite valeant, ac quo minus in conſecrationibus (5), ſeu velationibus Monialium ejuſdem Monaſterii S. Sixti, antiqua conſuetudo, intrandi ipſius clauſuram, poſſit, prout expediens videbitur pro tempore, obſervari, nullum volumus omnino prędjudicium generari. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Leges ſancit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *S. Sixti.*) Vide *Conſtitutionem XXIII Honorii III Tomo I pag.*13.
2. *Sancit.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.XIII.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXV fol.*97.
4. *Peturæ.*) *Pecuniæ.* Notandum tamen quod *Petura* dicebatur olim Craticius paries, ut videre eſt apud *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo: *Pectura*. Sed cum de bonis *mobilibus* hic mentio ſit, ſcribendum: *Pecuniæ*: ut legitur in *Conſtitutione Martini V* hac de re data.
5. *Conſecrationibus.*) Nota *Conſecrationes* hic a *Velationibus* Monialium diſtingui. Vide *Tractatum de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit.XIII.*

Sacellum S. Eliſabeth in Ædibus Sacris Colonienſis (1) Cœnobii ſitum viſitantes Indulgentiis donat.

Anno 1398 Die 23 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXIV.

CUpientes (3) igitur ut Capella ſub vocabulo S. Eliſabeth, in Eccleſia Fratrum Prędicatorum Colonien. conſtructa, congruis honoribus frequentetur a Chriſti fidelibus, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Capellam, & ad ejus conſervationem, & fabricam manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui ad eandem Capellam a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas feſtivitatis dictę S. Eliſabeth de menſe Novembris devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius Capellę conſervationem ſeu fabricam manus, ut pręfertur, porrexerint adjutrices, ſeptem Annos & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus, pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum X Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Indulgentia.

1. *Colonienſis.*) In *Germania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.*38.
3. *Cupientes.*) Deeſt exordium.

Bullam, qua B. Benedictus XI Monaſterium S. Annæ de Noceria (1) in Ordinem, & Provinciam Siciliæ Fratrum Prædicatorum cooptavit innovat.

Anno 1399 Die 7 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CXV.

SIncerę devotionis affectus, quem dilectę in Chriſto filię Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sanctę Annę per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini ſecundum Inſtituta & ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum viventes, Nucerię Chriſtianorum Diœceſis, ad Nos & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur; ut votis earum, illis pręſertim, quę ſtatum & utilitatem dicti Monaſterii reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, ipſarum Prioriſſę & Conventus ſupplicationibus inclinati, quaſdam literas felicis recordationis Benedicti PP. XI Prędeceſſoris noſtri, quas diligenter inſpici, quarumque tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, pręſertim cum incipiant vetuſtate conſumari, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium innovamus, & prędſentis ſcripti patrocinio communimus: tenor vero dictarum literarum talis eſt. Benedictus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę & Sororibus Monaſterii S. Annę de Nuceria Chriſtianorum, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum inſtituta, & ſub cura Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Apoſtolicę Sedis benignitas pru-

Exordium.

Huius Diplomatis cauſa.

Tenor Bullæ Benedicti XI.

prudentes Virgines &c (3). Ceterum ut earundem literarum tenor prȩfatus ſic inſertus omnimodam rei ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, quod illud idem robur, eamque vim, ac eundem vigorem, idem tenor per omnia habeat, quȩ haberent originales literȩ ſupradictȩ, ac eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi, ubi fuerit ex-

Clauſula derogans.

hibitus, vel oſtenſus, ut eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus ſtaretur, ſi forent exhibitȩ, vel oſtenſȩ. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Per hoc autem nullum aliud jus de novo eiſdem acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſerva-

Sanctio pœnalis.

ri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrȩ innovationis, communitionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Datum Romȩ apud Sanctum Petrum VII Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Noceria.*) Conſulendum Diploma mox laudandum.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIX fol.* 116.
3. *Virgines &c.*) Ut in *Diplomate dato XXIII Februarii MCCIV.*

Anno 1399 Die 8 Aprilis.

Cœnobium Ordinis Fratrum Prædicatorum extra muros Caſtri Pedemontis (1) conſtituendi, & ibidem fundandi Hoſpitium pauperum facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali Regni Siciliȩ, & Fratribus Ordinis Prȩdicatorum, ſecundum morem dictorum Fratrum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrȩ Religionis veſtrȩ, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut ea quȩ utilitatibus veſtris expedire videmus, & per quȩ divinus cultus augeri, & veſtra Religio propagari valeat, vobis favorabiliter concedamus; & eis etiam, quȩ ob remedium animarum fidelium, & prȩſertim pro recreatione pauperum, ac miſerabilium perſonarum laudabiliter incepta fuerunt, ut ad finem perducantur optatum, libenter Apoſtolici favoris auxilia impertimur. Sane veſtra, & dilectȩ in Chriſto filiȩ Suevȩ (3) Nobilis Mulieris de Sancto Severino, dilecti filii Nobilis viri Jacobi

Supplex fundatricis petitio.

Gaytan Militis uxoris petitio, Nobis nuper exhibita, continebat: quod olim ipſa Sueva cupiens terrena in cȩleſtia, & tranſitoria in ȩterna felici commercio commutare, vobis quendam locum pro uſu & habitatione veſtra ad hoc congruum, & honeſtum extra muros Caſtri Pedemontis, Aliſan. (4) Diȩceſis, de bonis ſibi a Deo collatis pie donavit, in quo etiam Eccleſiam cum cȩmeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro hujuſmodi uſu, & habitatione veſtris ȩdificare cȩpit, & etiam quoddam Hoſpitale Pauperum, ad honorem, & ſub vocabulo S. Dominici Confeſſoris, pro receptione peregrinorum ac infirmorum, ac etiam ſuſtentatione hujuſmodi pauperum pro tempore prope dictum locum de novo fundavit, ad hoc loci Ordinarii non accedente licentia, ſeu conſenſu. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ipſa Sueva deſideret, quod hujuſmodi locus cum Eccleſia, cȩ-

Indulget ut ſupra.

meterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis eiſdem juxta morem veſtri Ordinis exiſtat, & hoſpitale prȩfatum ſub regimine veſtro, & ſucceſſorum veſtrorum eſſe debeat, ita quod Fratres dicti Ordinis veſtri, qui in eadem domo reſidebunt pro tempore, infirmis eiſdem eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, ac defunctorum in eodem Hoſpitali corpora in prȩdicto cȩmeterio ſepelire teneantur; pro parte dictȩ Suevȩ Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationem, fundationem, & dotationem prȩfatas, & inde ſecuta, rata, & grata habere, necnon vobis retinendi, & perpetuo recipiendi locum hujuſmodi, cum eiſdem Eccleſia, cȩmeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, &

Clauſula derogans.

officinis concedere, ac etiam hujuſmodi Hoſpitale vobis ſubiicere, ita quod dicti Fratres qui in eodem loco reſidebunt pro tempore, ut prȩfertur, per idoneos miniſtros, quos ad id duxerint pro tempore ad ſolum nutum eorum deputandos, & removendos, Hoſpitale prȩfatum regere, necnon Infirmis ipſis Sacramenta miniſtrare, & decedentium corpora hujuſmodi in cȩmeterio prȩdicto pro tempore ſepelire poſſint, & debeant, ſtatuere, necnon alias in prȩmiſſis ſalubriter providere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos, ejuſdem Suevȩ intentionem laudabilem in prȩmiſſis plurimum in Domino commendantes, & ut eius devotio ad nos, & ad Romanam Eccleſiam ferventius augeatur, ac per hoc etiam veſtris, & hujuſmodi pauperum utilitatibus uberius conſulatur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, donationem, fundationem, & dotationem hujuſmodi prȩfatas, & quȩcunque inde ſecuta, rata habentes & grata, vobis recipiendi eundem locum, cum prȩdictis Eccleſia, cȩmeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis, & illum in veſtros uſus eoſdem perpetuo retinendi, & habendi, licentiam auctoritate Apoſtolica, prȩſentium tenore concedimus, quem quidem locum cum Eccleſia, cȩmeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis antedictis, vobis ac fratribus in illo pro tempore degentibus hujuſmodi de ipſa provincia veſtra exiſtentibus... decernimus volentes etiam auctoritate prȩfata quod ipſi Fratres, qui in eodem loco cum dictis Eccleſia, cȩmeterio, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis reſidebunt pro tempore, ut prȩfertur, pauperibus, & infirmis eiſdem Sacramenta miniſtrare, necnon defunctorum corpora prȩdicta in eodem Hoſpitali pro tempore apud idem cȩmeterium ſepelire teneantur & debeant, ad hoc ejuſdem Diȩceſani loci, vel alicujus alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prȩdeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro, vel Villa, ſeu alio loco quocunque ad habitandum domos, vel loca quȩcunque de novo recipere prȩſumant abſque Apoſtolicȩ Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia ejuſdem Sedis Conſtitutione contraria nequaquam obſtante: jure tamen Parochialis Eccleſiȩ, & cujuslibet alterius in omnibus

ſemper

ſemper ſalvo, plenam & liberam tenore pręſentium licentiam elargimur. Volentes etiam, & vobis auctoritate pręfata concedentes, quod vos, vel iidem alii Fratres veſtri Ordinis, qui in dicto loco pro tempore reſidebunt, gaudeatis, & gaudeant omnibus privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus, quibus vos, & alii Fratres ejuſdem Ordinis ex conceſſionibus Apoſtolicis potimini, & gaudetis; & ut etiam Hoſpitale pręfatum ſalubrius, & efficacius proſperetur, & ferventius inſiſtatur ad receptionem & refectionem infirmorum, & pauperum prędictorum, ac crebram executionem aliorum pietatis operum in eodem, quę eo potius fieri ſperamus, quo idem Hoſpitale per nos fuerit favorabilioribus privilegiis, & libertatibus decoratum, ea propter Hoſpitale pręfatum, & ejus miniſtros antedictos, qui erunt pro tempore, ceteraſque perſonas, quas inibi remanere continuo, ſeque illi forſan dedicare contigerit, cum omnibus bonis, juribus, & pertinentiis ſuis, quę in pręſentiarum rationabiliter poſſident, aut in futurum, pręſtante Domino, juſtis modis, & titulis, poterunt adipiſci, ſub Noſtra & ejuſdem Sedis protectione ſuſcipimus; illudque cum miniſtris, perſonis, bonis, juribus, & pertinentiis ſupradictis ab omni juriſdictione, poteſtate, & dominio tam Epiſcopi, quam Capituli Aliſan., quam cujuslibet alterius judicis ordinarii totaliter, & perpetuo auctoritate Apoſtolica eximentes, ita, quod, nec Epiſcopus, nec Capitulum hujuſmodi, aut quęlibet alia perſona mandato Ordinarii, ipſum Hoſpitale, aut miniſtros, ſive perſonas hujuſmodi, quę inibi, ut pręmittitur, morabuntur, interdicere, ſuſpendere, vel excommunicare valeant, ſeu quocunque modo alias in pręfatum Hoſpitale, vel miniſtros, aut perſonas hujuſmodi poteſtatem, vel juriſdictionem aliquam exercere; Et ne pro defectu paſtoris dictum Hoſpitale in ſpiritualibus, & temporalibus contingat incurrere detrimentum, ſed ut advenientes peregrini, ac pauperes hujuſmodi, ſani, vel infirmi, melius recreentur ibidem, & commodius ſerviatur eiſdem, Hoſpitale ipſum, & miniſtros, ac perſonas hujuſmodi pręſentes, & poſteros, vobis etiam, & dictis Fratribus, qui in eodem loco reſidebunt pro tempore, totaliter & perpetuo auctoritate pręfata ſubmittimus, ſub tui, fili Prior, & ſucceſſorum tuorum Priorum Provincialium pro tempore Provincię ſupradictę cura, cuſtodia, viſitatione, correctione, ac obedientia permanſuros. Nihilominus tibi, & eiſdem ſucceſſoribus, tamen cum conſenſu eorundem Fratrum, qui in dicto loco pro tempore morabuntur, curam, cuſtodiam, viſitationem, & correctionem hujuſmodi exercendi, inſtituendi, & etiam deſtituendi, ponendi, & removendi miniſtros hujuſmodi, ſive Rectorem ejuſdem Hoſpitalis, & familiares in Hoſpitali pręfato quoties, & quando expedire videritis, necnon corpora pauperum & infirmorum, aliorumque decedentium in eodem cęmeterio ſepeliendi, & miniſtrandi eis Sacramenta pręfata, plenam & liberam auctoritate pręfata, de uberioris dono gratię, licentiam impertimur. Decernentes irritum &c. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Cœnobium, & Hoſpitium pauperum prædicta privilegiis donat.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Pedemontis.*) In Provincia *Terræ laboris* eſt iſtud Oppidum, *Pes montis Aliphæ* nuncupatum.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIX fol.*54.

3. *Suevæ.*) Adeas *Sanſovinum* laudatum in *Notis ad Conſtitutionem XCIX.*

4. *Aliſan.*) *Aliphan.* in *Terræ laboris.*

Fratrum Unitorum (1) Cœnobia, ſemel duntaxat in anno, a Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, vel ipſius Vicario viſitanda & reformanda.

Anno 1399 Die 28 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CXVII.

CReditum Nobis deſuper Apoſtolicę Sedis officium quieti, & paci invigilat ſubditorum, ut opportuna ſingulis proviſionis auxilia pro tempore diſpenſantes, eos propenſius tueamur a calumniis oppreſſorum, qui ad noſtrum univerſale pręſidium pręcipua confidentia de remotiſſimis recurrentes, detrimentis gravioribus ſe exponunt, ex quibus tamen ad ſtatum eorum proſperum dirigendum vehementius anhelamus, qui de ſervitute barbarica (3) ad libertatem catholicam tranſeuntes, pręcipua devotione ſuccenſi ſub regularis obſervantię jugo Domino famulantur, ſataguntque verbo pariter & exemplo animas lucrifacere proximorum, quo per remiſſos ad propria (4) conſolatos, Apoſtolicę munificentię largitas ceteros attrahat ad orthodoxę fidei ſacramentum. Dudum ſiquidem accepto per fel. rec. Innocentium PP. VI, Prędeceſſorem noſtrum, quod tempore pię memorię Johannis PP. XXII, ipſius Innocentii ac noſtri Prędeceſſoris, quibuſdam Fratribus Ordinis Prędicatorum auctoritate ipſius Johannis Prędeceſſoris in Armenię majoris partibus evangelizantibus veritatem, quidam Fratres de Armenia majori, Unitorum nuncupati, divina gratia inſpirante de diverſis erroribus, ad veram Chriſti fidem ac unitatem & obedientiam ſacroſanctę Romanę Eccleſię reducti, cupientes a ſeculi vanitatibus elongari & ſecurius obſequiis divinis inſiſtere, regularis vitę obſervantiam aſſumpſerant, & illam ex tunc vivendo ſecundum Regulam B. Auguſtini, & Conſtitutiones dicti Ordinis Prędicatorum. promiſſa per eos obedientia Romano Pontifice, Vicario Jeſu Chriſti, & gubernatori eorum, & profeſſione per eos emiſſa de vivendo ſecundum Regulas, & Conſtitutiones prędictas, tenuerant & obſervaverant in divinis officiis & obſervantia regulari, ſe ipſis Fratribus Prędicatoribus conformando, eo ſalvo quod carnes ederent, & in communi poſſeſſiones, & redditus retinerent, quodque ipſi Gubernator, & Fratres Monaſteria & loca alia regularia, cum Eccleſiis, domibus, cęmeteriis, campanilibus, campanis, & aliis neceſſariis officinis conſtruxerant & conſtrui fecerant, ac acquiſiverant, in quorum ſingulis Priores Conventuales erant, qui ab omnibus Fratribus ipſorum Monaſteriorum, vel eorum parte majori eligi deberent, quorum electiones idem Gubernator confirmaret, vel caſſaret, Generale Capitulum congregaret, in quo corrigerentur crimina, & defectus, ac Priores ipſorum Monaſteriorum, ſi negligentes, vel defectuoſi reperirentur, a Prioratuum ipſo-

Exordium.

Quid de Fratribus Unitis Johannes XXII, Innocentius VI &c. ſanxerint, refert.

ipſorum abſolverentur officiis, & quę agenda eſſent ordinarentur; eorumque aliqui magis literati ad prędicandum Chriſti fidem ſchiſmaticis, qui in variis detinentur erroribus, deputarentur ibidem; &, ſi Gubernator decederet, vel ab officio gubernationis amoveretur, eligeretur alius a dictis Prioribus, & electus ab eis, vel majori parte ipſorum, ſine aliqua confirmatione verus exiſteret Gubernator, & dictorum Fratrum in ſpiritualibus, & temporalibus curam haberet, ſicut Magiſter Fratrum Ordinis Prędicatorum in ſuo Ordine obtinebat, pręfatus Innocentius Prędeceſſor ad conſolationem fidelium in illis partibus conſiſtentium, ad majorem fidei firmitatem, atque augmentum, quam ipſi Gubernator, & Fratres conſtanter inibi prędicabant, & ut alios ad fidem eandem, & ad regularem vitam aſſumendam promptius animarent, eiſdem Gubernatori & Fratribus prędictis Ordinem, & Regulam S. Auguſtini, recipiendi, aſſumendi, & profitendi, ita quod ex tunc ſecundum illam, & Conſtitutiones prędictas vivere deberent, ac Monaſteria, & loca hujuſmodi recipiendi, niſi quoad habendum poſſeſſiones & redditus in communi, & quoad abſtinentiam carnium, in quibus aliis Religioſis dicti Ordinis S. Auguſtini conformare ſe tenerentur, vivere deberent, & Monaſteria, & loca pręfata cum cęmeteriis & aliis pręfatis, ac poſſeſſionibus, & redditibus hujuſmodi recipiendi, ſine juris pręjudicio alieni, & poſt receptionem, aſſumptionem & profeſſionem hujuſmodi pręfatas, alia Monaſteria cum Eccleſiis, cęmeteriis, campanilibus, campanis, & aliis neceſſariis officinis, ſine hujuſmodi pręjudicio, & alias canonice conſtruendi, ſeu conſtrui faciendi, ac alias acquirendi, & recipiendi, & in eis morandi; perſonas quoque de ſeculo fugientes, & ad Religionem eorum tranſire volentes in Fratres, & ad profeſſionem ſecundum Inſtituta Ordinis S. Auguſtini, & Conſtitutiones pręfatas recipiendi, & admittendi, conceſſit liberam facultatem.

Fratrum Unitorum Supplex petitio.

Statuit inſuper idem Innocentius, quod poſt pręfatam receptionem, aſſumptionem, & profeſſionem ipſorum Gubernatoris, & Fratrum pręfatus Magiſter dicti Ord. Prędicat., qui eſſet pro tempore, per ſe, vel per Vicarium ſuum, talem & tantam auctoritatem in viſitando, corrigendo, & reformando hujuſmodi Ordinem dictorum Gubernatoris & Fratrum, haberet tam in capite, quam in membris, qualem & quantam in dicto Prędicatorum Ordine obtineret. prout in ipſius Innocentii Prędeceſſoris literis inde confectis plenius continetur. Verum, ſicut ad Nos nuper pro parte dictorum Gubernatoris & Fratrum, de tam remotis regionibus partium Orientis lamentabilis querela perduxit, licet tam pręfati Johannes, & Innocentius, quam etiam pię memorię Urbanus V, & Gregorius XI, Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, pręfatis Gubernatori, & Fratribus, perfidis Saracenis, Turcis, & Tartaris inibi commorantibus Evangelizantibus verbum Dei, & ad id plurimas perſecutiones & pericula, ut eis innotuerat, paſſi erant, multa pietate compaſſi, quamplura alia privilegia, facultates, & gratias, favorabiliter, ex Apoſtolica largitate, conceſſerint ſinguli ſucceſſive, tamen antiquus hoſtis ſalvandis invidens animabus, & in hujuſmodi agro dominico zizaniam ſeminans, Magiſtrum, & nonnullos Fratres dicti Ordinis Prędicatorum, qui eis deberent eſſe ſubſidio, contra ipſos, Gubernatorem & Fratres Unitos, eorumque hujuſmodi privilegia excitavit, ſuggeſſitque ipſi Magiſtro non ſolum per ſe, vel dictum ſuum Vicarium, viſitare eoſdem in dictis partibus Armenię majoris, ſed cum ipſi Gubernator, & Fratres habeant tria loca in Civitate Caſſen. (5) partium Tartarię, ut, ad ea tempore ſolitę perſecutionis habendo recurſum, valeant ſe tueri, cum dicta Civitas per Januen. fidele dominium gubernetur, ad ipſa tria loca ſępius occaſione viſitationis, correctionis, & reformationis hujuſmodi varios, & plures mittere Vicarios, ac etiam ſubſtitutos, prętextu cujuſdam clauſulę dicti privilegii ejuſdem Innocentii, quę incipit: Statuimus inſuper; ut pręfertur: ipſi quoque Vicarii, atque ſubſtituti pręfatos Gubernatorem, & Fratres nunquam ad Armeniam Majorem progredi ſinunt, ubi principaliter fundata eſt ipſorum Gubernatoris & Fratrum Unitorum Religio, & plurima loca Religionis ejuſdem fore noſcuntur, pro viſitatione, correctione, & reformatione pręfatis, quin potius quicunque ipſi Fratres Ordinis Prędicatorum ſecundum Inſtituta ejuſdem eorum Ordinis, & alias ex more, & Superiorum ſuorum pręcepto de loco ad locum ſępe mutantur, & aliqui eorum ad loca, quę in Civitate Caſſen pręfata ipſi Fratres Prędicatorum habere noſcuntur, pro tempore tranſmittuntur, impetrant ſibi auctoritatem viſitandi, corrigendi, & reformandi tria loca pręfata, & pro tempore degentes in eis; cujus auctoritatis prętextu iidem Fratres Prędicatores illic accedentes Priores, Fratres, & Conventus trium locorum hujuſmodi exhauriunt, ac alias multipliciter vexant, & moleſtant eoſdem, in ipſorum Gubernatoris & Fratrum Unitorum, dictorumque Conventuum intolerabile pręjudicium, & graviſſimum ſcandalum, non ſolum dicti regiminis, ſed etiam Civitatis prędictę, infidelium deriſum, opprobriumque ac pernicioſum exemplum, ac fidelium ſcandalum nationum.

Docernit ut ſupra.

Fratrum Unitorum Privilegia firmat, & innovat.

Quare pro parte dictorum Gubernatoris & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper his de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium declaramus, pręfato Magiſtro dicti Ordinis Prędicatorum, & unico ejus Vicario, ad hoc ſpecialiter deputato, qui pro tempore fuerint, duntaxat, ſemel in anno tantummodo, competere viſitationem, correctionem, & reformationem pręfatas, ſic tamen quod tria loca, vel eorum aliquem, ſeu perſonas in eis degentes, etiam tunc non exhauriant, ut pręfertur; pręſertim cum dicti Fratres Ordinis Prędicatorum alia loca, ut pręmittitur, habeant in Civitate Caſſen., ad quę poterunt declinare, ſed ſint ſola caritativa & moderata refectione, vel alia quam pecuniaria procuratione contenti, ita quod de his alius Vicarius, aut ab ipſis Magiſtro & Vicario, vel eorum altero quomodolibet ſubſtitutus, ſe de Viſitatione, correctione, & reformatione pręfatis aliter intromittere non poſſit: ac irritum & inane decernentes quicquid in contrarium contigerit attentari, & nihilominus tam hujuſmodi Johannis, & Innocentii, quam Urbani, & Gregorii, noſtrorum Prędeceſſorum privilegia, gratias, indulta pręfata, quę, quorumcunque tenorum exiſtant, haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, dummodo alias ſpecialiter, & expreſſe revocata non appareant, ex certa ſcientia confirmamus, approbamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ac etiam innovamus; & inſuper quod cum generales Proceſſiones in Terris illis, in quibus Prędicatores & Fratres Uniti fuerint, ipſi Fratres Uniti cum eiſdem Prędicatoribus, & non alterius Religionis Fratribus, incedere debeant, privilegiis,

con-

conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum IV Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Unitorum.*) De quibus in *Notis ad Conſtitutiones Johannis XXII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIX fol.*193.
3. *De Servitute barbarica.*) De ſchiſmate ſcilicet, & hæreſi *Armenorum*, ex quibus emerſerant Fratres *Uniti*.
4. *Remiſſos ad propria.*) Id eſt ad patriam remeantes.
5. *Caffen.*) *Caphen.*, in *Taurica Cherſoneſo*.

Fratribus Unitis (1), ut ſemel in vita, quem elegerint, poſſit Sacerdos ipſos a quocunque peccato ſolvere, & Indulgentia plenaria donare.

Anno 1399 Die 28 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CXVIII.

DEcens reputamus, & congruum, ut in vineam Domini laborantes, qui jugiter verbo Prędicationis inſiſtunt, ſpecialium donorum prerogativa lętentur: & fatigati pro nomine Salvatoris, favoribus, & gratiis Apoſtolicę Sedis, prę ceteris gaudeant. Sane cum, ſicut accepimus, dilecti filii Gubernator & Fratres de Armenia Majori Ordinis Unitorum, qui a dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum radice prodeuntes, ſecundum Conſtitutiones ipſorum vitam degunt, & inter infideles, & ſchiſmaticos partium Orientis, doctrinę verbo pollentes, converſati, in ipſorum infidelium, & ſchiſmaticorum converſatione fructum non modicum feciſſe feruntur, ab aliis, qui Verbum Domini non ſuſcipiunt, plerumque fatigationibus (3), & tribulationibus fatigati, ſubire mortis pericula non formidant; Nos, eiſdem Fratribus pro laboribus temporalibus impertiri ſpirituale ſolatium cupientes, ut eo lętius, cum imminent, pro Chriſto mortis pericula ſubeant, quo ſe animarum ſuarum ſalutem noverint ſecurius adepturos; fel. rec. Gregorii PP. XI, Prędeceſſoris noſtri, in hac parte veſtigiis inhęrentes, omnibus, & ſingulis eiſdem Fratribus, qui in prędictis, vel aliis infidelium & ſchiſmaticorum hujuſmodi partibus pro ipſorum converſione prędicta, & fidelium earundem partium, vel inibi commorantium, conſervatione, nunc morantur, indulgemus, ut Confeſſor, quem quilibet illorum Fratrum duxerit eligendum, illis ex eis, videlicet, qui corde contriti, & ore confeſſi fuerint, remiſſionem Plenariam infraſcriptam in mortis articulo ſemel tantum, auctoritate Apoſtolica, concedere valeat; Nos quoque illis, & eiſdem Fratribus, qui inter hujuſmodi infideles corde contriti, licet non ore confeſſi, utpote Sacerdotum copiam non habentes, obierint, in ſinceritate tamen fidei, unitate S. R. E., ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſiſtentes, omnium peccatorum ſuorum remiſſionem Plenariam tenore prędentium indulgemus: ſic tamen, quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam eiſdem confeſſis Fratribus per ſe, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi tunc forte tranſierint, faciendam injungant, quam ipſi, vel illi facere teneantur, ut prefertur. Et ne, quod abſit, iidem Fratres propter hujuſmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte committerent, quoad illa prędicta remiſſio eis nullatenus ſuffragetur. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum IV Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Exordium. — Indulget ut ſupra. — Sanctio pœnalis.

1. *Unitis.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCI fol.*91.
3. *Fatigationibus.*) Forſitan *Fuſtuariis*.

Lucæ, Gubernatori Fratrum Unitorum (1), ut per ipſum liceat viginti quinque perſonis eligere Sacerdotem, qui ſemel in vita ſolvat illas ab omni peccato.

Anno 1399 Die 28 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Lucę Gubernatori Fratrum de Armenia majori, Ordinis Unitorum ſecundum Conſtitutiones Fratrum Prędicatorum viventium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXIX.

MEretur tuę devotionis ſinceritas, quam ad nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, ut tuis votis piis favorabiliter annuamus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati viginti quinque perſonis quas coram aliquo Antiſtite catholico duxeris nominandas, ut ſinguli Confeſſores, quos ſingulę ipſarum perſonarum duxerint eligendos, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritę, & ore confeſſę fuerint, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem eis in ſinceritate fidei, & unitate S. R. E., & obedientia, & devotione noſtra, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeant, devotioni earum, tenore prędentium indulgemus. Sic igitur &c. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum IV Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Exordium. — Indulget ut ſupra. — Sanctio pœnalis.

1. *Unitorum.*) De quibus ſæpius dictum eſt.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCI fol.*91.

Anno 1399 Die 28 Aprilis.

Indulgentias impertitur viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Caphenſis (1) S. Jacobi.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes itaque ut Eccleſia loci dilectorum filiorum Gubernatoris, & Fratrum de Armenia majori Sancti Jacobi extra muros Caffen. Ordinis Unitorum (3) congruis honoribus &c. & confeſſis, qui in feſto dicti Sancti Jacobi Eccleſiam ipſam devote viſitaverint &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Kalend. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Caphenſis.*) Vulgo *Caffa*, in *Taurica Cherſoneſo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVI fol.47*.
3. *Unitorum.*) De quibus ſæpius dictum eſt. Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCXCIX pag. 267*, ubi de hac Indulgentia mentionem habet.

Anno 1399 Die 28 Aprilis.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii S. Nicolai extra muros Caphen (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes igitur ut Eccleſia loci dilectorum filiorum Gubernatoris & Fratrum de Armenia majori S. Nicolai Caffen congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad conſervationem ipſius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in feſto S Nicolai Confeſſoris Eccleſiam ipſam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem, hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, duodecim annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę IV Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Caphen.*) Conſulendum præcedens Diploma. Adeas etiam *Fontanam* ibidem laudatum.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVIII fol.47*.

Anno 1399 Die 28 Aprilis.

Ædes ſacras Caphenſis (1) Cœnobii SS. Petri & Pauli viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes itaque, ut Eccleſia loci dilectorum filiorum Gubernatoris & Fratrum Ordinis Unitorum de Armenia majori, Sanctorum Petri & Pauli Caffen. congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, ac ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem ipſius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius proſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c., qui in feſto dictorum Apoſtolorum Eccleſiam ipſam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, duodecim annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum IV Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Caphenſis.*) Legendum penultimum Diploma. Conſulendus etiam *Fontana* ibidem laudatus.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVI fol.47*.

Hyſtā-

Hyſſanenſi (1) Epiſcopo, de mauſoleo conſtruendo in Ædibus ſacris Cœnobii SS. Johannis & Pauli.

Anno 1399 Die 7 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Angelo Epiſcopo Hiſſanen. in Loco de Venetiis Caſtellan. Diœceſis commoranti, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis fidelium votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane petitio pro parte dilecti filii Nobilis Viri Franciſci quondam Georgii Sauredano de Venetiis, Domicelli nati, Caſtellan. Diœceſis, Nobis nuper exhibita continebat, quod olim ipſe Georgius de propria ſalute cogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis quandam Capellam in honorem & ſub vocabulo S. Nicolai in Eccleſia Sanctorum Johannis & Pauli, domus Fratrum Ordinis Prędicatorum etiam de Venetiis dictę Diœceſis, ob ſingularem devotionis fervorem, quam gerebat ad eandem Eccleſiam, de novo fundari, & conſtrui fecit, ac tandem ipſo Georgio rebus humanis exempto corpus ſuum juxta extremę voluntatis ejus deliberationem in Capella prędicta traditum ſepulturę. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfatus Franciſcus ex ſingulari affectione corpus ſui Genitoris hujuſmodi exhumari, & in quadam tumba ex lapidibus marmoreis ſculpta denuo ſepeliri, ac tumbam ipſam cum dicto corpore in eadem Capella in loco eminenti, & alto elevari, & poni deſideret, pro parte dicti Franciſci Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi faciendi pręmiſſa, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem eandem ea ſic fore repereris, & exinde ſcandalum minime ſurrecturum, pręfato Franciſco, ut Corpus prędictum exhumari, & in hujuſmodi tumba denuo recondi, ſeu ſepeliri, ac tumbam ipſam in prędicta Capella in loco eminenti, & alto, ut pręfertur, elevari & poni facere, perpetuis temporibus permanſuram, libere, & licite poſſit, cujuſcunque alterius licentia, & conſenſu ſuper hoc minime requiſitis, auctoritate prędicta licentiam largiaris. Conſtitutionibus Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus, ac provincialibus, vel ſynodalibus, necnon privilegiis & indultis Sedis ejuſdem, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, & aliis in contrarium editis, non obſtantibus quibuſcunque. Dat. Romę apud S. Petrum Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Supplex petitio.

Conceſſio.

1. *Hyſſanenſi*.) *Hiſſa*, Slavis *Wis*, Italis *Liſſa*, Inſula eſt maris *Illyrici*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CI fol. 75*.

F. Petrus (1) Epiſcopus Wittecenſis conſtituitur.

Anno 1399 Die 14 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Petro Epiſcopo Wittecen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis, nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini prędidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in Paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium, tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium, & in antea vacaturarum, ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus reſervandas, ac decrevimus irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Wittecen. ex eo vacante, quod Nos venerabilem Fratrem noſtrum Antonium Woconcin. (3), tunc Wittecen. Epiſcopum apud dictam Sedem conſtitutum, a vinculo, quo Eccleſię Wittecen., cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Woconcin. tunc Paſtore carentem, auctoritate Apoſtolica, de dictorum Fratrum conſilio, duximus transferendum, pręficiendo ipſum eidem Woconcin. Eccleſię in Epiſcopum, & paſtorem, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſię Wittecen. celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos ea vice ſe intromittere potuerat, neque poterat, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia Wittecen. longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię Wittecen. perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum prędictis Fratribus habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, convertimus oculos noſtrę mentis, &, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio de perſona tua eidem Wittecen. Eccleſię auctoritate prędicta providimus, teque illi pręfecimus in Epiſcopum & paſtorem; Tuque deinde apud Sedem Apoſtolicam munus conſecrationis tibi de mandato noſtro impendi obtinuiſti. Cum autem hujuſmodi proviſio, & pręfectio de te per Nos, ut pręfertur, factę viribus non ſubſiſtant, ex eo quod tu juxta quandam ordinationem per Nos factam literas Apoſtolicas ſuper hujuſmodi proviſione, & pręfectione de te, ut pręfertur, eidem Eccleſię Wittecen. per Nos factis infra tempus debitum confici non feciſti, dictaque Eccleſia Wittecen. adhuc, ut pręfertur, vacare

Antonius F. Petri deceſſor.

F. Petrus Epiſcopus conſtituitur.

noſcatur, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſię Wittecen., ne ulterioris vacationis ſubjaceat incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper hoc cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te cui de literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, convertimus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Wittecen. Eccleſię de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio de novo auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Wittecen. Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, pręfata Eccleſia Wittecen. ſub tuo felici regimine proſpere, & ſalubriter dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod eadem Wittecen. Eccleſia, gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium noſtrę benevolentię & Apoſtolicę Sedis gratiam uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud Sanctum Petrum II Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Petrus*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVIII fol.* 22.
3. *Woconcin.*) *Dienſis* ſcilicet. *Dia*, ſeu *Dea*, vulgo *Die*, urbs eſt *Delphinatus* Provinciæ, ibi alias *Vocontii* populi. Hinc Dea *Vocontiorum* vocatur.

Anno 1399 Die 2 Junii.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Viennenſis (1).

Ex Arch. (2) Ordinis.

CXXV. Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes igitur, ut Eccleſia B Marię Domus Fratrum Prędicatorum in Vienna, Paravien. (3) Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Conceptionis, Nativitatis, Purificationis Annuntiationis, Viſitationis, & Aſſumptionis ipſius B. Marię Virginis, ac Dedicationis, & Patrocinii ejuſdem Eccleſię feſtivitatibus prędictis eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad hujuſmodi conſervationem manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet prędictatum feſtivitatum diebus, quibus Eccleſiam prędictam viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, illam Indulgentiam & remiſſionem peccatorum perpetuo concedimus, quam viſitantes Eccleſiam B. Marię Virginis Aquen. (4), Leodien. (5) Dięceſis, in eiſdem feſtivitatibus ſeu earum aliqua quomodolibet conſequuntur. Dat. Romę apud S. Petrum IV Non Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Viennen.*) In *Germania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCI fol.* 131.
3. *Patavien.*) Seu *Paſſavienſis*, vulgo *Paſſavv*, in *Germania*. Nunc Archiepiſcopalis eſt Urbs *Viennenſis*.
4. *Aquenſis*.) *Aquiſgrani* ſcilicet, Germanis *Ach*, Flandris *Aken*, Gallis *Aix la chapelle*, Italis *Aquiſgrana*. Urbs eſt *Germaniæ Cisrhenanæ*.
5. *Leodienſis*.) *Liege*, in *Belgio*.

Anno 1399 Die 18 Junii.

F. Jacobum (1) de Gallucio præficit Eccleſiæ Stabienſi.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXVI. Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo de Gallucio Electo Stabien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis, Nobis ex alto commiſſum, quo Eccleſiarum omnium regimini pręſidemus, utiliter exequi, coadjuvante Domino, cupientes, ſoliciti corde reddimur, & ſolertes, ut cum de ipſarum regiminibus agitur committendis, tales eis in paſtores pręficere ſtudeamus, qui commiſſum ſibi gregem dominicum ſciant non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis informare, commiſſaſque ſibi Eccleſias, in ſtatu pacifico, & tranquillo velint, & valeant, duce Domino, ſalubriter regere, & feliciter gubernare. Dudum ſiquidem bonę memorię Antonio Epiſcopo

F. Jacobus ſuccedit Antonio.

Stabien. regimini Stabien. Eccleſię pręſidente Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum ipſam vacare contingeret, utilem, & fructuoſam per Apoſtolicę Sedis providentiam pręeſſe perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam; decernendo ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his, per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prędicta Eccleſia, per ipſius Antonii obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad ipſius Eccleſię proviſionem celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis ſubjaceret incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccle-

Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędìtum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Stabien. Eccleſię, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; Curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes quod, dextera domini tibi aſſiſtente propitia, pręfata Eccleſia ſub tuo felici regimine proſpere, & ſalubriter dirigetur, & grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium benevolentię Noſtrę, ac Sedis prędictę benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud S. Petrum XIV Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Jacobum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVIII fol.* 13.

Cœnobii Leowardienſis (1) Ædes ſacras viſitantibus Indulgentias elargitur. Anno 1399 Die 22 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXXVII.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum in Lewardia, Trajecten. (3) Dięceſis, quę cum ędificiis & officinis ignis incendio concremata exiſtit, congruis honoribus frequentetur, ac etiam reparetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, necnon ad reparationem ipſius Eccleſię cum officinis manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię exinde uberius, conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in Nativitate Beatę & glorioſę Virginis Marię, & per ejus Octavam Anni pręſentis duntaxat, necnon ſingulis futuris annis S. Petri ad Vincula feſtivitatibus, & per ſex dies dictum feſtum immediate ſequentes Eccleſiam prędictam devote viſitaverint, & ad reſtaurationem & conſervationem ejuſdem Eccleſię cum officinis, & ędificiis hujuſmodi, manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem ſuorum peccaminum, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, quam viſitantes Eccleſiam B. Marię de Portiuncula alias dictam de Angelis extra muros Aſſiſien. primo & ſecundo diebus menſis Auguſti quomodolibet conſequuntur, & nihilominus, ut Chriſti fideles ad ipſam Eccleſiam in hujuſmodi feſtivitatibus Nativitatis B. Marię, & S. Petri, ac octava, & diebus prędictis, ut pręmittitur, propterea confluentes Indulgentiam hujuſmodi uberius conſequi poſſint, Priori dictę Domus pro tempore exiſtenti, & octo aliis Presbyteris idoneis tam Secularibus, quam Religioſis, per eundem Priorem annuatim eligendis, ut ipſi Confeſſiones omnium & ſingulorum Chriſti fidelium in feſtivitatibus Nativitatis B. Marię & S. Petri, ac octava, & diebus prędictis, ut pręfertur, cauſa hujuſmodi Indulgentię conſequendę confluentium, etiam duobus diebus ipſas feſtivitates immediate pręcedentibus eadem auctoritate audire, & ipſorum confeſſionibus diligenter auditis pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi tamen talia forent propter quę merito ſit Sedes Apoſtolica conſulenda, prędicta auctoritate de uberiori dono gratię concedimus per pręſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat &c. Dat. Romę apud Sanctum Petrum X Kalen. Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Indulgentia.

Prior & Octo Presbyteri confeſſiones cujuslibet fidelis poſſint excipere, eoſque abſolvere.

1. *Leovvardienſis.*) Tunc Provinciæ noſtræ *Saxoniæ* juris erat hocce Cœnobium. Anno *MCCCCLXXVI* datum fuit *Hollandiæ* Congregationi. *Inferioris Germaniæ* Provincia ipſum obtinuit Anno *MDXV*. Ab hæreticis tandem occupatum fuit Anno *MDLXXX*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCI fol.* 275.

3. *Trajectenſis.*) In *Germania* inferiori.

Anno 1399 Die 26 Novembria.

F. Johannem Dominici (1) Vicarium Generalem Ordinis Fratrum Prædicatorum conſtituit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXVIII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Dominici de Florentia (3), Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Corporis Chriſti, & B. Dominici ac Sanctorum Johannis & Pauli Domorum de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, & nonnullorum aliorum, Domorum, locorum, ſive Monaſteriorum Fratrum & Ordinis (4) Prędicatorum Generali Vicario, per Sedem Apoſtolicam deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio F. Johannis Dominici. Supplex F. Johannis Dominici petitio.

REligionis zelus, vitę munditia, ac morum honeſtas, aliaque eximia dona virtutum, quibus perſonam tuam, ex fide dignorum teſtimoniis percepimus inſignitam, ſpem Nobis indubiam pollicentur, quod ea, quę tibi duxerimus committenda diligenter, fideliter, & prudenter exequi procurabis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod olim quondam Raymundus (5), Ordinis Fratrum Prędicatorum Generalis Magiſter, ex certis rationabilibus cauſis tunc expoſitis, te tam Corporis Chriſti (6), & B. Dominici, ac Sanctorum Johannis & Pauli de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, quam aliorum in Romana, & certis aliis Provinciis, & locis Domorum, ſeu locorum, & Conventuum conſiſtentium, ſuum Generalem Vicarium, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, in capitibus & membris fecit, & etiam deputavit, cum poteſtate, ſeu auctoritate hujuſmodi domus, ſeu loca, & Conventus viſitandi, abſolvendi, revocandi, expellendi, confirmandi, ſententiandi, vel terminandi, decidendi, & tranſmittendi ad prędicandum Fratres prędicti Ordinis per totam Italiam, ſecundum morem ipſius Ordinis, ac omnia & ſingula alia in dictis domibus, locis, ſeu Conventibus faciendi, & ordinandi, quę ipſe Raymundus Magiſter Generalis in ipſis facere quomodolibet poterat, prout in ipſius Raymundi Generalis Magiſtri literis ſuper inde confectis, quarum tenorem haberi volumus, pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dicti vicariatus officium per obitum ipſius Raymundi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, a nonnullis expiraſſe dicitur, Nos, cupientes quod idem Ordo, ad quem gerimus ſpecialem devotionis affectum, pręſertim in domibus, locis, & Conventibus ſupradictis, regatur utiliter, & ſalubriter: ac gerentes de tuę circumſpectionis induſtria fiduciam ſingularem; te Corporis Chriſti, & B. Dominici, & Sanctorum Johannis & Pauli, necnon omnium & ſingulorum pręfatorum, Domorum, locorum, & Conventuum Generalem Vicarium, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, auctoritate Apoſtolica, uſque ad noſtrum beneplacitum, de novo conſtituimus, facimus, & etiam deputamus. Quemlibet alium, ſeu alios, Vicarium, ſeu Vicarios, aut Priorem, ſeu Priores, ſeu officialem, vel officiales quocunque nomine cenſeantur, in eiſdem domibus, Conventibus, ſeu locis, quavis auctoritate deputatos, ab hujuſmodi Vicariatus, Prioratus, ſeu officialatus officio, harum ſerie penitus revocantes, & etiam amoventes, necnon tibi Ordinem, Domos, & Conventus pręfatos, ac loca, & perſonas utriuſque ſexus ejuſdem Ordinis, ac Monaſteria in ipſis Provinciis conſiſtentia, & eidem Ordini ſubjecta, & quę per ipſum Ordinem, & ſub cura Fratrum ipſius Ordinis regi conſueverunt, tam in capitibus, quam in membris, viſitandi, corrigendi, reformandi, regendi, ac etiam gubernandi, prout neceſſarium fuerit, & tibi videbitur expedire, ac omnia & ſingula alia faciendi, gerendi, & exercendi, deputandi, mandandi, & exequendi, quę Generalis Magiſter dicti Ordinis pro tempore exiſtens, juxta Conſtitutiones dicti Ordinis, vel alias de conſuetudine, vel de jure, quomodolibet facere poteſt, ſeu etiam conſuevit; contradictores quoque quoſlibet & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, non obſtantibus conſtitutionibus, literis Apoſtolicis, ac privilegiis, & indulgentiis &c de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit mentio ſpecialis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, Domorum, Conventuum, & Monaſteriorum prędictorum & aliis contrariis quibuſcunque, eadem auctoritate facultatem plenariam, & poteſtatem liberam concedentes, ac mandamus univerſis, & ſingulis Fratribus, ac Prioriſſis, Conventibus, & ſingularibus perſonis, Domorum, Conventuum, & Monaſteriorum pręfatorum, ut tibi, hujuſmodi beneplacito durante, in omnibus & ſingulis, quę ad hujuſmodi Vicariatus officium quomodolibet pertinent effectualiter (7) & intendant. Nos enim ſententias, ſive pęnas, quas rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam, inviolabiliter obſervari. Tu igitur in hujuſmodi tibi commiſſo Vicariatus officio, ſic te habere ſtudeas diligenter, fideliter, & prudenter, quod exinde ſperati fructus proveniant. Tuque apud Nos & Sedem Apoſtolicam de diligentia, fidelitate, & prudentia amplius valeas non immerito commendari. Datum Romę apud S. Petrum VI Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Conſtituit ut ſupra.

1. *F. Johannem Dominici.*) Beatum de quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CX fol.* 54.
3. *De Florentia.*) Sic a patria nuncupatur *B. Johannes Dominici.* Conſulendus *S. Antoninus Parte III Tit. XXII Cap. V.*
4. *Et Ordinis.*) *Et Sororum Ordinis.*
5. *Quondam Raymundus.*) Senio, laboribuſque fractus, *Nuribergæ* obierat hoc anno *B. Raymundus*, pietate, ſcientia, eruditione, egregiis virtutibus & ſanctitatis fama celeberrimus.
6. *Corporis Chriſti.*) Iſtius Monaſterii fundatorem fuiſſe *B. Johannem Dominici*, notatum eſt ſupra. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCCXIX pag.* 768.
7. *Effectualiter.*) Adderem: *Obediant.*

F. Vin-

F. Vincentius (1) Ulyſſipponenſis Regnorum Portugalliæ, & Algarbiæ Inquiſitor creatur.

Anno 1399 Die 2 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio de Ulisbona Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Sacrę Theologię Magiſtro, in Portugallię & Allegarbil (3) Regnis, ſecundum morem dicti Ordinis Inquiſitori hęreticę pravitatis per Sedem Apoſtolicam deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Licet ubilibet Sedis Apoſtolicę providentia circumſpecta hęreticę pravitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit ut cancer, ne in aliorum perniciem ſua venena diffundant, remedium libentius adhibeat opportunum, in Regnis tamen Portugallię & Allegarbil, ad quę, & eorum incolas affectum gerimus ſpecialem, pręcipuę cupimus, ut negotia fidei jugi profectu eliſis omnino & eradicatis erroribus, proſperetur, fideſque catholica fortius invaleſcat. Affectantes igitur, ad hujuſmodi negotium fidei ibidem efficaciter promovendum, talem deputare perſonam, cujus honeſta converſatio exempla tribuat puritatis, ejuſque labia erudita doctrinam fundant ſcientię ſalutaris, ut ejus miniſterio omne fermentum exinde labis hujuſmodi expurgetur: tandem ad perſonam tuam, quam Religionis & fidei ſinceritate, & maturitate morum, ac literarum ſcientia, multarumque aliarum virtutum donis, earum largitor Dominus inſignivit, diligenter intuitum noſtrę mentis dereximus, teque, quem ex cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (4) Regnorum prędictorum Regis Illuſtris, & multarum notabilium perſonarum Nobis facta relatione fideli, ad hujuſmodi officium ſufficientem, & idoneum reputamus, Inquiſitorem hęreticę pravitatis in dictis Regnis auctoritate Apoſtolica uſque ad noſtrum beneplacitum facimus, conſtituimus, & etiam deputamus. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, tibi in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore poſtpoſito, ſpiritum fortitudinis induens, prędictum Inquiſitionis officium in eiſdem Regnis prout tam negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis ęternę ſic efficaciter proſequi, & exequi ſtudeas diligenter, ut per ſollicitudinis tuę providentiam radix pravitatis ejuſdem penitus evellatur, & vinea Domini Sabaoth, extinctis exinde vulpeculis fructus uberes afferat catholicę puritatis; in hujuſmodi negotio proceſſurus tam ſecundum indulgentias, & privilegia Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem pręfata auctoritate deputatis, ſeu officio hujuſmodi Inquiſitionis ab eadem Sede conceſſa, quam etiam ſecundum canonicas ſanctiones. Per hujuſmodi autem deputationem de tua perſona in hujuſmodi Inquiſitionis officio per Nos factam, locorum Ordinariis, quo minus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout volunt dictę canonicę ſanctiones exercere valeant, & prędictis, vel quibuſcunque aliis privilegiis tuo Ordini, vel Inquiſitoribus, ſeu officio memoratis, ſi qua ſint eis a dicta Sede conceſſa, nullum volumus pręjudicium generari. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Nonas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

F. Vincentius fit Inquiſitor.

1. *Vincentius.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicat. ad an. MCCCCI pag.748, & Fontanam Theatro Dominicano Parte III Cap. III Tit. LIV pag. 596.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIX fol. 156.*
3. *Allegarbii.*) *Algarbiæ*, vulgo *Algarve.*
4. *Johannis.*) Hujus nominis *I. Pater Patriæ* nuncupatus fuit *Johannes* iſte.

Cœnobii Droghedenſis (1) Ædes ſacras viſitantibus Indulgentias impertitur, & Fratres præficit, qui eos abſolvant.

Anno 1399 Die 4 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet is &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum de Droghda, Armachan. Diœceſis, ac Capella B. Marię Dei Genitricis eidem Eccleſię quaſi contigua. congruis honoribus frequententur, & etiam conſerventur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eaſdem, & ad conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in feſto Annuntiationis Beatiſſimę Dei Genitricis Virginis Marię, & per quatuor Dies feſtum ipſum immediate ſequentes, eaſdem Eccleſiam & Capellam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, illam Indulgentiam & remiſſionem peccatorum concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marię de Portiuncula, alias dictam de Angelis, extra muros Aſſiſien. primo, & ſecundo, diebus menſis Auguſti, annuatim quomodolibet conſequuntur, & nihilominus, ut Chriſti fideles ad ipſam Eccleſiam & Capellam in hujuſmodi tempore confluentes, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, & Indulgentiarum hujuſmodi melius participes eſſe poſſint, benignius agere volentes, Priori, & Lectori ipſius Domus pro tempore exiſtentibus, ac tribus, ſeu pluribus Fratribus ipſius Domus ad hoc idoneis, per ipſum Priorem & Fratres dictę Domus pro tempore exiſtentes in eiſdem Eccleſia & Capella ſingulis Annis in Confeſſoribus deputandis, qui confeſſiones quarumcunque perſonarum ad ipſas Eccleſiam & Capellam, cauſa hujuſmodi Indulgentię conſequendę, accedentium audire, & ipſis dili-

Indulgentia.

Ædes ſacras Droghedenſes Viſitantes a quolibet peccato poſſunt abſolvi.

diligenter auditis eiſdem perſonis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere, & injungere pęnitentiam ſalutarem, hujuſmodi Indulgentia durante, valeant, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum II Non. Decemb., Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Droghedenſis.*) Vulgo *Droghdagh*, in *Ultonia*, Provincia *Hibernia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CI fol.* 129.

3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V.*

Anno 1399 Die 8 Decembris.

F. Nicolaus (1) de Aedya Montis Corbinenſis Epiſcopus creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXI. Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Aedya Electo MontisCorbini, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ROmani Pontificis, quem Paſtor ille cęleſtis & Epiſcopus animarum poteſtatis ſibi plenitudine tradita Eccleſiis prętulit univerſis, plena vigiliis ſolicitudo requirit, ut circa cujuslibet ſtatum Eccleſię ſic vigilanter excogitet, ſicque proſpiciat diligenter, quod per ejus providentiam circumſpectam Eccleſiis ipſis Paſtor accedat idoneus, & rector providus deputetur, qui populum ſibi commiſſum ſalubriter dirigat, & informet, & Eccleſiis ipſis votivę proſperitatis afferat incrementa. Sane Eccleſia MontisCorbini ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod Nos hodie Venerabilem Fratrem noſtrum Antonium Termulan., tunc Montis Corbini Epiſcopum apud Sedem Apoſtolicam conſtitutum, a vinculo, quo ipſi Eccleſię Montis Corbini, cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine abſolventes ipſum ad Eccleſiam Termulan. (3), tunc vacantem, duximus auctoritate Apoſtolica transferendum pręficiendo eum dictę Termulan. Eccleſię in Epiſcopum, & paſtorem: Nos ad proviſionem ipſius Montis Corbini Eccleſię celerem, & felicem, ne longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię Montis Corbini perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędìtum, vitę, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide dignorum teſtimoniis commendatum, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię Montis Corbini, &c. Dat. Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Antonius e Monte Corbinenſi ad Termulanam Sedem translatus.

Ipſi ſuccedit F. Nicolaus.

1. *Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVIII fol.* 76.

3. *Termulanam.*) Vulgo *Termini*, in Regno *Neapolitano*. Adeas *Ughellum in Epiſcopis Termulanis*, ubi, *Antonium* Anno *MCCCCII* obiiſſe, docet.

Anno 1400 Die 8 Januarii.

Viſitantibus Ædes ſacras (1) Cœnobii SS. Dominici & Jacobi de Mevania Die feſto SS. Philippi & Jacobi, ac duobus diebus ſequentibus Indulgentiam impertitur, & concedit ut tres ex Fratribus Ordinis Prædicatorum poſſint eos abſolvere ab omni peccato.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXII. Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. LIcet is, de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia pietatis ſuę, quę merita ſupplicum excedit, & vota, bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri; nihilominus tamen deſiderantes Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum ſibi, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, Indulgentiis videlicet, & remiſſionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores. Cupientes igitur, ut Eccleſia SS. Dominici & Jacobi de Mevania Ordinis Fratrum Prędicatorum, Spoletanę Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, ut Chriſti fideles eo libentius, cauſa devotionis, confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos; de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in feſtivitate Sanctorum Apoſtolorum, videlicet Philippi & Jacobi, in Kal. Maii a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ipſius feſtivitatis, necnon per duos dies feſtivitatem ipſam immediate ſequentes ſupradictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus, quam Eccleſiam S. Marci de Venetiis Caſtellan. Dięceſis a primis Veſperis uſque ad

Indulget ut ſupra.

ad ſecundas Veſperas in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus ut fideles ipſi ad dictam Eccleſiam ſupradicti Monaſterii in prędicta Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum feſtivitate, & duobus diebus ſequentibus hujuſmodi propterea confluentes conſcientię pacem, & ſalutem animarum, Deo propitio, indulgentiam hujuſmodi uberius conſequi poſſint; Dilectis filiis Priori, & Fratribus dictę Eccleſię, qui nunc ſunt, & ſucceſſoribus ſuis hujuſmodi Monaſterii Fratribus, qui pro tempore fuerint, ut tres Presbyteros Fratres dicti Monaſterii annuatim in Confeſſores eligere poſſint, qui Confeſſiones omnium & ſingulorum Chriſti fidelium in feſtivitate SS. Philippi & Jacobi Apoſtolorum, necnon duobus diebus ſequentibus prędictis ad eandem Eccleſiam Ipſius Monaſterii confluentium, cauſa hujuſmodi Indulgentię conſequendę, ut prefertur, eadem auctoritate audire, & ipſorum Confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis, eis debitam abſolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi forte talia fuerint propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium de ſpeciali gratia indulgemus. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum VI Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Sanctio pœnalis.

1. *Ædes ſacras.*) *Mevanienſes*, vulgo *Bevagna*, in *Umbria*. Ibi ſacrum *B. Jacobi* Ordinis Prædicatorum, *de Mevania* nuncupati ex patria, corpus integrum viſitur. Cælos petiit Beatus *Jacobus* die *XXII* Auguſti *MCCCI*. Hujus *Sancti* gratia his Indulgentiis & Privilegio Templum *Mevanienſe* viſitantes donaſſe *Bonifatium IX*, in confeſſo eſt apud omnes. Adeas Auctores quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCI pag. 492*. Feſtum *B. Jacobi* celebratur die *XXIII* Auguſti.

2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar. Authenticum, unum ex Autographo, quod aſſervatur in Cœnobio *Mevanienſi*: Authenticum aliud ex *Archivo Apoſtolico Libro de Diverſis formis fol. 279*: Tertium ex eodem *Archivo Libro CI fol. 279*.

Prior, decemque Fratres ab ipſo delegandi, Confeſſiones viſitantium Ædes ſacras Cœnobii Gottingenſis (1), quos Indulgentiis donat, excipiant, ipſoſque a quibuſcunque ſolvere poſſint. Anno 1400 Die 1 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fideles pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXXXIII.

Licet is, de cujus munere &c (3). Cupientes igitur ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum in Oppido Gottinghen. Maguntin. (4) Dięceſis congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus fabricam, ſeu conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos; de omnipotentis &c. qui die Jovis infra hebdomadam feſti Pentecoſtes, & per tres dies, diem ipſam immediate ſequentes, ac in feſto S. Thomę de Aquino Confeſſoris a primis Veſperis uſque ad ſecundas ejuſdem S. Thomę feſtivitatis Veſperas incluſive, dictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus fabricam, ſeu conſervationem manus porrexerint adjutrices, ſingulis quatuor dierum, & feſtivitatis prędictarum diebus, illas Indulgentias & remiſſiones peccatorum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, quas viſitantes Eccleſiam S. Marię ad Eremitas Conſtantien. Dięceſis in feſto Exaltationis S. Crucis annuatim quomodolibet conſequuntur, & nihilominus ut Chriſti fideles ipſi conſcientię pacem, animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, & Indulgentiarum hujuſmodi uberius participes effici poſſint, dilecto filio Priori dictę Domus, qui pro tempore fuerit, ut decem ipſius Ordinis Fratres ad hoc ſufficientes, & idoneos, deputare, ponere, & deponere, & in locum depoſitorum alios ſubrogare, quoties ſibi expediens videbitur, valeat, qui una cum ipſo Priore conjunctim, vel diviſim, dictis Indulgentiis in Eccleſia Domus prefatę durantibus, & per duos dies immediate pręcedentes eaſdem, quarumcunque perſonarum ad eandem Eccleſiam domus hujuſmodi confluentium, & eis confiteri volentium, Confeſſiones audire, & confeſſionibus ipſis diligenter auditis, debitam eis pro commiſſis abſolutionem, auctoritate noſtra impendere, valeant, ac injungere pęnitentiam ſalutarem; niſi forſan talia fuerint propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate prędicta tenore pręſentium concedimus facultatem. Volumus autem &c. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Indulgentia.

Facultas abſolvendi.

1. *Gottingenſis.*) Vulgo *Gottinghen*, in Ducatu *Brunſvicenſi*, ad *Leinam* fluvium in *Germania*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar.

3. *Munere &c.*) Ut in *Conſtitutione V.*

4. *Maguntin.*) *Magontin.*, *Mocontin.*, & *Moguntin.*, Italis *Magonza*, Germanis *Maintz*, Gallis *Mayence*, in *Germania*.

Facul-

Anno 1400 Die 1 Februarii.

Facultas abſolvendi quoslibet viſitantes Ædes ſacras Cœnobii Wiſmarienſis (1), & Indulgentia ipſis conceſſa.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

LIcet is &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum in Oppido Wiſmar, Razeburgen. (4) Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles cauſa devotionis eo libentius confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c., qui in Epiphania Domini, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum prędictorum, ac S. Thomę de Aquino Confeſſoris feſtivitatibus, & in Octavis earundem, ſingulis videlicet ipſarum feſtivitatum, & octavarum diebus, illas, quas S. Petri Wiſſegraden. prope Pragam (5) Romanę Eccleſię immediate ſubjectum in Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & B. Michaelis Archangeli feſtivitatibus, ac in oſtenſione partis Pepli (6) B. Marię Virginis, quę inibi ſumma reverentia conſervari, ac certis diebus populo oſtendi, dicitur &c. Illis vero, qui eandem Domus prefatę in feſtivitatibus conſecrationum ipſius & Chori ejus, a primis Veſperis, uſque ad ſecundas Veſperas incluſive, devote viſitaverint annuatim, in qualibet ipſarum feſtivitatum illas indulgentias & remiſſiones peccatorum auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, quas S. Marię ad Eremitas Conſtantien. (7) Diœceſis in feſto Exaltationis S. Crucis viſitatores Eccleſiam annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut fideles ipſi conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, ac Indulgentiarum hujuſmodi uberius participes effici poſſint, dilecto filio Priori dictę Domus, qui pro tempore fuerit, ut decem dicti Ordinis Fratres, ad hoc ſufficientes, & idoneos, deputare, ponere, & deponere, & in locum depoſitorum alios ſubrogare, quoties ſibi expediens videbitur, valeat, qui una cum ipſo Priore conjunctim, vel diviſim, dictis Indulgentiis in Eccleſia domus prefatę durantibus, & per duos dies immediate precedentes eaſdem, quarumcunque perſonarum ad eandem Eccleſiam domus hujuſmodi confluentium, & eis confiteri volentium. confeſſiones audire, & confeſſionibus ipſis diligenter auditis, debitam eis pro commiſſis abſolutionem auctoritate noſtra impendere valeant, ac injungere pęnitentiam ſalutarem; niſi forte talia fuerint propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate prędicta, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Volumus autem &c. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud Sanctum Petrum Kal Februarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Facultas abſolvendi.

1. *Wiſmarienſis.*) *Wiſmar*, in Ducatu *Megalopolitano*, ad oram maris *Baltici*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CI fol.* 104.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V.*
4. *Razeburgen.*) Vulgo *Raſeborg*, in *Suecia*, ad oram ſinus *Finnici*.
5. *Pragam.*) In *Bohemia*.
6. *Pepli.*) Id eſt *Veli*.
7. *Conſtantien.*) In *Suevia*.

Anno 1400 Die 15. Februarii.

F. Adam (1) Leyns Ardakadenſem creat Epiſcopum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Adę Leyns Electo Ardakaden. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines varias, quibus aſſidue premimur, illa potiſſime pulſat, & excitat mentem noſtram, ut ſtatus Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, curę noſtrę Divina providentia commiſſorum, ſpiritualiter & temporaliter augeatur, quodque illis, quę ſuis deſtituta Paſtoribus vacationis incommoda deplorare noſcuntur, tales miniſtros pręficere ſtudeamus, per quorum regimen Eccleſię & Monaſteria ipſa utiliter, & ſalubriter valeant gubernari. Dudum ſiquidem quondam Giliberto Epiſcopo Ardakaden. regimini Ardakaden. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prefata Eccleſia per ipſius Giliberti Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris regimine deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus preter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de dictorum fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus; teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem: Curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & lar-

F. Ada Giliberto ſuccedit.

& largitur pręmia, confidentes quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, & grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis prędictę Eccleſię prompta devotione ſuſcipiens, ſic te in ejus cura ſalubriter exercends diligentem exhibeas, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque, pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum XV Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Adam.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXVIII. fol.* 15.

F. Gregorium (1) de Butzkow conſtituit Epiſcopum Wladimirienſem.

Anno 1400 Die 17 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gregorio de Butzkow Electo Wladimirien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXXXVI.

Exordium.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem proviſionem omnium Eccleſiarum Cathedralium tunc vacantium, & in antea vacaturarum, per translationes per Nos faciendas ad alias Cathedrales Eccleſias de Prelatis eorum ubilibet conſtitutis, ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus, ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, qua vis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia Wladimirien., ex eo vacante, quod Nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Nicolaum Salubrien., tunc Wladimirien. Epiſcopum, a vinculo, quo eidem Wladimirien. Eccleſię, cui pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Salubrien. tunc Paſtore carentem, auctoritate Apoſtolica de dictorum Fratrum conſilio duximus transferendum, pręficiendo ipſum eidem Salubrien. Eccleſię in Epiſcopum, & Paſtorem; Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſię Wladimirien. celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice diſponere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia Wladimirien. longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Wladimirien. Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, convertimus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Wladimirien. Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem: curam, & adminiſtrationem ipſius Wladimirien. Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; Volumus autem, quod quam primum pręſentes literas habueris expeditas, ad pręfatam Eccleſiam Wladimirien. accedas, & reſideas perſonaliter in eadem; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, pręfata Eccleſia Wladimirien. ſub tuo felici regimine proſpere, & feliciter dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Wladimirien. gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benevolentiam, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

F. Gregorius ſuccedit Nicolao.

1. *Gregorium.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.* 76.

Diploma (1), quo F. Johannem Dominicum Vicarium Generalem Ordinis Prædicatorum creaverat, reſcindit.

Anno 1400 Die 4 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Ad Futuram Rei Memoriam.

CXXXVII.

Exordium.

IN multitudine rerum tractandarum, per Apoſtolatus officium, tanta diverſitas ſępe concurrit, quod nequeunt omnia recto calle procedere; ideoque opus eſt, ut quę per negotiorum amplitudinem tranſiere, ad actum debitum reducantur. Dudum ſiquidem pro parte Johannis Dominici de Florentia, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Nobis expoſito, quod olim quondam Raymundus Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſter Generalis ex certis cauſis tunc expreſſis eundem Johannem tam Corporis Chriſti, & Sancti Dominici, ac Sanctorum Johannis & Pauli de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, quam aliorum in Romana Curia, ac certis aliis Provinciis, & locis domorum, ſeu locorum, & Conventuum conſiſtentium ſuum Vicarium Generalem tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, in capitibus & membris ſe-

fecerat, ac etiam deputaverat, cum poteſtate hujuſmodi domos, ſeu loca, & Conventus reformandi, corrigendi, ac nonnulla alia ſecundum morem dicti Ordinis faciendi, quodque poſtmodum dictum officium Vicariatus per obitum ipſius Raymundi extra Romanam Curiam defuncti expiraſſe dicebatur: Nos dictum Johannem, Corporis Chriſti, & Sanctorum Dominici, ac Johannis & Pauli, necnon omnium & ſingulorum prędictorum, domorum, locorum, & Conventuum, Generalem Vicarium tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, auctoritate Apoſtolica uſque ad noſtrum beneplacitum de novo conſtituimus, fecimus, & etiam deputavimus; quoslibet alios Vicarios, ac Priores, & officiales in eiſdem Domibus, Conventibus, & locis, quavis auctoritate deputatos ab hujuſmodi Vicariatus, Prioratus, & Officialatus officiis penitus revocantes, & amoventes; necnon eidem Johanni viſitandi, & corrigendi, hujuſmodi Domos, loca, & Conventus, ac nonnulla alia faciendi, quę Generalis Magiſter dicti Ordinis pro tempore exiſtens juxta Conſtitutiones dicti Ordinis, vel alias de conſuetudine, vel jure, quomodolibet facere conſuevit, contradictores, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam compeſcendi, dicta auctoritate plenariam poteſtatem concedentes, prout in literis Apoſtolicis deſuper confectis, quorum tenorem pręſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, plenius continetur. Cum autem, ſicut nobis innotuit, prędictę literę in non modicum Fratrum, & Ordinis, & Priorum, ac aliorum Officialium hujuſmodi pręjudicium & gravamen redundare noſcantur; Nos igitur ex pręmiſſis, & certis aliis cauſis, ad id animum noſtrum moventibus, eundem Johannem ab hujuſmodi Vicariatu auctoritate prędicta, tenore pręſentium, amovemus, dictaſque literas ſibi conceſſas, ut pręfertur, revocamus, caſſamus, annullamus, ac nullius eſſe volumus roboris, vel momenti. Priores, & alios officiales hujuſmodi ſic per nos amotos, ut pręfertur, ſuis priſtinis officiis, in quibus ante conceſſionem dictarum literarum erant, remanere debere, decernentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę amotionis, revocationis, caſſationis, & annullationis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Hujus Diplomatis cauſa.

Reſcindit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Diploma.*) Datum *XXVI* Novembris *MCCCXCIX*.
2. *Archivo.* In quatriplex Exemplar; duo ſcilicet ex *Archivo Apoſtolico lib. CX fol.* 50 & 54, & unum in *Bullario Bononienſi fol.* 31 ex Autographo *Bononiæ* aſſervato. Iſtud datum fertur anno *XII* Pontificatus *Bonifatii IX*, Chriſti *MCCCCI* die *IV* Martii.

Anno 1400 Die 31 Martii.

F. Jacobus (1) Gudrigetti de Lavazola præficitur Eccleſiis Tynnarum & Michimarum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXVIII

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Gudrigetti de Lavazola, Electo Tynnarum, & Michimarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Tynnarum & Michimarum regimini Tynnarum, & Michimarum Eccleſiarum invicem canonice unitarum pręſidente, nos, cupientes eiſdem Eccleſiis, cum vacarent, per Apoſtolicę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem earundem Eccleſiarum ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice ſpecialiter duximus reſervandam, decernendo ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſiis prędictis per obitum ejuſdem Thomę (3) Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum paſtoris ſolatio deſtitutis, nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, de perſona dilecti filii Marci de Palmerio, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, de Fratrum noſtrorum conſilio eiſdem Eccleſiis duximus providendum, pręficiendo ipſum dictis Eccleſiis in Epiſcopum, & Paſtorem. Cum autem proviſio, & pręfectio prędictę ex eo viribus non ſubſiſtant, quod idem Marcus literas Apoſtolicas ſuper proviſione & pręfectione hujuſmodi infra tempus debitum, prout juxta quandam ordinationem per Nos ſuper hoc editam, tenebatur, non fecit expedire, dictęque Eccleſię adhuc, ut pręfertur, vacare noſcantur, nullusque de illis pręter nos hac vice diſponere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis: Nos ad proviſionem earundem Eccleſiarum celerem, & felicem, ne Eccleſię ipſę longioris vacationis exponerentur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eiſdem Eccleſiis perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum dictis Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, dicti Ordinis Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, pręfatis Eccleſiis, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem: curam, & adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus ſuos, ęędem Eccleſię per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, regentur utiliter, & proſpere dirigentur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipient incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, ad pręfatas Eccleſias accedas, & reſideas in eiſdem, quodque extra tuas Civitates, & Diœceſes Tynnarum & Michimarum Pontificalia officia nequeas exercere. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, ſic te in Eccleſiarum ipſarum cura ſalubriter exercendo diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod ipſę Eccleſię gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas: tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram & dictę Sedis benevolentiam, & gratiam exinde uberius

Exordium.

Johannes Jacobi deceſſor.

F. Marcus de Palmerio earundem Eccleſiarum Epiſcopus deſignatus.

F. Jacobus ſufficitur in F. Marci locum.

uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Jacobus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXIX fol. 45.*

3. *Thoma.*) *Johannis.*

Monaſterii Weyten. (1) fundandi facultas.

Anno 1400 Die 1 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CXXXIX.

SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta pia, & honeſta. vota fidelium benigno favore proſequitur, & ea quę pro divini cultus augmento, & ſacrę Religionis propagatione provida deliberatione fuit, (3) Apoſtolico conſuevit munimine roborare. Sane petitio pro parte dilecti filii Nobilis viri Willelmi Domini de Altoode, & de Duerſteden. (4), Trajecten. (5) Diœceſis, Nobis nuper exhibita, continebat, quod ipſe de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, ad laudem omnipotentis Dei, & ob reverentiam Beatę Marię, Virginis glorioſę, ac Sanctę Marię Magdalenę, & Omnium Sanctorum pro ſuę ac dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris ejus uxoris, necnon progenitorum ſuorum, animarum ſalute, in oppido Weyt prope Duerſteden. dictę Diœceſis, in loco ad hoc congruo, & honeſto, pro hujuſmodi cultus augmento unum Monaſterium Monialium Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, ſub perpetua clauſura, venerabilis Fratris noſtri Friderici Epiſcopi Trajecten. ad id accedente conſenſu, fundari, & erigi fecit, illudque domibus, Eccleſia, ędificiis, cęmeterio, campanili, campanis, & aliis neceſſariis officinis, decorare proponit, & proponit perfecte, ac pro unius Prioriſſę, & Monialium dicti Ordinis ac Miniſtrorum in ipſo Monaſterio Domino perpetuo famulantium ſuſtentatione, nonnulla bona, res, & terras, prędia. fructus, redditus, & proventus in dicta Diœceſi conſiſtentia, ad eum juſto tituto pertinentia donatione perpetua aſſignavit, & nonnulla in eodem Monaſterio obſervanda ordinavit, prout in literis authenticis, inde confectis, eorundem Epiſcopi, & Willelmi ſigillis munitis, quarum tenores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Willelmi nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut fundationi, erectioni, pręfatis, ac omnibus, & ſingulis in dictis literis ordinatis, & pertinentibus, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui hujuſmodi cultus augmentum, & dicti Ordinis propagationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem, erectionem, & aſſignationem pręfatas, ac omnia, & ſingula, in dictis literis contenta, & ordinata, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui intervenerint in pręmiſſis, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Volumus inſuper, & eadem auctoritate concedimus, quod Prioriſſę, & Moniales dicti Ordinis, quę in hujuſmodi Monaſterio pro tempore morabuntur, omnibus exemptionibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis gaudeant, & utantur, quibus alię perſonę dicti Ordinis, in aliis eorum Monaſteriis, aut domibus commorantes gaudent, & quomodolibet potiuntur. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne perſonę dicti Ordinis in aliqua Civitate, Terra, Caſtro, aut villa, loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant abſque pręfatę Sedis licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, quam aliis conſtitutionibus apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum Kalendis Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Exordium. — Supplex Nobilis viri Willelmi de Altonde petitio. — Indulget ut ſupra. — Clauſula derogans. — Sanctio pœnalis.

1. *Weyten.*) In *Germania inferiori.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CII fol. 73.*

3. *Fuit.*) Fiunt.

4. *Duerſteden.*) In *Geldria* Ducatu, in *Batavis*; latine *Batavodorum*, & *Duroſtadium* nuncupatur.

5. *Trajecten.*) *Trajectum* multiplex: unum ad *Moſam*, aliud ad *Rhenum*, utrumque in *Germania inferiori*. De iſto, vulgo *Utrecht*, ad *Rhenum* ſito, hic mentio. *Ultrajectum* vocatur.

Viſitantes Ædes ſacras Cœnobii Lubicenſis (1) Indulgentiis donat, & Fratres delegat, ut iidem viſitantes quibuslibet poſſint abſolvi.

Anno 1400 Die 6 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXL.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Lubicen., & Capella S. Gertrudis ſita prope eandem Eccleſiam, congruis honoribus frequententur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eaſdem, & ad earum conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in Sanctorum Innocentium, & S. Thomę Cantuarien. Epiſcopi & Martyris, & B. Thomę de Aqui-

Indulgentia.

Aquino, Confeſſoris, & B. Marię Magdalenę, feſtivitatibus, a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas incluſive, necnon per ſeptem dies feſtivitatem B. Thomę de Aquino ſequentes, dictas Eccleſiam, & Capellam devote viſitaverint annuatim, & ad ipſarum conſervationem manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & ſeptem dierum hujuſmodi, illas Indulgentias, & remiſſiones peccatorum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, quas Eccleſiam S. Marię ad Eremitas Conſtantien. Dięceſis in feſto Exaltationis S. Crucis viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus Priori dictę Domus pro tempore exiſtenti, ut ſex idoneos Fratres, & diſcretos, ac probos, Religioſos vel Seculares deputare valeat, qui confeſſionibus Chriſti fidelium hujuſmodi in dictis feſtivitatibus, & diebus ad Eccleſiam & Capellam prędictas cauſa conſequendi Indulgentias hujuſmodi confluentium, & eis confiteri volentium, confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis debitam abſolutionem poſſint impendere, & injungere pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint propter quę ſit merito Sedes Apoſtolica conſulenda, auctoritate apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Volumus inſuper quod omnes & ſingulę Indulgentię alię per Nos Eccleſię vel Capellę hujuſmodi forſan qualitercunque conceſſę in ſui roboris permaneant firmitate. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum VIII Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Abſolvendi facultas.

Nota.

1. *Lubicenſis.*) Vulgo *Lubeck*, in *Saxonia* inferiori.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVI fol.* 244.

Anno 1400 Die 8 Aprilis.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Monaſterii Viennenſis (1) S. Laurentii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXLI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Monialium S. Laurentii in Vienna, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, Patavien. (3) Dięceſis, congruis honoribus frequentetur ipſaque Eccleſia & Monaſterium etiam conſerventur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad eius & Monaſterii conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & dictorum Petri & Pauli Apoſtolorum, & Sanctarum Chriſtinę & Afrę Virginum, & ipſius Eccleſię Dedicationis, feſtivitatibus, & celebritate Omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Nativitatis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, & Nativitatis B. Johannis, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum feſtivitatum, Octavas, & per ſex dies prędictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatum, quinque Annos & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum diebus, quibus dictam Eccleſiam viſitaverint, & adjutrices manus porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Indulgentię.

1. *Viennenſis.*) In *Germania.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIII fol.* 41.

3. *Patavienſis.*) Vulgo *Paſſavv*; Nunc Archiepiſcopalem Sedem eſſe *Viennenſem* civitatem, notatum eſt ſupra.

Anno 1400 Die 19 Maii.

Fratres Prædicatores, ceteroſque Mendicantes Piſanæ Diœceſeos Procurationibus, & aliis id genus tributis (1) immunes reddit, reſcindendo quæ ipſe contra decreverat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXLII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Sacrę Religionis, ſub qua dilecti filii Fratres Prędicatorum, Minorum, Eremitarum S. Auguſtini, Carmelitarum, S. Blaſii Armenorum (3), Ordinum, per Civitatem, & Dięceſim Piſan. conſtituti, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut eos ſpecialibus pręrogativis, & favoribus Apoſtolicis proſequamur. Dudum pro parte nonnullorum ex dilectis filiis Clero, & Dięceſ. Civitatis Piſan., necnon Antianorum Piſan. Populi, & Communis dictę Civitatis Nobis expoſito, quod ab olim in eiſdem Civitate, & Dięceſi fuerat, & erat quidam Liber, cenſualis nuncupatus, in quo omnia, & ſingula Beneficia Eccleſiaſtica tam exemptorum, quam non exemptorum, Civitatis & Dięceſis prędictarum, quę tempore confectionis dicti libri ibidem fuerant, deſcripta extiterant, prout exiſtebant, & ſingula ex eis ad certum valorem extimata, & ſecundum extimationem prędictam pręfati Clerus procurationes ſive proviſiones Legatorum, ac Nunciorum Sedis Apoſtolicę, ſolvere, & alia eis pro

Exordium.

Hujus Diplomatis cauſa.

pro tempore incumbentia onera ſupportare coſueverant, & quod (4) multa ex Beneficiis, ſicut pręmittitur, extimatis, quę antiquitus extiterant pinguiora, in ſuis proventibus non modicum diminuta, & aliqua multipliciter exinanita, quędam vero ex eis meliorata, & aucta, & aliqua poſtmodum fundata, & dotata fuerant, quodque prędicta beneficia, ſicut primitus, in ſuis proventibus diminuta, in ſolvendo procurationibus, ſeu proviſionibus prędictis, & aliis oneribus pręfato Clero incumbentibus perpetuo ſupportandis, non minus gravabantur, quam ſi in prima proſperitate permanſiſſent, ratione illorum, quę meliorata fuerant, in ſolvendis procurationibus, & proviſionibus, & ſupportandis aliis oneribus hujuſmodi, aliquid ſolveretur ultra extimationem prędictam, nonnulli ex clero pręfatis, pręſertim dilecti filii Abbates, Priores, & Prępoſiti, aliique Monaſteriorum, & locorum dictarum Civitatis, & Dięceſis Pręlati, & eorum Conventus Ciſtercien., Cartuſien., S. Benedicti, & Montis Oliveti, Camaldulen., Vallis Umbroſę, Sanctorum Blaſii, Benedicti, & Auguſtini, Hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitan., B. Marię Teutonicorum, & Humiliatorum, ac dilectę in Chriſto Filię Abbatiſſę, Prioriſſę, & Conventus Monaſteriorum prędictorum, vel aliorum Ordinum, necnon Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, perſonę, Prędicatorum quoque, & Carmelitarum, & aliorum quorumcunque Ordinum Mendicantium Fratres tunc diverſa bona, etiam bona mobilia in prędictis Civitate, & Dięceſi habentes, ſeu detinentes, aut per alium, vel alios detineri facientes, quorum quidem bonorum fructus, redditus, & proventus Fratrum uſui, & commodo convertebantur, & Communia, necnon aliorum Monaſteriorum Monialium, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum perſonę diverſis exemptionibus, privilegiis, & immunitatibus dictę Sedis ſe tuentes, hujuſmodi onera cum dictis Clero pro congrua portione ſupportare expreſſe recuſabant, propter quę ſcandala, querimonię, diſcordię, & alia diverſa incommoda inter eoſdem Cleros ſubſequebantur; eveniebat etiam, quod ait Apoſtolus, quia alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt, ac pro eorundem exponentium parte nobis humiliter ſupplicato, ut ad obviandum ſcandalis, querimoniis, diſcordiis, & incommodis hujuſmodi ſuper pręmiſſis providere de opportuno remedio, de benignitate Apoſtolica, dignaremur, Nos venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Piſan, ejus proprio nomine non expreſſo, per alias noſtras literas commiſimus, & mandavimus, ut vocatis Clero, & Pręlatis, & Perſonis Eccleſiarum, & Monaſteriorum, Prioratuum, Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum, etiam Sedi Apoſtolicę immediate ſubjectorum, ac etiam Domorum Fratrum Mendicantium, & aliorum Ordinum quorumcunque, exemptorum, & non exemptorum, ſeu alias per dictam Sedem privilegiatorum Civitatis, & Dięceſis, prędictarum, & aliis qui fuerint evocandi, prędictum librum examinaret diligenter, & quantum ſingula ex Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, Beneficiis, Hoſpitalibus, & omnibus quibuſcunque locis ſupradictis privilegiatis, & exemptis, & etiam immediate Sedi prędictę ſubjectis pro tunc ſecundum communem exiſtimationem in effectu valerent, ſe informaret ſagaciter, & prudenter, & prout exiſtimatione & informatione hujuſmodi Eccleſiarum, Monaſteriorum, Prioratuum, Beneficiorum, Hoſpitalium, & aliorum quorumcunque piorum locorum ſupradictorum facultates valere comprehenderet, illis ex eis, quę in facultatibus deteriorata fuerant, ſummam totalem omnium prędictorum propterea non augendo, nec diminuendo, in taxatione antiqua in prędicto libro deſcripta, quod ęquum foret, prævia ratione, diminueret; in illis autem, quę ex Eccleſiis, Monaſteriis, Prioratibus, Beneficiis, Hoſpitalibus, & aliis quibuſcunque piis locis ſupradictis inveniret in facultatibus eſſe meliorata, & aucta ad extimationem prędictam, illud adderet, quod ſecundum rectam conſcientiam rationabile judicaret; quę vero ex eis non extenuata, illis ſecundum ęquitatem congruentem exiſtimationem imponeret, ſed quę ſuas priſtinas, vel ęquivalentes facultates ſervaverant, & tunc in ſua antiqua exiſtimatione remanerent, & ſi dicti Mendicantes ex privilegio ſpeciali, vel etiam de facto aliqua bona, etiam mobilia, tenerent, vel ſuo nomine teneri facerent in Civitate & Dięceſi ſupradictis, & de illis provenientia emolumenta percipientes, prout bona talia valuiſſent, eiſdem ſic tenentibus Mendicantibus, de prędictis bonis, quouſque illa tenuiſſent, certam rationabilem exiſtimationem judicaret, ſecundum quam in procurationibus, ſeu proviſionibus, & aliis quibuſcunque, dicto Clero incumbentibus oneribus ſolverent congruam portionem, & de pręmiſſis unum librum novum confici faceret, perpetuis temporibus obſervandum. Ac deinde venerabilis Frater noſter Johannes Archiepiſcopus Piſan., ſicut Nobis nuper innotuit, ad executionem literarum hujuſmodi procedens, prędictos Fratres, eorumque loca, & bona omnia decrevit, ſub exiſtimatione hujuſmodi non venire, eoſque abſolvit ab omnibus, & ſingulis in dictis noſtris literis contentis, prout in dictis, & certis aliis ipſius Archiepiſcopi literis inde confectis, ac ejuſdem Archiepiſcopi ſigillo munitis, quarum tenorem diligenter inſpici fecimus plenius continetur. Nos igitur volentes dictos Fratres favoribus proſequi gratię ſpecialis, motu proprio, non ad ipſorum, vel alterius pro eis ſuper hoc nobis oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate abſolutionem hujuſmodi, ac omnia alia in dictis literis ipſius Archiepiſcopi contenta auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; Eximit ut ſupra. ſupplentes omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in pręmiſſis, & nihilominus volumus, & eiſdem Fratribus auctoritate Apoſtolica concedimus, quod prędictę noſtrę literę ad ipſos, & ad ea, quę in pręſentiarum canonice poſſideot, & in futurum, dante Domino, juſte potuerint adipiſci, nullatenus ſe extendant, nec extendere debeant, ipſaſque literas, & quęcunque inde ſecuta; quoad hoc duntaxat, tenore pręſentium, ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, irritamus, ac nullius eſſe volumus roboris, vel momenti, ipſoſque Fratres, quoad hoc immunes eſſe volumus, & exemptos, pręfato Decretum irritum faciens. Archiepiſcopo & quibuſvis aliis, quorum intereſt, vel intererit quomodolibet in futurum, diſtricte pręcipiendo, mandantes, ne contra Fratres prędictos prędictarum literarum noſtrarum prętextu procedere, aut aliquid innovare, contra pręſentium tenorem quoquo modo pręſumant, ac decernentes ex nunc Sanctio pœnalis. irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſitan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XIV Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. Thi

1. *Tributis.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.* X.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CIV *fol.*173.
3. *Armenorum.*) Fratrum ſcilicet *Unitorum* de quibus ſæpius dictum eſt.

Anno 1400 Die 17 Junii.

Monaſterium (1) Sanctæ Mariæ extra muros Mediolanen. Ordinis Prædicatorum Mediolanenſis Archiepiſcopi juris ac poteſtatis eſſe, declarat, in iis, in quibus jus acquiſitum non fuerit Ordini ex cauſa incongrua.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Romanus Pontifex quandoque ſuorum Prędeceſſorum, quandoque vero propria ejus geſta reformat, vel revocat, aut declarat, ſicut ſecundum Deum, ac perſonarum, locorum, & temporum qualitates conſpicit expedire. Dudum ſiquidem dilectas in Chriſto Filias Prioriſſam, & Conventum Monaſterii Sanctę Marię Portę Ticinen. extra muros Mediolanen. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, Nobis expoſito, quod olim fel. rec. Innocentius PP. IV Prędeceſſor noſter per ſuas literas Prioriſſam, quę tunc erat, ac hujuſmodi Conventum ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis

Hujus Diplomatis cauſa.

Prędicatorum viventes, ac idem Monaſterium Priori pro tempore exiſtenti & Fratribus Domus dicti Ordinis Prędicatorum Mediolanen., auctoritate Apoſtolica commiſerat, ſtatuens nihilominus prętatus Prędeceſſor, ut dicta Prioriſſa, & Conventus ſub magiſterio & doctrina Magiſtri, & Prioris Provincialis Provincię Lombardię dicti Ordinis Prędicatorum Fratrum, more Ordinis prelibati, qui pro tempore

Innocentius IV hasce Moniales ſubjecerat Ordini.

erunt, de cetero manerent, illis gaudentes privilegiis, quę eidem Ordini Prędicatorum erant ab Apoſtolica Sede conceſſa, vel in poſterum concederentur; ipſique Magiſter, & Prior, contraria conſuetudine ipſius Ordinis Prędicatorum, vel indulgentia a dicta Sede obtenta, vel etiam obtinenda nequaquam obſtantibus, animarum ipſarum Prioriſſę, & Conventuum ſolicitudinem gerentes, & curam, ac ipſis Prioriſſę & Conventui de Fratribus ejuſdem Ordinis Prędicatorum, quos ad hoc idoneos viderent, qui, quoties expediret, officium viſitationis impenderent, corrigendo, & reformando ibidem tam in capite, quam in membris, quę correctionis, & reformationis officio noſcerent indigere, inſtituerent, & deſtituerent, ac mutarent, & ordinarent, prout in aliis Monaſteriis Monialium dicti Ordinis S. Auguſtini, ſub hujuſmodi cura viventium, fieri conſueviſſet. Electio tamen Prioriſſę dicti Monaſterii ad eaſdem, & Conventum libere pertineret: Confeſſiones quoque ipſarum Prioriſſę & Conventus prętati Prior & Fratres Domus memoratę audirent, ac miniſtrarent eis Eccleſiaſtica Sacramenta; & ne pro eo quod in Monaſterio prędicto ejuſdem Ordinis Prędicatorum Fratres reſidere continue non tenebantur, pro defectu Sacerdotum poſſet periculum imminere, prędicti Magiſter, & Prior Provincialis ad Confeſſiones ipſarum Prioriſſę, & Conventus, in neceſſitatis articulo audiendas, & miniſtranda ipſis Eccleſiaſtica Sacramenta prędicta, aliquos diſcretos, & providos deputarent Capellanos; voluitque dictus Prędeceſſor, quod liceret ipſis Prioriſſę & Conventui redditus & poſſeſſiones recipere, & libere retinere; & quod Rectores Parochialis Eccleſię S. Petri in Campo Lauden. contra muros prędictos, infra cujus Parochiam dictum Monaſterium ſitum eſt, pręmiſſa ęgre ferentes, eaſdem Prioriſſam & Conventum ſuper auditione Confeſſionum, & miniſtratione Sacramentorum hujuſmodi, ac ſepultura earundem plurimum vexaſſent, & moleſtaſſent, & pręmiſſorum occaſione inter Prioriſſam, & Conventum & Rectores prętatos, etiam poſt & contra ante dictas literas, diverſę lites & quęſtiones fuiſſent ſubortę, adeo quod quandoque accidiſſet, aliquas ex perſonis dicti Conventus abſque hujuſmodi Sacramentis decedere; & ne ſimilia enormia in futurum evenirent, veriſimiliter dubitaretur: Nos, tunc credentes, quod prędictę Prioriſſa quę erat pro tempore, & dicti Monaſterii Conventus hujuſmodi, prętatis literis Prędeceſſoris hujuſmodi accipere (3) conceſſionis earum, ex tunc continuo uſę fuiſſent, nec illis derogatum poſtea extitiſſet, dicta expoſitione circumventi, auctoritate Apoſtolica per noſtras literas ſtatuimus, & etiam ordinavimus, quod prędicta Prioriſſa & Conventus, ſub hujuſmodi regimine, & cura dictorum Prioris, & Fratrum Domus antedictę alias juxta prędictarum literarum ſeriem, & tenorem, manerent, ipſique Prior & Fratres dictę Domus, vel perſonę idonee, per eos ad id deputandę, ipſarum Prioriſſę & Conventus Confeſſiones audirent; & eis miniſtrarent hujuſmodi Sacramenta, necnon decedentium ex eiſdem corpora eccleſiaſticę traderent ſepulturę; & nihilominus Rectori dictę Eccleſię, qui eſſet pro tempore, ac ejus Vicario, ſeu Capellano, ne de auditione confeſſionum, miniſtratione Sacramentorum, & traditione hujuſmodi corporum eccleſiaſticę ſepulturę, vel alias de Prioriſſa & Conventu prętatis ſe intromittere

Archiepiſcopi Mediolanenſis ſupplex petitio.

quoquomodo pręſumerent, ac eadem auctoritate prohibuimus, ſalvo duntaxat quod de antiquo annuo cenſu, videlicet duarum librarum cerę, per ipſas Prioriſſam & Conventum Rectori prętato ſolvi conſueto, etiamſi ſuper pręmiſſis inter Prioriſſam & Conventum, & Rectorem prętatos, lis, cujus ſtatum haberi voluimus pro expreſſo, penderet indeciſa, deberet eſſe contentus, nec ulterius ab ipſis Prioriſſa & Conventu, pręmiſſorum occaſione, vel petere, exigere, ſeu levare deberet, ſive poſſit, conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii & Ordinum prędictorum, & hujuſmodi litis pendentia, ſi qua eſſet, & aliis contrariis non obſtantibus, quę idem Prędeceſſor in prętatis literis voluit non obſtare; ac decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Venerabilis Fratris noſtri Antonii Archiepiſcopi Mediolanen. petitio continebat, tam dictus Archiepiſcopus, quam alii Archiepiſcopi Mediolanen., qui eum pręceſſerunt, pręſertim a tempore cujus memoria hominum non exiſtit, omnem juriſdictionem ordinariam in hu-

hujuſmodi Prioriſſas & ſingulas Moniales, dicti Monaſterii quę etiam fuerant pro tempore, ac in hujuſmodi Monaſterium, & Conventum, exercuerunt, ipſas Prioriſſas, Moniales, & Conventum in capite & in membris viſitando, & earum exceſſus corrigendo, & puniendo, necnon electiones ipſarum Prioriſſarum, etiam pro tempore, auctoritate ordinaria confirmando, & hujuſmodi literis Prędeceſſoris ejuſdem, etiamſi prędictę Prioriſſę, quę erant pro tempore dicti Monaſterii, & hujuſmodi Conventus, vel aliquę ex eis uſę fuiſſent, de quo tamen non extat memoria, jam dudum fuerit derogatum, & ſic etiam eędem noſtrę literę in prejudicium juriſdictionis ordinarię Archiepiſcopi Mediolanen. pro tempore exiſtentis, & ipſius Archiepiſcopalis dignitatis, proceſſerint, quodque, ſi ipſę literę noſtrę ſortirentur effectum, ex hoc major impunitas delinquendi per Prioriſſam & Moniales hujuſmodi Monaſterii, aliaſque perſonas in eodem Monaſterio degentes pro tempore, necnon alia inconvenientia veriſimiliter ſequi poſſent in Monaſterio memorato, pro parte dicti Archiepiſcopi fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc Archiepiſcopali dignitati pręfatę, & alias, de opportuno declarationis remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque omne ambiguitatis dubium in hac parte tollere volentes, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore pręſentium declaramus, noſtrę intentionis non fuiſſe, nec eſſe, prędictas literas noſtras Archiepiſcopali dignitati, aut Archiepiſcopo pręfatis, aut eorum, ſive cujuſcunque alterius juri voluiſſe in aliquo derogare, aut eis aliquod afferre prejudicium, ſed duntaxat volumus per eaſdem noſtras pręfatas literas Prioriſſę & Conventui conceſſas, ut pręfertur, jus, ſi quod vigore dictarum literarum Prędeceſſoris ejuſdem, eis conceſſarum, eiſdem quęſitum fuerat, in quantum tamen dictis literis ejuſdem Prędeceſſoris, aut jure earum vigore quęſito per contrarium uſum, aut alias non extiterit derogatum, etiamſi Prioriſſa, quę erat pro tempore dicti Monaſterii, ac conventus hujuſmodi dictis literis ejuſdem Prędeceſſoris aliquando uſę fuiſſent, voluiſſe, & velle confirmare. Decernentes irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Declarat ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Monaſterium.*) Vide *Diplomata data XXVII Maii MCCCXCVIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CV fol.* 180.

3. *Accipere.*) *A tempore.*

Anno 1400 Die 11 Auguſti.

F. Johannes Benedictus (1) Patriarcha Gradenſis renunciatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXLIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Benedicto Electo Graden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ROmanus Pontifex beati Petri Succeſſor, & Vicarius Jeſu Chriſti, ad regimen Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, quorum cura ſibi imminet generalis, perſonas fidei ſinceritate probata & aliis virtutum meritis inſignitas aſſumere conſuevit, ut nedum populo ſibi commiſſo recte vivendi normam tribuant, ac veritatis, & juſtitię ſemen ſpargant, ſed ſibi ipſis per vitę merita, & eorum ſubditis proficiant per exemplum. Dudum ſiquidem, proviſiones eccleſiarum Patriarchalium, & Metropolitan., ac Cathedralium omnium tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium, & in antea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Graden. apud eandem Sedem ſic vacante ex eo, quod Nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Alexandrum Graden. Patriarcham, tunc apud ipſam Sedem conſtitutum, a vinculo quo ipſi Graden. Eccleſię, cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Alexandrinam Eccleſiam, tunc Paſtore carentem, duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, pręficiendo ipſum ipſi Alexandrinę Eccleſię, in Patriarcham, & Paſtorem, nos ad proviſionem ipſius Graden. Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne pręfata Eccleſia Graden. longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię Graden. perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Graden. Eccleſię, de Fratrum noſtrorum prędictorum conſilio, pręfata auctoritate providemus, teque illi pręficimus in Patriarcham, & Paſtorem: curam, & adminiſtrationem ipſius Graden. Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod eadem Graden. Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipit incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod dicta Graden. Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę

F. Johannes Benedictus Petro Alexandro ſuccedit.

ęternę ratributionis pręmium, noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Johannes Benedictus*,) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol.*129.

Anno 1400 Die 30 Octobris.

Ædes ſacras Cœnobii Straleſunden. (1) viſitantibus Indulgentias impertitur, & Priorem præficit, qui Presbyteros deleget ad eos abſolvendum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXLV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Ordinis Prędicatorum in honorem B. Marię, B. Mathię, & B. Catharinę conſecrata in Oppido Straleſundis, Suernien. (3) Diœceſis congruis honoribus frequentetur, & conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c., qui in prima Dominica Quadrageſimę, & per ejus Octavas annuatim Eccleſiam ipſam devote, & propter ſalutem animę ſuę, viſitaverint, vel ad ejus conſervationem, ſeu reparationem, manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, auctoritate Apoſtolica, concedimus, quam devote viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, in die Aſcenſionis Domini N. Jeſu Chriſti, auctoritate literarum fel. rec. Alexandri PP. III, Prędeceſſoris noſtri, quomodolibet conſequuntur: Et nihilominus, ut fideles ipſi, qui in prędicta Dominica, & per ejus Octavas ad eandem Eccleſiam confluunt, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, uberius conſequantur, ac Indulgentię hujuſmodi participes efficiantur, dilecto filio Priori Prędicatorum Conventus dictę Eccleſię,

Facultas abſolvendi.

qui nunc eſt, ſeu erit pro tempore, ut decem Sacerdotes Religioſos, ſeu Seculares diſcretos, & idoneos ad ejus nutum ponere, & deponere, ac etiam ipſe Prior, & Succeſſores ſui fidelium hujuſmodi ad eandem Eccleſiam cauſa conſequendi Indulgentias in prędicta Dominica, & per Octavas, ac per tres dies ante dictam Dominicam confluentium, & eis confiteri volentium, audire valeant, eorumque Confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere, ac injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate prędicta, de ſpeciali gratia, tenore pręſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romę III Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Straleſundis*.) Vulgo *Stralſund*, in *Pomerania citeriori*, ad oram maris *Baltici*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXV fol.*178.
3. *Suernien.*) *Suerinen.*, vulgo *Swerin*, in *Saxonia inferiori*.

Anno 1400 Die 30 Octobris.

Altare B. Petri Martyris ſitum in Ædibus ſacris Straleſundenſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXLVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Altare S. Petri Martyris in Eccleſia Fratrum Prędicatorum Oppidi Straleſundis, Suernien. (3) Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut eo libentius Chriſti fideles cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem, ſeu reparationem ejus, manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & dictorum Apoſtolorum Petri,

Indulgentia.

& Pauli, ac ejuſdem Altaris Dedicationis feſtivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, necnon ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, Aſſumptionis B. Marię, & Nativitatis B. Johannis, necnon Apoſtolorum Petri, & Pauli prędictorum feſtivitatum Octavas, ac per ſex dies dictum Feſtum Pentecoſtes immediate ſequentes, idem Altare devote viſitaverint annuatim, & ibidem ad hujuſmodi conſervationem manus porrexerint adjutrices, ſinguli videlicet feſtivitatum, & celebritatis, ſeptem Annos & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum diebus, quibus Altare prędictum viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut prefertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus, pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Straleſundenſis*.) De quo in præcedenti Diplomate.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXV fol.*179.
3. *Suernien.*) *Suerinen.*

Ædes

Ædes ſacras Rhodopolitani (1) Cœnobii viſitantibus Indulgentias impertitur, & Priorem delegat, qui Sacerdotes præficiat ad eos abſolvendum.

Anno 1400 Die 30 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia BB. Johannis Baptiſtę & Evangeliſtę Fratrum Prędicatorum in oppido Roſtok, Suernien. (3) Diœceſis, in Feſto B Thomę Apoſtoli, & per eius octavas Anno pręſenti a data pręſentium computando duntaxat, & deinde in feſto S. Martini, & per ejus octavas annuatim, congruis honoribus frequentetur, & conſervetur, &, ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in feſto S. Thomę Apoſtoli, & per ejus octavas anno iſto duntaxat, ac in Feſto Beati Martini, & per ejus octavas annuatim, Eccleſiam devote viſitaverint, propter animę ſuę ſalutem, vel ad ejus conſervationem, ſeu reparationem, manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, auctoritate Apoſtolica, concedimus, quam devote viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, in die Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, auctoritate literarum fel. rec. Alexandri PP. III Prędeceſſoris noſtri, quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus ut fideles ipſi in feſtivitatibus hujuſmodi, & per earum Octavas ad dictam Eccleſiam SS. Johannis Baptiſtę & Evangeliſtę confluentes, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, uberius conſequantur, ac Indulgentię huiuſmodi participes efficiantur, dilecto filio Priori Conventus Prędicatorum dictę Eccleſię SS. Johannis Baptiſtę & Evangeliſtę, qui nunc eſt, ſeu erit pro tempore, ut decem Sacerdotes Religioſos, ſeu ſeculares, diſcretos, & idoneos, ad ejus nutum ponere, & deponere, ac etiam ipſe Prior, & Succeſſores ſui fidelium hujuſmodi, ad eandem Eccleſiam, cauſa conſequendi Indulgentiam in feſtivitatibus prędictis, cum earum Octavis, & per tres dies ante feſtivitates prędictas confiteri volentium, Confeſſiones audire valeant, eorumque confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere, ac injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate prędicta, de ſpeciali gratia, tenore pręſentium, indulgemus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum III Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Indulgentia.

Facultas abſolvendi.

1. *Rhodopolitani.*) Vulgo *Roſtock*, in *Saxonia inferiori*.
2. *Archivo* In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* *CLXXV fol.* 178.
3. *Suernien.*) *Suerinen.*, ut in penultimo Diplomate

Indulgentias omnes Eccleſiæ Fratrum Prædicatorum Straleſunden. (1) conceſſas, ratas habet, & firmat.

Anno 1400 Die 1 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

HIs quę pro Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, ſub Regulari habitu vacantium ſtudio pię vitę, utilitatibus provide facta ſunt, ut illibata conſiſtant, libenter adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Conventus Fratrum Prędicatorum Oppidi Straleſundis, Suernien. (3) Diœceſis, petitio continebat, quod cum a primęva fundatione ipſius Monaſterii nonnullę Indulgentię per nonnullos Prędeceſſores noſtros, Romanos Pontifices, & per Nos, & alios diverſos Prelatos eidem Eccleſię conceſſę exiſtant, pro parte ipſorum Prioris & Conventus nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi Indulgentias per Prędeceſſores noſtros, & alios Prelatos, ut pręfertur, conceſſas, ratas, habere & gratas, ipſaſque confirmare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati Indulgentias hujuſmodi, & omnia inde ſequuta, ex certa ſcientia rata habemus & grata, illaque auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Exordium.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Straleſunden.*) Vulgo *Stralſund*, in *Pomerania Citeriori*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* *CLXXV fol.* 179.
3. *Suernien.*) *Suerinen*, Vulgo *Swerin*, in *Saxonia inferiori*.

Anno 1400 Die 8 Novembris.

F. Ulricus (1) Galrati ſit Epiſcopus Gybeletenſis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXLIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ulrico Galrati Electo Gybeleten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. F. Ulricus Solkero ſuccedit.

APoſtolatus officium, &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Solkero (3) Epiſcopo Gybeleten. regimini Eccleſię Gybeleten. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem hujuſmodi Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ipſius Folkeri, qui extra Romanam Curiam deceſſit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus: teque illi pręficimus in Epiſcopum & paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod Eccleſia prędicta per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus impoſitum tibi onus regiminis dictę Eccleſię reverenter ſuſcipiens, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod pręfata Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Ulricus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol. 129.*

3. *Solkero.*) Vel *Folkero*, ut inferius nuncupatur.

Anno 1400 Die 12 Novembris.

Sacellum B. Mariæ Virginis annexum Monaſterio Olomuſſenſi (1) viſitantibus Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CL.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ.

CUpientes igitur, ut Capella in honorem, & ſub vocabulo B. Marię Virginis conſtructa & ędificata, ac Monaſterio S. Michaelis Ordinis Fratrum Prędicatorum Olomuſſen. annexa, congruis honoribus frequentetur, ac etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Capellam, & ad ipſius conſervationem, ſeu reparationem manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos; de omnipotentis Dei miſericordia &c. qui eandem Capellam in ſecundis feriis ſingulis Annis dum miſſa pro Defunctis in eadem Capella celebratur, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, & Purificationis, Aſſumptionis, & Viſitationis B. Marię Virginis eandem Capellam devote viſitaverint annuatim, & ad hujuſmodi conſervationem, ſeu reparationem manus porrexerint adjutrices, ut pręfertur, ſingulis videlicet ſecundis feriis, & Feſtivitatum, qui que annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romę apud S. Petrum II Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Olomuſſenſi.*) *Olomucen.*, vulgo *Olmutz*, in *Moravia* Provincia.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXV fol. 159.*

Ad ſtipem pro redimendis Fratribus noſtris, aliiſque captivis rependendam Fideles hortatur (1).

Anno 1400 Die 25 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLI.

Exordium.

FIdelium Chriſtianorum per paganos barbaros, & alios Chriſtiani nominis inimicos in captivitate detentorum liberationibus ſuffragia prębere, pium apud Deum, & meritorium reputantes, frequenter alios Chriſti fideles ad impendendum ipſis Captivis, in ipſorum liberationibus, ſuffragium, & auxilium Noſtris literis exhortamur, & ut ad id eo ferventius animentur, quo magis ex hoc animarum commodum ſe ſperaverint adipiſci, nonnunquam pro his temporalibus ſuffragiis, ſpiritualia eis munera, videlicet remiſſiones, & Indulgentias elargimur. Cum itaque, ſicut dolenter accepimus, & dolentius recitamus, in partibus Barbarię in Civitate Tunicen. tres Monachi Sancti Benedicti, & tres Minorum, duo Prędicatorum, & duo Eremitarum Sancti Auguſtini Ordinum Profeſſores, ac quatuor Laici, & ſeptem Moniales, quę licet incluſę corpore Caſtris Clauſtralibus, mente tamen libera devotum exhibebant Altiſſimo famulatum, per ipſos barbaros & paganos plures annos crudeliter, & inhumaniter detenti, & diris ſuppliciis, ut nomen Chriſti abnegent, afflicti fuerunt, prout ad pręſens detinentur, & affliguntur, pro quorum liberatione, dilectus filius Salvator de Arpino, dicti Ordinis Fratrum Minorum profeſſor, ac Guardianus Conventus Sancti Franciſci de Tunicio pręſentium lator, pietate motus pro redemptione pręfatorum miſerabilium captivorum ſe obtulerit per diverſas mundi partes eleemoſynas quęſiturum, ut de faucibus hoſtium Redemptoris celeriter liberentur, ne oporteat eas, ut crudeliter comminantur, nomen Chriſti, & orthodoxam fidem abnegare, & eorundem paganorum execrabilem perfidiam profiteri, & quia tam pium & Chriſtianę Religionis debitum negotium nequit impleri, niſi per caritativa Chriſti fidelium ſubſidia, & ſuffragia roboretur; Nos intenſis deſideriis, prout ex debito Paſtoralis officii tenemur, ipſorum Captivorum liberationem, ne, quod Deus avertat, hujuſmodi Chriſti nomen abnegare, aut mortem ſubire quomodolibet compellantur, cupientes; Univerſitatem veſtram requirimus, & hortamur in Domino, in remiſſionem peccaminum vobis injungentes, quatenus de bonis a Deo collatis, ad liberationem hujuſmodi captivorum, pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia eidem Salvatori (3); cui eleemoſynas hujuſmodi implorandi, recipiendi, ac in dictos uſus eas duntaxat convertendi, plenam, tenore pręſentium concedimus facultatem, erogare velitis, ut per ſubventionem veſtram hujuſmodi ipſi captivi valeant a tam diris carcerum anguſtiis liberari, voſque per hęc, & alia bona, quę, Domino inſpirante, feceritis, poſſitis, ad ęternę felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus, qui ad liberationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, toties, quoties, manus hujuſmodi adjutrices porrexerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus; pręſentibus poſt decem menſes minime valituris. Datum Romę apud Sanctum Petrum VII Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Hujus Diplomatis cauſa.

Hortatur ut ſupra.

Indulgentia conceſſa.

1. *Hortatur.*) Vide *Diploma datum XXIX Januarii MCCCXCVII.* Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. MCCCCI pag.* 271.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXV fol.* 162.

3. *Salvatori.*) Fratri ſcilicet Ordinis Minorum, cui nomen *Salvator*, de quo antea etiam in hac Conſtitutione.

F. Petrum (1) conſtituit Elethenſem Epiſcopum.

Anno 1400 Die 30 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Electo Elethen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLII.

Exordium. F. Nicolaus Petro ſuccedit.

APoſtolatus officium, &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Petro Epiſcopo Elethen. regimini Elethen. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię cum illam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ipſius Petri, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos, hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua,

Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus: teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; In illo, qui dat gratias & largitur pręmia confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia, ſub tuo felici regimine regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benevolentiam, & gratiam, uberius conſequi merearis; Volumus autem, quod poſtquam pręſentes literas habueris expeditas, ad pręfatam Eccleſiam te transferas, & reſideas perſonaliter in eadem. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Petrum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIX fol. 265.*

Anno 1400 Die 1 Decembris.

Claudiopolitani (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

AC Sanctorum Petri & Pauli, necnon Sancti Laurentii ſita in ambitu Eccleſię Conventus Ordinis Prędicatorum in Cluſenwar (3), Tranſylvan. (4) Diœceſis, quę etiam dicitur reparatione non modica indigere, congruis honoribus frequentetur, & etiam reparetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Capellam, & ad ejus reparationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, ac Nativitatis, Purificationis, Annuntiationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, ac Sanctę Trinitatis, & Apoſtolorum Petri & Pauli, necnon S. Laurentii prędictorum, & Dedicationis ipſius Capellę feſtivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Sanctę Trinitatis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri; & Pauli, ac S. Laurentii prędictorum feſtivitatum Octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, eandem Capellam devote viſitaverint, & ad reparationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatum, duos Annos & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum, diebus, quibus dictam Capellam viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Dat. Romę apud S. Petrum Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Claudiopolitani.*) Vulgo *Coloſvvar*, in *Tranſylvania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar (mutilum tamen) ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIV fol. 250.*
3. *Cluſenvvar.*) *Coloſvvar* incolis, ut mox dictum eſt, *Clauſenburg* Germanis.
4. *Tranſylvan.*) Epiſcopatus iſte unus eſt ex Suffraganeis *Colocenſis* Archiepiſcopi.

Anno 1400 Die 10 Decembris.

F. Nicolaus (1) Epiſcopus Megarenſis renunciatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Pilſua Electo Megaren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Johanni ſuccedit F. Nicolaus.

APoſtolatus officium, &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Megaren. regimini Eccleſię Megaren. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię diſpoſitioni, & ordinationi noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum dicti Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem

& eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus: teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod ipſa Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas ad pręfatam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra Civitatem & Dięceſim Megaren. Pontificalia officia nequeas exercere. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictę Eccleſię ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud Sanctum Petrum IV Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Nicolaus*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIX fol.* 121.

Ædes ſacras S. Benedicti de Ferraria (1), a quibus Camaldulenſes diſceſſerant, Fratribus Ordinis Prædicatorum aſſignat.

Anno 1400 Die 17 Decembris.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Ordinis Pędicatorum Ferrarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLV.

Piis & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum & Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, propagationem reſpiciunt, libenter annuimus; illiſque, quantum cum Deo poſſumus, favorem Apoſtolicum impertimur. Exordium. Sane petitio, pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, continebat, quod cum dudum Eccleſia S. Benedicti de Ferraria, quę olim Hoſpitali S. Leonardi in Burgo Ferrarię erat ſubjecta, nullam dotem haberet, nec in ea ullus divinus cultus vigeret, Supplex Fratrum petitio. bonę memorię Epiſcopus Ferrarien., qui tunc erat, eandem Eccleſiam ſub certo annuo cenſu, eidem Epiſcopo perſolvendo, Monachis Camaldulen. Ordinis, ut ibi erigerent Monaſterium ſui Ordinis, auctoritate ordinaria, duxit aſſignandum. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, proceſſu temporis iidem Monachi egeſtate compulſi, ac ibidem morari, aut ibidem perſeverare nequeuntes, dictam Eccleſiam dimiſerint perderelictam, ipſaque Eccleſia divinis obſequiis, & omni ſpirituali ſolatio miſerabiliter deſtituta exiſtat, pro parte veſtra fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut de Paſtoralis officii remedio providentes, prędictam Eccleſiam, ut in ea Divinus cultus reflorescat, nec amplius maneat viduata, vobis, per quos in ea poterit commode deſerviri, conferre, & aſſignare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis ad eandem Eccleſiam accedendi, in eaque Divina officia celebrandi, & apud ipſam, abſque tamen ullius pręjudicio commorandi, & domorum eidem Eccleſię contiguarum, & circumſtantium ad ipſam Eccleſiam pertinentium corporalem poſſeſſionem, licentia, vel conſenſu Dięceſani loci, vel cujuſcunque alterius ſuper hoc minime requiſitis, recipiendi, retinendi, & ibidem hujuſmodi Domos cum cęmeterio, clauſtro, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione hujuſmodi conſtruendi, & ędificandi, illaſque perpetuo habendi, & retinendi, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica licentiam, tenore pręſentium, elargimur. Indulget ut ſupra. Non obſtantibus fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne aliqui Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, vel Caſtro, villa, aut loco alio ad habitandum Domos, vel loca quęcunque de novo recipere, ſeu recepta mutare, pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Clauſula derogans. Volumus autem quod Fratres, qui in dicta Eccleſia pro tempore morabuntur gaudeant omnibus privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & libertatibus, ac gratiis, quibus alii Fratres dicti Ordinis ex conceſſionibus Apoſtolicis gaudent, ſeu quomodolibet potiuntur. Nulli ergo omnino &c. Dat. Romę apud S. Petrum XVI Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Ferraria*.) *Ferrara*, in *Æmilia*, ad ramum *Padi*, minimum nuncupatum.

2. *Archivo*.) In quo duplex Exemplar, unum ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXII fol.* 278, aliud in *Bullario Bononienſi fol.* 21, ex Autographo *Bononiæ* aſſervato.

Ædes

Anno 1400 Die 21 Decembris.

Ædes ſacras Achadenſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLVI. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Beatorum Petri & Pauli de Achueri (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Tuanien. (4) Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & reparetur, ac conſervetur, & ut Chriſti fideles cauſa devotionis eo libentius confluant ad eandem, & ad conſervationem, vel reparationem, aut fabricam hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, & Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Aſſumptionis, Conceptionis, & Viſitationis B. Marię Virginis, ac Nativitatis S. Johannis Baptiſtę, ac Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, & S. Dominici, ac Dedicationis ipſius Eccleſię feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Mariæ, & Nativitatis S. Johannis Baptiſtę, ac Apoſtolorum Petri & Pauli pręfatorum feſtivitatum Octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem, vel reparationem, aut fabricam hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatum, ſeptem Annos, & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum pręfatorum, diebus, quibus Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romę apud S. Petrum XII Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Indulgentia.

1. *Achadenſis*.) Vulgo *Achonry*, in *Hibernia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXV fol.* 49.
3. *Achueri*.) *Achonry*, ſic enim, *Warao* teſte, *Achadenſis* Civitas nuncupatur.
4. *Tuanien*.) *Tuamen.*, vulgo *Toam*, in *Hibernia*.

Anno 1400 Die 23 Decembris.

Ædes ſacras Neeſt-Wethenſis (1) Cœnobii viſitantibus Indulgentias largitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLVII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Fratrum Ordinis Prędicatorum in Oppido Neſtwedis, Roskilden. (3) Dięceſis, a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, ac Nativitatis, Annuntiationis, Conceptionis, Viſitationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & B. Dominici, ac S. Thomę de Aquino, necnon S. Petri Martyris, & Dedicationis, & Patrocinii ipſius Eccleſię, & dictorum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum feſtivitatibus dictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem, ſive conſervationem ejuſdem, manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, tres Annos, & totidem quadragenas, octavarum vero prędictarum, quibus dictam Eccleſiam, viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romę apud S. Petrum X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Indulgentiæ.

1. *Neeſt-Wethenſis*.) In *Dania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXV fol.* 63.
3. *Roskildenſis*.) Vulgo *Roſchilt*, in *Dania*.

Anno 1400 Die 23 Decembris.

Cœnobii Roskildenſis (1) Ædes ſacras viſitantibus Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLVIII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Fratrum Ordinis Prędicatorum in civitate Roskilden. a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in ſecunda die Reſurrectionis, Pentecoſtes, & Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac feſtivitatibus, & diebus Epiphanię, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, ac Nativitatis, Annuntiationis, Conceptionis,

Indulgentiæ.

Puri-

Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac S. Dominici, Petri Martyris, Thomę de Aquino Doctoris, & Eliſabeth viduę, ac Dedicationis, Patrocinii dictę Eccleſię, devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, ut prefertur, ſeptem Annos Indulgentiarum, & totidem quadragenas, octavarum vero feſtivitatum prędictarum, quibus Eccleſiam ipſam viſitaverint devote annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatum, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Dat. Romę apud S. Petrum X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Roskildenſis.*) In *Dania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 114.

Eccleſiam S. Geroni Monialibus Vallis Sanctæ Mariæ, Aquilejenſis Diœceſis, confert. — Anno 1400 Die 23 Decembris.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. — CLIX.

Sacrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa & Conventus Monaſterii Monialium Vallis Sanctę Marię, alias prope Nichelſteten., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, Aquilejen. Dięceſis, devotum & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis earum, illis pręſertim, quę ipſarum & dicti Monaſterii commodum & utilitatem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. *Exordium.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus petitio continebat, quod olim bonę memorię Percheldus Patriarcha Aquilejen. provide attendens, quod ex fructibus, redditibus, & proventibus dicti Monaſterii Prioriſſa & Conventus ejuſdem commode ſuſtentari, & incumbentia eis expenſarum onera ſupportare nequibant, de conſilio, & conſenſu dilectorum filiorum Capituli Eccleſię Aquilejen., Parochialem Eccleſiam S. Geroni prope Vallem S. Marię, alias prope Nichelſteten., prędictam, cujus decem, pręfato Monaſterio, cujus centum Marcarum argenti puri, fructus, redditus & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, auctoritate ordinaria univit, annexuit, & incorporavit, prout in literis inde confectis dicti Patriarchę ſigillo munitis dicitur plenius contineri, dictęque Prioriſſa & Conventus Eccleſiam prędictam vigore unionis, & incorporationis hujuſmodi, aſſecutę fuerunt, illamque tenuerunt, & poſſederunt, prout tenent, & poſſident pacifice, & quiete. *Supplex Monialium petitio.* Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, a nonnullis dubitetur, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, & alia circa hoc facta ex certis cauſis viribus non ſubſiſtere, pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unioni, & annexioni hujuſmodi robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, pręfatamque Eccleſiam eidem Monaſterio de novo unire, annectere, & incorporare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, unionem, annexionem, & incorporationem pręfatas & omnia inde ſecuta rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; *Confert ut ſupra.* Et nihilominus Eccleſiam prędictam, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis pręfato Monaſterio eadem auctoritate de novo unimus, & incorporamus, ita quod liceat Prioriſſę, & Conventui prędictis ex nunc auctoritate pręſentium corporalem poſſeſſionem dictę Eccleſię libere apprehendere, & perpetuo licite retinere, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius, ſuper hoc licentia minime requiſita: reſervata tamen de fructibus, redditibus, & proventibus dictę Eccleſię pro uno perpetuo Vicario inibi Altiſſimo ſervituro, congrua portione, de qua idem Vicarius poſſit congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia incumbentia onera ſupportare. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de Parochialibus Eccleſiis, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta ad pręfatam Parochialem Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Eccleſiarum, vel beneficiorum aliorum pręjudicium volumus generari, & quibuſcunque privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus cujuſcunque tenoris exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis: *Clauſula derogans.* Nos enim ex nunc irritum & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. *Decretum irritum faciens.* Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, unionis, annexionis, & conſtitutionis infringere &c. *Sanctio pœnalis.* Datum apud S. Petrum X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXII fol.* 225.

Indul-

Anno 1400 Die 23 Decembris.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Calmarienſis (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes igitur, ut Eccleſia B. Marię Virginis Domus Calmarien., Fratrum Ordinis Prędicatorum Lincopen. (3) Dięceſis, quę totaliter per inimicos deſolata exiſtit, & deſtructa, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem, reparationem, ac ſuſtentationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Vigilia Aſſumptionis B. Marię Virginis a primis Veſperis, uſque ad ſecundas Veſperas, cum octo diebus ſequentibus dictum feſtum, Eccleſiam pręfatam ſingulis annis devote viſitaverint, & ad ipſius Eccleſię reparationem, & conſervationem, ac ſuſtentationem Fratrum eorundem manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem ſuorum peccatorum, auctoritate Apoſtolica, concedimus, quam viſitantes Eccleſiam B. Marię in Portiuncula, dictam de Angelis, extra Muros Aſſiſii, primo & ſecundo diebus Auguſti annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut fideles ipſi Indulgentiam hujuſmodi uberius conſequantur dilectis filiis Priori & Fratribus dictę Domus, qui pro tempore fuerint, ut quatuor vel plures Sacerdotes idoneos de eadem Domo eligere valeant, & deputare, qui hujuſmodi Indulgentiis durantibus Fidelium ipſorum, ad Eccleſiam ipſam confluentium, ut pręfertur, & eis confiteri volentium, Confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis abſolutionem debitam, auctoritate noſtra, impendere valeant, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica fuerit merito conſulenda, in forma Eccleſię conſueta ipſis pęnitentiam injungant ſalutarem; & alia quę de jure fuerint injungenda; ac hujuſmodi Sacerdotes amovere, & de novo eligere, & deputare libere, & licite valeant, Conſtitutionibus Apoſtolicis, & revocatione quacunque, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, auctoritate pręd́icta, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud S. Petrum X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Facultas abſolvendi.

Clauſula derogans.

1. *Calmarienſis.*) Vulgo *Calmar*, in *Svecia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 128.
3. *Lincopenſis.*) Vulgo *Lincoping.*, in *Svecia*.

Anno 1400 Die 27 Decembris.

Indulgentias concedit viſitantibus Ædes ſacras Ottonienſis (1) Cœnobii; & ut poſſint abſolvi, Priorem delegat, qui Sacerdotes præficiat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Prędicatorum in Civitate Octovien. (3) congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui dictam Eccleſiam in feſto Sanctiſſimę Trinitatis a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas incluſive, & per ejus Octavas, devote viſitaverint, & ad ejus conſervationem, ſive fabricam manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum omnium, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, quam Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, a primis Veſperis uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem feſti devote viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut Chriſti fideles ad eandem Eccleſiam in feſtivitatibus, & diebus prędictis propterea confluentes, Indulgentias hujuſmodi uberius conſequi poſſint, benignius agere volentes, dilecto filio Priori, qui nunc eſt, & erit pro tempore, cum octo Presbyteris idoneis dicti Ordinis, per dictum Priorem annuatim eligendis, ut ipſi Confeſſiones omnium & ſingulorum Chriſti fidelium in feſtivitatibus, & diebus prędictis, cauſa hujuſmodi Indulgentias aſſequendi confluentium, poſſint eadem auctoritate audire, & eorum Confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, ac injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi talia fuerint propter quę ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda, auctoritate prędicta, de uberioris dono gratię, tenore pręſentium, indulgemus. Pręſentibus futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud S. Petrum VI Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Facultas abſolvendi.

1. *Ottonien.*) Vulgo *Otthen*, & *Odenſee*, in *Fionia* Inſula *Daniæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIII fol.* 114.
3. *Octovien.*) *Ottonien.*, ut mox dictum fuit. Hæc enim Urbs ab *Haraldo* Rege condita, *Ottonienſis* nuncupata eſt in honorem *Ottonis I.*

In-

Indulgentias (1.) elargitur viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii, in quo Capitulum Provinciale Provinciæ Daciæ celebrabitur, & Fratres præficit, qui eos abſolvant.

Anno 1400 Die 28 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia, apud quam Capitulum Provinciale Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Dacię ſemel duntaxat in Anno ſolenniter celebratur, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui dictam Eccleſiam apud quam Capitulum, ut pręfertur, ſolenniter celebrabitur, de Veſperis ad Veſperas, & per ejus octavas devote viſitaverint, & ad ejus conſervationem, ſive fabricam manus porrexerint adjutrices, completa viſitatione hujuſmodi per eos, ut pręfertur, illam Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, quam Eccleſiam Sancti Marci de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti a primis Veſperis uſque ad ſecundas ejuſdem feſti devote viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus, ut Chriſti fideles ipſi ad eandem Eccleſiam in feſtivitatibus, & diebus pręfatis, propterea confluentes, Indulgentias hujuſmodi uberius conſequi poſſint, benignius agere volentes, dilecto filio Provinciali dicti Ordinis qui nunc eſt, & erit pro tempore, cum octo Presbyteris idoneis dicti Ordinis per eundem Provincialem, ac ejus locum tenentem, annuatim eligendis, ut ipſi poſſint Confeſſiones omnium, & ſingulorum Chriſti fidelium in feſtivitatibus, & diebus, cauſa hujuſmodi Indulgentię aſſequendę, confluentium, eadem auctoritate, audire, & eorum Confeſſionibus diligenter auditis pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, ac injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi talia fuerint, propter quę ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda, auctoritate prędicta, de uberioris dono gratię tenore pręſentium, indulgemus. Prędentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Indulgentia.

Facultas abſolvendi.

1. *Indulgentias.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CXXXIII *fol.* 214.

Indulgentiis donat viſitantes Ædes ſacras Cœnobii Roskildenſis (1), & ut poſſint abſolvi, Fratres præficit.

Anno 1400 Die 31 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Ordinis Prędicatorum in Civitate Roskilden. In prima Dominica poſt feſtum B. Marię Virginis, in qua feſtum Reliquiarum ibidem exiſtentium ſingulis annis ſolemniter celebratur, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in dicto feſto Reliquiarum a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas incluſive, & per ejus octavam, prędictam Eccleſiam devote viſitaverint, & ad ipſius conſervationem, ſeu fabricam, manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, auctoritate apoſtolica tenore pręſentium, concedimus, quam dictam Eccleſiam devote viſitantes ſingulis feſtivitatibus anni quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus, ut Chriſti fideles ad eandem Eccleſiam in feſtivitatibus, & diebus prędatis propterea confluentes, Indulgentiam hujuſmodi uberius conſequantur, benignius agere volentes, dilecto filio Priori dictę Eccleſię, qui nunc eſt, & erit pro tempore, cum quatuor Presbyteris idoneis dicti Ordinis per dictum Priorem annuatim eligendis, ut ipſi Confeſſiones omnium, & ſingulorum Chriſti fidelium, in feſtivitatibus & diebus prędatis cauſa hujuſmodi Indulgentiarum aſſequendi confluentium, poſſint eadem auctoritate audire, & eorum Confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, de uberioris dono gratię tenore pręſentium indulgemus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud S. Petrum II Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Indulgentia.

Facultas abſolvendi.

1. *Roſkildenſi*) In *Dania*.

2. *Archivo*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXXXIII *fol.* 113.

Digitized by Google

Anno 1401 Die 7 Januarii.

Eccleſiæ Lambergenſi F. Germannum (1) præficit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Germanno Wyckuder Electo Lambergen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

DIvina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Georgio Epiſcopo Lambergen. regimini Lambergen. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes ipſi Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prędicta Eccleſia per obitum ejuſdem Georgii, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Monaſterii Hildeſimen. Priorem, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Sacrę Theologię profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providimus, teque illi pręfecimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus tibi plenarie committendo: in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod Pontificalia officia extra Civitatem, & Dięceſim Lambergen. nequeas exercere, quodque quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, te ad prędictam Eccleſiam transferas, & reſideas perſonaliter in eadem. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium, Noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum VII Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Germannus Georgio ſuccedit.

1. *Germannum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLI fol* 256.

Anno 1401 Die 18 Januarii.

Ut Fratres Prædicatorum Ordinis Fratribus & Sororibus (1), de Pœnitentia S. Dominici nuncupatis, Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, miniſtrare poſſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis hominibus, & perſonis utriuſque Sexus de Pęnitentia S. Dominici nuncupatis, in Italia conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus, & honeſtis ſupplicum votis, pręſertim his, quę ſalutem animarum veſtrarum reſpiciunt, libenter annuimus, eaque, quantum cum Deo poſſumus, favoribus proſequimur opportunis. Hinc eſt, quod Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, vobis & culibet veſtrum, pęnitentiam ſalutarem ac Sacramentum Euchariſtię Corporis Dominici per idoneos Fratres Ordinis S. Dominici, in Presbyteratus Ordine conſtitutos, Fratres Prędicatores nuncupatos, in locis quibuslibet in prędicta Provincia Italię conſtitutis, in quibus immorari, vel ad quę vos declinare, contigerit, quoties opus fuerit, pręterquam in feſto Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, libere, & licite recipere valeatis, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica, licentiam elargimur. Juribus Parochialium Eccleſiarum, in quibus pro tempore duxeritis habitandum, alias ſemper ſalvis. Conſtitutionibus Apoſtolicis & aliis quibuſcunque in contrarium editis nequaquam obſtantibus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XV Kalen. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Indulget ut ſupra.

Exceptio. Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Sororibus.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo lit.XIV.*

2. *Archivo*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXV fol.*86. Authenticum habetur *Lib. E. fol.* 75. Legitur etiam apud *Uſuſmarem pag.*89., & in *Conſtitutionibus Ord. Prædicatorum impreſſis anno MDVII num.XCIV.*

Ædes

Ædes ſacras Inſulenſis (1) Cœnobii viſitantibus Indulgentias elargitur, & ut abſolvantur, Priorem delegat, qui Sacerdotes præficiat.

Anno 1401 Die 29 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes litteras inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus B. Marię Magdalenę Inſulen., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aroſien. (3) Dięceſis, congruis honoribus frequentetur a Chriſti fidelibus, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad conſervationem ipſius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia &c. qui in feſto S. Michaelis Archangeli a primis Veſperis uſque ad totam diem dicti feſti, & per tres dies dictum feſtum immediate ſequentes, prędictam Eccleſiam devote viſitaverint, & ad ipſius conſervationem manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum annuatim auctoritate Apoſtolica concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti annuatim quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus, ut fideles ipſi ad Eccleſiam Domus hujuſmodi, ut pręmittitur, confluentes, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, uberius conſequantur, & Indulgentię hujuſmodi participes efficiantur, Priori dictę Domus pro tempore exiſtenti, ut decem Presbyteros Seculares, vel Regulares, qui valeant Confeſſiones omnium & ſingulorum fidelium cauſa hujuſmodi Indulgentię conſequendę ad Eccleſiam Domus hujuſmodi confluentium, ut pręfertur, in feſto S. Michaelis, & diebus pręlibatis, eadem auctoritate, audire, & Confeſſionibus ipſorum diligenter auditis, pro commiſſis debitam eis abſolutionem impendere, & injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda, eligere valeat, & etiam deputare, prędicta auctoritate de uberioris dono gratię tenore pręſentium indulgemus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum IV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Indulgentia.

Facultas abſolvendi.

1. *Inſulenſis.*) In *Suecia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Libro CXXXV *fol. 4*.
3. *Aroſien.*) Vulgo *Aroſen*, & *Weſteras*, in *Suecia*.

Monialibus Monaſterii S. Marthæ Cæſenaten. (1) ut ad Monaſterium SS. Jacobi & Philippi ejuſdem Civitatis ſe transferant, facultatem dat, & illius bona iſti tranſcribit.

Anno 1401 Die 4 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

DEbitum paſtoralis officii, cui, diſponente Domino, pręſidemus, expoſcit, ut ad ea ſollicite intendamus, per quę utilitates & commoda Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium, ac perſonarum in eis degentium procurentur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Sanctorum Jacobi & Philippi Ordinis S. Auguſtini ſub Regula & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, necnon S. Marthę Cęſenaten. dicti Ordinis Monaſteriorum Prioriſſarum, & Conventuum, nuper Nobis exhibita, petitio continebat, quod tam propter guerras, quam alias malas indiſpoſitiones, & calamitates, quę partes illas diutius afflixerunt, Monaſteria ipſa adeo in ſuis facultatibus, & bonia ſunt diminuta, quod ex eis Prioriſſa & Conventus ipſorum Monaſteriorum congrue ſuſtentari, & incumbentia eis onera ſupportare, nequeant, quodque ſi ipſum Monaſterium S. Marthę dicto Monaſterio Sanctorum Jacobi, & Philippi uniretur, utrique ipſorum commoditas, & utilitas procuraretur. Quare pro parte ipſarum Prioriſſarum & Conventuum nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum ipſa Prioriſſa, & Conventus dicti Monaſterii S. Marthę paratę ſint ſtatim poſtquam commode, & cum licentia Sedis Apoſtolicę facere poterunt, ad dictum Monaſterium Sanctorum Jacobi & Philippi ſe transferre, & inibi perpetuo Altiſſimo deſervire, Monaſterium ipſum S. Marthę, cujus duodecim, pręfato Monaſterio Sanctorum Jacobi, & Philippi, cujus viginti florenorum auri fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, in perpetuum incorporare, annectere, & unire, & alias ipſis, & earum neceſſitatibus in pręmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręfatum Monaſterium S. Marthę, cum perſonis, poſſeſſionibus, juribus, fructibus, & redditibus univerſis, non obſtante quod in eo Prioriſſa, & Moniales pro tempore exiſtentes gerant alterius coloris, & formę habitum, quam in dicto Monaſterio Sanctorum Jacobi & Philippi geritur, & habetur, prędicto Monaſterio Sanctorum Jacobi & Philippi auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium incorporamus, annectimus, & unimus, ac etiam appropriamus, ita quod liceat Prioriſſę & Conventui Monaſterii Sanctorum Jacobi & Philippi ex nunc poſſeſſionem dicti Monaſterii Sanctę Marthę cum poſſeſſionibus, fructibus, juribus, & redditibus prędictis propria auctoritate apprehendere, & perpetuo retinere, dictiſque Prioriſſę, & Conventui S. Marthę ad dictum Monaſterium Sanctorum Jacobi & Philippi ſe transferre, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius ſuper hoc licentia minime requiſita. Voluмus autem, quod quamprimum Prioriſſa & Conventus pręfati Monaſterii Sanctę Marthę ad Monaſterium Sanctorum Jacobi & Philippi ſe transferre voluerint, Prioriſſa, & Conventus ejuſ-

Exordium.

Supplex Monialium petitio.

Indulget ut ſupra.

ejuſdem ipſas in eodem Monaſterio recipere, ac eis de vitę neceſſariis, prout aliis Monialibus ejuſdem Monaſterii, providere teneantur; quodque Prioriſſa, & Conventus ejuſdem Monaſterii S. Marthę, ex tunc illum geſtent habitum, qui in dicto Monaſterio Sanctorum Jacobi & Philippi geritur & habetur, ac ejus Inſtitutis regularibus ſe conforment, & quod ex tunc dignitas Prioriſſalis & Conventus in eodem Monaſterio S. Marthę ſint totaliter extinctę, ipſęque Prioriſſa & Conventus Monaſterii Sanctorum Jacobi & Philippi, poſtquam hujuſmodi poſſeſſionem adeptę fuerint, pro eodem Monaſterio S. Marthę conſueta, & incumbentia onera ſupportare integre teneantur; proviſo quod Eccleſia ipſius Monaſterii Sanctę Marthę ad profanos uſus, velut hereditas, minime transferatur; Sed eędem Prioriſſa, & Conventus Monaſterii Sanctorum Jacobi & Philippi, ſi fieri poterit, in hujuſmodi Eccleſia per aliquem Presbyterum faciant laudabiliter deſerviri. Nos igitur dictis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sanctorum Jacobi & Philippi, ut, poſtquam poſſeſſionem dicti Monaſterii S. Marthę fuerint adeptę, de domibus, poſſeſſionibus, & bonis dicti Monaſterii S. Marthę vendere, & titulo venditionis tradere perſonis, & pretio, quibus ipſis videbitur expedire, valeant, tenore pręſentium licentiam damus, & etiam poteſtatem; dummodo tamen pretium hujuſmodi, quod ex prędictis domibus, poſſeſſionibus, & bonis, provenerit, in dicti

Decretum irritum faciens. Monaſterii Sanctorum Jacobi, & Philippi evidentem utilitatem convertatur. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, necnon privilegiis, & Indulgentiis, ac literis Apoſtolicis; necnon ſtatutis & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinum prędictorum contrariis quibuſcunque. Nos enim

Sanctio pœnalis. ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę incorporationis, annexionis, unionis, appropriationis, voluntatis, proviſionis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum II Non. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Ceſenaten.*) In *Romandiola*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXII. fol.34.*

Anno 1401 Die 12 Februarii.

Ædes ſacras Monaſterii Columbarienſis (1) viſitantes Indulgentiis donat, & ut abſolvi poſſint, Prioriſſam delegat, quæ Confeſſores conſtituat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXVIII.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ. CUpientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Monialium Sanctę Catharinę Columbarien., Ordinis Prędicatorum Baſilien. Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ipſius conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in feſto S. Catharinę a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas, & per octo dies dictum feſtum immediate ſequentes, prędictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum annuatim auctoritate Apoſtolica concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti pręfata auctoritate quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut Chriſti fideles ipſi ad eandem Eccleſiam Monaſterii, ut prętertur, confluentes conſcientię pacem, & animarum ſalutem Deo propitio conſequantur, & hujuſmodi Indulgentię melius participes eſſe poſſint, benignius agere volentes, ut dilecta in Chriſto filia Prioriſſa dicti Monaſterii exiſtens pro tempore, ſex Presbyteros idoneos Seculares, vel Regulares, in Confeſſores eligere poſſit, ac etiam deputare, qui Confeſſiones omnium & ſingulorum Chriſti fidelium ad pręfatam Eccleſiam Monaſterii confluentium cauſa hujuſmodi indulgentię conſequendę, & eis confiteri volentium audire, & eorum Confeſſionibus diligenter auditis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere, & eccleſiaſtica Sacramenta eis miniſtrare valeant, ac alias injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem,

Facultas abſolvendi. niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate prędicta de uberioris dono gratię, tenore pręſentium, indulgemus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Columbarienſis.*) Vulgo *Colmar*, in *Alſatia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXV fol.224.*

Reſcin-

Reſcindit Diploma Electores (1) Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum ſubrogans illis qui Clementis VII partes ſectati erant.

Anno 1401 Die 15 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Provincialibus, & Electoribus immediate futuri Magiſtri Generalis, ceteriſque Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXIX.

Piis, & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę Religioſorum, & Deo quotidie famulantium quieti conſulitur libenter intendimus, & ut ad debitum perducantur effectum, adbibemus ſollicitudinis noſtrę partes. Exhibita ſiquidem nobis nuper pro parte dilecti filii Thomę de Firmo, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, in Sacra Theologia Magiſtri Prioris Provincialis Provincię Sancti Dominici, alias Lombardię inferioris, ac Vicarii Generalis ejuſdem Ordinis, petitio continebat, quod cum in feſto Pentecoſtes proxime futuro Capitulum Generale pro electione futuri Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis ſecundum antiquos mores, & conſuetudines Ordinis pręlibati celebrari debeat, ac a nonnullis aſſeratur aliquos ex Fratribus dicti Ordinis ſuper ſuppletione Electorum, ſeu vocum, nonnullorum qui Electioni hujuſmodi intereſſe deberent, & qui damnatę memorię Roberto, olim Baſilicę duodecim Apoſtolorum Presbytero Cardinali, tunc Antipapę qui ſe Clementem VII auſu ſacrilego nominare pręſumebat, ejuſque ſequacibus adhęrentes extiterunt, aut alias inhabiles ad eligendum, & creandum tales electores exiſtunt, a Nobis, & Sede Apoſtolica literas, per importunam inſtantiam, vel alias diverſimode impetraſſe, ſeu impetrare in futurum debere, propter quod in electione hujuſmodi Generalis Magiſtri ſcandala, & diſſenſiones poſſent veriſimiliter exoriri. Nos, ſcandalis & diſſenſionibus hujuſmodi, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter obviare, vobiſque, ut cum omnimoda ſinceritate, & tranquillitate, Capitulum, & Electionem hujuſmodi celebrare poſſitis, ſuper hoc de opportuno remedio providere volentes, ex iis, & aliis certis cauſis animum noſtrum moventibus, Apoſtolica auctoritate, tenore pręſentium, declaramus, literas ſuper ſuppletione Electorum & vocum hujuſmodi, ſi quas reperiri contigerit, minime nos illas voluiſſe, ſeu velle concedere, illaſque ſurreptitias & pręter voluntatem noſtram fuiſſe, & eſſe expeditas: & nihilominus ipſas literas ſuper his expeditas, vel expediendas ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, ex tunc eadem auctoritate caſſamus, annullamus, & irritamus, ac volumus, & decernimus, nullius eſſe roboris, vel momenti, & pro caſſis, irritis, & vacuis haberi volumus, & mandamus; vobiſque, & veſtrum cuilibet diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus literas hujuſmodi nequaquam admittatis, nec eiſdem fidem aliquam adhibeatis, ſed eas, illoſque producentes, omnino, & penitus repellatis, & cum effectu reiicere procuretis, & ad electionem prędictam perinde procedatis, ac ſi dictę literę minime conceſſę fuiſſent, ſeu eſſent, dictis literis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum XV Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Exordium.

Supplex Vicarii Generalis petitio.

Reſcindit ut ſupra.

1. *Electores.*) Adeas *Fontanam Monument. Dominican.* *Parte II Cap. XI ad an. MCCCCI pag. 269.*

2. *Archivo*) In quo Exemplar in *Bullario Bononien.* fol. 21, ex Autographo *Bononiæ* aſſervato.

Viſitantibus Ædes ſacras cujuſcunque Cœnobii, in quo Fratres Ordinis Prædicatorum Capitulum Provinciale habent, Indulgentiam, (1) Eccleſiæ B. Mariæ de Portiuncula conceſſam, impertitur.

Anno 1401 Die 18 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXX.

Licet is de cujus munere venit, ut ſibi a ſuis fidelibus digne & laudabiliter ſerviatur, de abundantia ſuę pietatis, quę merita ſupplicum excedit & vota, bene ſervientibus ſibi multo majora retribuat, quam valeant promereri, nihilominus tamen deſiderantes Domino populum reddere acceptabilem, bonorum operum ſectatorem, fideles ipſos ad complacendum ſibi, quaſi quibuſdam allectivis muneribus, indulgentiis ſcilicet, & remiſſionibus, invitamus, ut exinde reddantur divinę gratię aptiores: Cupientes igitur, ut Eccleſia, apud quam per dilectos filios, Priores, & Fratres Ordinis Prędicatorum Provinciale Capitulum pro tempore celebrari contigerit, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, ipſique Priores, & Fratres benigne pertractentur, & congrue ſuſtententur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus conſervationem necnon Priorum & Fratrum hujuſmodi ſuſtentationem, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui quotieſcunque & ubicunque in perpetuum hujuſmodi Capitulum celebrari contigerit, eandem Eccleſiam tempore, quo Capitulum Provinciale hujuſmodi celebrabitur, a primis Veſperis diei, quo Capitulum ipſum celebrari inchoabitur, uſque ad octo dies incluſive immediate ſequentes, devote viſitaverint, & ad conſervationem, & ſuſtentationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet octo dierum prędictorum diebus quibus Eccleſiam ipſam viſitaverint, & adjutrices manus porrexerint, ut pręfertur, ac

Exordium.

Indulget ut ſupra.

etiam Prioribus & Fratribus, qui hujuſmodi Capitulo interſuerint, illam Indulgentiam & remiſſionem peccatorum concedimus, auctoritate Apoſtolica, quam viſitantes Eccleſiam Beatę Marię de Portiuncula, aliter dictam de Angelis, extra muros Aſſiſinat. primo & ſecundo diebus Auguſti, quomodolibet conſequuntur. Et inſuper ut Chriſti fideles hujuſmodi, ad eandem Eccleſiam tempore celebrationis Capituli præfati, per octo dies prędictos, ut pręfertur, confluentes, conſcientię pacem & Animarum ſalutem Deo propitio conſequantur, & Indulgentię hujuſmodi melius participes eſſe poſſint, benignius agere volentes, Pręſidenti hujuſmodi Capituli, qui pro tempore fuerit, ut quatuor Fratres idoneos Presbyteros dicti Ordinis profeſſores, in Confeſſores eligere poſſit, ac etiam deputare, Ordinarii loci licentia minime requiſita, ſeu obtenta, qui confeſſiones quarumcunque perſonarum, Eccleſiam prędictam cauſa hujuſmodi Indulgentię conſequendę viſitantium, per ipſos octo dies duntaxat, audire, & eiſdem Confeſſionibus diligenter auditis, eiſdem perſonis pro commiſſis abſolutionem debitam impendere valeant,
Sanctio pœnalis. & injungere pęnitentiam ſalutarem; niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate prędicta concedimus per pręſentes. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XII Kalend. Martii, Pontificatus noſtri anno Duodecimo.

1. *Indulgentiam.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum manuſcriptum, & triplex impreſſum typis *Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ* an. *MDCXVII.* Aſſervatur Autographum in Cœnobio *Peruſino.* Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 89. Extat in Cœnobio *Mediolanenſi S. Euſtorgii* Exemplar fide publica comprobatum anno *MCCCCII.*

Anno 1401 Die 21 Februarii.

Conſtitutionem (1) Johannis XXII quæ incipit: *Vas electionis*: in Hibernia ſervandam jubet.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Dublinen. (3) & Caſſalen. (4), Archiepiſcopis, ac Epiſcopo Darnen. (5), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUper egenum intendentes & pauperem, & dantes operam ſaluti animarum, quandam inter Prælatos, Rectores Parochialium Eccleſiarum, & Clerum Secularem ex una parte, & Fratres Prędicatorum, & Minorum Ordinum, ex altera parte, Terrę Hibernię contentionem exortam &c. (6) dictorum Ordinum Terrę Hibernię prędictę Confeſſis &c. (7). Datum Romę apud Sanctum Petrum IX Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Conſtitutionem.*) Videas *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CX fol.* 54.
3. *Dublinen.*) In *Hibernia.*
4. *Caſſalen.*) *Caſſilien.*, Vulgo *Caſhel*, in eodem Regno.
5. *Darnen.*) Idem ac *Darinen.*, vulgo *Eſtanford* in ora boreali *Ultoniæ*, in *Hibernia.*
6. *Exortam &c.*) Ut in *Diplomate dato X Aprilis MCCCXCVIII* ad hæc uſque verba: *Fratribus dictorum.*
7. *Confeſſis &c.*) Ut in eodem ad finem uſque.

Anno 1401 Die 22 Februarii.

Cœnobii Ariminenſis (1) Ordinis Prædicatorum fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Muſelo Perleonibus, Domicello, Ariminen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIncerę devotionis affectus, quem ad Nos & Romanam geris Eccleſiam, promeretur, ut votis tuis,
Exordium. illis pręſertim, quę divini Cultus augmentum, & Religionis propagationem conſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus favorabiliter annuamus. Sane petitio, pro parte tua Nobis nuper exhibita, continebat, quod tu de propria ſalute recogitans, & cupiens terrena in cęleſtia, ac tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ob Dei Omnipotentis reverentiam, & honorem S. Dominici, de bonis tibi a Deo collatis, in ſolo proprio tuo ſito in contrada Eccleſię S. Marię Arimineo. Dięceſis Eccleſiam, ſeu Oratorium, ac Domum unam ſub vocabulo Beati Petri Martyris cum campanili, campana, dormitorio,
Fundatoris ſupplex petitio. refectorio, cęmeterio, & clauſtro, ac horto, hortalitiis, domibus, & aliis neceſſariis officinis, de novo conſtruere; ipſamque Domum, ſive Eccleſiam libris, paramentis ſacris, vaſis, lectiſtariis (3), & aliis requiſitis decenter fulcire pro uſu, & habitatione perpetuis unius Guardiani, ſive Prioris, & nonnullorum Fratrum Ordinis S. Dominici proponis; Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi faciendi pręmiſſa, & dilectis filiis Miniſtro Provinciali & Fratribus Ordinis Provincię S. Dominici prędicti, ſeu Lombardię inferioris, Eccleſiam, ſive Domum hujuſmodi, poſtquam conſtructa, ędificata, & facta fuerit, recipiendi, ac pro uſu & habitatione eorum perpetuo retinendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur qui divinum cultum noſtris temporibus augeri,
Indulget ut ſupra. dictumque Ordinem propagari intenſis deſideriis affectamus, prędictum laudabile propoſitum veſtrum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi Eccleſiam & Domum hujuſmodi, de novo fundandi, & conſtruendi, & hujuſmodi requiſitis fulciendi, illamque cum campanili, campana, dormitorio, refectorio, cęmeterio, & clauſtro, ac hortis, & hortalitiis, domibus, & aliis neceſſariis officiis ſupradictis, dictis Monaſterio & Fratribus donandi, eiſque Eccleſiam, ac Domum hujuſmodi, pro eorum uſu, & habitatione, perpetuo retinendi, fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prę-

Digitized by Google

Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium, in aliqua civitate, caſtro, ſeu loco, de novo loca recipere, ac accepta mutare pręſumant, abſque licentia ſpeciali Sedis Apoſtolicę faciente expreſſam de verbo ad verbum pro habitatione hujuſmodi plenam mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, plenam & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam elargimur; jure Parochialis Eccleſię, & alterius cujuſcunque ſemper ſalvo. Ceterum Guardiano, ſeu Priori, & Fratribus ejuſdem Ordinis, qui in eadem Domo ſeu Eccleſia pro tempore morabuntur, prędicta auctoritate concedimus, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, immunitatibus, & indulgentiis uti, & gaudere poſſint, quibus alii Fratres dicti Ordinis in aliis eorum Domibus, ſive Eccleſiis commorantes gaudent, & quomodolibet potiuntur. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum VIII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. Sanctio pœnalis.

1. *Ariminen.*) *Rimini*, in *Romandiola*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* *Libro CXXXIV fol.86.*
3. *Lectiſtariis*.) Sic apparatum lecti vocabant.

Retinenda decernit, quæ F. Raymundus (1) ad Inſtituta Ordinis Fratrum Prædicatorum adamuſſim ſervanda præſcripſerat.

Anno 1401 Die 28 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Diffinitoribus Capituli Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſecundum morem dicti Ordinis in feſto Pentecoſtes proxime futuro celebrandi (3), ceteriſque Pręlatis & Fratribus ejuſdem Ordinis, quos hujuſmodi Capitulo intereſſe contigerit, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium in laudem Ordinis.

DUm ad Ordinis veſtri Sacram Religionem, quam Pater luminum in Domo ſua ſiderea claritate conſtituit, Apoſtolicę conſiderationis intuitum extendimus, in ipſius famę odore pręcipuo non immerito conſolamur, ferventibus deſideriis affectantes, ſtatum ejus proſperum laudabiliter hactenus prudentum, proborumque regimine, Deo propitio, gubernatum, cum illius ſuffragio, qui eandem in agro Dominico plantavit, coluit, & rigavit, felicia, & continuata ſuſcipere incrementa. Cum itaque, ſicut Nobis innotuit, dudum bonę memorię Raymundus, dicti Ordinis Magiſter Generalis, zelo pię devotionis accenſus, cupiens Regularem obſervantiam ipſius Ordinis ſecundum Inſtituta B. Dominici, & juxta tenorem Conſtitutionum ejuſdem Ordinis, integraliter obſervari, nonnulla ſalubria ordinationes, & ſtatuta pro reformatione regulari, & diſciplina ipſius Ordinis, etiam circa clauſuram Monaſteriorum Monialium ſub cura veſtra viventium, duxerit edenda, quę omnia per nos fuerunt auctoritate Apoſtolica confirmata: Nos hujuſmodi tam pium, tamque commendabile, atque Deo gratum opus Reformationis hujuſmodi ſic perinde (4), ſicque laudabiliter inchoatum, & in diverſis locis feliciter continuatum, ejuſque optatam perfectionem, pręcipuis deſideriis affectantes, vobis omnibus & ſingulis, necnon Magiſtro per vos eligendo (5), ac univerſis & ſingulis Prioribus Provincialibus, & aliis Pręſidentibus prefati Ordinis tam pręſentibus, quam futuris, & etiam quibuslibet Fratribus dicti Ordinis cujuſcunque ſtatus, dignitatis, gradus, ordinis, vel conditionis extiterint, veſtriſque, & eorum Capitulo in feſto Pentecoſtes (6) proxime futuro in poſterum celebrando, diſtricte vobis auctoritate prędicta, tenore pręſentium, inhibemus, ne in prędicto Capitulo publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quęſito colore, nunc, vel in futurum, contra hujuſmodi opus Reformationis aliquid attentare, aut quo ejus executio impediri, ſeu retardari poſſit, quidquam immutare, ſeu innovare, aut perſonas, Conſtitutiones prędictas obſervantes, in aliquo contra Conſtitutiones dicti Ordinis moleſtare pręſumatis, aut pręſumant, vobis, & eiſdem Magiſtro, Prioribus Provincialibus, & aliis Pręſidentibus, nihilominus diſtricte pręcipiendo, mandantes, quatenus omnia & ſingula pro hujuſmodi reformatione, etiam circa Clauſuram Monaſteriorum prędictorum, ſtatuta, & ordinata permittatis in ſuo robore inviolabiliter permanere: Sic igitur in pręmiſſis vos diligentes exhibeatis, & etiam ſtudioſos, quod apud Nos & Sedem Apoſtolicam de obedientię promptitudine merito valeatis commendari. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Mandat ut ſupra.

1. *Raymundus*.) Vide *Conſtitutionem X Bonifatii IX.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXII fol.* 272.
3. *Celebrandi*.) Utini, in *Foro-Julii* Provincia. Ditionis eſt *Venetæ* Reipublicæ.
4. *Perinde*.) Fortaſſis: *Provide*.
5. *Eligendo*.) F. *Thomas de Firmo* electus fuit in hoc Capitulo.
6. *Pentecoſtes*.) Fuit hoc anno Pentecoſtes XXII Maii, Numerus enim aureus erat XV, Litera Dominicalis B. Paſcha fuerat die III Aprilis. Hinc emendandus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 18. *Indicis Capitulor. General. Col. II*, ubi hoc Capitulum *Utinenſe* Die *XIV* Maii celebratum docet.

Anno 1401 Die 13 Aprilis.

Cœnobii Tielen. (1) Ordinis Fratrum Prædicatorum fundandi facultas.

Ex F. Bernardo de Jongbe in Batavia deſolata pag. 140.

CLXXIV.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Conrado de Pruſſia Vicario domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Trajectenſis, ipſiſque Fratribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, in his pręſertim, per quę divinus cultus augeri, & veſtra Religio propagari valeat, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio, pro parte Venerabilis Fratris noſtri Frederici Epiſcopi Trajectenſis, & dilecti filii nobilis viri Wilhelmi Ducis Geldrię, ac veſtra, Nobis *Supplex petitio.* nuper exhibita, continebat, quod idem Dux de propria ſalute recogitans, & cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, pro augmento divini cultus, & ex ſpeciali devotione, quam ad Ordinem veſtrum gerit, Capellam Beatę Marię Virginis extra muros Tielę, Trajectenſis Dięceſis, quę olim per progenitores ipſius Ducis fundata & conſtructa, ac dotata fuit, cujuſque idem Dux juſpatronatus habet, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, de conſenſu dicti Epiſcopi vobis libere, & ſponte donavit. Cum autem vos, ſicut eadem petitio ſubjungebat, apud Capellam ipſam, quę ſine cura eſt, unam domum cum cęmeterio, domibus, dormitorio, clauſtro, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione unius Prioris & triginta Fratrum veſtri Ordinis, inibi Domino perpetuo ſervituroruin, de eleemoſynis vobis per Chriſti fideles faciendis de novo conſtruere, ac ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari facere cupiatis, ſi ad id licentia Apoſtolicę Sedis accedat, pro Epiſcopi, & Ducis prędictorum, ac veſtra parte, fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis faciendi pręmiſſa, & domum hujuſmodi recipiendi, & perpetuo retinendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igi- *Facultas.* tur, qui cultus hujuſmodi augmentum noſtris temporibus intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis apud capellam prędictam, dummodo locus ſit ad hoc congruus, & honeſtus, fundandi, & conſtruendi domum hujuſmodi cum cęmeterio, domibus, dormitorio, clauſtro, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, vobiſque domum hujuſmodi, poſtquam per vos fundata, & conſtructa fuerit, ut pręfertur, recipiendi, & perpetuo retinendi, Dięceſani loci, vel cujuſvis alterius ſuper hoc licentia minime requiſita, fel. rec. Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, quę prohibet, ne Fratres Ordinis mendicantium in aliquibus civitate, caſtro, ſeu villa loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque &c. Dat. Romę apud Sanctum Petrum Idibus Aprilis, Pontificatus ooſtri Anno Duodecimo.

1. *Tielen.*) Vulgo *Tiele*, & *Tiel*, in *Germania inferiori*. Conſulendus *F. Bernardus de Jongbe* loco laudato.

Anno 1401 Die 1 Maii.

Abrogat (1) Diplomata Electores Magiſtri Generalis illis qui Clementis VII partes tutati erant ſubrogantia.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Prioribus Provincialibus, & Electoribus immediate futuri Magiſtri Generalis, ceteriſque Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum de Monte-Policiano, Salutem, & Apoſtolicam Beoedictiooem.

PIis & honeſtis ſupplicum votis &c (3). Datum Romę apud S. Petrum Kalendis Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Abrogat.*) Conſule *Conſtitutionem CLXIX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIII fol.* 103.

3. *Votis &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox laudata ad finem uſque.

Anno 1401 Die 1 Maii.

F. Johanni Waley Ordinis Prædicatorum, ut, quoad vixerit, Monaſterii Wedderſteden. (1) curam gerat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Waley, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Beoedictionem.

Exordium. ROmani Pontificis prudentia circumſpecta Eccleſiis, & Monaſteriis univerſis, ne in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta ſuſtineant, & ut gubernatorum utilium fulciantur pręſidio, diligenter proſpicit, & intendit, prout, locorum & temporum qualitate penſata, ſalubriter noverit expedire. Du- *Hujus Diplomatis cauſa.* dum ſiquidem pro parte dilecti filii Sanderi de Bronſwick, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Nobis expoſito, quod cum olim Monaſterium Monialium in Wedderſtede Ordinis S. Auguſtini, Alberſtaden. Dięceſis, ſub cura & ſecundum Inſtituta dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, ad tan-

Digitized by Google

tantam paupertatem & deſolationem deveniſſet, quod ędificia, & ſtructurę, necnon ſepta ipſius Monaſterii in magna parte collapſa forent, adeo quod in habitationibus dicti Monaſterii urticę, & alię inutiles herbę creſcerent, ac feris, & beſtiis nocte, dieque ad ipſum Monaſterium propter ejus deſolationem hujuſmodi, pateret introitus, & acceſſus, & propterea nonnulli nobiles partium illarum filias & eorum conſanguineas in dicto Monaſterio Deo dicatas, de ipſo Monaſterio, ne inibi propter hujuſmodi deſolationem, & paupertatem, fame & ſiti perirent, extrahere propoſuiſſent, prędatus Sanderus tunc Prior Conventualis dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum in oppido Bronswick prędictę Dięceſis exiſtens, ad quorundam fide dignorum virorum inſtantiam, curam & adminiſtrationem dicti Monaſterii, cui unus ex Fratribus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore pręeſſe, & ad nutum Superiorum ſuorum deponi, & removeri conſuevit, duxerat aſſumendum, dictumque Monaſterium diligenti opera, & ſuis laboribus, & induſtria, necnon propter ſubventionem parentum, & conſanguineorum, ac amicorum ſuorum ſucceſſive relevans ędificia, ſtructuras, & ſepta hujuſmodi, necnon Eccleſiam, campanilia ipſius Monaſterii in muris, tectis, parietibus, prout collapſa fuerant, renovaverat, & reparaverat, ipſum Monaſterium in divino cultu & ornamentis ampliaverat, & ad honeſtum ſtatum reduxerat, agros quoque, villas, decimas, proprietates, & annuos redditus eidem Monaſterio emerat, & procuraverat, dictumque Monaſterium per viginti tres annos continue rexerat, prout tunc regebat, quodque idem Sanderus ſeptuagenarius, vel quaſi, exiſtebat & cupiebat eidem Monaſterio ulterius, quoad viveret, pręeſſe, necnon agros, villas, decimas, proprietates, & redditus, ac alia bona hujuſmodi per ipſum Sanderum acquiſita, & in poſterum acquirenda eidem Monaſterio in parte, vel in toto, prout ipſe Sanderus id duceret ordinandum, remanere; Nos prętatum Sanderum ab omni juriſdictione, & poteſtate, quorumcumque ſuorum & dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum Superiorum exemimus, & totaliter liberavimus, ſibique, ut eidem Monaſterio, quoad viveret, alias tamen ſecundum Inſtituta & conſuetudines Monaſterii, & Ordinis Prędicatorum, ut prętertur, pręeſſe libere valeret, & quod per Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum pro tempore exiſtentem, vel quemcunque alium ab eodem Monaſterio, & ejus cura, & gubernatione hujuſmodi revocari, vel amoveri, aut per eos, prętmiſſorum occaſione, moleſtari minime poſſet, aut deberet, auctoritate Apoſtolica per alias noſtras literas gratioſe duximus indulgendum, prout in dictis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper petitio pro parte dicti Sanderi continebat, idem Sanderus, qui prętato Monaſterio hactenus laudabiliter pręfuit, ad pręſens adeo ſenio ſit confractus, quod regimini & adminiſtrationi bonorum dicti Monaſterii, prout pro utilitate & neceſſitate ipſius Monaſterii expediret, ac prout vellet, & deberet, pręeſſe non poteſt, Nos, attendentes temporis, & nonnullorum, qui ſuis limitibus non contenti ad bona & jura Eccleſiaſtica occupanda aſpirant, malitiam, dictoque Monaſterio, ne in ſuis lędatur juribus, & propter prętmiſſa in ſpiritualibus, & temporalibus detrimenta ſuſtineat, ſed ut feliciter gubernetur, & pręſervetur a noxiis, de adminiſtratore ſecundum cor noſtrum idoneo, per quem circumſpecte regi, & ſalubriter dirigi valeat, providere cupientes, prędicti etiam Sanderi Nobis pro te hoc etiam humiliter ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, te coadjutorem ipſius Sanderi, ac directorem, & adminiſtratorem dicti Monaſterii, ejuſque bonorum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, conſtituimus, & ordinamus; tibi hujuſmodi coadjutorię, & adminiſtrationis officium, in ſpiritualibus & temporalibus exercendum, plenarie committentes, & etiam concedentes, ita quod de cetero, quoad vixeris, de ipſo Monaſterio, ac ejus bonis pro utilitate ejuſdem Monaſterii diſponere, & ordinare valeas, ſicuti prętatus Sanderus de illis diſponere potuit, & debuit, alienatione tamen bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium, ipſius Monaſterii tibi penitus interdicta, volentes, & eadem tibi auctoritate concedentes, quod omnibus & ſingulis privilegiis, exemptionibus, & libertatibus, ac aliis gratiis eidem Sandero conceſſis, & in prętatis literis contentis, quoad vixeris, & prętato Monaſterio pręfueris, ut prętertur, uti, & gaudere libere, & licite poſſis, & debeas, ac ſi ea tibi ſpecialiter conceſſiſſemus. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinum prędictorum, gratiis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia &c. non obſtantibus. Quo circa diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus circa prędicti Monaſterii adminiſtrationem, & regimen, ſic te exhibeas ſtudioſum, quod Monaſterium ipſum, divina tibi favente clementia, ſub adminiſtratione tua provida votivis continue in ſpiritualibus & temporalibus amplietur commodis, & ſalubribus proficiat incrementis, Noſque tuę diligentię ſtudium fructuoſum dignis propterea poſſimus in Domino laudibus commendare. Dat. Romę apud Sanctum Petrum Kalen. Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Mandat ut ſupra.

Clauſula derogans.

1. *Wedderſtedenſis.*) Legenda *Conſtitutio CII data VII Maii MCCCXCVIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIII fol. 99.*

Firmat delegatam juriſdictionem Huberto (1) Hippuſenſi Epiſcopo in Monaſterium de Wiſck (2) datam a Provinciali Saxoniæ.

Anno 1401 Die 17 Maii.

Ex Arch. (3) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CLXXVII.

Exordium.

HIs, quę pro ſtatu & tranquillitate Monaſteriorum, & aliorum piorum locorum, & perſonarum in eis Altiſſimo famulantium, provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, cum a Nobis requiritur, Apoſtolici muniminis adiicimus firmitatem. Sane ſiquidem pro parte venerabilis Fratris noſtri Huberti Epiſcopi Hippuſen., Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, venerabilis Fratris noſtri Friderici Epiſcopi Treviren. (4) in Pontificalibus Vicarii generalis, nuper exhibita petitio continebat, quod olim dilectus filius Johannes Berchen, ejuſdem Ordinis, Sacrę Theologię Profeſſor, & per Provinciam Saxonię Prior Pro-

Hubertus Hippuſenſis Epiſcopus Monaſterio de Wyck a Provinciali Saxoniæ præficitur.

Provincialis, attendens, quod propter varia Ordinis, & Provincię prędictorum negotia, quibus prępeditus, e Monaſterio Monialium de Wyck, Trajecten. Diœceſis, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura & Regula Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, quod noviter fundatum, & conſtructum exiſtit, ex ipſi incumbentibus curis, nonnunquam abeſſe oportebat, volens eidem Monaſterio, & Monialibus ſuper hoc ſalubriter providere, prętato Huberto Epiſcopo ſuper hujuſmodi Monaſterium & Moniales in ſpiritualibus, & temporalibus, in capitibus, & in membris, in maximis, mediis, & minimis, in quantum ſibi licebat, commiſit per ſuas literas plenarie vices ſuas, cum libera facultate viſitandi, corrigendi, reformandi, ordinandi, abſolvendi, confirmandi, inſtituendi Confeſſores, alioſque officiales deſtituendi, ac omnia alia & ſingula circa bonam diſpoſitionem Religionis in dicto Monaſterio pro tempore occurrantia, quoties eidem Huberto expediens videretur, faciendi, quę ipſe Johannes poſſet, ſi pręſens adeſſet, etiamſi mandato ſpeciali, & ſpecialiſſimo indigerent, pręcipiens omnibus & ſingulis Monialibus dicti Monaſterii, pręſentibus, & futuris, ut eidem Huberto Epiſcopo tanquam ſibi parerent, & intenderent, etiam volens, quod aliquis inferior, vel quicunque Commiſſarius in eodem Ordine datus, vel dandus, de diſpoſitione, & pręſidentia dicti Monaſterii tempore ipſius Huberti Epiſcopi nullatenus ſe intromitteret, & ſi contrarium fieri contingeret, irritum eſſet penitus, & inane: ſibi, & Magiſtro Ordinis, eorumque Succeſſoribus, cum illum, vel illos, in ipſo Monaſterio pręſentem, vel pręſentes eſſe, contingeret, jure viſitandi, & alia prędicta faciendi, in omnibus ſemper ſalvo, prout in quibuſdam authenticis literis, ſigilli Provincialatus ipſius Johannis Provincialis appenſione munitis, quarum tenorem pręſentibus haberi volumus

Confirmatio. pro ſufficienter expreſſo, plenius continetur. Quare pro parte ipſius Huberti Epiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum ut pręmiſſis Apoſtolici muniminis robur adiicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, pręfatas literas & contenta in eis rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in iiſdem. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, & communitionis infringere &c. ſi quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVI Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Huberto.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Urbani VI.*

2. *Wyck.*) *Prope Duerſtede*, ut in alio Diplomate legitur.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIV fol.* 250.

4. *Treviren.*) Legerem: *Trajecten.*, ut in *Appendice* mox laudata notatum fuit.

Anno 1401 Die 8 Junii.

Ædes ſacras Monaſterii Wratislavienſis (1) viſitantibus Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXVIII Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Monialium S. Catharinę Wratislavien., ſub cura & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad ipſius conſer-

Indulgentia. vationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c., qui in vigilis, ac per totam diem Aſſumptionis B. Marię Virginis incluſive pręfatam Eccleſiam, ac Altare S. Annę in eadem Eccleſia ſituatum devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem hujuſmodi Eccleſię & Altaris manus adjutrices porrexerint, Indulgentiam illam, & remiſſionem peccatorum, Apoſtolica auctoritate concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti quomodolibet conſequuntur; volumus autem quod quicquid pręfatis duobus diebus ſupra dictum Altare a Chriſti fidelibus offerri contigerit, illud totum eidem Altari cedere debeat, pro divini Cultus augmento & totaliter converti in utilitatem Altaris hujuſmodi. Pręſentibus futuris temporibus duraturis. Dat. Romę apud S. Petrum VI Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Wratislavienſis.*) Vulgo *Breslavv*. Provincialis *Bohemia* juris eſt.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVIII fol.* 220.

Anno 1401 Die 29 Junii.

Ædes ſacras Cœnobii Budovicenſis (1) viſitantibus Indulgentias impertitur, & ut poſſint abſolvi, Wratislavienſem Epiſcopum, & Priorem Budovicenſem delegat, qui Confeſſores conſtituant.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXIX. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUm pręcelſa meritorum inſignia, quibus Regina cęlorum Virgo Dei Genitrix &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii S. Marię in Budweiſs, Ordinis Prędicatorum, Pragen. Diœceſis, con-

Indulgentia. gruis honoribus frequentetur & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus conſervationem, & reparationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentia Dei

Facultas abſolvendi.

Dei &c. qui a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas Nativitatis ejuſdem Marię Virginis, & per octo dies eandem feſtivitatem immediate ſequentes, dictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam & remiſſionem peccatorum concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti annis ſingulis quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut fideles ipſi ad dictam Eccleſiam S. Marię in feſto, & octo diebus ſequentibus hujuſmodi confluentes conſcientię pacem, & animarum ſalutem Deo propitio uberius conſequantur, ac Indulgentię hujuſmodi participes efficiantur, venerabili Fratri Epiſcopo Uradislavien. (4), & dilecto filio Priori ejuſdem Monaſterii, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, ut octo, vel plures Sacerdotes idoneos Seculares, & Regulares annis ſingulis deputare, & eligere poſſint, qui Confeſſiones omnium, & ſingulorum Chriſti fidelium in feſto, & octo diebus ſequentibus prędictis, ad Eccleſiam ipſam cauſa hujuſmodi Indulgentię aſſequendę confluentium, & eis confiteri volentium, eadem auctoritate audire, & eorum Confeſſionibus diligenter auditis pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere, ac injungere pro modo culpę penitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, libere, & licite poſſint, auctoritate prędicta, de uberioris dono gratię tenore pręſentium indulgemus. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Volumus autem, quod omnes oblationes, & emolumenta, quę ad eandem Eccleſiam cauſa hujuſmodi viſitationis, & Indulgentię, Deo dante, pro tempore provenerint, in fabricam, reparationem, & conſervationem ejuſdem Eccleſię penitus convertantur, ac de uberioris dono gratię concedentes, quod ſi forſan tales Indulgentię per Nos, vel Sedem Apoſtolicam in genere vel in ſpecie revocarentur, vel caſſarentur, vel quomodolibet annullarentur, quod tales revocationes, ſeu caſſationes nullatenus quoad pręſentes noſtras literas ſubintelligantur, ſed in ſuo robore firmitatis volumus permanere. Dat. Romę apud S. Petrum III Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Budovicenſis.*) Vulgo *Budoveiſſ*, in *Bohemia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXX fol.* 114.
3. *Dei Genitrix &c.*) Ut in *Conſtitutione XCVIII Bonifatii IX.*
4. *Vradislavien.*) *Wratislavien.*

Anno 1401 Die 1 Julii.

Hamburgenſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantibus Indulgentias elargitur, & Priorem delegat, qui Sacerdotes eligat ad eos abſolvendum.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentię.

Facultas abſolvendi.

Cupientes igitur, ut Eccleſia Conventus Fratrum Ordinis Prędicatorum Hambourg, Bremen. Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ipſius conſervationem promptius manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui ad eandem Eccleſiam in feſtivitatibus Sanctorum Johannis Baptiſtę, & Johannis Evangeliſtę, ac Thomę de Aquino Confeſſoris, & per ſeptem dies dictam feſtivitatem S. Thomę immediate ſequentes, devote viſitaverint annuatim, ac ad hujuſmodi conſervationem manus porrexerint adjutrices, illas Indulgentias, & peccatorum remiſſiones, tenore pręſentium concedimus, quas viſitantes Eccleſiam Conventus Fratrum dicti Ordinis in oppido Wiſmar (3), Razeburgen. Dięceſis, in feſtivitatibus BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, & Dedicationis ipſius Eccleſię annuatim quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus, ut fideles ipſi in dictis feſtivitatibus Sanctorum Johannis Baptiſtę & Evangeliſtę, ac Thomę, & per ſeptem dies feſtum S. Thomę prędicti immediate ſequentes ad Eccleſiam Conventus in oppido Hambourg prędicto confluentes, conſcientię pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, uberius conſequantur, & Indulgentiarum hujuſmodi participes efficiantur, octo Presbyteris ſecularibus, vel Religioſis, ad hoc idoneis, per dilectos filios pro tempore exiſtentes, & Conventum in dicto oppido Hambourg ad hoc eligendis, ut ipſi Confeſſiones omnium & ſingulorum fidelium cauſa hujuſmodi Indulgentiarum conſequendarum ad hujuſmodi Eccleſiam confluentium, ut pręfertur, in ipſis feſtivitatibus, & per ſeptem dies feſtum dicti Beati Thomę immediate ſequentes, auctoritate Apoſtolica audire, & Confeſſionibus ipſorum diligenter auditis pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpę penitentiam ſalutarem, niſi talia fuerint, propter quę ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda, prędicta auctoritate de uberioris dono gratię tenore pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Hamburgenſis.*) Vulgo *Hambourg*, in *Holſatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXX fol.* 142.
3. *Wiſmar.*) Conſulenda *Conſtitutio CXXXIV.*

Anno 1401 Die 1 Julii.

Ripenſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantes Indulgentiis donat, & Priorem delegat, qui Sacerdotes præficiat ad eos abſolvendum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ. Cupientes igitur, quod Eccleſia Monaſterii S. Catharinę Virginis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Ripen. Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in die Dominica Sanctę Trinitatis, & per ſeptem dies immediate ſequentes, eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem ipſius manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedimus, quam Eccleſiam S. Marci, Caſtellan. Diœceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur. Per hoc autem nolumus, nec intendimus, aliis Indulgentiis per Nos hujuſmodi Eccleſiam viſitantibus, aut ad ejus fabricam, ſeu reparationem manus adjutrices, vel alias inibi, pias eleemoſynas erogantibus per Nos conceſſis aliquatenus derogare. Et nihilominus, ut fideles ipſi Indulgentias hujuſmodi uberius conſequantur, Facultas abſolvendi. Priori dicti Monaſterii pro tempore exiſtenti, ut octo Sacerdotes idoneos Religioſos, vel Seculares, eligere valeat, ac etiam deputare, qui Confeſſiones omnium, & ſingulorum Chriſti fidelium ad Eccleſiam hujuſmodi Monaſterii confluentium cauſa hujuſmodi Indulgentię conſequendę, & eis confiteri volentium, audire, & Confeſſionibus eorum diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpę pœnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate prędicta tenore pręſentium concedimus facultatem. Sanctio pœnalis. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Ripenſis*.) In *Dania*. Licet enim ejuſdem nominis ſeptem circiter ſint Civitates vel oppida, de *Ripenſi* tamen *Dania* Urbe loqui Diploma, ex eo liquet, quod per id tempus illa duntaxat Epiſcopalis erat.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro* CXXX *fol.* 267.

Anno 1401 Die 11 Julii.

F. Nicolaum (1) creat Epiſcopum Accienſem.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Trancora Electo Accien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Suſcepti cura regiminis cor noſtrum pulſat inſtantia, ut ſolicitudinis debitum, ad quod univerſis Orbis Eccleſiis Nos Apoſtolicę ſervitutis neceſſitas obligat, earum ſingulis, prout Nobis ex alto conceditur, exſolvamus, in eo potiſſime, ut illarum regimina, quę propriis ſunt deſtitutę Paſtoribus, perſonis talibus committantur, per quarum ſolertiam circumſpectam, & ſolertem circumſpectionem, Eccleſię ipſę in ſpiritualibus, & temporalibus valeant adaugeri. Dudum ſiquidem bonę memorię Petro Epiſcopo Accien. regimini Accien. Eccleſię prędidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem, & idoneam prędidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, F. Nicolaus Petro ſuccedit. & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Petri Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum meritis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, ipſi Accien. Eccleſię, de prędictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem illius tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod eadem Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam, ſub tuo felici regimine, dextera Domini aſſiſtente propitia, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem temporalibus, & ſpiritualibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, ut Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori, gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retri-

retributionis pręmium, Noſtram, & Apoſtolicę Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod quam primum pręſentes literas habueris expeditas, ad pręfatam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra Civitatem, & Diœceſim Accien. Pontificalia nequeas exercere. Dat. Romę apud Sanctum Petrum V Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Nicolaum.*) De quo in *Appendice ad praſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXI fol. 275.*

F. Vincentio (1) Ulyſſipponenſi in hæreticos.

Anno 1401 Die 14 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Vincentio de Ulixbona, Ordinis Fratrum Pręedicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXXIII.

Inter ſolicitudines varias, quę noſtris humeris inceſſanter incumbunt, illa potiſſime urget & excitat mentem noſtram, ut per noſtrę operationis miniſterium de vines Domini Sabaoth, cujus Nobis, licet immeritis, eſt cura commiſſa, heretici, qui velut vulpeculę inter ſarmenta latentes, eam conantur multipliciter demoliri, penitus extirpentur, fideſque catholica, eradicatis protinus cunctis erroribus, proſperetur fortius, & amplius dilatetur, taleſque ad id peragendum cupimus deputare perſonas, quarum honeſta converſatio exemplum prębeat puritatis, & erudita labia doctrinam prębeant ſalutarem. Hinc eſt, quod Nos, cupientes adverſus peſtem hujuſmodi ſalubriter providere, & ſperantes, quod cum in ſacra Pagina magiſter exiſtis, & quem dudum in Hiſpanię, Portugallię, & Algarbii Regnis hujuſmodi pravitatis Inquiſitorem deputavimus, ipſiuſque Inquiſitionis officium in hujuſmodi Regnis laudabiliter exercuiſti, prout exerces ad pręſens, ſcies, & poteris per tuę diligentię & ſolicitudinis ſtudium etiam de tota Provincia Hiſpanię hujuſmodi labem extirpare, te Inquiſitorem hereticę pravitatis etiam in eadem Provincia, auctoritate Apoſtolica, conſtituimus, & etiam deputamus; diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandantes, tibique in remiſſionem peccaminum diſtrictius injungentes, quatenus in Regnis & Provincia prędictis, omni timore poſtpoſito, prędictum Inquiſitionis officium, prout hucuſque illud in Regnis prędictis exercuiſti, ut pręfertur, & tanti negotii qualitas exigit, ſub ſpe mercedis ęternę, ſic efficaciter proſequi, & exequi ſtudeas diligenter, ut per tuę ſolicitudinis providentiam herbę, arbores, lapides, altaria, & alia ad Idololatriam pertinentia, atque radix pravitatis ejuſdem exinde penitus evellantur, & dicta vinea, exterminatis eiſdem vulpeculis, fructus afferat catholicę puritatis; in hujuſmodi negotio procedens tam ſecundum indulgentias & privilegia, tam ſpecialia, quam generalia Bononię, Lombardię, Aragonię, & Toloſę, ac in quibuſcunque Provinciis, Regnis, & Civitatibus Inquiſitoribus hujuſmodi, auctoritate prędicta, deputatis, ſeu officio Inquiſitionis ejuſdem ab eadem Sede conceſſa, quam ſecundum canonicas Sanctiones. Per hujuſmodi autem deputationem de perſona tua in hujuſmodi Inquiſitionis officio per Nos factam locorum Ordinariis, & aliis Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem in illis partibus Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate canonice deputatis, quo minus & ipſi hujuſmodi inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout volunt prędictę canonicę ſanctiones, exercere valeant, necnon prędictis, vel aliis quibuſcunque privilegiis, ſi qua ſint eis a dicta Sede conceſſa, nullum volumus pręjudicium generari; quodque quotieſcunque hujuſmodi Inquiſitionis officio te vacare contigerit, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, ceterique locorum Ordinarii, tibi, pro te, tuiſque familiaribus, neceſſarias expenſas facere teneantur, tibi nihilominus de uberioris dono gratię concedentes, quod in dictis Regnis, & Provincia inter Schiſmaticos, & hereticos hujuſmodi ubilibet locorum converſari, & coram ipſis Miſſas, & alia divina officia celebrare valeas, quodque ab hujuſmodi Inquiſitionis officio per quemcunque tui Ordinis Superiorem, aut quemvis alium nequaquam amoveri valeas, niſi a Nobis ſuper hoc ſpecialiter habuerint in mandatis, non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus, ordinationibus, privilegiis, & indultis Apoſtolicis, generalibus vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, tu ab hujuſmodi officio valeas per quemcunque aliqualiter amoveri, ſeu tuę juriſdictionis explicatio in hac parte impediri valeat quomodolibet, vel differri, quibuſque pro te hac vice duntaxat volumus ex certa ſcientia derogare, & aliis contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Exordium.

Mandatum.

1. *Vincentio.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCI pag. 748.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVIII fol. 207.*

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Sancti Miniatis (1).

Anno 1401 Die 17 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXXIV.

Cupientes igitur, ut Capella in honorem & ſub vocabulo Nativitatis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Beati Urbani conſtructa, & fundata, ſita in Eccleſia Fratrum Prędicatorum de Sancto Miniate, Lucan. Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Capellam, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutri-

Indulgentia.

adiutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię conſpexerint uberios ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia &c. qui in vigiliis, & feſtis Nativitatis, & Aſcenſionis ejuſdem Domini noſtri Jeſu Chriſti cum duobus diebus ſequentibus, necnon in feſtivitate dicti Beati Urbani, Capellam ipſam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem manus porrexerint adjutrices tres Annos & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Dat. Romę apud S. Petrum XVI Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Sancti Miniatis*,) In Hetruria.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVI ſol.* 271.

Anno 1401 Die 18 Julii.

F. Blaſium (1) de Zagabria Danenſem Epiſcopum conſtituit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

CLXXXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Blaſio de Zagabria Electo Danen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

F. Blaſius Johanni ſuccedit.

Apoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Danen. ex eo vacante, quod Nos hodie venerabilem Fratrem noſtrum Johannem, tunc Danen. Epiſcopum, a vinculo, quo ipſi Danen. Eccleſię, cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Civitaten. tunc Paſtore carentem auctoritate Apoſtolica duximus transferendum, pręficiendo ipſum dictę Civitaten. Eccleſię in Epiſcopum, & Paſtorem, Nos ad proviſionem ejuſdem Danen. Eccleſię celerem, & felicem, ne longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Danen. Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, ac aliis multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Danen. Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Danen. Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod dicta Danen. Eccleſia ſub tuo felici regimine, gratia tibi aſſiſtente divina, ſalubriter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quam primum literas Apoſtolicas ſuper proviſione hujuſmodi expeditas habueris, ad ipſam Danen. Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra tuas Civitatem, & Diœceſim Pontificalis officia nequeas exercere. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictę Danen. Eccleſię ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud Sanctum Petrum XV Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Blaſium*.) De quo in *Appendice ad pręſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXI ſol.* 263.

Anno 1401 Die 16 Auguſti.

Munus Inquiſitoris prorogat F. Dominico (1) de Stelleopardis de Afragola.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Stelleopardis de Afragola, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Sacrę Paginę profeſſori, in Regno Sicilię citra & ultra Pharum, ſecundum morem dicti Ordinis, ac in Civitate noſtra Beneventan., & ejus diſtrictu Inquiſitori hęreticę pravitatis, per Sedem Apoſtolicam deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Ad ea, quę pro catholicę fidei fervore provide facta ſunt, libenter intendimus, & eis, ut illibata conſiſtant, adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem fel. rec. Urbanus Papa Prędeceſſor noſter, ad perſonam tuam, quam Religionis, & fidei ſinceritate, morum honeſtate, ac literarum ſcientia, multarumque aliarum virtutum donis earum elargitor Dominus inſignivit, dirigens intuitum ſuę mentis, te, quem ex multarum notabilium perſonarum ſibi ſuper hoc facta relatione fideli ad officium Inquiſitionis hujuſmodi ſufficientem & idoneum reputavit, Inquiſitorem hęreticę pravitatis in Regno Sicilię citra & ultra Pharum, ac in Civitate noſtra Beneventan., ejuſque diſtrictu, uſque ad Apoſtolicę Sedis beneplacitum per ſuas literas auctoritate Apoſtolica deputavit, prout in iiſdem literis plenius continetur. Nos igitur, volentes te apud Nos de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtate, aliiſque probitatis ac virtutum meritis multipliciter commendatum, pręmiſſorum intuitu, favoribus proſequi gratioſis, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate ejuſdem Prędeceſſoris literas, necnon inſtitutionem, & deputationem

Confirmatio.

prędictas auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ex certa ſcientia confirmamus, & etiam approbamus, ac pre-

Digitized by Google

ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus; tibi nihilominus, ut officium hujuſmodi in Regno, & Civitate, ac diſtrictu prędictis poſſis libere & licite exercere, nec per Provincialem, vel Vicarium, aut Vicarium Generalem tui Ordinis, ſeu quoſcunque alios, quavis auctoritate ab hujuſmodi Inquiſitionis officio valeas amoveri, eadem auctoritate de uberioris dono gratię concedentes; Conſtitutionibus,& literis ſeu privilegiis Apoſtolicis Ordini, & Generali prędictis, ſub quacunque forma, vel verborum expreſſione conceſſis,etiamſi de illis,eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum eſſet mentio ſpecialis facienda,ac ſtatutis & conſuetudinibus ejuſdem Ordinis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, approbationis, communitionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVII Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo. *Sanctio poenalis.*

1. *Dominico.*) Legenda *Conſtitutio II Urbani VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXIII fol.252.*

Cœnobii Caramanicen. (1) Ordinis Prædicatorum fundandi facultas.

Anno 1401 Die 23 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Pennen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXXXVII.

SAcrę Religionis ſinceritas, in qua dilecti filii Magiſter Generalis, & Fratres Ordinis Prędicatorum ſub voluntarię paupertatis habitu militantes, & in humilitatis ſpiritu devotum ac ſedulum impendunt Domino famulatum, & vitę regularis, ſub qua degunt, honeſtas, merito Nos inducunt, ut ea, quę divini cultus augmentum, & ipſorum utilitatem, & dicti Ordinis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ipſis favorabiliter annuamus. *Exordium.* Sane petitio pro parte dilecti filii nobilis Viri Jacobi de Aquino (4) Laureti (5), & Satriani (6) Comitis Nobis nuper exhibita, continebat, quod ipſe, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis pro ipſius & progenitorum ſuorum animarum ſalute quandam Eccleſiam, ſeu locum, cum campanili, cęmeterio, campana, dormitorio, domibus, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in honorem & ſub vocabulo S. Thomę de Aquino pro Fratribus Ordinis Prędicatorum in Caſtro ſuo Caramanico, Theatin. (7) Diœceſis, de novo fundare, & conſtruere proponit; Quare pro parte dicti Jacobi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi hujuſmodi Eccleſiam ſeu locum cum campana, campanili, cęmeterio, dormitorio, domibus, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, in dicto Caſtro, in quo dicti Fratres locum, & habitationem nondum habent, fundandi, & conſtruendi licentiam concedere, & alias ſuper his de ſpeciali gratia ſalubriter providere dignaremur. *Fundatoris ſupplex petitio.* Nos igitur, qui divinum cultum, pręſertim noſtris temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę, de qua in his, & aliis fiduciam in Domino gerimus ſpecialem, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & ſi expedire videbitur, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, pręfato Jacobo, Eccleſiam, ſeu locum hujuſmodi cum campana, campanili, cęmeterio, dormitorio, domibus, hortalitiis, & aliis ſuis officinis in Caſtro prędicto, & loco competenti pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum de novo fundandi, & erigendi, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſcunque alterius alias in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam concedas auctoritate Apoſtolica facultatem. *Indulget ut ſupra.* Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri prohibente Eccleſias, Domus, vel loca quęcunque a Religioſis Mendicantibus de novo recipi, vel jam recepta mutari, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, ſeu ſi aliquibus conjunctim, vel diviſim, a prędicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & aliis Apoſtolicis conſtitutionibus contrariis non obſtantibus quibuſcunque; *Clauſula derogans.* Et nihilominus Fratribus ipſis qui pro tempore in eadem nova Eccleſia, ſive loco reſidebunt, auctoritate prędicta concedas, quod ipſi cum perſonis etiam in eadem ſecum pro tempore degentibus ad eorum officia neceſſariis, omnibus Privilegiis, indulgentiis, ac libertatibus, & immunitatibus, uti, & gaudere valeant, quibus alię ſive Eccleſię, ſive loca dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum de jure potiuntur & gaudent. Nos enim ex nunc irritum &c. Datum Romę apud S. Petrum X Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Caramanicen.*) Juris eſt Provinciæ *Aprutinæ.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXVII fol.219.*
3. *Pennen.*) In *Veſtinis.*
4. *Jacobi de Aquino.*) Oriundi ex illuſtriſſima familia Doctoris Angelici S. *Thomæ.* Hinc ejuſdem Sancti nomine *Caramanicenſe* Cœnobium inſignitur.
5. *Laureti.*) Non longe ab *Aquino* ſitum erat *Lauretanum* Caſtrum; caveas igitur, ne *Lauretum Piceni* cogites.
6. *Satriani.*) In *Baſilicata* Provincia, in limite *Principatus Citerioris* ſita erat Urbs *Satriana* nunc exciſa.
7. *Theatin.*) Vulgo *Chieti*, in *Aprutio Citeriori.*

In-

Anno 1401 Die 23 Auguſti.

CLXXXVIII.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Caramanicenſis (1).

Ex Arçhivo (2) *Ordinis.*

Booiſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. QUanto frequentius Chriſti fideles viventes ad opera pietatis Inducimus, tanto ſaluti animarum ipſorum ſalubrius providemus. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius nobilis vir Jacobus de Aquino, Laureti, & Satriani Comes, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de boois ſibi a Deo collatis, pro ipſius & progenitorum ſuorum animarum ſalute quoddam Monaſterium, ſive Oratorium, cum campanili, campana, cęmeterio, domibus, hortalitiis, & aiiis neceſſariis officinis, ad honorem, & ſub vocabulo S. Thomę de Aquino, In Caitro ſuo Caramanico, Theatin. Dięceſis, pro Fratribus Ordinis Pręedicatorum de novo ſundare & erigere, Illudque, cum Dei auxilio, dictorumque fidelium, perficere propnnat; optantes igitur ut Monaſterium, ſive Oratorium pręedictum laudabiliter ſundetur, & congrue erigatur, & in eo divinus cultus augmentetur, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente In Domino, in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, ut de bonis a Deo vobis collatis, pro ſundatione & erectione dicti Monaſterii pias eieemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram hujuſmodi idem Monaſterium commode fundari, & erigi valeat, voſque per hoc & aiia bona opera, quę, Domino Inſpirante, feceritis, ad ęternę poſſitis felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de Omnipotentia Dei miſericordia & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui In feſtivitate dicti S. Thomę a primis Veſperis uſque ad ſecuodas Veſperas ejuſdem feſtivitatis Indulget ut ſupra. Monaſterium Ipſum, cum erectum & fundatum fuerit, devote viſitaverint annuatim, & ad ejus erectionem, & conſervationem manus porrexerint adjutrices, illam Indulgeotiam & remiſſionem peccatorum concedimus, quam Eccieſiam B. Marię de Collimedio extra muros Aquilan. XXIX Die Menſis Auguſti in feſto Decollationis Sancti Johannis Baptiſtę annuatim viſitantes quomodolibet conſequuotur. Datum Romę apud S. Petrum X Kal. Septemb., Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Caramanicenſis.*) De quo in praecedenti Diplomate.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVII fol.* 218.

Anno 1401 Die 30 Auguſti.

CLXXXIX.

Droghedenſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſeotes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia B. Marię Magdalenę Domus Fratrum Ordinis Pręedicatorum in Droghda, Armachan. Dięceſis, a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut fideies ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad hujuſmodi conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrec- Indulgentia. tionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli pręfatorum, necnon S. Dominici, S. Thomę de Aquino, & S. Patritii Confeſſorum, ac S. Petri Martyris, Sanctę Marię Magdalenę, S. Catharinę, S. Birgittę, & Sichę (3) Virginum, ac Dedicationis Ipſius Eccleſię feſtivitatibus, & io celebritate omoium Sanctorum, & per Ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, necnon Nativitatis S. Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum pręfatorum feſtivitatum Octavas, & per Sex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes Immediate ſequentes, Eccleſiam pręfatam viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum & celebritatis ſeptem Annos & totidem quadragenas, octavarum vero, & ſex dierum pręfatorum diebus, quibus dictam Eccieſiam viſitaverint, ut pręfertur, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus: pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Datum Romę apud S. Petrum III Kal. Septemb., Pontificatus noſtri Aono Duodecimo.

1. *Droghedenſis.*) Conſulenda *Conſtitutio* data IV Decembris MCCCXCIX.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIV fol.* 193.

3. *Sicha.*) *Lucia.*

Wim-

Wimpinenſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantibus Indulgentias elargitur, &, ut abſolvantur, Priorem & Lectorem præficit, qui Confeſſores conſtituant.

Anno 1401 Die 9 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXC.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Ordinis Predicatorum Domus Wimpinen., Wormatien. (3) Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad Eccleſie, & Domus prefatarum conſervationem & fabricam manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratie uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in feſto SS. Apoſtolorum Simonis & Jude, & per ſeptem dies hujuſmodi immediate ſequentes, dictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem & fabricam hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum, perpetuo duraturam, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marie de Portiuncula, alias dictam de Angelis, extra muros Aſſiſinat. primo, & ſecundo diebus Menſis Auguſti annis ſingulis quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut Chriſti fideles ad eandem Eccleſiam cauſa hujuſmodi Indulgentie aſſequende confluentes, conſcientie pacem, & animarum ſalutem, Deo propitio, uberius, & quietius conſequantur, benignius agere volentes Priori, & Lectori, pro tempore exiſtentibus, ac octo, vel pluribus Fratribus Domus, vel Ordinis Predicatorum ad hoc idoneis per ipſos Priorem, & Lectorem pro tempore in Confeſſores eligendis, ut confeſſiones quarumcunque perſonarum ad ipſam Eccleſiam, ut prefertur, confluentium, audire, & ipſorum confeſſionibus diligenter auditis, debitam eis abſolutionem impendere valeant, ac injungere penitentiam ſalutarem hujuſmodi Indulgentia durante, niſi forſan talia fuerint, propter que ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda, auctoritate prefata, tenore preſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Rome apud S. Petrum V Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Facultas abſolvendi.

1. *Wimpinenſis.*) Vulgo *Wimpen.*, in *Germania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXVIII fol.* 176.
3. *Wormatien.*) *Vormacien.*, vulgo *Worms*, in *Germania*.

Cœnobii Catacen. (1) Ordinis Fratrum Prædicatorum fundandi facultas.

Anno 1401 Die 28 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Predicatorum Provincie Regni Sicilie ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcre Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis preſertim que divini cultus augmentum, veſtreque Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra, & dilecti filii nobilis viri Nicolai Comitis Catacen. petitio continebat, quod dictus Comes ex devotione quam ad Ordinem Fratrum Predicatorum geſſit, & gerit, ad laudem divini nominis, & in honorem & ſub vocabulo B. Dominici in Civitate Catacen. in loco Hoſpitalis S. Marie Annunciate unam Eccleſiam cum campanili, campana, cemeterio, & aliis neceſſariis officinis, de licentia venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Catacen. de bonis ſibi a Deo collatis, pro ſe, &, ſuorum animarum ſalute, ut in Eccleſia prefata per Fratres dicti Ordinis perpetuo in divinis deſerviatur conſtrui, & edificari fecit, illamque libris, paramentis, calicibus, & aliis ornamentis decenter juxta ipſius Eccleſie qualitatem, & quantitatem, fulcivit & decoravit; Quare pro parte veſtra, & dicti Comitis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut conſtructionem, & edificationem predictas, & alia inde ſecuta confirmare, vobiſque Eccleſiam prefatam recipiendi, & illam perpetuo retinendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui noſtris temporibus cultum divinum augeri, & Religionem ejuſdem propagari intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conſtructionem, & edificationem prefatas, & alia inde ſecuta rata habentes, & grata, illaque auctoritate Apoſtolica confirmamus, & preſentis ſcripti patrocinio communimus; Et nihilominus vobis Eccleſiam hujuſmodi recipiendi, & illam perpetuo retinendi, ac in eadem morandi, eadem auctoritate licentiam elargimur: jure tamen Parochialis Eccleſie & cujuſcunque alterius in omnibus ſemper ſalvo; fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Predeceſſoris noſtri, qua inhibetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro, ſeu Villa, Eccleſias, ſeu loca alia de novo recipere, ſeu recepta mutare preſumant, abſque Sedis Apoſtolice licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, quod Prior, & Fratres, qui in prefata Eccleſia pro tempore morabuntur, omnibus privilegiis, exemptionibus, libertatibus, & Immunitatibus gaudeant, quibus vos, & alii Fratres dicti Ordinis gaudent, ſeu etiam potiuntur. Nulli ergo &c. Datum Rome apud S. Petrum V Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Supplex petitio.

Indulget ut ſupra.

1. *Catacen.*) Vulgo *Catanzaro*, nunc Provincialis *Calabriæ* juris eſt Cœnobium *Catacenſe*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXII fol.* 180.

Anno 1401 Die 31 Octobris.

Sacras Ædes Sehuſenſis (1) Cœnobii, in quo Confraternitas Domini noſtri Jeſu Chriſti inſtituta eſt, viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie ſiquidem, pro parte dilectorum filiorum Confratrum Societatis, ſive Confraternitatis (3) Domini noſtri Jeſu Chriſti in Oppido Zeehuſen., Verden. (4) Diœceſis, Nobis expoſito, quod ipſi zelo devotionis accenſi, cupientes terrena in celeſtia, & tranſitoria in eterna felici commercio commutare, de bonis ipſis a Deo collatis, pro ſuarum & aliorum Chriſti fidelium ſalute, in Monaſterio Ordinis Fratrum Predicatorum in dicto oppido Altare unum ex Altaribus in Monaſterio ipſo fundatis jam, & erectis, eligendum in ſubventionem Frioris, Conventus, & Fratrum dicti Monaſterii, qui magna gravantur paupertate, fructibus, redditibus, & proventibus pro una Miſſa per dictos Fratres dicti Monaſterii, per Priorem, & Conventum prefatos ad hoc deputandos, ſingulis diebus ſummo mane, pro mercatoribus, peregrinis, & laboratoribus, ac aliis, cauſa devotionis intereſſe volentibus, in & ſuper Altare hujuſmodi celebranda, ſufficienter dotare proponebant; Nos per alias noſtras literas (5) Confratribus prefatis dotandi, ut predicitur, in dicto Monaſterio hujuſmodi Altare ſub certis modis plenam & liberam licentiam duximus concedendam, prout in literis ipſis plenius continetur. Cupientes igitur, ut hujuſmodi Altare poſtquam dotatum fuerit, ut prefertur, congruis honoribus frequentetur, & etiam in fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi augmentetur, & conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad illud, & ad augmentationem, & conſervationem hujuſmodi, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono celeſtis gratie uberius conſpexerint ſe refectos; de Omnipotentis Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanie, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes; necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beate Marie, necnon in Nativitatis B. Johannis Baptiſte & Apoſtolorum Petri & Pauli predictorum, ac in Dedicationis ipſius Altaris, & in Celebritate omnium Sanctorum, & per ipſarum Nativitatis, Epiphanie, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marie, necnon Nativitatis B. Johannis, & Apoſtolorum Fetri, & Pauli predictorum feſtivitatum octavas, & per Sex Dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, Altare prefatum, poſtquam dotatum fuerit, ut prefertur, viſitaverint annuatim, & ad augmentationem, & conſervationem fructuum, reddituum, & proventuum hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis quinque annos & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum predictorum, diebus, quibus Altare predictum devote viſitaverint, & manus porrexerint adjutrices, ut prefertur, centum dies de injunctis eis penitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Rome apud S. Petrum II Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Supplex petitio.

Indulgentia.

1. *Sehuſenſis.*) Iſtud inter Cœnobia Provinciæ *Saxoniæ* recenſet *Echard in Notitia Ordinis Tomo I Scriptor. Ordinis Prædicatorum*.

2. *Archivo.*) In quo Exenplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXVII fol.* 23. Exordium deeſſe videtur.

3. *Confraternitatis.*) Conſulendus *Tractatus Bullar. Tomo ultimo Tit. XV.*

4. *Verden.*) Vulgo *Ferden*, in *Saxonia inferiori*.

5. *Literas.*) Quæ deſiderantur.

Anno 1401 Die 23 Decembris.

F. Nicolaus (1) Poſſeck fit Epiſcopus Senaſcopulenſis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Poſſeck Electo Senaſcopulen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIvina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolice Sedis, ſpecula, licet immeriti, conſtituti, ad univerſas orbis Eccleſias aciem noſtre conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis perpenſius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores preficiantur idonei, & miniſtri providi deputentur, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam ſalubriter dirigant, & informent, ac bona ipſarum Eccleſiarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem bone memorie Gotho Epiſcopo Senaſcopulen, regimini Eccleſie Senaſcopulen. preſidente, Nos, cupientes ipſi Eccleſie. cum vacaret, per Apoſtolice Sedis providentiam, utilem, & idoneam preſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſie Ordinationi & diſpoſitioni noſtre duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero predicta Eccleſia per obitum predicti Gothi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide

Exordium.

F. Nicolaus Gotho ſuccedit.

ſide dignis relatibus intellecta, de perſona dilecti filii Bertoldi Voli, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, eidem Eccleſię auctoritate Apoſtolica duximus providendum, ipſum eidem Eccleſię pręficiendo in Epiſcopum, & Paſtorem. Cum autem poſtmodum idem Bertoldus ſuper hujuſmodi proviſione & prędectione de ſe factis literas Apoſtolicas infra tempus debitum, prout juxta quandam ordinationem ſuper hoc per nos factam tenebatur, fieri facere non curaverit, & propterea hujuſmodi proviſio, & prędectio viribus non ſubſiſtant, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędictum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum donis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus: teque illi pręficimus in Epiſcopum & paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum prędentes literas habueris expeditas ad prędictam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra Civitatem, & Dięceſim Senaſcopulen. Pontificalia officia nequeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

F. Bertoldus Voli Senaſcopulenſis Epiſcopus deſignatus.

F. Nicolaus in ipſius locum ſufficitur.

1. *Nicolaus.*) de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXI fol.273.*

F. Ottonem (1) Roder Epiſcopum Buduanenſem conſtituit:

Anno 1401 Die 23 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ottoni Roder Electo Buduanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa, in Apoſtolicę Sedis ſpecula; licet immeriti, conſtituti, ad univerſas orbis Eccleſias aciem noſtrę conſiderationis extendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus; ſed de illis perpenſius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores pręficiantur idonei, & miniſtri providi deputentur, qui commiſſos ſibi populos per ſuam circumſpectionem providam ſalubriter dirigant, & informent, ac bona ipſarum Eccleſiarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Buduanen. regimini Eccleſię Buduanen. prędidente; Nos cupientes ipſi Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prędidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum prędicti Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, de perſona dilecti filii Mathię de Alemania, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, eidem Eccleſię auctoritate Apoſtolica duximus providendum. Cum autem poſtmodum idem Mathias ſuper hujuſmodi proviſione, & prędectione de ſe factis literas Apoſtolicas infra tempus debitum, prout juxta quandam ordinationem ſuper hoc per Nos factam, tenebatur, fieri facere non curaverit, & propterea hujuſmodi proviſio, & prędectio juribus non ſubſiſtant, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędictum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſ-

Exordium.

Johannes F. Ottonis deceſſor.

F. Otto ſufficitur in locum F. Mathiæ Buduanenſis Epiſcopi deſignati.

proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus, ſuſcipiet incrementa. Volumus autem, quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas ad pręd ictam Eccleſiam accedas, & reſideas perſonaliter in eadem. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum X Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Ottonem.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXI fol.*363.

Anno 1401 Die 23 Decembris.

Holmienſis (1) Cœnobii Ædes ſacras viſitantibus Indulgentias elargitur, &, ut abſolvi poſſint, Priorem delegat, qui Confeſſores conſtituat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Oppidi Stokholmen., Upſalen. Dięceſis, in honorem & ſub vocabulo Beatorum Pauli Apoſtoli, & Martini Confeſſoris, ac S. Marię Magdalenę, fundata, aut etiam dedicata. & ſtructura ſolemni inchoata, decenter conſtruatur, & congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam & ad eius conſervationem, & fabricam, ac conſummationem, manus promptius porrigant adjutrices,
Indulgentia. quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Dominica quadrageſimę, in qua cantatur in Eccleſia Lętare, & in feſtivitate Sanctiſſimę & Individuę Trinitatis, a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas utriuſque Dominicę, & feſtivitatis prędictarum, & per duos dies ipſam feſtivitatem S. Trinitatis immediate ſequentes, eandem Eccleſiam devote viſitaverint, & ad conſervationem, & fabricam, & conſummationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet Dominicę, & feſtivitatis, ac dierum prędictorum, illam Indulgentiam, & remiſſionem omnium peccatorum, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, concedimus, quam viſitantes Eccleſiam B. Marię in Portiuncula, alias dictam de Angelis, extra Muros Aſſiſinat., primo & ſecundo diebus Menſis Auguſti annuatim viſitantes, prędicta auctoritate, quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus, ut Chriſti fideles ipſi ad dictam Eccleſiam in Dominica, & feſtivitate, ac diebus prędictis, ut prefertur, confluentes conſcientię pacem & animarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, benigne agere volentes, dilecto filio Priori dictę Domus, qui nunc eſt, & erit pro tempore, ac ſex, vel pluribus, & tot quot fuerint neceſſarii, ſeu etiam opportuni, aliis Presbyteris idoneis, vel Secularibus vel Re-
Facultas abſolvendi. ligioſis, per ipſum Priorem annuatim eligendis, ut ipſi Confeſſiones quarumcunque perſonarum Eccleſiam pręfatam in Dominica, ac feſtivitate, & diebus eiſdem cauſa hujuſmodi Indulgentię aſſequendę ſingulis annis viſitantium audire, & hujuſmodi Confeſſionibus diligenter auditis, perſonis eiſdem pro commiſſis debitam abſolutionem omnium peccatorum ſuorum impendere valeant, & injungere pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate pręfata de uberioris dono gratię concedimus per pręſentes. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Holmienſis.*) Vulgo *Stockolm*, & *Stockholm*, in *Suecia*, ubi *Upſalenſis* Diœceſis.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLII fol.*148.

Sacras Ædes Holmienſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat.

Anno 1401 Die 23 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Oppidi Sthokholmen., Upſalen. Dięceſis, in honorem & ſub vocabulo B. Pauli Apoſtoli, & Martini Confeſſoris, ac S. Marię Magdalenę fundata, aut etiam dedicata, & ſtructura ſolemni inchoata, decenter conſtruatur, & congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis, confluant ad eandem Eccleſiam, & ad eius conſervationem & fabricam ac conſummationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in
Indulgentiæ. Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annunciationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, ac Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Martini, ac S. Marię Magdalenę prędictorum, & in Converſione S. Pauli prędicti, necnon Sanctorum Dominici, ac Thomę de Aquino, ac Petri Martyris, ac Sanctę Brigittę Viduę, ac in Dedicationis ipſius Eccleſię feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcen-

Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, necnon Nativitatis S. Johannis, & Apoſtolorum Petri & Pauli, & Converſionis ipſius S. Pauli, & Martini, & Marię Magdalenę pręfatorum feſtivitatum Octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſtructionem, & fabricam hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis ſeptem Annos, & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum pręfatorum diebus quibus dictam Eccleſiam annuatim viſitaverint, & ad hujuſmodi conſervationem, & fabricam, ac conſummationem manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Romę apud S. Petrum X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Holmienſis.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLII. fol.* 148.

Koningenſis (1) Monaſterii ſacras Ædes viſitantibus Indulgentias impertitur, &, ut abſolvi poſſint, delegat Sacerdotes a Prioriſſa, & Monialibus deſignandos.

Anno 1401 Die 27 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia S. Martini, qui locus Sanctimonialium in Ordine Fratrum Prędicatorum propter Chriſtum viventium exiſtit in Koningia, Lincopen. Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in feſto Corporis Chriſti, & per Octavas ejuſdem, ac in feſto S. Martini Epiſcopi & Confeſſoris, a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas incluſive, dictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem, ſive fabricam, manus porrexerint adjutrices, viſitantibus, ut pręfertur, illam Indulgentiam & remiſſionem auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, quam viſitantes Eccleſiam Sancti Marci de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, in feſto Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ejuſdem feſti annuatim quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus, ut Chriſti fideles ad Eccleſiam pręfatam in feſtivitatibus & diebus, ut pręfertur, conſcientię pacem, & animarum ſuarum ſalutem, Deo propitio, conſequantur, & indulgentiis hujuſmodi propitius eſſe poſſint melius participes, benignius agere volentes, facultatem dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę & Conventui, ejuſdem Monaſterii pro tempore exiſtentibus ad eligendum Presbyteros idoneos Seculares, vel Religioſos, qui Confeſſiones omnium & ſingulorum Chriſti fidelium in eiſdem feſtivitatibus & diebus ad eandem Eccleſiam confluentium cauſa hujuſmodi Indulgentię aſſequendę, eadem auctoritate audire, & ipſorum Confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere valeant, ac injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi talia ſint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, eadem auctoritate de uberioris dono gratię indulgemus per pręſentes. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum VI Kalend. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Indulgentiæ.

Facultas abſolvendi.

1. *Koningenſis.*) In *Gothia*, ubi *Lincopenſis* Diœceſis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLII fol.* 35.

Ædes ſacras Uſtenſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat, &, ut poſſint abſolvi, Priorem, ac decem alios Sacerdotes delegat.

Anno 1401 Die 30 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Seruorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia, ſeu Domus S. Dominici in Uſk ſuper Luſſnyez (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum, Pragen. Dięceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius confluant ad eandem, & ad conſervationem, ſeu fabricam ipſius Domus, ſeu Eccleſię manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in S. Thomę de Aquino feſtivitate a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ipſius feſtivitatis, & per ſeptem dies feſtivitatem ipſam immediate ſequentes, Domum, ſeu Eccleſiam ipſam, devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem, ſeu fabricam ipſius Domus, ſeu Eccleſię, manus promptius porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum auctoritate pręſentium concedimus, quam viſitantes Eccleſiam S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Dięceſis, in feſto Aſcenſionis Domini noſtri Jeſu Chriſti annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut Chriſti fideles ipſi ad Domum, ſeu Eccleſiam ipſam in prędicta feſtivitate, & diebus hujuſmodi, propterea confluentes Indulgentiam hujuſmodi uberius conſequi poſſint, dilecto filio Priori dictę Domus, ſeu Eccleſię, pro tempore exiſtenti, & decem aliis Presbyteris idoneis Secularibus, vel Regularibus, qui Chriſti-

Indulgentiæ.

Facultas abſolvendi.

Chriſti fidelium in hujuſmodi feſtivitate, & diebus prẹfatis ipſam feſtivitatem immediate ſequentibus, ad Domum, ſeu Eccleſiam hujuſmodi confluentium, & eis confiteri volentium, Confeſſionibus ipſorum diligenter auditis, eis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere libere & licite valeant, ac injungere pro modo culpẹ pẹnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quẹ ſit Sedes Apoſtolica merito conſulenda, auctoritate prẹfata de ſpeciali gratia licentiam elargimur. Prẹſentibus perpetuis futuris temporibus perpetuo duraturis. Volumus autem &c. & inſuper volumus, quod omnes oblationes & emolumenta, quẹ tempore Indulgentiarum hujuſmodi Deo dante evenerint, in fabricam dictẹ Domus, ſeu Eccleſiẹ commutentur. Nulli ergo &c. Datum Romẹ apud S. Petrum III Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Uſtenſis.*) In *Bohemia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXLII *fol.*44.
3. *Usk ſuper Luſſnyez.*) *Uſt ſuper Luxnitz.*

Anno 1402 Die 1 Januarii.

Warburgenſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantibus Indulgentias elargitur, &, ut poſſint abſolvi, Priorem delegat, qui Confeſſores præficiat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCIX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prẹſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prẹdicatorum in Warburgh, Paderbornen. Diẹceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam reparetur, ac etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad reparationem, ac conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cẹleſtis gratiẹ uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei &c. qui in Dominica in quadrageſima, qua cantatur in Eccleſia Dei Oculi mei, & in Dominica, diebus immediate poſt feſtum Domini noſtri Jeſu Chriſti, a primis Veſperis uſque ad ſecundas eorundem dierum, Eccleſiam prẹfatam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus reparationem, & conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum ſuorum auctoritate apoſtolica concedimus, quam in Eccleſia S. Marci de Venetiis, Caſtellan. Diẹceſis, in die Aſcenſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti viſitantes annuatim, auctoritate Apoſtolica quomodolibet conſequuntur. Et nihilominus, ut Chriſti fideles ipſi Indulgentiam hujuſmodi uberius conſequantur, dilecto filio Priori dictẹ Domus, qui pro tempore fuerit, ut ſex dicti Ordinis, vel alios Seculares, aut Religioſos Presbyteros idoneos eligere, & deputare valeat, qui hujuſmodi Indulgentiis durantibus fidelium ipſorum, ad Eccleſiam ipſam confluentium, ut prẹfertur, & eis peccata ſua confiteri volentium, confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis debitam abſolutionem auctoritate noſtra impendere valeant, niſi talia fuerint, propter quẹ Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, in forma Eccleſiẹ conſueta, ipſiſque pẹnitentiam injungant ſalutarem, & alia quẹ de jure fuerint injungenda, ac hujuſmodi Presbyteros eligere, amovere, & alios de novo eligere & deputare libere & licite valeat, conſtitutionibus Apoſtolicis, & revocatione quacunque, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, auctoritate prẹfata tenore prẹſentium concedimus facultatem. Prẹſentibus perpetuis futuris temporibus duraturis. Nulli ergo &c. Datum Romẹ apud S. Petrum Kal. Januarii, Pontificatus Anno Tertio decimo.

Facultas abſolvendi.

1. *Warburgenſis.*) Vulgo *Warburg*, in *Paderbornenſi* Epiſcopatu, Tractus eſt *Germaniæ*, in *Weſtphalia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CXLII *fol.*152. Meminit *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap.XI ad an. MCCCCII pag.*274.

Anno 1402 Die 4 Januarii.

Epiſcopo Lincopen. (1) ut Moniales Slengiæ Ordinis Prædicatorum in Parochialis Eccleſiæ Slengien. poſſeſſionem mittat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CC.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Lincopen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

JUſtis & honeſtis ſupplicum votis, illis prẹſertim, per quẹ jus firmum unicuique ſervatur, libenter annuimus, illaque proſequimur favoribus opportunis. Dudum pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſẹ, & Conventus Monaſterii Beati Martini in Sleirigia (3), per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura Fratrum Ordinis Prẹdicatorum viventium, tuẹ Diẹceſis, fel. rec. Johanni PP. XXII, Prẹdeceſſori Noſtro, expoſito, quod Monaſterium ipſum adeo erat paupertate gravatum, tum propter clades continuas & communes, ac cariſtiẹ (4), & guerrarum diſcrimina, in illis partibus vigentium, cum etiam propter exiguam ipſius Monaſterii dotationem, quod etiam, quantumcunque magna in illis partibus vigeat fertilitas, redditus ipſius Monaſterii non ſufficiebant ad ſolum victum Monialium degentium in eodem, ita quod propter hujuſmodi paupertatem vix aliqua volebat in dicto Monaſterio regularem recipere habitum, Domino ſervitura; quinimmo Monaſterium ipſum diſſipatum periret, niſi aliunde ſuccurreretur eidem, ac pro parte dictarum Prioriſſẹ, & Conventus eidem Prẹdeceſſori humiliter ſupplicato, ut Parochialem Eccleſiam in Slengia dictẹ Diẹceſis, quam tunc de jure vacare dicebant, Monaſterio prẹfato unire, annectere, & incorporare dignaretur, idem Prẹdeceſſor Epiſcopo Lincopen. tunc exiſtenti, ejus pro-

Hujusce Diplomatis cauſa.

proprio nomine non expreſſo, ſuis dedit literis (5) in mandatis, ut ſe de prędictis informaret, &, ſi per informationem hujuſmodi ſibi de prędictis conſtaret, Eccleſiam prędictam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica in perpetuum uniret, annecteret, & incorporaret, prout in ipſis literis plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus petitio continebat, idem Epiſcopus ad executionem dictarum literarum procedens, receptaque per eum de prędictis, juxta earundem Eccleſiarum exigentiam & tenorem, informatione plenaria & fideli, prędictam Eccleſiam, cujus decem, eidem Monaſterio, cujus duodecim Marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut ipſę Prioriſſa & Conventus aſſerunt, non excedunt, Apoſtolica auctoritate in perpetuum univit, annexuit, & etiam incorporavit, prędictaſque Prioriſſam, & Conventum in corporalem poſſeſſionem dictę Eccleſię eadem auctoritate induxit, ipſęque Prioriſſa & Conventus dictam Eccleſiam vigore unionis, & inductionis hujuſmodi aſſecutę illam aliquandiu tenuerunt, & poſſederunt pacifice, & quiete. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſt prędicta dilectus filius Johannes Nicolai, Presbyter dictę Diœceſis, Prioriſſam, & Conventum prędictas Eccleſia prędicta, & ejus poſſeſſione temere & contra juſtitiam ſpoliavit, eandemque Eccleſiam detinuit, & detinet indebite occupatam de facto, licet de jure non poſſit, pro parte ipſarum Prioriſſę & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, & alia per dictum Epiſcopum facta, rata, & grata habere, illaque ex certa ſcientia confirmare, necnon Prioriſſam & Conventum prędictas in, & ad corporalem poſſeſſionem induci, mandare, & alias eis in prędictis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes Prioriſſam & Conventum prędictas apud Nos de religionis zelo, vitę, ac morum honeſtate multipliciter commendatos, horum intuitu favore proſequi gratioſo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, unionem, annexionem, & incorporationem prędictas, & alia per ipſum Epiſcopum facta, auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmes, ac ſuppleas omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eadem, & nihilominus Prioriſſam & Conventum prędictas, vel earum Procuratorem in, & ad corporalem poſſeſſionem dictę Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, amoto exinde dicto Johanne, & alio quolibet illicito detentore, reſtituas, & inducas auctoritate noſtra, & defendas inductas, ipſaſque facias ipſius Eccleſię, & ejus fructuum, & proventuum, plena & libera poſſeſſione gaudere, reſervata tamen de fructibus & proventibus ejuſdem Eccleſię pro perpetuo Vicario, ibidem Domino ſervituro, per te ad earum prędictationem in dicta Eccleſia inſtituendo, qui curam animarum dictę Eccleſię Parochialis gerat, congrua portione, ex qua idem Vicarius commode ſuſtentari valeat, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare. Contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus omnibus, quę in prędictis literis idem Prędeceſſor voluit non obſtare, ſeu ſi eidem Johanni, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim ex nunc irritum & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum II Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Lincopen.*) In *Svecia* Regno.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.72.*
3. *Sleirigia.*) In Regno *Svecia* fuiſſe hoc Monaſterium, ex hoc Diplomate conſtat. Sed ipſius nomen ibi turbatum, cum locus, ubi poſitum erat, *Sleirigia*, & *Slengia* vocetur. De quodam Cœnobio *Skenigenſi*, poſito in *Svecia* Regno, loquitur *Bernardus Guidonis*, in *Indice Conventuum Ordinis Prędicatorum*.
4. *Cariſtia.*) Seu *Caritatis annona*.
5. *Literis.*) Quæ deſiderantur.

Anno 1402 Die 13 Januarii.

CCL.

Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Ædes ſacras Uſtenſis (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prędictes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum oppidi in Usk ſuper Luzuytz (3), Pragen. Diœceſis, quę in honorem, & ſub vocabulo B. Dominici Confeſſoris fundata, & ędificata exiſtit, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentia Dei &c. qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Viſitationis, Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis, ac Decollationis S. Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, & aliorum Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ac dicti B. Dominici, necnon Sanctorum Michaelis Archangeli, Viti, Wenceslai, Adalberti, Thomę de Aquino, Petri Martyris, ac Martini, Nicolai, Gregorii, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, necnon Sanctarum Annę, Marię Magdalenę, Catharinę, Margaritę, Dorotheę & Barbarę, ac in Dedicationis ipſius Eccleſię feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, necnon Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & Petri, & Pauli, ac aliorum Apoſtolorum prędictorum Feſtivitatum Octavas, & per ſex Dies feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes prędictam Eccleſiam devote viſitaverint,

Indulgentiæ.

vel

vel ſermonem divinum, quoties ipſum ibidem per Prędicatorem pronuntiari contigerit populo, audierint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ſingulis videlicet feſtivitatum & celebritatis, ac Sermonis Divini pronuntiationis Septem Annos, & totidem quadragenas, Octavarum vero, & Sex dierum prędictorum diebus quibus dictam Eccleſiam annuatim viſitaverint, & ad hujuſmodi conſervationem manus adjutrices porrexerint, ut prefertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Romę apud S. Petrum Idibus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo tertio.

1. *Uſtenſis.*) In *Bohemia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLII fol.*88.
3. *Uſk ſuper Luxnytz.*) Legendum *Uſt ſuper Luxnitz*. Fundatum fuerat illud Cœnobium a familia *Sacimaa*. Deſtructum eſt ab *Huſſitis* hæreticis.

Anno 1402 Die 17 Januarii.

Alexandri IV Diploma donationem Monialibus Ordinis Prædicatorum Veſprimien. (1) factam confirmans, innovat.

CCII.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Prioriſſa & Conventus Monaſterii Monialium S. Catharinę Veſprimien., per Prioriſſam ſolitę gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes, devotum, & ſedulum Altiſſimo exhibent famulatum, (Supplex Monialium petitio.) merito promeretur honeſtas, ut votis earum, in his preſertim, quę ipſarum & dicti Monaſterii utilitatem concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Ipſarum igitur Prioriſſę, & Conventus ſupplicationibus inclinati, literas fel. rec. Alexandri PP. IV, Prędeceſſoris noſtri, eis olim conceſſas, quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, & pręſentibus de verbo ad verbum, cum incipiant vetuſtate conſumi, inſeri fecimus, (Innovat ut ſupra.) auctoritate pręſentium innovamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus: per hoc autem nullum jus eiſdem Prioriſſę & Conventui Monialium incluſarum de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Tenor vero dictarum literarum talis eſt. (Tenor Diplomatis Alexandri IV.) Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monialium incluſarum Monaſterii S. Catharinę Veſprimien. Ordinis S. Auguſtini ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Juſtis petentium deſideriis dignum eſt Nos facilem prębere aſſenſum, & vota quę a rationis tramite non diſcordant, effectu proſequente compiere. Cum igitur, ſicut petitio veſtra nobis exhibita continebat, venerabilis Frater noſter Epiſcopus Veſprimien. Monaſterii veſtri fundator annuum redditum ſexdecim Marcarum argenti percipiendum ab eo de bonis Epiſcopatus Veſprimien. vobis, & per vos Monaſterio veſtro, de ſui aſſenſu Capituli, pietatis intuitu conceſſerit, prout in ejus literis confectis exinde plenius continetur, Nos veſtris ſupplicationibus inclinati, quod ſuper hoc pie & provide factum eſt, ratum habentes, & gratum, illud (Confirmatio.) auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, tenorem literarum ipſarum pręſentibus de verbo ad verbum inſeri facientes; qui talis eſt. Bartholomęus Dei gratia Veſprimien. Epiſcopus omnibus pręſentes literas inſpecturis, ſalutem in Domino Jeſu Chriſto. Licet bonę intentio- (Tenor Donationis.) nis propoſitum a Nobis ſit aſſidue ſtudioſius adjuvandum, in his tamen cura potior eſt adhibenda, in quibus ſpecialiter & animarum remediis conſulitur, & incrementis Eccleſiarum ſalubriter providetur. Noverint igitur univerſi, quod nos B. Catharinam Virginem, cujus precibus nos ſemper adjuvari credimus, volentes nobis eſſe propitiam tam in corpore, quam in anima, in loco Veſprimien. quandam Eccleſiam in honorem ejuſdem Virginis fabricari fecimus, & in eadem collegium Sanctimonialium collocavimus ad quarum ſuſtentationem ſexdecim Marcas argenti annuatim de conſenſu Capituli noſtri, e redditunm noſtrorum proventibus ordinavimus in Villis... (3) quatuor Marcas pro veſtibus. Item in Cultello de Guſe centum Agnos pro pelliciis & refectione Sororum infirmarum. Item in vino de Cultello de Polokmuck quinquaginta cubulos vini, cum magno cubulo qui vulgo Aco vocatur. Item in Cultello de Kal quinquaginta Cubulos vini cum eodem Cubulo, & hęc omnia ſexdecim Marcas aſcendunt, ſicut ſuperius eſt expreſſum, & ne ulli unquam hominum liceat, hanc noſtrę ordinationis, & donationis paginam infringere pręſentis ſcripti patrocinio communiri, & ſigillorum noſtri & Capituli fecimus munimine roborari. Datum in Cok V Kal. Julii, Anno Domini MCCLI. Henrico Prępoſito, Laurentio Cantore, Johanne Lectore, Mathia Cuſtode, Jacobo Synigren, Favo Saladren., Kalenda Alben., Petro Veſprimien. Abbate de S. Andręa, Germano Seguſtien. Archidiaconis in Eccleſia noſtra feliciter exiſtentibus. Nulli (Sanctio pœnalis.) ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis infringere &c. Datum Anagnię V Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto (4). Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, & communitionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XVI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo tertio.

1. *Veſprimien.*) In *Hungaria*. Conſulendus *Ferrarius De rebus Hungar. Provincia Ord. Prædicatorum Parte IV Lib. unico Cap. II pag.*534.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLI fol.* 14.
3. *Villis...*) Quædam hic deſunt.
4. *Sexto...*) Chriſti *MCCLX.*

Pro-

Provinciali Provinciæ Hiſpaniæ Ordinis Prædicatorum, ut quæſtionem in hæreticos exercere, & Inquiſitorem conſtituere poſſit (1).

Anno 1402 Die 1 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Booifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CCIII.

SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta hereticę pravitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit, ne in aliorum perniciem ſua venena diffundat, remedium libenter, exhibet opportunum, ut exinde negotia Catholicę fidei, eliſis omnino, & eradicatis erroribus, proſperentur, ac fides ipſa fortius invaleſcat. Cum itaque, ſicut accepimus, quondam Vincentius de Ulixbona (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, olim in Provincia Hiſpanię Inquiſitor hereticę pravitatis per dictam Sedem deputatus, extra Romanam Curiam fuerit vita functus, Nos, affectantes ad hujuſmodi negotium fidei ibidem efficaciter promovendum continue talem deputare perſonam, cujus honeſta converſatio exempla tribuat puritatis, ejuſque labia erudita doctrinam fundant ſapientię ſalutaris, ut ex ejus miniſterio omne fermentum exinde labis hujuſmodi expurgetur, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa ſcientia ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod ex nunc, & de cetero perpetuis futuris temporibos Provincialis Provincię Hiſpanię ſecundum morem prędicti Ordinis, qui nunc eſt, & pro tempore fuerit, ibidem Inquiſitorem hereticę pravitatis hujuſmodi, prout ei ſecundum Deum viſum fuerit expedire, auctoritate Apoſtolica, quoties expedierit, deputare, ac hujuſmodi deputatum, ſi & quoties ſibi videbitur, ab hujuſmodi officio amovere, & alium loco ſui ſubrogare, ac etiam Inquiſitionis officium hujuſmodi, quoties ſibi placuerit, tam in pręſentia, quam in abſentia deputati hujuſmodi pro tempore exercere poſſit, & debeat, qui quidem deputatus pro tempore in hujuſmodi negotio Inquiſitionis procedere valeat, tam ſecundum indulgentias, & privilegia, Inquiſitoribus pravitatis hereticę ejuſdem dicta auctoritate Apoſtolica deputatis, ſeu officia Inquiſitionis hujuſmodi exercentibus, ab eadem Sede conceſſa, quam etiam ſecundum canonicas ſanctiones: diſtrictius inhibentes quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, & mundanis, quorum intereſt, vel intererit quomodolibet in futurum, ne Provincialem, & deputandum hujuſmodi pro tempore ſuper his, contra pręſentium tenorem impedire, ſeu moleſtare quoquo modo pręſumant; ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Per hujuſmodi autem deputationem, ut pręmittitur, faciendam, locorum Ordinariis, quominus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout volunt dictę canonicę ſanctiones, exercere valeant, & quibuſcunque Privilegiis Ordini, vel Inquiſitoribus, ſeu officio memoratis, ſi quę ſint eis a dicta Sede conceſſa, nullum volumus pręjudicium generari. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Exordium. — Indulget ut ſupra. — Sanctio pœnalis.

1. *Poſſit.*) Conſulendi *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCIII num. XXIV*, & *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. MCCCCI pag.* 269.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 93. Legitur apud *Bzovium* mox laudatum, & *Lopez Hiſtor. Ordinis Prædicatorum Parte III Lib. I Cap. LXXXVIII.*

3. *Vincentius de Ulixbona.*) Vir Sanctitatis opinione, & Miraculorum fama celeberrimus. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Prædicator. ad an. MCCCCI pag.* 748, & Auctores quos excipit, & laudat.

Monaſterii Monialium Ordinis Prædicatorum Elboren. (1) fundandi facultas.

Anno 1402 Die 12 Mar-

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Luppo (3) Priori Provincię Hiſpanię, ſecundum morem Ordinis Prędicatorum, & Priori, & Conventui Domus Elboren., ac Laurentio Reganhado, Fratri dicti Ordinis, in Sacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCIV.

SAcrę Religionis, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, cum abjectione voluntarię paupertatis virtutum Domino cum humilitatis ſpiritu devotum impenditis, & ſedulum famulatum, honeſtas promeretur, ut Apoſtolica Sedes vos, & veſtrum Ordinem benignis favoribus confoveat, & ſpiritualibus gratiis proſequatur, in illis pręſertim, quibus cultus Divini nominis augeatur, & propagatio Monaſteriorum, aliorumque piorum locorum valeat patrari. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod vos in Civitate Elboren. quoddam Monaſterium Monialium Ordinis Sancti Auguſtini, cujus quidem Monaſterii Prioriſſa & Moniales ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum vivere teneantur, in loco ad id congruo, & honeſto per vos acquirendo, de quibuſdam bonis vobis in eleemoſynam erogatis, ac aliis ad id piis Chriſti fidelium ſuffragiis concurrentibus, conſtruere, & fundare, ſeu conſtrui, & fundari facere, affectatis, ſi ad id Apoſtolicę Sedis accedat aſſenſus. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis infra Civitatem prędictam fundandi Monaſterium hujuſmodi cum Oratorio, campanili, campanis, cęmeterio, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis congruentibus officinis, licentiam concedere dignaremur. Nos igitur, qui divini Cultus augmentum, prędicti Ordinis, & Religionis propagationem intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis infra dictam Civitatem, ut pręfertur, in loco ad id congruo, & honeſto, hujuſmodi Monaſterium cum Oratorio, campanili, campanis, cęmeterio, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis pro una Prioriſſa & certis Monialibus dicti Ordinis S. Auguſtini, quę ſecundum Inſtituta, & ſub cura dictorum

Exordium. — Supplex Fratrum petitio. — Indulget ut ſupra.

Fratrum dicti Ordinis Prędicatorum vivere debeant, & teneantur, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, Diœceſani loci, & alterius cujuſcunque aſſenſu, ſeu licentia ſuper hoc minime requiſita, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, non obſtantibus fel. rec. Bonifatii PP. VIII Prędeceſſoris noſtri, in qua prohibetur, ne Religioſi Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, aut villa, ſeu loco quocunque ad habitandum, domos, vel loca quęcunque de novo recipere, & recepta mutare, pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis ſpeciali licentia, faciente plenam & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam elargimur; ipſiſque Prioriſſę, & Monialibus, poſtquam pręfatum Monaſterium conſtructum & ędificatum fuerit, ut pręfertur, ut omnibus, & ſingulis gratiis privilegiis, libertatibus, & exemptionibus, quibus alia Monaſteria pręfati Ordinis S. Auguſtini, in quibus degentes ſub cura dictorum Fratrum veſtri Ordinis, & ſecundum Inſtituta prędicta vivunt, a Sede Apoſtolica, vel alias quovis modo conceſſis gaudent, vel quomodolibet potiuntur, uti, & gaudere poſſint & debeant, auctoritate prędicta, harum ſerie indulgemus. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam noſtrę conceſſionis infringere &c. Dat. Romę apud S. Petrum IV Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Elboren.*) Vulgo *Talavera la Reyna*, in *Caſtella nova*, inter *Toletum* & *Talabricam veterem*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 100.
3. *Luppo.*) Is erat *F. Lupus de Barrientos*, poſtea *Segobienſis* Epiſcopus, ut dicetur inferius. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLVI pag.* 813.

Anno 1402 Die 15 Martii.

Sacras Ædes Lipſienſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat, &, ut abſolvi poſſint, Priorem delegat, qui Confeſſores inſtituat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ.

Cupientes igitur, ut Eccleſia Domus Lypſienſis Ordinis Fratrum Prędicatorum, Merſeburgen. (3) Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, ac etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles ipſi cauſa devotionis eo libentius confluant ad eandem, & ad ipſius conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in feſtivitate Commemorationis S. Pauli, & feſtivitate S. Gregorii, & per duos dies utramque feſtivitatem immediate ſequentes, pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius conſervationem manus porrexerint adjutrices. illam Indulgentiam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, quam viſitantes Capellam Beatę Marię Virginis, dictam ad Eremitas, Conſtantien. Diœceſis annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut Chriſti fideles ipſi, ad pręfatam Eccleſiam in feſtivitatibus, & diebus prędictis, propterea confluentes, Indulgentiam huiuſmodi uberius conſequi poſſint, Priori dictę Eccleſię, aut Domus pro tempore exiſtenti, & ſex aliis Presbyteris Secularibus, vel Regularibus per eundem Priorem annuatim eligendis, ut ipſi Prior, & Presbyteri Confeſſiones omnium & ſingulorum Chriſti fidelium, cauſa huiuſmodi Indulgentię conſequendę ad dictam Eccleſiam confluentium, in hujuſmodi feſtivitatibus, & diebus prędictis, eadem auctoritate, audire, & ipſorum confeſſionibus hujuſmodi diligenter auditis, pro commiſſis debitam abſolutionem impendere valeant, ac injungere pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia forent propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate prędicta tenore pręſentium, de uberioris dono gratię indulgemus. Volumus autem &c. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Facultas abſolvendi.

1. *Lipſienſis.*) Vulgo *Leipzigk*, in *Miſnia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIV fol.* 92.
3. *Merſeburgen.*) Vulgo *Mersburg*, in *Miſnia*.

Anno 1402 Die 15 Martii.

Seleſtadienſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantibus Indulgentias elargitur, &, ut poſſint abſolvi, Priorem delegat, qui Confeſſores conſtituat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ.

Cupientes igitur, ut Eccleſia domus Fratrum Ordinis Prędicatorum in Schleſtadt, Argentin. (3) Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles ipſi cauſa devotionis eo libentius confluant ad eandem, & ad ipſius conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in feſtivitatibus Corporis Chriſti, & Annuntiationis B. Marię Virginis, & per duos dies utramque feſtivitatem immediate ſequentes, pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius conſervationem manus porrexerint adjutrices, illam Indulgentiam auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium concedimus, quam viſitantes Capellam Beatę Marię Virginis, dictam ad Eremitas, Conſtantien. Diœceſis, annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus ut Chriſti fideles ipſi ad pręfatam Eccleſiam in feſtivitatibus, & diebus pręfatis propterea confluentes, Indulgentiam hujuſmodi uberius conſequi poſſint, Priori dictę

Eccle-

Eccleſię, aut Domus pro tempore exiſtenti, & ſex aliis Presbyteris Secularibus, vel Regularibus, per eundem Priorem annuatim eligendis, ut ipſe Prior & Presbyteri Confeſſiones, omnium & ſingulorum Chriſti fidelium cauſa hujuſmodi Indulgentię aſſequendę ad dictam Eccleſiam confluentium, in hujuſmodi feſtivitatibus, & diebus prędictis eadem auctoritate audire, & ipſorum confeſſionibus hujuſmodi diligenter auditis pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant, ac injungere pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate prętata de uberioris dono gratię tenore prętentium indulgemus. Volumus autem, quod omnes utriuſque ſexus per infirmitatem detenti, ſeu alias legitime impediti vere pęnitentes, & confeſſi ad prędictam Eccleſiam manus per alios porrigentes adjutrices prętatam Indulgentiam conſequantur, ac ſi eandem Eccleſiam perſonaliter viſitarent, non obſtantibus quibuſcunque revocationibus generalibus, vel ſpecialibus per Sedem Apoſtolicam, vel alias qualitercunque jam factis, vel in poſterum forſan faciendis, in quibus de verbo ad verbum facta non fuerit mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud Sanctum Petrum Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Facultas abſolvendi.

Pro infirmis & legitime impeditis.

1. *Scleſtadienſis.*) Vulgo *Schleſtadt*, in *Alſatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIV fol.* 92.
3. *Argentin.*) In *Alſatia*.

Monialibus Monaſterii S. Catharinæ Olomucen. (1) Ordinis Prædicatorum foras progrediendi poteſtatem facit (2).

Anno 1402 Die 12 Aprilis.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CCVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Catharinę Olomucen., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ORdinis veſtri Sacra Religio, fęcunditate refecta virtutum, & meritorum conſpicua ſanctitate, non indigne meretur, ut vos, & veſtrum Monaſterium favoris Apoſtolici plenitudine proſequentes, petitionibus veſtris, illis prętertim quę commodum, & utilitatem ejuſdem veſtri Monaſterii concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, quod per ingentes guerras, quę in Marchia (4), & partibus Moravię his temporibus viguerunt, prout vigent, villę, grangię, & alię poſſeſſiones ad veſtrum Monaſterium pertinentes, multipliciter per rapinas, & ignis incendia deſtructę, & partim per inimicos occupatę exiſtunt, ac officiales, & Proviſores ejuſdem Monaſterii, qui etiam pro parte ad inimicos confugerunt, fructus, & proventus, quos vobis miniſtrare deberent, inimicis, & occupatoribus, ſeu ſaltem alienis miniſtrant, vobiſque, pro eo quod incluſę eſtis, non licet abſque ſpeciali Magiſtri Generalis, ſeu Provincialis Ordinis dictorum Fratrum, quorum prętentiam in tali neceſſitate propter magnam loci diſtantiam ſine gravibus laboribus, & expenſis, habere non poteſtis, ad reſpiciendum villas, & poſſeſſiones hujuſmodi, & ad colligendum fructus ex eiſdem, ſeu ad invocandum auxilium, conſilium, aut favorem, vel defenſionem Parentum, vel Conſanguineorum, ac amicorum veſtrorum prętatum Monaſterium exire; et ſi forſan, hujuſmodi neceſſitate cogente, aliqua veſtrum ipſum Monaſterium exire contingeret, ex tunc ipſis ad idem Monaſterium reverſis, ſtatim Prior & Conventus domus dictorum Fratrum Olomucen. veſtrum Monaſterium Eccleſiaſtico ſupponunt Interdicto, & vobis prohibent Eccleſię ingreſſum tandiu donec, aut per preces amicorum, aut per munera, hujuſmodi relaxent Interdictum, & vos ad Eccleſię ingreſſum reſtituant ante dictum, propter quę vos, & idem Monaſterium non pauca gravamina, & damna, & etiam detrimenta ſubiiſtis, & etiam timetis veriſimiliter poſſe ſubire in futurum. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quoties vobis, vel dicto Monaſterio neceſſitas ingrueret, aut aliter expedierit, tibi, aut illi, quę pro tempore fuerit, Prioriſſę, cum duabus, aut tribus, ſeu pluribus Monialibus, dictum Monaſterium exeundi, ſeu duos, aut tres, ſeu tot quot ſufficiant Moniales ipſius Monaſterii, emittendi pro veſtris & ejuſdem Monaſterii negotiis expediendis, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut liceat tibi, aut illi, quę pro tempore erit, Prioriſſę, cum duabus, aut tribus, ſeu pluribus Monialibus, quas ad hoc elegeris, ſeu elegerit, dictum Monaſterium exire, aut duas, vel tres, ſeu plures Moniales ejuſdem Monaſterii emittere pro utilitate dicti Monaſterii, aut ejuſdem Monaſterii negotiis promovendis, ſeu proſequendis, aut etiam expediendis, Diœceſani loci, aut Magiſtri Generalis dicti Ordinis, ſeu cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, ſeu obtenta, vobis, & eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica, tenore prętentium, de ſingularis dono gratię, indulgemus. Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis quibuſcunque; Proviſo quod hujuſmodi gratia ſic modeſte utamini, quod laicis non tribuatis materiam obloquendi. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum II Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Exordium a laude Ordinis.

Supplex Monialium petitio.

Nota.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Olomucen.*) *Olmutz*, in *Moravia*, Provincia *Bohemiæ*.
2. *Facit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 57.
4. *Marchia.*) Vulgo *La Mark*; Provincia eſt *Germaniæ*, in *Weſtphalia*.

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Magiſtro Ordinis Prædicatorum, ut in quolibet Generali Capitulo Theologiæ Doctorem creare, Inquiſitores, Procuratorem Ordinis, ceteroſque Fratres, qui munus aliquod gerunt, inſtituere, & ab officio removere, & cum Nothis diſpenſare poſſit, Indulget (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCVIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę (3) Magiſtro Ordinis Pręadicarorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PErſonam tuam Nobis, & Apoſtolicę Sedi devoram, ac Religionis zelo conſpicuam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę ad ſalutem animarum, & ſtatum proſperum, & tranquillum Fratrum Ordinis Pręadicatorum tendere dignoſcuntur. Hinc

Indulget ut ſupra.

eſt, quod Nos tuis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, & fel. recordationis Benedicti & Gregorii XI, & nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Pręedeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhęrentes, ut tu, & Succeſſores tui Magiſtri dicti Ordinis, qui fuerint pro tempore, in quolibet Capitulo Generali ſecundum morem dicti Ordinis pro tempore celebrando, uni ex Fratribus dicti Ordinis in Theologica facultate provecto, quem tu, vel Succeſſores hujuſmodi per tuam, vel Succeſſorum eorundem, necnon Definitorum dicti Capituli, vel aliorum Magiſtrorum ad hoc aſſumendorum, diligentem examinationem ſufficientem, & idoneum inveneris, Magiſterii honorem, & docendi licentiam in facultate pręedicta, ſervatis Conſtitutionibus Viennenſis Concilii, & aliis ſolemnitatibus in talibus conſuetis, auctoritate Apoſtolica largiri, ſibique, ut infra dictum Ordinem, & extra, quibuſcunque gratiis, privilegiis, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede, quam ab Ordine pręedictis Fratribus, ejuſdem Ordinis in eadem Theologia Pariſius Magiſtratis, conceſſis, perinde uti, & gaudere valeat, ac ſi in Pariſien. Studio hujuſmodi Magiſterium recepiſſet; Quodque etiam tu, & Succeſſores hujuſmodi omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis ad partes infidelium, & ſchiſmaticorum tranſmiſſos, ſeu in Pęnitentiarios extra Romanam Curiam, aut Inquiſitores hęreticę pravitatis, ac Priores, etiam Provinciales, & Conventuales, necnon Vicarios, Doctores, Baccalaureos in dicto Ordine per Sedem pręedictam, vel alias per quoſcunque, & qualitercunque, & quavis auctoritate, etiam noſtra, deputatos hactenus, & in poſterum deputandos, ac alios quoſcunque Officiales dicti Ordinis, necnon Rectores, & adminiſtratores, ac Prioriſſas Monaſteriorum, Hoſpitalium, aliorumque locorum dicti Ordinis, ſeu Ordini ſubjectorum, vel ſubmiſſorum, cujuſcunque ſtatus, ordinis, ſexus, vel conditionis exiſtant, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, quoties tibi, vel Succeſſoribus tuis pręedicti Ordinis, vel alicujus ex locis pręedictis, ſeu perſonarum ipſarum, vel alicujus eorum ſtatui, & honori (4) videbitur, revocare, & ab hujuſmodi eorum Officiis, Miniſteriis, Prioratibus, & adminiſtrationibus quibuſcunque removere, & alios loco ipſorum ſubſtituere, ac officia ipſa limitare, ac etiam aliquem ex Fratribus hujuſmodi ad hoc idoneum in dicti Ordinis Procuratorem deputare, & inſtitutum ab ipſo officio removere, & alium loco ejus ponere ſemel, & pluries, ac toties quoties tibi, & Succeſſoribus tuis videbitur, & placebit, qui ipſo facto omnium Provinciarum, Conventuum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & locorum ipſius Ordinis, & perſonarum earundem, ac aliorum pręedictorum, & ipſi Ordini ſubjectorum, cenſeatur, & ſit verus Procurator; cujuſque procurationis officium, decedente Magiſtro ipſius Ordinis, qui pro tempore fuerit, nullatenus expiret, donec ſuper hoc per Magiſtrum proxime

Procuratoris Generalis Officium.

ſuccedentem aliter ordinetur. Dictuſque Procurator poſſit, & valeat cauſas quaſcunque tam civiles, quam criminales, eccleſiaſticas, ſive mundanas, quas voluerit, aſſumere pro dicto Ordine, locis, & ipſorum locorum Conventibus, & Officialibus, ac perſonis pręedictis, & ipſorum quolibet, ac etiam ipſorum nomine, & pro eis tam conjunctim, quam diviſim, per ſe, vel per alium, ſeu alios, tam in Romana Curia, quam extra, contra quaſcunque perſonas, Collegia, & Univerſitates movere, proſequi, defendere, & agere, & appellare in judicio, & extra, tam in prima, quam in ſecunda, & tertia inſtantiis, etiam in iis, in quibus requiritur Mandatum magis ſpeciale, toties quoties, ſemper & quandocunque ſibi videbitur, & placebit, ſecundum poteſtatem per te, vel Succeſſores tuos hujuſmodi ſibi traditam, vel tradendam, perinde ac ſi ab Ordine, & Locis, Officialibus, & perſonis pręedictis ſibi data eſſet omnimoda poteſtas, cum pleno, libero, ac generali mandato ad cauſas antedictas; Quodque tu, & Succeſſores tui, Magiſtri hujuſmodi, cum quibuſcunque Fratribus dicti Ordinis, & perſonis pręedictis cujuſcunque ordinis, aut ſexus exiſtant, ex quocunque damnato coitu procreatis, vel procreandis, ut ad quoſcunque gradus in licitis facultatibus, dignitates, & honores, ac officia quęcunque in Ordine ipſo, & locis pręedictis duntaxat, promoveri libere, & licite poſſint, Generali pręedicti Ordinis excepto Magiſtratu, auctoritate Apoſtolica diſpenſare, ac illos ex Fratribus hujuſmodi, qui forſitan antequam ad ętatem legitimam pervenerint, ſe fecerint, aut permiſerint ad quoſcunque Ordines promoveri, ab omnibus ſententiis, & pęnis, quas propterea incurrerint, eadem auctoritate abſolvere, & ſuper Irregularitate forſan per eos propterea qualitercunque contracta, auctoritate Apoſtolica diſpenſare; Ac etiam quaſcunque utriuſque ſexus perſonas tibi, & Succeſſoribus hujuſmodi pro tempore confitentes extra pręedictam Curiam ab eorum peccatis, in illis duntaxat caſibus in quibus minores noſtri, & dictę Sedis Pęnitentiarii poſſunt abſolvere; Necnon quoties te, & Succeſſores tuos per aliquas partes iter facere contigerit, Miſſam antequam illuceſcat dies, circa tamen diurnam lucem celebrare, aut per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum facere celebrari: ita tamen quod id nec tibi, nec Succeſſoribus ipſis, nec Sacerdoti hujuſmodi ad culpam valeat imputari; tibi, & Succeſſoribus tuis Magiſtris hujuſmodi de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia tenore pręſentium indulgemus. Conſtitutionibus, & gratiis Apoſtolicis hujuſmodi Fratribus, Officialibus, ſeu perſonis, aut locis in genere, vel in ſpecie conceſſis, vel concedendis pro tempore, quas eis

quoad

quoad pręmiſſa, niſi de pręſentibus de verbo ad verbum plenam, & expreſſam fecerint mentionem, nolumus in aliquo ſuffragari, & aliis contrariis quibuſcunque non obſtantibus. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum V Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo. Sanctio pœnalis.

1. *Indulget.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 176. Legitur etiam apud *Caſtellanum pag.* 84, in *Conſtitutionibus Ordinis impreſſis an. MDV num. LXXX,* in aliis *an. MDVII num. XCI.*

3. *Thoma.*) *De Firmo*, a patria, quæ eſt in *Piceno*, nuncupatus eſt *Thomas*, eruditione ac pietate conſpicuus. Adeas Auctores quos laudat *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCI pag.* 747.

4. *Honori.*) Aliquid deeſſe videtur. Adderem: *Opportunum.*

Ex Alexandri IV Diplomate reſcindit (1) quæ Parochorum gratia in Religioſos ſanxit Innocentius IV.

Anno 1402
Die 27 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CCIX.

Exordium.

SUper Gregem dominicum noſtrę curę divinitus traditum vigilis ſpeculatoris officium, prout Nobis ex alto permittitur, exercentes, ad univerſos Religioſorum Ordines, & pręſertim ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, aurem internę conſiderationis extendimus, & eoſdem Fratres paterno confoventes affectu, eis, quantum cum Deo poſſumus, tranquillitatis, & pacis commoda procuramus. Dudum ſiquidem felicis recordationis Alexander Papa IIII, Prędeceſſor Noſter, provide attendens, quod pię memorię Innocentius etiam Papa IIII, ejuſdem Alexandri, ac etiam noſter Prędeceſſor, univerſis Religioſis cujuſcunque poſeſſionis, vel Ordinis, in virtute ſanctę obedientię diſtrictę injunxerat, ne Parochianos alienos diebus Dominicis, & feſtivis in ſuis Eccleſiis, ſeu Oratoriis, de cetero reciperent ad Divina, nec ipſos aliquatenus ad pœnitentiam admitterent ſine ſuorum licentia Sacerdotum, nec eis in ſuis Eccleſiis ante Miſſarum ſolemnia prędicarent, pro quibus audiendis prima diei parte iidem Parochiani conſueverunt, & debent in ſuis Eccleſiis convenire, nec ſermones, etiam ſolemnes, facerent illa hora, nec ad prędicandum ſolemniter ad Parochias alienas accederent, niſi eſſent ab eorum Sacerdotibus invitati, vel ſaltem niſi ſe ad id humiliter peterent, & obtinerent admitti, nec ea die, quo Diœceſanus Epiſcopus, vel alius loco ejus prędicaret ſolemniter, maxime in Eccleſia Cathedrali, aliquis ipſorum in eadem Civitate, vel loco pręſumeret prędicare: Si vero in caſu licito Parochianum alterius eos in ſuis Eccleſiis recipere ad ſepulturam contingeret, omnium, quę obtentu conſequerentur hujuſmodi ſepulturę, portionem canonicam, etiam non requiſiti, infra octo dies a tempore receptionis eorum Epiſcopo, vel ſacerdoti de cujus Parochia mortuus eſſet aſſumptus, exhibere curarent; ſi autem aliquis Religioſorum ipſorum hujuſmodi pręcepti tranſgreſſor, contra prędicta, vel aliquod prędictorum, venire pręſumeret, pręter inobedientię vitium, & excommunicationis ſententiam, quam eum incurrere voluit ipſo facto, gradus ſui periculo ſubjaceret. Et nihilominus a Diœceſano ad pręmiſſa univerſa, & ſingula obſervanda per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, diſtricte cogerentur. Nullis eis contra pręmiſſa indulgentiis, vel privilegiis Apoſtolicis valituris. Et volens pręfatus Alexander Prędeceſſor ſuper tenore dictarum literarum ejuſdem Innocentii attentius, & ſtudioſius deliberare, prędictas literas, et ſi quę alię ſuper prędictis, vel eorum aliquo, contra pręfatos Religioſos, vel aliquos ex ipſis generaliter, vel ſpecialiter, pręter formam communem, & ſolitam proceſſiſſent, auctoritate Apoſtolica penitus revocavit, prout in literis (3) Apoſtolicis ejuſdem Alexandri dicitur plenius contineri. Cum autem a Nobis quędam literę Apoſtolicę literis ejuſdem Innocentii in effectu conformes ſub dat. IIII Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno XII, prout in ipſis literis plenius continetur, emanaverunt, Nos ex certis rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus, ejuſdem Alexandri veſtigiis inhęrentes, ipſiuſque literas. revocationem literarum ejuſdem Innocentii continentes, quarum tenores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, auctoritate ſimili confirmantes, prędictas ejuſdem Innocentii, necnon pręfatas noſtras literas, & omnia in ipſis contenta auctoritate prędicta, & ex certa ſcientia tenore pręſentium revocamus, ac carere volumus omni robore firmitatis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę revocationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Quæ hæc de re ſanxit Innocentius IV, Alexander IV abrogat.

Reſcindit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Reſcindit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII*, & *IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII folio* 20. Autographum, cujus duplex Exemplar authenticum habetur in Archivo Ordinis, aſſervatur in Cœnobio *Piſano*. Legitur apud *Caſtellanum pag.* 85, in *Conſtitutionibus impreſſis anno MDV num. LXXXII*, in *aliis anni MDVII num. LXII.*

3. *Literis.*) Vide *Conſtitutionem II Alexandri IV Tomo I* hujus *Bullarii pag.* 267.

Indi-

Anno 1402
Die 27 Aprilis.

Judicio Capituli Generalis, de Cœnobiis ex una ad aliam Provinciam auctoritate Apoſtolica translatis (1) decernentis, ſtandum eſſe, jubet.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Hujus Diplomatis cauſa.

ORdinis Fratrum Prędicatorum ſacra Religio non indigne meretur, ut votis dilectorum filiorum Thomę Magiſtri, ac Priorum dicti Ordinis, illis pręſertim per quę ſcandalis, & diſcordiis inter eos ſubortis ſalubriter obviatur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio pro parte Magiſtri, & Priorum prędictorum Nobis nuper exhibita, continebat, quod inter nonnullos Fratres dicti Ordinis ex eo, quod quędam Domus ejuſdem Ordinis de una Provincia ſecundum morem dicti Ordinis ad aliam Provinciam, etiam vigore literarum Apoſtolicarum ſuper hoc, ut dicitur, conceſſarum translatę fuerunt, nonnullę controverſię ſunt exortę. Quare pro parte dictorum Magiſtri, & Priorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad obviandum ſcandalis, quę propterea inter Fratres hujuſmodi exoriri poſſe formidantur, eis, & dicto Ordini ſuper his providere de opportuno remedio, de benignitate Apoſtolica, dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, qui litium anfractus inter Chriſti fideles, pręcipue inter perſonas Eccleſiaſticas, virtutum Domino ſub Religionis habitu, in ſpiritu humilitatis deſervientes, quantum ſcimus, & poſſumus, libenter amputamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & eiſdem Magiſtro, & Prioribus, & Fratribus tenore pręſentium concedimus, ac etiam ſtatuimus, & ordinamus, quod quęcunque cauſę & controverſię inter Fratres ipſos, & alios quoſcunque, ratione translationum hujuſmodi quomodolibet obortę, in proximo Generali Capitulo, in dicto Ordine ſecundum ipſius morem celebrando, per hujuſmodi Capitulum, vel alios probos viros, quibus id ex parte ejuſdem Capituli committetur, appellatione ceſſante, decidi, & ſententia debite terminari poſſint, & debeant. Non obſtantibus literis Apoſtolicis ſuper translationibus hujuſmodi conceſſis, quas, & inde ſecuta, Capitulo, ſeu Commiſſariis hujuſmodi, ſi eis ſecundum Deum, & dicti Ordinis profectum videbitur expedire, ſuper quo ipſorum conſcientias oneramus, auctoritate noſtra, revocandi, & annullandi, tenore pręſentium, ex certa ſcientia licentiam, & poteſtatem concedimus; non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis,

Sanctio pœnalis.

& aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Translatis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 175.

Anno 1402
Die 27 Aprilis.

Indulgentias (1) omnes, omnia Privilegia &c. Fratribus Ordinum Minorum, Eremitarum, Carmelitarum, & Servorum Beatæ Mariæ, ac eorundem Ædes ſacras viſitantibus conceſſa, & concedenda, Fratribus, & Sororibus Ordinis Prædicatorum, ipſorumque Ædes ſacras viſitantibus, impertitur.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

CCXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Thomas Magiſter, & univerſi Fratres Ordinis Prędicatorum devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut eos, ac eorum univerſas Eccleſias, Oratoria, atque loca ubilibet conſtituta, favoribus & gratiis Apoſtolicis proſequamur.

Communicatio quorumvis privilegiorum.

Hinc eſt, quod Nos Magiſtrum, & Fratres prędictos, eorumque ſucceſſores, Eccleſias, Oratoria, atque loca ejuſdem Ordinis, necnon Sorores ſub cura Fratrum Prędicatorum, ac Monaſteria, Eccleſias, ac Oratoria, atque loca ipſarum, paterno confoventes affectu, omnes immunitates, libertates, indulgentias, & privilegia quęcunque, dilectis filiis univerſis Fratribus Minorum, Eremitarum, Carmelitarum, & Servorum B. Marię, Ordinum, ac ipſorum Eccleſiis, Oratoriis, atque locis, & Domibus quibuſcunque, & ubilibet conſtitutis, vel alicui ipſorum conjunctim, vel diviſim ab Apoſtolica Sede conceſſa, atque conceſſa, & quę in futurum per eandem Sedem eis, vel ipſorum alteri, concedi contigerit, eiſdem Magiſtro, & Fratribus, ac Sororibus, & eorum ſucceſſoribus, ac Eccleſiis, Oratoriis, atque locis, & domibus ipſorum, in quibuſcunque Provinciis, civitatibus, terris, ſeu locis conſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedimus per pręſentes, ut illis libere ubique locorum uti, & frui poſſint, & valeant, ac gaudeant, quibus ipſi Minorum, Eremitarum, Carmelitarum, Servorum B. Marię, vel alterius ipſorum Ordinum Fratres, in quibuſvis Provinciis, ſeu locis, uti & frui poſſunt, ſive poterunt, & gaudere, eadem auctoritate de ſpeciali gratia indulgemus; Et inſuper, ut Chriſti fideles ad Eccleſias, ac Oratoria, ſeu loca eorundem Fratrum Prędicatorum eo libentius cauſa devotionis confluant ad eaſdem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſias, Oratoria, & loca hujuſmodi, in ſingulis diebus feſtivitatum, titulorum, ſeu vocabulorum, quibus Eccleſię, Oratoria, & loca hujuſmodi ſunt, vel fuerint inſignita, & aliorum Sanc-

Nota.

torum, qui ejuſdem Ordinis fuerunt Prędicatorum, ſeu fuerint profeſſores, ac aliis feſtivitatibus, & diebus,

ac

Digitized by Google

ac per Octavas ipſorum viſitaverint, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccatorum concedimus, quam in eiſdem Provinciis, Civitatibus, terris, ſeu locis viſitantes ſingulas Eccleſias, Oratoria, atque loca Fratrum Minorum, Eremitarum, Carmelitarum, vel Servorum B. Marię exiſtunt, vel extiterint inſignita, ac Sanctorum, qui eorundem Ordinum fuerunt, vel fuerint profeſſores, ac aliis certis feſtivitatibus, & diebus, & per Octavas eorundem quomodolibet conſequuntur, ſeu fuerint conſequuti. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo. Sanctio pœnalis.

1. *Indulgentias.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 131. Legitur apud *Caſtellanum pag.* 74, in *Conſtitutionibus impreſſis anno MDVII num. LXXXVIII.*

Fratres Ordinis Prædicatorum variis privilegiis (1) donat.

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

CCXII.

Exordium.

Sacrę Religionis, ſub qua dilecti filii Magiſter, ac Priores, & Fratres Ordinis Prędicatorum, mundanis abjectis illecebris, cum abjectione voluntarię paupertatis, virtutum Domino in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum impendunt famulatum, merita promerentur, ut Apoſtolica Sedes eos, & dictum Ordinem favoribus benignis foveat, & ſpecialibus gratiis proſequatur, in illis pręſertim, per quę cultus divini nominis augeatur, ipſique pię vitę ſtudio ſibi ipſis, & aliis fidelibus proficere valeant ad ſalutem animarum. Hinc eſt, quod Nos, ipſorum Magiſtri, Priorum, & Fratrum devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, & felicis recordationis Alexandri IV, & Gregorii XI, ac nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhęrentes, eis, & Ordini prędicto, ut Magiſter dicti Ordinis, & quilibet Prior Provincialis, qui fuerit pro tempore, in Provincia ſua ſecundum morem dicti Ordinis, duo pro Fratribus, & unum pro Sororibus dicti Ordinis loca, ſi ſibi pia largitione fidelium concedantur, vel alias juſtis modis poterint adipiſci, ſemel tantum, libere recipere, & ea licite retinere, & in quolibet locorum ipſorum Eccleſiam, ſeu Oratorium, cum campanili, campana, cęmeterio, domibus, & aliis neceſſariis officinis conſtruere, & ędificari facere, & ibidem Fratres, & Sorores diviſim collocare, quodque Magiſter dicti Ordinis, pro tempore exiſtens, numerum locorum hujuſmodi in illis, de quibus ſibi videbitur, diminuere, & in aliis Provinciis dicti Ordinis multiplicare, dummodo numerum hujuſmodi non augmentet, & quod iidem Fratres bona temporalia, quę ipſis, ſeu locis quibuslibet dicti Ordinis pro tempore largientur, ſeu ad Fratres, ſeu loca hujuſmodi ex ſucceſſione, vel aliunde provenerint, de licentia ſuorum Superiorum apprehendere, eaque vendere, & ea, ſeu pretium ipſorum, in communes, vel particulares uſus convertere, prout eis conceſſum fuerit per Superiores antedictos, quodque Magiſter, & Priores Provinciales antedicti, & etiam ipſorum inferiores Fratres dicti Ordinis de ipſorum licentia ultimas voluntates, & teſtamenta quorumcunque, qui eos ad hoc requiſiverint, & deputaverint, exequi, & executioni debitę demandare, ac etiam Fratres prędicti Verbum Dei in eorum Eccleſiis, & plateis communibus publice proponere, & prędicare, ac juxta morem ipſius Ordinis quęſtus facere, & mendicare, cujuſcunque inferioris Summo Pontifici ſuper hoc licentia minime requiſita, necnon ad domos quorumcunque decedentium pro tempore, qui apud eorundem Fratrum Eccleſias ſepulturas eligere voluerint, vel habere debuerint, cum cruce, thuribulo, luminaribus, aqua benedicta, & aliis cęremoniis conſuetis, etiam per aliorum Parochias, perſonaliter accedere, & funera decedentium hujuſmodi, qui pro tempore vitę ſuę libere elegerint, vel alias habere debuerint, ut pręfertur, ad eorum Eccleſias portare, & inibi facere ſepeliri, quodque omnes, & ſinguli utriuſque ſexus perſonę de Pęnitentia S. Dominici, alias Beghini, ſeu Beghinę, ſeu alias qualitercunque nuncupatę, regularem habitum dicti Ordinis portantes, in Eccleſiis Fratrum hujuſmodi, etiam tempore interdicti, dummodo ipſę cauſam interdicto non dederint, Miſſas, & alia Divina officia audire, eccleſiaſtica Sacramenta a Fratribus ipſis recipere, libere, & licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, & de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine indulgemus: ſtatuentes nihilominus, quod omnes, & ſinguli cujuſcunque ſtatus, ordinis, vel conditionis extiterint, publice, & temeritate propria docere (3), aut pertinaciter aſſerere pręſumentes, Ordinem prędictum in ſtatu perfectionis non eſſe, ipſiſque Fratribus de Eleemoſynis vivere, ac de licentia Summi Pontificis, aut Legatorum Sedis prędictę, vel aliorum Pręlatorum, Verbum Dei proponere, & prędicare, eiſque confitentes abſolvere, aſſenſu Pręlatorum, aut Rectorum Parochialium Eccleſiarum ſuper his non habito, ſeu requiſito, non licere, ſint eo ipſo excommunicationis ſententia innodati, a qua abſolvi non poſſint, niſi Sedi prędictę ſe repręſentent. Quodque quicunque quęſtuarii, falſo aſſerentes, ſe de dicto Ordine fore, ubicunque inveniantur, ad requiſitionem dictorum Fratrum capiantur, & detineantur, & tanquam falſarii condemnentur. Univerſis & ſingulis Pręlatis, ac Parochialium Eccleſiarum Rectoribus hujuſmodi ubilibet conſtitutis, & aliis quibuſcunque perſonis, pręſentibus, & futuris, ſub ſimili excommunicationis pęna, quam quemlibet contrafacientem incurrere volumus ipſo facto, diſtrictius inhibentes, ne Fratres hujuſmodi quo minus Miſſas, & alia divina officia in Eccleſiis ſuis quotidie celebrare, ac oblationes in Miſſis ipſis, & alias ad eorum Altaria provenientes, libere & integraliter recipere, & in eorum uſus juxta morem dicti Ordinis convertere poſſint, quomodolibet impedire, aut populum, vel parochianos ſuos, quo minus ad prędicationes dictorum Fratrum quotiens, & quando voluerint, accedant, retrahere quoquo modo pręſumant: jure tamen Parochialium Eccleſiarum, ut quorumlibet aliorum alias in omnibus ſemper ſalvo. Fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Religioſi Ordinum Mendicantium loca de novo recipiant, vel recepta mutare valeant, abſque Sedis prędictę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentio-

Clauſula derogans.

mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Pręſentibus quoad receptionem hujuſmodi locorum poſt decennium a Dat. pręſentium computandum minime valituris. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, ſtatuti, voluntatis, inhibitionis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum V Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Sanctio poenalis.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. I, IV, VII, IX &c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 8. Authenticum habes *Libro B. fol.* 570, ex Autographo, quod tenet *Barcbinonenſis* Conventus *S. Catharinæ*. Aliud aſſervatur *Mediolani* fide publica comprobatum anno *MCCCCII*. Legitur etiam apud *Caſtellanum pag.* 72, *in Conſtitutionibus an. MDV num. LXXXI*, *in aliis an. MDVII num. LXXXVIII.*

3. *Docere.*) In Exemplari *Mediolanenſi* legitur: *Dicere.*

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Religioſos, etiam Mendicantes, S. Sedis Apoſtolicæ Capellanos Præpoſitorum (1) ſuorum juris ac poteſtatis eſſe, jubet.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Sacroſancta Romana Eccleſia de cunctorum fidelium, & pręſertim Religioſarum perſonarum, cura ſolicita circa eorum ſtatum ſalubriter & honeſte dirigendum, vigilat & intendit, ac ſuper his, ex quibus in hujuſmodi eorum ſtatum ſcandala provenire proſpicit, libenter ſtudet opportunis remediis utiliter providere. Dudum ſiquidem ad notitiam pię memorię Gregorii PP. X, Prędeceſſoris noſtri fide digna relatione deducto, quod nonnulli Religioſi, etiam Mendicantes, qui in Capellanis Sedis Apoſtolicę ſe recipi procuraverant, propterea bonum & correctionem recuſantes, per mundum, & ut plurimum ſine Superiorum ſuorum licentia, ſępius evagando diſcurrerant, quandoque ad Romanam Curiam acceſſerant, aſſerentes ſine Superiorum ſuorum licentia ſe hoc facere poſſe, idem Prędeceſſor ſuper hoc ſalubriter providere volens, auctoritate Apoſtolica per literas ſuas ſtatuit, voluit, ac etiam ordinavit, quod omnes, & ſinguli quorumcunque Ordinum, etiam Mendicantium, dictę Sedis Capellani, qui tunc erant, & in antea fierent, perinde eorum ſuperioribus, & correctioni ipſorum in omnibus & per omnia eſſent ſubjecti, ac ſi prędictę Sedis Capellani non exiſterent, prout in hujuſmodi ipſius Prędeceſſoris literis plenius continetur. Cum autem, ſicut diſplicenter intelleximus, poſtmodum quamplures diverſorum, etiam Mendicantium. Ordinum Religioſi ſe in Capellanos ejuſdem Sedis, ita quod omnibus & ſingulis indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus, atque privilegiis per fel. rec. Johannem XXII, & Clementem Sextum, Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, Capellanis dictę Sedis conceſſis, uti, & gaudere poſſent, pię memorię Innocentii VI, Urbani Sexti, Romanorum Pontificum, etiam Prędeceſſorum noſtrorum, ac hujuſmodi ipſius Gregorii Prędeceſſoris noſtri, ſtatutis, ordinationibus, & reſtitutionibus quibuſcunque non obſtantibus, recipi procuraverint; & propterea Superiorum ſuorum monita, & mandata minime verentes, ſeque a quorumcunque correctione immunes, & liberos reputantes, aliqui videlicet eorum, ut diſcoli, divina non curantes, per loca diverſa diſcurrant, alii vero ſe de diverſis mundanis negotiis immiſceant, nonnulli etiam eorum habitu derelicto, ſeu ſimulato, ut ſeculares perſonę incedant, unde error pejor priori, & multiplicia ſcandala tam in Religioſos, quam ſeculares perſonas hactenus exorta ſunt, & timetur veriſimiliter majora, niſi per hoc provideatur, poſſe exoriri. Nos igitur, prout ex injuncti nobis Paſtoralis Officii debito tenemur, ſuper hoc providere volentes, ipſius Gregorii Prędeceſſoris noſtri veſtigiis inhęrendo, auctoritate prędicta, tenore pręſentium ſtatuimus, volumus, & etiam ordinamus, ut ſinguli Religioſi quorumcunque, etiam Mendicantium, Ordinum, dictę Sedis Capellani, qui ſunt, & in antea erunt, perinde eorum Superioribus, & correctioni ipſorum in omnibus, & per omnia ſint ſubjecti, ac ſi prędictę Sedis Capellani non eſſent. Non obſtantibus exemptionibus, & aliis quibuſcunque privilegiis, indulgentiis, & gratiis, ac literis Apoſtolicis Capellanis dictę Sedis, vel aliis conjunctim, vel diviſim ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum a dicta Sede conceſſis, vel in poſterum concedendis, etiamſi de illis de verbo ad verbum, & de ipſorum Capellanorum nominibus, & cognominibus propriis plena & expreſſa mentio pręſentibus ſit habenda, quę, quoad hoc, ipſis in nullo volumus ſuffragari. Nulli ergo &c. noſtri ſtatuti, voluntatis, & ordinationis infringere &c. Dat. Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Hujus Diplomatis cauſa.

Decernit ut ſupra.

Clauſula derogans.

Sanctio poenalis.

1. *Præpoſitorum.*) Un in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol.* 178. Legitur apud *Caſtellanum pag.* 83, in *Conſtitutionibus an. MDV num. LXXIX*, & in aliis *MDVII num. XC.*

Magiſtro

Magiſtro & Provincialibus Ordinis Prædicatorum, ut a cenſuris eccleſiaſticis ſolvant Antipapæ fautores, qui fidem ſuam jurejurando hic inſcripto alligaverint.

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Thomę Magiſtro, & Prioribus Provincialibus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCXIV.

Exordium.

Indulget ut ſupra.

Robertus dictus Clemens VII, Antipapa.

MEritia veſtrę Religionis inducimur, ut votis veſtris, illis pręſertim, quę reconciliationem ab unitate S. R. E. aberrantium, & animarum ſalutem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos veſtris devotis poſtulationibus inclinati, vobis, & cuilibet veſtrum, per vos, vel alios Fratres veſtri Ordinis, quos ad hoc duxeritis deputandos, quoſcunque Fratres ejuſdem veſtri Ordinis qui damnatę memorię Roberto olim Baſilicę Duodecim Apoſtolorum Presbytero Cardinali, tunc Antipapę, qui ſe Clementem VII auſu ſacrilego nuncupabat, aut aliis per proceſſus Apoſtolicos condemnatis adhęſerint, ſeu alias ſe ab obedientia & devotione noſtra, & Sedis Apoſtolicę qualitercunque ſubtraxerint, volentes ad obedientiam, & devotionem noſtram, & Eccleſię prędictę redire, ab omnibus & ſingulis excommunicationum, & ſuſpenſionum, ac iis ſententiis, atque pęnis, quas jam adhęrendo, & fovendo eidem Roberto, ac ſequacibus hujuſmodi, aut aliis ſchiſmaticis, & hęreticis, etiam poſt, & contra proceſſus per fel. rec. Urbanum PP. VI, Prędeceſſorem noſtrum, contra eoſdem Robertum, & ſequaces, alioſque ejus fautores, & adhęrentes factos, & ſolemniter publicatos, per quos dictum Robertum velut hęreticum, & ſchiſmaticum condemnaverat ſententialiter puniendum, quam propter rebellionem hujuſmodi quomodolibet incurrerint, abjurato tamen per eos prius ſchiſmate, & per vos ab eorum ſingulis de ſtando Noſtris, & Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, & dictę Eccleſię mandatis, ac fidelitatis debitę juramento recepto, abſolvendi, ſi hoc humiliter petierint, in forma Eccleſię conſueta, injunctis eis, & eorum ſingulis, pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, & nihilominus cum eis ſuper irregularitate, ſi qua hujuſmodi, vel aliis quibuſcunque ſententiis ligati celebrando divina, vel immiſcendo ſe illis, aut in ſuſceptis Ordinibus miniſtrando, non tamen in contemptum clavium, contraxerint, diſpenſandi, ac omnes, & ſingulas inhabilitatis, & infamię maculas, ſive notas, per eos, pręmiſſorum occaſione, contractas, abſolvendi, & abſtergendi, eoſque, quoad pręmiſſa omnia & ſingula, in ſtatum priſtinum reſtituendi, & alia circa pręmiſſa neceſſaria faciendi, quotiens fuerit opportunum, hinc ad triennium plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Forma autem juramenti per ſingulos ex Fratribus hujuſmodi pręſtandi talis eſt. Ego N. N. Diœceſis comperto diviſionis, & ſchiſmatis laqueo, quo tenebar, credendo, favendo, & adhęrendo perditionis alumno Roberto, olim Baſilicę XII Apoſtolorum Presbytero Cardinali, qui ſe auſu ſacrilego Clementem VII nominare pręſumpſit, vel aliis per proceſſus Apoſtolicos condemnatis, ſibique, & aliis credentibus, faventibus, receptatoribus, adhęrentibus, defenſoribus, complicibus, & ſequacibus ejus pręſtando auxilium, conſilium, vel favorem, & propterea nunc diuturna deliberatione pręhabita, prona, & ſpontanea voluntate ad unitatem Sedis Apoſtolicę divina gratia reverſus, fateor publice me erraſſe, & de pręſenti tenere fidem catholicam, ac credere, & tenere quicquid credit, & tenet, & docet Sancta Mater Eccleſia, cui pręeſt Dominus noſter Dominus Bonifatius Divina providentia PP. IX, & quod idem Dominus noſter PP. Bonifatius fuit, & eſt, verus Romanus Pontifex & Vicarius Jeſu Chriſti, Petrique Succeſſor, canonice electus, intronizatus, & coronatus per Cardinales, ad quos, vacante Sede per obitum ſanctę memorię Domini Urbani PP. VI, electio, intronizatio, & coronatio pertinebat, quodque pręfatus Robertus non fuit Papa, ſed Antipapa, & apoſtaticus, & ſchiſmaticus manifeſtus, & quod ipſe tanquam Antipapa, & invaſor, ac deſtructor totius chriſtianitatis, & a liminibus S. Matris Eccleſię ſeparatus, & a Chriſti fidelibus perſequendus extitit, & quod jam ipſe Robertus, quam etiam iniquitatis filius Petrus S. Marię in Coſmedin Diaconus Cardinalis, dictus de Luna, qui in Sede Beati Petri temere pręfato Roberto ſucceſſiſſe ſe aſſerit, & omnes eidem in hac parte adhęrentes, credentes, receptatores, defenſores, complices, & ſequaces ejuſdem, fuerunt, & ſunt veri ſchiſmatici, apoſtatici, excommunicati, anathematizati, diviſi & ſeparati a communione fidelium, & ab unitate Sanctę Dei Eccleſię, & tanquam hęretici, & ut tales fuiſſe, & eſſe juſte, & ſancte de ſchiſmate, credentia, fautoria, adhęſione, ſequela, & erroribus prędictis condemnatos, incidiſſe in pęnas, & ſententias, tam a jure, quam ab homine in talia perpetrantes, promulgatas, & in dictis proceſſibus contentas, & declaratas, & ne ſimulatus reverſus extimer, ſub honoris mei caſu, & anathematis obligatione, & ſub pęna, quę relapſis a jure vel ab homine imponi debet, anathematizo, & abjuro omnem hęreſim, & ſchiſma, ac nominatim damnatum ſchiſma, credentiam, & adhęſionem pręfatorum Roberti, & Petri, & me ad idem ſchiſma, de quo Redemptoris noſtri gratia ereptus ſum, nunquam reverſurum, ſed ſemper in virtute S. Eccleſię Catholicę, cui pręeſt pręfatus Dominus noſter Bonifatius PP. VIIII, manſurum, ac ſponte promitto non ficte, ſed voluntarie, & ſincere, ac juro ad Sancta Dei Evangelia corporaliter per me tacta, quod ſtabo, & parebo mandatis Eccleſię & dicti Domini noſtri Bonifatii PP. ſuper rebellionis fautoriis, & ceteris pęnis, ac ſententiis, quas ob pręmiſſa, & ea tangentia incurri, & quod dicto Domino noſtro Papę, & ejus Succeſſoribus canonice intrantibus, obediens, & fidelis ero de cetero, & eis reverentiam debitam exhibebo, non ero in conſilio, vel conſenſu, ſeu tractatu, ut vitam perdant, aut membrum, aut capiantur mala captione, conſilium quod mihi credituri ſunt per nuncium, aut literas, ad eorum damnum, aut pręjudicium nemini pandam, vel communicabo, vel ſi ſcivero fieri, vel tractari, aliquod quod in eorum damnum, vel pręjudicium vergat, illud pro poſſe impediam, ne fiat,

Jurisjurandi formula.

Petrus de Luna Antipapa.

ne fiat, & ſi id impedire non potero, hoc eis, aut aliis, per quem, vel per quos id credam ad notitiam ipſorum pervenire, perſonaliter, vel per literas, aut per Nuncios ſignificare curabo, Papatum Romanum, & Regalia S. Petri, ac jura & juriſdictiones prędictę Romanę Eccleſię, & dicti Domini noſtri Papę majeſtatem, honorem, ſtatumque, illęſos manutenebo totis viribus, & defendam, & adjutor eis ero contra omnes homines, & ſpecialiter contra pręfatum Petrum Antipapam, & quoſcunque credentes, adhęrentes, fautores, receptatores, & defenſores, complices, & ſequaces ejuſdem, cujuſcunque pręeminentię, ordinis, vel religionis, conditionis, vel ſtatus exiſtant, etiam ſi Pontificali, vel Regali, ſeu Reginali, ſeu quavis alia pręfulgeant auctoritate, eccleſiaſtica, vel mundana, etiam ſi fuerint dictę S. R. E. Cardinales, & contra quoſcunque per dictam Eccleſiam denotatos, vel in poſterum denotandos, quandiu extra gratiam & communionem dictę Eccleſię fuerint, nec cum pręfatis ſchiſmaticis, apoſtatis, & rebellibus, ac illorum fautoribus, & ſequacibus per dictam Eccleſiam denotatis deinceps ero; nec eis, ſeu quibuſcunque aliis contra dictam Eccleſiam, aut Dominum noſtrum PP. dabo auxilium, conſilium, & favorem, per me, vel alium, ſeu alios, directe, vel indirecte, publice, vel occulte, nec in his, quantum in me fuerit, ſi impedire potero, pręſtari, ſeu dari permittam, nec cum dictis ſchiſmaticis, apoſtatis, & rebellibus, aut quibusvis aliis in prędictę Eccleſię rebellione exiſtentibus, contra ipſam Eccleſiam colligationem, vel conſpirationem faciam; ſive ligam, ſed eos, & eorum quemlibet juxta tenorem proceſſuum prędictorum pro poſſe meo perſequar, & ..... donec convertantur, & revertantur ad gremium Eccleſię memoratę. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLVIII fol.* 172.

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Fratres Armenos (1) S. Baſilii ſubiicit poteſtati Magiſtri Generalis Ordinis FF. Prædicatorum.

Ex Bullario Uſuſmaris pag. 94.

CCXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. IN eminenti Sedis Apoſtolicę ſpecula divinitus conſtituti, pro perſonarum Eccleſiaſticarum, pręſertim ſub regulari habitu vacantium ſtudio pię vitę ſtatu ſalubriter dirigendo juxta paſtoralis officii debitum, libenter intendimus, ac partes noſtrę ſollicitudinis adhibemus. Hinc eſt, quod nos fel. rec. Innocentii VI, & Urbani V, ac nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhęrentes, dilectos filios Fratres Ordinum Armenorum S. Baſilii, ac etiam Unitorum, ſeu qui Uniti, & Armeni nuncupantur, ſub cura & regimine Ordinis Fratrum Prędicatorum, auctoritate Apoſtolica ſubiicimus, & ponimus per pręſentes, ſtatuentes, & etiam ordinantes, quod deinceps Magiſter
Decernit ut ſupra. dicti Ordinis pro tempore exiſtens, per ſe, vel alium, aut alios, in domibus & locis omnibus dictorum Fratrum, Generales, ſeu Gubernatores, ac Vicarios, & alios officiales pro ſuę voluntatis beneplacito amovere, & electos confirmare, ac domos, & loca, ac Fratres hujuſmodi viſitare, & ea, quę correctionis, & reformationis officio noverit indigere, prędicta auctoritate, corrigere, & reformare, prout
Clauſula derogans. de jure, vel de more, & conſuetudine dicti Ordinis fuerit faciendum, ac alia omnia, & ſingula in domibus, & locis prędictis erga Fratres facere, & exercere poſſit, & valeat, quę pręfatus Magiſter in pręfato Prędicatorum Ordine facere poteſt, & debet; gratiis & immunitatibus, quas hujuſmodi Fratres Armeni, & Uniti, circa viſitationis officium per Vicarios, per Magiſtrum prędictum pro tempore de-
Sanctio pœnalis. putandos, in partibus Armenię exercendum, nihilominus in ſuo robore duraturis. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Armenos*.) Conſulendum *Diploma datum 1 Junii MCCCXVIII.*

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Fratres Prædicatores a Capitulo Generali ejuſdem Ordinis ad Doctoris gradum promovendos decernit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. DIlectos filios Thomam Magiſtrum, & Fratres Ordinis Prędicatorum, qui, mundanis abjectis illecebris, Altiſſimo in humilitatis ſpiritu deſervire ſatagunt gerentes in viſceribus caritatis, eorum proventui libenter conſulimus, & illis, quę in diſpendium, & denigrationem Ordinis hujuſmodi vergere conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, libenter obviamus. Hinc eſt, quod Nos, Magiſtri & Fratrum prędictorum in hac parte devotis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, perpetua & irrefragabili Conſtitutione ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod de cetero per-
Decernit ut ſupra. petuis futuris temporibus nullus ex Fratribus dicti Ordinis abſque licentia, ſeu aſſignatione Capituli Generalis, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, ad legendum pro forma, ſeu ad honorem Magiſterii in Theologia promoveri, nec gradu hujuſmodi Magiſterii fungi poſſit, aut debeat, niſi per dictum Capitulum fuerit approbatus, vel promotus; contrarium vero faciens eo ipſo excommunicationis Sententiam incurrat, & ſi per Capitulum prędictum reprobatus extiterit, pro non Magiſtro habeatur; quodque

qui-

quicunque Fratres dicti Ordinis, qui infra decem annos proxime pręteritos ad honorem Magiſterii hujuſmodi promoti, per aſſignationem pręlibati Capituli libros Sententiarum non legerint, & quorum lectura non fuerit per hujuſmodi Capitulum approbata, in proximo Generali Capitulo ſecundum morem ipſius Ordinis, vel per eos quibus id per dictum Capitulum committetur, examinentur diligenter, & niſi per examinationem hujuſmodi digni reperti fuerint ad Magiſterii honorem obtinendum, de cetero Magiſtri in eadem facultate nullatenus cenſeantur. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Provinciarum, & locorum dicti Ordinis, necnon privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel ſpecie, quibusvis Fratribus, Provinciis, ſeu locis, conceſſis, ſeu factis, aut concedendis, ſeu faciendis, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, etiamſi de eis de verbo ad verbum habenda eſſet in pręſentibus mentio ſpecialis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum Statuti, ordinationis, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pontificis.

M. De Sancta Agatha.

F. De Montepolitiano.

Ja. De Bononia.

A tergo autem Diplomatis ſubſcripſerunt

M. De Sancta Agatha.

ll
o
Henricus ooo
o
ll

1. *Decernit.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Ibidem aſſervatur Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol. 175.* Legitur apud *Caſtellanum pag. 37*, in *Conſtitutionibus impreſſis an. MDVII num. XCIII.*

Fratres, Sorores, Cœnobia, Monaſteria, & Domos Ordinis Prædicatorum, ac Hoſpitia Pauperum eidem Ordini ſubjecta ſuo & S. Sedis Apoſtolicæ præſidio tutatur, & ipſos a cujuſcunque Juriſdictione, necnon a quocunque tributo immunes reddit (1).

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. CCXVII.

ETſi pro cunctorum, Chriſti fidelium, ſuper quibus curam officii Summi Pontificatus, divina diſponente clementia, gerere obligamur, ſtatu ſalubriter dirigendo, libenter adhibeamus ſolicitudinis noſtrę partes, illos tamen affectuoſiori ſtudio proſequimur, quorum alii a mundanis abſtracti illecebris, gravibus pęnitentiis dediti, cęleſtibus inhiant, & ad illa per contemplationis pennas ſuavius & altius elevantur ut aquilę, & cum Maria parte optima perfruuntur, alii vero S. Marthę ſolicitudinem ſectantes, celebrationi divinorum vacant ſolertius; alii diſcunt, & docent Dei ſcientiam, & plebem inſtruunt in eadem, alii quoque ferventioris ſpiritus ardore ſucceſi, non timentes, ſed amantes ad converſionem infidelium anhelant intrepidi, ut valeant ad dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis, bonam Domino reddere rationem. Hi profecto ſunt Fratres Ordinis Prędicatorum, in Eccleſia Dei multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus prędicationis per diverſa mundi climata noſcitur exiviſſe. Hi ſunt, quos Deus numero multiplicavit, & meritis, quibus, ſicut & aliis bene currentibus in ſtadio militantis Eccleſię, ęternum bravium elargitur. Quapropter de ipſis curam vigilem gerimus, ut eos in his ſanctis operibus nihil impediat, vel perturbet, ſed ipſi opportunę quietis dulcedine potiantur. Hinc eſt, quod Nos dilecti filii Thomę Magiſtri, & dilectorum Filiorum Priorum, & aliarum perſonarum dicti Ordinis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac fel. rec. Nicolai IV, & Benedicti XI, & nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhęrentes, Ordinem ipſum, ac Magiſtrum, Priores, & Fratres prędictos, pręſentes, & futuros, necnon quaſcunque Sorores, ac domos, Monaſteria, loca, & Hoſpitalia quęcunque, quę ſub cura & regimine Ordinis, & Fratrum Prędicatorum fuerint pro tempore conſtituta, & eorum Rectores, & Gubernatores, cum omnibus ſuis juribus, & pertinentiis, quę in pręſentiarum obtinent, & in futurum, dante Domino, juſtis modis poterunt adipiſci, ab juriſdictione, dominio, ſubjectione, & poteſtate quorumlibet Ordinariorum, & Pręlatorum, ac perſonarum Eccleſiaſticarum, necnon a ſolutione cujuſcunque collectę, pedagii, aut cujuſcunque alterius generis exactionis, de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia, prorſus eximimus, & totaliter liberamus, illaque in jus, & proprietatem B. Petri, & Sedis Apoſtolicę, ſub eorum ſpeciali & immediata protectione ſuſcipimus, atque noſtra; decernentes, Ordinem, Magiſtrum, Priores, & Fratres, & Sorores, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, domos,

Exordium ab encomio Fratrum Prædicatorum.

Præſidio eſt, & eximit ut ſupra.

Monaſteria, loca, & Hoſpitalia ſupradicta, eorumque Rectores, & Gubernatores, cum omnibus juribus & pertinentiis hujuſmodi, ſolum & immediate Sedi ſupradictę ſubjacere, ita quod Ordinarii, & Pręlati, aut hujuſmodi, ſeu quęvis alię perſonę, in ea, utpote prorſus exempta, generaliter vel ſpecialiter, aut communiter, vel diviſim, non poſſint quavis auctoritate excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias promulgare, aut alias etiam ratione delicti, ſeu contractus, vel rei de qua agitur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, poteſtatem ſeu juriſdictionem aliquam quomodolibet exercere. Quodque Magiſtri, Priores, Fratres, Sorores, Rectores, &

Nota. Gubernatores prefati, ratione domorum, locorum, Monaſteriorum & Hoſpitalium prędictorum, aut quorumcunque aliorum bonorum, aut poſſeſſionum, quę in pręſentiarum habent, & juſtis modis, pręſtante Domino, habebunt in futurum, ſeu alia quavis occaſione, decimam, vel aliam portionem, aut annuos redditus, ſeu cenſum, vel procurationem aliquam, vel aliam ſubjectionem, Legatis, vel Nunciis dictę Sedis, aut Ordinariis locorum, vel aliis quibuſcunque, aut pedagia, vel telonea, & alias exactiones, quibusvis Regibus, ſeu aliis perſonis eccleſiaſticis, vel ſecularibus dare, & ſolvere minime teneantur, nec ad id compelli poſſint, vel ſuper hoc, aut alias a quoquam quomodolibet conveniri per literas Sedis prędictę, aut Legatorum, vel Delegatorum, ſeu Nunciorum ipſius, aut Diœceſanorum locorum,

Clauſula derogans. vel Rectorum terrarum, Eccleſię Romanę, aut quorumcunque aliorum, etiamſi in ejuſdem Sedis literis contineatur expreſſe, quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, ſeu Monaſteria ſe extendant, & aliqua eis, cujuſcunque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia non obſiſtat, niſi forſan dictę literę Apoſtolicę de dicto Ordine, & pręſentibus de verbo ad verbum, ac etiam Monaſteriis, locis, & domibus, ipſorumque Rectoribus, ac Gubernatoribus, & perſonis prędictis, plenam & expreſſam, ac etiam ſpecialiter, & notanter fecerint mentionem. Et nihilominus volumus, & eiſdem Magiſtro, Prioribus, &

Decretum irritum faciens. Fratribus auctoritate Apoſtolica concedimus, quod ipſi de pręſentibus, & in eis contentis alicui, ex locorum Ordinariis, quoad vixerit, niſi ſemel tantum, ſi ſuper hoc per eum fuerint requiſiti, fidem facere nequaquam teneantur, nec ad id a quoquam inviti valeant coarctari; fel. rec. Innocentii PP. IV, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, legibus Imperialibus, Statutis & conſuetudinibus, per quę pręmiſſa poſſent quomodolibet infringi, vel impediri, & aliis in contrarium editis, non obſtantibus quibuſcunque. Nos enim quaslibet excommunicationum ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, & quoſcunque proceſſus, quaſvis pęnas, ſententias continentes, quas, & quos contra Magiſtrum, Priores, Fratres, Sorores, domos, & hoſpitalia, perſonas, & alia ſupra dicta, contra tenorem, & formam pręſentium, & exemptionis hujuſmodi promulgari, & haberi contigerit, irritos decernimus, penitus & inanes. Nulli ergo &c. noſtrę exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, voluntatis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Reddit.*) Coſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V*, & X.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLVIII fol.* 173. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 90. apud *Fontanam Monumen. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. MCCCCII pag.* 272. Autographum eſt *Barchinone* in Cœnobio *S. Catharinę*. Exemplar authenticum habetur in Archivo Ordinis *Lib. R. fol.* 171. Aliud ibidem aſſervatur ex Authentico, quod tenet Conventus *Patavinus*.

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Magiſtro Ordinis Fratrum Prædicatorum, ut ejuſdem Ordinis Procuratorem Generalem creare poſſit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXVIII. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PErſonam tuam, Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, ac religionis zelo conſpicuam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę ad ſtatum

Exordium. proſperum, & tranquillum Fratrum Ordinis Prędicatorum tendere dinoſcuntur. Hinc eſt, quod Nos, tuis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu, & Succeſſores tui, Magiſtri dicti Ordinis, qui fuerint pro tempore, aliquem ex Fratribus hujuſmodi ad hoc idoneum in dicti Ordinis Procuratorem deputare, & inſtituere, & inſtitutum ab ipſo officio amovere, & alium loco ejus ponere ſemel, & plu-

Indulget ut ſupra. ries, & totiens, quotiens tibi, & ſucceſſoribus tuis videbitur, & placebit, qui ipſo facto omnium Provinciarum, Conventuum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & locorum ipſorum Ordinis, & perſonarum eorundem, ac aliorum prędictorum, & ipſi Ordini ſubjectorum, cenſeatur, & ſit verus Procurator, cujus procurationis officium, vacante Magiſterio ipſius Ordinis, nullatenus expiret, donec ſuper hoc per Magiſtrum proxime ſuccedentem aliter ordinetur, dictuſque Procurator poſſit, & valeat cauſas quaſcunque tam civiles, quam criminales, eccleſiaſticas, ſive mundanas, quas voluerit aſſumere pro dicto Ordine, locis, & ipſorum locorum Conventibus, & Officialibus, ac perſonis prędictis, & ipſorum quolibet, ac etiam eorum nomine, & pro eis tam conjunctim, quam diviſim, per ſe, vel alium, ſeu alios, tam in Romana Curia, quam extra, contra quaſcunque perſonas, Collegia, & Univerſitates movere, proſequi, defendere, & agere, & appellare in judicio, & extra, tam in prima, quam in ſecunda, & tertia inſtantiis, etiam in iis, in quibus requiritur ſpeciale mandatum, totiens quotiens, ſemper & quandocunque ſibi videbitur, & placebit, ſecundum poteſtatem per te, vel Succeſſores tuos hujuſmodi ſibi traditam, vel tradendam, perinde ac ſi ab Ordine, & locis, Officialibus, & perſonis prędictis, ſibi data eſſet omnimoda poteſtas, cum pleno, libero, & generali, & ſpeciali mandato ad cauſas antedictas, tibi, & Succeſſoribus tuis Magiſtris hujuſmodi, de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia, tenore

prę-

Digitized by Google

pręſentium indulgemus. Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, Provinciarum, & locorum prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę Conceſſionis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Clauſula derogans.
Sanctio pœnalis.

X
X

M. De Sancta Agatha;

F. De Montepolitiano.

J. De Bononia.

A tergo Diplomatis legitur.

V. (3) De. Pala. U.

1. *Poſſit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Uſuſmarem pag. 95, Confettium pag. 26, Caſtellanum pag. 84.*

3. *V.*) Illud ſic interpretaret: *Viſa de Palatio.*

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Diplomata, quibus abutebantur nonnulli, reſcindit; & cavet, ne Fratres Prædicatores, legi obtemperationis ſimulatione, Magiſtri & Generalis Capituli imperium detrectent (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CCXIX.

Romanus Pontifex, juſtitię pręcipuus conſervator nonnunquam indulta, & ordinata per eum revocat, & commutat, prout varietatibus temporum id conſpicit ſalubriter expedire. Sane dudum quondam Raymundi Magiſtri, & nonnullorum aliorum Fratrum Ordinis Prędicatorum ſupplicationibus annuentes, certa Statuta, Ordinationes, Conſtitutiones, & deputationes per pręfatum Raymundum Magiſtrum facta, & ordinata auctoritate Apoſtolica ſub data V Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Octavo per noſtras literas confirmavimus, & inſuper per alias noſtras literas ſub data V Kalend. Aprilis Pontificatus noſtri Anno Duodecimo dilectis filiis Diffinitoribus Capituli Generalis ejuſdem Ordinis tunc celebrandi, necnon Magiſtro per ipſos eligendo, ac univerſis, & ſingulis Prioribus Provincialibus, & aliis Pręſidentibus pręfati Ordinis, qui tunc erant, & qui pro tempore forent, diſtrictius inhibuimus, ne in pręfato Capitulo publice, vel occulte, directe, vel indirecte, quovis quęſito colore tunc, & impoſterum contra Ordinationes, & Statuta pro reformatione obſervantię regularis, etiam circa clauſuram Monaſteriorum Monialium ſub cura Fratrum Prędicatorum viventium per eundem Raymundum edita aliquid attemptare, ſeu immutare, aut innovare, aut perſonas, Conſtitutiones prędictas ſervantes, moleſtare pręſumerent; ac mandavimus, quod ipſi omnia, & ſingula pro reformatione hujuſmodi, etiam circa Clauſuram Monaſteriorum prędictorum, ſtatuta, & ordinata permitterent in ſuo robore permanere, prout hęc, & alia in omnibus ſupradictis literis plenius continentur. Et, ſicuti accepimus, nonnulli ex dictis Fratribus, qui hujuſmodi regularem obſervantiam ſervare prętendunt, prędictarum literarum noſtrarum, & in eis contentorum prętextu, ab obedientia, & ſubjectione Magiſtri ejuſdem Ordinis, & Capituli Generalis, & aliorum Superiorum ſuorum ſe ſubtrahunt, eiſque obedire, & parere contemnunt, propter quę diſſenſiones, ſcandala, & alia inconvenientia multa ſequuntur. Nos itaque ſtatum omnium pręmiſſorum, ac literarum omnium prędictarum tenores habentes pręſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac ſuper pręmiſſis, prout ex debito officii Paſtoralis aſtringimur, ſalubriter providere volentes, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, exemptiones, immunitates, libertates, & privilegia quęcunque, necnon prędictas, & quaſcunque alias literas, ipſis Fratribus ſuper hujuſmodi obſervantia regulari facta, conceſſa, & indulta, ac omnia alia & ſingula ultra Regulam prędictam, & Conſtitutiones dicti Ordinis per Magiſtrum dicti Ordinis facta, & ordinata, innovata, vel conceſſa, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum, etiamſi de illis, & totis eorum tenoribus in pręſentibus eſſet ſpecialis, & expreſſa mentio facienda, ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, & irritamus, & pro caſſis, & irritis haberi volumus & mandamus. Statuentes, ac etiam ordinantes, quod omnes, & ſinguli hujuſmodi Fratres Magiſtro & Capitulo Generali, ac Prioribus Provincialibus, aliiſque Superioribus dicti Ordinis ſint ſubjecti, ac ipſorum correctionibus, & mandatis in omnibus, ac per omnia obedire, acquieſcere, & parere, ac ſubjacere teneantur, & debeant, ac ſi exemptiones, immunitates, libertates, & privilegia, ac literę hujuſmodi, quę ipſis Fratribus nolumus aliquatenus ſuffragari, minime factę, aut conceſſę forent, prędictis literis & aliis in eis contentis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam, noſtrę revocationis, caſ-

Exordium.
Hujuſce Diplomatis cauſa.
Reſcindit ut ſupra.
Sanctio pœnalis.

caſſationis, irritationis, voluntatis, mandati, ſtatuti, & Ordinationis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kalend. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

X
X
X
X

J. De Bononia.

A tergo Diplomatis legitur

R^ta^. gratis

Jo. De Truvànis.

1. *Detrectent.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum ſericis filis appenditur. Ibidem aſſervatur Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLVIII fol. 11.*

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Ordinem Fratrum Prædicatorum variis Privilegiis (1) ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXX.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Thomas Magiſter, ac Priores, & Fratres Ordinis Prędicatorum in humilitatis ſpiritu devotum & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, merita promerentur, ut Apoſtolica Sedes, ipſos, & eorum Ordinem, in illis pręſertim, quę ſalutem animarum, ac ſtatum quietum, & tranquillum in ipſo Ordine procurare noſcuntur, favoribus benignis confoveat, & ſpiritualibus privilegiis, & gratiis proſequatur. Hinc eſt, quod Nos, ipſorum Magiſtri, Priorum, & Fratrum, in hac parte devotis ſupplicationibus inclinati, & fel. rec. Honorii IV, Clementis IV, & Bonifatii VIII, ac nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhęrentes, ut de cetero perpetuis futuris temporibus hujuſmodi Fratres ubilibet conſtituti, candelas, aquam, ſalem, palmas, & alia ornamenta in eorum Eccleſiis, ſervatis ſolemnitatibus conſuetis, benedicere, & ſi forſan Diœceſani locorum ſuper hoc requiſiti infra quatuor menſium ſpatium id facere recuſaverint, vel, quod abſit, eoſdem Fratres propterea in expenſis, aut alias indebite gravare prǽſumpſerint, ex tunc prędicti Fratres, eorum Eccleſias, Cęmeteria, Oratoria, Altaria a quocunque maluerint catholico Antiſtite, gratiam, & communionem pręfatę Sedis habente conſecrari, & benedici, ac primum lapidem inibi poni facere, quoties fuerit opportunum, ulteriori licentia Diœceſanorum hujuſmodi ſuper his minime requiſita; quodque Magiſter, & Priores prędicti, aut eorum Vicarii eorum ſubditos Fratres, vel Sorores, qui forſan in quoſcunque Fratres dicti Ordinis excommunicationis, aut alias ſententias, ſive pęnas, ſine ſtrepitu, aut alias minus rite promulgaverint, vel manus violentas in Confratres, vel alios quoſcunque Clericos, etiam uſque ad ſanguinis effuſionem, & enormem lęſionem iniecerint, eoſdem Fratres a prędictis, & aliis excommunicationum ſententiis, atque pęnis, quas propterea incurrerint, dummodo lęſio hujuſmodi adeo enormis non exiſtat, quod propterea foret merito Sedes prędicta conſulenda, quoties expedierit, abſolvere, & eum eis ſuper irregularitate, ſi quam, hujuſmodi ſententiis ligati, celebrando divina, vel immiſcendo ſe illis, non tamen in contemptu clavium, aut alias pręmiſſorum occaſione, qualitercunque contraxerint, diſpenſare, eoſque, quoad hoc, in ſtatum priſtinum reſtituere, & quod Confeſſor, quem dictus Magiſter, & quilibet Priorum, & Vicariorum prędictorum pro tempore duxerint eligendum, eoſdem Magiſtrum, Priores, & Vicarios, ſi forſan, pręmiſſorum occaſione, vel alias qualitercunque excommunicationum, aut alias ſententias, & irregularitatem hujuſmodi, quod abſit, incurrerent, abſolvere, & cum eis diſpenſare, aut in ſtatum priſtinum, ut pręfertur, reſtituere; Quod Magiſter, & Priores pręfati, quęcunque Monaſteria Sororum ſub cura dicti Ordinis, vel eidem Ordini commiſſa, & in futurum committenda, quę quidem Monaſteria, & Sorores, ſub ipſorum Magiſtri, & Priorum, ſeu aliorum dicti Ordinis Fratrum, quibus id commiſerint, cura, magiſterio, & doctrina perpetuo mancipari, & eſſe, & quas per eoſdem Magiſtrum, & Priores, prout eis competit, juxta Conſtitutiones ejuſdem Ordinis volumus regulari, per ſe, vel alios ad hoc idoneos, tam in capitibus, quam in membris viſitare, & ea, quę ibidem correctionis, ſeu reformationis officio invenerint indigere, corrigere, & reformare, Prioriſſas, Superiores, & Officiales, necnon Converſos, & familiares ibidem inſtituere, deſtituere, mutare, transferre, & alia ibidem ordinare, & ſub pęnis, de quibus eis videbitur, mandare, & ſtatuere, prout ſecundum Deum viderint expedire, ipſarumque Sororum Confeſſiones diligenter audire, eiſque pro commiſſis, ſi hoc humiliter petierint, debitam abſolutionem impendere, & injungere pęnitentiam ſalutarem, ac illas ex Sororibus ipſis, ac etiam Fratres dicti Ordinis, & alios quoſcunque, qui, ſeu quę, forſan pactum de dote pro recipiendis inibi aliquibus Sororibus fecerint, vel hujuſmodi dotem dederint, vel receperint, aut ſe de hoc qualitercunque intromiſerint, ab hujuſmodi pravitatis labe, necnon excommunicationum, & aliis ſententiis, atque pęnis, quas propterea incurrerint, uſque ad Quinquennium a data pręſentium computandum, abſolvere, & alia circa pręmiſſa neceſſaria facere, & exercere, quoties eis videbitur expedire; Quodque prędictus Magiſter, & alii Pręſidentes in dicto Ordine, ad quos id pertinuerit pro tempore, in correctionibus Fratrum ejuſdem Ordinis, juris ordine poſtpoſito, ſecundum Conſuetudines approbatas, & Inſtituta Ordinis antedicti, pro-

Apices juris non ſervandi in correctione Fratrum.

procedere libere, & licite poſſint, & valeant, eis auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, & ex certa ſcientia, indulgemus. Et nihilominus eiſdem auctoritate, & ſcientia, perpetua & irrefragabili Conſtitutione conſtituimus, & etiam ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus, quęcunque perſonę, cujuſcunque ſtatus, vel conditionis extiterint, quę Eccleſias, ſive loca, quęcunque dicti Ordinis violare, ſeu in eis violentiam damnabilem exercere pręſumpſerint, eo ipſo excommunicationis ſententia ſint innodatę, a qua niſi per Sedem Apoſtolicam, vel Conſervatores, eiſdem Fratribus contra inſerentes eis injurias, vel jacturas, ab eadem Sede deputatos, injuriam paſſis prius debite ſatisfacto, nequeant abſolvi, & quod nullus Secularis, vel Regularis, aliquod Monaſterium Sororum pędictarum, niſi in quantum earum Conſtitutiones, & Statuta id patiantur, vel de Sedis, aut Magiſtri pędicti licentia ſpeciali, intrare, aut aliquę Sororum hujuſmodi inde exire, quoquomodo pręſumant; Contrarium vero facientes ſimili excommunicationis ſententia, a qua pręterquam per Sedem Apoſtolicam, vel Magiſtrum memoratos, aut aliquem ex dictis Fratribus, cui Magiſter pędictus id commiſerit, abſolvi non poſſint, volumus ſubjacere; & quod, ſi quis intra clauſuram alicujus Monaſterii hujuſmodi repertus fuerit, per Superiores, ſeu Priores dicti Ordinis, ſeu de ipſorum mandato, capi, & incarcerari, & ſecundum eorum arbitrium, ac delicti quantitatem, puniri poſſit, & quod quicunque habentes generalem licentiam a Sede pędicta, vel alias qualitercunque abſolvendi in quibuſcunque caſibus, pętextu licentię hujuſmodi, Fratres dicti Ordinis nequaquam abſolvere poſſint, Legatis Sedis Apoſtolicę de Latere miſſis duntaxat exceptis, vel niſi ab eis ſpecialiter & expreſſe, concedatur. Et inſuper ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod quoruncunque Mendicantium Ordinum Fratres, hujuſmodi Pędicatorum Ordinis Fratres, aut Sorores ſubjectas eiſdem, in ipſorum, aut Pędicatorum dictorum aliorum Ordinum Fratres, aut Sorores hujuſmodi, in eorum confratres, aut Sorores, etiam vigore quarumcunque literarum Apoſtolicarum, ſuper hoc hactenus forſan conceſſarum, vel in poſterum concedendarum, etiam, quod ad parem, vel arctiorem poſſint tranſire Ordinem, continentium, niſi in eis de Ordinibus, a quibus recedunt, & ad quos transferendi ſe licentiam obtinuerint, necnon de pręſentibus, & eorum toto tenore ſpecialis & expreſſa mentio habeatur, recipere; Quodque nullus ex Fratribus, aut Sororibus pędictis, aliquem, aut aliquam, ex Fratribus, aut Sororibus hujuſmodi, coram quocunque Judice, qui non ſit de dicto Ordine, ex quacunque cauſa convenire, ſeu facere conveniri, nec a correctione quacunque, ſeu alias ab aliquo Pręlato, ſeu Fratre dicti Ordinis quavis occaſione appellare, aut contra eos querelam proponere, niſi prius coram Provinciali, ſeu Conventuali Priore, ſeu pędicto Magiſtro, & ſuceſſive in Generali Capitulo dicti Ordinis, cauſam & querelam ſuam propoſuerint verbo, vel ſcriptis; quodque Ordinis pędicti contra Ordinis Minorum, nec eiuſdem Ordinis Minorum, Fratres Inquiſitores heretice pravitatis pro tempore exiſtentes contra hujuſmodi Ordinis Pędicatorum Fratres, aut etiam dicti Ordinis Pędicatorum Fratres Inquiſitores, ſine licentia pędicti Magiſtri, aut Priorum Provincialium, contra ipſorum confratres ejuſdem Ordinis inquirere nequaquam poſſint, aut debeant, ſed ſi quis Pędicatorum contra Pędicatorum, ſeu Minorum, & Minores Fratres Inquiſitores hujuſmodi contra Pędicatorum Ordinum Fratres pędictos de pravitate hujuſmodi aliquid pęſenſerint, id ad Sedem pędictam, vel pęfatorum Fratrum Superiores deferre teneantur, & quod nulli de Ordine Mendicantium juxta Eccleſias, vel Oratoria dictorum Fratrum Pędicatorum, ubilibet conſtituta, Eccleſias, vel Oratoria alia infra centum & quadraginta Cannarum ſpatium conſtruere, ſeu conſtrui facere, aut conſtructa recipere poſſint aut debeant, ſeu quoquomodo pęſumant. Omnibus & ſingulis ſupradictis, & aliis quibuſcunque, quorum intereſt, vel intererit quomodolibet in futurum, auctoritate Apoſtolica pęfata diſtrictius inhibentes, ne contra Statuta & Ordinationes, ac tenorem pęſentium venire, aut quidquam attentare, ſeu innovare quoquomodo pęſumant; ac decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, privilegiis, gratiis, indulgentiis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Ordinum pędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de illis, & totis eorum tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum eſſet in pęſentibus mentio facienda, & aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis, Statuti, Ordinationis, Inhibitionis, Conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Appellationes inordinatæ prohibentur.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Privilegiis.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex *Archivo Apoſtolico*, aliud ex Authentico, quod tenet Cœnobium *Mediolanenſe*. Legitur apud *Uſuſmarem pag. 92*, *Confettium pag. 23*, *Caſtellanum pag. 71*, & in *Conſtitutionibus impreſſis anno MDVII num. LXXXVII.*

Mare

Digitized by Google

Anno 1402 Die 27 Aprilis.

Mare magnum, ſeu Diploma quo Gregorius XI Fratrum Prædicatorum Privilegia firmarat, & auxerat, innovat, & confirmat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. EX Apoſtolicę Sedis proviſione, ac perſonarum Deo devotarum, prępertim ſub regulari obſervantia, & in favorem fidei catholicę Domino famulantium, ſtudio pię vitę, devotione provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque Prędeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet, innovatione reſtauret, & auctoritate fulciat innovata. Hinc eſt, quod Nos, veſtris devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quaſdam literas fel. rec. Gregorii PP. XI Prędeceſſoris noſtri, ad inſtar nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum ſuorum, vobis, & Ordini veſtro conceſſas, quas diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, pręſertim cum inciperent vetuſtate conſumi, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa noſtra ſcientia innovamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; Tenor vero dictarum

Innovat, & confirmat ut ſupra. literarum talis eſt. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Virtute conſpicuos &c. (3). Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conceſſionum, & inhibitionum infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Avenioni II Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Ceterum ut earundem literarum tenor ſic inſertus, omnimodam facti, ſeu rei certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem, tenor ipſe per omnia habeat, quę haberent Originales literę

Tenor Literarum Gregorii XI. ſupradictę, & eadem prorſus hujuſmodi tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, quę eiſdem Originalibus literis adhiberetur, ac ſicut eis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, nec per hoc Originales

Sanctio pœnalis. literas dicti Gregorii producere, ſeu oſtendere teneantur. Per hoc autem nullum aliud jus de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Innovationis, Communitionis, Conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Confirmat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo triplex Exemplar; unum ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLVIII fol. 2*, aliud *Libro B. fol. 206*, tertium Authenticum. Legitur etiam apud *Uſuſmarem pag. 95.*
3. *Conſpicuos &c.*) Ut in *Diplomate dato VI Martii MCCCLXXIV* ad finem uſque.

Anno 1402 Die 28 Aprilis.

Mare magnum, Diploma ſcilicet quo Privilegia (1) Fratrum Prædicatorum innovat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis Filiis.... Magiſtro..., Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VIrtute conſpicuos &c. (3) ad inſtar felicis recordationis Johannis XXII, Bonifatii VIII, Clementis IIII, Alexandri IIII, Honorii IIII, & Gregorii XI Roman. Pontificum &c. (4). Vel Receptatores ipſorum excommunicationis ſententiam ferre prępumant. Ad hęc liceat Fratribus veſtri Ordinis &c (5). Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrarum conceſſionum, conſtitutionum, & inhibitionum infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum IIII Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

M. De S. Agatha.

F. De Montepolitiano.

Ja. De Bononia.

A tergo Diplomatis legitur

Gratis de mandato Domini noſtri PP.
P. N....

I
o
Henricus o o o
o
I

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo.*
2. *Archivo.*) In quo Autographum.
3. *Conſpicuos &c.*) Ut in *Conſtitutione XXII Bonifatii VIII* ad hæc uſque verba: *Devotioni veſtra.*
4. *Pontificum &c.*) Ibidem ad hæc uſque: *Seu conſtruentes hujuſmodi.*
5. *Ordinis &c.*) Ut in eodem ad finem uſque.

F. Baptiſta (1) de Inſula fit Archiepiſcopus S. Thadæi.

Anno 1402 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXIII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Baptiſtę de Inſula Electo S. Thadęi de Armenia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Bertucio Archiepiſcopo Sancti Thadęi de Armenia regimini Eccleſię Sancti Thadęi de Armenia prę ſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum illam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prę ſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his quavis occaſione, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prę fata Eccleſia per obitum dicti Bertucii Archiepiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus prę ter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de prę ficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi prę ficimus in Archiepiſcopum & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur prę mia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos prę fata Eccleſia ſub tuo felici regimine utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque prę ter ę ternę retributionis prę mium, noſtram, & dictę Sedis benevolentiam, & gratiam uberius conſequi merearis. Volumus autem, quod quam primum prę ſentes literas habueris expeditas ad prę fatam Eccleſiam te transferas, & reſideas perſonaliter in eadem. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Nonas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

F. Baptiſta Bertucio ſuccedit.

1. *Baptiſta*.) De quo in *Appendice ad prę ſentem Pontificatum*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVI fol.* 120.

Tremonienſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantes Indulgentiis donat, & , ut poſſint abſolvi, Priorem delegat ad Confeſſores inſtituendos.

Anno 1402 Die 27 Maii.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

CCXXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prę ſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Termomen. (3), Colonien. Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cę leſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c, qui in feſto Sanctorum Simonis & Judę Apoſtolorum, & Dominica: Judica: a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas incluſive, eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ſingulis videlicet feſti & Dominicę prędictorum diebus illas Indulgentias & remiſſiones peccatorum auctoritate Apoſtolica tenore prę ſentium concedimus, quas Eccleſiam S. Marię ad Eremitas, Conſtantien. Diœceſis, in feſto Exaltationis S. Crucis viſitantes annuatim quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus dilectis filiis Priori dictę Domus pro tempore exiſtenti, ut octo idoneos Presbyteros Religioſos, vel Seculares deputare valeat qui Confeſſionibus Chriſti fidelium hujuſmodi in dictis feſto & Dominica ad Eccleſiam prędictam, cauſa conſequendi Indulgentias ipſas confluentium, & eis confiteri volentium, diligenter auditis, ipſis pro commiſſis debitam abſolutionem impendere valeant, & injungere pro modo culpę penitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate Apoſtolica, tenore prę ſentium, indulgemus. Volumus autem &c. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud S. Petrum VI Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

Facultas abſolvendi.

1. *Tremonienſis*.) In *Germania*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIV fol.* 248.
3. *Termomen.*) *Tremonien.*

Anno 1402 Die 26 Julii.

F. Johannem (1) Lycens Epiſcopum Nachuanenſem inſtituit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Lycens, de Brugis, Electo Nachuanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Johannes Nachuanenſis Antiſtes fit Soltanienſis Archiepiſcopus.

F. Johannes Lycens Epiſcopus Nachuanenſis conſtitutus.

APoſtolatus officium &c. Sane Eccleſia Nachuanen. ex eo vacante, quod Nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Johannem Archiepiſcopum Soltanien. tunc Epiſcopum Nachuanen. a vinculo, quo ipſi Eccleſię Nachuanen., cui tunc pręerat, tenebatur de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Soltanien., tunc Paſtore carentem, duximus auctoritate Apoſtolica transferendum pręficiendo ipſum eidem Eccleſię Soltanien. in Archiepiſcopum, & Paſtorem, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſię Nachuanen. celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, pro eo quod Nos diu ante hujuſmodi vacationem ipſius Eccleſię Nachuanen. proviſionem omnium Eccleſiarum Cathedralium tunc vacantium, & in antea vacaturarum per translationes per Nos faciendas de Pręlatis earum ubilibet conſtitutis ad alias Cathedrales Eccleſias, tunc vacantes, & in antea vacaturas, ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, ne longę vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię Nachuanen. perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Pędicatorum profeſſorem, cui de literarum ſcientia, Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, Nobis, & eiſdem Fratribus accepta, eidem Eccleſię Nachuanen., de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, pręfata Eccleſia Nachuanen. per tuę induſtrię & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem ipſius Nachuanen. Eccleſię ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Nachuanen. gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque proinde pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Dat. Romę apud S. Petrum VII Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo.

1. *Johannem.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVI fol.* 46.

Anno 1402 Die 1 Auguſti.

F. Nicolaum Nocluri quibuſdam Beneficiis eccleſiaſticis donat.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCXXVI.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao Nocluri Ordinis Fratrum Pędicatorum Profeſſori, Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

GRata tuę devotionis obſequia, quę Nobis & Apoſtolicę Sedi hactenus impendiſti, & adhuc ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtis, necnon Religionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque probitatis & virtutum merita, quibus perſonam tuam fide dignorum teſtimoniis juvari percepimus, Nos inducunt, ut tibi reddamur ad gratiam liberales. Nuper ſiquidem per Nos accepto, quod Capella, & Hoſpitale Sancti Antonii canonice unita, Peyren., Conſtantinopolitan. Diœceſis, quę olim per dilectum filium Ludovicum de Taverſio Ordinis Fratrum Pędicatorum, Domus Peyren. profeſſorem, cujus Domus Fratres ad nutum dilectorum filiorum Magiſtri Ordinis, aut Prioris Domus Pędicatorum pro tempore exiſtentium, ad clauſtrum dictę Domus conſueverunt revocari &c. Nos ex certis cauſis ad id noſtrum moventibus animum, pręfatum Ludovicum a regimine, & gubernatione dictorum Capellę & Hoſpitalis auctoritate Apoſtolica per noſtras literas amovimus, & ad clauſtrum dictę Domus revocavimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum itaque Capella & Hoſpitale pędicta ſecundum pręmiſſa vacaverint, & vacent ad pręſens, nullusque de illis pręter Nos hactenus diſponere potuerit, ſive poſſit, pro eo quod Nos diu ante vacationem hujuſmodi omnia beneficia eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura per amotiones quorumcunque per Nos, ſeu auctoritate noſtra faciendas, ex tunc vacantia, & in antea vacatura, collationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kalendis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Conceſſio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XV fol.* 106.

Indul-

Indulgentia trium annorum & totidem quadragenarum viſitantibus Eccleſiam Cœnobii loci Villalon (1), Legionen. Diœceſis.

Anno 1402 Die 20 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ord. lib. B. fol. 36.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCXXVII.

QUoniam, ut ait Apoſtolus, omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti, recepturi unuſquiſque prout geſſit in corpore, ſive bonum fuerit, ſive malum, oportet Nos diem meſſionis extremę miſericordię operibus pręvenire, & illa ſeminare in terris, quę cum multiplicato fructu recolligere valeamus in cęlis, firmam ſpem, fiduciamque tenentes, quod qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet vitam ęternam; Cum itaque, ſicut accepimus, cariſſimus in Chriſto filius noſter Fernandus, Rex Aragonum Illuſtris, quoddam Monaſterium Ordinis Fratrum Prędicatorum in Loco Villalon, Legionenſis Dięceſis, fundaverit; Nos cupientes, ut Eccleſia ipſius Monaſterii congruis frequentetur honoribus, & ut Chriſti fideles eo libentius devotionis cauſa confluant ad eandem, & ad fabricam, ac ornamenta ipſius Eccleſię manus promptius porrigant adjutrices, quo ex his uberius dono cęleſtis gratię conſpexerint ſe refectos, de omnipotentia Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi; omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę & Apoſtolorum Petri, & Pauli feſtivitatibus, & in celebritate omnium Sanctorum, ac in Sanctorum Dominici, ac Fabiani, & Sebaſtiani, & ipſius Eccleſię Dedicationis feſtivitatibus, & in celebritate omnium Sanctorum, & per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, necnon Beati Johannis, Apoſtolorum Petri, & Pauli, S. Dominici prędictorum feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & ad fabricam, ac ornamenta hujuſmodi manus porrexerint, ut pręfertur, ſingulis videlicet Sanctorum Dominici, Fabiani, ac Sebaſtiani, & Dedicationis tres annos, & totidem quadragenas & aliarum feſtivitatum, & celebritatis centum, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum, diebus quibus Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & manus porrexerint, ut pręfertur, quinquaginta dies perpetuis temporibus, & nihilominus pro fabrica, ſeu ornamentis hujuſmodi, quoties hinc ad quinquennium aliquid dederint, etiam centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Ceterum ut omnia, & ſingula, quę pro hujuſmodi relaxationis gratia conſequenda offerri contigerit, vel donari, in uſus ad quos donata, vel oblata fuerint integre convertantur, ſub interminatione divini judicii diſtrictius inhibentes, ne quis cujuſcunque ſtatus, vel conditionis exiſtat, quidquam ex oblatis, vel donatis ipſis, ſibi aliquatenus appropriet, vel uſurpet. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, non poſſit a reatu pręſumptionis hujuſmodi ab aliquo, niſi apud Sedem Apoſtolicam, ac ſatisfactione debita, de illis, quę ſibi appropriaverit, vel uſurpaverit, realiter prius impenſa, pręterquam in mortis articulo conſtitutus, abſolutionis beneficium obtinere. Datum Romę XIII Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Exordium.

Indulgentia.

1. *Villalon.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum, cujus Autographum eſt in Cœnobio de *Villalon*.

Ædes ſacras Wratiſlavienſis (1) Cœnobii viſitantes Indulgentiis donat, &, ut abſolvantur, Priorem delegat qui Confeſſores conſtituat.

Anno 1402 Die 12 Novembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCXXVIII.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus S. Adalberti Wratiſlavien. Ordinis Fratrum Prędicatorum congruis honoribus frequentetur, & conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, necnon ad conſervationem ipſius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei &c. qui in feſtivitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per duos dies feſtivitatem ipſam immediate ſequentes, Eccleſiam prędictam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem Eccleſię prędictę manus porrexerint adjutrices illam Indulgentiam & remiſſionem peccatorum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus, quam viſitantes Eccleſiam B. Marię in Portiuncula extra muros Aſſiſinat. primo & ſecundo diebus menſis Auguſti quomodolibet conſequuntur; Et nihilominus, ut Chriſti fideles ipſi ad Eccleſiam S. Adalberti prędictam in feſtivitate & diebus prędictis propterea confluentes, Indulgentiam hujuſmodi uberius conſequi poſſint, dilecto filio Priori dictę Domus ac octo aliis Presbyteris idoneis tam Secularibus, quam Religioſis, per Priorem dictę Domus, pro tempore exiſtentem, annuatim eligendis, ut ipſi Confeſſiones omnium, & ſingulorum Chriſti fidelium cauſa hujuſmodi Indulgentię conſequendę confluentium in feſtivitate, & prędictis tribus diebus ipſam feſtivitatem immediate pręcedentibus, eadem auctoritate audire, & ipſorum Confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere valeant,

Indulgentia.

Facultas abſolvendi.

ac injungere pro modo culpę penitentiam ſalutarem, niſi forſan talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, prędicta auctoritate de uberioris dono gratię per pręſentes indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum II Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

1. *Wratislavienſis.*) Vulgo *Breslavv*, in *Sileſia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXII fol.* 100.

Anno 1402 Die 14 Novembris.

Lemgovienſis (1) Monaſterii Sorores nonnullis Beneficiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXIX.

Bonifatius Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę & Conventui Monaſterii Sanctę Marię in Lemego (3) per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Ordinis Prędicatorum viventibus, Paderbornen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, in qua gratum Deo jugiter redditis ſub humilitatis ſpiritu famulatum, promeretur honeſtas, ut Sedes Apoſtolica vos, & Monaſterium veſtrum, in his pręſertim, per quę neceſſitatibus veſtris pie conſulitur, ſpecialibus favoribus & gratiis proſequatur. Dudum ſiquidem fel: rec: Urbanus Papa Sextus Prędeceſſor noſter, Abbati Monaſterii Sanctorum Petri, & Pauli Paderbornen., ejus nomine non expreſſo, ſuis dedit literis in mandatis, ut Parochialem Eccleſiam oppidi Lemegen., Paderbornen. Dięceſis, cum ſuis Capellis annexis, & certis Altaribus in ipſa Eccleſia canonice fundatis Monaſterio veſtro auctoritate Apoſtolica perpetuo uniret, & annecteret, ita quod liceret vobis Eccleſię prędictę cum Capellis & Altaribus prędictis, ac jurium & pertinentiarum eorundem poſſeſſionem libere apprehendere, & licite perpetuo retinere, Dięceſani loci, vel cujuſcunque alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, proviſo tamen, quod congrua portio pro perpetuo Vicario, in eadem Eccleſia Domino ſerrvituro, per ipſum Abbatem, de ipſius Eccleſię fructibus, redditibus, & proventibus aſſignaretur, de qua idem Vicarius valeret congrue ſuſtentari, Epiſcopalia iura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare. Poſtmodum vero per vos Nobis expoſito, quod ex huiuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus Eccleſię prędictę quę ipſi Monaſterio veſtro vigore prędictarum literarum per eundem Abbatem incorporata, & annexa canonice fuerunt, & cujus poſſeſſionem habebatis, hujuſmodi portio pro eodem Vicario in eadem Eccleſia cum Capellis & Altaribus ipſis Domino pro tempore ſervituro, ut pręfertur, extiterat inſtituta, ipſeque Vicarius etiam pro tempore tantum ex eiſdem fructibus, redditibus, & proventibus, perciperet, quod incorporatio, unio, & annectio prędictę vobis, quę fere nullos alios utiles redditus, ex quibus congrue ſuſtentari valeatis, in pręſentiarum poſſidetis, modicam admodum adferant utilitatem, Nos tunc, ut, cedente, vel decedente perpetuo Vicario ejuſdem Eccleſię, cum Capellis, & Altaribus ipſis, qui tunc erat, vel alias ipſam perpetuam Vicariam ejuſdem Eccleſię cum hujuſmodi Capellis & Altaribus quomodolibet dimittente, liceret vobis pro tempore eandem Eccleſiam cum Capellis, & Altaribus antedictis per idoneum Secularem Presbyterum ad nutum veſtrum pro tempore ponendum, & amovendum, ad id tamen loci Ordinarii accedente conſenſu, ſumptibus veſtris regi facere, & omnes fructus, redditus, & proventus hujuſmodi portionis, ſeu vicarię, in ſuſtentationem veſtram convertere poſſetis, ita tamen quod in Eccleſia ipſa deſerviretur laudabiliter in Divinis, quodque ratione Vicarię, ſeu portionis hujuſmodi Epiſcopalia jura ſolvere, & alia onera quę eidem Vicario pro tempore incumberent ratione Vicarię, ſeu portionis hujuſmodi, pro tempore teneremini integre ſupportare, vobis per noſtras literas auctoritate Apoſtolica duximus indulgendum, prout in ejuſdem Prędeceſſoris & noſtris literis antedictis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos pro eo quod in ipſis literis Prędeceſſoris ejuſdem per errorem Altaria ipſa ſingulariter, & ſingula quę inferius ſpecificantur, non omnia in Eccleſia, ſeu etiam aliqua in Capellis eiſdem conſiſtant, & eorum annuus valor ſecundum communem exiſtimationem non fuerunt expreſſa, timeatis incorporationem, annectionem, & unionem prędictas, vobis, & Monaſterio veſtro factas, ut pręfertur, quoad eadem Altaria quorum ſingula per ſingulos Rectores gubernantur, inutiles eſſe, Nobis humiliter ſupplicaſtis, ut vobis, quę, ut aſſeritis, quinquaginta aut circa numero eſtis ſub perpetua clauſura manentes, & quę propter diminutionem, & exilitatem facultatum ejuſdem Monaſterii de illis ſuſtentari, & onera incumbentia, vobis, & eidem Monaſterio pro tempore decenter, & congrue ſupportare non poteſtis, in relevamen ſuſtentationis, & ſupportationem onerum commodius eorundem hujuſmodi Beatorum Andreę Apoſtoli, & Catharinę Virginis, Beatorum Marię Magdalenę, Jacobi Apoſtoli, & Marthę Virginis, & Trium Regum, necnon ejuſdem Catharinę Virginis in Eccleſia prędicta, & Sancti Jacobi Apoſtoli, Sancti Nicolai, necnon beatę Marię Virginis, & Sanctę Annę Matris ejus, atque beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac beatorum Thomę Confeſſoris, & earundem Beatarum Marię Magdalenę & Catharinę Virginis, atque omnium Sanctorum, necnon aliud ejuſdem beatę Catharinę Virginis in ejuſdem Sanctę Marię Virginis Capellis ab eadem Eccleſia dependentibus, Altaria ſita, quę ſine cura ſunt, & in quibus pręſentandi ſive Patronatus jus habetis, & quorum omnium viginti, prędicto Monaſterio, cujus quinquaginta marcarum argenti fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut etiam aſſeritis, non excedunt, denuo ex abundanti cautela perpetuo incorporare, annectere, & unire, necnon alias vobis, & eidem Monaſterio in premiſſis ſalubriter providere, de ſpeciali gratia dignaremur; Nos itaque, vobis paterno compatientes affectu, & ne propter carentiam rerum temporalium defectum patiamini, vobis, quantum Nobis ex alto permittitur, conſulere, necnon de alicujus ſubventionis auxilio in augmentum ſuſtentationis, necnon re-

Hac de re geſta refert.

relevamen onerum prędictorum ſubvenire volentes, atque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Altaria prędicta in Eccleſia, & Capellis eiſdem ſita, ut pręfertur, vobis & eidem Monaſterio auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium in perpetuum denuo incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod cedentibus, vel decedentibus dilectis filiis ipſorum Altarium Rectoribus, qui nunc ſunt, vel alias Altaria ipſa quomodolibet dimittentibus, ſimul, aut ſucceſſive, liceat vobis per vos, vel alium, ſeu alios, corporalem ſucceſſionem ipſorum Altarium auctoritate propria libere apprehendere, atque in uſus veſtros perpetuo retinere, ac fructus, redditus, & proventus hujuſmodi eorundem Altarium in augmentum ſuſtentationis, & ſupportationem onerum prędictorum pro tempore convertere, Dięceſani loci, vel alterius cujuſcunque ſuper hoc licentia, ſeu conſenſu minime requiſitis, ita tamen quod ſingula Altaria ipſa in miſſis & aliis divinis obſequiis, prout hactenus fieri conſuevit, per idoneos Presbyteros, etiam ad nutum veſtrum ponendos & removendos, ſumptibus veſtris faciatis pro tempore laudabiliter debite gubernari, necnon Epiſcopalia jura ſolvere, atque alia onera conſueta, etiam ratione ipſorum Altarium teneamini pro tempore integre ſupportare. Non obſtantibus premiſſis atque Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi Altaribus, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis vel legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas & proceſſus habitos per eaſdem quoad eadem Altaria volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutiones Altarium, ſeu beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet literis, indulgentiis, ac privilegiis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum haberi debeat in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę incorporationis, annectionis, unionis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVIII Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Conceſſio.

Clauſula derogans.

1. *Lemgovienſis.*) Vulgo *Lemgovv*, in *Weſtphalia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* CLVI *fol.* 30.
3. *Lemego.*) Vulgo *Lemgovv*, ut dictum eſt.

F. Fredericus (1) de Fulgineo Fulginatenſis Epiſcopus conſtituitur.

Anno 1402
Die 16 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Frederico de Fulgineo Electo Fulginaten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXXX.

Exordium.

Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Honofrio Epiſcopo Fulginaten. regimini Eccleſię Fulginaten. pręſidente, Nos, cupientes ipſi Fulginaten Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam; decernentes irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per ipſius Honofrii obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, ſeu vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus preter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Pręedicatorum profeſſorem, in Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſię de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: in illo, qui dat gratias, & largitur premia, confidentes, quod, dirigente Domino actus tuos, prefata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum, regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: teque pręter ęternę retributionis premium, noſtram, & dictę Sedis Benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVI Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

F. Fredericus ſuccedit Honofrio.

1. *Fredericus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*..

Anno 1403 Die 5 Februarii.

F. Willelmus (1) Belčts Archiepiſcopus Soltanienſis creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXI.

Boniſatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Willelmo Belčts, de Anglia, Electo Soltanieo., Salutem, & Apoſtolicam Benedictiooem.

Exordium.

APoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Eccleſiarum, ex tunc io antea vacaturarum per translationes per Nos ſaciendas de Prętatis eorum ubilibet conſtitutis ad alias Cathedrales Eccleſias, tunc vacantes, & in poſterum vacaturas, ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Soltanien. ex eo vacante, quod Nos venerabilem Fratrem noſtrum Nicolaum Epiſcopum Ferrarien., licet abſentem, a vinculo, quo Eccleſię Ferrarien., cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & apoſtolicę poteſtatis plenitudine, abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Soltanien., tunc Paſtore carentem, auctoritate apoſtolica duximus transferendum, pręficiendo ipſum eidem Soltaoien. Eccleſię in Epiſcopum, & Paſtorem. Cum autem poſtmodum idem Nicolaus Epiſcopus ſuper hujuſmodi translatione & pręfectione de ipſo per nos, ut pręmittitur, factis ad dictam Eccleſiam Soltanieo., literas Apoſtolicas infra tempus debitum, prout ſecundum quandam ordinationem noſtram ſacere tenebatur, confici ſacere non curaverit, & propterea dicta Eccleſia Soltanien. adhuc, ut pręfertur, ſecundum dictam ordinationem vacaverit, & vacet ad prętens, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſię Soltanien. celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa Soltanien. prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficieodo eidem Soltanien. Eccleſię perſonam utilem, & fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum, profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię Soltanien. de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos pręfata Eccleſia ſub tuo felici regimine proſpere, & ſalubriter dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, & prudenter quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis pręmium, noſtrę benevolentię, ac Sedis Apoſtolicę gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Non. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

Nicolaus e Ferrarienſi ad Soltanienſem Sedem transfertur.

In ipſius locum F. Willelmus ſufficitur.

1. *Willelmus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXVI fol.* 38.

Anno 1403 Die 21 Aprilis.

Epiſcopo Roskilden. (1), ut Monaſterium S. Auguſtini de Gabeno Ordinis Prædicatorum fundare poſſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Roskilden. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIę poſtulatio voluntatis effectu debet proſequente compleri, ut & ſacrę Religionis vigor ſuccreſcat uberius, & devotionis ſinceritas laudabiliter eniteſcat. Sane dudum pro parte cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Margaritę Reginę Dacię (3) Illuſtris, Nobis expoſito, quod quondam Ida Relicta quondam Torchilli Nicolai laici, Vidua, de propria ſalute recogitans, & cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, omnia bona ſua, & ſpecialiter Curiam ſuam Gladſaxę in Dięceſi Ludunen. (4) conſiſtentem, ad hoc pia, & provida intentione reliquerat, quod in dicta Curia Monaſterium certi approbati Ordinis ſundaretur, & de bonis eiſdem dotaretur, quodque certa Curia ipſius Reginę, Curia Annos (5) vulgariter appellata, in tua Dięceſi Roskilden. (6) conſiſtens, multo utilior, & etiam commodioſior (7), quod in ipſa hujuſmodi Monaſterium ſundaretur, extiterat, ipſaque Regina zelo devotionis accenſa ad hoc, quod hujuſmodi Monaſterium ſundaretur pariter, & dotaretur in eadem Curia Annos vocata, utpote in loco magis congruo, & honeſto, pręfatam Curiam ſuam pro eadem Curia Gladſaxę deſiderabat permutare, necnon pro parte dictę Reginę Nobis tunc humiliter ſupplicato, ut eandem permutationem fieri per diſcretum aliquem mandaremus; Nos tibi tuo proprio nomine non expreſſo per alias noſtras literas (8) dedimus in mandatis, ut de pręfatis Curiis & de earum valore, atque aliis circumſtantiis univerſis, quę circa hoc forent attendendę, auctoritate noſtra te diligenter informares, & ſi per informationem hujuſmodi reperires, quod pręfata Curia ipſius Reginę melior & utilior eſſet, ad hoc,

Supplex Reginæ Daciæ petitio.

Digitized by Google

hoc, quod dictum Monaſterium inibi fundaretur, quam erat Curia pręfata, per eandem Viduam, ut
pręmittitur, relicta, pręfatam Curiam per eandem viduam relictam pro ipſa Curia ejuſdem Reginę
auctoritate noſtra ſtuderes permutare, prout in ipſis literis plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut
exhibita Nobis nuper pro parte tua, & dictę Reginę, petitio continebat, tu ad executionem dicta-
rum literarum procedens, quia per informationem per te ſuper hoc habitam dictam Curiam Reginę
pręfatę meliorem, & utiliorem, eſſe ad hoc, quod dictum Monaſterium inibi, quam quod in pręfata
Curia memorata fundaretur, unde tu, qui executor, & dicta Regina, quę executrix, ut aſſeritis, ultimę
voluntatis Idę pręfatę per eam deputati fuiſtis, invicem permutationem hujuſmodi feciſtis, quodquę
ſuceſſive tu, & dicta Regina, proinde conſiderantes, quod dictum Monaſterium poſſet in loco vocato Gabe-
no dictę tuę Diecesis tanquam ad hoc magis commodo, & utiliori fundari, unde tu, & Regina pręfati
novum Monaſterium in eodem loco Gabenó conſtrui, & fundari incepiſtis opere non modicum ſumptuo-
ſo, quod etiam perficere, dictumque Monaſterium novum competentibus redditibus dotare proponitis Indulget ut ſupra.
pro una Abbatiſſa pro tempore & Conventu Monialium Ordinis Sancti Auguſtini, quę quidem Abba-
tiſſa & Moniales vivere debeant pro tempore juxta dilectarum in Christo filiarum Prioriſſę & Monialium
Monaſterii S. Agnetis Roſkilden. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis pręfati ſub cura & ſecundum
Inſtituta Fratrum Prędicatorum viventium, mores, & vitam, necnon etiam regularia Inſtituta earundem.
Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ad hoc quod hujuſmodi cultus in eodem Monaſterio novo
pro tempore habeatur, & obſervantia ejusdem Ordinis vigeat, necnon dictum novum Monaſterium in
ſpiritualibus & temporalibus proficere poterit, non mediocriter expediat, immo neceſſarium ſit omnino;
quod Octo vel Novem ex Monialibus dicti Monaſterii S. Agnetis, quę triginta, vel circa ſunt in nume-
ro, ad ipſum novum Monaſterium transferantur, quę perpetuo reſideant, & Domino famulentur in ipſo,
& quę ex ſeipſis unam eligant Abbatiſſam, cujus electio per te, vel ſucceſſores hujuſmodi pro tempore con-
firmetur, quodque Abbatiſſa & Moniales hujuſmodi, ac perſonę, quę in eodem novo Monaſterio reſide-
bunt pro tempore, tuę, & ſucceſſorum tuorum Roskilden., qui erunt pro tempore, juriſdictioni, & poteſ-
tati ordinarię in omnibus ſint ſubjectę, ac per te, necnon ſucceſſores tuos eiſdem Abbatiſſę, & Moniali-
bus ipſis ejuſdem novi Monaſterii idoneus Sacerdos etiam per te, ac per eoſdem ſucceſſores pro tempore
deputetur, qui Miſſas, & alia divina Officia in Capella ſeu Eccleſia dicti novi Monaſterii in prę ſen-
tia earundem Abbatiſſę & Monialium dicti novi Monaſterii celebrare, ipſarum quoque Confeſſiones
audire, necnon eis pęnitentias ſalutares imponere, atque ipſis Eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare pro
tempore ſit aſtrictus, pro parte tua, & dictę Reginę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc, &
alias ſtatui, & utilitati dicti Novi Monaſterii opportune providere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igi-
tur, ut hujuſmodi devotio, quam tu, & dicta Regina non abſque magnę laudis pręconio ad Nos, & ean-
dem Eccleſiam gerere comprobamini, & etiam Divinus cultus & Regularis obſervantia hujuſmodi, in
partibus illis ferventius vigeat, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, recipiendi per te de ipſo Monaſ-
terio S. Agnetis hujuſmodi hac vice duntaxat Octo vel Novem Moniales, de quibus tibi videbitur, ad
hoc idoneas, & utiles, necnon illas ad prę ſatum Monaſterium transferendi, etiam forſan renitentes. ac
inibi collocandi, vel ponendi, quę ſub hujuſmodi obſervantia regulari prę ſati Ordinis juxta eadem Inſti-
tuta, necnon mores, & vitam earundem Abbatiſſe & Monialium dicti Monaſterii S. Agnetis, ibidem vive-
re, necnon in eodem novo Monaſterio S. Auguſtini, quandiu vitam duxerint in humanis, Altiſſimo famula-
ri, & quod unam ex ipſis, ad hoc utilem & idoneam, in Abbatiſſam ejuſdem novi Monaſterii eligere Clauſula derogans.
teneantur, & hujuſmodi electionem, dummodo alias canonice facta fuerit, per te aut ſucceſſores hujuſmodi
pro tempore confirmandi, ipſamque Abbatiſſam pro tempore benedicendi, ac faciendi ſibi per ſubdi-
tos ſuos reverentiam, & obedientiam debitas exhibere, necnon etiam dictum Presbyterum, qui Miſſas &
alia divina Officia hujuſmodi in eadem Cappella, ſeu Eccleſia hujuſmodi in prę ſentia dictarum Abbatiſſę
& Monialium ejuſdem novi Monaſterii celebret, ipſarumque Confeſſiones audiat, & imponat eiſdem pro
commiſſis pęnitentiam ſalutarem, necnon miniſtret Sacramenta hujusmodi. pro tempore deputandi, ac
etiam dictum Monaſterium, quoties expedierit, in capite, & in membris viſitandi, & exceſſus, quos per
Abbatiſſam, & Moniales, necnon alias perſonas hujuſmodi, quas in eodem novo Monaſterio reſidere pro
tempore contigerit, juxta dicti Ordinis regularia Inſtituta hujuſmodi puniendi, & corrigendi. necnon
contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi,
tibi & ſucceſſoribus ipſis pro tempore plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica tenore prę ſentium con-
cedimus facultatem. Volumus autem, & eadem auctoritate decernimus, quod Abbatiſſa & Moniales,
ac perſonę hujuſmodi, quę in dicto novo Monaſterio reſidebunt pro tempore omnibus privilegiis, indul-
gentiis, & gratiis, exemptionibus, ac libertatibus alias uti & gaudere debeant, quibus prędictę Prioriſſa
& Moniales ejuſdem Monaſterii S. Agnetis pro tempore ex Conceſſionibus Apoſtolicis gaudent, ſeu
etiam quomodolibet potiuntur, non obſtante ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit in-
dultum, quod interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes
plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud
S. Petrum XI Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto decimo.

1. *Roskilden.*) In *Dania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLIX fol.64*.
3. *Daciæ.*) Ingens eſt *Europæ* regio, in *Tranſylvaniam*, *Moldaviam*, & *Valachiam* diviſa.
4. *Ludunen.*) Legerem *Lunden*. Metropolis eſt *Scaniæ* Provinciæ. Tunc *Danici* juris erat *Lundis*.
5. *Annos.*) Inter *Jutiam* Septentrionalem & *Hallandiam* Provinciam *Sueciæ* reperitur Inſula parva maris *Baltici*, quæ vocatur *Anotia*, vulgo *Anout*, in *Daniæ* Regno: ibi fortaſſis erat hæc *Curia*, quam Amanuenſis *Annos* nuncupavit. Cujuſdam Cœnobii *Aoſienſis* (Anotienſis) meminit *Bernardus Guidonis in Indice Cœnobiorum Provinciæ Daniæ*.
6. *In tua Diœceſi Roſkilden.*) *Roſkildenſis* quidem Civitas eſt in *Zelandia*, Inſula Regni *Daniæ*, ad Sinum *Iſoram* ſita: Sed ipſius Diœceſis ad Inſulas proximiores, inter quas invenitur *Anotia*, pertinere potuit.
7. *Commodioſior.*) Magis commoda.
8. *Literas.*) Quæ deſiderantur.

Di-

Anno 1403 Die 27 Julii.

Diploma (1), quo B. Benedictus XI Monaſterium S. Annæ de Noceria in Provinciam Siciliæ Ordinis Fratrum Prædicatorum cooptavit, ratum habet & firmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXXIII

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. SAcræ Religionis, ſub qua dilectæ in Chriſto filiæ Prioriſſa, & Conventus Monaſterii S. Annæ Civitatis
Luceriæ (3) Chriſtianorum, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſti-
tuta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prædicatorum viventes devotum & ſedulum exhibent Altiſſimo famu-
latum, promeretur honeſtas, ut votis earum, illis præſertim, per quæ rationabiliter indulta eis illibata
conſiſtant, favorabiliter annuamus. Dudum ſiquidem fel. rec. Benedictus PP. XI Prædeceſſor noſter
quoddam Privilegium dictis Prioriſſæ & Conventui conceſſit, cujus tenor ſequitur, & eſt talis. Benedic-
Tenor Bullæ Benedicti XI. tus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſæ, & Sororibus Monaſteris
Sanctæ Annæ de Nuceria Chriſtianorum, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum
Inſtituta & ſub cura Fratrum Ordinis Prædicatorum viventibus, Salutem. & Apoſtolicam Benedictionem.
Apoſtolicæ Sedis benignitas &c. (4). Nos volentes eaſdem Prioriſſam, & Conventum favoribus proſequi
Confirmat ut ſupra. gratioſis, ac earum in hac parte ſupplicationibus inclinati, Privilegium prædictum, quod in Cancellaria
noſtra inſpici fecimus diligenter, ratum habentes, & gratum, illud auctoritate Apoſtolica ex certa
Sanctio pœnalis. ſcientia, tenore præſentium, confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo
omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ Confirmationis, & Communitionis &c. Datum Romæ apud
S. Petrum VI Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quartodecimo.

1. *Diploma.*) *Conſtitutionem* ſcilicet *XVII B. Benedicti XI* quam conſulas velim.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLVI fol. 6.*
3. *Luceriæ.*) Quæ etiam *Nuceria* nuncupatur.
4. *Benignitas &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad finem uſque.

Anno 1403 Die 22 Decembris.

Ne quis Monaſterium Wyckenſe (1) ingrediatur, & ne Moniales videantur ab extraneis, quos alloquentur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXXIV.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CUpientibus a ſeculi vanitatibus elongari, & relictis mundanis illecebris, virtutum Domino ſub re-
Exordium. gulari obſervantia famulari, præſertim ſeminei ſexus, qui fragilis eſſe probatur, ut per viam ſalu-
tis liberius currere poſſint ad bravium, quod expectat Apoſtolus, convenit adhibere præſidium, ut cum
in hujuſmodi laudabili propoſito ſe confoveri conſpexerint, in ea ferventius inardeſcant. Hinc eſt, quod
Nos, dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſæ & Conventus Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ in oppido
Weyt (3) prope Dunſteden (4) per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum
Prædicatorum, Ordinis S. Auguſtini, Trajecten. Diœceſis, quod quidem Monaſterium, ut ipſæ Prioriſſa,
& Conventus aſſerunt, de novo canonice fundatum extitit, in hac parte precibus annuentes, auctoritate
Apoſtolica, tenore præſentium, ſtatuimus, & ordinamus, quod pro locutorio, & aliæ feneſtræ in eodem
Monaſterio juxta regularia inſtituta, & conſuetudines dicti Ordinis S. Auguſtini deputatæ & ordinandæ
Cavet ut ſupra. pro tempore, ita eſſe debeant, quod etiam vicinis viſus Monialium ipſius Monaſterii, quæ nunc ſunt, &
erunt pro tempore, & quomodolibet aliorum, cum eis, in hujuſmodi feneſtris loquentium pro tem-
pore nequeat haberi, quodque viſitatores, qui etiam ſunt, & erunt pro tempore dicti Monaſterii
quotieſcunque hujuſmodi viſitationis officium in eodem Monaſterio exercendum imminebit, prop-
terea idem Monaſterium intrare non debeant, nec præſumant ullo modo, cum dictum officium etiam
extra ipſum Monaſterium poterint convenienter exercere, & nullus etiam cujuſcunque ſexus, ſeu ſta-
tus, & gradus exiſtat, magno & evidenti caſu excepto, intret præfatum Monaſterium pro tempore ſub
quocunque quæſito colore, niſi Sacerdos tantum ad id pro tempore deputatus, ſive cui ad hoc incum-
bet, indutus pro tunc veſtibus Sacerdotalibus, qui in neceſſitatis articulo infirmis, ſive decumbentibus
Monialibus ipſis præſentibus, & futuris Eccleſiaſtica pro tempore Sacramenta miniſtret, & quibus miniſ-
tratis dictum Monaſterium exeat ſine mora, niſi etiam operarii, dum habent opera neceſſaria pro tem-
pore facere in eodem Monaſterio, cum illis, qui ad hoc per præſidentem fabricæ dicti Monaſterii depu-
tantur pro eorundem operariorum cuſtodia, ad hoc, quod ipſi operarii habeant ſe quiete & diſciplinate
interim quod operabuntur in Monaſterio memorato: quodque cum funus aliquod in ambitu, vel Capella
ipſius Monaſterii fuerit ſepeliendum, poſſint intrare pro tunc decem Viri & totidem Mulieres duntaxat
ambitum vel Capellam hujuſmodi, ut tunc Sacerdotibus, qui ad ſepeliendum dictum funus pro tunc
illic convenerint, toties quoties talis caſus emerſerit, interſint præfatæ ſepulturæ, ſed ea peracta hujuſ-
modi ambitum, vel capellam egredi debeant immediate, & quod tempore introitus extraneorum ad dic-
tum Monaſterium ipſæ Moniales omnes, & ſingulæ debeant eſſe recluſæ in una, vel duabus Domibus præ-
fati Monaſterii, ne ingredientes vel egredientes extranei hujuſmodi eas videant, vel ipſi videantur, nul-
latenus a Monialibus ipſis, indultis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſub quibuſcunque verborum
forma,

Digitized by Google

forma vel tenore Ordinibus ipſis forſan conceſſis, & concedendis, necnon pręfatia & aliis ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii & Ordinum pręfatorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, & ordinationis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum XI Kal. Januarii, Pontificatua noſtri Anno Quinto decimo.

1. *Wyckenſe.*) Vulgo *Wyck*, in Germania inferiori.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXII fol.16.*
3. *Weyt.*) *Wyck.*
4. *Dunſteden.*) *Duerſteden*, in *Geldriæ* Ducatu, in *Germania inferiori.*

Prioratum Domus S. Mariæ de Urbe (1) Fratri Petro Stephani Ordinis Armenorum (2) prorogat.

Anno 1404 Die 1 Martii.

Ex Archiva (3) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopua, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Stephani de Armenia, Priori Domus S. Marię de Urbe, Fratrum Armenorum Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Pręedicatorum viventium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXXXV.

Religionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatia, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut te ſpecialiter favoribus, & gratiis proſequamur. (Exordium.) Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, qui, ut aſſeris, Prioratum Domus S. Marię de Usbe Fratrum Armenorum, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Ordinis Pręedicatorum viventium, olim per dilectum filium Antonium Priorem Generalem dictorum Fratrum Armenorum ſecundum eorundem Fratrum morem tibi commiſſum, a triginta quatuor Annis citra rexiſti, & laudabiliter gubernaſti, prout adhuc regis, & gubernas de pręſenti, & jam octogeſimum ętatis tuę annum attigiſti, ut Prioratum pręfatum, a quo Prior dictę Domus, qui eſt pro tempore, per Priorem Generalem eorundem Fratrum Armenorum pro tempore exiſtentem pro ſolo nutu ipſius Prioria Generalis abſolvi, & amoveri ſolet, quoad vixeris regere, & gubernare, libere valeas, (Indulget ut ſupra.) Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Fratrum, & Domus, ac Ordinum pręfatorum, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia, tenore pręſentium indulgemus. (Sanctio pœnalis.) Nulli ergo &c. noſtrę Conceſſionis &c. Datum Romę apud S. Petrum Kal. Martii, Pontificatua noſtri Anno Quinto decimo.

1. *De Urbe.*) Hinc, etiam *Romæ*, Ordinem *Armenorum* propagatum diſcimus.
2. *Armenorum.*) Fratrum ſcilicet *Unitorum*, de quibus ſæpius dictum eſt.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXII fol.*102.

F. Georgius (1) Panduſius Epiſcopus Priſcenſis & Bodenſis creatur.

Anno 1404 Die 12 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Georgio Panduſio, Electo Priſcen. & Boden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXXXVI.

Divina diſponente clementia &c. (Exordium.) Dudum ſiquidem bonę memorię Andrea Priſcen., & Boden. Epiſcopo Priſcen. & Boden. Eccleſiarum, invicem canonice unitarum, regimini pręſidente, Nos, cupientes ipſis Eccleſiis, cum vacarent, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem earundem Eccleſiarum ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandas; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dictis Eccleſiis per obitum ipſius Andreę Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacantibus, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſarum Eccleſiarum celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſię ipſę longę vacationis exponerentur incommodia, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, (F. Georgius Epiſcopus conſtitutus.) poſt deliberationem, quam de pręficiendo eiſdem Eccleſiis perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Pręedicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eiſdem Eccleſiis, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus; teque illis pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem; curam, & adminiſtrationem ipſarum Eccleſiarum tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo; in illo, qui dat gratias, & largitur pręmia, confidentes quod, dirigente Domino actus tuos, pręfatę Eccleſię per tuę circumſpectionis ſtudium fructuoſum regentur utiliter, & proſpere dirigentur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipient incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, quod Eccleſię ipſę gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeant ſe commiſſas:

tuque preter eterne retributionis premium noſtram & dicte Sedis benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Rome apud Sanctum Petrum IV Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

1. *Georgius.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXI fol.251.*

Anno 1404 Die 16 Auguſti.

Fratribus Ordinis Prædicatorum Cathanien. (1) Eccleſiam S. Mariæ *La Grande* confert.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXVII.

Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Mattheo de Cathania, Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Predicatorum Provincie Sicilie, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcre Religionis, ſub qua devotum & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis preſertim, que ad divini cultus augmentum, & dicti Ordinis propagationem cedere dignoſcuntur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane petitio veſtra, Nobis nuper exhibita, continebat, quod olim Parochiali Eccleſia S. Marie la grande extra muros Cathanien., quam quondam Nicolaus Nicolai ultimus ipſius Eccleſie Rector, dum viveret, obtinebat, per ejuſdem Nicolai obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, dilecti filii

Supplex Fratrum petitio.

Capitulum Cathanien., attendentes, quod dicta Eccleſia admodum paucos Parochianos habebat, prout habet, quodque ipſi Parochiani, juxta quandam conſuetudinem, etiam a tanto tempore, cujus contraria memoria non exiſtit, hactenus obſervatam, ſcilicet, quod predicti, & etiam cujuſcunque Parochialis Eccleſie Civitatis Cathanien. Parochiani pro eorum voluntatis libitu transferint ad alias Parochiales Eccleſias ejuſdem Civitatis, de quibus provideretur eiſdem pro Miſſis, & aliis divinis Officiis audiendis, & recipiendis Eccleſiaſticis Sacramentis, ac etiam pro baptizandis eorum Infantibus, in eiſdem, & quod Domus veſtra vetus, que infra menia Civitatis ejuſdem conſiſtebat, propter guerras, que in illis partibus viguerunt, adeo deſtructa, & deſolata erat, quod vos in eadem remanere, ſeu habitare, nullatenus commode poteratis, ſed abſque certa habitatione vos oporteat evagare, quodque dicta Eccleſia S. Marie pro habitatione veſtra eſſet accommoda, ac locus, in quo dicta Eccleſia conſiſtit, eſſet etiam congruus, & honeſtus, ut in eo nova Domus pro hujuſmodi habitatione veſtra cum domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, ac edificiis fundaretur, ipſique Capitulum, Epiſcopali Sede tunc, & etiam nunc vacante, pietate moti, ac volentes ſuper hoc vobis, quantum erat in eis, congrue providere, propter hoc etiam capitulariter congregati, dictam Eccleſiam B. Marie, ad Collationem Epiſcopi Cathanien. pro tempore exiſtentis pertinentem, ſicut premittitur, tunc vacantem, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ad hoc, quod apud eam pro eadem manſione veſtra pro tempore hujuſmodi novam Domum cum eiſdem hortis, hortalitiis, ac officinis, necnon aliis edificiis opportunis conſtrui faceretis vobis, divine propagationis intuitu, ac precipue pro divini cultus augmento, licet (3) de facto auctoritate ordinaria donarunt, & conceſſerunt, prout in quibuſdam literis inde confectis hujuſmodi Capituli ſigillo munitis, dicitur plenius contineri. Cum autem premiſſa viribus non ſubſiſtant, voſque, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dictam Eccleſiam S. Marie pro hujuſmodi nova Domo pro eadem habitatione veſtra apud ipſam fundanda, & conſtruenda, etiam obſtantibus prohibitionibus Apoſtolicis, recipere nequeatis, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut curam animarum ejuſdem Eccleſie S. Marie totaliter ſupprimere, ipſamque Eccleſiam, cujus omnes fructus, redditus, & proventus quatuor unciarum argenti ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſeritis, non excedunt, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis ſupradictis, pro ejuſmodi manſione veſtra, & nova Domo, cum hortis, hortalitiis, & officinis, ac aliis edificiis antedictis, vobis de novo in perpetuum concedere, & alias vobis in premiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prefatam curam animarum auctoritate Apoſtolica tenore preſentium ſupprimimus, & extinguimus, dictamque Eccleſiam cum ejus cemeterio, cum omnibus juribus, & pertinentiis, ac fructibus, redditibus, & proventibus ſupradictis, in paramentis Eccleſiaſticis, & luminaribus, in ipſa Eccleſia pro dicti cultus augmento pro tempore per vos integre convertendis, ad hoc, ut dictam Eccleſiam recipere, atque apud ipſam hujuſmodi novam Domum cum eiſdem hortis, hortalitiis, officinis, & aliis edificiis, dummodo ad hoc locus ipſe congruus, & honeſtus, ut prefertur, exiſtat, fundari, & edificari facere, & perpetuo retinere, ac inibi vos, & Fratres Ordinis veſtri pro tempore habitare, libere & licite poſſitis, vobis eadem auctoritate Apoſtolica concedimus per preſentes: felicis rec. Bonifatii Pape Octavi, Predeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, aut Villa, vel Caſtro, ſeu alio loco quocunque ad habitandum Domos, vel loca quecunque de novo recipere, aut recepta mutare preſumant, abſque Apoſtolice Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque, proviſo quod Parochiani predicti vicinioris Parochialis Eccleſie ibidem ex nunc in antea Parochiani exiſtant, & eſſe cenſeantur, & pro divinis Officiis audiendis, & Sacramentis Eccleſiaſticis recipiendis ad eandem viciniorem Eccleſiam Parochialem deinceps accedere teneantur, jure tamen alterius cujuſcunque alias in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. noſtre ſuppreſſionis, Conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Datum Rome apud S. Petrum XVII Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto decimo.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

2. Ca-

Digitized by Google

1. *Cathanien.*) *Catanien.*, in *Sicilia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXI fol.* 166.

3. *Licet.*) *Sicut*, vel potius legendum: *Licet de jure non potuerint, de facto &c.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati, Dignitates, Bonifatio IX Summo Pontifice, promotos exhibens.

PATRIARCHÆ.

F. Johannes de Vico, Neapolitanus, Patriarcha Antiochenus. *Ughellus in Mſs. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. III pag.* 45, *ex Plodio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 185 *num. CCCXLIII.* Anno 1391.

F. Matthæus Bandellus, Brixienſis, Patriarcha Conſtantinopolitanus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. I pag.* 43, *ex Luſitano*, *& Plodio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 189 *num. CCCLXII*, *ex Altamura*, *& Rovetta*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. Seculo XIII pag.* 473, *ex Sixto Senenſi*. Cujas fuerit, quove ſeculo Patriarchali dignitate *Matthæus* noſter ornatus fuerit, *nemo detexit hactenus*, inquit *Echard*. Ipſi præluſerat *Fontana*, cujus hæc verba: *Quendam noſtrum P. F. Matthæum*, *cujus familiam*, *patriamque ſilentii tenebris involvunt Scriptores*, *fuiſſe Patriarcham Conſtantinopolitanum*, *certum eſt*. *At quo tempore*, *& ſub quo Pontifice Maximo*, *incertum*. Hæc illi. *Rovetta* tamen in *Bibliotheca Provinciæ Lombardiæ Ord. FF. Prædicatorum* probat ex Monimentis *Bandellæ* Familiæ, *Matthæum* ex eadem proſapia oriundum eſſe; ipſum Patriarchalibus infulis Anno *MCCCXCVIII* inſignitum vult: & alumnum Provinciæ *Lombardiæ* fuiſſe, contendit. Ex *Ambroſio Altamura*, in *Bibliotheca Ordinis*, floruit *Matthæus* anno *MCCCCXXVI*. Anno 1398.

F. Johannes Benedictus, Patriarcha Gradenſis deſignatus. *Conſtitutio CXLIV Bonifatii IX*. Johanni Benedicto cum viro Venerabili *Johanni Dominici* maximam amicitiam fuiſſe, liquet ex Epiſtola, quam paucis ab hinc menſibus publici juris fecit *Johannes Dominicus* noſter *Armanus* in Libro, cui titulus *Monumenta Selecta Conventus Sancti Dominici Venetiarum*: *a pag.* 53 *ad* 73. Qualis porro fuerit, quantuſque *Benedictus* noſter, exhibent abunde prædictæ literæ, uti notat mox laudatus Auctor, cujus hæc verba: *Venetiis natus eſt ſpectabilis domo*, *& ſeculo dives*. *Nobiliſſimæ Benedictorum gentis erat*, *quæ modo inter Patricias familias deſideratur*, *jam anno MDCLIII extincta cum Vincentio*. . . . *Ordinis Prædicatorum nomen dedit*. . . . *ſibique ſeverioris diſciplinæ leges impoſuit*, *Johannis Dominici adductus verbo*, *& exemplo*. *Ab infantia creverat cum ipſo miſeratio erga egenos*: *ac nihili certe habebat ſui ipſius oblivisci*, *atque commodum ſibi omne carnis negare*, *ut afflictorum ſaluti ſuccurreret*. *Florem pudicitiæ a cunabulis illibatum ſervavit*, *ut nedum mens ejus*, *verum ne caro quidem pati ſenſus pruritus videretur*. *Avaritia*, *ſuperbia*, *laſcivia*, *gula*, *ceteriſque vitiis*, *licet verbo glorioſus*, *divitiis affluens*, *refertus amicis*, *nec alius in patria ſimilis*, *Deo dante*, *immunis*, *tanquam fortis Athleta bellum ipſis indixit*, *feliciterque expugnavit*. *Miniſterio verbi maxime pollens*, *proximorum ſaluti totus incumbebat*, *ut ſibi quietem omnem die noctuque negaret*. *Chriſti amore adeo ſuccenſum cor ejus erat*, *ut ſæpe languens deficeret*, *ac præ dulcedine Domini Dei inter ulnas Johannis Dominici caderet*. *Ordinis columna*, *ac ſingulare ornamentum habebatur*: *quod ab eo rapi viſum eſt*, *cum ad Eccleſiam Gradenſem promovit ipſum Romanus Pontifex*, *Bonifatius IX*. *Oblatam fugit tamen dignitatem*, *nec eam licet auctoritate juſſus*, *qua valebat apud ipſum juris & amoris Johannes Dominici unquam admiſit*. *Hæc ſcilicet omnia de Benedicto noſtro refert probatiſſimus teſtis Johannes ipſe Dominici*. Quod lubens ac volens oblatæ dignitati nuncium *Benedictus* remiſerit, auctor eſt idem *Johannes Dominici*, qui *Benedictum* ſic alloquitur in Epiſtola mox laudata: *Silvas petis cum Gregorio Papa*, *fugiens Gradum*, *ad quem ſine tuo velle fuiſti promotus*. . . . . *laudo fugam tuam*, *qui latebras quæris*, *ne Patriarchatum a Summo Pontifice tibi oblatum acceptare cogaris*. . . . . *Qui ergo cum Chriſto*, *Martino*, *Ambroſio*, *& Gregorio fugiſti*, *revertere cum eiſdem*, *Domino te vocante*, *alias cave*. Eo tamen adduci non potuit *Benedictus*, ut acciperet onus Patriarchale. Id liquet ex ſequenti Diplomate, quo ſeries *Gradenſium* Patriarcharum poterit illuſtrari. *Ughellus* enim *Petrum Alexandrum* non novit. *Petrus Amelius* a *Mabillonio*, ceteriſque paſſim nuncupatur. Ab illo Petro *diſtingui non oportere alterum Petrum Chanche*, ſuſpicatur eruditus *Ughelli* Annotator. Ad diem tandem *XXV* Decembris *MCCCC* electionem *Petri Chanche* remittunt Scriptores. Sed in his emendandos eſſe, probat hæc *Conſtitutio* data die *XXII* Septembris Anno *MCCCC*. Legitur in Archivo Apoſtolico *Lib. CXIX fol.* 98 Regeſt. Bonifatii IX. *Bonifatius Epiſcopus*, *Servus Servorum Dei*, *dilecto filio Petro Cancho*, *Electo Graden.*, *Salutem*, *& Apoſtolicam Benedictionem*. *Romanus Pontifex Beati Petri Succeſſor*, *& Vicarius Jeſu Chriſti ad regimen Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium*, *quorum cura ſibi imminet generalis perſonas fidei ſinceritate probatas*, *& aliis virtutum meritis inſignitas aſſumere conſuevit*, *ut nedum Populo ſibi commiſſo recte viveudo*, *normam tribuant*, *ac veritatis*, *& juſtitiæ ſemen ſpargant*, *ſed ſibi ipſis per vitæ meritum*, *& eorum ſubditis proficiant per exemplum*. *Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum Patriarchalium*, *& Metropolitan.*, *ac Cathedralium omnium tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium*, *& in antea vacaturarum ordinationi & diſpoſitioni noſtræ reſervantes*, *decrevimus ex tunc irritum*, *& inane*, *ſi ſecus ſuper his a quoquam*, *quavis auctoritate*, *ſcienter*, *vel ignoranter contingeret attentari*. *Poſt-* Anno 1400 Die 11 Auguſti.

modum vero Eccleſia Graden. ex eo apud eandem Sedem vacante, quod Nos nuper venerabilem Fratrem noſtrum Petrum Alexandrum Graden. Patriarcham, tunc apud Sedem ipſam conſtitutum a vinculo quo ipſi Graden. Eccleſiæ, cui tunc præerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes ipſum ad Alexandrin. Eccleſiam tunc Paſtore carentem duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, præficiendo eum ipſi Alexandrin. Eccleſiæ in Patriarcham, & Paſtorem, Nos ad proviſionem ipſius Graden. Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit neque poteſt reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne præfata Eccleſia Graden. longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Graden perſonam utilem ac etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad dilectum filium Johannem Benedictum Fratrum Ordinis Prædicatorum Profeſſorem, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona dicti Johannis Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſiæ providimus, ipſumque illi præfecimus in Patriarcham, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Graden. Eccleſiæ ſibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo: & deinde ad noſtram fide dignorum relatione producto notitiam, quod dictus Johannes hujuſmodi proviſionem de perſona ſua, ut præfertur, eidem Graden. Eccleſiæ per Nos factam acceptare non curavit hactenus, prout nec curat ad præſens, ne Eccleſia ipſa prolixioris vacationis detrimenta ſubiret, ad proviſionem ejuſdem Eccleſiæ adhuc, ut præmittitur, vacantis, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, celerem, & felicem paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Graden. Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Clericum Caſtellan Diœceſis magiſtrum in artibus, & in minoribus duntaxat ordinibus conſtitutum, cui de vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona dicti Johannis, Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Graden. Eccleſiæ &c. tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias, & largitur præmia confidentes quod eadem Graden. Eccleſia per tuæ circumſpectionis induſtriam & providentiam circumſpectam ſub tuo felici regimine dextera Domini tibi aſſiſtente propitia ſalubriter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prædictam ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod ipſa Graden. Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium noſtram, & Sedis prædictæ benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum X Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1392. F. Johannes de Paſſaviis, Hiſpanus, Archiepiſcopus Saſſarinus, *Saſſari*, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXIV pag.* 97, *ex Diago, Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 181 *num. CCCXXI.*

Anno 1393 Die 23 Auguſti. F. Nicolaus de Ovis, Forocornelienſis, Archiepiſcopus Raguſinus, in ejuſdem nominis Republica. *Ex Tabulario Raguſinæ Metropolis. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXVII pag.* 95, *ex Lib. Obligat. Prælator. Bonif. IX fol.* 37, *Ferrario, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 198 *num. CCCXCIX.*

Circa Annum 1396. F. Matthæus de Empoli, alumnus Romanæ Provinciæ, Archiepiſcopus Rhodius, in ejuſdem nominis Inſula. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXXI pag.* 97, *ex Razzio, Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 189 *num. CCCLXI.*

Anno 1398 Die 26 Auguſti. F. Johannes, ex Epiſcopo *Nachuanenſi*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſide. *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCXCVII pag.* 264, *ex Literis Apoſtol. dat. III Idus Decembr. Pontif. Bonifatii IX anno XII. Cavalerius Tomo I pag.* 220 *num. XXVIII.* Literas a *Fontana* laudatas non vidi, ex Diplomate tamen quod hic ſubiicio, liquet, *Johannem* noſtrum *Soltanienſem* Archiepiſcopum renunciatum fuiſſe VII Kalend. Septembris Pontificatus *Bonifatii IX* Anno Nono, Chriſti MCCCXCVIII. *Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano Petri de Seghes Electo Nachuanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Divina diſponente clementia, cujus inſcrutabili providentia ordinationem ſuſcipiunt univerſa in Apoſtolicæ Sedis ſpecula licet immeriti conſtituti ad univerſas Orbis Eccleſias aciem noſtræ conſiderationis intendimus, & pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo Apoſtolici favoris auxilium adhibemus. Sed de illis perpenſius cogitare Nos convenit, quas propriis carere Paſtoribus intuemur, ut eis juxta cor noſtrum Paſtores præficiantur idonei, qui commiſſos ſibi Populos per ſuam circumſpectionem providam ſalubriter dirigant & informent, ac bona Eccleſiarum ipſarum non ſolum gubernent utiliter, ſed etiam multimodis efferant incrementis. Dudum ſiquidem Johanne Epiſcopo Nachuanen. regimini Nachuanen. Eccleſiæ præſidente, Nos cupientes ipſi Eccleſiæ, dum vacaret, per Apoſtolicæ Sedis providentiam utilem & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi & diſpoſitioni noſtræ ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Nachuanen. Eccleſia ex eo Paſtoris ſolatio deſtituta, quod Nos tunc VII Kal. Septembris, Pontificatus*

catus noſtri Anno Nono, venerabilem Fratrem noſtrum Johannem Soltanien. tunc Epiſcopum Nachuanen., a vinculo quo ipſi Eccleſiæ Nachuanen., cui tunc præerat, tenebatur de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine abſolventes ipſum ad Soltanien. Eccleſiam tunc Paſtore carentem auctoritate noſtra duximus transferendum, præficiendo eum dictæ Eccleſiæ Soltanien. in Epiſcopum, & Paſtorem, deinde vero die V. . . . prædictis vacatione hujuſmodi Nachuanen. Eccleſiæ intellecta de venerabilis Fratris noſtri Franciſci de Tauriſio Ordinis Prædicatorum tunc Profeſſi perſona duximus eidem Eccleſiæ de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providendum præficiendo ipſum Franciſcum eidem Nachuanen. Eccleſiæ in Epiſcopum, & Paſtorem: Ipſeque poſtmodum Franciſcus literis Apoſtolicis ſuper præfectione, & proviſione hujuſmodi non confectis ſibi fecit abſque mandato noſtro, alias tamen rite, extra Romanam Curiam munus conſecrationis impendi. Nos igitur attendentes quod proviſio, & præfectio prædictæ ex eo quod literas Apoſtolicas ſuper hujuſmodi proviſione, & præfectione infra annum, prout juxta quandam ordinationem ſuper hoc editam tenebatur, non fecerit provideri, Juribus non ſubſiſtant, & tandem ad proviſionem ipſius Nachuanen. Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter Nos hac vice ſe intromittere potuit neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia Nachuanen. longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de præficiendo eidem Eccleſiæ Nachuanen. perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum dictis Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Stephanum Petri Ordinis Fratrum Minorum Profeſſum in Sacerdotio conſtitutum, & in Baſilica Principis Apoſtolorum Minorem Pænitentiarium, de cujus Religionis zelo, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, quibus apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſiæ Nachuanen. de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſiæ Nachuanen. tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur præmia confidentes, quod præfata Eccleſia ſub tuo felici regimine gratia tibi aſſiſtente Divina proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quamprimum præſentes literas habueris expeditas ad præfatam Eccleſiam accedas, & perſonaliter reſideas in eadem. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, ſic exercere ſtudeas ſolicite fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque præter æternæ retributionis præmium, noſtram, & Apoſtolicæ Sedis benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XIII Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. CXIX fol.* 89.

F. Antonius Cipollonius, ex Epiſcopo *Æginenſi*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Turritanus, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CIX pag.* 109, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXXIV*, ex *Plodio*, & *Scipione Ammirato*. Anno 1398.

F. . . . . Archiepiſcopus in partibus Orientis. *Cavalerius Tomo I pag.* 193 *num. CCCLXXVII, ex Spondano, & Fontana.* Circa Annum 1401.

F. Ambroſius de Abiate, alumnus Provinciæ Lombardiæ, Archiepiſcopus Mitylenenſis, in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi. *Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXXI*, ex *Plodio. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXCIV pag.* 238. Notandum tamen, quod *Plodius*, & *Fontana* Ambroſium vocant Epiſcopum. Sed Metropolis eſt Eccleſia *Mitylenenſis*. Anno 1402.

F. Baptiſta de Inſula, Archiepiſcopus Sancti Thadæi, in Armenia. *Conſtitutio CCXXI data V Maii MCCCCII. Cavalerius Tomo I pag.* 196 *num. CCCLXXXVII.* Anno 1402 Die 5 Maii

F. Willelmus Belcts, Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſide. *Conſtitutio CCXXXI Bonifatii IX data V Februarii MCCCCIII. Cavalerius Tomo I pag.* 197 *num. CCCXCII*, ex *Fontana*. Emendandi tamen auctores iſti qui *Willelmum* remittunt ad annum *MCCCCIV*. Anno 1403 Die 5 Februarii.

F. Nicolaus Bonitus, ex Epiſcopo *Maſſenſi*, ut in hac *Appendice* dicetur, Archiepiſcopus Arborenſis, in Sardinia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. VI pag.* 54, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 202 *num. CCCCIX.* Anno 1403.

EPISCOPI.

F. Bernardus Bruni, alumnus Lemovicenſis Cœnobii, Epiſcopus Conſoranenſis, *Coſerans*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad Annum MCCCXVIII pag.* 563 *col. II*, ex variis monumentis, quæ laudat. In obituum libro Domus noſtræ *Lemovicenſis* ſic legitur. *Decimo Sexto Kalendas Decembris anniverſarium D. Bernardi Bruni, qui fuit Frater & filius iſtius Conventus, quondam Epiſcopus Conſeranenſis, qui dedit Conventui Graduale, & plures alios libros. Sepultus in dextera parte magni Altaris, & Conventus tenetur tali die facere ſuum anniverſarium.* Circa Annum 1390.

F. Anto-

Anno 1390. F. Antonius Cipollonius, ex Epiſcopo *Feſulano*, ut in *Appendice ad Pontificatum Vrbani VI* dictum fuit, Epiſcopus Volaterranus, *Volterra*, in Hetruria, immediate ſub Sancta Sede. *Vghellus in Epiſcopis Volaterranis pag.* 1457 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLIII pag.* 325. *Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXXIV*. Idem Epiſcopus *Æginenſis fuit*, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno 1390 Die 21 Januarii. F. Jacobus de Altovitis, Florentinus, Epiſcopus Feſulanus, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Vghellus in Epiſcopis Feſulanis Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 256 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXLV pag.* 192. *Cavalerius Tomo I pag.* 201 *num. CCCCVIII.*

Anno 1390 Die 26 Januarii. F. Thomas Renda de Trepano, Epiſcopus Andrevellenſis, ſub Archiepiſcopo Patracenſi, in Peloponneſo. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.*620,*ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.*178 *num. CCCV.*

Anno 1390. F. Alexander Bach, ſeu Bacca, Epiſcopus Aſaphenſis, *Sant Aſaph*, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi, in Anglia. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 24, *& ad annum MCCXCII pag.* 431, *ex Godwino de Præſulibus Angliæ. Cavalerius Tomo I pag.* 178 *num. CCCVI. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 621, *ex Mſs. Bzovianis.*

Anno 1390. F. Mauritius Uſk, Epiſcopus Aturenſis, *Aire*, in Vaſconia, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 620, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius pag.* 178 *num. CCCVII.*

Anno 1390. F. Jacobus de Ockenbrocke, Epiſcopus Sareptenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Conſtitutio IX Bonifatii IX data XIV Novembris MCCCXC.*

Anno 1391. F. Petrus Nicolai, Epiſcopus Olenus, in Achaja, ad oram maris Ionii, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXIII pag.* 251, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 178 *num. CCCIX.*

Anno 1391. F. Bartholomæus Ventura, Epiſcopus Caphenſis, in Taurica Cherſoneſo. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 622, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. pag.* 170 *num. CCCX.*

Anno 1391. F. Kenardus de Villaco, Epiſcopus Tephelicenſis, *Teflis*, in Georgia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXVI pag.* 304, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 179 *num. CCCXI.*

Anno 1391. F. Henricus de Nuſſia, Epiſcopus Sidonienſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLVIII pag.* 295, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 179 *num. CCCXII.* Ipſius mentio in *Conſtitutione I Innocentii VII.*

Anno 1391 Die 7 Auguſti. F. Nicolaus Piſtoris, Epiſcopus Cathneſienſis, *Cathnes*, in Scotia, ſub Archiepiſcopo Andreapolitano. *Conſtitutio XXI Bonifatii IX. Cavalerius Tomo I pag.* 179 *num. CCCXIII. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 622, *ex Mſs. Bzovianis.* Emendandus tamen *Fontana* vocans Epiſcopatum iſtum *Cathaſien.*, & notandum, quod *Cathneſienſis* Epiſcopus *Dunradi* commoratur.

Anno 1391 Die 4 Septembris. F. Petrus de Faya, vel de Faxa, Epiſcopus Agenenſis, ſeu Aginnenſis, *Agen*, ſub Archiepiſcopo Burdigalenſi, in Gallia. *Conſtitutio XXIII Bonifatii IX. Cavalerius Tomo I pag.* 179 *num. CCCXIV. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag* 620, *ex Mſs. Bzovianis.* Varios Auctores laudant *Cavalerius*, & *Fontana*. Hinc iſte revocat, quæ de *Petro Remenſi* Epiſcopo *Aginnenſi* ſcripſerat. Sed hallucinatur. Ut enim liquet ex *Conſtitutione* mox laudata, & ex *Stephano de Borbone*, ac *Bernardo Guidonis* citatis in *Appendice ad Pontificatum Innocentii IV*, *PETRUS* iſte *de FAYA* diſtinguendus eſt a *Petro Remenſi*. Uterque fuit *Aginnenſis* Epiſcopus.

Anno 1391. F. Petrus Scala, Romanus, Epiſcopus Pennenſis, & Hadrianenſis, vulgo *Civita di Penna*, & *Atri*, in Aprutio, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLIX pag.*262, *ex Vghello. Cavalerius Tomo I pag.* 182 *num. CCCXXVII.*

F. Eghi-

F. Eghiſilus, Suecus, Epiſcopus Aroſenen., rectius Aroſien., vulgo *Aroſen*, in Suecia, ſub Archiepiſcopo Upſalienſi. *Laurentius Pignon in Catalogo Promotorum ad Dignitates extra Ordinem. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. I. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LIII pag. 131, ex Plodio, Sampaio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 250 num. CXXIII.* Scripſit *Laurentius Pignon* anno *MCCCXCIV*. Hinc emendandi Scriptores *Eghiſilum* remittentes ad annum *MCCCCL*. Fuit *Eghiſilus* Apoſtolicæ Sedis Legatus. Circa Annum 1391.

F. Garterus de Argentina, Epiſcopus Marmorenſis, in ejuſdem nominis Inſula Propontidis, ſub Archiepiſcopo Cyziceno. *Laurentius Pignon*, & *Echard* mox laudati. *Cavalerius Tomo I pag. 249 num. CXVII, ex Stephano Sampaio, & Plodio*, a quibus *Batterus* nuncupatur, & ad annum MCCCCL remittitur. Circa Annum 1391.

F. Jacobus de Cartagine, Hiſpanus, Epiſcopus Marſiliæ. *Laurentius Pignon in Catalogo Promotorum ad Dignitates extra Ordinem. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. II. Cavalerius Tomo I pag. 253 num. CXLI, ex Sampaio, & Plodio.* Docent iſti, *Jacobum Maſſiliæ*, in *Gallo-Provincia* ſediſſe anno *MCCCCLI*. De anno nulla eſt difficultas. Ex teſtimonio ſiquidem *Laurentii Pignon*, qui ſcripſit anno *MCCCXCIV*, liquet ipſos hallucinari. Sed quænam ſit iſta *Marſilia*, non facile dictu. *Illa Marſilia forte eſt*, inquit *Echard*, *quæ in Locania ſub Cuſentina, nunc Caſſanenſi adunata: certe non Maſſilia Gallica.* Circa Annum 1391.

F. Henricus de Henreberch Epiſcopus Gabanligenſis. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. I, ex Laurentio Pignon* ſæpius laudato. *Quæ hæc Eccleſia*, inquit Echard, *an Gabulenſis, in Patriarchatu Antiocheno ſub Sidonienſi?* Scribendum fortaſſis *Cambalicenſis*, vulgo *Cambalu*, in *Tartaria*. Circa Annum 1391.

F. Dionyſius Gor, Leodii natus, & Cœnobii Leodienſis alumnus, Epiſcopus Brachilienſis, vel Brachialenſis. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 22 col. I, ex Laurentio Pignon. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CV pag. 146, ex Fernandez, & Plodio.* Inſula eſt *Illyrici* nomine *Brachia*. Circa Annum 1391.

F. Jacobus de Bajona, Epiſcopus Bajonenſis, *Bayonne*, in Aquitania, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis in Indice Epiſcopor. pag. 22 col. II, ex Laurentio Pignon. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXI pag. 136, ex Gallia Chriſtiana.* Circa Annum 1391.

F. Johannes de Genenee, Flander, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 22 col. II.* Epiſcopus *Bethleemitanus* ab anno circiter MCCXXIII ſedet apud *Clamecium* in agro *Antiſiodorenſi*, in *Gallia*. Circa Annum 1391.

E*verhardus de Weſterheim, ſeu de Weſtrum, nobili equeſtrique familia natus in Weſtphalia, Epiſcopus Sebaſtenſis, & Suffraganeus Colonienſis, ſub Frederico III Archiepiſcopo LXV obiit III Maii MCCCCXCII. Ex ejus Epitaphio apud noſtros Colonienſes ad cornu Evangelii majoris Altaris. Meminit Heiſter in Suffraganeis Colonien. Omittit Fontana.* Hæc totidem verbis habet *Echard Tomo I Scriptorum Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. I.*

F. Dominicus Florent, Regii Cœnobii San-Maximinenſis alumnus, ex Epiſcopo *S. Pontii Tomeriarum*, ut in *Appendice* præcedenti dictum eſt, Epiſcopus Albienſis, in Occitania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XIX pag. 119, ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius*, ceterique laudati in *Appendice* mox citata. Anno 1392.

F. Johannes Piſanus, Epiſcopus Litterenſis, *Lettere*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXL pag. 217, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 195 num. CCCLXXXVI.* Anno 1392.

F. Henricus Nonis, Epiſcopus Ardachadenſis, *Ardagh*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag. 620, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 184 numero CCCXXXIX.* Anno 1392.

F. Georgius Argentinenſis, Epiſcopus Dimitrienſis, ſeu Antandrenſis, vulgo *S. Dimitri*, in Myſia, ſub Archiepiſcopo Epheſino. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag. 623, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 181 num. CCCXXII.* Anno 1392.

F. Willel-

Anno 1392 Die 19 Februari. F. Willelmus Henrici, Epiſcopus Schalholtenſis, *Schalholt*, in Islandia, Inſula maris Septentrionalis, ſub Archiepiſcopo Nidroſienſi. *Conſtitutio XXVII Bonifatii IX. Cavalerius Tomo I pag.* 181 *num.CCCXVIII.* Sed hallucinatur in paucis vir alioquin eruditus, quæ, cum levioris momenti ſint, ſæpe ſæpius prætermiſſa ſunt, nec hic, aut inferius plerumque notabuntur.

Anno 1392. F. Fauſtinus de Richettis, Brixienſis, Epiſcopus Megarenſis, in Achaia, ſub Archiepiſcopo Corinthio. *Cavalerius Tomo I pag.* 181 *num.CCCXIX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXVI pag.* 232, *ex Mſs. Bzovianis.*

Anno 1392 Die 10 Martii. F. Jacobus Buthem, Epiſcopus Conſtantianenſis, ſeu Conſtantienſis, *Coutances*, in Normannia, ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. *Conſtitutio XXIX Bonifatii IX.* Illum crediderim, qui *Johannes Ruthenus* nuncupatur a *Cavalerio Tomo I pag.* 182 *num. CCCXXVIII*, & a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXCIII pag.* 175, *ex Mſs. Bzovianis*. Fontana ſiquidem, quem *Cavalerius* excepit, fatetur *Johannem Ruthenum* Epiſcopum *Conſtantienſem* conſtitutum fuiſſe VI Idus Martii Pontificatus *Bonifatii IX* anno Tertio, die ſcilicet *X Martii MCCCXCII*, non vero *MCCCXCIII*, ut ipſis excidit.

Anno 1392 Die 27 Septembris. F. Johannes Sproton, Epiſcopus Sodorenſis, ſeu Soderenſis, in Scotia, ſub Archiepiſcopo Glaſcovienſi. *Conſtitutio XXXVI Bonifatii IX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLIV pag.* 297, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 181 *num. CCCXX.*

Anno 1393 Die 24 Januarii. F. Nicolaus Staynecker, Teuto, Epiſcopus Varnenſis, *Varne*, in Bulgaria. *Conſtitutio XLIV Bonifatii IX. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 26 *col. I*, cujus hæc verba. *Nicolaus Stainecher Teuto Epiſcopus Varnenſis, electus a Bonifatio IX anno* 1394 *die* 24 *Januarii. Ex Bulla ipſius Pontificis data Peruſii IX Kalendas Februarii Anno Quarto. Varna civitas eſt in Mœſia ad oſtium Zyræ, quæ olim Odeſſus dicebatur, poſtea Tiberiopolis. Hunc noſtri non norunt.* Sed notandum primo quod hujus Epiſcopi meminit *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. X pag.* 260. Sciendum ſecundo, quod *IX* Kalendas Februarii Annus Quartus Pontificatus *Bonifatii IX* fuit annus Chriſti *MCCCXCIII*, non vero *MCCCXCIV*, electus enim fuerat *Bonifatius* die ſecunda Novembris *MCCCLXXXIX*, & coronatus die *IX* ejuſdem Menſis: Utrum autem *Varna* ſit *Odeſſus*, & *Tiberiopolis*, an vero *Dionyſiopolis*, vel *Strumitza*, de hoc non convenit inter Geographos.

Anno 1393 Die 3 Decembris. F. Nicolaus Wenceslai, Epiſcopus Nazarotenſis, ſub Archiepiſcopo Lariſſano, in Theſſalia. *Conſtitutio XLIX Bonifatii IX. Cavalerius Tomo I pag.* 183 *num. CCCXXXIV.*

Anno 1393 Die 13 Decembris. F. Antonius Arcomannus, Epiſcopus Stabienſis, ſeu Caſtri Maris, vulgo *Caſtello-a-mare di Stabie*, ſub Archiepiſcopo Surrentino, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Epiſcop. Stabien. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 661. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLX pag.* 298. *Cavalerius Tomo I pag.* 188 *numero CCCLIII.*

Anno 1393. F. Nicolaus Bonitus, quem Ughellus *Barutum* vocat, Epiſcopus Tarviſinus, *Trevigi*, in ejuſdem nominis Marchia, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXIV, ex Ughello, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag.* 202 *num. CCCCIX.*

Anno 1394. IDem Epiſcopus Maſſenſis, *Maſſa*, ſub Archiepiſcopo Senenſi, in Hetruria. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXI pag.* 229, *ex Ughello, & Plodio. Cavalerius* mox laudatus. Archiepiſcopus *Arborenſis* fuit *Nicolaus*, ut hac in *Appendice* dictum eſt.

Anno 1394. F. Johannes de Bertholdis, Epiſcopus Fanenſis, *Fano*, in Umbria, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Fanen. Tomo I Italiæ Sacræ pag.*667, *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit.CCXLI pag.* 191. *Cavalerius Tomo I pag.* 199 *num. CCCCI.*

Anno 1394. F. Philippus Froment, Gallus, Antiſiodorenſis, Epiſcopus Nivernenſis, *Nevers*, ſub Archiepiſcopo Senonenſi, in Gallia. *Echard Tomo I Scriptorum Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23, *ex Laurentio Pignon. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXVI pag.* 250, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 189 *num. CCCLIX.* Ille eſt quem nonnulli *Forment*, *Formet*, *Formenti*, & *Frumenti* vocant. Ipſum *Plodius* remittit ad annum *MCCCCLXIV*. Sed in hoc emendandus ex teſtimonio *Laurentii Pignon* hoc anno *MCCCXCIV* ſcribentis.

F. Johan-

F. Johannes de Gronow, Epiſcopus Miſthomenſis. *Miſthium* urbs eſt *Orondicorum*, in *Galatia*, Provincia *Aſiæ minoris*. *Conſtitutio LIV Bonifatii IX*. *Cavalerius Toma I pag.* 183 *num. CCCXXX* ipſum nuncupat Epiſcopum *Muſtorienſem*. Anno 1394 Die 30 Martii.

F. Paulus de Paſanio, Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXI pag.* 188, *ex Actis Conſiſtor. Bonifatii IX*. *Cavalerius Tomo I pag.* 183 *num. CCCXXXII.* Anno 1394 Die 5 Junii.

F. Stephanus Martini, Epiſcopus Ceretenſis, in Valachia. Nunc *Bacoviam* translatus eſt *Ceretenſis* Epiſcopatus. *Conſtitutio LVI Bonifatii IX*. *Cavalerius Tomo I pag.* 183 *num. CCCXXXI.* Anno 1394 Die 8 Junii.

F. Robertus, Epiſcopus Liſmorenſis, *Lyſmore*, & Waterfordenſis, *Waterford*, ſub Archiepiſcopo Caſſilienſi, in Hibernia. *Conſtitutio LIX Bonifatii IX*, in qua *Waterfordenſis* Epiſcopus dicitur Robertus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXXIX pag.* 216, *ex Mſs. Bzovianis* ipſum nominat *Liſmorenſem*, & *Ioathfordenſem* Epiſcopum. Adeas *Cavalerium Toma I pag.* 183 *num. CCCXXXIII.* Anno 1394 Die 9 Septembris.

F. Johannes Zelich, Epiſcopus Glandacenſis, ſeu Glandevenſis, *Glandeves*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Conſtitutio LXXII Bonifatii IX*. *Fontana Theatra Dominicana Parte I Cap. V Tit. CCLXVII pag.* 198, *ex Mſs. Bzovianis*. *Cavalerius Toma I pag.* 185 *num. CCCXLI.* In hoc tamen emendandi Scriptores iſti, quod *Johannem* remittant ad annum *MCCCXCVI*. Anno 1395 Die 8 Novembris.

F. Petrus de Maravilla, Epiſcopus Toloneoſis, *Toulon*, ſub Archiepiſcopo Arelatenſi, in Gallo-Provincia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCI pag.* 309, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.* 193 *num. CCCLXXIV*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 23 *col. I.* Anno 1395 Die 9 Novembris.

F. Conradus Fader, (non vero *Flander*, ut excidit nonnullis) Epiſcopus Arglonenſis, *Arga*, ſub Archiepiſcopo Corinthio, in Romania Moreæ, ſeu Saconia, ut ab aliis nuncupatur, Regio eſt Peloponneſi. *Conſtitutio LXXIII Bonifatii IX*. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 620, *ex Mſs. Bzovianis*. *Cavalerius Tomo I pag.* 184 *num. CCCXXXVII.* Anno 1395 Die 29 Novembris.

F. Antonius Pizzamanus, Epiſcopus Salpenſis, ſub Archiepiſcopo Tranenſi, in Regno Neapolitano. *Ughellus in Epiſcopis Salpen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 919 *Edit. II*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DVII pag.* 283, *ex Fernandez*, & *Plodio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 184 *num. CCCXXXVI.* Circa Annum 1395.

F. Petrus, Epiſcopus Scalenſis, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Conſtitutiones LXXIV*, & *LXXV Bonifatii IX*. Diſtinguendus iſte a *F. Petro, de Pennis* (Petruccio), quem *Ughellus in Epiſcop. Scalen. Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 337 *Edit. II*, *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap V Titulo DXXXII pag.* 291, & *Cavalerius Tomo I pag.* 211 *num. III* Epiſcopum *Scalenſem* fuiſſe, docent. Sed notandum, quod Auctores iſti *Petri* ſucceſſorem, Fratrem ſcilicet *Petruccium*, non noverunt. Hinc aſcribuns *Petro* quicquid evenit *F. Petruccio*. Ad *Termulanam* Sedem translatus eſt *Petrus*, ut mox dicetur.

IDem Epiſcopus Termulanus, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Conſtitutio LXXIV Bonifatii IX.* Anno 1395 Die 1 Decembris.

F. Petruccius de Pennis, Epiſcopus Scalenſis, ſub Archiepiſcopo Amalphitano. *Conſtitutio LXXV Bonifatii IX*. F. Petro ſucceſſit *F. Petruccius de Pennis*, ut mox notatum fuit. Anno 1395 Die 1 Decembris.

F. Bartholomæus Catra, Mediolanenſis, Epiſcopus Placentinus, *Piacenza*, ſub Archiepiſcopo Bononienſi, in Lombardia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXVIII pag.* 265, *ex Taegia*, *Fernandez*, & *Plodio*. *Cavalerius Toma I pag.* 196 *num. CCCXC.* Circa Annum 1395.

F. Robertus Reade, Epiſcopus Carleolenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Eboracenſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 698 *num. XIII*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 26 *col. II*. Idem Epiſcopus *Ciceſtrenſis* fuit, ut in hac *Appendice* dicetur. Anno 1395

Anno 1396 Die 19 Januarii. F. Jacobus de Weſep, Epiſcopus Gybeldenſis, ſeu Gybeletenſis, *Gibel*, in Phœnicia, ſub Patriarcha Antiocheno. *Conſtitutio LXXVII Bonifatii IX*. Ille eſt *Jacobus de Joetex*, de quo *Cavalerius Tomo I pag.* 185 *num. CCCXL*, *&* *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXXII pag.* 201, *ex Mſs. Bzovianis*.

Anno 1396 Die 12 Aprilis. F. Johannes Bruchilla, Epiſcopus Landavenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Conſtitutio LXXIX Bonifatii IX*. *Cavalerius Tomo I pag.* 697 *num. XII*. Idem Epiſcopus *Conventrenſis*, & *Lichfeldenſis* fuit, ut hac in *Appendice* dicetur.

Anno 1396 Die 14 Octobris. F. Simon Saltarelli, ex Epiſcopo *Comaelenſi*, ut in præcedenti *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Tergeſtinus, *Trieſte*, ſub Patriarcha Aquilejenſi, in Iſtria. *Ughellus in Epiſcop. Tergeſtinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 581. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXII pag.* 306, *ex Plodio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 199 *num. CCCCIII.*

Circa Annum 1396. F. Johannem, Epiſcopum Nachuanenſem fuiſſe, conſtat ex *Conſtitutione* hac in *Appendice* tranſcripta: Sed ubinam ſit hæc Sedes, affirmare non auſim. In *Armenia* tamen, vel in *Perſide* ex eo (licet leviſſimo momento) ſita videtur, quod *Armenus*, F. ſcilicet *Franciſcus de Tauriſio* ſucceſſit *Johanni*, & ipſe *Johannes* ex *Nachuanenſi* ad *Soltanienſem* Metropolim *Perſidis* tranſlatus fuit. De hoc Epiſcopatu diſſeretur in *Appendice ad Pontificatum Martini V.*

Anno 1396. F. Antonius Cipollonius, ex Epiſcopo *Volaterrano*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Æginenſis, *Egina*, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Athenienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXII pag.* 188, *ex Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXXIV.*

Anno 1396. F. Antonius Romanus, Epiſcopus Signinus, *Segni*, in Campania Romana, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DL pag.* 296, *Cavalerius Tomo I pag.* 191 *num. CCCLXXV*. *Ughellus in Epiſcopis Signinis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1239, *Edit. II*. Idem Epiſcopus *S. Leonis* fuit, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno 1396 Die 29 Novembris. F. Conradus Lindin de Weſlaria, Epiſcopus Chriſtinopolitanus, ſeu Chriſtianopolitanus, vulgo *Leondari*, *&* *Leontari*, olim Megalopolitanus dictus, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Corinthio. *Conſtitutio LXXXII Bonifatii IX.*

Anno 1397 Die 6 Junii. F. Rodericus Alvari, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Conſtitutio LXXXVI Bonifatii IX*. *Cavalerius Tomo I pag.* 188 *num. CCCLIV*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. VIII pag.* 114, *ex Act. Conſiſtor. Bonifatii IX.*

Anno 1397 Die 11 Julii. F. Johannes de Puig, Epiſcopus Waterfordenſis, & Liſmorenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Caſſilienſi. *Conſtitutio LXXXVIII Bonifatii IX*. Is ipſe eſt *Johannes de Ping*, de quo *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXVIII pag.* 317, *ex Mſs. Bzovianis*, *&* *Cavalerius Tomo I pag.* 186 *num. CCCXLV.*

Anno 1397 Die 28 Septembris. F. Johannes Celli, de Tuderto, Epiſcopus Lidinenſis, Liddinenſis, & Lyddinenſis, vulgo *S. George de Lidde*, in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. Olim Dioſpolis dicta fuit Lydda. *Conſtitutio LXXXIX Bonifatii IX*. Epiſcopus iſte *Lidmenſis* dicitur a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Titulo CCCXXXII pag.* 215, *ex Mſs. Bzovianis*, *&* *Cavalerio Tomo I pag.* 186 *num. CCCXLVI.*

Anno 1397 Die 17 Octobris. F. Nicolaus Tzymermam, Epiſcopus Miſſinenſis, ſeu Miſinenſis, vulgo *Miſini*, in Thracia, ſub Archiepiſcopo Hadrianopolitano. *Conſtitutio XCI Bonifatii IX*. Eccleſiam *Miſinenſem*, ſeu *Druſiparam*, & *Driſiparam*, non norunt *Cavalerius* & *Fontana*. Hinc *Nicolaum* noſtrum præficiunt Sedi *Miſnenſi*, vulgo *Meiſſen*. Epiſcopalis Sedes eſt in *Saxonia Superiori*, ſub Archiepiſcopo *Magdeburgenſi*. Adeas *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXCIII pag.* 238, *&* *Cavalerium Tomo I pag.* 186 *num. CCCXLVII.*

Anno 1397 Die 17 Octobris. F. Johannes, Epiſcopus Danenſis. *Bulla data XVI Kalendas Novembris, Pontificatus Bonifatii IX anno VIII*, apud *Fontanam Monument. Dominican Parte II Cap. XI ad annum MCCCCIV pag.* 277 *col. II*. *Cavalerius Tomo I pag* 186 *num. CCCXLVIII*. Epiſcopatui *Dacenſi* Johannem præficiunt *Cavalerius*, & *Fontana*. Sed in *Conſtitutione CLXXXV Bonifatii IX* legitur *Danen.*, vulgo *Dagno*, in *Dalmatia*, ſub Archiepiſcopo *Antibarenſi*.

F. Nico-

F. Nicolaus de Bonifatio, Epiſcopus Dolienſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Calaritano. *Conſtitutio XCIII Bonifatii IX. Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. XI pag.* 277. *Cavalerius Tomo I pag.* 187 *num. CCCLI.* Anno 1397 Die 28 Novembris.

F. Iſnardus Aquenſis, ex Provinciali Provinciæ, Epiſcopus Sanitienſis, ſeu Senecenſis, *Senez*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLIII pag.* 294, *ex Taegio*, & *Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 217 *num. XVIII.* Anno 1397.

F. Robertus Reade, ex Epiſcopo *Carleolenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Ciceſtrenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius*, & *Echard* ſupra laudati. Anno 1397.

F. Johannes Bruchilla, ex Epiſcopo *Landavenſi*, ut in hac *Appendice* dictum eſt, Epiſcopus Conventrenſis, & Lichfeldenſis, in Anglia, ſub Archiepiſcopo Cantuarienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 697 *numero XII.* Anno 1398.

F. Julianus de Mileto, Epiſcopus Cephaludenſis, *Ceſalu*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLIX pag* 163, *ex Pirro in Sicilia Sacra. Cavalerius Tomo I pag.* 203 *num. CCCCXIV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCX pag.* 752, ubi varios auctores laudat, & emendat. Anno 1398.

F. Johannes de Alemannia, Epiſcopus Lauſanenſis, in Helvetiis, ſub Archiepiſcopo Biſuntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXI pag.* 213, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 189 *num. CCCLX.* Circa Annum 1398.

F. Franciſcus de Tauriſio, Epiſcopus Nachuanenſis fuit, ut ex *Conſtitutione* hac in *Appendice* tranſcripta videre eſt. Circa Annum 1398.

F. Jacobus Norvegius, patria Tribunenſis, profeſſione Raguſinus, Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXX pag.* 233, *ex Razzio*, & *Ferrario*, & *Tit. DXCVIII pag.* 312. *Cavalerius Tomo I pag.* 208 *num. CCCCXLIII.* Anno MCCCCXIII *Jacobum* Epiſcopum renunciatum fuiſſe docent *Cavalerius*, & *Fontana*. Verum conſtat ex publicis tabulis *Raguſinis*, ipſum anno MCCCXCIX hac dignitate donatum eſſe. Circa Annum 1399.

F. Petrus de Averſa, Epiſcopus Bitectenſis, *Bitetto*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Barenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCIII pag.* 142, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 193 *num. CCCLXXVI. Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCCXXII pag.* 773. Anno 1399.

F. Petrus, Epiſcopus Witteceenſis, *Witepsk*, in Lithuania. *Conſtitutio CXXIV Bonifatii IX.* Anno 1399 Die 14 Maii.

F. Jacobus de Gallucio Epiſcopus Stabienſis, ſeu Caſtri Maris, vulgo *Caſtell-a-mare*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Surrentino. *Conſtitutio CXXVI Bonifatii IX. Ughellus in Epiſcop. Caſtri Maris Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 661. *Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXX.* Anno 1399 Die 18 Junii.

F. Mathias, Epiſcopus Biduanenſis, Buduanenſis, & Butuanenſis, vulgo *Budoa*, in Dalmatia Meridionali. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 622, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 188 *num. CCCLVI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 26 *col.* 1. Conſulenda *Conſtitutio Bonifatii IX data XXIII Decembris MCCCCI.* Anno 1399 Die 18 Julii.

F. Nicolaus de Aedya, vel Aedio, Epiſcopus Montis Corbini, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Conſtitutio CXXXI Bonifatii IX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Titulo CCCXCIX pag.* 240, *ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag.* 227 *num. XLIX.* Anno 1399 Die 8 Decembris.

F. Garcias de Caſtronuño, Hiſpanus, Epiſcopus Caurienſis, *Coria*, in Extremadura, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLV pag.* 162. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an MCCCCXIV pag.* 757, *ex Ægidio Gonzalez Davila*, & *Lopez. Cavalerius Tomo I pag.* 211 *num. IV.* Circa Annum 1400.

Anno 1400 Die 15 Februarii. F. Adam Leyns, Epiſcopus Ardachadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Conſtitutio CXXXV Bonifatii IX. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.*620,*ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.*187 *num.CCCL. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.*24. Ceterum ex *Conſtitutione* laudata liquet, hallucinatos Auctores, qui Præſulem iſtum *Ardachadenſi* Sedi præficiunt anno *MCCCXCVIII.*

Anno 1400 Die 17 Februarii. F. Gregorius de Butzkow, Epiſcopus Wladimirienſis, ſeu Wlodimerienſis, & Volodimirienſis, vulgo *Wlodzimierz*, in Polonia. Nunc *Luceoriæ* ſedet Epiſcopus *Wlodimirienſis*, uti notat *F. Frydrychowicz* mox laudandus. Urbs eſt Epiſcopalis in *Volhinia Superiori*, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Conſtitutio CXXXVI Bonifatii IX.* Ejuſdem meminere *Cavalerius Tomo I pag.* 490 *num. CCLXXXIX, Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLI pag.* 325, *ex Mſs. Bzovianis, & Dominicus Frydrychowicz, in Libro, cui Titulus: S. Hyacinthus Poloniæ Patronus &c. pag.* 232. Sed errant in paucis. *Cavalerius* enim vocat ipſum *Georgium*. In eundem errorem impegit *Fontana*, licet a *Bzovio*, quem citat, *Gregorius* appelletur. Emendandus etiam librarius *Fontanæ*, qui Epiſcopum iſtum renunciatum dicit a *Bonifatio* IX anno MDXCI. *Frydrychowicz* vero *Volodimirienſem* Epiſcopatum diſtinguit a *Vladimirienſi*. Illi præficit *Gregorium* anno *MCCCCXXV*; iſti, *Vladimirienſi* ſcilicet, Epiſcopum dat *Georgium de Buczkovio* anno *MDXCI*, & creatum docet a *Bonifatio IX* Kalendis Martii ejuſdem anni *MDXCI*, quo certe nihil abſurdius, cum ab annis *CLXXXVII Bonifatius IX* exceſſiſſet e vivis.

Anno 1400 Die 31 Martii. F. Jacobus Gudrigetti de Lavazola, Epiſcopus Tynnarum, & Michimarum, ſeu Tenius, vulgo *Tina*, & Myconius, vulgo *Micoli*, in eorundem nominum Inſulis Maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Rhodio. *Conſtitutio CXXXVIII Bonifatii IX.* Fratrem *Marcum de Palmerio* earundem Eccleſiarum Epiſcopum deſignatum jam antea fuiſſe, liquet ex Diplomate mox laudato.

Anno 1400 Die 8 Novembris. F. Ulricus Galrati, Epiſcopus Gybeletenſis, ſeu Gylbeldenſis, *Gibeleto, Giblet, Zibellet, & Gibel*, in Phœnicia, ſub Patriarcha Antiocheno. *Conſtitutio CXLIX Bonifatii IX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXXII pag.* 201, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 190 *num. CCCLXVI.*

Anno 1400 Die 19 Novembris. F. Nicolaus Abrahami, Epiſcopus Scarpetenſis, ſeu Carpathius, vulgo *Scarpanto*, in ejuſdem nominis Inſula, inter Cretam, & Rhodum, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXV pag.* 292, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.*191 *num. CLXVII.*

Anno 1400 Die 30 Novembris. F. Nicolaus, Epiſcopus Elethenſis, ſeu Elathenſis, vulgo *Elath*, in Palæſtina, verſus confinia Arabiæ deſertæ. *Conſtitutio CLII Bonifatii IX.* Is ipſe eſt *Nicolaus* Epiſcopus *Ciethenſis*, de quo *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 623, *ex Mſs. Bzovianis, & Cavalerius Tomo I pag.* 193 *num. CCCLXXII.*

Anno 1400 Die 1 Decembris. F. Ricardus, Epiſcopus Leglinenſis, Laghlinienſis, & Lechinienſis, *Laghlin*, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Dublinenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXIV pag.* 213, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 190 *num. CCCLXV.*

Circa Annum 1400. F. Johannes Sartorius, Rutenus, Epiſcopus Ceretenſis, in Valachia inferiori, ſeu potius Moldavia. Bachoviam translatus eſt Epiſcopatus Ceretenſis. Epiſcopi *Cracovienſis* Vicarius fuit Johannes. *Cavalerius Tomo I pag.*195 *num. CCCLXXXV. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLX pag.*165. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 59. *Dominicus Fridrychowicz pag.* 233. Sed notandum quod nonnulli *Johannem Sartorium* diſtinguunt a *Johanne Ruteno*, & utrumque *Ceretenſi* Sedi præficiunt.

Anno 1400 Die 10 Decembris. F. Nicolaus de Pilſua, vel Pilſna, ut a nonnullis appellatur, Epiſcopus Megarenſis, in Achaia, ſub Archiepiſcopo Corinthio. *Conſtitutio CLIV Bonifatii IX. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Titulo CCCLXXVI pag.*232, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.*193 *num. CCCLXXIII.* Emendandi tamen Scriptores iſti *Nicolaum* remittentes ad annum *MCCCCI.*

Anno 1401 Die 7 Januarii. F. Germanus Wyckuder, Epiſcopus Lambergenſis. *Conſtitutio CLXIV Bonifatii IX.* Ipſius mentio apud *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXII pag.* 209, *ex Mſs. Bzovianis, & Cavalerium Tomo I pag.* 192 *num. CCCLXXI.* Sed *Hermannus Joikurd* nominatur a *Fontana*; *Cavalerius* autem vocat ipſum *Joikud*, & legendum cenſet *Lambeſcen.*, non vero *Lambergen.*, quia inquit, *Lambeſcenſis* Epiſcopatus eſt in *Africa*, ſed *Lambergenſem* nullibi reperire eſt.

Anno 1401 Die 11 Julii. F. Nicolaus Trancora, Epiſcopus Accienſis, in Corſica, ſub Archiepiſcopo Genuenſi. *Conſtitutio CLXXXII Bonifatii IX. Ughellus in Epiſcop. Accien. Tomo IV Italiæ Sacræ pag.* 909. *Fontana Theatro Domi-*

Dominicano Parte I Cap V Tit. VI pag. 114. *Cavalerius Tomo I pag.* 188 *num CCCLV*. Ceterum ex laudata *Conſtitutione* liquet emendandos eſſe Scriptores, qui *Nicolaum* Die *IX* Junii *MCCCXCIX* Epiſcopum *Acciensem* creatum docent.

F. Blaſius de Zagabria, Epiſcopus Danenſis, vulgo *Dagno*, in Dalmatia Mediterranea, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi, *Conſtitutio CLXXXV Bonifatii IX*. Succeſſit *Johanni*, e *Danenſi* ad *Civitatenſem* Eccleſiam translato, ut ex Diplomate mox laudato videre eſt. Unum ex noſtris, *Johannem* nomine, *Danenſem* Epiſcopum anno *MCCCXCVII* conſtitutum fuiſſe, dictum eſt in hac *Appendice*. Hinc *Johannes* ille Noſtrates inter qui *Civitatenſes* Epiſcopi fuere, recenſendus quidem videtur, ſed id non auſim affirmare. Anno 1401 Die 18 Julii.

F. Daniel de Leodio, Epiſcopus Gallipolitanus, *Gallipoli*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hidruntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLVII pag.* 195, *ex Mſſ. Bzovianis*. *Cavalerius Tomo I pag.* 197 *num. CCCXCI*. Hujus Epiſcopi non meminit *Ughellus*. Hinc *Cavalerius* merito ſuſpicatur, *Callipolitanum*, noſtris *Gallipoli*, Turcis autem *Geliboli*, Præſulem fuiſſe *Danielem*, in *Thracia*, ſub *Heracleenſi* Metropoli. Anno 1401 Die 5 Augusti.

F. Rater . . . . . . Epiſcopus in partibus Orientis conſtitutus. *Cavalerius Tomo I pag.* 193 *numero CCCLXXVIII*, ex *Spondano*, & *Fontana*. Idem fortaſſis eſt ac præcedens. Circa Annum 1401.

F. Sanctius Mulierii, Epiſcopus Oloronenſis, in Bearnia, ſub Archiepiſcopo Auſcenſi. *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXVI pag.* 758, *ex variis Inſtrumentis*, *& nova Gallia Chriſtiana*. Circa Annum 1401.

F. Bertoldus Voli, Epiſcopus Senaſcopulenſis deſignatus. *Conſtitutio CXCIII Bonifatii IX*. Circa Annum 1401.

F. Nicolaus Poſſeck, Epiſcopus Senaſcopulenſis. *Conſtitutio CXCIII Bonifatii IX*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLII pag.* 294, *ex Mſt. Bzovianis*. *Cavalerius Tomo I pag.* 194. *numero CCCLXXXIII*. Anno 1401 Die 23 Decembris.

F. Otto Roder, Teuto, Epiſcopus Buduanenſis, *Budoa*, in Dalmatia. *Conſtitutio CXCIV Bonifatii IX*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXIX pag.* 141, *ex Regeſt. Bonifatii IX*. *Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXXII*. Ex *Conſtitutione* autem mox laudata emendandus Annus a Scriptoribus iſtis aſſignatus. Anno 1401 Die 23 Decembris.

F. Johannes Tomcus Maravitius, Epiſcopus Boſnenſis, in ejuſdem nominis regione, ſub Archiepiſcopo Colocenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XCIX pag.* 145, *ex Ughello*, *& Ferrario*. *Cavalerius Tomo I pag.* 194 *num. CCCLXXIX*. Suffraganeus, ſeu Vicarius fuit Eccleſiæ *Lucerinæ*, in Regno *Neapolitano*. Anno 1402.

F. Johannes Lycens, de Brugis, Epiſcopus Nachuanenſis. *Conſtitutio CCXXV Bonifatii IX*. De hoc Epiſcopatu dictum eſt hac in *Appendice*. Anno 1402 Die 26 Julii.

F. Fredericus de Fulgineo, Epiſcopus Fulginatenſis, *Foligno*, in Umbria, immediate ſub Sancta Sede. *Conſtitutio CCXXX Bonifatii IX*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLI pag.* 194, *ex Ughello*, & *Plodio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 208 *num. CCCCXLII*. *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis pag.* 757, *&* 758. Adeas *Ughellum in Epiſcop. Fulginaten. Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 702. Ceterum ex *Conſtitutione* laudata emendandi Scriptores Epiſcopum iſtum remittentes ad annum *MCCCCIII* Octobr. *XVII*. Anno 1402 Die 16 Novembris.

F. Antonius de Roma, ex Epiſcopo *Signino*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus S. Leonis, in Calabria, ſub Metropoli S. Severinæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXVIII pag.* 286, *ex Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 193 *num. CCCLXXV*. Anno 1402.

F. Hugo Stoquerius, Gallus, Pariſienſis Doctor, Epiſcopus Trecorenſis, *Treguier*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCVI pag.* 311, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.* 200 *num. CCCV*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 22, *& ad an. MCCCLXXXVIII pag.* 694, *ex Laurentio Pignon*. A nonnullis *Leſtrequer*, *Scoquer*, & *Scokarins* nuncupatur. Epiſcopus *Venetenſis* fuit, ut in *Appendice* ſequenti dicetur. Anno 1403.

F. Mar-

Anno 1403 Die 26 Septembris. F. Marcut Bannerius, de Trano, Epiſcopus Juimenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCVI pag.* 207, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 196 *num. CCCLXXXVIII* legendum cenſet *Julien*. Hujus nouinis variæ Civitates. In quanam ſederit *Marcus*, non facile dictu.

Anno 1403. F. Arnaldus Fredetus, Burdigalenſis, Epiſcopus Rivenſis, *Rieux*, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Toloſano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXCIII pag.*279, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.*198 *num. CCCC*. Suſpicantur nonnulli nec immerito, *Arnaldum* iſtum non diſtinguendum ab *Arnaldo*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Clementis V*, & *Fontanam* hallucinatum ex hoc fuiſſe, quod *Arnaldus Fradetus* Epiſcopus *Conſeranenſis* fundator eſt *Rivenſis* Cœnobii, ibique ſepultus.

Anno 1404 Die 4 Maii. F. Johannes Hoppe, Epiſcopus Rutenenſis, in Moſcovia, ſub Archiepiſcopo Rigenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXCX pag.* 280, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 197 *num. CCCXCIII.*

Anno 1404 Die 12 Maii. F. Georgius Panduſius, Epiſcopus Priſcenſis, & Bodenſis, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Dyrrachio. *Conſtitutio CCXXXVI Bonifatii IX. Cavalerius Tomo I pag.* 197 *num. CCCXCIV*. Eccleſia *Priſcenſis* eadem eſt ac *Juſtiniana prima*, vulgo *Priſrien*, aliis *Priſreen*, nonnullis *Lochrida*, Turcis *Giuſtandil*. Nunc Archiepiſcopalis eſt. Ibi natus eſt *Juſtinianus* Imperator. *Bodenſis* autem, ſeu *Bendenſis*, vulgo *Benda* vocatur.

Circa Annum 1404. F. Hieronimus Genuenſis, Epiſcopus Caphenſis, in Taurica Cherſoneſo, ſub Archiepiſcopo Soltanienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 197 *num. CCCXCV*, ex *Feuillet*, & *Sonegio*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCIV pag.* 749, ex *Leandro*, *Plodio*, *Fernandez*, *Luſitano*, *Altamura*, & *Rovetta*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXIV pag.* 154.

LEGATI.

Circa Annum 1391. F. Eghiſiius Suecus, Epiſcopus Aroſienſis, ut in hac *Appendice* dictum fuit, S. S. Legatus. *Laurentius Pignon*, ceterique hac in *Appendice* laudati.

Anno 1392. BEatus Raymundus de Capua, Generalis Magiſter Ordinis, ad Genuenſes, alioſque Legatus. *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCXCII num. I. Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. X ad an. MCCCXCII pag.* 258, *ex Petro Baiocenſi. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXX pag.* 681. Conſulenda *Conſtitutio XLVII Bonifatii IX.*

Circa Annum 1395. F. Johannes Dominici de Eugubio, S. S. Legatus apud Bavariæ Duces. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCXCI pag.* 704.

Anno 1397 Die 10 Julii. F. Simon de Amatore, S. S. Legatus in Germaniam miſſus. *Conſtitutio LXXXVII Bonifatii IX.*

INNOCENTIUS VII

Coſmatus de Melioratis antea vocatus, patria Sulmonenſis, electus eſt Romæ Die XVII Octobris MCCCCIV. Coronatus (*a*) fuit ibidem Die XI Novembris eodem Anno. Obiit (*b*) Romæ VI Novembris MCCCCVI. Sedit Annos II, Dies XXI.

(a) *Innocentius VII Lib. I pag. 114, 115, & 120.*
(b) *Gregorius XII Lib. I Epiſt. I.*

Fratri Henrico (1) Sydonien. Epiſcopo, ut in quorundam Beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem venire poſſit.

Anno 1404 Die 29 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

I.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Henrico Epiſcopo Sydonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EXigit tuę devotionis, & ſinceritatis affectus, quem ad Nos, & Romanam Eccleſiam habere dignoſceris, ut petitionibus tuis, illis pręſertim, per quę tuis opportunitatibus conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, tuę Civitas, & Diœceſis, populo careant Chriſtiano, nec tibi ad illas propter Saracenorum, Chriſtiani nominis inimicorum, perfidiam tutus pateat acceſſus, tuque in ſcientiis, pręſertim in ſacra pagina, provectus exiſtas; Nos, propterea volentes te, qui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor exiſtis, &, ut aſſeritur, in Civitate & Diœceſi Leodien. pro dilecto filio Johanne electo Leodien. Pontificalia Officia, de licentia Sedis Apoſtolicę, aliquandiu exercuiſti, prout exerces, ne in opprobrium Pontificalis Dignitatis mendicare cogaris, favoribus proſequi gratioſis, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, ut unum, vel duo, Beneficium, ſeu Beneficia, Eccleſiaſticum, ſeu Eccleſiaſtica, conſuetum, vel conſueta per Clericos ſeculares gubernari, ſe invicem compatientia, etiamſi ipſorum unum, vel ipſorum duorum alterum, cum Cura & Parochiali Eccleſia, in partibus, quarum Incolę, & habitatores Idioma Gallicanum, quod tu ignoras, loquuntur, fuerit, ſi tibi alias canonice conferantur, aut eligaris, vel aſſumaris ad illa, recipere, & retinere, illaque ex cauſa permutationis, vel alias, ſimul, vel ſucceſſive, toties quoties tibi videbitur, dimittere, & loco dimiſſi, vel dimiſſorum, aliud, vel alia, ſimile, vel diſſimile, aut ſimilia, vel diſſimilia, Beneficium ſeu Beneficia, Eccleſiaſticum, vel Eccleſiaſtica, invicem compatibilia recipere, & retinere libere, & licite valeas; quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium de ſpeciali gratia diſpenſamus; proviſo, quod Beneficia hujuſmodi debitis non fraudentur obſequiis, & animarum cura in eo, cui imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę diſpenſationis infringere &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Henrico.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. V fol. 60.*

F. Jacobo (1) Ordinis Prædicatorum, Epiſcopo Feſulano, ceteriſque nonnullis in Oratores (2) Petri de Luna.

Anno 1405 Die 23 Aprilis.

Ex Odorico (3) *Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCV num. XII.*

II.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Jacobo (4) Florentino, ac Fratri Jacobo Feſulano Epiſcopis, ac dilecto filio Lucę ſacrę Theologię Magiſtro, Ordinis Humiliatorum, ac Decano dilectorum filiorum Magiſtrorum ſacrę Theologię in Civitate Florentin. exiſtentium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

NUper ad audientiam noſtram relatio, fide digna, perducit, illos ſupplantatores, ac nuncios reprobos iniquitatis alumni Petri de Luna, olim S. Marię in Coſmedin Diaconi Cardinalis, nunc Antipapę, qui ſe Benedictum XIII auſu ſacrilego nominare pręſumit, ad pręſentiam felicis recordationis Bonifatii Papę IX Prędeceſſoris noſtri de Maſſilia (5) tranſmiſſos, tam in Florentina, quam in nonnullis aliis civitatibus, terris, & locis Italię, atque Gallię, publice retuliſſe, pro remotione & extirpatione damnabilis ſchiſmatis ex Dei Eccleſia, pro parte illius, qui eos tranſmiſerat eidem Prędeceſſori noſtro, ad hoc ut unio ſequeretur, obtuliſſe omni via, etiam ceſſionis, & renunciationis, eorum dominum, prout videretur expediens, conſenſurum; & cum pręfatus Prędeceſſor noſter oblatas vias & modos poſſibiles nullatenus acceptaſſet, demum eodem Prędeceſſore noſtro, ſicut Domino placuit, vita functo, poſt aſſumptionem noſtram ad apicem Summi Apoſtolatus ſalvum conductum, ut hujus rei gratia ad noſtram poſſent venire pręſentiam, per dilectos filios Priores artium, & Vexilliferum juſtitię pręfatę Civitatis Florentinę cum inſtantia poſtulatum, per Nos fuiſſe penitus denegatum, ſicque tam Prędeceſſorem noſtrum, quam Nos denegaſſe concluſionem deſiderabilem tanti boni. Nos igitur, attendentes, quanti ſit diſcri-

Hujusce Diplomatis cauſa.

Oratorum Petri de Luna petulantia.

diſcriminis, niſi mentes, quę falſa ſuggeſtione informantur, interdum veritatis lumine illuſtrentur, pręmiſſorum ſeriem per literas noſtras, ut & poſſitis maledicta refellere, & imbutas inique mentes ad viam veritatis reducere, pręſentibus ſub compendio duximus intimandum, quod pręfati, qui fuerunt de Maſſilia tranſmiſſi eidem Prędeceſſori noſtro, unicam conventionis perſonalis viam duntaxat, omnium aliorum incluſivam eorum judicio, & nullius excluſivam ſubſtantialiter obtulerint: quam cum idem Prędeceſſor noſter adverſa depreſſus valetudine, ex qua infra dies paucos migravit ad Dominum, adimplere non poſſet, & eodem viam univerſę carnis ingreſſo, cum mens totius Sacri Collegii venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium, de quorum numero tunc eramus, eſſet circa remotionem hujuſmodi ſchiſmatis, vocati fuerunt ad pręſentiam dicti Sacri Collegii pręfati, qui de Maſſilia venerant, & cum interrogati eſſent, an ad cedendum, & reſignandum nomine eorum domini mandatum haberent ſufficiens, & cederent, nam firmi erant propoſiti Collegium ipſum ceſſione pacta ad electionem novi Pontificis non procedere, Altiſſimo inſpirante, donec ſalutaris proviſio fieret, in re ipſa reſponderunt, ſe mandatum ad rem ipſam non habere, nec juri eorum Domini convenire. Ex quo factum eſt, ſervatis ſolemnitatibus debitis, ne Eccleſia ipſa ſui Paſtoris deploraret incommoda, Spiritus Sancti gratia aſſiſtente propitia; Nos in patrem, & paſtorem eligi. Cumque poſt aſſumptionem noſtram hujuſmodi ſalvum conductum peti feciſſent de Florentia, ut pręfertur, reſponſionem dedimus ad petita, quod, cum noſtrę intentionis exiſteret, prout exiſtit, ut hujuſmodi horrendum, & deteſtabile malum tolleretur ex toto, Regibus, Pręlatis, atque Principibus, & communitatibus, Nobis, & Romanę Eccleſię devotis, quos pręſens etiam tangit negotium, tam per literas, quam Nuncios intimaverimus, requirentes eoſdem, ut uſque ad Feſtum Omnium Sanctorum venirent, vel mitterent, ad noſtram pręſentiam ad conſulendum, & ſuper viis, modis, & formis honeſtis, congruentibus, atque juſtis circa remotionem hujuſmodi ſchiſmatis per Nos ſervandis, & requiſitorum circa materiam hujuſmodi audire conſilia, ſicque illos de Maſſilia directos ſuper alias expoſitis, niſi de novo, quod efficaciter rei conveniret, habere noſceremus, rurſum audire ſupervacaneum arbitrabamur, & ſalvum conductum propterea deſtinare, ſed ſi circa materiam hujuſmodi effectivum aliquod noſceremus declarari, tam ipſis, quam aliis ſalvum conductum, & ſecuritatem concederemus, ut tam ſalutaris concluſio ſequeretur, prout in noſtris ſuper inde confectis literis plenius continetur. Et quoniam veritas, quę non defenſatur, opprimitur, fraternitati, & devotioni veſtrę, & aliorum Chriſti fidelium rerum pręfatarum ſeriem tenore pręſentium declarare decrevimus, vobis nihilominus, Fratres Epiſcopi, & dilecte fili Magiſter, & cuilibet veſtrum in virtute ſanctę obedientię committentes, ac etiam injungentes, quatenus, convocatis conjunctim, vel ſaparatim, per vos, vel aliquem veſtrum univerſis & ſingulis Provincialibus, Miniſtris, Guardianis, & Prioribus, ac Magiſtris in ſacra pagina Ordinum quorumcunque, & Eccleſiarum Pręlatorum, in pręfata civitate Florentina exiſtentibus, tam pręſentibus, quam futuris, in locis, de quibus vobis, vel alicui veſtrum, videbitur, velitis, & debeatis hujuſmodi facti veritatem arioſiſſime declarare: & ut Religioſas, & Eccleſiaſticas quaſcunque perſonas, & etiam laicales, in prędicationibus, & tam publice, quam private, & alias modis omnibus, de quibus diſcretioni veſtrę videbitur, velint, & debeant ſuper pręmiſſis omnibus, & eorum circumſtantiis ſumma cum diligentia exprimere veritatem, ut mentes, quę perverſa ſuggeſtione fuerant aliter informatę, circa veritatem plenarie eruditę agnoſcant, ſe falſis ſuggeſtionibus informatas, & detractorum malitiam ad ſupplantandum fidelium mentes contra Nos, & Eccleſiam, Sponſam noſtram, ſemper deditam, & intentam. Super quibus omnibus vobis, & veſtrum ſingulis, concedimus tenore pręſentium plenariam facultatem. Datum Romę apud S. Petrum IX Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Facta refert.

Ut in vulgus indicetur, F. Jacobum, ceteroſque præponit.

1. *Jacobo.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii IX*.

2. *Oratores.*) Audiendus hic *Odoricus ad an. MCCCCV num. XI* ubi hæc habet: *Inſtructus dolis ac impietate Petrus e Luna Antipapa, cum facillime, poſitis falſæ dignitatis inſignibus, pacem reſtituere Eccleſiæ poſſet, varias ambages ad fallendam piorum expectationem quærebat, ac ſuperiori anno... miſerat Oratores, non qui ceſſurum ipſum, ſponte cedente Bonifatio, pollicerentur, ſed de colloquio quodam faciendo, in quo æmulum dolo, aut vi opprimere præſidebat, agerent, iique Cardinalibus, extincto Bonifatio, ad creationem novi Pontificis differendam paratis, ſi Petri e Luna nomine, honore illum cvabiturum profiterentur; ad id pollere ſe auctoritate negarunt, impudenterque addidere, id ejus dignitati non congruere. Creato poſtea Innocentio, cum vana tantum jactarent verba, Pontifex iis reſponderat; indictam a ſe ad proximas Kalendas Novembris Synodum, in qua ſuorum conſilia audiret: Denique iis obſtrepentibus, ac fidem publicam ſibi dari poſcentibus, reſpondit tandiu negatum iri, donec non vana & inſulſa, ut antea, ſed quidpiam efficax ad inſtaurandum Eccleſiarum fœdus afferrent, id vero erat hujuſmodi, ut Innocentius, ac Petrus e Luna Papalia exuerent inſignia, quo alius communibus ſuffragiis in Concilio œcumenico renunciaretur Romanus Pontifex. At cum Petrus ab hac re penitus abhorreret, ejus Oratores impudentiſſima mendacia diffundere non erubuere, quæſitos a ſe omnes tollendi ſchiſmatis modos, ac tum Bonifatio, tum Cardinalium Collegio ad evocandum in unum gregem Dominicum, voluntariam de gradu Papali abdicationem abſtuliſſe poſtremo etiam Innocentium repetitis vicibus de conjungendis Eccleſiis ſolicitaſſe, neque ipſum ad id flectere potuiſſe. Cum itaque Antipapa impoſtorum opera Romanam Eccleſiam in invidiam addiceret, Innocentius, re in lucem veritatis prolata, ſchiſmaticorum artes diſſolvit, ac Florentino, & Feſulano Epiſcopis injunxit, ut eadem de re ſubjectas literas divulgarent.*

3. *Odorico.*) Ex *Lib. I Epiſtolar. current. Innocentii VII pag.* 234.

4. *Jacobo.*) *Palladino*, cujus meminit Ughellus in *Epiſcop. Florentin. Tomo III Italia ſacræ pag.* 165 *Edit. II.*

5. *Maſſilia.*) In *Gallo-Provincia*, ubi erat *Petrus de Luna*

Re-

Regulam Fratrum & Sororum de Pœnitentia Sancti P. Dominici confirmat (1).

Anno 1405 Die 26 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

III.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta, perſonas ſub regulari obſervantia vacantes aſſidue ſtudio pię vitę benigno favore proſequitur, & ea, quę pro earum ſtatu ſalubriter dirigendo, provide ordinata ſunt, ut illibata perſiſtant, Apoſtolico conſuevit munimine roborare. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Ordinis Prędicatorum, qui quidem Fratres, & Sorores de Pęnitentia Sancti Dominici nuncupantur, Nobis nuper exhibita, continebat, quod ipſi quandam Regulam, ſive religioſe vivendi formam. in qua nonnulla honeſta & rationabilia, ac regulari diſciplinę congruentia, ſtatuta, & ordinata fore noſcuntur, hactenus laudabiliter obſervarunt, prout obſervant: Quodque licet Ordo, Fratres, & Sorores hujuſmodi, variis per Sedem Apoſtolicam ſint privilegiis (3) communiti, tamen pro ſolidiori eorum ſubſiſtentia; & ut, clementia Altiſſimi operante, de virtute in virtutem gradientes, devotiorem reddere valeant Domino famulatum, deſiderant hujuſmodi Regulam, ſive vivendi formam, per Sedem eandem approbari. Quare pro parte Fratrum, & Sororum eorundem, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Regulę, ſeu vivendi formę hujuſmodi robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, illamque per dictos Fratres & Sorores pręſentes, & poſteros, in perpetuum obſervari, mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis venerabilis Fratris noſtri Angeli (4) Epiſcopi Oſtienſis, cui examinationem eorundem commiſimus, per ipſum faciendam, & quod ea, quę per illam reperiret Nobis referre curaret; relatione plenaria, & fideli fuimus clarius informati, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Regulam, ſive vivendi formam, quam per ſingula ejus capitula clare & diſtincte, ac de verbo ad verbum pręſentibus fecimus annotari, necnon ſtatuta. & ordinationes prędicta rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; Et nihilominus Regulam, ſeu vivendi formam eandem per ipſos Fratres, & Sorores pręſentes, & poſteros, volumus, & mandamus perpetuis futuris temporibus inviolabiliter obſervari. Tenor vero Regulę, ſeu vivendi formę hujuſmodi ſequitur, & eſt talis.

Supplex Fratrum & Sororum petitio.

Confirmat ut ſupra.

Incipit Regula Fratrum, & Sororum Ordinis de Pęnitentia Beati Dominici, Fundatoris, & Patris Fratrum Ordinis Prędicatorum.

Tenor Regulæ Fratrum & Sororum de Pœnitentia S. Dominici.

CAPITULUM PRIMUM.

De recipiendis & eorum conditione.

Imprimis, ut hic Ordo continuum, & perpetuum de bono in melius valeat recipere incrementum, quod ex receptione perſonarum bene diſpoſitarum plurimum noſcitur dependere, volumus, & ordinamus, quod nullus recipiatur ad Ordinem hujus fraternitatis, niſi per Magiſtrum, ſive Directorem, & per Priorem dictę Fraternitatis, vel de ipſorum licentia, ac etiam de aſſenſu maioris partis Fratrum profeſſorum fraternitatis ejuſdem illius loci, pręmiſſa tamen diligenti examinatione, quod ſit honeſtę vitę, & bonę famę, ac de hęreſi nullatenus ſit ſuſpectus; quinimmo tanquam S. Dominici ſingularis in Domino filius, ſit veritatis catholicę fidei, juxta ſuum modulum ęmulator, & zelator pręcipuus, qui etiam antequam habitum hujus Religionis recipiat, de alienis, ſi qua habuerit, ſatisfaciat ad plenum, & proximis reconciliari, necnon & paratum, ſive conditum ſuum teſtamentum tenere ſtudeat, juxta conſilium, & ordinationem Confeſſoris diſcreti. Et eadem examinatio fiat de mulieribus ingreſſum hujus Ordinis petentibus, habentibus tamen viros, non pateat ingreſſus ad conſortium dictę fraternitatis, niſi de virorum ſuorum licentia, & conſenſu, de quo conſenſu fiat publicum Inſtrumentum; Idem quoad hoc ſervari volentes, in viris uxorem habentibus, niſi obſtaret in ipſis, vel aliquo ipſorum aliqua cauſa, quę legitima judicaretur de conſilio diſcretorum.

CAPITULUM SECUNDUM.

De habitu Fratrum, & Sororum.

Omnes autem tam Fratres, quam Sorores dictę fraternitatis induantur panno albo, & nigro, qui nec in colore, nec in valore nimiam pretioſitatem pręrendat, ſicut decet honeſtatem ſervorum Chriſti, mantellum ſit de nigro, & Fratrum capucia (5) ſimiliter ſint de nigro, tunicę vero ſint de albo, quarum manicę protendantur uſque ad pugnum, & ſint clauſę, corrigias (6) de corio tantum habeant, quibus Sorores cingantur ſub tunica (7), in burſis (8) etiam calceamentis, & ceteris, omnem mundanam reſecent vanitatem. Vela vero Sororum, & bindę (9) ſint alba de panno lineo, vel cannabino.

CAPITULUM TERTIUM.

De Benedictione Veſtium, ſive habitus, & modo recipiendi ad hunc Ordinem.

Recipiatur, autem recipiendus in loco Capituli fraternitatis, vel ante altare Eccleſię Fratrum

Pręedicatorum illius loci, & a Magiſtro, ſeu Directore ſupradicto, vel ejus Vicario, qui Magiſter aſſiſtente induendo, & petente humiliter flexis genibus recipi, pręſentibus aliquibus aliis Fratribus Prędicatoribus, & Priore fraternitatis, vel ejus vices gerente, cum aliis de Fraternitate, benedicet primo habitum ejus, qui debet recipi, hoc modo, videlicet. Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam. Dominus vobiſcum. Oremus. Domine Jeſu Chriſte, qui tegimen noſtrę mortalitatis induere dignatus es &c. Poſtea vero tali habitu benedicto, & per receptum ſeorſum induto, atque ad gradus Altaris reverſo, & ante Magiſtrum genuflexo, dicet Magiſter. Veni creator Spiritus, & Fratres, qui ei aſſiſtunt, ipſum proſequantur uſque in finem; deinde dicatur, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter &c. Emitte Spiritum tuum &c. Salvum fac ſervum tuum &c. Oremus. Deus, qui corda fidelium Sancti Spiritus illuſtratione docuiſti &c. & Prętende famulo &c. & reſponſo, Amen, aſpergatur ſic indutus a Magiſtro aqua benedicta; deinde omnes Fratres fraternitatis, ipſum recipiant ad oſculum pacis; Et eodem modo ante Altare recipiantur mulieres, quemadmodum eſt de Fratribus ſupra dictum.

CAPITULUM QUARTUM.

De Profeſſione, ſeu modo profitendi.

Completo anno, vel ante, ſi a Magiſtro, vel Priore ſupradictis, vel cui commiſerint, & etiam majori parti Fratrum profeſſorum fraternitatis viſus fuerit idoneus, ad profeſſionem recipiatur. Profitebitur autem hoc modo, videlicet. Ad honorem omnipotentis Dei, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, & Beatę Marię Virginis, & Beati Dominici. Ego N. coram vobis N. Magiſtro, & Priore Fratrum Ordinis de Pęnitentia Beati Dominici talis loci, profiteor, me velle de cetero vivere ſecundum formam, & Regulam Fratrum, & Sororum ejuſdem Ordinis de Pęnitentia Beati Dominici uſque ad mortem. Mulieres vero eodem modo profiteantur, coram Magiſtro ſupradicto, & Priorisſa, vel cui commiſerit.

CAPITULUM QUINTUM.

De Statu permanentię in hoc Statu.

Statuimus autem, ut nullus Frater, & Soror hujus fraternitatis, & Ordinis, poſt ſupradictam profeſſionem de hoc Ordine egredi valeat, nec eiſdem ad ſeculum reverti liceat, ſed bene poſſint libere tranſire ad unam de approbatis Religionibus, tria vota ſolemnia profitentibus.

CAPITULUM SEXTUM.

De horis Canonicis dicendis.

Fratres, & Sorores dicant quotidie omnes horas Canonicas, niſi infirmitate impediantur. Pro Matutinis dicant viginti octo Pater noſter, pro Veſperis quartuordecim, & pro qualibet aliarum ſeptem. Ad honorem vero B. Marię ſemper Virginis pro qualibet hora ſuperius nominata, tot Ave maria, quot Pater noſter dicere teneantur. Pro benedictione autem menſę, dicant unum Pater noſter. Cum vero ſurgunt a menſa ſimiliter dicant unum Pater noſter; vel pſalmum Miſerere mei Deus, vel Laudate, qui ſciunt. Omnes etiam qui ſciunt Symbolum Apoſtolorum, videlicet, Credo in Deum, dicant illud ſemel in principio Matutinarum, & etiam ante Primam, & quando Completorium fuerit terminatum; Qui autem ſciunt, & dicunt horas Canonicas, quemadmodum faciunt Clerici, prędicta Pater noſter & Ave Maria dicere minime teneantur.

CAPITULUM SEPTIMUM.

De Surgendo ad Matutinas.

Ad Matutinas dominicis diebus, & feſtivis a Feſto Omnium Sanctorum, uſque ad feſtum Reſurrectionis Dominicę, omnes ſurgant; in Adventu autem Domini & Quadrageſima, ſurgant omni nocte. Qui vero occupantur quotidiano opere manuali horas ſuas dicere poſſunt de mane uſque ad veſperas excluſive; de ſero vero, Veſperas, & Completorium ſimul dicant.

CAPITULUM OCTAVUM.

De Confeſſione, & Communione.

Omnes quater in anno ad minus, videlicet in feſto Nativitatis Domini, Reſurrectionis ipſius, Penteeoſtes, & in feſto Aſſumptionis, aut Nativitatis B. Marię Virginis, peccata ſua confiteantur diligenter, & Euchariſtię devote ſtudeant accipere Sacramentum, niſi forſan ex aliqua cauſa rationabili, alicui ex ipſis eſſet a ſuis Confeſſoribus interdictum. Qui autem ex devotione ſua ſępius voluerint infra annum communicare, petita a ſuo Pręlato licentia, & obtenta, devotionem ſuam cum Dei benedictione poſſunt executioni demandare.

CAPITULUM NONUM.

De Silentio obſervando.

In Eccleſia dum celebrantur Miſſę, vel cantatur Divinum Officium, ſeu actualiter ibi proponitur verbum

Digitized by Google

verbum Dei, omnes ſilentium ſervare ſtudeant, & orationi, ac Divino Officio diligenter intendant, niſi ex aliqua ſpeciali, & occurrente neceſſitate, aliquid ſilenter loquantur.

CAPITULUM DECIMUM.

De Reverentia exhibenda Eccleſiarum Prælatis & Eccleſiis eorundem.

Fratres, & Sorores, Eccleſias, quarum Parochiani, & Parochianæ exiſtunt, juxta canonicas ſanctiones, & bonos mores, & cum omni devotione ſtudeant viſitare, Eccleſiarum ſuarum Prælatos, videlicet Epiſcopos, & inferiores, ſumme revereantur, ipſorumque jura abſque omni diminutione, & fideliter, eis ſolvant, & hoc tam in decimis, quam obiationibus alias quomodolibet conſuetis.

CAPITULUM UNDECIMUM.

De Jejuniis.

A Dominica prima Adventus, uſque ad Nativitatem Domini quotidie, tam Fratres, quam Sorores jejunent, & ſimiliter a Dominica in Quinquageſima uſque ad Paſcha Reſurrectionis idem obſervent, ferias autem ſextas jejunabunt omni tempore, & jejunia omnia ab Eccleſia inſtituta. Qui autem voluerint ampiius jejunare, ſeu auſteritates alias facere, poterunt, habita licentia a ſuo Prælato, vel de conſilio Confeſſoris diſcreti.

CAPITULUM DUODECIMUM.

De cibo.

Fratres, & Sorores hujus fraternitatis uti poſſunt carnibus Diebus Dominicis, & tertia, & quinta feria, ceteris vero diebus abſtineant, niſi ſint infirmi, aut multum debiles, vel minuti, vel niſi præcipuum feſtum fuerit illa die, aut quia eſſent in itinere conſtituti.

CAPITULUM DECIMUM TERTIUM.

De Diſcurſu.

Vagos curioſoſque diſcurſus per Civitatem non faciant. Sorores vero ſolæ non diſcurrant, maxime juniores; ad nuptias & choreas, ſive ad diſſoluta, & mundana convivia, ſive ad vana ſpectacula nullo modo accedant. De civitate vero, vel caſtro, ubi habitant, non exeant, etiam cauſa peregrinationis, abſque licentia ſpeciali Prælati, vel Magiſtri fraternitatis jam dictæ.

CAPITULUM DECIMUM QUARTUM.

De Armis a Fratribus non ferendis.

Invaſionis, ſeu impugnationis, arma ſecum Fratres non deferant, niſi propter defenſionem fidei Chriſtianæ, aut rationabili cauſa, & de ſuorum Prælatorum licentia.

CAPITULUM DECIMUM QUINTUM.

De Infirmis viſitandis, & procurandis.

Deputentur per Priorem duo ex Fratribus, qui cum quempiam ex eiſdem noverint infirmari, ipſum, quam citius potuerint, caritative ſtudeant viſitare, & ſtatim a principio ad recipiendum Pœnitentiam & alia Eccleſiaſtica Sacramenta, eundem efficaciter adhortentur, &, ſi neceſſe fuerit, miniſterium corporale, prout commode potuerint, eidem ſtudeant adhibere. Si vero fuerit pauper, neceſſaria de bonis propriis, vel communibus, prout facultas permiſerit, ſibi miniſtrare procurent. Et idem faciant Sorores circa Sorores ſuas infirmas.

CAPITULUM DECIMUM SEXTUM.

De obitu Fratrum, & Sororum, & de Suffragiis eorundem.

Quando continget, aliquem ex Fratribus ex hac luce migrare, ceteris confratribus in eadem Civitate, vel Caſtro nuncietur, ut procurent defuncti exequiis perſonaliter intereſſe, a quibus non recedant, donec corpus fuerit traditum ſepulturæ. Hoc idem circa Sorores decedentes volumus obſervari. Præterea infra octo dies poſt ipſius defuncti ſepulturam immediate ſequentes, quilibet Frater, & Soror dicat pro anima ejus: Sacerdos unam Miſſam: ſciens vero Pſalterium, Pſalmos quinquaginta: illiterati vero centum Pater noſter dicant; addendo in fine cujuslibet, Requiem æternam &c. Et præter hæc quilibet infra annum, pro Fratrum & Sororum tam vivorum, quam defunctorum ſalute, tres Miſſas faciat celebrari; qui vero ſciunt Pſalterium illud dicant, & ceteri quingenta Pater noſter dicere teneantur.

Digitized by Google

CAPITULUM DECIMUM SEPTIMUM.

De inſtitutione Prioris & Prioriſſę.

Priore fraternitatis mortuo, vel amoto, Magiſter, ſive Director fraternitatis cum conſilio antiquorum de fraternitate inſtituat Priorem. Singulis autem annis infra Octavas Paſchę, vel alio, ſupradictus Magiſter habeat conſilium cum antiquioribus de fraternitate ſuper amotione, vel confirmatione Prioris; & ſic Priorem confirmare, vel amovere poterit, ſecundum quod ipſe cum pręfatis judicaverit expedire; conſimiliter etiam de conſilio dicti Magiſtri, & aliquorum de fraternitate magis antiquorum, poterit Prior fraternitatis ordinare de Suppriore, vel Vicario fraternitatis, & etiam poſtmodum confirmare, vel amovere, ſecundum quod eiſdem viſum fuerit expedire. Qui Supprior, vel Vicarius tantam poteſtatem habeat, quantam Prior ſibi concedet. Et hęc eadem forma de inſtitutione Prioriſſę, & Supprioriſſę modo ſimili obſervetur.

CAPITULUM DECIMUM OCTAVUM.

De officio Prioris, & Prioriſſę.

Prioris officium erit cum omni diligentia ſervare in ſe, quę in Regula ſcripta ſunt, & ſolicitam dare operam, ut ab aliis Confratribus obſerventur. Si quos vero viderit transgredientes, aut etiam negligentes, caritative corripiat, & emendet, vel, ſi magis ſibi videbitur expediens, fraternitatis Magiſtro, & Directori, ut corrigat, poterit intimare. Prioriſſę etiam erit officium ſolicite Eccleſiam viſitare, ceteras etiam Sorores excitare ad obſervantiam regularem. Diligenter etiam per ſe ipſam, & alias, quibus imponet, obſervare, quod in inceſſu, ſtatu, habitu nihil per aliam Sororem fiat, quod cujuſquam merito turbare poſſit aſpectum, pręcipue autem attendat, ne Sorores cum quocunque viro cujuſcunque conditionis exiſtat, familiaritatem contrahat, & maxime juniores, niſi forſan talis vir Sorori illi attineat infra tertium conſanguinitatis gradum ad longius, cum hoc exiſtens bonę vitę, & famę.

CAPITULUM DECIMUM NONUM.

De correctione Fratrum atque Sororum.

Si quis notatus fuerit de aliqua familiaritate ſuſpecta, & ter admonitus per Pręlatum ſe non emendaverit, excludatur ad tempus a Capitulo, & conſortio ceterorum Confratrum: quod ſi nec ſic ſe correxerit, tunc, de Fratrum conſilio diſcretorum, de ipſorum penitus conſortio publice excludatur, nec admittatur de cetero, niſi Confratribus omnibus videatur eſſe correctus. Item ſi quis confratri, vel alteri cuicunque opprobrium dixerit, quod ſonare infamiam videatur, aut ex ira quenquam percuſſerit, vel ad locum prohibitum ire pręſumpſerit, ſeu inobedientiam quamcunque commiſerit, aut etiam Pręlato mendacium ex induſtria dixiſſe deprehenſus fuerit, abſtinentia panis & aquę, vel excluſione a Capitulo, aut etiam a conſortio aliorum Fratrum, plus, vel minus, ſecundum conditionem perſonę, & exigentiam delicti, gravius, & levius corrigatur. Item ſi quis crimen mortale commiſerit, talis de conſilio majoris partis Fratrum profeſſorum fraternitatis illius loci, ſecundum exigentiam culpę, & conditionem perſonę, gravius, vel levius puniatur, ſic tamen quod ſit ceteris in exemplum. Quam punitionem ſi facere recuſaverit, de conſilio diſcretorum de illo Ordine expellatur. Circa vero Sororum correctionem illud idem volumus per omnia obſervari.

CAPITULUM VIGESIMUM.

De Congregatione Fratrum & Sororum, & inſtitutione Magiſtri ſive Directoris eorundem. Necnon de ſtatuto talis ſubjectionis ipſius ſtatus ſub Generali Magiſtro Fratrum Prędicatorum, & Prioribus Provincialibus ejuſdem Ordinis.

In quolibet autem menſe, ſemel certa die & hora, per ſupradictum Magiſtrum, vel Vicarium deputandis, ad Eccleſiam Fratrum Prędicatorum conveniant Fratres omnes Ordinis fraternitatis, Dei Verbum, & etiam Miſſam, ſi hora competens fuerit, pariter audituri, & tunc per ipſum Magiſtrum ipſis legatur Regula iſta, & exponatur, & tunc de agendis Fratres informet, & negligentes corrigat, & emendet, prout ſecundum Deum, & iſtam vivendi formulam viderit expedire. In cujuslibet etiam menſis prima ſexta feria Sorores ad Eccleſiam Prędicatorum conveniant, ſimiliter, Dei Verbum, & Miſſam auditurę communiter; quibus etiam legatur Regula iſta, & exponatur, de ſuiſque exceſſibus corrigantur per Magiſtrum deputatum eiſdem. Volumus autem, quod in qualibet civitate, & caſtro, ubi fuerint Fratres hujuſmodi, habeant in Magiſtrum, & Directorem aliquem idoneum Fratrem Sacerdotem de Ordine Prędicatorum, quem poſtulaverint a Generali Magiſtro, vel Provinciali illius Provincię dicti Ordinis Prędicatorum, aut quem ipſi Generalis Magiſter, ſive Provincialis per ſe, vel alium eiſdem concedere, & aſſignare decreverit. Volentes inſuper, & ſtatuentes, univerſos Fratres, & Sorores hujuſmodi de Pęnitentia S. Dominici, ubicunque exiſtant, directioni, & correctioni ipſius Generalis Magiſtri Ordinis antedicti, & Prioris Provincialis illius Provincię ejuſdem Ordinis, pro eorundem ampliori conſervatione, & promotione, taliter ſubjacere, quantum ad illa videlicet, quę eorundem vivendi modum, & formulam concernere dignoſcuntur.

CA-

CAPITULUM VIGESIMUM PRIMUM.

De diſpenſatione facienda rationabili cauſa concurrente.

Prior fraternitatis cum Fratribus ſuis, & Prioriſſa cum Sororibus ſuis, Magiſter autem, & Director eis deputati cum utriſque in abſtinentiis & auſteritatibus aliis, in ſupradictis Capitulis contentis, ex cauſa legitima, & rationabili, cum expedire viderint, poterunt diſpenſare.

CAPITULUM VIGESIMUM SECUNDUM.

De obligatione hujus Regulę, & vivendi formulę.

Demum quemadmodum in Conſtitutionibus Ordinis Fratrum Prędicatorum continetur, ita volumus & ordinamus, quod in iſta Regula, ſeu vivendi formula habeatur, quod pręter divina & Eccleſię pręcepta, atque ſtatuta in ea contenta, in reliquis hujuſmodi Regulę Conſtitutionibus, ſive Ordinationibus, Fratres & Sorores ad culpam nullatenus obligentur, ſed ſolum ad pęnam, quę cum a Prelato, vel Magiſtro continget ex quavis tranſgreſſione imponi, per tranſgreſſorem humiliter, & prompte ſuſcipiatur, & ſimiliter opere perficiatur, cooperante gratia Domini, & Redemptoris noſtri Jeſu Chriſti, Qui cum Patre & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, communitionis, voluntatis, & mandati infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Kalen. Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

1. *Confirmat.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIV.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar authenticum, unum *Lib. E. fol. 78.*, aliud inter Diplomata *Innocentii VII* ex Authentico *Patavino*. Ibidem legitur Exemplar ex Authentico Veronenſi. Aliud Authenticum habes Raguſii. In *Bullario Romano* eſt *I.* Legitur apud *Uſuſmarem pag. 96*, *Caſtellanum pag. 87*, in *Conſtitutionibus impreſſis an. MDVII num. XCV.* Ejuſdem meminit *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCV num. II.*

3. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu* citato.

4. *Angeli.*) E gente *Acciajola*. Adeas *Ciaconium Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCLXXVIII pag. 657.*

5. *Capucia.*) De his ſuperius.

6. *Corrigias.*) Seu *Cingulum*.

7. *Tunica.*) Exteriore ſcilicet, non vero interiore.

8. *Burſis.*) Crumenis nempe, ex Græco Βύρσα. Quod autem Cingulis & Crumenis ornatis auro, & gemmis uterentur olim, liquet ex *S. Audoeno Lib. II Vita S. Eligii cap. XII*, ubi ſic loquitur: *Habebat quoque zonas ex auro comptas, necnon & burſas eleganter gemmatas.* Cavet ergo Regula, ne Fratres hunc induant morem.

9. *Binda.*) Seu faſciæ pectorales, Germanice *Binde*.

Magiſtro Generali, Provincialibus, & Prioribus Ordinis Prædicatorum, ut Fratres iter habentes, cuilibet Sacerdoti, etiam Seculari, peccata ſua confiteri poſſint (1).

Anno 1405 Die 17 Octobris.

Ex Bullario (2) Uſuſmaris pag. 101.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Generali, ac Provincialibus Prioribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. IV.

PRovenit ex veſtrę devotionis affectu, quo Nos, & Romanam Eccleſiam reveremini, ut petitiones veſtras, illas pręſertim, quę Fratrum veſtri Ordinis, animarumque ſalutem concernunt, & quas ex devotionis fervore prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Exordium. Sane petitio, pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, continebat, quod plerumque contingit, nonnullos ex Fratribus veſtri Ordinis per eorum Superiores ad diverſas mundi partes, negotiis pro tempore ingruentibus, deſtinari, & hujuſmodi Fratres neminem interdum ex Fratribus ejuſdem Ordinis, pręſertim Presbyterum, penes ſe habere, cui ſua peccata valeant confiteri. Supplex Fratrum petitio. Quare Nobis humiliter ſupplicaſtis, ut animarum eorundem Fratrum ſaluti, & eorum quieti, providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fratribus hujuſmodi, quos pro tempore, ut pręfertur, itinerare, & per eorum Superiores mitti contigerit, ut ſi aliquem Presbyterum idoneum ex profeſſoribus dicti Ordinis habere non poſſint, quemcunque alium Presbyterum idoneum, & diſcretum, Religioſum, vel Secularem, in eorum Confeſſorem eligere valeant, qui Confeſſiones eorum audire, & eorum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis eis debitam abſolutionem impendere, ac pęnitentiam ſalutarem injungere, libere, & licite poſſit, niſi talia fuerint, propter quę Sedes Apoſtolica ſit merito conſulenda, auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia, tenore pręſentium, indulgemus: Indulget ut ſupra. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XVI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

1. *Poſſint.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Caſtellanum pag. 87*, *Confettium pag. 29*, *Rodericum pag. 65*, in *Conſtitutionibus Ord. Prædicator. impreſſis an. MDVII num. XCVI.*

Anno 1405 Die 17 Octobria.

Moniales (1), imperium Ordinis Fratrum Prædicatorum detrectantes ab Epiſcopis plectendas decernit.

*Ex Bullario Uſuſmaris pag.*102.

V.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Generali, ac Provincialibus Fratrum Ordinis Prędicatorum Prioribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

JUſtis, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque proſequimur favoribus opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, quod ſępe contingit, nonnullas Moniales ſub cura & ſecundum Inſtituta veſtri Ordinis degentes, diverſa enormia, exceſſus, & crimina, in animarum ſuarum periculum, & ſcandalum plurimorum committere, propter quę Moniales ipſę, per vos ſecundum obſervantiam regularem, ac hujuſmodi Inſtituta, graviter eſſent corrigendę & etiam puniendę. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Moniales ipſę interdum adeo ſint protervę, & induratę, quod ipſarum conſanguineorum, & amicorum potentiam perhorreſcentes, eas juxta obſervantiam & Inſtituta hujuſmodi corrigere non audetis, quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper hoc de opportuno remedio dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut quotienſcunque Moniales hujuſmodi exceſſus, & crimina pro tempore committentes, ut pręfertur, propter potentiam conſanguineorum & amicorum ſuorum hujuſmodi, corrigere, ac punire non poſſitis, voſque Moniales ipſas pro hujuſmodi exceſſibus, & criminibus corrigendis, & puniendis, locorum Ordinariis denuntiaveritis, ipſi locorum Ordinarii, eaſdem Moniales juxta exigentiam exceſſuum, & criminum hujuſmodi, & alias juxta obſervantiam, & Inſtituta regularia dicti Ordinis, auctoritate Apoſtolica corrigere, & punire poſſint, eadem auctoritate tenore pręſentium indulgemus. Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis contrariis, juramento, aut confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate aliis roboratis, ac aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Viterbii XVI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex Fratrum petitio.

Decernit ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Moniales.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit.XIII.*

Anno 1406 Die 7 Maii.

Fratribus Ordinis Prædicatorum de Bonifacio (1), Januen. Diœceſeos, ut, ad Conſecrandum Templum, quemcunque Catholicum Epiſcopum vocare poſſint.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VI.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum de Bonifacio, Januen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geritis Eccleſiam, promeretur, ut votis veſtris favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis Eccleſiam Domus veſtrę, quę nondum, ut aſſeritis, conſecrata extitit, cum Eccleſia Januen. ad pręſens Paſtoris ſolatio deſtituta exiſtat, per quemcunque Catholicum Antiſtitem, gratiam & Communionem Apoſtolicę Sedis habentem, conſecrare (3) facere libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Bonifacio.*) In *Corſica*, Inſula Mediterranei.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol.*62.
3. *Conſecrare.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit.I.*

Anno 1406 Die 6 Julii.

Firmat Inſtrumentum, quo F. Hugolinus (1) Magiſter Sacri Palatii declarat, F. Melchiorem Ordinis S. Auguſtini a ſe Magiſterii gradu donatum fuiſſe.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

VII.

Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

DEcens reputamus, & congruum, ut his, quę de licentia, & Commiſſione noſtris provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant adiiciamus Apoſtolici muniminis firmitatem. Cum itaque nuper ex certis rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus, dilecto filio Hugolino de Camerino, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, & in Sacra Theologia & Palatii noſtri Apoſtolici Magiſtro, vivę vocis oraculo commiſerimus, & mandaverimus, ut dilectum filium Melchiorem Juncte de Sancto Geminiano, Wlteran. Dięceſis, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini profeſſorem, in quocunque honeſto loco per ipſum Hu-

Narrat quid actum ſit.

Hugolinum eligendo, Magiſterii honorem in dicta Theologia, & docendi in ea licentiam, prout ſuę diſcretioni videretur quodque infra dictum Ordinem, & extra, quibuſcunque gratiis, privilegiis, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede Apoſtolica, quam a prędicto Ordine, Fratribus ejuſdem Ordinis in eadem Theologia Pariſius magiſtratis conceſſis, perinde uti, & gaudere valeret, ac ſi Pariſius hujuſmodi Magiſterium recepiſſet, auctoritate Apoſtolica concedere, non obſtantibus quibuſcunque Privilegiis, ac ſtatutis & conſuetudinibus ſtudiorum, & Ordinis prędictorum contrariis, juramento confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de illis, & totis eorum tenoribus, ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum eſſet mentio facienda, quę alias volumus in ſuo robore permanere, plenam, & liberam conceſſimus facultatem; & deinde idem Magiſter Hugolinus, Nobis retulerit, pręfato Melchiori honorem magiſterii hujuſmodi in ipſa Theologia dediſſe, prout in literis dicti Hugolini inde in forma publici documenti, cujus tenorem inferius de verbo ad verbum inferi fecimus, confectis, plenius continetur. Nos igitur, prędicti Melchioris, in eadem Theologia Magiſtri in hac parte ſupplicationibus inclinati, prędicta, & alia in dictis literis contenta rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Tenor vero dictarum literarum ſequitur, & eſt talis: Reverendis in Chriſto Patribus, & Dominis quarumcunque Univerſitatum Cancellariis, Rectoribus, Decanis, Regentibus, Magiſtris, Doctoribus, Bacallariis Bibliarum, Officialibus, Bidellis, & Studentibus, quibuſcunque, ac etiam Reverendo in Chriſto Patri Priori Generali, & Provincialibus, Prioribus, Lectoribus, aliiſque Fratribus univerſis Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, & omnibus aliis, quorum intereſt quomodolibet, vel intererit in futurum pręſens negotium, quibuſcunque nominibus cenſeantur, ad quos, vel ad quem pręſentes pervenerint, Frater Hugolinus de Paratacaſeis de Camerino, Ordinis Prędicatorum, ſacrę Theologię Profeſſor, & Sacri Apoſtolici Palatii Magiſter, ſalutem, & quicquid ſalubriter optari licet. Vobis, & cuilibet veſtrum notum facio per pręſentes, quod Sanctiſſimus in Chriſto Pater & Dominus Noſter, Dominus Innocentius Divina providentia Papa Septimus, die datę pręſentium poſt Miſſarum ſolemnia, dum in Capella ſecreta cum Reverendiſſimis Dominis Dominis Sacrę Romanę Eccleſię Cardinalibus exiſteret, me accerſito in pręſentia Reverendiſſimi Domini Domini Henrici (3) Epiſcopi Tuſculan., vulgariter Cardinalis Neapolitan. nominati, & Domini Franciſci de Montepolitiano, ipſius Sanctiſſimi Domini Noſtri Secretarii, ad hoc ſpecialiter vocati, mihi pręfato Magiſtro Hugolino Motu proprio, vivę vocis oraculo mandavit, commiſit, & impoſuit expreſſe, ut venerabiles Fratres Melchiorem Juncte de Santo Geminiano, Wlteran. Diœceſis, & Simonem Antonii de Ancona expreſſe profeſſos Ordinis Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini Magiſtratores, ſeu Magiſtros in Sacra Theologia facerem, inſignia eis omnia Magiſtralia tradendo, & ſine congregatione, expenſa, & retardatione, actus quoque omnes in talibus fieri conſuetos ſimul facerent in loco, ubi mihi videretur, & hęc omnia mandavit ex certis, juſtis, rationabilibus, & honeſtis cauſis, animum ſuum ad hoc moventibus. Ego vero Frater Hugolinus, Magiſter Sacri Palatii antedictus, Mandatum Apoſtolicum humiliter, & reverenter ſuſcipiens, ut decens eſt ſemper, & volens exequi complete, prout mandabatur, cum effectu, ipſa die dictos Fratres Melchiorem, & Simonem, convocavi, & habui in Capella Majori Eccleſię Sanctę Marię ſuper Minervam de Urbe Ordinis Prędicatorum, coram me in pręſentia Notarii publici, teſtiumque infraſcriptorum ad hoc vocatorum ſpecialiter rogatorum, & poſt ſolita juramenta recepta ab eis Fratribus, ipſis Melchiori & Simoni ſępedictis auctoritate Apoſtolica licentiam dedi, docendi, legendi, diſputandi, gloſſandi, & interpretandi ſacram Scripturam, quęſtiones, & dubia terminandi, & Cathedram Magiſtralem aſcendendi, & cetera omnia faciendi, quę in Sacra Theologia Magiſtri facere conſueverunt, & poſſunt in Romana Curia, & in Univerſitatibus, & Studiis, ac ubique terrarum, tam in ſuo Ordine, quam extra, cum omnibus immunitatibus, libertatibus, honoribus, pręrogativis, privilegiis, exemptionibus, & pręeminentiis aliis dari conſuetis Sacrę Theologię Magiſtris, tam ab ipſo Ordine Fratrum Eremitarum Sancti Auguſtini, quam a Summis Pontificibus in Studiis, & aliis locis, & juxta conſuetudines ipſius Ordinis, in prędictis obtentas hactenus laudabiliter, & obſervatas, & demum pro Veſperiis conſuetis agendis utrumque ipſorum ſingulariter reſpondere feci de ſingulari in Sacra Theologia, quorum & habita reviſione cum debita Morum increpatione eorum perfeci Veſperias, & poſtmodum pręfatos Fratres Melchiorem, & Simonem Antonium de Ancona per Birreti traditionem, & capiti ejus impoſitionem, Magiſterio Sacrę Theologię inſignivi, & inſignia Magiſtralia dari conſueta tradidi, atque Magiſtros in Sacra Theologia feci, & cętui ſacrę paginę Profeſſorum aggregavi, & eos juxta me ad ſedendum collocavi, ipſoſque Magiſtraliter incipere feci quęſtionem determinare, & etiam diſputare, docere, & cetera omnia facere, quę de eſſentia videbantur eſſe, & ſic pręfatum Magiſtrum Melchiorem, ſicut pręmittitur, Magiſtratum & Collegio Magiſtrorum aggregatum vobis denuntio per pręſentes, quemadmodum faciendi in mandatis habui, modo, & forma prędictis, a Sanctiſſimo Domino Noſtro Domino Innocentio Divina Providentia Papa Septimo ſupradicto; In quorum omnium fidem pręſentes patentes literas fieri feci, & ſigilli mei juſſi appenſione muniri, cum ſubſcriptione Notarii publici infraſcripti, ut eſt moris. Acta ſunt hęc Romę in Capella Majori Eccleſię S. Marię ſuper Minervam, Ordinis Prędicatorum, ſub anno a Nativitate Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexto, indictione quarta decima, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Innocentii Divina providentia Papę Septimi anno ſuo Secundo, die vero prima menſis Julii, pręſentibus Religioſis viris Fratribus Jacobo Donati de Camerino, & Juliano de Sancto Severino, Camerinen. Diœceſis, Presbyteris Ordinis Prędicatorum teſtibus ad pręmiſſa vocatis ſpecialiter, & rogatis; & Ego Johannes Seauve Clericus Lubicen. Diœceſis publicus Imperiali auctoritate Notarius, & pręfati Magiſtri Palatii ſcriba pręmiſſis omnibus, & ſingulis ſupradictis, dum ſic, ut pręmittitur, fierent & agerentur, una cum pręnominatis teſtibus pręſens interfui, eaque ſic fieri vidi, & audivi, ideo hoc pręſens publicum Inſtrumentum propria mea manu ſcripſi, & in hanc formam publicam redegi, ſignoque & nomine meis ſolitis, & conſuetis ſignavi, de mandato dicti Magiſtri Apoſtolici Palatii, una cum appenſione ſigilli ejuſdem, rogatus, & re-

Confirmatio.

Tenor literarum F. Hugolini.

Sanctio pœnalis. requiſitus,in fidem,& teſtimonium premiſſorum. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis,communitionis, & ſupplicationis infringere. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Hugolinus.*) De quo conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXVII pag.759.* Ex hoc autem Diplomate liquet primo, facultatem creandi Magiſtros penes Magiſtrum Sacri Palatii a prioribus ſeculis Ordinis noſtri fuiſſe: Secundo conſtat, hoc anno *MCCCCVI* F. *Hugolinum de Camerino* munus obiiſſe Magiſtri Sacri Palatii. Emendandi ergo *Fontana* in ſerię eorundem Magiſtrorum, quam exhibet in *Theatro Dominicano*, & *Echard*, qui in *Indice eorundem Magiſtrorum Tomo I Scriptor. Ordinis pag.21* docet F. *Jacobum Arigonium* ab anno *MCCCXCVII* ad *MCCCCVII* Magiſtrum Sacri Palatii fuiſſe.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XIV fol.122.*

3. *Henrici.*) Cujus meminit *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLXXXIX pag.705.*

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Epiſcopi Dignitatem, Innocentio VII Summo Pontifice, promotos exhibens.

EPISCOPI.

Circa Annum 1404. F. Theodoricus, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit.VIII pag.114, ex Regeſt. Innocent. VII. Cavalerius Tomo I pag. 197 num.CCCXCVI.*

Anno 1405 Die 9 Martii. F. Bernardus Arcuficis, Epiſcopus Gallipolitanus, *Gallipoli*, in Regno Neapolitano; ſub Archiepiſcopo Hidruntino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLVII pag.196, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.197 num.CCCXCVII.* Hunc non novit *Ughellus*. Hinc ſuſpicatur *Cavalerius*, nec levi fundamento, *Bernardum* Sediſſe *Callipoli*, vulgo *Gallipoli*, in *Thracia*, ſub *Heracleenſi* Archiepiſcopo.

Anno 1405 Die 14 Decembris. F. Gregorius Maleſardus Epiſcopus Cæſenas, *Ceſena*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Ravennaten. *Ughellus in Epiſcopis Cæſenaten. Tomo II Italiæ Sacræ pag. 462, ex Lib. Proviſion. Prælator. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXII pag. 165, ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 215 num.XII.*

Anno 1405 Die 22 Decembris. F. Corradus Scopper, Epiſcopus Cambalienſis, ſive Simſalicenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXII pag.151, ex Lib. Proviſion. Prælator. Innocen. VII*; in quo ſic legebat Fontana. *F. Corradus Scopper Ord. Prædicator. fit Epiſcopus Cambalicen, ſive Simſalicen. XI Kal. Januarii. Cavalerius Tomo I pag. 198 num. CCCXCVIII.* Eccleſiam *Cambalienſem* conſtitutam in *Græcia* docet *Fontana*. Suffragatur *Cavalerius*, ſed legendum cenſet *Siſanen.* Verum *Cambalienſis* urbs ea eſt, quę *Pekinum* vocatur, totius *Sinenſis* Imperii Caput: ut tandem aliquando Geographi norunt auctoribus P. *Kirker* Jeſuita, & *Batavis*, quorum deſcriptiones *Sinenſis* Imperii conſuli poterunt. Sita eſt Urbs *Cambalienſis* in Septentrionali parte *Sinenſis* Imperii, alias *Serica* nuncupata, ut videre eſt ex *Martino Martini* in *Deſcriptione Sinenſis Imperii* apud *Thevenot Tomo III.* Hinc *Simſalicenſis*, rectius *Sin-ſericenſis*, Epiſcopatus ſic dictus videtur ex *Sina Serica*, cujus præcipua civitas eſt *Cambalienſis*, vulgo *Cambalu*, *Peking*, *Xuntien* &c. Variis aliis nominibus appellatur. Hic obiici poſſet, quod, etſi Fratres Prædicatores, jam dudum Fidei Præcones in Imperio *Tartarorum*, Chriſtum & Evangelicas opes *Sinis*, de quibus hic agitur, intuliſſent, ut evincitur ex variis Diplomatibus ſuperius exſcriptis, de hoc tamen Epiſcopatu *Sinenſi* apud ſcriptores omnes altum huc uſque ſilentium fuerit. Verum iis in partibus Septentrionalibus *Sinenſis* Imperii Epiſcopos olim conſtitutos eſſe, probat ipſe P. *Kirker*. Anno *DCCXIX* ibi Sediſſe *Johannem* Epiſcopum, auctor eſt mox laudatus Scriptor *Societatis Jeſu*. Sed de his alias.

Anno 1405. F. Hugo Stoquerius, ex Epiſcopo *Trecorenſi*, ut in *Appendice* præcedenti dictum fuit, Epiſcopus Venetenſis, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXIII pag. 318, ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.200. num. CCCCV.*

Anno 1406. F. Bartholomæus e Biſce, vel Biſcie, Bononienſis, Sacræ Theologiæ Doctor percelebris, Epiſcopus Bononienſis, *Bologna*, in Italia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XV pag.61, ex Epitaphio Bartholomæi*, quod deſcribit. *Cavalerius Tomo I pag.202 num. CCCCXI.* Nunc Metropolis eſt *Bononienſis* Sedes.

F. Mi-

F. Michael de Terminis, vel de Tornisis, Epiſcopus Andrenſis, *Andro*, in ejuſdem nominis Inſula, ſub Archiepiſcopo Naxenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXII pag 123, ex Lib. Proviſion. Innocentii VII, & in Appendice pag. 620, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 203. num. CCCCXV.* Anno 1406.

F. Antonius Corarius, Epiſcopus Æmonienſis, ſeu Civitatis novæ, vulgo *Citta Nova*, in Iſtria, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXV pag. 189, ex Ughello.* Conſulendus *Ughellus in Epiſcopis Civitatis novæ*, & in *Epiſcopis Ceneten. Cavalerius Tomo I pag. 241 numero XC. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXLV pag. 803.* Epiſcopus *Cenetenſis* fuit *Antonius*, ut in *Appendice* ſequenti dicetur. Anno 1406 Die 24 Maii.

F. Johannes, Epiſcopus Citrenſis, *Chitro*, in Macedonia, ſub Archiepiſcopo Theſſalonicenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 204 num. CCCCXVII.* Vicarium in Pontificalibus Archiepiſcopi *Maguntini* fuiſſe *Johannem*, conſtat ex *Conſtitutione II Johannis XXIII*. Nunc Metropolis eſt Eccleſia *Citrenſis*. Circa Annum 1406.

F. Andreas Bono, Epiſcopus Aghimenſis, forſitan Achemenſis, vulgo *Achem*. Urbs eſt Inſulæ Sumatræ, in India. Illius *Aghimenſis* Epiſcopi, de quo apud Scriptores altum ſilentium, mentio fit variis in Diplomatibus. Unum ſubiiciendum videtur. Hujus tenoris eſt. *Andreas Bono, Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Aghimenſis. Univerſis Chriſti fidelibus, non ſolum per noſtram Diæceſim, ſed & ubilibet conſtitutis, Salutem in Domino Sempiternam. Exigit tam Noſtræ primordialis Profeſſionis, Noſtrique officii Paſtoralis debitum, quam etiam nonnullarum perſonarum, tam promotionem Ordinis de Pænitentia Beati Dominici deſiderantium, quam de ipſo Ordine exiſtentium, pius, & devotus affectus, ut, quantum ſub Deo poſſumus, eas proſequamur beneficiis gratioſis, quatenus ipſæ perſonæ præfatæ, devotionem, & perfectionem, juxta ſuum ſanctum votum, valeant Altiſſimo reddere famulatum. Cum igitur nuper Nobis ex parte Prioris Fratrum, & Prioriſſæ Sororum præfati Ordinis de Pænitentia Beati Dominici, de quo Ordine inter alias Perſonas, micantes ſicut ſtellas, extitiſſe dignoſcitur admirabilis, & inſignis Virgo Beata Catharina de Senis, cui etiam, tanquam uni veræ Ancillæ Chriſti, pluries locuti fuimus, dum ageret in humanis, & qui Ordo prædictus eſt per Sedem Apoſtolicam multipliciter approbatus, & confirmatus, prout de dictis Nobis, qui dictum Confirmationis Privilegium, & plurima de dicta Virgine ſcripta miranda, ac etiam quam plura Immunitatis Privilegia ejuſdem Ordinis, vidimus, & diligenter inſpeximus, conſtat plenarie, fuerit humiliter ſupplicatum, ut dictum Ordinem intrantibus, & in eodem profitentibus, ac omnibus, tam eorundem Fratrum, ſive Sororum, Capitulis, quæ ſecundum regulam eorundem, menſe quolibet celebrantur, quam exequiis ipſorum intereſſentibus, necnon & cunctis perſonis dicti Ordinis in neceſſitate conſtitutis ſubvenientibus, aliquam Indulgentiam concedere dignaremur. Nos itaque affectantes, non ſolum cultui Divino favere, ſed etiam eundem fovere ac augmentare pro viribus, & conſiderantes adhuc caritatis debitum, quod præcipue inter filios ejuſdem genitoris debet exſolui. Hinc eſt, quod, cum de Ordine Prædicatorum a ſanctiſſimo Religioſorum Mendicantium Patriarcha Dominico Inſtituto fuerimus aſſumpti, ac in Epiſcopatus culmine conſtituti, & per eundem præfatum Patrem Sanctiſſimum Dominicum, etiam ſæpe dictus Ordo de Pænitentia Beati Dominici noſcatur originaliter inſtitutus, id circo, ut ultra alia, etiam præfatæ peculiaris caritatis, quam tam ad ipſum Ordinem de Pænitentia Beati Dominici, quam ad perſonas ejuſdem habere compellimur, veluti filius, cum ipſis ejuſdem Patris debitum exſoluamus, ſupradictis ſupplicationibus, tam affabiliter, quam liberaliter, & læto animo, omnino annuimus, cupienteſque ex corde, ut ipſe præfatus Ordo, continuum de bono in melius ſuſcipere valeat incrementum, de omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus meritis, & auctoritate confiſi, omnibus vere pænitentibus,* & *confeſſis, qui dictum toties Ordinem de Pænitentia Beati Dominici intraverint, in eodem profeſſi fuerint, & quibuſcunque qui Capitulo Fratrum, aut Sororum ejuſdem Ordinis, quod menſe quolibet celebratur, præſentes extiterint, ac viris, qui Fratribus, ac Mulieribus, quæ Sororibus in ſuis infirmitatibus, aut neceſſitatibus caritatis beneficia exhibuerint, necnon & omnibus, qui eorundem Fratrum, aut Sororum exequiis interfuerint, quadraginta dies Indulgentiarum pro actu quolibet ſupradicto de injuncta, ſeu debita, eis pænitentia, miſericorditer in Domino relaxamus, & hoc non tantum perſonis noſtræ Diæceſis, ſed etiam aliis quarumcunque Diæceſum præfata pietatis opera, prout dictum eſt executioni mandantibus, dummodo Diæceſanorum earundem perſonarum voluntas ad id intervenerit, & conſenſus, de quo conſenſu, quantum ad Prælatos, & Diæceſanos, Caſtellanum, Cretenſem, Torcellanum, Clugienſem, & Connavienſem plene conſtat, cum ſuper id viderimus ſolemnes literas eorundem, præbentes & Nos aſſenſum, & admittentes quaslibet Indulgentias, quas quicunque Patriarchæ, aut Archiepiſcopi, ſive Epiſcopi ex ſupradictis piis cauſis, perſonis ſupradictæ Noſtræ Diæceſis concedere dignarentur. In quorum omnium teſtimonium has literas fieri fecimus, & Noſtri Pontificalis ſigilli appenſione muniri juſſimus. Datum Venetiis in Domo noſtræ habitationis, quæ dicitur de Cha Bonos in contrata Sanctæ Margharitæ Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo ſexto, Indictione decima quarta, die vigeſima quarta Martii Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini Noſtri Domini, Innocentii Divina Providentia Papæ Septimi Anno Secundo.* Legitur *Libro B. fol.* 291. Autographum aſſervatur *Senis* in Cœnobio *S. Dominici*. Circa Annum 1406. Nota.

GREGORIUS XII.

(a) Ex Libro Sacri Collegii Eminent. Cardinalium.
(b) Ex Actis Conſtantienſis Concilii.
(c) Ex Actis Pyſanæ Synodi.

Angelus Corarius, Venetus, electus (a) fuit Romæ Die XXX Novembris MCCCCVI. Ibidem Coronatus eſt Die V Decembris ejuſdem Anni. In Conſtantienſi Concilio ceſſit (b) Pontificatu Anno MCCCCXV Die IV Julii. Obiit Recineti IV Julii MCCCCXVII. Sedit (c) ad Concilium Piſanum uſque Annos II, Menſes VI, Dies VI: ad Concilium vero Conſtantienſe uſque Annos VIII, Menſes VII, Dies V.

Anno 1407 Die 31 Martii.

S. Bartholomæi Sacellum, in Ædibus ſacris Cœnobii Ferrarienſis (1) ſitum, viſitantes variis Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

I. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ conceſſæ.

Licet is &c (3). Cupientes igitur, quod Capella S. Bartholomęi, ſita in Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum Ferrarien. congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, & Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, & prędictorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, ac Dedicationis ipſius Capellę, feſtivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri, necnon Nativitatis, & Aſſumptionis Beatę Marię, ac Nativitatis Beati Johannis, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſubſequentes, dictam Capellam devote viſitaverint annuatim, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis unum annum, & quadraginta dies, octavarum, vero & ſex dierum prędictorum, diebus, quibus dictam Capellam viſitaverint, ut prefertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias dictam Capellam viſitantibus, vel ad ejus reparationem, ſeu conſervationem manus porrigentibus adjutrices, vel alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad certum tempus nondum elapſum, duratura per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Ferrarienſis.*) In *Italia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 15.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX* ad hæc uſque verba: *Gratia aptiores.*

Anno 1407 Die 21 Auguſti.

Fratri Eliæ Petit (1) Ordinis Prædicatorum, ut deficientes a Fide per Cenſuras Eccleſiaſticas a propoſito deterreat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

II. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio (3) Elię Petit Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad audientiam noſtram pervenit, quod ſępe contingit nonnullos utriuſque ſexus homines ſchiſmaticos, & infideles ad terram Peirę (4) Conſtantinopolitan. Diœceſis declinare, ac ibidem habitare, qui tractu temporis ad Baptiſmi gratiam ſponte pervenientes, etiam alia Sacramenta Eccleſiaſtica, ſicut ceteri catholici, ſeu Chriſti fideles, a catholicis Presbyteris recipiunt, quorum tamen aliqui poſtea quandoque in errores priſtinos relabuntur, ſive illis damnabiliter ſe involvunt, in pernicioſum exemplum eorundem fidelium, in illis partibus commorantium, ac ſcandalum plurimorum, quod contingit ex eo potiſſime, quia errantes hujuſmodi, nec Eccleſiaſtica nec ſeculari cenſura propterea corriguntur. Nos igitur, quorum intereſt, huic morbo ſalubriter providere volentes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus omnes hujuſmodi baptizatos, ſive ad fidem orthodoxam converſos, in eadem terra degentes pro tempore, quos in errores hujuſmodi taliter relapſos hactenus eſſe inveneris, & etiam illos, qui in futurum poſtquam Baptiſmatis Sacramento hujuſmodi renati fuerint, deviare, quod abſit, a fide prefata in terra prędicta contigerit, ut omnino derelictis erroribus ipſis, eandem, quam aſſumpſerunt, orthodoxam fidem, & quod docet, ac tenet Sancta Romana Eccleſia inviolabiliter obſervare ſtudeant, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, pręvia ratione

Mandatum.

com-

compellas; invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtante iodulgentia, quę Ordini tuo a Sede Apoſtoiica dicitur eſſe conceſſa, quod ipſius Ordinis Fratres non teneantur ſe intromittere de quibuſcunque negotiis, quę ipſis per ejuſdem Sedis literas committuntur, niſi in eis de conceſſione huiuſmodi plena, & expreſſa mentio habeatur, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede prędicta indultum exiſtat, quod ad judicium trahi, vel interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi meutionem. Datum Viterbii XII. Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Potit.*) Adeas *Fontanam Monument. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. MCCCCVII pag.* 281.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 32. Legitur etiam apud *Fontanam* mox laudatum.
3. *Dilecto filio.*) Ex hoc firmatur *Nota VI ad Conſtitutionem XLII Gregorii XI.*
4. *Peira.*) Suburbium eſt *Conſtantinopolitanum.*

Ædes ſacras Cœnobii Peiræ (1) viſitantibus Indulgentias impertitur.

Anno 1407 Die 29 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*

III.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

SPlendor paternę glorię &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Sancti Dominici, Domus Fratrum Prędicatorum in Terra Peirę, Conſtantinopolitan. Dięceſis, quę quidem terra per crebras infeſtationes perfidorum Turcarum Catholicę fidei hoſtium, in vicino commorantium, habitatoribus non mediocriter, ut accepimus, deſtituta eſt, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in feſto Converſionis Sancti Pauli a primis veſperis uſque ad ſecundas veſperas pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, tres annos de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad fabricam, ſeu Conſervationem ipſius manus porrigentibus adiutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus, nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Viterbii IV Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Peira.*) Conſulendus *Fontana Monument. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. MCCCCVII pag.* 281.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro I fol.* 31.
3. *Gloriæ &c.*) Ut in *Conſtitutione XI Bonifatii IX.*

Quæ pro Cœnobio Feſulano (1) Ordinis Fratrum Prædicatorum fundando geſta ſunt, firmat.

Anno 1408 Die 14 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

IV.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

CAritatis fervidę ſinceritas, qua dilectos filios Priorem Provincialem, & Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Tuſcię ſecundum morem dicti Ordinis propter clarę devotionis, & fidei merita, quibus vigent, Domino faciente, benevoli more patris amplectimur, animum noſtrum pulſat inſtanter, ut ea, quę pro dicti Ordinis propagatione, necnon Divini cultus augmento circa ipſos emanarunt, ut illibata perſiſtant, noſtrę confirmationis munimine roboremus. Cum itaque, ſicut accepimus, olim bonę memorię Jacobus (3) Epiſcopus Feſulan. ob ſingularis devotionis affectum, quem ipſe gerebat ad eundem Ordinem, cujus profeſſor erat, quandam petiam (4) terrę laboratorię, ac vineatę, conſiſtentem prope Feſulas, quę ad menſam Epiſcopalem, ſeu Eccleſiam Feſulan., tunc pertinebat, pleno jure, & ducentos florenos auri, vel circa, communi ęſtimatione valebat, dilecto filio noſtro Johanni (5) tituli Sancti Sixti, Presbytero Cardinali, qui etiam prędicti Ordinis profeſſor extitit, tunc in minoribus conſtituto, ad hoc quod in eadem petia terrę tanquam in loco ad id congruo & honeſto, nova Domus cum Eccleſia, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione eorundem Fratrum conſtrueretur, donatione, quę dicitur inter vivos, irrevocabiliter, & liberaliter donaverit, prout in quibuſdam inſtrumentis publicis, inde confectis, dicitur plenius contineri, dictuſque Cardinalis, tunc etiam in minoribus conſtitutus, ut pręfertur, cum quorundam devotorum Chriſti fidelium piis ſuffragiis in eadem petia terrę poſtea hujuſmodi novam Domum cum eiſdem Eccleſia, hortis, hortalitiis, & aliis officinis, ad honorem, & ſub vocabulo Sancti Dominici Confeſſoris ędificaverit funditus, & erexerit, in qua ex tunc plures Fratres ſub regulari obſervantia ejuſdem Ordinis reſiderunt, & reſident, de pręſenti, devotum reddentes Domino ſub obſervantia regulari pręfati Ordinis famulatum. Nos, ne Provincialem & Fratres prędictos occaſione pręmiſſorum forſitan in futurum moleſtari, contingat, ipſis opportune providere cupientes, motu proprio, non ad eorundem Provincialis & Fratrum, vel alterius Nobis pro ipſis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, donationem, ędificationem, & erectionem, prędictas, ac omnia inde ſecuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui intervenerint in

Quid actum ſit narratur.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

eiſdem. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere. Si quis autem &c. Datum Lucę XVIII Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Feſulano.*) In *Hetruria* ad *Florentiam*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VI fol.* 34.
3. *Jacobus.*) Ordinis Prædicatorum alumnus ex nobiliſſima *Altovitorum* familia oriundus. Adeas *Ughellum in Epiſcopis Feſulanis Tomo III Italia Sacra pag.* 216 *Edit. II.*
4. *Petiam.*) Seu *Peciam*, eſt modus agri, Gallice *Piece de terre*, Pars Terræ.
5. *Johanni.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

Anno 1409 Die 8 Januarii.

F. Johannes (1) Dominici, S. R. E. Cardinalis, Legatus in Pannoniam mittitur (2).

Ex Odorico (3) Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCIX num. XI.

V.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni tituli S. Sixti Presbytero Cardinali, A. S. Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Legationis cauſa.

PRopter evidentem utilitatem Regum, Prelatorum, Principum, Cleri, & populorum Hungariæ, ac Polonię, & illarum partium, ne a zizaniorum preventi favoribus, & ipſorum falſis & fictis perſuaſionibus circumventi, in errorum devia rapiantur, &, a veritate avertendo auditum, ad fabulas convertantur, ac propter conditiones quaſſati, proh dolor! undique gregis Dominici, quibus ſperamus per tuam circumſpectionem providam, illo, qui in ſublimibus ſuis terrę finibus pacem parat, circa reformationem pacis, juſtitię cultum, caritatis vinculum, & reductionem ad ipſius Eccleſię Romanę obedientiam, fidelitatem, ac devotionem, premiſſorum hujuſmodi oberrantium quorumcunque, & ut exiſtat cor unum omnibus, in premiſſis ſalubriter conſuli, & utiliter conveniri &c (4). Te ad Hungarię, & Polonię, ac Dalmatię, Croatię, Ramę, Lodomerię, Raſſię, Servię, Bulgarię, Sclavonię, & Ruſſię, Regna (5), ceteraſque partes, cariſſimis in Chriſto filiis noſtris Sigiſmundo (6), & Wladislao (7), Hungarię & Polonię Regibus illuſtribus ſubditas, ac etiam Comitatum Cilię (8) preſentialiter deſtinamus, tibi in eiſdem Regnis, & partibus, plenę Legationis officium ex Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, quam non ab homine, ſed a Deo recepimus, uſque ad predictę Sedis beneplacitum committendo &c. Datum Arimini (9) VI Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Legatio.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Mittitur.*) *Ad infringendos . . . Cardinalium conatus*, ut inquit *Odoricus* ad an. MCCCCIX num. XI, *ac Præſules, ne ad Piſanum, ſed ad aliud a ſe indictum Concilium proficiſcerentur, avertendos, plures Legatos ampliſſimis fretos mandatis in varias Chriſtiani orbis partes decrevit; miſitque Johannem Dominici, Pontificiæ auctoritatis vindicem, tituli Sancti Sixti Presbyterum Cardinalem in Hungariam, Poloniam, Ruſciam, Dalmatiam, aliaque Regna finitima.*
3. *Odorico.*) Ex *Lib. III Epiſtol. curren. Gregorii XII pag.* 44.
4. *Conveniri &c.*) Quædam hic deſunt.
5. *Regna.*) De quibus in *Notis ad Conſtitutionem XXXI Bonifatii VIII.*
6. *Sigiſmundo.*) Tunc *Hungariæ* Rege, poſtea Rege ſimul & Imperatore.
7. *Wladislao.*) *Ladislao* hujus nominis *IV.*
8. *Cilia.*) Seu *Celia*, in Ducatu *Stiria*.
9. *Arimini.*) In *Italia*, ad oram maris *Hadriatici*.

Anno 1410 Die 9 Novembris.

Innovat quædam Diplomata, quibus Ordinis Prædicatorum privilegia (1) firmantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VI.

Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut ſuum jus cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum felicis recordationis Bonifatii Papę VIIII Predeceſſoris noſtri in Regiſtro ipſius Predeceſſoris repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis, Priorum, & Fratrum univerſorum Ordinis Predicatorum, petitio continebat, ipſi hujuſmodi tenore ex certis cauſis, ſe aſſerunt indigere, de Regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſorum ſupplicationis inſtantiam preſentibus adnotari fecimus, qui talis eſt: Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Predicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex Apoſtolicę Sedis proviſione &c (3). Ceterum, ut earundem literarum tenor predictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eandemque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quem haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri, volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Conſtitutionis &c. Datum . . . . . V Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Tenor Diplomatis quo Bonifatius IX firmat privilegia a Gregor. XI Ordini Prædicatorum conceſſa.

1. *Privilegia.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum*.
2. *Archivo.*) In quo Autographum, & Exemplar fide publica comprobatum.
3. *Proviſione &c.*) Ut in *Conſtitutione CCXXI Bonifatii IX* ad finem uſque.

APPEN-

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Gregorio XII Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALIS.

BEatus Johannes Dominici, Florentinus, Raguſinus Archiepiſcopus, ut in hac *Appendice* dicetur, S. R. E. Cardinalis Tituli S Sixti. *Oldoinus apud Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCVI pag. 763. Johannes Carolus in Vita B. Johannis Dominici. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. II Nume-ro XXV pag. 27. Cavalerius Tomo I pag. 211 num. V, & Tomo II pag. 204 num. X. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXIX pag. 768. S. Antoninus Hiſtor. Parte III Tit. XX Cap. V. Leander Albertus de viris illuſtribus Ordinis Prædicator. Sixtus Senenſis. Antonius Senenſis. Panvinius. Aubery. Fernandez. Spondanus. Odoricus. Bzovius.* Ceterique Scriptores omnes, qui de viris illuſtribus, & Auctoribus Eccle-ſiaſticis mentionem habent. Legeſis Acta *Conſtantienſis* Concilii. Variis Legationibus claruit *B. Johannes Dominici*, ut mox dicetur. Vir fuit probus, pius, ſanctus, verbo, miraculis, & opere potens.

Anno 1408.

ARCHIEPISCOPI.

BEatus Johannes Dominici, de quo mox dictum fuit, Archiepiſcopus Raguſinus, in ejuſdem nominis Republica. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. LXXVII pag. 95, ex Libro Obligation. Prælator. Gregorii XII, Ferrario,* & *Plodio. Cavalerius*, ceterique mox laudati Scriptores. Quarto Kalendas Au-guſti, Pontificatus Anno Primo *Raguſinus* Archiepiſcopus a *Gregorio* Johannes conſtitutus fuit. Hac igi-tur dignitate auctus eſt Anno *MCCCCVII*, non vero *MCCCCVI*, ut excidit *Fontanæ*, *Cavalerio*, aliiſque nonnullis.

Anno 1407.

FRater . . . : . Archiepiſcopus Ravennatenſis, in Italia. Hujus Archipræſulis mentio in Actis *Conſ-tantienſis* Concilii. Meminit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXIV pag. 757*, ubi hæc habet. *Ar-chiepiſcopus Ravennenſis, ſeu potius Ravennas . . . . cujus nomen tacetur, ſed Ordinis Prædicatorum præſtatur, videtur a Gregorio XII electus, & ſuffectus Johanni Meliorato, Innocentii VII nepoti, Cardinali S. Crucis in Je-ruſalem, dum iſte a Gregorio XII defecit Anno MCCCCVIII, & deinceps Concilio Piſano, & Alexandro V ibi-dem electo adhæſit. Notum enim eſt Gregorium Cardinales qui ſe deſeruerant exauctoraſſe, licet bruto fulmine, alioſ-que in eorum locum creaſſe, ut & in Sedibus, quarum adminiſtrationem gerebant, novos Præſules inſtituiſſe. Ve-riſimile tamen, hunc noſtrum ſodalem ſolo titulo gaviſum, nec fruitum beneficio, cum omnia tunc eſſent Gregorio ad-verſa, quæ ratio forſan eſt, cur nec a noſtris, nec ab Ughello inter Ravennates numeretur.*

Circa An-num 1408.

F. Andreas Furnarius, Piſanus, Archiepiſcopus Thebanus, in Bœotia, Regione Achaiæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CII pag. 104, ex antiquis Monumentis Conventus Piſani, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 202 num. CCCCXII, ex Souegio.*

Circa An-num 1409.

EPISCOPI.

F. Jacobus de Peruſio, Epiſcopus Narnienſis, in Umbria, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcop. Narnien. Tomo I Italiæ Sacræ pag. 1019. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXI pag. 245, ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 201 num. CCCCVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCVIII pag. 751.*

Anno 1407.

F. Jacobus Arigonius de Balardis, Epiſcopus Laudenſis, *Lodi*, in Lombardia, ſub Archiepiſcopo Me-diolanenſi. *Ughellus in Epiſcop. Lauden. Tomo IV Italiæ Sacræ pag. 680 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXVII pag. 211. Cavalerius Tomo I pag. 229 num. LV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 757, & 783.* Aliis Eccleſiis præfuiſſe *Jacobum*, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Martini V.*

Anno 1407 Die 26 Fe-bruarii.

F. Gregorius Scoper, Epiſcopus Chiemenſis, in Bavaria Superiori, ſub Archiepiſcopo Salisburgenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLXVI pag. 167, ex Libro Proviſion. Prælator. Gregor. XII, & ex Ughello in Mſs. Cavalerius Tomo I pag. 204 num. CCCCXVI.*

Anno 1407.

F. Angelus Bononienſis, Epiſcopus Florentinus, in Hetruria. *Cavalerius Tomo I pag. 208 num. CCCCXLI, ex Plodio, Luſitano, Altamura, & Rovetta.* Idem cenſent *Fernandez*, & *Bumaldus in Minervaliis Bononien.*

Circa An-num 1408.

His omnibus prævivit *Bandellus* noſter. Sed eos omnes hallucinatos, docet *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCXXX pag. 570*. Ad hanc autem opinionem deſcendit *Echard* uno duce *Alva*, qui noſtros acrius hac de re ſugillat in *Sole veritatis*. Mirum quod eruditus vir *Alvæ* cantilena ducatur. Nihil enim probat *Zoilus* iſte. Genuino mordet. Cunctis conviciatur. Loquitur. Obiici tamen poteſt *Ughelli* ſilentium. Sed reſpondendum, quod cum *Jacobus Palladinus e Terramo*, Epiſcopus *Florentinus* anno *MCCCCI* conſtitutus, a *Gregorio XII* defeciſſet, in ipſius locum ſuffectus eſt *Angelus* noſter, & *Angelo* contigit, quod de *Ravennatenſi* Archiepiſcopo mox ſcribebat *Echard*. Nunc Metropolis eſt Sedes *Florentina*.

Circa Annum 1408. F. Nicolaus de Tinctis, Epiſcopus Iſclanenſis, *Iſchia*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Neapolitano. *Ughellus in Epiſcop. Iſclanen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag. 234 Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCIV pag. 207. Cavalerius Tomo I pag. 214 num. VI.* De Anno inter Auctores non convenit. Legeſis *Additionem Ughellianam*.

Anno 1408. F. Martinus Poreus, Gallus, Doctor Pariſienſis, alumnus Senonenſis Cœnobii, Epiſcopus Atrebatenſis, *Arras*, in Belgio, ſub Archiepiſcopo Cameracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXII pag. 134, ex Epitaphio Martini, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag. 222 num. XXXV. Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXXVI pag. 777*, ex variis Auctoribus, quos laudat. Ejuſdem mentio in *Conſtitutione X Alexandri V data VI Auguſti MCCCCIX*, & ſæpius in Actis *Conſtantienſis* Concilii.

Anno 1409. F. Antonius Corarius, ex Epiſcopo *Æmonienſi*, ut in *Appendice* præcedenti dictum fuit, Epiſcopus Cenetenſis, *Ceneda*, in Marchia Tarviſina, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLVI pag. 162, ex Ughello, & Monumentis Conventus SS. Johannis & Pauli Venetiarum. Cavalerius Tomo I pag. 241 num. XC.*

Anno 1410. F. Gualterus, Epiſcopus Inſulanenſis, in Calabria, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCC pag. 206, ex Regeſt. Vatican. Ughellus in Epiſcop. Inſulanen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 608, Cavalerius Tomo I pag. 214 num. VII.*

Anno 1410. F. Thomas Tomaſinus, Venetus, Epiſcopus Æmonienſis, ſeu Civitatis novæ, in Iſtria, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXIV pag. 189, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 245 num. 102. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXLVII pag. 806*. Variis Eccleſiis, *Polenſi* ſcilicet, *Urbinatenſi*, *Tragurienſi*, *Maceratenſi*, & *Recanatenſi*, præfuit *Thomas*, ut in ſequentibus *Appendicibus* dicetur.

Anno 1410. B. Johannes Dominici, S. R. E. Cardinalis, ut dictum fuit, Adminiſtrator Epiſcopatus Tropejenſis, in Calabria, ſub Archiepiſcopo Rhegienſi. *Ughellus in Epiſcop. Tropejen. Tomo IX Italiæ Sacræ pag. 466. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCV pag. 314. Cavalerius*, ceterique ſupra laudati.

Anno 1412. F. Silveſter Galbus, de Corono, Epiſcopus Thermopylenſis, vulgo *Scelos, Terremotto, & Bocca di Lupo*, in Theſſalia, ſub Archiepiſcopo Lariſſæo. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXX pag. 305, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 205 num. CCCCXXVI.*

LEGATI.

Anno 1409 Die 8 Januarii. BEatus Johannes Dominici, S. R. E. Cardinalis, Legatus in Pannoniam miſſus. *Conſtitutio V Gregorii XII data VIII Januar. MCCCCIX.*

Anno 1411. F. Johannes Mulverch, Legatus in Germaniam miſſus. *Odoricus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXI num. I.* Illum crediderim *Johannem de Moveta*, cujus meminerunt *Gozzeus*, *Plodius*, ac *Fernandez* ad annum MCCCCL, & *Altamura* ad an. MCCCCLV.

Anno 1414. BEatus Johannes Dominici, S. R. E. Cardinalis, de quo mox dictum fuit, Legatus in Germaniam, & Belgium miſſus. *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXIV num. I, & II.*

Anno 1415. IDem Legatus ad Concilium Conſtantienſe miſſus. *Acta ejuſdem Concilii*, & Auctores ſupra laudati. Hujus enim Legationis meminerunt omnes.

ALE-

ALEXANDER V,

Petrus de Candia, Ordinis FF. Minorum alumnus, electus (*a*) eſt in Piſana Synodo Die XXVI Junii MCCCCIX. Piſis Coronatus fuit eodem Anno Die VII Julii. Obiit (*b*) Bononiæ Die III Maii MCCCCX. Sedit Menſes X, Dies VIII.

(*a*) *Ex Actis Piſanæ Synodi.*
(*b*) *Ex Ciaconio in Alexandro V.*

Univerſo Prædicatorum Ordini præficit Fratrem Thomam de Firmo (1) jam antea a nonnullis Provinciis electum.

Anno 1409 Die 20 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

I.

[*Exordium.*] INter ſollicitudines varias, quibus ex injuncti Nobis debito paſtoralis officii premimur, illud potiſſime Nos requirit, & excitat, ut circa reformationem membrorum etiam hactenus propter pernicioſum Schiſma diverſorum, & potiſſime Religioſorum omnium, ex quibus fidei Orthodoxę Religio nedum manuteneri, verum etiam augeri, dignoſcitur, cura vigili intendamus, & Religioſis hujuſmodi, ut prefertur, propter dictum ſchiſma precipites, ad debita capita juxta inſtituta eorum laudabiliter reducamus. Sane, cum in Ordine Fratrum Predicatorum, ſicut (proh dolor) & in aliis Religionum Ordinibus, duo dudum Magiſtri, unus videlicet in Romana & alter in Gallicana, obedientiis, tempore ſupradicti ſchiſmatis extiterint, prout impręſentiarum erant, [*Hujus Diplomatis cauſa.*] & Omnipotens Deus tantorum malorum, quanta ſciſſura Eccleſię Chriſti fidelibus hucuſque peperit, ineffabili clementia ſua miſertus, ſuę prefatę Eccleſię Populoque Chriſtiano unitatem, & pacem reſtituerit, gregemque ſuum ad unum ovile reduxerit, unicumque Paſtorem, Nos, [illegible] humeris, licet debilibus, & immeritis, paſtoralis officii onus divina gratia eſt, impoſitum; Cupientes, ut, ſicut prefata Eccleſia Dei miſericordia reformata extitit, ut prefertur, & vero, ac unico Sponſo, Chriſti Vicario reſtituta, ita & ejus membra noſtra ope, quantum Nobis ab alto conceſſum fuerit, reformentur, ac ut dictorum Fratrum Prędicatorum Ordo, cui pręcipua in Domino caritate afficimur, unicum immediatum caput unici Magiſtri debite recognoſcat; & conſiderantes Religionis zelum, profunditatem ſcientię, vitę, ac morum honeſtatem, rerum agendarum induſtriam, & providentiam, in magnis, & arduis jam expertas, & quas quotidie experiuntur, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita dilecti filii Thomę de Firmo, qui hucuſque prefati Ordinis Prędicatorum in Romana obedientia Magiſter extitit, necnon indefeſſa & ſtudioſa opera, quę pro ſanctiſſima unione, & redintegratione populi Chriſtiani, & prefatę Eccleſię periculis, laboribus, & impenſis non parcendo, idem Thomas exhibuit, prout exibere etiam non omittit, ac etiam optimum, & laudabile regimen, quod in ſuo Magiſtratus officio egit, debita meditatione penſantes, non immerito quidem inducimur, ut univerſali Ordini Fratrum Prędicatorum hujuſmodi eundem Thomam pręficiamus, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod per ipſius Thomę virtutes, & prudentiam circumſpectam, Ordo prefatus utiliter, & recte gubernabitur, & regetur. Habita itaque ſuper his matura, & diligenti deliberatione, eundem Thomam in Magiſtrum totius Ordinis Fratrum Prędicatorum eorundem, de Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore prefentium pręficimus, deputamus, & etiam ordinamus, [*Præficit ut ſupra.*] abſolventes auctoritate Apoſtolica prefata unumquenque alium a dicto Magiſtratus officio; ac pręcipientes, & mandantes in virtute Sanctę obedientię dilectis filiis univerſis & ſingulis Prioribus Provincialibus, & Conventualibus, ſacrę paginę Magiſtris, ceteriſque Officialibus, Conventibus, & Fratribus Ordinis prędicti, quatenus eidem Thomę eorum Magiſtro in omnibus, ejus Magiſtratus officio concernentibus, juxta eorum inſtituta, & conſuetudines, ut vero eorum Magiſtro, pareant & intendant; [*Clauſula derogans.*] ac decernentes ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nos enim ſententias, ſive pęnas, quas idem Thomas Magiſter rite tulerit, ſeu ſtatuerit in rebelles, ratas habebimus, ac faciemus auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Conſtitutionibus Apoſtolicis, & privilegiis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prefati Ordinis, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Per prefentes autem Conſtitutionibus, & privilegiis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus hujuſmodi nolumus alias in aliquo derogare. Nulli ergo &c. noſtrę prefectionis, [*Sanctio pœnalis.*] Deputationis, Ordinationis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Piſis XIII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Thomam de Firmo.*) Hujuſce Diplomatis cauſam paucis aperit *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. MCCCCIX pag. 283*, quem conſulas velim.

2. *Archivo.* In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.* 243. Legitur apud *Fontanam* mox laudatum.

F. Jo-

Anno 1409 Die 25 Julii.

F. Johannes (1) Provincialis conſtituitur Provinciæ Provinciæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

II. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Luco Priori Provinciali Ordinis Fratrum Prędicatorum in Provincia Provincię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. IN eminentis Sedis Apoſtolicę ſpecula divinitus conſtituti, pro perſonarum, Eccleſiaſticarum præſertim ſub regulari habitu degentium, ſtatu ſalubriter dirigendo, juxta paſtoralis officii debitum, libenter intendimus, ac partes noſtrę ſolicitudinis adhibemus. Cupientes itaque, ut, ſicut omnipotentis Dei ope ſua Eccleſia, propter perniciofum, & lachrymabile ſchiſma in partibus lacerata, unitati, & paci, ac unico ejus Sponſo Chriſti Vicario nuperrime reſtituta extitit, ita & ejus membra, ſub regulari habitu degentia, etiam propter ipſum ſchiſma hucuſque pro majore parte diviſa, reformentur, & hujuſmodi unitatis, & pacis amęnitate lętentur; & attendentes, quod dilecti filii Priores, Conventus, & Fratres univerſi Provincię Provincię Ordinis Prędicatorum, quibus pręcipua in Domino caritate afficimur, juxta ejuſdem Ordinis inſtituta, unicum & catholicum debeant Magiſtrum Provincialem habere, ac volentes eis de perſona utili, & idonea pro hujuſmodi Priore Provinciali hac vice, prout expedire cognovimus, eorum, & ipſius penſatis qualitatibus, providere, & Religionis zelum, ſcientię dotem, vitę ac morum conſpicuam honeſtatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam illorum largitor Dominus, prout relatu fide digno percepimus, multipliciter inſignivit, ac etiam quod Sanctiſſimę unionis Eccleſię fueris, & ſis promotor ardentiſſimus, & zelator, debita meditatione penſantes, ac etiam ex certis aliis rationabilibus cauſis animum noſtrum ad id moventibus, ex certa ſcientia, & motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate Priorem Provincialem Fratrum Ordinis & Provincię prędictorum auctoritate Apoſtolica pręſentium tenore facimus, conſtituimus, & etiam ordinamus; dantes, & concedentes tibi plenariam poteſtatem hujuſmodi prioratus officium in omnibus, & per omnia, ad ipſum juxta inſtituta, & conſuetudines dicti Ordinis ſpectantia, & pertinentia, libere exercendi; contradictores quoſlibet, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, & abſolventes ex nunc, & eadem auctoritate amoventes unumquenque alium a dicto Provincialatus officio; ac ſtricte pręcipientes, & mandantes dilectis filiis Prioribus, Conventibus, & Fratribus ſupradictis in virtute ſanctę obedientię, quatenus tibi in omnibus, quę tuum concernent officium, juxta ejuſdem Ordinis inſtituta, pareant, & intendant, decernentes inſuper ex nunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari: Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Statutis, & Conſuetudinibus pręfati Ordinis, & aliis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuſcunque. Nos enim ſententias, ſive pęnas, quas rite tuleris, ſive ſtatueris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Volumus tamen, quod quoad abſolutionem a dicto Prioratu de te fiendam, ac alia omnia & ſingula pręfati Ordinis inſtituta ſub poteſtate dilectorum filiorum Magiſtri, & Capituli Generalis ejuſdem Ordinis remaneas, & eſſe intelligaris, ſicut ſunt alii Priores Provinciales pręfati Ordinis, auctoritate ordinaria inſtituti, quodque per has noſtras literas Conſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus ſupradictis in nullo alias derogetur. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, ordinationis, Conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Piſis VIII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Hujus Diplomatis cauſa. Inſtitutio. Sanctio pœnalis.

1. *Johannes.*) *De Luco* nominatur, vel ex patria, vel ex familia. Floret etiam nunc in *Gallo-Provincia* nobiliſſima gens *Vintimilienſis de Luco*. *Lucus* oppidum eſt *Gallo-Provinciæ*, vulgo *Le Luc*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.* 244.

Anno 1409 Die 28 Julii.

F. Thomæ de Firmo Magiſtro Generali Ordinis Prædicatorum, ut unum ex duobus Provincialibus tempore ſchiſmatis præpoſitis Provinciæ Toloſanæ ab munere removeat (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

III. Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę de Firmo Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. RElIgionis zelus, donum ſcientię, ac prudentia circumſpecta, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, quibus perſonam tuam in magnis, & arduis tam univerſalis Eccleſię, quam tui Ordinis, laudabiliter comprobatam, inſignivit Altiſſimus, indubias nobis ſpem, fidemque pollicentur, quod ea, quę tibi pro pręfati Ordinis tui ſtatu ſalubriter, & proſpere dirigendo, committenda duxerimus, prudenter, & fideliter exequeris. Cum itaque nuper te in Magiſtrum dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum per alias noſtras literas (3), de Fratrum noſtrorum conſilio, confirmandum, & de novo deputandum duxerimus; cumque in qualibet Provincia dicti Ordinis unus Prior Provincialis juxta ejuſdem Ordinis inſtituta haberi, & deputari debeat, &, ſicut accepimus, in Provincia Toloſan. duo pro hujuſmodi Priore Provinciali ſe gerant, non ſine gravi ſcandalo, atque damno dilectorum filiorum Univerſorum Priorum Conventuum, & Fratrum dicti Ordinis in pręfata Provincia conſtitutorum, Nos, cupientes hu-

Hujus Diplomatis cauſa. Mandatum.

hujuſmodi ſcandalis obviare, ac etiam ut dictus Ordo dudum per pernicioſum ac lacrymabile ſchiſma diviſum, uniatur, ac in capite, & membris reformetur, prout Omnipotentis Dei ope Sancta Eccleſia unita exiſtit, & in Capite reformata, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, ut una cum pręſentia, & conſilio aliquorum Sacrę Theologię Profeſſorum, ac diſcretorum virorum Fratrum ejuſdem Ordinis, quos ad id duxeris requirendos, abſolvere, & amovere dictos duos, pro Priore Provinciali in dicta Provincia Toloſana, ut pręfertur, ſe gerentes, aut alterum ipſorum, quorum nomina hic haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, & etiam declaratis, & quemcunque alium a dicto Prioratus officio, alterumque prędictorum, aut quemcunque alium, quem cum pręſentia & conſilio prędictis pro bono quietis, & pacis Fratrum dictę Provincię duxeris eligendum, Priorem Provincialem dicti Ordinis in prędicta Provincia de novo facere, conſtituere, & etiam ordinare, nulla alia ſolita electione pręvia, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, & ſtatutis, aut conſuetudinibus Fratrum, & Ordinis prędictorum, & aliis quibuſcunque contrariis nequaquam obſtantibus auctoritate noſtra poſſis, & valeas, pręſentium tenore, auctoritate Apoſtolica, plenam concedimus poteſtatem; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita compeſcendo. Volumus tamen, quod quicunque per te inſtituetur, & fiet Prior Provincialis dictę Provincię, quoad abſolutionem de dicto Prioratu de eo fiendam, & alia omnia, & ſingula pręfati Ordinis inſtituta, ſub tua & ſucceſſorum tuorum ac dilectorum filiorum Generalis Capituli ejuſdem Ordinis poteſtate remaneat, & ſit, prout alii ſunt Priores Provinciales dicti Ordinis, auctoritate Ordinaria inſtituti, quodque per has noſtras literas conſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus ſupradictis in nullo alias derogetur. Datum Piſis V Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Removeat.*) Conſulendus *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. XI ad an. M.CCCIX pag.* 285.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.* 292.
3. *Literas.*) Præcedentes.

F. Johannis Rachelis (1), Provincialis Provinciæ Franciæ deſignati electionem confirmandam decernit.

Anno 1409 Die 28 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę (3) de Firmo Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RELigionis zelus, donum ſcientię, ac prudentia circumſpecta, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam in magnis, & arduis tam univerſalis Eccleſię, quam tui Ordinis negotiis laudabiliter comprobatam, inſignivit Altiſſimus, indubias nobis fidem, ſpemque pollicentur, quod ea quę tibi pro pręfati tui Ordinis ſtatu ſalubriter dirigendo, committenda duxerimus, prudenter, & fideliter exequeris. Nuper ſiquidem per nos accepto, quod dilectus Johannes Rachelis tui Ordinis Profeſſor in Capitulo Provinciali ejuſdem Ordinis, dudum in Civitate Carnoten. Provincię Francię celebrato, per dilectos filios Priores, & Fratres electores dicti Ordinis, ſeu majorem partem ipſorum electus, inſtitutus, & deputatus, ac certo modo confirmatus fuerit Prior Provincialis Fratrum Ordinis & Provincię prędictorum, quodque electio, inſtitutio, & deputatio hujuſmodi a nonnullis in dubium revocentur, & non ſine ſcandalo pro non validis, & non rite factis habeantur, nos qui univerſis Chriſti fidelibus, potiſſime perſonis ſub regulari habitu degentibus, ex debito injuncti nobis paſtoralis officii pacem dare, quantum nobis ex alto conceditur, affectamus, volentes ſcandalo ſupradicto pro viribus obviare, diſcretioni tuę, de qua in his & aliis in Domino fiduciam obtinemus, electionem, inſtitutionem, & deputationem, ac confirmationem, ut pręfertur, de dicto Johanne Priore factas, & omnia alia, & ſingula exinde ſecuta, quę pręſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſis, & declaratis, ſi, & in quantum pro utilitate, & pace Fratrum & Ordinis prędictorum id expedire cognoveris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, auctoritate noſtra validandi, & confirmandi, omneſque defectus, ſi qui in eis intervenerint ſupplendi; Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Fratrum, & Ordinis prędictorum, & aliis in contrarium facientibus nequaquam obſtantibus, auctoritate apoſtolica, pręſentium tenore, plenam concedimus poteſtatem. Volumus tamen quod per pręſentes Conſtitntionibus, ac Statutis, & conſuetudinibus ſupradictis in nullo alias derogetur. Datum Piſis V. Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Johannis Rachelis.*) Legenda quæ de hac turbulentiſſima tempeſtate ſcribit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXIV pag.* 755.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.* 223.
3. *Thomæ.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCI pag.* 747.

Anno 1409 Die 28 Julii.

F. Ardizonum (1) de Pizegottis Provinciæ S. Dominici (2) præficit.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

V.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis & ſingulis Prioribus Conventualibus, Sacrę Theologię Magiſtris, ceteriſque Officialibus, ac Conventibus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Provincia Sancti Dominici conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

IN eminentis Sedis Apoſtolicę ſpecula conſtituti, pro perſonarum Eccleſiaſticarum, pręſertim ſub regulari habitu degentium, ſtatu ſalubriter dirigendo, juxta Paſtoralis Officii debitum, libenter intendimus, ac partes noſtrę ſolicitudinis adhibemus. Cupientes itaque, ut, ſicut Omnipotentis Dei ope ſua Eccleſia dudum propter pernicioſum & lacrimabile ſciſma in partibus lacerata, unitati & paci, ac unico ejus Sponſo Chriſti Vicario nuperrime reſtituta extitit, & in capite reformata, ita & ejus membra, potiſſime ſub habitu regulari degentia, etiam propter dictum Sciſma hucuſque pro majori parte diviſa, reformentur, & hujuſmodi unitatis, & pacis amęnitate lętentur; Et attendentes, quod veſtra, ſicut quęlibet alia Provincia, unicum Priorem Provincialem juxta veſtri Ordinis Inſtituta habere debeat, ac propterea de catholico, utili, & idoneo Provinciali hujuſmodi, per quem Ordo veſter in dicta Provincia recte regatur, & utiliter gubernetur, vobis, & dictę Provincię providere volentes, dilectum Filium Ardizonum de Pizegottis, Ordinis pręfati Profeſſorem, in ſacra pagina Magiſtrum, apud Nos de Religionis zelo, ſcientię dono, vitę, ac morum honeſtate, aliiſque laudabilium probitatis & virtutum meritis, fide digno teſtimonio, commendatum, Priorem Provincialem veſtrum, & dictę Provincię, auctoritate Apoſtolica faciendum, conſtituendum, & deputandum duximus, prout tenore pręſentium facimus, conſtituimus, & etiam deputamus; dantes & concedentes eidem plenam poteſtatem, hujuſmodi Prioratus officium in omnibus, & per omnia, ad ipſum officium juxta dicti Ordinis Inſtituta, & Conſtitutiones, ſpectantia, & pertinentia, libere exercendi. Contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ac abſolventes ex nunc, & penitus amoventes quemcunque alium a dicto Prioratus Officio; decernenteſque irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & Conſuetudinibus Provincię, & Ordinis prędictorum, & aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque. Firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod per ejuſdem Ardizoni Prioris circumſpectum regimen Ordo veſter in dicta Provincia utiliter gubernabitur, & regetur. Quocirca univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta pręſentium tenore, pręcipimus & mandamus, quatinus dictum Ardizonum Priorem Provincialem veſtrum ad ejus officium benigne & honorifice recipientes, & admittentes, ſibi & ejus ſalubribus monitis, & mandatis, juxta pręfati Ordinis Inſtituta, pareatis, & effectualiter intendatis; alioquin ſententias, ſive pęnas, quas idem Ardizonus rite tulerit, ſeu ſtatuerit in rebelles, ratas habebimus, & gratas, ac faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Volumus tamen, quod dictus Ardizonus Prior quoad abſolutionem de eo faciendam, ac alia omnia, & ſingula prędicti Ordinis Inſtituta, ſub poteſtate dilectorum filiorum Magiſtri, & Capituli Generalis ejuſdem Ordinis remaneat, & ſit, ſicut ſunt alii Priores Provinciales dicti Ordinis, auctoritate Ordinaria inſtituti, quodque per pręſentes literas conſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus ſupradictis in nullo alias derogetur. Datum Piſis V Kalend. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Præficit ut ſupra.

Clauſula derogans.

X
X
X

N. De Baronibus.

P. De Negraudi.

Jo: De Eſculo.

Supra partem inflexam, ſeu plicum ſubſcripſit.

P. De Magio.

1. *Ardizonum.*) Adeas Fontanam *Monument. Dominican. Parte II cap. XI ad an. MCCCCIX pag. 285.*

2. *Provincia S. Dominici.*) Hoc nomine nunc inſignitur *Venetiarum* Provincia anno *MDLXXX* erecta. Tunc autem, anno ſcilicet *MCCCCIX* Provincia *Lombardiæ* vocabatur *Provincia S. Dominici.*

3. *Archivo.*) In quo Autographum. Plumbum filis Cannabinis appenditur. Ibidem aſſervatur Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol. 292.*

F. Ludovicum (1) de Salbis Provincialem Lombardiæ creat. — Anno 1409 Die 28 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis, & ſingulis Prioribus Conventualibus, Sacrę Theologię Magiſtris, ceteriſque Officialibus, ac Coeventibus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Provincia Lombardię conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN eminentis &c. (3) dilectum filium Ludovicum de Salbis de Smiſſino &c. Datum Piſis V Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Ludovicum*.) Ille ipſe videtur *Ludovicus* Provincialis *Lombardiæ*, qui affuit *Constantienſi* Concilio. *De Salbis* nuncupatur ex familia. *De Smiſſino* vocatur ex patria, ut moris erat. Vocem tamen ab Amanuenſi corruptam crediderim. Legerem *De Sentino*, vel *de Sentina*. Oppidum eſt Umbriæ. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXIV pag.757* ſcribit *De Cenſina*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.294.*

3. *Eminentis &c.*) Ut in præcedenti, quod, mutato nomine, idem prorſus eſt.

F. Leonardum (1) de Florentia Provinciæ Romanæ Provincialem conſtituit. — Anno 1409 Die 28 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis, & ſingulis Prioribus Conventualibus, ſacrę Theologię Magiſtris, ceteriſque Officialibus, ac Conventibus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Provincia Romana conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN eminentis &c. (3) dilectum filiom Leonardum de Florentia &c. Datum Piſis V Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Leonardum*.) Cognomento *De Datis*. Ex patria *de Florentia* dicitur. Plerumque *Statii* vocatur, quia patre *Statio de Datis* natus eſt. Ordinis Generalis Magiſter deinde fuit. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXIV pag.755.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.300.*

3. *Eminentis &c.*) Ut in penultima *Conſtitutione*, nomine duntaxat mutato.

F. Andreas (1) de Vaccarinis fit Provincialis Provinciæ Trinacriæ (2). — Anno 1409 Die 28 Julii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

VIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei dilectis filiis univerſis, & ſingulis Prioribus Conventualibus, ſacrę Theologię Magiſtris, ceteriſque Officialibus, ac Conventibus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, in Provincia Trinacrię conſtitutis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

IN eminentis &c. (4) dilectum filium Andream de Vaccarinis de Agregento (5) &c. Datum Piſis V Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Andreas*.) De *Agrigento* nuncupatur ex patria; *de Vaccarinis* dicitur ex familia.

2. *Trinacriæ*.) *Sicilia* ſcilicet.

3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.293.*

4. *Eminentis &c.*) Ut in *Conſtitutione V*.

5. *Agregento*.) *Agrigento*, vulgo *Girgenti*, in *Sicilia*.

F. Andream Thomæ de Florentia Urbis Pœnitentiarium creat. — Anno 1409 Die 5 Auguſti.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

IX.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Portuen., & Tuſculan. Epiſcopis, curam Pęnitentiarię noſtrę gerentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ILlos libenter Apoſtolico favore proſequimur, quos Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, prudentia ſpiritualium, & alia virtutum dona commendant. Nos igitur, volentes dilectum filium Andream Thomę de Florentia, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacra Theologia Magiſtrum, apud Nos de Religionis zelo, & aliis pręmiſſis fide dignorum teſtimonio multipliciter commendatum, favoribus proſequi gratioſis, ipſum Andream in noſtrum Pęnitentiarium in Urbe, & in Romana Curia facimus, conſtituimus, ac etiam ordinamus per pręſentes; eidem plenarie com- — Pœnitentiarius conſtitutus.

committendo, quod dictum officium Pęnitentiarię diligenter, & fideliter exequatur, vobiſque, & cuilibet veſtrum per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus dictum Andream ad dictum officium exercendum admittatis, ut eſt moris, ſtatuto de certo Pęnitentiariorum numero, per fel. rec. Clementem Sextum Prędeceſſorem noſtrum, cui non intendimus alias in aliquo derogare, nequaquam obſtante. Volumus autem, quod idem Andreas, priuſquam idem officium incipiat exercere, pręſtet in manibus veſtris, vel alterius veſtrum, de illo fideliter exercendo corporaliter juramentum juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt. Ego Andreas Thomę de Florentiis Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſor, in Sacra Theologia Magiſter & in Romana Curia Pęnitentiarius ab hac hora in antea &c. Sic me Deus adiuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo &c. Datum Piſis Nonis Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.* 253.

Anno 1409 Die 6 Auguſti.

F. Martino (1) Ordinis Prædicatorum, ut in Capitulo Provinciali Provinciæ Franciæ tres ejuſdem Ordinis Fratres Magiſtros Theologiæ creare poſſit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

X.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Martino Epiſcopo Atrebaten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PErſonam tuam Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, per quę te aliis poſſis reddere gratioſum. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod alias inter dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum, cujus Profeſſor exiſtis, & univerſitatem Studii Pariſien. quędam diſturbia (3) exorta fuerunt, propter quę Fratres prędicti Ordinis in eodem Studio jam decem & octo annis elapſis gradum Magiſterii in facultate Theologica nequaquam recipere potuerunt. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi, quod per te, vel alium, tribus Fratribus dicti Ordinis idoneis, de quibus tibi videbitur, in Capitulo Provinciali Francię, vel alibi, gradum hujuſmodi concedendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, qui, ut aſſeris, per dilectum filium nobilem virum Johannem (4) Ducem Burgundię ad Generale Concilium nuper in Civitate Piſan. Ambaſciator (5) deſtinatus extitiſti, per te, vel alium Magiſtrum dictę facultatis in dicto Capitulo, vel alibi, ubi, & quando tibi videbitur, tribus Fratribus dicti Ordinis Provincię Francię, quos ad hoc, per tuam, & duorum, vel trium aliorum in ſacra pagina Magiſtrorum diligentem examinationem, idoneos, & ſufficientes eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, honorem Magiſtralem, & docendi licentiam, ſervatis conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus, in talibus ſervari conſuetis, & quod ipſi Fratres, & eorundem ſinguli, poſtquam honorem hujuſmodi ſuſceperint, infra dictum Ordinem, & extra, quibuſcunque gratiis, privilegiis, immunitatibus, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede Apoſtolica, quam a dicto Ordine, Fratribus ejuſdem Ordinis Pariſiis in dicta facultate Magiſtratis conceſſis, perinde uti, & gaudere poſſint, & valeant, ac ſi in Pariſien. Studio Magiſterium hujuſmodi recepiſſent, auctoritate Apoſtolica concedendi: Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, Statutis, & conſuetudinibus Studii, & Ordinis prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de illis, & totis eorum tenoribus ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum eſſet in pręſentibus mentio facienda, quę alias in ſuo robore volumus permanere, plenam, & liberam concedimus, tenore pręſentium, facultatem. Datum Piſis VIII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Hujusce Diplomatis cauſa.

Indulget ut ſupra.

1. *F. Martino.*) Cujus laudes celebrat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag.* 777, quem conſulas velim.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico libro VII fol.* 123. Legitur apud *Echard* loco laudato, *pag.* 778.

3. *Diſturbia.*) Conſulendus *F. Laurentius Pignon in Chronicis*. Adeas *Echard* mox citatum, *pag.* 777.

4. *Johannem.*) Cui a Confeſſionibus & Concionibus datus erat a *Philippo* Duce *Burgundiæ*, patre *Johannis*.

5. *Ambaſciator.*) Id eſt Orator.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ut Unitorum (1), ſeu Armenorum, Ordo juris, ac poteſtatis ſit Magiſtri Generalis Ordinis Prædicatorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

IN eminentis Sedis Apoſtolicę ſpecula divinitus conſtituti, pro perſonarum eccleſiaſticarum, pręſertim ſub regulari habitu vacantium ſtudio pię vitę, ſtatu ſalubriter dirigendo, juxta paſtoralis officii debitum libenter intendimus, ac partes noſtrę ſolicitudinis adhibemus. Hinc eſt, quod Nos felicis recordationis Innocentii VI, & Urbani V, ac nonnullorum Romanorum Pontificum aliorum, Prędeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhęrentes, dilectos filios Fratres Ordinum Armenorum Sancti Baſilii, ac etiam Unitorum, ſeu qui Uniti, & Armeni nuncupantur, ſub cura, & regimine Ordinis Fratrum Prędicatorum, auctoritate Apoſtolica, perpetuo ſubiicimus, & ponimus per pręſentes; ſtatuentes, & etiam ordinantes, quod deinceps Magiſter dicti Ordinis pro tempore exiſtens, per ſe, vel alium, aut alios, in domibus, & locis omnibus dictorum Fratrum Generales, ſeu Gubernatores, ac Vicarios, & alios Officiales pro ſuę vo-

Mandatum.

voluntatis beneplacito amovere, & electos confirmare, ac domos, & loca, ac Fratres hujuſmodi viſitare, & ea, quę correctionis, & reformationis officio noverit indigere, prędicta auctoritate, corrigere, & reformare, prout de jure, vel de more, ac conſuetudine dicti Ordinis fuerit faciendum, ac alia omnia, & ſingula in domibus, & locis prędictis erga dictos Fratres facere, & exercere poſſit, & valeat, quę pręfatus Magiſter in pręfato Prędicatorum Ordine facere poteſt, & debet. Gratiis, & immunitatibus, quas hujuſmodi Fratres Armeni, aut Uniti circa viſitationis officium per Vicarios, per Magiſtrum prędictum pro tempore deputandos, in partibus Armenię exercendum nihilominus in ſuo robore duraturis Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ſubjectionis, poſitionis, ſtatuti, & ordinationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Piſis IIII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

X
X

N. De Baronibus.

P. Negraudi

Jo. De Eſculo

Supra partem inflexam, ſeu plicam ſubſcripſi.

A tergo legitur.

A. De Dammiano.

R. (3)

1. *Unitorum.*) Conſulendæ *Nota ad Conſtitutiones V, & VII Innocentii VI.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

3. *R.*) *Regiſtrata.*

De Fratribus a Cenſura (1) ſolvendis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

XII.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Thomas Magiſter, ac univerſi Fratres Ordinis Prędicatorum in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, merita promerentur, ut Apoſtolica Sedes petitiones eorum, illas pręſertim, quę animarum ipſorum & ſalutem reſpiciunt, ad exauditionis gratiam clementer admittat. Ipſorum itaque Thomę Magiſtri, & Fratrum ſupplicationibus inclinati, ut idem Thomas, & quilibet alius, qui pro tempore fuerit Magiſter, per ſe, vel alium, ſeu alios, ejuſdem Ordinis idoneos Sacerdotes, univerſos & ſingulos Fratres dicti Ordinis, & quicunque idoneus pręfati Ordinis Presbyter, quem ipſe Thomas Magiſter, & qui fuerit pro tempore, duxerit eligendum, eundem Magiſtrum ab omnibus, & ſingulis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis a jure, vel ab homine promulgatis & promulgandis, ſi quas ipſi, vel aliquis ipſorum incurrerunt, aut incurrit, vel impoſterum incurrent, aut incurret, etiam ſi abſolutio de his Sedi Apoſtolicę reſervata foret, necnon ab omnibus aliis peccatis eorum, & cujuslibet ipſorum, quę quilibet ex dictis Fratribus Magiſtro, aut deputando, vel deputandis ab ipſo, & dictus Magiſter Presbytero, pręfatis, corde contriti confitebuntur, etiam ſi talia forent, propter quę Sedes pręfata eſſet merito conſulenda, ſemel tantum in officio cujuslibet Magiſtri in forma Eccleſię conſueta, Apoſtolica auctoritate abſolvere, injuncta eis pro modo culpę penitentia ſalutari, & aliis quę de jure, ac ſecundum inſtituta, & conſuetudines dicti Ordinis injungenda fuerint, ſuper quibus Magiſtri, & Presbyteri prędictorum conſcientias oneramus. Et inſuper, ut ſuffragantibus eorum meritis, ac alio canonico non obſtante, ſuper irregularitate qualibet, ſi quam, pręmiſſorum occaſione, incurrerunt, vel incurrent impoſterum, miſericorditer diſpenſare, omnemque infamię maculam, ſive notam per eos, vel aliquem ipſorum contractam, vel contrahendam abolere, necnon ad quoſcunque honores, dignitates, & officia, quę in dicto Ordine quomodolibet habent, vel habebunt, habilitare, & ad ſtatum priſtinum reducere, ſemel tantum, ut pręfertur, poſſint, & valeant: dummodo Magiſter, & Fratres hujuſmodi in fidelitate, & devotione Sanctę Romanę Eccleſię, atque noſtri, & ſucceſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium perſtiterint, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus pręfati Ordinis, & aliis in contrarium facientibus nequaquam obſtantibus, devotioni ipſorum, tenore pręſentium indulgemus. Sic tamen quod Magiſter Fratribus, & Presbyter, pręfati, Magiſtro prędictis de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam per ipſos, aut alium, ſeu alios pro ipſis, faciendam injungant, quam ipſi per ſe, vel alios facere teneantur, ut pręfertur. Et, ne, quod abſit, Magiſter, & Fratres prędicti propter hujuſmodi gratiam ad illicita impoſterum committenda procliviores reddantur, volumus, quod ſi ex confidentia conceſſionis hujuſmodi aliqua impoſterum committerent, quoad illa pręſens conceſſio eis nullatenus ſuffragetur, quodque Conſtitutionibus, ſtatutis, & conſuetudinibus ſupradictis per has literas in nullo alias derogetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe no-

Exordium. Conceſſio. Clauſula derogans. Sanctio pœnalis.

noverit incurſurum. Datum Piſis IIII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

oX
IX

N. De Baronibus.

Jo. de Eſculo.

P. Negraudi.

Supra partem inverſam, ſeu plicum, legitur.

A tergo.

R.

Pro Jo. De Eſculo.

A. De Dammiano.

1. *Cenſuris.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ordinem Fratrum Prædicatorum ab Epiſcoporum jurisdictione, & a quolibet tributo ſolvendo immunem (1) eſſe, declarat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

ETſi pro eunctorum Chriſti fidelium, ſuper quibus curam officii Summi Pontificatus, divina diſponente clementia, gerere obligamur, ſtatu ſalubriter dirigendo, libenter adhibeamus ſolicitudinis noſtrę partes, illos tamen affectuoſiori ſtudio proſequimur, quorum alii a mundanis abſtracti illecebris, & gravibus pęnitentiis dediti, cęleſtibus inhiant, & ad illa per contemplationis pennas ſuavius, & altius elevantur ut aquilę, & cum Maria parte optima perfruuntur, alii vero, ſanctam Marthę ſolicitudinem ſectantes, celebrationi divinorum vacant ſolertius, alii diſcunt, & docent Dei ſcientiam, & plebem inſtruunt in eadem, alii quoque ferventioris ſpiritus ardore ſuccenſi, non timentes, ſed amantes, ad converſionem fidelium anheiant intrepidi, ut valeant ad Dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Hii profecto ſunt Fratres Ordinis Prędicatorum, in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus Prędicationis per diverſa mundi climata noſcitur exiviſſe. Hii ſunt, quos Deus numero multiplicavit, & meritis, quibuſque, ſicut & aliis bene currentibus in ſtadio militantis Eccleſię, ęternum bravium elargitur. Quapropter de ipſis curam vigilem gerimus, ut eos in hiis ſanctis operibus nil impediat, vel perturbet, ſed ipſi oportunę quietis dulcedine potiantur. Hinc eſt, quod Nos, dilecti filii Thomę Magiſtri, & dilectorum filiorum Priorum, & aliarum perſonarum dicti Ordinis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac felicis recordationis Nicolai IIII, & Benedicti XI, & nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, veſtigiis inhęrentes, Ordinem ipſum, ac Magiſtrum Priores & Fratres prędictos, pręſentes, & futuros, necnon quaſcunque Sorores, ac domos, Monaſteria, loca, & hoſpitalia quęcunque, quę ſub cura, & regimine Ordinis, & Fratrum Prędicatorum fuerint pro tempore conſtituta, & eorum Rectores, & Gubernatores, cum omnibus ſuis juribus & pertinentiis, quę impręſentiarum obtinent, & in futurum, dante Domino, juſtis modis poterunt adhipiſci, ab omni juriſdictione, Dominio, ſubjectione, & poteſtate quorumlibet Ordinariorum, & Pręlatorum, ac perſonarum eccleſiaſticarum, necnon a ſolutione cujuſcunque collectę, pedagii, aut cujuſcunque alterius generis exactionis, de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia prorſus eximimus, & totaliter liberamus, illaque in jus, & proprietatem Beati Petri, & Sedis Apoſtolicę, & ſub eorum ſpeciali, & immediata protectione ſuſcipimus, atque noſtra; decernentes Ordinem, Magiſtrum, Priores, Fratres, Sorores, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, domos, Monaſteria, loca, & hoſpitalia ſupradicta, eorumque Rectores, & Gubernatores, cum omnibus juribus, & pertinentiis hujuſmodi, ſolum, & immediate Sedi prędictę ſubjacere, ita quod Ordinarii, & Pręlati, aut hujuſmodi, ſeu quęvis alię perſonę in ea, utpote prorſus exempta, generaliter, vel ſpecialiter, aut communiter, vel diviſim, non poſſint, quavis auctoritate, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias promulgare, aut alias, etiam ratione delicti, ſeu contractus, vel rei, de qua agetur, ubicunque committatur delictum, inietur contractus, aut res ipſa conſiſtat, poteſtatem, ſeu juriſdictionem aliquam quomodolibet exercere; quodque Magiſtri, Priores, Fratres, Sorores, Rectores, & Gubernatores pręfati ratione domorum, locorum, Monaſteriorum, & hoſpitalium prędictorum, aut quorumcunque aliorum bonorum, aut poſſeſſionum, quę impręſentiarum habent, & juſtis modis, pręſtante Domino, habebunt in futurum, ſeu alia quavis occaſione, decimam, vel aliam portionem, aut annuos redditus, ſeu cenſum, vel procurationem aliquam, vel aliam ſubventionem Legatis, vel Nunciis dictę Sedis, aut Ordinariis locorum, vel aliis quibuſcunque, aut pedagia, vel Theolonea, & alias exactiones quibuſvis Regibus, ſeu aliis perſonis eccleſiaſticis, vel ſecularibus, dare, & ſolvere minime teneantur, nec ad id compelli poſſint, vel ſuper hoc, aut alias a quoquam quomodolibet conveniri per litteras Sedis prędictę, aut Legatorum, vel de-

Fratres laudibus effert.

Exemptionis declaratio.

delegatorum, ſeu Nunciorum ipſius, aut Dioceſanorum locorum, vel Rectorum terrarum Eccleſię Romanę, aut quorumcunque aliorum, etiam ſi in ejuſdem Sedis litteris contineatur expreſſe, quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, ſeu Monaſteria ſe extendant, & aliqua eis., cujuſcunque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia non obſtet, niſi forſan dictę litterę Apoſtolicę de dicto Ordine, & pręſentibus de verbo ad verbum, ac etiam Monaſteriis, locis, & domibus, ipſiſque Rectoribus, ac Gubernatoribus, & perſonis prędictis, plenam, & expreſſam, ac etiam ſpecialiter, & notanter fecerint mentionem. Et nichilominus volumus, & eiſdem Magiſtro, Prioribus, & Fratribus auctoritate Apoſtolica concedimus, quod ipſi de pręſentibus, & in eis contentis alicui ex locorum Ordinariis, quoad vixerint, niſi ſemel tantum, ſi ſuper hoc per eum fuerint requiſiti, fidem facere nequaquam teneantur, nec ad id a quoquam inviti valeant coarctari, editis non obſtantibus quibuſcunque. Nos enim quaslibet excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, & quoſcunque proceſſus, quaſvis pęnas, ſeu ſententias continentes, quas, & quos contra Magiſtrum, Priores, Fratres, Sorores, Domos, & hoſpitalia, perſonas, & alia ſupradicta contra tenorem & formam pręſentium, & exemptionis hujuſmodi promulgari, & haberi contigerit, irritos decernimus penitus, & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, voluntatis, conceſſionis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Piſis IIII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

X
X
X

N. De Baronibus.

P. De Negraudi. — Jo. De Eſculo.

Supra plicam legitur.

A tergo.
R. — Pro Jo. de Eſculo.

M. De Novaria.

1. *Immunem.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V, & X.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum.

F. Thomæ de Firmo (1), ut Ordinis Prædicatorum Magiſter Fratrem unum, qui Sententiarum Libros in Secundis Scholis Pariſiis legat, quotannis mittere poſſit (2).

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XIV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUm Religionis zelum, donum ſcientię, vitę, ac morum honeſtatem, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam illarum largitor Dominus inſignivit, necnon laudabilia, & fructuoſa opera, quę tam circa tui Ordinis regimen, quam etiam pro Unione Sanctę Eccleſię hactenus impendiſti, & ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtis, debita meditatione penſamus, merito inducimur, ut tibi pro meritorum pręmiſſorum intuitu, & ſucceſſoribus in officio tuis illa concedamus, per quę tu, & ſucceſſores pręfati, poſſitis aliis vos reddere gratioſos. Tuis itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu, & quilibet tui Ordinis Magiſter, qui pro tempore fuerit, unum ex Fratribus dicti Ordinis Profeſſoribus, quem duxeris, aut Magiſter hujuſmodi pro tempore exiſtens duxerit eligendum, ad Magiſterii in Theologię facultate honorem ſuſcipiendum, & ad id idoneum, ad Sententiarum libros in ſecundis Scholis Pariſiis legendum pro forma & gradu hujuſmodi Magiſterii ſuſcipiendi, ſingulis annis, abſque tamen prejudicio Univerſitatis Pariſien., deputare, & nominare libere & licite poſſis, & poſſit, tibi, ac Magiſtro cuilibet dicti Ordinis, qui pro tempore fuerit, auctoritate Apoſtolica plenam, & liberam, tenore pręſentium concedimus poteſtatem. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. — Indulget ut ſupra. — Sanctio pœnalis.

1. *Thomæ de Firmo.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCI pag. 747.*

2. *Poſſit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol. 225.*

Anno 1409 Die 10 Augusti.

Magiſtrum Generalem Ordinis Fratrum Prædicatorum Privilegiis (1) ampliſſimis donat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PErſonam tuam, Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, ac Religionis zelo conſpicuam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę ad ſalutem animarum, ac ſtatum proſperum, & tranquillum Fratrum Ordinis Prędicatorum, tendere dignoſcuntur. Hinc eſt, quod Nos, tuis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, & fel: rec: Benedicti XI, Privilegia. Gregorii XI, & nonnullorum aliorum Pontificum Romanorum, Prędeceſſorum noſtrorum, veſtigiis inhęrentes, ut tu, & ſucceſſores tui, Magiſtri dicti Ordinis, qui fuerint pro tempore in quolibet Capitulo Generali. ſecundum morem dicti Ordinis pro tempore celebrando, uni ex Fratribus dicti Ordinis in Theologię facultate provecto, quem tu, vel ſucceſſores hujuſmodi, per tuam, vel ſucceſſorum eorundem, necnon Definitorum dicti Capituli, vel aliorum Magiſtrorum ad hoc aſſumendorum, diligentem examinationem ſufficientem, & idoneum, inveneritis, Magiſterii honorem, & docendi licentiam in facultate prędicta, ſervatis conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus in talibus conſuetis, auctoritate Apoſtolica largiri, ſibique, ut intra prędictum Ordinem, & extra, quibuſcunque gratiis, privilegiis, & libertatibus, & indulgentiis tam a Sede, quam ab Ordine prędictis, Fratribus ejuſdem Ordinis in eadem Theologia Pariſiis Magiſtratis conceſſis, provide uti & gaudere valeat, ac ſi in Pariſien. Studio hujuſmodi Magiſterium recepiſſet. Quodque etiam tu, & Succeſſores hujuſmodi omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis ad partes Infidelium, & Schiſmaticorum tranſmiſſos, ſeu in Pęnitentiarios extra Romanam Curiam, aut Inquiſitores Hęreticę pravitatis, ac Priores etiam, & Provinciales, & Conventuales, necnon Vicarios, Lectores, & Bacalaureos, in dicto Ordine per Sedem prędictam, vel alias per quoſcunque, & qualitercunque, & quavis auctoritate, etiam noſtra, deputatos hactenus, & in poſterum deputandos, ac alios quoſcunque Officiales dicti Ordinis, necnon Rectores, & adminiſtratores, ac Prioriſſas Monaſteriorum, Hoſpitalium, aliorumque locorum dicti Ordinis, ſeu eidem Ordini ſubjectorum, vel ſubmiſſorum, cujuſcunque ſtatus, Ordinis, ſexus, vel conditionis exiſtant, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, quoties tibi, vel Succeſſoribus tuis, pro dicti Ordinis, vel alicujus ex locis prędictis, ſeu perſonarum ipſorum, vel alicujus eorum ſtatu, & honore videbitur, revocare, & ab hujuſmodi eorum officiis, Miniſteriis, Prioratibus, & adminiſtrationibus quibuſcunque removere, & alios Procurator Generalis. loco ipſorum ſubſtituere, ac officia ipſa limitare, ac etiam aliquem ex Fratribus hujuſmodi ad hoc idoneum in dicti Ordinis Procuratorem deputare, & inſtituere, & Inſtitutum ab ipſo officio amovere, & alium loco ejus ponere ſemel, & pluries, ac toties quoties tibi, & Succeſſoribus tuis videbitur, & placebit, qui ipſo facto omnium Provinciarum, Conventuum, Monaſteriorum Hoſpitalium, & locorum ipſius Ordinis & perſonarum eorundem, ac aliorum prędictorum, & ipſi Ordini ſubjectorum cenſeatur, & ſit verus Procurator; cujuſque procurationis officium decedente Magiſtro ipſius Ordinis, qui pro tempore fuerit, nullatenus expiret, donec ſuper hoc per Magiſtrum proxime ſuccedentem aliter ordinetur, dictuſque Procurator poſſit, & valeat cauſas quaſcunque, tam civiles, quam criminales, eccleſiaſticas, ſive mundanas, quas voluerit, aſſumere pro dicto Ordine, locis, & ipſorum locorum Conventibus, & Officialibus, ac perſonis prędictis, & ipſorum quolibet, ac etiam ipſorum nomine, & pro eis tam conjunctim, quam diviſim, per ſe, vel per alium, ſeu alios, tam in Romana Curia, quam extra, contra quaſcunque perſonas, Collegia, & Univerſitates movere, proſequi, defendere, & agere, ac appellare in judicio, & extra, tam in prima, quam in ſecunda, & tertia inſtantiis, etiam in his, in quibus requiritur ſpeciale mandatum, toties quoties, ſemper & quandocunque ſibi videbitur, & placebit, ſecundum poteſtatem per te, vel Succeſſores tuos hujuſmodi ſibi traditam, vel tradendam, perinde ac ſi ab Ordine, & locis, Officialibus, & perſonis prędictis ſibi data eſſet omnimoda poteſtas, cum pleno, libero, & generali mandato, ad cauſas antedictas. Quodque tu, & Succeſſores tui Magiſtri hujuſmodi cum quibuſcunque Fratribus dicti Ordinis, cujuſcunque ſexus exiſtant, ex quocunque damnato coitu procreatis, vel procreandis, ut ad quoſcunque gradus in licitis facultatibus, dignitates, & honores, ac officia quęcunque in Ordine ipſo, & locis prędictis duntaxat promoveri libere, & licite poſſint, generali prędicti Ordinis excepto Magiſtratu, auctoritate Apoſtolica diſpenſare, ac illos ex Fratribus hujuſmodi, qui forſan antequam ad legitimam ętatem pervenerint, ſe fecerint, aut permiſerint ad quoſcunque Sacros Ordines promoveri, ab omnibus ſententiis, & pęnis, quas propterea incurrerint, per te, vel per alium, ſeu alios idoneos tui Ordinis profeſſores, eadem auctoritate abſolvere, & ſuper irregularitate, forſan per eos propterea qualitercunque contracta, auctoritate Apoſtolica diſpenſare, ac quaſcunque utriuſque ſexus perſonas tibi, & Succeſſoribus hujuſmodi pro tempore confitentes, extra prędictam Curiam ab eorum peccatis in illis caſibus duntaxat, in quibus minores noſtri, & dictę Sedis Pęnitentiarii poſſunt abſolvere, necnon quoties te, & Succeſſores ipſos per aliquas partes iter facere, contigerit, Miſſam antequam dies illuceſcat, circa tamen diurnam lucem, celebrare, aut per proprium, vel alium Sacerdotem idoneum facere celebrare, ita tamen quod id tibi, vel ſucceſſoribus ipſis, nec Sacerdoti hujuſmodi ad culpam valeat imputari, tibi, & Succeſſoribus tuis, Magiſtris hujuſmodi, de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia, tenore pręſentium indulgemus. Conſtitutionibus, & gratiis Apoſtolicis hujuſmodi Fratribus, Officialibus, ſeu perſonis, aut locis in genere, vel in ſpecie conceſſis, vel concedendis pro tempore, quas eis quoad pręmiſſa, niſi de pręſentibus de verbo ad verbum plenam, & ex-

expreſſam fecerint mentionem, nolumus in aliquo ſuffragari, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol. 224.*

F. Thomæ de Firmo Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro, ut Schiſmatis fautores a Cenſuris Eccleſiaſticis abſolvere (1) poſſit.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Alexandec Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PErſonam tuam, nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, per quę aliorum animarum ſaluti, & ſtatui ſalubriter conſulatur. Hinc eſt, quod Nos, tuis devotis ſupplicationibus inclinati, tibi abſolvendi quaſcunque perſonas Ordinis Prędicatorum, & in eodem Ordine degentes, & Altiſſimo in humilitatis ſpiritu famulantes, ab excommunicationis ſententia quam forſan adhęrendo, vel favendo, ſeu alias credendo perditionis, & iniquitatis alumnis, Petro de Luna, qui Benedictus XIII, & Angelo Corario, qui Gregorius XII in ſuis obedientiis

Indulget ut ſupra.

appellabantur, vel eorum fautoribus, aut ſequacibus, & eis adhęrentibus, quę quidem perſonę ab obedientia & devotione noſtra, ac Sedis prędictę ſe qualitercunque ſubtraxerunt, ad obedientiam, & devotionem noſtram pręfatam cedire volunt, prius pręſtito per ipſas perſonas, & recepto ab earundem ſingulis, de ſtando noſtris & Romanę Eccleſię mandatis fidelitatis debitę juramento, juxta formam inferius annotatam, & injunctis earum ſingulis pro modo culpę pœnitentia ſalutari, & aliis quę de jure fuerint injungenda, cum illis quoque ex perſonis prędictis, quę ſic ligatę celebrando Divina, vel ſe illis immiſcendo, eis tamen ad tempus, de quo tibi expedire videbitur, a ſuorum Ordinum executione ſuſpenſis, demum ſuffragantibus eis meritis, & alio canonico impedimento non obſtante, diſpenſandi, plenam tenore pręſentium concedimus facultatem. Forma autem juramenti prędicti talis eſt. Ego N. Ordinis Fra-

Jurandi formula.

trum Prędicatorum profeſſor, comperto diviſionis, & ſchiſmatis laqueo, quo tenebar, credendo, favendo, & adhęrendo perditionis Alumnis, Petro de Luna, qui Benedictus XIII, & Angelo Corario qui Gregorius XII in ſuis obedientiis appellabantur, ſibique, & aliis credentibus, faventibus, & aliis receptatoribus, adhęrentibus, defenſoribus, comolicibus, & ſequacibus eorum pręſtando auxilium, vel favorem, & propterea nunc diutina mecum deliberatione pertractans prona, & ſpontanea voluntate, ad unitatem Sedis Apoſtolicę Divina gratia reverſus, fateor publice, me erraſſe, & de pręſenti tenere catholicam fidem, ac credere, & tenere quicquid credit, & tenet, ac docet Sancta Matec Eccleſia, cui prę eſt Dominus noſter Dominus Alexander divina providentia Papa Quintus, & quod idem Domious Alexander fuit, & eſt verus Romanus Pontifex, & verus Vicarius Jeſu Chriſti, Petrique Succeſſor, Canonice electus, inthronizatus, & coronatus in Romanum Pontificem per Cardinales, ad quos, Vacante Sede Apoſtolica, inthronizatio, & Coronatio pertinebant. Quodque pręfati perditionis Alumni, tanquam hęretici, & nutritores ſchiſmatis antiquati, ac totius Chriſtianitatis invaſores, & deſtructores, & a liminibus Sanctę Dei Eccleſię ſeparati, a Chriſti fidelibus perſequendi ſunt, donec ad cor reverſi, ſuos recognoſcant errores, & ad gremium revertantur Eccleſię antedictę, & quod tam ipſi Petrus de Luna, & Angelus Corarius, quam omnes eorum fautores & ſequaces in hac parte fuerunt, & ſunt veri ſchiſmatici, apoſtatici, excommunicati, anathematizati, ac diviſi, & ſeparati a communione fidelium, & ab unitate Sanctę Dei Eccleſię, & tanquam hęretici puniendi, & ut tales fuiſſe, & eſſe juſte, & Sancte de ſchiſmate, credentia, fautoria, adhęſione, ſequela, & erroribus prędictis condemnatos, & incidiſſe in pęnas, & ſententias, tam a jure quam ab homine, in talia pertractantes promulgatas, & in proceſſibus contentas, & declaratas; & ne ſimulate reverſus extimer, ſub honoris mei caſu, & anathematis obligatione, & ſub pęna quę relapſis, a jure, vel ab homine, imponi debet, anathematizo, & abjuro omnem hęreſim, & ſchiſms, & nominatim damnatum ſchiſma, credentiam, & adhęſionem pręfatorum, Petri de Luna, & Angeli Corarii, & me ad ipſorum aliquem, de quo Redemptoris noſtri gratia ereptus ſum, nunquam reverſurum, ſed ſemper me in unitate Eccleſię catholicę, cui prę eſt pręfatus Dominus noſter Alexander Papa Quintus, manſurum, ac ſponte promitto non ficte, ſed voluntarie, & ſincere juro ad ſancta Dei Evangelia, corporaliter per me tacta, quod ſtabo, & parebo mandatis Eccleſię & dicti Domini Alexandri Papę, ſuper rebellionibus, fautoriis, & ceteris pęnis, ac ſententiis, quas ob pręmiſſa, & ea tangentia incurri, & quod dicto Domino noſtro Papę, & ejus Succeſſoribus canonice intrantibus, obediens, & fidelis de cetero ero, & eis reverentiam debitam exhibebo; non ero in conſilio, vel tractatu, quod vitam perdant, aut membrum, vel capiantur mala captione, conſilium, quod mihi credituri ſunt per literas, vel nuncium, ad ipſorum damnum, vel prędjudicium nemini pandam, vel communicabo, & ſi ſcivero fieri, vel tractari aliquid, quod in ipſorum damnum, vel prędjudicium vergat, illud pro poſſe impediam ne fiat, & ſi impedire per me non potero, hoc eis, aut aliis, per quem, vel per quos id credam, ad notitiam ipſorum pervenire, perſonaliter, vel per literas, aut per nuncios ſignificare curabo. Papatum Romanum, & Regalia S. Petri, ac Jura, & Juriſdictiones pręfatę Romanę Eccleſię, & dicti Domini Noſtri Papę majeſtatem, honorem & ſtatum illęſos manutenebo totis viribus, & defendam, & adjutor eis ero, ad recuperandum, & recuperatos manutenendum contra omnes homines, & ſpecialiter contra pręfatos Petrum de Luna, & Angelum Corarium, & quoſcunque credentes, adhęrentes, fautores, receptatores, & deſeoſores, complices, & ſequaces eorundem, cujuſcunque

prępeminentię, Ordinis, Religionis, conditionis, vel ſtatus exiſtant, etiam ſi Pontificali, Regali, vel Reginali, vel quavis alia pręfulgeant dignitate Eccleſiaſtica, vel mundana, etiamſi fuerint dictę Sanctę Romanę Eccleſię Cardinales, & contra quoſcunque per prędictam Eccleſiam denotatos, vel in poſterum denotandos, quandiu extra gratiam, & communionem dictę Eccleſię fuerint, nec cum pręfatis ſchiſmaticis, apoſtatis, & rebellibus, vel eorum complicibus, fautoribus, & ſequacibus, quandiu ſtabunt in rebellione Eccleſię, ſeu aliis Hęreticis, & ſchiſmaticis, & rebellibus, ac illorum fautoribus, & ſequacibus per dictam Eccleſiam denotatis deinceps ero; nec eis, ſeu quibuſcunque aliis contra dictam Eccleſiam, & Dominum Noſtrum P.P. dabo conſilium, auxilium, & favorem, per me, vel alium, ſeu alios directe, vel indirecte, publice, vel occulte, nec ab his, quantum in me fuerit, ſi impedire potero, prępſtari, ſeu dari permittam, nec cum dictis ſchiſmaticis, apoſtatis, & rebellibus, aut quibuſvis aliis in rebellione pręfatę Eccleſię exiſtentibus, contra ipſam Eccleſiam colligationem, vel conſpirationem faciam, ſeu ligam, ſed eos, & eorum quemlibet juxta tenorem proceſſuum prędictorum pro poſſe meo perſequar, & invadam donec convertantur, ac revertantur ad gremium Eccleſię memoratę. Sic me Deus adjuvet & hęc Sancta Dei Evangelia. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Abſolvere.*) Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte II Cap. XI ad annum MCCCCIX pag.*285.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. VII fol.*247. Ejuſdem Diplomatis meminit *Fontana* mox laudatus.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ut quæ tempore ſchiſmatis a Generalibus Capitulis Ordinis Prædicatorum ſancita ſunt, comprobari, vel reſcindi poſſint a Generali Capitulo proxime futuro (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. QUoniam interdum ex his, quę pro quiete, & pace Religioſarum perſonarum, quarum intentio, & ſtudium debet eſſe, ut calcatis, ſpretiſque ſeculi pompis, & abdicatis illecebris, pręſtent virtutum Altiſſimo famulatum, provide ſunt ſtatuta, pacis ęmulo procurante, ſcandalorum materia generatur, conſuevit Sedis Apoſtolicę providentia circumſpecta ſtatuta hujuſmodi quandoque, vel in parte moderationis ſuę lima corrigere, vel obſcura dilucidare, vel in totum revocare, & ſolicitudinis ſuę partes adhi-
Hujus Diplomatis cauſa. bere, ut ęquo judicio ſingula dirigantur. Dudum ſiquidem poſt obitum pię memorię Gregorii Papę XI, Prędeceſſoris Noſtri, & interea uſquequo proh dolor! pernicioſum ſchiſma duravit, & poſtmodum, divina nobis ſuffragante clementia, fuimus cum unione Eccleſię ad apicem ſummi Apoſtolatus aſſumpti, ſecundum morem Ordinis Fratrum Prędicatorum Generalia per dilectos filios Fratres dicti Ordinis quam plurima fuerunt Capitula in utraque obedientia celebrata, in quibus conſtitutiones, & ordinationes nonnullę conditę extiterunt, ex quibus veriſimiliter formidatur, ne inter Fratres prędic-
Indulget ut ſupra tos ſcandala, & diſſenſiones pro tempore oriantur. Quare pro parte dilecti filii Thomę Magiſtri Ordinis antedicti nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum in brevi debeat celebrari Generale Capitulum, ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui cunctorum Chriſti fidelium, & pręſertim ſub Religionis habitu incedentium pacem appetimus, & quietem, ac ipſorum ſcandalis libenter, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, volumus, & hac irrefragabili Apoſtolica Conſtitutione decernimus, ut pręfatum Generale Capitulum quam primum celebrari contigerit, Conſtitutiones, & Ordinationes hujuſmodi, ſi ratas & legitimas ei fore videbitur, acceptare, & obſervare, illas vero, quas ei acceptandas, & obſervandas fore ſecus videbitur, infirmare, & irritare in totum, vel in partem, libere & licite poſſit, conſtitutionibus & privilegiis Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſtitutionibus Ordinis antedicti, & aliis contrariis non obſtan-
Sanctio pœnalis. tibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Futuro.*) Legendus *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap.XI ad an. MCCCCIX pag.*285.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.*225.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Fratres Ordinis Prædicatorum qui Capitulo Generali (1) proxime futuro interfuerint, Indulgentia plenaria, aliiſque Privilegiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. EXimię tuę devotionis affectus exigit, ut petitiones tuas, illas pręſertim, quę animarum ſalutem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut in primo duntaxat generali Capitulo, quod ſecundum
Indulget ut ſupra. Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum celebrabitur, omnibus ejuſdem Ordinis profeſſoribus vere penitentibus, & confeſſis, tunc ad hujuſmodi Capitulum euntibus, vel in eodem exiſtentibus, dummodo infra duos menſes a die tuę intimationis, ſeu annuntiationis hujuſmodi per te eis ſuper hoc faciendę,

No-

Nobis & determinationi Concilii Generalis nuper Piſis pro ſacra unione in univerſali Eccleſia jam facta celebrati, adhęſerint pariter, & faverint, pleniſſimam omnium peccatorum ſuorum veniam, & remiſſionem omnimode conſequantur, annuntiare, & indulgere per te, vel per alium, ſeu alios poſſis, & valeas, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam elargimur. Et inſuper ex tunc in antea eiſdem profeſſoribus, ut Confeſſor, quem ſinguli eorum duxerint eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi fuerint, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem ipſis in ſinceritate fidei, & unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, tenore pręſentium indulgemus. Sic tamen, quod idem Confeſſor de his, quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam ipſorum profeſſorum ſingulis, per eos, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſe forte tunc tranſierint, faciendam injungat; quam eorum ſinguli, aut alii pro eis facere teneantur, ut pręfertur. Et ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam profeſſores ipſi reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte commiſerint, quoad illa, prędicta remiſſio eis nullatenus ſuffragetur. Nulli ergo &c Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere. Si quis autem &c. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

1. *Generali.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 227.

Ne Fratres Ordinis Prædicatorum Magiſtri in Theologia creentur (1), niſi per Capitulum Generale ipſis liceat.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. XIX.

Dilectos filios Thomam Magiſtrum, & Fratres Ordinis Prędicatorum, qui mundanis abjectis illecebris Altiſſimo in humilitatis ſpiritu deſervire ſatagunt, gerentes in viſceribus caritatis, eorum profectui libenter conſulimus, & illis, quę in diſpendium & denigrationem Ordinis hujuſmodi vergere conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, libenter obviamus. Hinc eſt, quod Nos Magiſtri & Fratrum Prędicatorum in hac parte devotis ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, perpetua, & irrefragabili conſtitutione ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus ex Fratribus dicti Ordinis abſque licentia, ſeu aſſignatione Capituli Generalis ſecundum morem dicti Ordinis ad legendum pro forma, ſeu ad honorem Magiſterii in Theologia promoveri, nec gradu hujuſmodi Magiſterii fungi poſſit, aut debeat, niſi per dictum Capitulum fuerit approbatus, vel promotus. Contrarium vero faciens eo ipſo excommunicationis ſententiam incurrat. & ſi per Capitulum prędictum reprobatus extiterit, pro non Magiſtro habeatur. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Provinciarum, & locorum dicti Ordinis, necnon privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie, quibuſvis Fratribus, Provinciis, ſeu locis, conceſſis, ſeu factis, aut concedendis, vel faciendis, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, etiam ſi de eis de verbo ad verbum habenda eſſet in pręſentibus mentio ſpecialis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo &c. Noſtrorum ſtatuti, ordinationis, & Conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. Cavet ut ſupra. Sanctio pœnalis.

1. *Creentur.*) Dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 250.

Magiſtro, & Provincialibus Ordinis Prædicatorum, ut per ipſos liceat Fratribus iter agentibus cuilibet Sacerdoti peccata confiteri (1).

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro Generali, ac Provincialibus Ordinis Fratrum Prędicatorum Prioribus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XX.

PRovenit ex veſtrę devotionis affectu &c (3). in eorum Confeſſorem, cum licentia Superioris, eligere valeant &c (4). Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Confiteri.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV & VII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 299.
3. *Affectu &c.*) Ut in *Diplomate dato XVII Octobris* MCCCCV ad hæc uſque verba: *Vel ſecularem.*
4. *Valeant &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

F. Thomæ, ut ipſe per ſe, vel per alium ejuſdem Ordinis Fratres ad Doctoratus gradum in Generali Capitulo promovere (1) poſſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXI.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Magiſtro Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Indulget ut ſupra.

SIcut debetur benemeritis primum (3), & ſervitii gratitudo, ſic etiam dignum reputamus, & congruum, ut illis, qui Sacrę Theologię ſtudio longis temporibus inſudarunt, laborum ſuorum honor debitus impendatur. Cum itaque, ſicut accepimus, nonnulli Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores jam pluribus annis in Theologię facultate ſtuduerint, & adeo in facultate ipſa profecerint, quod ſe idoneos reddiderunt ad obtinendum Magiſterii honorem in eadem; Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, diſcretioni tuę, de qua ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, vel illi in Sacra Theologia Magiſtro, quem in Generali Capitulo ſecundum morem dicti Ordinis de proximo celebrando, in tui abſentia pręeſſe contigerit, aut alteri, cui in pręfato Capitulo hoc duxeris committendum, concedendi quatuor ex Fratribus dicti Ordinis profeſſoribus, quos ad hoc duxeris, aut ille, qui in tui abſentia in dicto Capitulo pręerit, ſeu is, cui hoc permiſeris, ut pręfertur, duxerit eligendos, ſi per tuam, vel ipſius Prędidentis, aut alterius, cui commiſeris, & aliorum, ſaltem quinque, vel plurium in hujuſmodi facultate Theologię Magiſtrorum diligentem examinationem reperti fuerint idonei, & ſufficientes, ad Magiſterii honorem in eadem facultate obtinendum, & hujuſmodi Magiſterii honorem, & docendi licentiam, in eadem facultate, ſervatis Conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus in talibus obſervari conſuetis, & ut ipſi Fratres intra dictum Ordinem & extra quibuſcunque gratiis, & privilegiis, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede Apoſtolica, quam a dicto Ordine Fratribus ejuſdem Ordinis Pariſiis in eadem facultate Magiſtratis conceſſis, perinde uti, & gaudere valeant, ac ſi in Pariſien. Studio hujuſmodi Magiſterii honorem recepiſſent. Non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Studii, & Ordinis prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etſi de illis & eorum totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum mentio foret in pręſentibus facienda, quę alias in ſuo robore volumus permanere, plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Promovere.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 199.

3. *Primum.*) Fortaſſis *Privilegium.*

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ædes Sacras Cœnobii Ordinis Fratrum Prædicatorum, in quo Generalia Comitia haberi contigerit, viſitantibus Indulgentiam (1) impertitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Laus S. P. Dominici, ejuſque Ordinis.

LOca Sanctorum omnium pia ſunt devotione fidelium veneranda, ut Dei honorantes amicos, ipſi Nos devotos, & amicabiles Deo reddant, & illorum Nobis quondammodo patrocinium vendicantes apud ipſum quod meritis noſtris non obtinemus, eorum interceſſionibus aſſequi mereamur. Cum itaque Nos ad Beatum Dominicum, qui miro, ac Sacro ſlamine Ordinem Fratrum Prędicatorum celeberrime a cunctis Chriſticolis ſtatuit fore colendum ejus immenſis ac innumerabilibus miraculis, ſpecialis geramus devotionis affectum, & propterea intenſis cupimus deſideriis, ut Eccleſię, & loca, quę tam in honorem, & ſub vocabulo ipſius Sancti ſunt conſtructa, quam in quibus Fratres prędicti Ordinis morari, & inhabitare dignoſcuntur, a ſingulis Chriſti fidelibus congruis honoribus frequententur, Nos ideo, ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad Eccleſias, & loca, ſicut pręfertur, conſtructa, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Eccleſiam Conventus dicti Ordinis, in quo Generale Capitulum ex Inſtitutis Ordinis memorati per Fratres ejuſdem Ordinis celebrari contigerit, in feſto Pentecoſtes viſitaverint annuatim, tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus hujuſmodi Eccleſiam, vel ad ejus fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Indulget ut ſupra.

1. *Indulgentiam.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 55.

Capi-

Capitulo Generali Ordinis Prædicatorum neceſſarios ſumptus ſuppeditantibus Indulgentiam (1) elargitur.

Anno 1409 Die 10 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXIII.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, prͼſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis Prædicatorum.

EXimię devotionis ſinceritas, & plenitudo bonorum operum, & merita ſinceritatis, quibus Ordo Fratrum Prędicatorum in Noſtro, & Apoſtolicę Sedis conſpectu, reflorere dignoſcitur, Nos inducunt, ut Ordinem ipſum illa pręrogativa ſpecialis honoris, & gratię proſequamur, quę ad ſalutem, & commodum cedere valeant animarum. Hinc eſt, quod Nos, dilecti filii Thomę dicti Ordinis Magiſtri ſupplicationibus inclinati, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui dum Generale Capitulum, quod ex Inſtitutis pręfati Ordinis celebrari debet, pro receptione ejuſdem Capituli manus porrexerint adjutrices, tres annos, & totidem quadragenas; illis vero, in quadragenario numero duntaxat exiſtentibus, qui per Magiſtrum dicti Ordinis pro tempore exiſtentem, aut per Priorem Domus Fratrum ejuſdem Ordinis in qua hujuſmodi Generale Capitulum celebrari contigerit, ad hoc eligentur, ſeu nominabuntur, quique pro hujuſmodi receptione Capituli memorati competentem Eleemoſynam exhibuerint, ſeu erogaverint, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus: Profeſſoribus vero Ordinis pręfati, qui iter, cauſa ad hujuſmodi Generale Capitulum veniendi, arripuerint, & in hujuſmodi itinere canonico impedimento detenti, ad Capitulum ipſum accedere nequierint, ſeu alias hujuſmodi Capitulo interfuerint, ut Confeſſor, quem quilibet eorundem Profeſſorum duxerint eligendum omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contriti, & ore confeſſi extiterint, ſemel tantum in mortis articulo plenam remiſſionem ipſis, in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel ſucceſſorum Noſtrorum, Romanorum Pontificum, canonice intrantium, perſiſtentibus, auctoritate Apoſtolica concedere valeat, tenore pręſentium indulgemus; ſic tamen, quod idem Confeſſor de his de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam ſingulis ipſorum profeſſorum, per eos, ſi ſupervixerint, vel per alios, ſi forte tranſierint (3), injungat, quam eorum ſinguli, aut alii pro eis facere teneantur, ut pręfertur; & ne, quod abſit, propter hujuſmodi gratiam profeſſores ipſi reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte commiſerint, quoad illa prędicta remiſſio eis nullatenus ſuffragetur, pręſentibus perpetuo duraturis. Nulli ergo &c. Noſtrę relaxationis, conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Piſis IV Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Indulgentiam.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 227.

3. *Tranſierint.*) Adderem: *adimplendam.*

Univerſis Eccleſiæ Patriarchis, Archiepiſcopis &c. ut quoſdam Articulos, quibus errores Johannis de Poliaco (1) renovantur, damnatos eſſe, in vulgus indicent.

Anno 1409 Die 12 Octobris.

Ex Bullario (2) *Carmelitano in Alexandro V. Eſt I.*

XXIV.

Alexander Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus univerſis, Patriarchis, Archiepiſcopis Epiſcopis, ac dilectis filiis &c. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

REgnans in excelſis triumphans Eccleſia, cui paſtor eſt Pater ęternus, cuique Sanctorum miniſtrant agmina, & laudis gloriam Angelorum chori decantant, in terris ſibi Vicarium conſtituit Eccleſiam militantem Unigenito Filio Dei vivi, Domino noſtro Jeſu Chriſto, ineffabili commercio copulatam. In hac quidem ipſe Chriſtus a Patre progrediens per illuſtrationem Paracleti, qui ab utroque procedit, ſtatuit fidei firmamentum, ut ab eo velut a primitivo fonte ad ſingulas Orthodoxas nationes ejuſdem Fidei rivuli deriventur. Ad hujuſmodi autem Eccleſię regimen voluit Chriſti clementia, Romanum Pontificem deputare miniſtrum, cujus inſtructionem, ac doctrinam, eloquio veritatis Evangelicę traditam, cuncti renati fonte Baptiſmatis teneant, & obſervent. Qui enim ſub hac doctrina curſus vitę non peregerint, aut errores contra illam tenuerint, damnationis ſententia ferientur. Sane dudum fel. record. Bonifatius Papa VIII Prędeceſſor noſter, in Conſtitutione ſua, quę ſic incipit: *Super Cathedram*: quam pię memorię Clemens Papa V, etiam Prędeceſſor noſter, poſtea in Viennenſi Concilio innovavit, ſuper prędicationibus fidelium populis faciendis, audiendis eorum Confeſſionibus, pęnitentiis injungendis eiſdem, & tumulandis defunctorum corporibus, qui apud Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum Eccleſias, ſive loca, ſuam elegerint ſepulturam; quę quidem Conſtitutio etiam ſucceſſive ad Eremitarum Sancti Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmeli Ordinum Fratres per Sedem Apoſtolicam extenſa fuit; auctoritate Apoſtolica ſtatuit, ac etiam ordinavit, ut dictorum Ordinum Fratres in Eccleſiis, & locis eorum, & in plateis communibus libere valerent Clero, & populo prędicare, & proponere Verbum Dei, hora illa duntaxat excepta, in qua vellent Pręlati Eccleſiarum coram ſe facere ſolemniter prędicari, in qua Fratres ipſi prędicare ceſſarent, pręterquam ſi aliud de ipſorum Pręlatorum conſenſu procederet ex licen-

Bonifatius VIII Judicium Parochos inter & Religioſos conſtituit.

licentia ſpeciali. In Studiis autem Generalibus, ubi ſermones ex more fieri ſolent diebus illis, quibus prędicari ſolemniter conſuevit, ad funera etiam mortuorum, & in feſtis ſpecialibus, ſeu etiam peculiaribus eorundem Fratrum, poſſent iidem Fratres, & liceret eis, prędicare libere, niſi forſan in illa hora, qua ſolet ad Clerum in prędictis locis, ſeu Studiis proponi Verbum Dei, Epiſcopus, vel Pręlatus Superior Clerum ad ſe generaliter convocaret, aut ex alia ratione, vel cauſa urgente Clerum ipſum duceret congregandum. In Eccleſiis autem Parochialibus Fratres illi nullatenus auderent, nec deberent prędicare, vel proponere Verbum Dei, niſi Fratres ipſi a Parochialibus Sacerdotibus invitati, vel vocati fortaſſe exiſterent, vel de ipſorum placito, vel aſſenſu, petita licentia, vel obtenta foret, ubi Epiſcopus, vel Pręlatus per eoſdem Fratres prędicari mandaret. Statuit etiam, & ordinavit idem Bonifatius, Prędeceſſor Noſter, auctoritate prędicta, ut in ſingulis Civitatibus, & Dięceſibus, in quibus loca Fratrum ipſorum conſiſtere dignoſcerentur, ac in Civitatibus, & Dięceſibus, & locis ipſis vicinis, in quibus locis hujuſmodi non habentur Magiſtri, Priores Provinciales Prędicatorum, aut eorum Vicarii, ac Generales, & Provinciales Miniſtri, ac Cuſtodes Minorum, & Prędicatorum Ordinum pręfatorum, ad pręſentiam Pręlatorum eorundem locorum ſe conferrent per ſe, vel Fratres, quos ad hoc idoneos fore putarent, ut Fratres, qui ad hoc electi forent, in eorum Civitatibus, & Dięceſibus confeſſiones ſubditorum ſibi confiteri volentium audire valerent, & hujuſmodi confitentibus, prout ſecundum Deum cognoſcerent, imponerent pęnitentias ſalutares, & eiſdem beneficium abſolutionis impenderent, gratia, & beneplacito eorundem. Ac deinde pręfati Magiſtri, Priores Provinciales, & Miniſtri Ordinum prędictorum eligere ſtuderent perſonas ſufficientes, idoneas, vita probatas, diſcretas, atque peritas ad tam ſalubre miniſterium, & officium exequendum, quas ſic ab ipſis electas pręſentarent, vel facerent pręſentari Pręlatis antedictis, ut de eorum licentia, & beneplacito in Civitatibus, & Dięceſibus eorundem hujuſmodi perſonę ſic electę confeſſiones confiteri ſibi volentium audirent, & eis imponerent pęnitentias ſalutares, ac beneficium abſolutionis impenderent, prout ſuperius eſt expreſſum; & alia rationabilia, & utilia dictus Bonifatius Prędeceſſor ordinavit, & ſtatuit, prout in eadem Conſtitutione plenius exprimitur. Poſtea vero ad pię memorię Johannis Papę XXII, Prędeceſſoris Noſtri, notitiam deducto, quod quondam Johannes de Poliaco in Sacra Theologia Magiſter in quibuſdam Articulis, tangentibus Pęnitentię Sacramentum, non ſobrie, ſed perperam ſapiebat, infraſcriptos articulos, periculoſos continentes errores, docens publice in ſuis Prędicationibus, & in Scholis: Primum ſiquidem aſtruens, quod confeſſi Fratribus habentibus licentiam generalem audiendi Confeſſiones teneantur eadem peccata, quę confeſſi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. Secundo: quod ſtante ſtatuto, *Omnis utriuſque Sexus*, in Concilio Generali edito, Romanus Pontifex non poteſt facere, quod parochiani non teneantur omnia peccata ſua ſemel in anno proprio Sacerdoti confiteri, quem dicebat eſſe Parochialem Curatum: nec Deus poſſit hoc facere, quin, ut dicit, implicet contradictionem. Tertio: quod Papa non poſſet dare generalem poteſtatem audiendi Confeſſiones, immo nec Deus, quin confeſſus habenti generalem licentiam teneatur eadem iterum confiteri ſuo proprio Sacerdoti, quem dicit eſſe, ut pręmittitur, Parochialem Curatum. Prędictus Johannes Noſter Prędeceſſor volens ſcire, ſi ſuggeſta ſibi in ea parte veritatem haberent, pręfatum Johannem de Poliaco de Fratrum ſuorum conſilio evocari, atque Articulorum pręmiſſorum copiam eidem Magiſtro Johanni tradi fecit, & ad defenſionem ſuam audientiam plenam ſibi prębuit, tam in ſua, dictorumque Fratrum pręſentia, & in Conſiſtorio, quam alibi, coram aliquibus Fratribus ipſis per eum ad hoc deputatis, ſi pręfatus Magiſter dictos articulos, & contenta in ipſis defendere niteretur. Qui quidem Magiſter Johannes aſſerebat, ſe paratum credere, & tenere in pręmiſſis, & in aliis, quę credenda, & tenenda fides Apoſtolica definiret. Pręfatuſque Johannes Prędeceſſor, attendens; quod dictorum Articulorum aſſertio, prędicatio, & doctrina redundare poterant in multarum perniciem animarum, ipſos per plures Magiſtros in Theologia examinari fecit diligenter, & ipſe etiam cum dictis Fratribus ſuis collationem ſolemnem habuit ſuper pręmiſſis: per quas quidem collationem, & examinationem ſuper hoc pręhabitas comperiit, prędictos Articulos doctrinam non ſanam, ſed periculoſam multum, & veritati contrariam continere. Quos etiam Articulos omnes, & ſingulos idem Magiſter Johannes, veris ſibi rationibus opinioni ſuę dudum habitę contrariis demonſtratis, in eodem Conſiſtorio revocavit, aſſerens, eos non veros, ſed contrarium verum eſſe: cum diceret, ſe neſcire rationibus, ſibi in contrarium factis, reſpondere. Ideoque, ne per aſſertionem, prędicationem, & doctrinam hujuſmodi in errorem, quod abſit, animę ſimplicium prolaberentur, omnes prędictos Articulos, & quemlibet eorum, tanquam falſos, & erroneos, & a doctrina ſana devios, idem Johannes Prędeceſſor, auctoritate Apoſtolica damnavit, & reprobavit de Fratrum ſuorum conſilio prędictorum, doctrinam ipſis contrariam, veram eſſe, & catholicam aſſerens; quod illi, qui prędictis Fratribus confiterentur, non magis tenerentur eadem peccata iterum confiteri, quam ſi alias illa confeſſi fuiſſent eorum proprio Sacerdoti juxta dictum Concilium Generale; optans veritatis vias notas eſſe fidelibus, & cunctis erroribus pręcludere aditum, fel. rec. Alexandri Papę IV, & Clementis IV Romanorum Pontificum Prędeceſſorum veſtigia imitando, univerſis, & ſingulis diſtrictius inhibuit: ne quiſquam dictos Articulos per eundem Johannem Prędeceſſorem damnatos, & reprobatos, & contenta in eis, vel aliquo ipſorum, utpote a catholicis mentibus reſpuenda, tenere auderet, ſeu defenſaret; Ac univerſis & ſingulis Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Electis per Apoſtolica ſcripta, pręcipiendo, mandavit, ut in civitatibus, & Dięceſibus eorum, convocato Clero, communiter pręmiſſa omnia, & ſingula per ſe, vel alios publicarent ſolemniter: necnon eidem Johanni mandavit, ut ipſe in Scholis, vel Sermone Pariſius prędictos Articulos, & contenta in eiſdem, tanquam veritati contraria, proprię vocis oraculo, & aſſertione conſtanti, publice deberet revocare, & etiam ſe facturum illud dictus Johannes de Poliaco efficaciter repromiſit. Cum autem, ſicut nuper Fratrum Prędicatorum, & Minorum prędictorum, ac etiam Eremitarum S. Auguſtini, & B. Marię de Monte Carmeli, Ordinum, lamentabilis querela ad noſtrum perduxit auditum nonnulli Clerici, & eccleſiaſticę perſonę, atque utriuſque ſexus homines, nedum prędictos damnatos Articulos prorſus erroneos, & ſacris Canonibus contrarios, per eundem Johannem Prędeceſſorem, ut pręfertur, ſed etiam quoſdam alios Articulos prorſus erro-

Johannes XXII errores Johannis de Poliaco reprobat.

erroneos, & ſacris Canonibus contrarios, etiam publice non verentur aſtruere, & per illos proprias, & multorum ſimplicium animas inficere, illoſque a devotione eorundem Fratrum prędictorum, & ne Chriſti fideles ſua peccata Fratribus ipſis confiteantur, damnabiliter detrahere ſatagant, etiam contra eandem Conſtitutionem prędicti Bonifatii Prędeceſſoris, ſuper hoc editam, ut prętertur. Qui quidem adjecti erronei Articuli ſequuntur per ordinem in hęc Verba. Primus videlicet Articulus talis eſt. Confeſſus Fratri admiſſo in forma *Dudum*, tenetur eadem peccata in numero iterum Curato confiteri: damnatur per Johannem Papam XXII in Statuto, quod incipit *Vas Electionis*. Secundus. Concluſiones Johannis de Poliaco damnatę per Johannem XXII ſunt ſatis verę, & a quocunque literato ſufficienter poſſent teneri. Statutum Johannis XXII editum *Vas Electionis*, eſt irritum, & inane, quia cum id fecit erat hęreticus; & per conſequens quicquid fecit prędictus Johannes ſive Mendicantibus, ſive aliis, ante revocationem, inane fuit. Stante ſtatuto: *Omnis utriuſque Sexus*: nec Deus, nec Papa de potentia ſua poteſt facere, quin confeſſus Fratri Mendicanti admiſſo, iterum teneatur confiteri ſuo Curato. Confeſſio Fraribus admiſſis facta eſt dubitabilis, & incerta: quapropter omnes tenentur dimittere incertum, & ſic ſolum confiteri ſuis Sacerdotibus curam animarum habentibus ſub pęna peccati mortalis. Quamvis Fratres admiſſi habeant auctoritatem abſolvendi, & audiendi Confeſſiones, tamen populus ſubjectus non habea poteſtatem accedendi ad Mendicantes admiſſos, ſine licentia proprii Sacerdotis. Fratres petentes privilegia pro Confeſſionibus audiendis, & ſepulturis habendis, ſunt in peccato mortali, & excommunicati. Fratres non ſunt, aut fuerunt paſtores, ſed fures, latrones, & lupi. Sacerdos curatus, dans licentiam Mendicantibus audiendi Confeſſiones, magis diſpenſat cum ſtatuto: *Omnis utriuſque Sexus*: quam Papa, Fratribus dans licentiam juxta formam Decretalis: *Dudum*. Nos vero attendentes, quod nimis pernicioſum eſſet antiquos, dudum, ut pręmittitur, per eundem Johannem Prędeceſſorem cum ſolemnitate, & maturitate damnatos, & reprobatos; & etiam hujuſmodi novos Articulos, per Nos veluti erroneos, & etiam eiſdem Canonibus contrarios tenere, aſtruere, vel docere, necnon in hac parte ſalubriter providere volentes; eoſdem novos Articulos, & quos Nos etiam una cum Fratribus noſtris S. R. E. Cardinalibus mature, prout tanti negotii qualitas exigit, vidimus, & examinavimus; necnon etiam per pleroſque in Sacra Theologia Magiſtros, ac quoſdam Doctores in jure canonico recenſeri fecimus diligenter; per quam quidem examinationem reperimus. etiam ipſos novos Articulos fuiſſe, & eſſe falſos, confictos, & erroneos, ac eiſdem Canonibus contrarios; & propterea ipſos, ut tales, de eorundem Fratrum conſilio, damnamus, & reprobamus. Volentes, quod, ſi quis deinceps prędictos Articulos aſſerere, aut in Scholis, vel alibi gloſſare, defendere, ſeu tenere, aut prędicare pręſumpſerit, tanquam hęreticus ſit cenſendus, & excommunicationis ſententiam incurrat ipſo facto, a qua niſi per Summum Pontificem, pręterquam in mortis articulo non poſſit abſolvi. Quocirca univerſitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta, diſtricte pręcipiendo, mandamus, quatenus univerſi, & ſinguli veſtrum convocato Clero Civitatum, & Diœceſum veſtrarum, eis pręmiſſa omnia, & ſingula per vos, vel alios ubi, & quando ſuper hoc per eoſdem Fratres, ſeu ipſorum aliquem, vel aliquos requiſiti fueritis, auctoritate noſtra, ſolemniter publicetis; ac etiam per Rectores ipſarum Parochialium Eccleſiarum, Civitatum, & Diœceſum prędictarum in hujuſmodi Parochialibus Eccleſiis publicari faciatis. Et ſi quos forſan hujuſmodi damnatos Articulos novos, & veteres, aut eorum aliquem, ſeu aliquos aſtruere, vel tenere, ſive prędicare reperèritis, contra illos conjunctim, vel diviſim tanquam hęreticos, ſeu de catholica Fide ſuſpectos procedere, necnon ipſos, & eorum quemlibet juxta tantorum exceſſuum qualitatem per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris opportuna remedia, auctoritate prędicta compeſcere, necnon ad obſervandam dictam Conſtitutionem pręfati Bonifatii Prędeceſſoris, juxta ejus aenorem compellere, ratione pręvia ſtudeatis: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam appellatione poſtpoſita, compeſcendo, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Non obſtante prędicta, quę incipit, *Omnis utriuſque Sexus*, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Datum Piſis IV Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Articulos recenſet, & damnat.

Mandat ut ſupra.

1. *Johannis de Poliaco.*) Conſule *Notas ad Conſtitutionem XXXI Johannis XXII.*

2. *Bullario.*) Legitur etiam apud *Waddingum Annal. Minor. in Regeſto Alexandri V pag. 26, ex Libro I ejuſdem Alexandri fol.* 180. Eandem *Conſtitutionem* refert *Monachus Dionyſianus in Annalibus*. Meminit *Spondanus Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCIX num. XXI, & XXII.*

JOHAN-

Digitized by Google

JOHANNES XXII, DICTUS XXIII,

(a) Ciacconius in Johanne XXIII.

Balthaſar Coſſa, Neapolitanus, electus (*a*) eſt Bononiæ Die XVII Maii MCCCCX. Ibidem Coronatus fuit XXV ejuſdem Menſis. Abdicavit in Conſtantienſi Concilio Anno MCCCCXV, Die XXXI Maii. Sedit Annos V, Dies XV. Obiit Florentiæ MCCCCXIX Die XXII Menſis Decembris.

Anno 1410 Die 25 Maii.

F. Johannes Babynghe (1) Tuamenſis Archiepiſcopus renunciatur.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

I.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Babynghe Electo Tuamen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Mauritius Johannis deceſſor.

DEcens reputamus, & congruum, ut proviſiones Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium, quę ex Romani Pontificis providentia proceſſerunt, licet ejus ſuperveniente obitu literę Apoſtolicę ſuper illis confectę non fuerint, ſuum conſequantur effectum. Dudum ſi quidem per felicis recordationis Alexandrum PP. V Prędeceſſorem noſtrum in ſui Apoſtolatus primordiis fide dignis relationibus intellecto, quod Eccleſia Tuamen., cui bonę memorię Mauritius Archiepiſcopus Tuamen. dum viveret pręſidebat, per ipſius Mauritii Archiepiſcopi obitum, qui, Apoſtolica Sede vacante, in partibus illis debitum naturę perſolvit, paſtoris fuerat regimine deſtituta, idem Prędeceſſor cupiens dictę Eccleſię per dictę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię, ordinationi, & diſpoſitioni ſuę duxit ea vice ſpecialiter reſervandam, decernens ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quocunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, & ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem & felicem, de qua nullus pręter ipſum Prędeceſſorem ea vice ſe intromittere potuerat, ſive poterat, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendens, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus ſuis Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, de quorum numero tunc eramus, habuit diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacra Theologia Magiſtrum, cui de religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud eum fide digna teſtimonia perhibebantur, direxit oculos ſuę mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua ſibi, & Fratribus ſuis prędictis, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum ſuorum conſilio videlicet IV Non. Septembris Pontificatus ſui Anno primo auctoritate Apoſtolica duxit providendum, pręficiendo te illi in Archiepiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo. Cum autem poſtmodum idem Prędeceſſor literis Apoſtolicis ſuper proviſione hujuſmodi non confectis, ſicut Domino placuit, rebus fuerit humanis exemptus, Nos, divina favente clementia, ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti volentes quod proviſio prędicta ſortiatur effectum, ac in eo qui dat gratias & largitur pręmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos pręfata Eccleſia per tuę induſtrię & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter ac proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa,

Johannes ab Alexandro V Archiepiſcopus deſignatus.

Archiepiſcopus conſtituitur.

diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictę Eccleſię ſuſcipiens reverenter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Bononię VIII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Johannes Babynghe.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 248.

Anno 1410 Die 25 Maii.

F. Johannem (1) Epiſcopum Citrenſem Secularia Beneficia recipere poſſe, declarat.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

II.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Epiſcopo Citren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

RAtioni congruit &c. Dudum ſiquidem felicis recordationis Alexander Papa Quintus Prędeceſſor Noſter volens tibi, qui profeſſor Ordinis Fratrum Prędicatorum exiſtis, & , ut aſſerebatur, venerabilis Fratris Noſtri Johannis Archiepiſcopi Maguntin. Vicarius in Pontificalibus eras, & in partibus Alemanię pro unione univerſalis Eccleſię diligenter prędicaveras, & laboraveras, & de tua Eccleſia Citren. adhuc nullos fructus perceperas, nec ſpem habebas percipiendi, ut ſtatum tuum juxta Pontificalis dignitatis decentiam facilius tenere valeres, de alicujus ſubventionis auxilio providere, tuis in ea parte ſuppli-

ſupplicationibus inclinatus, tecum videlicet Sexto Kal. Maii, Pontificatus ſui Anno Primo, ut beneficium eccleſiaſticum conſuetum per Clericos ſeculares gubernari, etiam ſi curatum foret, ſi tibi alias canonice conferretur, recipere, & quoad viveres retinere libere & licite valeres, quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica de ſpecialis dono gratię diſpenſavit, ne autem pro eo quod ſuper hujuſmodi diſpenſatione dicti Prędeceſſoris ejus ſuperveniente obitu literę confectę non fuerunt, tu ejuſdem diſpenſationis fruſtreris effectu, volumus, & auctoritate prędicta decernimus, quod hujuſmodi diſpenſatio perinde ab ipſa Die videlicet Sexto Kal. Maii ſortiatur effectum, ac ſi ſuper ea dicti Prędeceſſoris literę ſub ipſius diei dato confectę fuiſſent, prout ſuperius enarratur, quodque pręſentes literę ad probandum plene diſpenſationem prędictam ubique ſufficiant, nec ad id alterius probationis adminiculum requiratur. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Bononię VIII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Declaratio.

1. *Johannem.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Innocentii VII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol. LVI.*

Confirmat literas, quibus Generalis Magiſter F. Guillelmum Deymerii donarat privilegiis Jubilarii (1), ſeu Senis emeriti.

Anno 1410 Die 7 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. III.

EA, quę pro Religioſis perſonis, illis pręſertim, quę ſub onere voluntarię paupertatis jugiter Domino devotum exhibent famulatum, provide facta ſunt, ut ad bravium, quod apprehendere ſatagunt, quietius valeant, annuente Domino, pervenire, Apoſtolica confirmatione favorabiliter roboramus. Sane petitio dilecti filii Guillelmi Deymerii, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Nobis nuper exhibita, continebat, quod olim dilectus filius Thomas de Firmo, Magiſter Generalis dicti Ordinis, literas ſuo ſigillo munitas, quarum tenor de verbo ad verbum pręſentibus inſeritur, ſibi duxerat concedendas. Quare dictus Guillelmus Nobis humiliter ſupplicavit, ut, ne ſuper eiſdem literis valeat in poſterum moleſtari, eis robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de ſpeciali gratia dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prędictas literas ratas habentes, & gratas, eas auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor autem dictarum literarum ſequitur, & eſt talis. In Dei filio ſibi cariſſimo Fratri Guillelmo Deymerii, Conventus Burdegalen., Provincię Tholoſanę, Ordinis Prędicatorum, Frater Thomas de Firmo, Sacrę Theologię Profeſſor, ac ejuſdem Ordinis humilis Magiſter, & Servus, Salutem & Religionis augmentum. Religioſa converſatio veſtra, qua longo tempore in noſtro Ordine claruiſti; in vivendo exemplariter, & fructuoſe, me movet pariter, & inclinat, ad conſolationis materiam vobis prębendum: ea propter omnes gratias, libertates, exemptiones, immunitates, & licentias, quas Jubilariis Ordo gratioſe concedere conſuevit, vobiſcum in ętate Jubilariorum diſpenſando, pręſentium tenore, vobis do, pariter & concedo; volens vos de cetero eis poſſe uti quandocunque judicaveritis expedire; ac pręcipiens omnibus Fratribus noſtri Ordinis in virtute Spiritus ſancti, & ſanctę obedientię, quatenus in pręmiſſis nullo modo vos impediant, in quorum teſtimonium ſigillum mei magiſtratus officii duxi pręſentibus apponendum. Valete in Domino, & orate pro me. Datum Bononię die prima menſis Auguſti milleſimo quadringenteſimo. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, & communitionis infringere &c. Si quis &c. Datum Bononię VII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Exordium. Confirmatio. Tenor literarum Magiſtri Generalis. Sanctio pœnalis.

1. *Jubilarii.*) Sic ſenes emeritos vocant. De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 178.

Ut F. Deymerius (1) utatur privilegiis Senis emeriti.

Anno 1410 Die 7 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Oloiken. (3) Epiſcopo, & dilectis filiis Cantori &c. Burdegalen. (4), ac Officiali Burdegalen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. IV.

HOdie dilecto filio Guillelmo Deymerii Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori literas noſtras conceſſimus in hęc verba: Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Ea quę pro Religioſis perſonis &c (5). Volentes itaque, quod eidem Guillelmo dictę literę ſint proficuę, nec contra eas temere moleſtetur, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios eidem Guillelmo auctoritate noſtra opportunę defenſionis auxilio aſſiſtentes non permittatis ipſum contra literas ipſas per quemcunque indebite perturbari, contradictores per cenſuram &c. Non obſtante ſi eidem Ordini a dicta ſit Sede indultum, quod perſonę ipſius Ordinis ad judicium trahi, aut ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſę aut dicti Ordinis Loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem; & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam veſtrę juriſdictionis expli-

explicatio in hae parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Bononię VII Idus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Deymerius*.) De quo in præcedenti Diplomate.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 178.
3. *Oleiken*.) Legerem *Oloren.*, rectius *Oloronen.*, vulgo *Oleron.* in Gallia *Aquitanica*.
4. *Burdegalen.*) Vulgo *Bourdeaux*, in Gallia *Aquitanica*.
5. *Perſonis &c.*) Ut in præcedenti.

Anno 1410 Die 13 Octobris.

F. Marcum de Caſcite Capellanum ſuum conſtituit.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

V.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Marco de Caſcite, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VIrtutibus clarus &c (2). Datum (3) Romę apud S. Petrum III Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXV fol.* 146.
2. *Virtutibus clarus &c.*) Ut in *Conſtitutione II Bonifatii IX* ad finem uſque.
3. *Datum*.) Hic, ne longum ſit, miſſa quidem ſiunt varia Diplomata, quibus *Johannes* FF. Prædicatores Capellanos ſuos creavit, nomina tamen Fratrum illorum, & tempus, quo Capellani conſtituti fuerunt, annotare, operæ pretium eſſe, duxi. *Johannes* ergo *XXIII* Capellanos ſuos conſtituit,

Fratrem Alvarum Gurnecy. Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XVI Kalendas Junii, Pontificatus Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXV fol.* 150.

F. Willelmum Thorp, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XVII Kalendas Auguſti, Pontificatus Anno Secundo. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXV fol.* 145.

F. Theodoricum Slegil, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum III Nonas Junii, Pontificatus Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXI fol.* 235.

F. Ricardum Scandon, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum Kalendis Februarii, Pontificatus Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXI fol.* 242.

F. Jacobum de Conflanco, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VIII Kalendas Aprilis, Pontificatus Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXI fol.* 247.

F. Johannem Comyntre, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XVI Kalendas Maii, Pontificatus Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LXXI fol.* 247.

F. Ludovicum Thomæ, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XII Kalendas Maii, Pontificatus Anno Tertio. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXI fol.* 248.

F. Antonium de Ferrariis, alumnum Cœnobii S. Catharinæ de Tridino, Vercellen. Diœceſis, Diplomate dato Laudæ V Kalendas Januarii, Pontificatus Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LI fol.* 126.

F. Gilbertum de Wocenslepen, Diplomate dato Mantuæ III Idus Februarii, Pontificatus Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Libro XXVIII fol.* 56.

F. Guillelmum Andreæ Pandragonpi de Vello, Diplomate dato Bononiæ III Idus Martii, Pontificatus Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Libro LI fol.* 16.

F. Johannem Wickerzele, Diplomate dato Bononiæ III Kalendas Aprilis, Pontificatus Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib XXVI fol.* 35.

F. Franciſcum Lippum, de Piſtorio, Diplomate dato Bononiæ IV Idus Maii, Pontificatus Anno Quarto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXII fol.* 230.

F. Emanuelem Laurentii, Diplomate dato Bononiæ XIV Kalendas Julii, Pontificatus Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LI fol.* 130.

F. Johannem Correa, Diplomate dato Bononiæ XV Kalendas Octobris, Pontificatus Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XXIV fol.* 115.

F. Matthæum Oconril, Diplomate dato Conſtantiæ Kalendis Februarii, Pontificatus Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LI fol.* 38.

F. Petrum Paulum de Brunna, Diplomate dato Conſtantiæ II Kalendas Martii, Pontificatus Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. XIX fol.* 38.

F. Johannem Seyl, Diplomate dato Briſack, Conſtantien. Diœceſis, VI Idus Maii, Pontificatus Anno Quinto. Ex Archivo Apoſtolico *Lib. LXXI fol.* 175.

Anno 1410 Die 19 Novembris.

F. Michael Treſtka (1) Kovienſis Epiſcopus conſtituitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

VI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Michaeli Treſtka electo Kiovien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Epiſcopus creatur.

DIvina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Philippo Epiſcopo Kiovien. regimini Eccleſię Kiovien. prędidente, Nos cupientes ipſi Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prędidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni Noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prędata Eccleſia per obitum ejuſdem Philippi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam

Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa prolixioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus Noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis: quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur pręmia confidentes quod eadem Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam ſub tuo felici regimine dextera Domini tibi aſſiſtente propitia ſalubriter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas ad prefatam Eccleſiam accedas, & perſonaliter reſideas in eadem, quodque extra Civitatem, & Dięceſim Kiovien. Pontificalia officia nequaquam valeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens curam, & adminiſtrationem predictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido, & adminiſtratori fructuoſo, gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium, noſtram & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum apud Caſtrum Sancti Petri, Bononien. Dięceſis, XIII Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Michael Treſka.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 262.

Cœnobii Guerandien. (1) Ordinis Prædicatorum fundandi facultas.

Anno 1411 Die 2 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

VII.

Exordium.

ILla, quę pro Religionis, & divini cultus augmento provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę confirmationis munimine roboramus. Sane petitio dilecti filii Nobilis viri, Johannis Ducis Britannię, Nobis nuper exhibita, continebat, quod olim pro parte ſua expoſito Petro de Luna, tunc Benedicto XIII in ſua obedientia nuncupato, quod in Villa de Garrandia (3), Nanneten. (4) Dięceſis, cujus Dominus erat, aut alio loco Civitati Nanneten. propinquiori, quę ab ipſa Villa per quatuordecim leucas diſtaret, aliqua Domus alicujus Ordinis Mendicantium non exiſteret, & quod ipſa Villa eſſet ſita in patria populoſa, fertili, & abundanti, & prope mare, & ad ea multi Mercatores, & extranei, tam per mare, quam per terram, de diverſis mundi partibus accederent continue, quodque in ea ultra tria millia habitantium exiſterent, ex quorum, & perſonarum ibidem confluentium, ac parſium prędictarum eleemoſynis multi Fratres alicujus Ordinis Mendicantium poſſent congrue ſuſtentari, & eis incumbentia onera ſupportare, quodque idem Dux zelo devotionis accenſus in dicta Villa unum locum congruum, & decentem ad uſum Fratrum Ordinis Prędicatorum concedere, & in eo ad omnipotentis Dei, & Beatę Marię Virginis ejus Matris, & Sancti Ivonis (5) laudem, & gloriam, & ut Verbum Dei in illis partibus per amplius prędicaretur, in honorem, & ſub vocabulo dicti Sancti unam Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium, cum campanili, campana, cęmeterio, domibus, & aliis neceſſariis officinis ad uſum Fratrum ipſorum Ordinis Prędicatorum, fundare, ac conſtrui facere deſiderarer, & proponeret; ac pro parte ejuſdem Ducis dicto Petro humiliter ſupplicato, ut ipſis Fratribus Ordinis Prędicatorum recipiendi locum ipſum, ſibique in eo Eccleſiam, ſive Capellam, ſeu Oratorium cum campanili, campana, cęmeterio, domibus & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, ad uſum ipſorum Fratrum Ordinis Prędicatorum, conſtrui faciendi, licentiam concedere dignaretur; pręfatus Petrus hujuſmodi ſupplicationibus annuens, Duci fundandi, & conſtrui faciendi hujuſmodi Eccleſiam, ſeu Capellam, vel Oratorium, cum campanili, campana, cęmeterio, domibus, & aliis officinis eiſdem, ad uſum ipſorum Fratrum, & Fratribus ipſis illum recipiendi, & ibidem reſidendi pro tempore, non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, terra, ſeu villa, loca de novo recipere pręſumerent, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, per ſuas literas conceſſerat facultatem, ac voluit idem Petrus, prędictoque Duci conceſſit, quod Prior, & Fratres hujuſmodi, qui in eodem loco pro tempore morarentur, omnibus libertatibus, exemptionibus, privilegiis, & gratiis, aliis Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum a Sede Apoſtolica generaliter conceſſis, gauderent, & uterentur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſtea Dux prefatus dictum locum, cum Eccleſia, ſeu Capella hujuſmodi juxta eandem villam in loco ad id congruo, & honeſto pro habitatione eorundem Fratrum Ordinis Prędicatorum de novo fundaverit, & in eodem loco ex tunc multi eorundem Fratrum Domino devotum exhibuerint famulatum, pro parte dicti Ducis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut fundationi prędictę robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de ſpeciali gratia dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem prędictam, & omnia inde ſecuta rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſto-

Britanniæ Ducis ſupplex petitio.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, & ſuppletionis infringere. Si quis autem &c. Datum Bononię IV Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Guerandien.*) In *Britannia Minori*, Regni *Galliarum* Provincia.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XI fol.*27.
3. *Garrandia.*) Vulgo *Guerande*, in *Britannia Minori*, ut dictum eſt, inter oſtia *Ligeris*.
4. *Nanneten.*) Vulgo *Nantes*.
5. *Ivonis.*) Iſte, natione *Brito*, alius eſt ab *Ivone Carnotenſi*. Uterque Sanctus. Conſulenda *Acta Sanctorum Maii*.

Anno 1411 Die 11 Februarii.

F. Henricus Grube (1) Conſtantianenſis Epiſcopus creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. dilecto filio Henrico Grube Electo Conſtantianen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

F. Henricus fit Epiſcopus.

Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Jacobo Epiſcopo Conſtantianen. regimini Eccleſię Conſtantianen. pręſidente Nos cupientes ipſi Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Jacobi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo Eccleſię pręfatę perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis: quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſię de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur pręmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos pręfata Eccleſia per tuę induſtrię & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quam primum pręſentes literas habueris expeditas ad eandem Eccleſiam Conſtantianen. te transferas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque Pontificalia officia extra Civitatem, & Diœceſim Conſtantianen. nequaquam valeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens curam & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, quod Eccleſia ipſa gubernatori provido & adminiſtratori fructuoſo gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram & Sedis prędictę benedictionem & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Bononię III Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Henricus Grube.*) De quo in *Appendice ad pręſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.*196.

Anno 1411 Die 27 Februarii.

F. Petrus Perrigandi (1) Aptenſis Epiſcopus renunciatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

IX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Perrigandi Electo Apten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Epiſcopus creatur.

Divina diſponente clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Apten. regimini Eccleſię Apten. pręſidente, nos cupientes ipſi Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem & idoneam pręſidere perſonam proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę ea vice ſpecialiter reſervantes, decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem & felicem de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem in Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis

apud

apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum noſtrorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo &c. Datum Bononię III Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno primo.

1. *Petrus Perrigandi*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.*289.

Quædam privilegia (1) F. Johanni Sergini conceſſa firmantur.

Anno 1411 Die 26 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

X.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quem dilectus filius Johannes Sergini de Florentia, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, ad Nos, & Romanam gerit Eccleſiam, promeretur, ut votis ſuis, illis pręſertim, per quę ſtatui, & quieti illius conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dicti Johannis petitio continebat, quod olim dilectus filius Thomas de Firmo, Sacrę Theologię Magiſter, & ipſius Ordinis Generalis Magiſter, ex certis rationabilibus cauſis, animum ſuum moventibus, omnes gratias, exemptiones, immunitates Magiſtris dicti Ordinis in eadem Theologia dari conſuetas, per quaſdam primo conceſſit, & deinde omnes gratias, libertates, auctoritates, licentias, & exemptiones, ac etiam quaſcunque literas cujuſcunque tenoris exiſterent, per ipſum Thomam eidem Johanni conceſſas per quaſdam alias ſuas literas ratificavit, approbavit, & confirmavit, prout in ipſis literis dicitur plenius contineri; Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, in Generalibus Capitulis dicti Ordinis per ordinationem, confirmationem, & approbationem, ac ratificationem pluries facta extitit generalis revocatio omnium gratiarum, & exemptionum cuilibet Fratri per Generalem dicti Ordinis conceſſarum, ipſeque Johannes propterea dubitet, ſuper hoc poſſe in poſterum moleſtari, pro parte dicti Johannis nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concesſioni prędictę, per eundem Thomam Generalem eidem Johanni factę, ut pręfertur, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, & alias ſibi in pręmiſſis providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, conceſſionem, ratificationem, confirmationem, & approbationem pręfatas, & alia per dictum Thomam eidem Johanni facta, ut pręfertur, & alia in dictis literis contenta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, revocationibus prędictis, ac ſtatutis, ordinationibus, & conſuetudinibus Ordinis pręfati, & aliis gratiis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c noſtrę confirmationis, communitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Bononię VII Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Supplex petitio.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Privilegia*.) De hoc Diplomate dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Lit.IV.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VIII fol.*95.

F. Arnaudus (1) Ebronenſis Epiſcopus creatur.

Anno 1411 Die 10 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Arnaudo Electo Ebronen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Cum itaque Eccleſia Ebronen. vacet ad pręſens, & tanto tempore vacaverit quod de ejus vero vacationis modo certa notitia non habetur, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, pro eo quod nos proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ſpecialiter reſervandam, ne Eccleſia ipſa ulterioris vacationis exponeretur incommodis paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum, & ſacrę Theologię Profeſſorem, ac in ſacerdotio conſtitutum, cui de religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur pręmia confidentes quod Eccleſia ipſa per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam ſub tuo felici regimine dextera Domini tibi aſſiſtente propitia ſalubriter & proſpere dirigatur, grataque in eiſdem ſpiritualibus & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quam primum prędictas literas habueris expeditas, & commode abſque perſonę tuę periculo tibi tutus pateat acceſſus ad Eccleſiam eandem te transferas, & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra Civitatem & Diœceſim Ebronen. in aliis Civitatibus, & Diœceſibus abſque locorum Ordinariorum licentia vel conſenſu

Pon-

Pontificalia officia nequeas exercere. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum a Domino onus regiminis dictę Eccleſię ſuſcipiens convenienter, ſic te in ejus cura ſalubriter exercenda diligentem exhibeas, & etiam ſtudioſum, quod ipſa Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Arnaudus.*) De quo in *Appendice ad Præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 305.

Anno 1411 Die 8 Junii.

Archiepiſcopo Toloſano (1), ut Fidei cenſorem in judicium vocet, & ipſius ſententias in Fratres Prædicatores, & Minores latas recognoſcat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Toloſan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

EXhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Petri de Braſſa, Provincialis Provincię Toloſan., Johannis Dignati, Prioris Domus Carcaſſonen. Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſecundum morem ejuſdem Ordinis, Johannis Garzię (3) Magiſtri in Theologia, Johannis de Podio (4) Petri de Boſco, Petri de Scotibus & Antonii de Piſa, Ordinis Minorum Fratrum profeſſorum petitio continebat, quod dudum Stephanus de Combis, dicti Ordinis Prędicatorum profeſſor, in Provincia Toloſan. prędicta ſe gerens pro Inquiſitore hęreticę pravitatis, qui etiam poſt, & contra ſententiam latam in Concilio Generali noviſſime Piſis celebrato, per quam inter cetera perditionis Alumnus Petrus de Luna, olim Benedictus XIII in ſua obedientia nuncupatus, notorius ſchiſmaticus, & pertinax hęreticus damnatus fuerat, damnabiliter adhęrere & favere pręſumpſerat, & pręſumebat, prędictos Fratres ſub velamine officii Inquiſitionis hujuſmodi, quia ipſi determinationi Concilii ejuſdem adhęrebant, diris carceribus pluribus diebus mancipari fecit, propter quę prędicti, necnon dilecti filii Jordanus Luparre, & Johannes de Podio, ac quidam alii Fratres eorundem Ordinum etiam profeſſores, per dictum Stephanum gravati, Nobis humiliter ſupplicarunt, ut, ne talia impunita remaneant, & ut aliis aditus committendi ſimilia pręcludatur, providere eis ſuper pręmiſſis de opportuno remedio curaremus. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dicto Stephano, & aliis qui fuerint evocandi, cauſam & cauſas, quam, & quas prędicti Fratres, & eorum ſinguli ſuper pręmiſſis, & eorum occaſione, contra dictum Stephanum movere voluerint, audias, & fine debito termines, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione remota, firmiter obſervari; Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas, veritati teſtimonium perhibere. Non obſtante, ſi eidem Stephano, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ad judicium trahi non poſſit per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Idus Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

1. *Toloſano.*) Is erat *Dominicus* noſter *De Florentia* nuncupatus, non ex patria, ut autumat *Johannes Caroli*, ſed ex familia quæ gallice *Florent*, dicitur. Ejuſdem proſapiæ virum Religioſum P. Dominicum *Florent* novimus alumnum *San-Maximinenſis* Cœnobii, cujus Conventus ſilius fuit Antiſtes iſte *Toloſanus*, uti dicetur in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XX fol.* 78.

3. *Garzia.*) Conſule *Waddingum Annal. Minor. Tomo V ad an. MCCCCXXI num. X pag.* 144.

4. *Johannis de Podio.*) Adeas eundem auctorem *ad an. MCCCCXXXII num. X pag.* 242.

Anno 1411 Die 2 Octobris.

Rogatu Archiepiſcopi, Decani, & Capituli Lugdunen. F. Johannem Eynardi Lugduni publice Theologiam docentem Gradu Magiſterii donandum decernit (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Coſte (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori in Sacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Fratres Prædicatores Lugduni Theologiam publice docere tenentur.

JUſtis, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Dudum ſiquidem Alexandro Papę Quinto, Prędeceſſori noſtro, pro parte venerabilis Fratris noſtri Philippi (4) Archiepiſcopi Lugdunen., & dilectorum filiorum Decani, & Capituli Eccleſię Lugdunen. expoſito, quod dilectus filius Johannes Eynardi, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor in dicta Eccleſia, in qua pro tempore unus dicti Ordinis Profeſſor ordinarie, & ſolemniter in Theologia continue legere tenebatur, & habebatur, qui etiam legens ad Gradum Magiſterii in eadem Theologia communiter promoveri, conſueverat, librum Sententiarum, & in aliis Sacrę Scripturę materiis, per quatuor, & dimidiis annorum ſpatium, vel circa continue legerat, & tunc legebat, ac in pluribus Conventibus ejuſdem Ordinis Provincię Francię, multis annis ejuſdem Theologię Lector principalis extiterat,

ſeque

ſeque idoneum reddiderat ad obtinendum honorem Magiſterii in eadem, ac eidem Prędeceſſori pro parte Archiepiſcopi, Decani, & Capituli prędictorum humiliter ſupplicato, ut ipſum Johannem ad honorem dicti Magiſterii promoveri, mandare de benignitate Apoſtolica dignaretur, pręfatus Prędeceſſor, de ſufficientia, & idoneitate dicti Johannis ad hęc notitiam non habens, tibi, concedendi eidem Johanni, ſi per tuam, & aliorum quatuor Magiſtrorum in dicta ſcientia diligentem examinationem, ipſum ad hęc ſufficientem, & idoneum reperires Magiſtralem honorem, ac docendi licentiam, ſervatis conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus, in talibus fieri conſuetis, ut ipſe infra dictum Ordinem, & extra, quibuſcunque gratiis, privilegiis, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede Apoſtolica, quam a prędicto Ordine Fratribus ejuſdem Ordinis in eadem Theologia Pariſiis Magiſtratis conceſſis, ex tunc uti, & gaudere valeret, ac ſi in Pariſien Studio hujuſmodi magiſterium accepiſſet, auctoritate Apoſtolica plenam, & liberam per ſuas literas (5), videlicet VI Idus Julii, Pontificatus ſui Anno Primo, conceſſit facultatem, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis pro parte dictorum Archiepiſcopi, Decani, & Capituli, petitio continebat, idem Johannes in dicta Eccleſia per ſpatium ſex annorum vel circa continue laudabiliter legerit, & ad eundem Magiſterii honorem obtinendum, ut pręfertur, plurimum ſit idoneus, pręfatuſque Prędeceſſor poſtmodum inter cetera ſtatuendum duxerit, & ordinandum, quod ex tunc in antea nullus ex Fratribus dicti Ordinis abſque licentia & aſſignatione Capituli Generalis ſecundum morem dicti Ordinis ad honorem magiſterii in Theologia promoveri poſſit, niſi per Capitulum hujuſmodi foret approbatus, ac etiam antequam hoc ipſi tibi, qui a tempore Generalis Concilii dudum in Civitate Piſan. celebrati, continue citra a Romana Curia te non abſentaſti, pręſentarent, pręfatus Prędeceſſor, ſicut Domino placuit, fuerit vita functus, pro parte eorundem Archiepiſcopi, Decani, & Capituli Nobis, qui eodem Prędeceſſore, ut pręfertur, ſublato de medio, fuimus, Divina favente clementia, ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, fuit humiliter ſupplicatum, ut dicto Johanni ſuper hoc de opportuno remedio providere benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ad executionem dictarum literarum, juxta ipſarum continentiam, in omnibus, & per omnia perinde procedas, ac ſi eędem literę vivente dicto Prędeceſſore tibi pręſentatę fuiſſent, tuque ad earum executionem procedere incepiſſes, ſtatuto, & ordinatione prędictis, necnon ejuſdem Ordinis ſtatutis, & conſuetudinibus, ac aliis in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Nonas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Alexander V F. Johannem Eynardi Lugduni Theologiæ Profeſſorem ad gradum Magiſterii promovendum decreverat.

Supplex Archiepiſcopi, Decani, & Capituli Lugdunen. petitio.

Nota.

Mandatum.

1. *Decernit.*) Ex hoc Diplomate liquet, Fratres Prædicatores jam inde a principio Ordinis pro ſua conſuetudine Theologiam *Lugduni* publice docuiſſe. Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XX fol.159.*

3. *Antonio Coſte.*) Viro magnarum partium, ut inquit *Echard Tomo I Scriptors Ord. ad an. MCCCCXXV pag. 775.* Procuratoris Generalis Ordinis munus obiit *F. Antonius Coſte*, & eo titulo adfuit *Conſtantienſi* Concilio, ut videre eſt ex *Actis* ejuſdem Concilii.

4. *Philippi.*) Adeas *Sammarthanos in Archiepiſcopis Lugdunen.*

5. *Literas.*) Deſiderantur hæ Literæ.

F. Johannes (1) Epiſcopus Hollenſis renunciatur.

Anno 1411 Die 23 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Electo Hollen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUſcepti cura Regiminis &c. Dudum ſiquidem, bonę memorię Petro Regimini Hollen. Eccleſię pręſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Petri Epiſcopi qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Prędicatorum Profeſſum, cui de Religionis zelo, vitę mundiria, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta ipſi Hollen. Eccleſię, ſive pręmiſſo, aut alio quovis modo vel ex alterius cujuſcunque perſona vacet, de eorundem Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum X Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXIV fol.267.*

F.Jo-

Digitized by Google

Anno 1412 Die 28 Martii.

F. Johannes (1) Muten. fit Epiſcopus Majorienſis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Muten. Electo Majorien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUſcepti cura Regiminis &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johlmo (3) Epiſcopo Majorien. regimini Majorien. Eccleſię pręſidente, nos cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem & idoneam pręſidere perſonam. proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Johlmi Epiſcopi qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, neque poteſt, reſervatione & Decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne etiam ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes. poſt deliberationem quam. de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, cui de Religionis zelo, vitę mundicia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus deliberata meditatione penſatis de perſona tua, nobis & Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, ipſi Majorien. Eccleſię de eorundem Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem, curam & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in illo qui dat gratias & largitur pręmia confidentes quod eadem Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & providentiam circumſpectam ſub tuo felici regimine, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, ſalubriter & proſpere dirigetur, & grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Volumus autem quod quamprimum pręſentes literas habueris expeditas, ad dictam Eccleſiam accedas. & reſideas perſonaliter in eadem, quodque extra Civitatem, & Dięceſim Majorien. Pontificalia officia nequeas exercere. Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter quod Eccleſia ipſa Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium benevolentię noſtrę gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VII fol.* 267.

3. *Johlmo.*) Fortaſſis *Joachimo.*

Anno 1412 Die 12 Maii.

Hoſpitii pauperum Spoleti (1), curæ Fratrum Ordinis Prædicatorum commiſſi, fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Supplex Fratrum petitio.

APoſtolicę ſervitutis &c (3). Sane petitio dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus S. Salvatoris Spoletan., Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, continebat, quod dudum quondam Putius Gregoritti, tunc Civis Spoletan., pie motus, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ac condens de bonis, ſibi a Deo collatis, in ejus voluntate ultima, teſtamentum, executores, ſeu fidei commiſſarios deputavit, quibus inter cetera commiſit, quod ipſi in eventu quo quondam Gregorittum, & quondam Peranthoniam ejuſdem teſtatoris natos, tunc viventes, abſque prole legitima ex ipſis, vel eorum altero, deſcendente, mori contingeret, ex tunc prędicti executores de quibuſdam domibus in Civitate Spoletan. in Vayta Salamaneſtha (4) conſiſtentibus, & ad dictum teſtatorem juſto titulo pertinentibus quoddam Hoſpitale pro pauperibus, & miſerabilibus perſonis, ad honorem S. Johannis Baptiſtę, ędificare, & conſtrui facere, deberent; cui quidem Hoſpitali, dum ſic conſtructum, & ędificatum foret, omnia bona ſua mobilia, & immobilia ubicunque, & inter quoſcunque confines ipſa bona conſiſterent, ſubeſſe, & applicari, ipſumque Hoſpitale ſic conſtructum, & ędificatum, per Priorem, & Fratres Ordinis Prędicatorum dictę Domus S. Salvatoris, qui eſſent pro tempore perpetuis futuris temporibus abſque alicujus contradictione regi, & gubernari voluit. Subſequenter cum dicti Gregorittus, & Peranthonia abſque prole hujuſmodi ab eis, vel eorum altero, ut pręfertur, deſcendente, deceſſiſſent, dicti Executores, poſtquam bonę memorię Laurentius (5) Epiſcopus Spoletan. ipſis executoribus Hoſpitale hujuſmodi cum Capella, Altari, campanili, & campanella, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, ac prędictis Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus, illud regendi, & gubernandi, necnon Miſſam & alia divina Officia in ejus Capella prędicta celebrandi, ac Sacramenta eccleſiaſtica pauperibus, & infirmis, in eodem Hoſpitali pro tempore degentibus, miniſtrandi, ac eoſdem pauperes, & infirmos, ac alios in ipſo Hoſpitali decedentes in dicto Cęmeterio ſepeliendi, auctoritate ordinaria licentiam conceſſerat, conſtrui fecerunt, prout quibuſdam Inſtrumentis pu-

publicis deſuper confectis, quorum tenores hujuſmodi volumus pręſentibus pro expreſſis, plenius continetur. Quare pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, qui jam diu in pacifica poſſeſſione curam regiminis, & adminiſtrationis dicti Hoſpitalis habuerunt, & tenuerunt, fuit nobis humiliter ſupplicatum, ut fundationi, conſtructioni, & conceſſioni hujuſmodi robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, necnon ipſis Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus, ut ipſi Hoſpitali una cum Capella, & Altari hujuſmodi, per ſe, vel alios ad hoc idoneos, ad nutum eorum ponendos, & amovendos, alicujus ſuper hoc licentia, vel conſenſu minime requiſito, regere, & gubernare poſſint, & alias eis de optimo remedio providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris temporibus augeri, ac pauperibus, & miſerabilibus perſonis ipſis ſubvenire intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fundationem, conſtructionem, & conceſſionem prędictas, & omnia inde ſecuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in pręmiſſis; Et nihilominus eiſdem Priori, & Fratribus pro tempore exiſtentibus, ut hujuſmodi Hoſpitale, cum Capella, & Altari, per ſe, vel alios ad hoc idoneos, quos duxerint deputandos, regere, & gubernare, necnon Rectores ejuſdem Hoſpitalis, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, ad ſolum nutum eorundem Prioris, & Fratrum pro tempore exiſtentium, ponere, revocare, & amovere poſſint, ſine contradictione quacunque, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur. Volentes nihilominus, quod Prior & Fratres dicti Hoſpitalis pro tempore exiſtentes, ac Hoſpitale ipſum, & ejus rectores hujuſmodi, omnibus exemptionibus, indulgentiis, prerogativis, privilegiis & pręeminentiis, per Prędeceſſores Noſtros Romanos Pontifices Hoſpitalibus aliis, ſive locis dicti Ordinis hactenus conceſſis, in omnibus & per omnia uti, & gaudere poſſint, & debeant, quibus dicti Prior, & Fratres, & alia Hoſpitalia, ſive loca eorum curę commiſſa gaudent, ſeu quomodolibet potiuntur. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus prędicti Ordinis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Decernentes etiam ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, elargitionis, voluntatis, & Conſtitutionis infringere &c. Si quis &c Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Hoſpitii prędicti fundandi facultas.

Ipſum Privilegiis ornat.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

Sanctio pœnalis.

1. *Spoleti.*) In ejuſdem nominis Ducatu, in *Umbria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIII fol.213.*
3. *Servitutis &c.*) Quædam hic deſunt.
4. *Varta Salamaneſtha.*) Una ex regionibus *Spoletanæ* Civitatis erat.
5. *Laurentius.*) De quo *Ughellus in Epiſcop. Spoletan. Tomo I Italiæ Sacræ pag.1266 Edit. II.*

Epiſcopo Plocen. (1), ut Fratres Prædicatores in Cœnobii Plocen. poſſeſſionem mittat.

Anno 1412 Die 20 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Plocen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum, necnon ſacrę Religionis, ſub qua dilecti filii Magiſter Generalis, & Fratres Ordinis Prędicatorum, devotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum, propagationem conſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane petitio pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis mulieris, Alexandrę Principiſſę Maſovię, Nobis nuper exhibita, continebat, quod dudum ipſa, poſtquam, divina ſibi ſuffragante clementia, de infidelitatis tenebris, & paganiſmi erroribus ad veram lucem, & fidei Catholicę profeſſionem vocata, ac ſacro Fonte Baptiſmatis renata fuerit, de propria ſalute recogitans, & cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, de bonis ſibi a Deo collatis pro animę ſuę ſalute quandam Domum cum Oratorio, ſive Eccleſia, cęmeterio, campanili, campana, & aliis officinis neceſſariis pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ac pro hujuſmodi cultus augmento in Civitate Plocen. in loco ad hoc congruo, & honeſto, de novo fundare, & conſtrui facere incepit, ac etiam locum in Hiodlo, Culmen. (3) Diœceſis, ad ipſam Principiſſam legitime pertinentem cum Domo, Eccleſia, & aliis officinis neceſſariis inibi conſiſtentibus, ſimiliter pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum una cum Domo Plocen. prędicta eiſdem Fratribus pie donavit; ipſique Fratres in Eccleſia, ſive Oratorio ejuſdem Domus Plocen. ad pręſens divina celebrant officia, & pauperibus in Hoſpitali pauperum, quod ipſa Principiſſa, ut aſſerit, in eadem civitate etiam conſtrui facere incepit, pro tempore commorantibus, eccleſiaſtica miniſtrant Sacramenta. Quare pro parte dictę Principiſſę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationibus omnibus prędictis, ac aliis pręmiſſis robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, eademque ſic incepta perficiendi, ſibi licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum hujuſmodi noſtris temporibus augeri, & Ordinem ipſum propagari intenſis deſideriis affectamus, devotionem dictę Principiſſę in hac parte plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, devotionis (4) hujuſmodi, ac alia pręmiſſa auctoritate noſtra confirmes, eidemque Principiſſę Domum Plocen. prędictam cum Eccleſia, ſive Oratorio, campanili, campana, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi perficiendi, ac pręfatis Magiſtro, & Fratribus tradendi, donandi: ipſiſque Magiſtro, & Fratribus Domos eaſdem recipiendi, ac pro eorum uſu, & habitatione perpetuis retinendi temporibus, auctoritate prędicta, licentiam largiaris. Non obſtantibus

Exordium.

Principis Maſoviæ ſupplex petitio.

Mandatum.

Clauſula derogans.

tam fel. rec. Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum mendicantium in aliqua Civitate, Terra, ſeu Villa, loca de novo recipere, ſeu recepta mutare pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Volumus inſuper, & Apoſtolica auctoritate concedimus, quod Frates dicti Ordinis, qui in Domibus prętatis pro tempore morabuntur, omnibus exemptionibus, immunitatibus, privilegiis, libertatibus, & indulgentiis gaudeant & utantur quibus alii Fratres ejuſdem Ordinis in aliis eorum domibus commorantes gaudent, ſeu quomodolibet potiuntur. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Plocen.*) In *Polonia inferiori*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XX fol.* 133.
3. *Culmen*.) Vulgo *Culm*, urbs eſt *Poloniæ* in *Pruſſia Regia*.
4. *Devotionis*.) Lege *Donationes*.

Anno 1412 Die 20 Maii.

XVIII.

Ædes Sacras Cœnobii Plocenſis (1) Viſitantibus Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet is &c. (3) Cupientes igitur, ut Eccleſia Sanctę Trinitatis Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Plocen. congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, & Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, & Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum prędictorum, & Dedicationis ipſius Eccleſię feſtivitatibus, ac celebritate Omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Epiphanię, Nativitatis, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, & Nativitatis Beati Johannis, ac Apoſtolorum Petri, & Pauli prędictorum feſtivitatum, Octavas, & per ſex dies prędictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſervationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, Septem annos, & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictarum diebus, quibus Eccleſiam ipſam viſitaverint, & manus porrexerint adjutrices, ut prefertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. pręſentibus poſt decennium minime valituris. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad eius fabricam, ſeu hujuſmodi conſervationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Indulgentiæ.

1. *Plocen.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XX fol.* 237.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX.*

Anno 1412 Die 31 Auguſti.

XIX.

F. Ivo (1) Nerocii de Senis Epiſcopus Nicopolenſis conſtituitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ivoni Nerocii de Senis, Electo Nicopolen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem in noſtris Apoſtolatus primordiis per nos intellecto, quod Eccleſia Nicopolen., cui bonę memorię Franciſcus Epiſcopus Nicopolen., dum viveret, pręſedit, per ipſius Franciſci obitum. qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſuerat ſolatio deſtituta. Nos cupientes ipſi Eccleſię per ejuſdem Sedis providentiam utilem, & idoneam pręeſſe perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, & ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo Eccleſię pręfatę perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, literarum ſcientia prędictum, vitę, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis, prout fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus attenta meditatione

pen-

penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Ivo.*) De quo in *Appendice ad Præſentem Pontificatum.* 2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVII fol.*34.

Johannes de Duracio (1) fit Archiepiſcopus Duracenſis.

Anno 1412 Die 1 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Duracio Electo Duracen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XX.

Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem Minore Archiepiſcopo Duracen. regimini Eccleſię Duracen. pręſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per dictę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero eadem Eccleſia per obitum ipſius Minoris Archiepiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſorem, in Sacra Theologia Magiſtrum, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta pręfatę Eccleſię de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem, curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo. In illo qui dat gratias, & largitur pręmia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos pręfata Eccleſia per tuę induſtrię, & circumſpectionis ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, ac grata in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa, Jugum igitur Domini tuis impoſitum humeris prompta devotione ſuſcipiens, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas fideliter, & prudenter, quod ipſa Eccleſia Gubernatori provido, & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque pręter ęternę retributionis pręmium noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kalendis Octobris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Archiepiſcopus creatur.

1. *Johannes de Duracio.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.* 2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXI. fol.*281.

F. Thomæ de Firmo, Ordinis Prædicatorum Generali Magiſtro, ut in Capitulo Generali proxime futuro quatuor Fratres Sacræ Theologiæ Magiſtros creare poſſit (1).

Anno 1413 Die 6 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę de Firmo, Sacrę Theologię profeſſori, & Ordinis Prędicatorum Generali Priori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XXI.

Viri ſacrę lectionis ſtudio dediti, & in lege Domini eruditi, ſub Religionis habitu Domino militantes (3) eoque benignius decet honeſtis eorum deſideriis annuere, quo ex eorum profectibus major poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. Cum itaque nonnulli tui Ordinis profeſſores adeo, ſicut accepimus, literarum ſtudiis inſudaverint, quod, gratia eis ſuffragante divina, jam pluribus annis in multis Studiis ſacrę Paginę lectores extiterint, ſeque idoneos reddant etiam ad obtinendum honorem Magiſterii in eadem, diſcretioni tuę, de qua in Domino fiduciam gerimus ſpecialem, quatuor ex ipſis profeſſoribus, quos ad hoc duxeris eligendos, ſi per tuam, & aliorum quatuor Magiſtrorum in dicta pagina diligentem examinationem, eos ad hoc ſufficientes, & idoneos repereris, in primo proxime futuro Generali tui Ordinis Capitulo, per te Janue, vel alibi celebrando, videlicet ultra unum alium, quem, ut aſſeris, ex facultate Sedis Apoſtolicę vales in dicta pagina Magiſtrare, honorem hujuſmodi Magiſterii, & docendi licentiam, ſervatis Conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus in talibus ſervari conſuetis, & ut ipſi intra dictum Ordinem, & extra quibuſcunque privilegiis, gratiis, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede, quam ab Ordine prędictis Fratribus ejuſdem Ordinis in eadem

Exordium.

Indulget ut ſupra.

Theologia Pariſiis Magiſtratis conceſſis, perinde uti, & gaudere libere, & licite valeant, ac ſi Pariſiis hujuſmodi Magiſterium, & docendi licentiam recepiſſent auctoritate Apoſtolica concedendi: non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Studiorum & Ordinis Prędicatorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & ſi de illis, & eorum totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum eſſet in pręſentibus mentio facienda, quę alias voluımus in ſuo robore permanere, plenam & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Datum Romę apud Sanctum Petrum VIII Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Poſſit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXII fol.* 248.

3. *Militantes.*) Aliquid deeſt, & ex ejuſdem fere tenoris *Diplomate dato XI Aprilis MCCCCXIX* addendum: *Favoris Apoſtolici gratiam promerentur.*

Anno 1413 Die 23 Auguſti.

Indulgentia viſitantibus Ædes Sacras Guingampenſis (1) Cœnobii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUm itaque, ſicut accepimus, tam Eccleſia, quam etiam clauſtrum, ac dormitorium domus Fratrum Ordinis Prędicatorum de Guiogampo, Trecoren. Dięceſis, quę antiquitus tam decora, quam notabili ſtructura, condita fuerant, jam infauſtis guerrarum exitiis, quę partes illas diutius, proh dolor! concuſſerunt, ad tantam ruinam ſunt redacta, quod etiam in dormitorio prędicto, quod tunc pro reclinatione triginta Fratrum capax erat, vix ſexdecim ex Fratribus aiſdem decumbere poſſunt, ad hujuſmodi Eccleſię, clauſtri, & dormitorii reparationem Fratres dictę Domus propenſis curis omnino intendunt, ſed abſque Chriſti fidelium piis ſubſidiis conſequi poſſe veriſimiliter non ſperatur; Nos, cupientes, ut Eccleſia congruis honoribus frequentetur, ipſaque, ac Clauſtrum, & Dormitorium hujuſmodi congrue reparentur, & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis ad ipſam Eccleſiam confluant, & ad reparationem hujuſmodi manus eo promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei Miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, & Aſcenſionis, & Corporis Domini oostri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Sancti Thomę de Aquino, & ipſius Eccleſię Dedicationis feſtivitatibus, ac in celebritate Omnium Sanctorum, necnon per ipſorum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini, Nativitatis, & Aſſumptionis Beatę Marię, Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, ac Apoſtolorum prędictorum, feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictam Feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, prędictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ut prefertur, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, duodecim annos, & totidem quadragenas, octavarum vero, & ſex dierum prędictorum, diebus, quibus prędictam Eccleſiam viſitaverint, ut prefertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus ipſam Eccleſiam, vel ad ejus fabricam, ſeu reparationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus jam, vel nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctum Antonium extra Muros Florentin. X Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Guingampenſis.*) Vulgo *Guingan* in *Britannia Minori.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXIX fol.* 250.

Anno 1414 Die 6 Februarii.

Præpoſitus Eccleſiæ S. Secundi de Marchato Aſten. (1) cognoſcat, & judicet de Sententia lata a Vicario Inquiſitoris Lombardiæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię Sancti Secundi de Marchato Aſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

EXhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum Lutherrini de Carreto, Canonici Aſten., Antonii de Nurtia, Antonii de Fundis, Nicolai Malabayie, Georgii Maiepuncti, Guillelmi Maltharona, & Thomę de Marchia, ... ac Michaelis de Mantigatlis . . . . Ordinum profeſſorum, petitio continebat, quod olim dilectus filius Stephanus Madaa Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, aſſerens ſe Vicarium Johannis Sacriffię, ejuſdem Ordinis Prędicatorum profeſſoris Inquiſitoris hęreticę pravitatis in Lombardię, & certis aliis partibus, auctoritate apoſtolica, deputati, per ſuas patentes literas majoris, & Sanctę Marię Magdalenę Aſten., Eccleſiarum, valvis affixas, om-

omnes, & ſingulos Clericos, ac Eccleſiaſticas perſonas, Seculares, & Regulares Civitatis, & Dięceſis Aſten., qui ſcirent, vel audiviſſent, ſeu crederent, aliquem in eiſdem Civitate, ſeu Dięceſi, male ſentire de fide catholica, aut eſſe hęreſis labe reſperſum monuit, & mandavit eiſdem, ut coram eo in Domo Aſten., eorundem Fratrum Ordinis Fratrum Pędicatorum, infra certum terminum, tunc expreſſum, comparere tenerentur, notificaturi ſibi, quid ſuper pręmiſſis noſcerent, ſeu audiviſſent; alioquin in eos ſententiam excommunicationis promulgabat; ipſoſque mandabat, & faciebat excommunicatos publice nunciari, & nihilominus idem Stephanus, minus veraciter pretendens quod Canonicus, ac . . . . , & . . . . Ordinum profeſſores hujuſmodi aliquos agnoſcerent in eiſdem Civitate. ac Dięceſi eadem labe reſperſos, quodque illos ſibi infra eundem terminum non indicaſſent, & notificaſſent, ac propterea reputans eos quaſi omnino eſſent pro ſuę voluntatis libitu contumaces, propter hujuſmodi contumaciam, ut dicebat, ipſos declaravit dictam excommunicationis ſententiam incurriſſe, eoſque mandavit, ac fecit excommunicatos publice nunciari; propter quę dicti Canonicus, ac . . . . . . & . . . . Ordinum profeſſores ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, & deinde Nobis humiliter ſupplicarunt, ut tam appellationis hujuſmodi alicui Presbytero in partibus illis committere, ipſoſque ab eadem excommunicationis ſententia ad cautelam abſolvi mandare, & alias eis in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dicto Stephano, & aliis, qui fuerint evocandi, eiſdem Canonico, ac . . . . . , & . . . . . . Ordinum profeſſoribus, ſi hoc humiliter petierint, recepta tamen ab eis prius cautione idonea ſuper eo, quo excommunicati habentur, quod ſi eandem excommunicationis ſententiam in eos latam tibi conſtiterit fore juſtam, tuis, & Eccleſię mandatis parebunt, hujuſmodi abſolutionis beneficium ad cautelam, ſi, & prout juſtum fuerit, auctoritate noſtra impendas, ſuper aliis, auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram Eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere: Non obſtante ſi eiſdem Ordinibus a dicta ſit Sede indultum, quod perſonę eorundem ad judicium trahi, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſa dictorum Ordinum loca interdici non poſſunt per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia Indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam tuę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc nolumus ipſis aliquatenus ſuffragari. Datum Bononię VIII Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto. Mandatum.

1. *Aſten.*) Vulgo *Aſti*, in Comitatu ejuſdem nominis, in *Italia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIX fol.* 292.

Provinciali, & Fratribus Provinciæ Franciæ Ordinis Prædicatorum, ut in Comitatu (1) Sabaudiæ Cœnobium unum conſtituere poſſint.

Anno 1414 Die 11 Februarii.

Ex Achivo (2) Ordinis.

XXIV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Pędicatorum Provincię Francię, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę veſtrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis pręſertim, per quę divinus cultus augeri, & veſtra Religio propagari valeat, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, dilectus filius nobilis vir, Amedeus (3), Comes Sabaudię, zelo devotionis accenſus, ac in terris ſuis verbum Domini pędicari, & ſubditos ſuos in eo inſtrui, cupiens, vobis conceſſit, ut aliquem locum in quacunque Civitate, Villa, Caſtro, vel alibi in eiſdem terris, pro conſtructione unius Domus ad uſum Fratrum dicti Ordinis, eligere valeatis, vobis ſuper hoc a Sede Apoſtolica primitus conceſſa licentia, pro parte veſtra fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut vobis pręfatum locum eligendi, recipiendi, habitandi, & poſſidendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, qui Divini cultus, fideique doctrinę, noſtris deſideramus temporibus augmentum, ad hujuſmodi veſtrę Religionis propagationem ampliorem, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis in quacunque Civitate, Villa, Caſtro, aut alibi in terris pręfatis, locum pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, ad hoc congruum, & honeſtum, ſi vobis concedatur, vel alias juſto titulo acquiratis, ſi dicti Comitis ad id accedat aſſenſus, eligendi, & recipiendi, necnon in eo Eccleſiam cum humili campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, domibus, & aliis officinis neceſſariis ad uſum dictorum Fratrum fundandi, ędificandi, & conſtruendi, ac habitandi, & poſſidendi libere, & licite, fel. rec. Bonifacii Papę VIII Pędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinis mendicantium in aliqua civitate, villa, caſtro, ſeu loco quocunque, ad habitandum Domos, vel alia loca quęcunque de novo recipere pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de inhibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis Conſtitutione contraria non obſtante, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, elargimur licentiam; volentes, & vobis auctoritate pędicta concedentes, quod Fratres, qui in loco per vos recipiendo pro tempore reſidebunt, omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus eidem Ordini generaliter conceſſis, gaudeant, & utantur; jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in

Supplex Fratrum petitio.

Indulget ut ſupra.

om-

Sanctio pœnalis.

omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Mantuę III Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Comitatu.*) *Sabaudia* Siquidem anno duntaxat *MCCCCXVI* Ducatus titulo fuit inſignita.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LVII fol.* 182.
3. *Amedeus.*) Hujus nominis *VIII.* Is ipſe eſt *Amedeus*, quem nonnulli *Baſileenſes* Antipapam conſtituerunt. *Felix V* eſt nuncupatus.

Anno 1414 Die 11 Februarii.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii (1) Fratrum Prædicatorum, in Sabaudia conſtituendi.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXV.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

HOdie (3) ſiquidem dilectis filiis Priori Provinciali, & Fratribus Ordinis Pręedicatorum Provincię Francię, ſecundum tenorem ipſius Ordinis, locum unum in aliqua civitate, etiam inſigni, aut alibi, pro uſu, & habitatione eorum, in terris dilecti filii nobilis viri Amedei, Comitis Sabaudię, ſi locus ipſe eis alias canonice concedatur, vel alias cum juſto titulo poſſent adipiſci, & in eodem loco, dummodo ad hoc congruus, & honeſtus exiſteret, fundandi, ędificandi, & conſtruendi Eccleſiam cum cęmeterio, campanili, campana, domibus, clauſtro, hortis, & hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, & locum ipſum perpetuo habitandi, & poſſidendi, auctoritate Apoſtolica, per alias noſtras literas (4) licentiam conceſſimus, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cupientes igitur, quod Eccleſia, cęmeterium, campanile, campana, domus, clauſtrum, hortus, & hortalitia hujuſmodi fundentur, ędificentur, & conſtruantur, univerſitatem veſtram requirimus, & hortamur in Domino in remiſſionem vobis peccaminum injungentes, ut de bonis vobis a Deo collatis, ad fundationem, ędificationem, & conſtructionem hujuſmodi, velitis pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia, taliter erogare, ut per ſubventionem veſtram hujuſmodi fundatio, ędificatio, & conſtructio decenter perfici valeat, voſque per hęc, & alia bona, quę, Domino inſpirante, feceritis, poſſitis ad ęternę felicitatis gaudia pervenire. Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, qui ad fundationem, ędificationem, & conſtructionem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſeptem Annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi aliis ad fundationem, ędificationem, & conſtructionem hujuſmodi manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, vel aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum, duratura, per nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Mantuę III Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto (5).

1. *Cœnobii.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 178.
3. *Hodie.*) Exordium deſideratur.
4. *Literas.*) Præcedentes.
5. *Quinto.*) Legendum *Quarto*, cum eadem die ac præcedens Diploma, iſtud conceſſum dicatur his verbis *Hodie ſiquidem &c.*

Anno 1414 Die 27 Martii.

F. Leonardum (1) Generalem Vicarium Ordinis Prædicatorum creat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo Statii de Florentia, Ordinis Pręedicatorum profeſſori, & Sacrę Theologię Magiſtro, ac pręfati Ordinis Pręedicatorum Generali Vicario, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis Prædicatorum.

SAcer Ordo Pręedicatorum, cujus profeſſor, ac Provincię Romanę, ſecundum Inſtituta dicti Ordinis, Provincialis exiſtis, in agro plantatus dominico, fructus uberes produxit, ac producit aſſidue, ac eccleſiam ſanctam Dei ſplendore ſui luminis fęcunda prole lętificat, ac exaltat uberrime. Hinc eſt, quod Nos ex paternę caritatis affectu, quo pręfatum Ordinem, & ipſius profeſſores geſtantes in noſtrę viſceribus caritatis, ad ipſorum incrementa, pacem, & tranquillitatem, ut divinis contemplationibus dediti ſtudio pię vitę profeſſores ipſi poſſint Altiſſimo quietius reddere famulatum, conſiderantes, quondam Thomam (3) de Firmo Sacrę Theologię Profeſſorem, ac Priorem dudum Generalem ipſius Ordinis, ſicut Altiſſimo placuit, nuperrime extra Romanam Curiam ab hujus vitę mortalitate ſubtractum, & pręfatum Ordinem per orbem terrarum diffuſum, propterea in ſpiritualibus poſſe gra-

Hujusce Diplomatis cauſa.

viſſima ſubire detrimenta, ac propter mutationes (4) per ipſum Thomam de loco futuri proxime Generalis Capituli ipſius Ordinis dudum factas, quę, ſicut fide dignorum inſinuatione percepimus, per totum dictum Ordinem publicatę non extiterunt, varia, diſcriminoſaque poſſe ſcandala, necnon ob futuram per ipſum Ordinem celebrandam, propter dicti Prioris Generalis occaſum, electionem, ſucceſſionemque Vicarii propter ambitionem aſpirantium ad tale Officium, ut aſſolet, inter hujuſmodi profeſſores

Conſtituit ut ſupra.

diſſenſiones graviſſimas ſuſcitari. Nos propterea emerſuris inconvenientiis, jacturis, & diſpendiis, varietatibus, & ſcandalis, quantum cum Deo poſſumus, remedio ſalutari, ac paci, & tranquillitati pręfati Ordinis occurrere, cupientes, & in conſiderationem noſtram adducentes, quod ru potens quidem opere, & ſer-

& ſermone, quem bonorum omnium opifex Religionis zelo, ſcientię claritate, Divinorum, humanorumque notitia, vitę exemplaris munditia, ac morum honeſtate, multifariam illuſtravit, ſcies, & poteris, ſicut clara teſtimonia perhibent, prętato Ordini, in quo in ſacerdotio conſtitutus exiſtis, eſſe per plurimum fructuoſus, intra Nos ſuper hoc matura, ac conſulta deliberatione pręhabita, ac pręmiſſorum intuitu, & ex tantis aliiſque rationabilibus cauſis, animum noſtrum ad hoc moventibus, motu proprio, non ad tuam, vel alterius, pro te Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, auctoritate Apoſtolica, & ex certa ſcientia, abſolventes quemcunque alium Vicarium, qui vigore conſtitutionum pręfati Ordinis, ſeu Apoſtolica, aut alia auctoritate quacunque per mortem ſupradicti Thomę Generalis dudum Prioris dicti Ordinis, remanſiſſet, ſeu in futurum remanſiſſe qualitercunque in dicto Ordine oſtendi poſſet, Conſtitutionibus ſupradictis, necnon conſuetudinibus ipſius Ordinis, & aliis contrariis nequaquam obſtantibus, ab Officio, regimine, & adminiſtratione Vicariatus hujuſmodi, & ab officio & exercitio ipſius Vicariatus protinus amoventes, & revocantes, ex nunc te Generalem Vicarium pręfati Ordinis Prędicatorum, tam in capitibus, quam in membris, cum plena, & omnimoda poteſtate, auctoritate, ac juriſdictione, competentibus, & quę competere poſſunt per formam Conſtitutionum hujuſmodi cuicunque Vicario Generali ipſius Ordinis, remanere debenti, ſeu quomodolibet aſſumendo poſt, ſeu propter obitum Prioris Generalis Ordinis antedicti, uſque ad electionem, & aſſumptionem novi, ac Generalis Prioris, ſeu Magiſtri Ordinis dicti incluſive, tenore pręſentium, facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, tibique vel (5) onus gerendi, faciendi, & exercendi omnia & ſingula, quę ad hujuſmodi Generalis Vicariatus officium, per formam conſtitutionum pręfatarum, ſeu alias de conſuetudine, vel de jure ſpectare, ſeu pertinere noſcuntur, ac etiam Generale Capitulum dicti Ordinis ubicunque hactenus indictum, ſeu de cetero indicendum, ſemel, & pluries, & toties quoties diſcretioni tuę videbitur, transferendi, ſeu tranſmutandi, necnon locum pro Congregatione hujuſmodi Capituli, de conſilio tamen aliquorum Patrum dicti Ordinis, prout commodius, convenientius, & rationabilius videbitur expedire, aſſignandi, & indicendi, ac tempus hujuſmodi Capituli prorogandi (6), ſeu abbreviandi, prout eidem tuę diſcretioni, de pręfatorum Patrum conſilio, fuerit viſum convenire, ac in ipſo Capitulo, ut pręfertur, celebrando auctoritate pręfata, voces intereſſe debentium per formam ipſarum Conſtitutionum, & abſentium, maxime de partibus adhęrentibus maledictionis alumnis, Petro de Luna, Benedicto XIII, aut Angelo Corario, Gregorio XII, auſu temerario, nominatis, hęreticis, ac ſchiſmaticis, aut ſequacibus eorundem communiter, vel diviſim ſupplendi, & quoties neceſſitas exigeret, loco abſentium ex profeſſoribus dicti Ordinis alios ſubrogandi, & generaliter, omnia, & ſingula alia gerendi, faciendi, & exercendi, quę Vicarii Generales, hujuſmodi Capituli Pręſidentes, facere hactenus potuerunt, conſueverunt, ſeu etiam debuerunt, & cetera etiam, quę ad hujuſmodi Vicariatus officium, ut pręfertur, ſpectare noſcuntur, de conſuetudine, vel de jure, alienatione tamen bonorum, & jurium dicti Ordinis tibi penitus interdicta, plenam, & liberam harum ſerie concedimus facultatem: Mandantes nihilominus univerſis, & ſingulis Provincialibus, Prioribus, & ceteris officialibus quovis nomine, ſeu officio fungantur in Ordine ſupradicto, & ceteris ipſius Ordinis profeſſoribus, ubique exiſtentibus, quatenus tibi in his, quę ad hujuſmodi Vicariatus officium, vel ejus exercitium ſpectare noſcuntur, in virtute ſanctę obedientię, parere, & obedire efficaciter teneantur, & debeant. Alioquin ſententias, ſive pęnas, quas rite, & ſecundum Conſtitutiones hujuſmodi tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratas, & gratas habebimus, illaſque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Tu igitur officium Vicariatus hujuſmodi ad Divini Nominis laudem, ſtatum, & honorem noſtrum, & Romanę Eccleſię pacem, & incrementa dicti Ordinis, & profeſſorum ejuſdem, prompta devotione ſuſcipiens, ſic illud ſtudeas ſolerter, prudenter, & fideliter exercere, quod Ordo ipſe, tuo commiſſus Vicariatui, collętetur, ſperatique exinde fructus proveniant: tuque ultra ſempiternę vitę pręmia, noſtram, & Apoſtolicę Sedis Benedictionem, & gratiam, ac retributionem meritorum uberius conſequi merearis. Datum..... (7) VI Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Leonardum.*) *E mortalium oculis ſublato Thoma de Firmo Johannes XXIII Pontifex Vicarium Ordinis conſtituit P. Leonardum de Datis, Statii filium, Sacri Palatii Magiſtrum, de Romana Provincia, virum in multis probatum, dicendique facundia mirabilem, qui in Generali Capitulo anno MCCCCXIV, apud Florentiam congregato, Magiſter Ordinis ſalutatus eſt ab omnibus Provinciis, quæ eundem Pontificem Maximum venerabantur; in altera obedientia Præſidente Ordini Magiſtro Johanne de Podio Nucis, Lemovicenſe, viro, & ipſo cordatiſſimo.* Hæc Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. XII ad annum MCCCCXIV pag 292. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXIV pag.* 755.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXIX fol.* 132.

3. *Thomam.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

4. *Mutationes.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

5. *Vel.*) Legerem: *Imponimus.*

6. *Prorogandi.*) Ut in *Tractatu* mox laudato.

7. *Datum....*) Ubinam datum ſit non legitur in Exemplari.

Con-

Anno 1414 Die 4 Aprilis.

Controverſias Fratres Prædicatores inter & Rectorem Eccleſiæ S. Severii Viennen. (1) motas componit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXVII.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

INter cetera noſtrę ſolicitudinis ſtudia illud potiſſimum cordi Nobis inſidet, ut eccleſiaſticarum perſonarum ſtatus ubique vigeat pacificus, ne quęvis turbationis ſuboriens occaſio, vel eas a Divino miniſterio revocet, vel quid adverſum ingerat, quod earum proſperitati valeat officere, vel quieti. Sane nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum Viennen. nobis fuit expoſitum, quod ab olim inter eos, & dilectum filium Rectorem Parochialis Eccleſię Sancti Severii

Hujus Diplomatis cauſa.

Viennen., aſſerentem ſe, & Eccleſiam ſuam prędictam, ex eo quod Eccleſia dictę Domus olim Capella Beatę Marię de Ultraguram nuncupata infra metas Parochię dictę Parochialis Eccleſię conſiſtens, & tunc ab eadem Eccleſia dependens, in Eccleſiam hujuſmodi dictę Domus erecta fuerat, graviter fore lęſos, varię diſſenſiones exortę fuerunt, gravioreſque adhuc pullulare timentur, niſi ſuper hoc de remedio provideatur optimo; quare pro parte venerabilis Fratris noſtri Johannis (3) Epiſcopi Oſtien., Sanctę Romanę Eccleſię Vicecancellarii, dictę Domus fundatoris, necnon Prioris, & Fratrum Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad diſſenſiones hujuſmodi ſedandas, & ne etiam Parochialis Eccle-

Componit ut ſupra.

ſia prędicta in aliquo propter erectionem prędictam lęſa remaneat, Parochialem Eccleſiam de Chaveriaco, alias Feyſſeoli, necnon Archipresbyteratum ruralem de Turre Viennen. Dięceſ., eidem Eccleſię Sancti Severii, auctoritate Apoſtolica, in perpetuum incorporare, annectere, & unire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui libenter ſingulis pacis, & quietis commoda procuramus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Eccleſiam de Chaveriaco, & Archipresbyteratum prędictos, quorum triginta quinque, Eccleſię Sancti Severii, prędictę, quę etiam Collegiata eſt, & cujus triginta librarum Turonen. parvorum ſecundum communem exiſtimationem fructus, redditus, & proventus, ut ipſi Epiſcopus, Prior, & Fratres aſſerunt, valorem annuum non excedunt, etiamſi Eccleſia de Chaveriaco, & Archipresbyteratus prędicti diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervati exiſtant, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis ex nunc in perpetuum auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium incorporamus, annectimus, & unimus, ita quod Rectore Eccleſię de Chaveriaco, & Archipresbytero Archipresbyteratus prędictorum, ſimul, vel ſucceſſive cedentibus, vel decedentibus, aut alias Eccleſiam, & Archipresbyteratum prędictos quomodolibet dimittentibus, liceat eidem Rectori prędictę Eccleſię Sancti Se-

Clauſula derogans.

verii per ſe, vel alium corporalem poſſeſſionem Eccleſię de Chaveriaco, & Archipresbyteratus, juriumque, & pertinentiarum prędictarum, etiam auctoritate propria apprehendere, & perpetuo retinere, fructuſque, redditus, & proventus eorundem Eccleſię & Archipresbyteratus libere percipere, & habere, ac in ſuos, & Eccleſiarum, ac Archipresbyteratus prędictorum uſus convertere, necnon etiam per ſe, vel alium Presbyterum idoneum curam animarum dilectorum filiorum Parochianorum dictę Eccleſię de Chaveriaco gerere, & exercere, Dięceſani loci, & cujuſcunque alterius licentia minime requiſita. Non obſtan. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſię Sancti Severii prędictę, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Parochialibus Eccleſiis, ac hujuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint; etiam ſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem literas, necnon proceſſus earum auctoritate habitos, ſeu habendos, quoad Eccleſiam de Chaveriaco, & Archipresbyteratum prędictos volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Parochialium Eccleſiarum, aut Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, Indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Proviſo etiam quod ipſius Archipresbyteratus debite ſupportentur onera conſueta; Nos enim ex nunc irri-

Sanctio pœnalis.

tum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. noſtrę incorporationis, annexionis, unionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Bononię II Nonas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Viennen.*) In *Delphinatu* ad *Rhodanum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XLI fol.*40.
3. *Johannis.*) *De Broniaco*. Conſulendus *Ciaconius Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. pag.*683, ubi inter Cardinales a Pſeudo-Pontifice *Clemente VII* creatos *Johannem* recenſet.

F. Jacobo de Imola Eccleſiam Conſtantinopolitanam SS. Petri & Pauli confert. Anno 1414 Die 11 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo de Imola, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXVIII.

SIncerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam Eccleſiam geris, necnon ſolers induſtria, de quibus apud Nos fide dignorum teſtimonio commendaris, firmam Nobis fiduciam exhibent, quod circa curam earum rerum, quas tibi duxerimus committere, prudenter, & laudabiliter te habebis. Cum itaque, ſicut accepimus, in Civitate Conſtantinopolitan. ſit quędam Eccleſia Sanctorum Petri, & Pauli, Piſanorum nuncupata, ad quam Catholici, in eadem Civitate commorantes, cauſa divini officii, & ceterarum in ſpiritualibus opportunitatum confluere ſolent, Nos, volentes pro conſolatione eorundem Catholicorum opportune providere, prędictam Eccleſiam, quę tandiu vacavit, quod de ejus vacationis modo certa notitia non habetur, cum omnibus juribus, habitationibus, & pertinentiis ſuis, tibi, quoad vixeris, per te tenendam, & gubernandam auctoritate Apoſtolica commendamus, ejuſque curam, & adminiſtrationem in ſpiritualibus, & temporalibus, pro conſolatione dictorum Catholicorum, & pro divini cultus augmento, tibi plene committimus; volentes, & tibi harum ſerie concedentes, ut in eadem Eccleſia cum uno, vel duobus, aut pluribus Sacerdotibus dicti Ordinis profeſſoribus, prout expedire conſpexeris, libere, & licite commorari poſſis, Superioris dicti Ordinis, & alterius cujuſcunque licentia ſuper hoc minime requiſita. Nulli ergo &c. Noſtrę commendationis, commiſſionis, voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Bononię V Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Exordium. *Collatio.* *Sanctio pœnalis.*

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIII fol.* 42.

Indulgentias impertitur viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Roſchildenſis (1). Anno 1414 Die 25 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXIX.

CUpientes igitur, ut Domus Fratrum Prędicatorum Roſchilden congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad ejus conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, & Nativitatis, Aſſumptionis, Annuntiationis, Purificationis Beatę Marię Virginis, & Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum prędictorum, ac Dedicationis ipſius Eccleſię, & Dominicę feſtum Viſitationis Beatę Marię Virginis immediate ſequentis, feſtivitatibus, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, necnon Beatorum Johannis, & Apoſtolorum prędictorum, feſtivitatum octavas, & per ſex dies prędictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, prędictam Eccleſiam devote viſitaverint, & ad ejus conſervationem manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum decem Annos, & totidem quadragenas, octavarum vero, & ſex dierum prędictarum diebus, quibus Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & ad conſervationem hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis, ſive debitis, eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus conſervationem, ſeu fabricam, manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas porrigentibus, vel alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Bononię VIII Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Indulgentiæ.

1. *Roſchildenſis.*) In *Dania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVII fol.* 332.

Anno 1414 Die 28 Auguſti.

Conſervatores (1), ut Conſtitutio quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervetur, conſtituit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXX.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Streginen., & Dilectis filiis Streginen., ac Aroſien. Eccleſiarum Præpoſitis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FRequentes hactenus &c (3). Nuper etiam pro parte venerabilis Fratris noſtri Archiepiſcopi Upſalen., & dilectorum filiorum Cleri Civitatis, & Diœceſis Upſalen. Nobis extitit intimatum, quod prædicti eorundem Prædicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratres contra tenorem Decretalis ejuſdem &c (4). Datum Bononiæ V Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Conſervatores.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro L fol.* 255. Legitur etiam in *Bullario Carmelitar. Parte I pag.* 167. Eſt Unica.
3. *Frequentes hactenus &c.*) Ut in *Conſtitutione data XI Julii MCCCXLIII* ad hæc uſque verba: *Partibus inferuntur*.
4. *Ejuſdem &c.*) Ibidem ad finem uſque.

Anno 1414 Die 19 Septembris.

F. Johannem de Podio (1) Inquiſitorem Toloſanum creat.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XXXI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Podio, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Sacræ Paginæ profeſſori, ac in Provincia Toloſana ſecundum morem ipſius Ordinis hæreticæ pravitatis Inquiſitori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AB exordio naſcentis Eccleſiæ paſtores ſuper catholicum gregem vigilare cœperunt contra pſeudo chriſticolas, qui luporum rapacium more, ſimplicium animas ſuis doloſis aſtibus lacerare conarentur, quorum Paſtorum exemplo laudabili Prædeceſſores Noſtri, Romani Pontifices, ſe murum defenſionis pro domo Domini opponentes, Inquiſitores per diverſa mundi climata contra maculatos hæretica pravitate cenſuerunt deputandos, quorum cura pervigili ſalutaris orthodoxæ fidei coleretur ſinceritas, & ſublatis errorum tenebris, fideles catholicæ rectitudinis ſemitam tutius ſequerentur. Ex oblatæ ſiquidem pro parte tua Nobis petitionis ſerie nuper accepimus, quod olim dilectus filius Prior Provincialis Fratrum Ordinis Prædicatorum Provinciæ Toloſan. ſecundum morem ipſius Ordinis, ad quem inſtitutio, ac deſtitutio Inquiſitoris hæreticæ pravitatis in eadem Provincia ex privilegiis ſuper hoc eidem Ordini, & Provinciali per Sedem Apoſtolicam conceſſis, pertinent, Stephanum de Comba dicti Ordinis Profeſſorem, tunc in eadem Provincia pravitatis hujuſmodi Inquiſitorem, ab officio Inquiſitionis hujuſmodi, pro eo, quod ipſe perditionis alumno Petro de Luna, olim Benedicto XIII in ſua obedientia nuncupato, etiam poſt & contra diffinitivam ſententiam in eum per generale Piſanum Concilium latam, per quam ipſe Petrus inter cetera notorius ſchiſmaticus, & pertinax hæreticus declaratus extiterat, notorie adhærere, & favere præſumpſerat, & præſumebat tunc, aliiſque ſuis tunc expreſſis demeritis, & culpis exigentibus, abſolvit, & amovit ab eodem; dilectus filius Guillelmus de Garrigiis ejuſdem Provincialis Vicarius, habens ad hoc ſufficientem etiam per hujuſmodi privilegia poteſtatem, te in locum ipſius Stephani Inquiſitorem pravitatis hujuſmodi in eadem Provincia inſtituit, & etiam deputavit. Cumque poſtmodum inter te, & dictum Stephanum occaſione amotionis, & inſtitutionis hujuſmodi, nonnullæ lites, & controverſiæ ſubortæ fuiſſent, dilectus filius Nicolaus de Thenda, frater dicti Ordinis, ex ſpeciali ſufficienti commiſſione quondam Thomæ de Firmo (5), ejuſdem Ordinis Magiſtri, ſuper hoc ſibi facta, quia, te, ac eodem Stephano propter hoc ad ſui præſentiam evocatis, viſiſque, & diligenter examinatis tam privilegiis ipſis, quam etiam hujuſmodi negotii meritis, legitime conſtitit, abſolutionem, & amotionem, necnon de te factam inſtitutionem hujuſmodi, debite factas fuiſſe, necnon demum idem Magiſter abſolutionem, & amotionem, atque de te factam inſtitutionem hujuſmodi rite factas fuiſſe, pronuntiarunt, & etiam declararunt, idemque Magiſter illas auctoritate privilegiorum hujuſmodi confirmavit, & circa hoc quædam alia fecit, prout in patentibus ſuperinde confectis literis, ipſorum Nicolai, & Magiſtri ſigillis munitis, dicitur plenius contineri; Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut præmiſſis abſolutioni, amotioni, & de te factæ inſtitutioni, ceteriſque circa præmiſſa per eoſdem Nicolaum, & Magiſtrum geſtis, & in dictis literis contentis, munimen Apoſtolicæ Confirmationis adiicere, ac alias tibi opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, præclara meritorum inſignia, quibus, experientia probante, noſceris admodum circumfultus, grata conſideratione attendentes, ac ſperantes, quod de virtute in virtutem progrediens, eidem officio eſſe poteris, auctore Domino, multipliciter fructuoſus, abſolutionem, & amotionem, ac de te factam inſtitutionem, necnon confirmationem, & alia præmiſſa, prout in eiſdem literis, quarum tenores per ſingula præſentibus haberi volumus pro expreſſis, continentur, rata, & grata habentes, ea omnia & ſingula ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes nihilominus omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus ex abundanti cautela præfatum Stephanum ab eodem officio, quatenus adhuc ſibi forſan competeret, penitus amoventes, te Inquiſitorem pravitatis hujuſmodi in eadem Provincia, necnon partibus aliis, & locis, in quibus Inquiſitor prædictæ Provin-

Hujus Diplomatis cauſa.

Provincię, pro tempore exiſtens, officium hujuſmodi exercere conſuevit, auctoritate prędicta facimus, conſtituimus, ordinamus, & etiam deputamus, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus ad executionem tibi commiſſi hujuſmodi ſic vigilanter, & ſolerter intendas, quod exinde ſalutis ſperati fructus adveniant, tibique cedat ad meritum ſempiternum. Nos enim omnia & ſingula, quę ad hujuſmodi Inquiſitionis officium pertinent, exercendi, & exequendi, necnon contra quoſcunque, quos in catholico cultu deviare proſpexeris, uſque ad diffinitivam ſententiam incluſive, etiam ſummarie, & de plano, ac ſine ſtrepitu, & figura judicii procedendi, ac eos juxta exceſſum, & demeritorum eorum qualitatem puniendi, ſeu per cenſuram eccleſiaſticam, & alia tam juris, quam conſuetudinis, opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, necnon brachii ſecularis auxilium invocandi, omniaque alia, & ſingula in talibus quomodolibet opportuna, juxta datam a Deo tibi prudentiam, exequendi, ſtatuendi, & ordinandi, plenam & liberam concedimus, tenore pręſentium, poteſtatem, ratas & gratas habituri ſententias, atque pęnas, quas in rebelles rite tuleris, eaſque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus conſtitutionibus apoſtolicis,& privilegiis, & indultis apoſtolicis quibuſcunque, etiam officialibus dicti Ordinis conceſſis, quorumcunque tenorum exiſtant, etiam ſi de eis, & totis eorum tenoribus de verbo ad verbum foret pręſentibus mentio facienda, & quę quoad hoc eis nullatenus ſuffragari volumus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, conſtitutionis, ordinationis, deputationis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Bononię XIII Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Inquiſitorem conſtituit.

Sanctio pœnalis.

1. *Johannem de Podio.*) Nec ipſius, nec *Stephani de Comba* meminit *Percinus* in ſerie *Toloſanorum Inquiſitorum*, quam habet ad calcem *Opuſculi de Inquiſitione pag.*109.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLV fol.*181.

3. *Quondam Thoma de Firmo.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCCI pag.* 747.

Monaſterium S. Silveſtri Piſan (1) Ordinis Prædicatorum, a quocumque tributo reddit immune (2).

Anno 1414 Die 22 Septembris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XXXII.

Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Sancti Silveſtri Piſan. per Prioriſſam ſoliti gubernari Ordinis Sancti Auguſtini, ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PErſonas vacantes aſſidue divinis officiis per ſtudium pię vitę, & ſub regulari obſervantia in Domino lętantes, libenter Apoſtolico favore proſequimur, & ea, quę pro perſeverantia in bonis operibus, & ipſarum quiete facere conſpicimus, eis favorabiliter elargimur. Sane petitio, pro parte veſtra nuper Nobis exhibita continebat, quod dictum veſtrum Monaſterium, in quo divino eſtis obſequio mancipatę, propter guerras, & mortalitates, & peſtes, aliaſque calamitates, & miſerias, quę Civitatem, & partes Piſan. diutius afflixerunt in ſuis fructibus, redditibus, & proventibus, in tantum eſt diminutum, ac propter datia (4), impoſitiones, collectas, decimas, reſidua ſubſidia, aliaque diverſa onera, ac gravamina, quę vobis aſſidue incumbunt, in tantum eſt pręgravatum, quod niſi vobis ſalubriter in pręmiſſis conſulatur, nullo modo commode ſuſtentari, atque datia, collectas, impoſitiones, decimas, reſidua ſubſidia, aliaque onera & gravamina hujuſmodi ſupportare valetis. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere vobis in pręmiſſis, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, qui ſalutem, quietem, & commodum, quęrimus ſingulorum, hujuſmodi neceſſitatibus, & oneribus providere cupientes, ut Deo laudabilius, & quietius deſervire valeatis, atque commodius ſuſtentari, pręfatum Monaſterium cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, necnon perſonas veſtras, cum bonis, & rebus veſtris, quę impręſentiarum legitime poſſidetis, & in poſterum, dante Domino, juſtis titulis poteritis adipiſci, ab omnium ſolutione impoſitionum, datiorum, collectarum, ſubſidiorum reſiduorum, decimarum, & aliorum quorumcunque gravaminum, & onerum, Apoſtolica, vel ordinaria, ſeu quavis alia auctoritatibus, ſeu per dilectos filios commune Florentię impoſitorum, vel imponendorum, & pręcipue pro impoſitione octuaginta millium florenorum, eadem Noſtra auctoritate, poſitarum uſque ad quinquennium, a data pręſentium computandum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, prorſus eximimus, abſolvimus, & totaliter liberamus. Vos quoque, & Monaſterium pręfatum ab hujuſmodi impoſitionibus, datiis, collectis, ſubſidiis reſiduis, decimis, aliiſque oneribus, & gravaminibus durante dicto quinquennio liberas, & exemptas eſſe volumus penitus, & immunes, ac ſub Beati Petri, & Apoſtolicę Sedis protectione ſuſcipimus, atque noſtra; & nihilominus Nobis, & Succeſſoribus Noſtris Romanis Pontificibus, canonice intrantibus, & Sedi prędictę duntaxat volumus ſubjacere; diſtrictius inhibentes venerabili Fratri Noſtro Archiepiſcopo Piſan. & dilectis filiis fructuum, reddituum, & proventuum, Camerę Apoſtolicę debitorum, Collectoribus, & ſubcollectoribus, & quibuſvis aliis Officialibus, tam Clericis, quam laicis, & tam ſecularibus, quam regularibus, communiter, vel diviſim, ne contra exemptionem, abſolutionem, libertatem, & voluntatem pręfatas in vos, & dictum Monaſterium juriſdictionem aliquam, quis, Noſtro hujuſmodi quinquennio durante, exercere pręſumat; fel. recordationis (5) Papę IV, Prędeceſſoris noſtri, contra exemptos edita, quę incipit: Volentes: & aliis Conſtitutionibus, Ordinationibus, & literis Apoſtolicis, dudum Clero Florentin. auctoritate eadem conceſſis, etiam ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, conceptis, etſi de illis expreſſa mentio de verbo ad

Supplex Monialium petitio.

Eximit ut ſupra.

verbum facienda eſſet, ac quibuſcunque clauſulis derogatoriis, forſan in eis contentis, quę omnia hic haberi volumus pro ſufficienter, atque verbo tenus expreſſis, & ſpecificatis, ac pro inſertis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis Prędicatorum, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę exemptionis, abſolutionis, liberalitatis, ſuſceptionis, protectionis, inhibitionis, & voluntatis infringere. Si quis autem &c. Datum Bononię X Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Sanctio pœnalis.

1. *Piſan.*) In *Hetruria*.
2. *Immune.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLV fol.* 173.
4. *Datia.*) *Dacia*, ſeu vectigalia, quæ primitus gratuita erant.
5. *Recordationis.*) Adderem: *Innocentii*.

Anno 1414 Die 15 Novembris.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes Sacras Cœnobii de Arolo (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Fratrum Prędicatorum de Arolo in honorem Sanctę Crucis conſtructa, Dublinen. Diœceſis, congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem ipſius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, ac Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri, & Pauli prędictorum, necnon Inventionis, & Exaltationis ejuſdem Sanctę Crucis, ac ipſius Eccleſię Dedicationis feſtivitatibus, ac in celebritate omnium Sanctorum, & per ipſorum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri, necnon Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, prędictam Eccleſiam devote viſitaverint, vel ad conſervationem, & ſuſtentationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, decem Annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad conſervationem, aut ſuſtentationem, ſeu reparationem, aut fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias, aliqua alia Indulgentia perpetuo, vel ad certum tempus, nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Conſtantię XVII Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Arolo.*) Hujus nominis Cœnobium non novi in *Dublinenſi* Diœceſi, nec in tota, qua late patet *Hibernia*. Legerem *Arclo*, vel *Arcklo*, latine *Arclovium* in *Lagenia*, Provincia *Hibernia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro L. fol.* 172.

Anno 1414 Die 1 Decembris.

Monaſterium Staynacenſe (1) Ordinis Prædicatorum ſuo, & Sanctæ Sedis præſidio tutatur, ac Privilegiis ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXIV. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Beatę Marię in Stainach prope Meranum, per Prioriſſam ſoliti gubernari Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Curienſis Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a Nobis petitur, quod juſtum eſt, & honeſtum, tam vigor ęquitatis, quam ordo exigit rationis, ut id per ſollicitudinem officii Noſtri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilectę in Chriſto filię, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum, in quo eſtis divino obſequio mancipatę, cum omnibus bonis, quę in pręſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, pręſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub Beati Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra, omneſque libertates, & immunitates a Prędeceſſoribus Noſtris, Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, vel alias indulgentias, necnon exemptiones ſecularium exactionum a Regibus, Principibus, & aliis Chriſti fidelibus, rationabiliter vobis, & eidem Monaſterio veſtro conceſſas, ſicut ea omnia juſte, & pacifice poſſidetis, vobis, & pręfato Monaſterio veſtro confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Conſtantię Kalendis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Indulget ut ſupra.

Sanctio pœnalis.

1. *Staynacenſe.*) De quo ſæpius dictum eſt.
2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar (authenticum, ex Autographo aſſervato in Monaſterio *Staynacenſi*. Aliud legitur *Libro B. fol.* 267.

Compo-

Digitized by Google

Compoſitionem Rectores inter Parochialium Eccleſiarum Argentinen. (1), & Fratres Prædicatores, ac Minores initam, ratam habet, & firmat (2).

Anno 1414 Die 15 Decembris.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano Eccleſię Sancti Petri Baſilien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXV.

EA, quę concordia terminantur, firma debent, & illibata perſiſtere; &, ne in recidivę contentionis ſcrupulum relabantur, Apoſtolico decet prędidio communiri. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratrum Domorum Argentinen., petitio continebat, quod orta dudum inter ipſos ex una parte, & dilectos filios Parochialium Eccleſiarum Argentinen. Rectores, ſuper Quarta Canonica ex altera, materia quęſtionis, tandem partes ipſę in bonę memorię Johannem Epiſcopum Argentinen., tanquam in arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem ſub certa forma compromittere curaverunt: idemque Epiſcopus arbitrio hujuſmodi in ſe ſponte ſuſcepto, & eadem forma ſervata, ſuper pręmiſſis ęquum tulit arbitrium inter partes. Quare pro parte dictorum Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut pręfato arbitrio robur Apoſtolicę firmitatis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus Arbitrium ipſum, ſicut rite ſine pravitate factum eſt, & ſponte ab utraque parte ſuſceptum, facias a partibus ipſis auctoritate Noſtra firmiter obſervari. Non obſtantibus ſi eiſdem Rectoribus, vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Conſtantię XVIII Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium. — Supplex Fratrum petitio. — Confirmatio. — Clauſula derogans.

1. *Argentinen.*) In *Alſatia*.
2. *Firmat.*) De his in *Tractatu de Conſenſu Bullarum* Tomo ultimo Tit. IX.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLV fol.* 215.

Ut Interdicti tempore Fratres, quos Exules vocant, in Cœmeteriis Fratrum Prædicatorum Tranſylvan. (1) ſepeliri poſſint.

Anno 1415 Die 8 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus Fratribus, Exules Chriſti fideles nuncupatis, in Civitate, & Diœceſi Tranſylvan. conſiſtentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXVI.

DEcet Romanum Pontificem perſonas humiles, & devotas, quę ſub paupertate piis operibus inſiſtunt, ut uberius ad ſalutem proficere valeant, in eorum deſideriis affectu benevolo confovere. Sane petitio, pro parte veſtra Nobis exhibita, continebat, quod vos eo tempore, quo Civitas, vel Dięceſis Tranſylvan., aut locus, in quo vos reſidere contigerit, eccleſiaſtico fuerit interdicto ſuppoſitus, dictę veſtrę fraternitatis, & pauperum Exulum Chriſti fidelium inibi decedentium corpora defunctorum, apud domum Fratrum Prędicatorum, aut alibi in loco conſecrato, Eccleſia ſaltem Parochiali interdicta, ſepeliri deſideretis. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis hujuſmodi corpora ſepeliendi, ut pręfertur licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis eiſdem temporibus, ut prefertur, hujuſmodi corpora ſepeliendi auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam concedimus, & elargimur. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Conſtantię VI Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium. — Supplex petitio. — Indulget ut ſupra. — Sanctio pœnalis.

1. *Tranſylvan.*) In ejuſdem nominis regione antiqui Regni *Hungariæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro L fol.* 42.

Ædes ſacras Cœnobii Slegienſis (1) viſitantes Indulgentiis donat.

Anno 1415 Die 17 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXVII.

CUm itaque, ſicut accepimus, Eccleſia, & Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Seligię (3) Elphinen. (4) Dięceſis, in qua dudum, ut aſſeritur, viginti Fratres devotum impendebant virtutum Domino famulatum, nuper ignis incendio concrematę fuerint, ac Prior, & nonnulli ex Fratribus dicti Ordinis, Eccleſiam, & domum pręfatas reparare deſiderent, opere non modicum ſumptuoſo; ſed ad reparationem hujuſmodi faciendam Domus & Eccleſię prędictarum, non ſuppetant facultates; Nos, cupientes, ut

Indulgentiæ.

ut ipſa Eccleſia congruis honoribus frequentetur, & Eccleſia, & Domus hujuſmodi, ut prętermittitur, reparentur, & ut Chriſti fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad reparationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentia Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, & Sancti Patritii Confeſſoris, feſtivitatibus, pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint, & ad reparationem eandem manus porrexerint adjutrices, decem Annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem quod ſi alias eandem Eccleſiam viſitantibus, vel ad ejus, aut dictę Domus reparationem, manus porrigentibus adjutrices, ſeu alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, vel aliqua alia Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus, nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit, prętentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Conſtantię XVI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Slegienſis*.) Vulgo *Slego*, in ejuſdem nominis Comitatu *Hiberniæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 284.
3. *Seligia*.) *Slegia*.
4. *Elphinen*.) *Olfinen*., aliis *Helſenen*., vulgo *Elphen*., in *Hibernia*.

Anno 1415 Die 23 Februarii.

Pro F. Ivone (1) Lectore conſtituendo in ſecundis Scholis (2) Pariſien.

Ex Archivo (3) Ordinis.

XXXVIII. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Cancellario Eccleſię, ac Decano Theologię facultatis Univerſitatis Pariſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. VIri Sacrę Lectionis ſtudio deditl, & in Lege Domini eruditi, prępertim ſub Religionis obſervantia vacantea ſtudio pię vitę, Apoſtolici fovendi ſunt favoris ubertate, eoque benignius illorum decet honeſtis deſideriis annui, quo major exinde ſperatur profectus, & utilitas in Dei Eccleſia pro tempore provenire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Jvonis Eveni, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, quod licet ipſe in Generali Capitulo per eoſdem Fratres Januę noviter celebrato, ad legendum in Conventu Pariſien. Fratrum eorundem Librum Sententiarum, pro gradu Magiſterii per eum in Theologia ſuſcipiendo, habilitatus extiterit, & in Conventu pręfato duplices, magnę videlicet & parvę, ſeu ſecundę, appellatę Scholę exiſtant, per Fratres quoque prędictos juxta quędam Conſtitutiones & ſtatuta ſuper hoc edita, ac hactenus obſervata, ex Fratribus ipſis unus duntaxat Ordinarius nuncupatus, & cui ipſę Scholę magnę pro tempore aſſignantur pro lectura libri pręfati, niſi Apoſtolicę Sedis cuiquam ſpecialiter ſuper hoc opituletur adminiculum, anno quolibet vobis prętentari conſueverit, ac etiam deputari, ipſe Jvo, quamvis pro uberiori complectenda ſcientię margarita ad Lecturam aſpiret eandem, occaſione Conſtitutionum, necnon ſtatutorum prędictorum, de alio forſitan, ad ipſam prętentatione facta, a Lectura excludi dubitat antedicta. Quare pro parte dicti Jvonis Nobis fuit

Supplex Ivonis petitio. humiliter ſupplicatum, ut in pręmiſſis ſibi opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos itaque, ipſius Jvonis in hac parte propoſitum plurimum commendandum exiſtere non immerito re-

Mandatum. cenſentes, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Jvonem, dummodo alias ad id per diligentem examinationem de ipſo per vos, aut alterum veſtrum, faciendam, habilis, & idoneus repertus extiterit, aliudque canonicum non obſiſtat, hujuſmodi ordinarii ad inſtar ad Lecturam prętatam, pro hujuſmodi magiſterii gradu per eum, ut prętermittitur, conſequendo, per ipſum, in parvis, ſeu ſecundis ſcholis hujuſmodi perficiendam recipere, & admittere nullatenus poſtponatis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ſtatutis eiſdem, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Conſtantię VII Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Ivone Eveno*.) Quem *Evenonium* vocat *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXI pag.* 772.
2. *Scholis*.) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLV fol.* 216.

Anno 1415 Die 20 Aprilis.

F. Petrum de Geugenbach Pœnitentiarium ſuum conſtituit.

Ex Archivo (1) Ordinis.

XXXIX. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Geugenbach Priori Conventus Ordinis Fratrum Prędicatorum in Friburgh, Conſtantien. Dięceſis, Pęnitentiario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, prudentia ſpiritualium, & alia multiplicia probitatis, & virtutum tuarum merita, quibus perſonam tuam fide dignorum fore percepimus inſignitam teſtimo-

Pœnitentiarius conſtitutus. niis, promeretur, ut te congruis, & condignis favoribus, & gratiis honoremus. Hinc eſt, quod Nos de perſona tua prędicta, prętmiſſorum obtentu, plenam in Domino fiduciam obtinentes, te in Pęnitentiarium Urbis, in Romana Curia, & apud Sedem Apoſtolicam conſtituimus, & etiam ordinamus; tibi tenore prętentium committentes, ut hujuſmodi officium Pęnitentiarię in eadem Curia, ſeu apud Sedem prędictam, ſicut alii noſtri in dicta Curia Pęnitentiarii illud ibidem gerere, & exercere conſueverunt, ſtatuto de certo Pęnitentiariorum in dicta Curia numero per fel. rec. Clementem Papam Sextum Prędeceſſorem noſtrum

Digitized by Google

noſtrum, cui per hoc non intendimus alias in aliquo derogare, nequaquam obſtante, diligenter & fideliter exerceas. Volumus autem, quod, antequam officium ipſum incipias exercere, de ipſo fideliter exercendo in manibus Venetabilis Fratris noſtri Stephani Epiſcopi Vulteran., hac vice pręſtes corporaliter juramentum, juxta formam pręſentibus annotatam, quę eſt talis. Ego Petrus de Geugenbach, Prior Conventus Ordinis Fratrum Prędicatorum in Friburgh, Conſtantien. Diœceſis, Domini noſtri Papę Pęnitentiarius ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo Domino Johanni Papę XXIII, ejuſque Succeſſoribus canonice intrantibus; non ero in facto, conſilio, vel conſenſu, quod vitam perdsnt, aut membra, vel capiantur mala captione, conſilium, quod per ſe, vel nuncium ſuum, ſeu literas mihi credituri ſunt, ſigno, verbo, vel nutu, me ſciente ad eorum damnum, vel prędjudicium, nemini pandam, ſi damnum illorum tractari ſcivero, pro poſſe meo impediam, ne fiat: quod ſi per me impedire non poſſem, per nuncium eis ſignificare curabo, vel illi, per quem citius ad eorum notitiam deducam. Papatum Romanum, & Regalia Sancti Petri, ac omnia jura Romanę Eccleſię, quę habet ubique, manutenebo totis viribus, & defendam, contra omnem hominem. Res quoque ipſius Domini noſtri Papę, & Eccleſię Romanę, quę meę cuſtodię committentur, diligenter cuſtodiam, & fideliter reſervabo. Ambaſciatas, & quęcunque alia negotia mihi commiſſa, fideliter portabo, ac fideliter & diligenter referam ſine fraude, & pro confeſſionibus audiendis, & abſolutionibus faciendis, ſeu aliis, quę ſpectant ad meum officium, nihil omnino per me, aut alium exigam, vel petam, aut recipiam etiam ſub titulo, vel ſpe eleemoſynę, ſeu Exenii, vel mutui, vel alias quovis modo, & non abſolvam, vel diſpenſabo ſcienter in aliquo caſu ambiguo cum aliquo, niſi de ſpeciali mandato Summi Pontificis, vel Pęnitentiarii majoris, cui exprimam dictum caſum, ſine aliter revelatione vel expreſſione perſonę, & non injungam pęnitentias pecuniarias expreſſe mihi, vel alicui certę perſonę, vel Ordini meo, aut alteri applicandas. Super reſtitutionibus injungendis, & faciendis ſervabo prout eſt per pię memorię Dominum Benedictum Papam XII ordinatum, & ſupradicta omnia, & ſingula promitto, & juro attendere, & obſervare ſine omni dolo, & fraude, ac malitia: ſic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo &c. Noſtrę Conſtitutionis, ordinationis & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Friburgh Conſtantien. Diœceſis XII Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXX fol.* 51.

Friburgenſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantibus Indulgentias impertitur.

Anno 1415 Die 20 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XL.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes igitur, ut Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum Ordinis Sancti Dominici in Friburgh, Conſtantien. Diœceſis, quę quidem Eccleſia ſub honore, & vocabulo Sanctorum Johannis Evangeliſtę & Baptiſtę canonice fundata exiſtit, congruis honoribus frequentetur, necnon ipſa, & hujuſmodi Domus decenter conſerventur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis Beatę Marię Virginis glorioſę, ac Nativitatis Sancti Johannis Baptiſtę, necnon Petri & Pauli Apoſtolorum prędictorum, & Sanctorum Johannis Evangeliſtę, & Dominici, necnon ejuſdem Eccleſię Dedicationis, feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, & per ipſarum Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, necnon Nativitatis, atque Aſſumptionis Beatę Marię, ac Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, & prędictorum Petri & Pauli Apoſtolorum, ac Sanctorum Johannis Evangeliſtę, & Dominici, prędictarum feſtivitatum octavas, ac per ſex dies dictum feſtum Pentecoſtes immediate ſequentes, prędictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad eandem conſervationem manus adjutrices porrexerint, ut prętertur, ſingulis videlicet feſtivitatum, ac celebritatis decem annos, & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum, diebus, quibus eandem Eccleſiam viſitaverint, necnon ad hujuſmodi conſervationem manus adjutrices porrexerint, ut pręmittitur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus conſtructionem, ſeu fabricam, aut hujuſmodi conſervationem, manus porrigentibus adjutrices, vel alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus, nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Friburgh, Conſtantien. Diœceſis, XII Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Indulgentiæ.

1. *Friburgenſis.*) Vulgo *Friburg*, in *Helvetiis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXX fol.* 52.

Anno 1415 Die 29 Aprilis.

Indulgentia conceſſa iis, qui ſingulis diebus interfuerint Sacrificio Miſſæ, ad honorem B. Mariæ Virginis fundatæ in Ædibus ſacris Cœnobii de Poligniaco (1).

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

XLI.

Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ.

CUpientes igitur, ut Capella ſita in Eccleſia Fratrum Prędicatorum de Poligniaco, Biſuntin. Dięceſis, in qua, ſicut accepimus, dilectus filius Johannes Tholeti laicus dictę Dięceſis unam Miſſam ſingulis diebus in perpetuum per aliquem idoneum Presbyterum inibi celebrandam ad honorem Beatę Marię Virginis, & pro animę ſuę ſalute, inſtituit, & fundavit, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis ad Miſſam eandem inibi audiendam confluant, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, Presbytero Miſſam ipſam pro tempore celebranti, necnon & omnibus aliis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Miſſa ipſa interfuerint, ſingulis videlicet diebus quibus hoc fecerint centum Dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Friburgi, Conſtantien. Dięceſis, III Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Poligniaco.*) Vulgo *Poligni*, in *Burgundiæ* Comitatu.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LIII fol.* 203.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Johanne XXIII Summo Pontifice, promotos exhibens.

ARCHIEPISCOPI.

Anno 1410 Die 25 Maii. F. Johannes Babynghe, Archiepiſcopus Tuamenſis, *Toam*, in Hibernia. *Conſtitutio I Johannis XXIII. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag.* 619, *ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag.* 204 *numero CCCCXVIII.* Ab *Alexandro V* Archiepiſcopus deſignatus fuerat *Johannes* IV Nonas Septembris Anno MCCCCIX, ut ex *Conſtitutione* mox laudata videre eſt.

Anno 1410. F. Dominicus Florent, Cœnobii San-Maximinenſis Alumnus, ex Epiſcopo *Albienſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii IX* dictum fuit, Archiepiſcopus Toloſanus, *Toulouſe*, in Occitania. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CIV pag.* 106, *ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag.* 218 *numero XXIII, ex Altamura, Plodio, & Sonegio. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXXI pag.* 772. *Guillelmus Catel Hiſtor. Præſulum Toloſanorum. La Faille Annal. Toloſan. Pereinus Monumen. Conventus Toloſani Secalo III ad an. MCCCCXX pag.* 96. Legeſis *Notas ad Conſtitutionem datam VIII Junii MCCCCXI.*

Anno 1412 Die 1 Octobris. F. Johannes de Duracio, Archiepiſcopus Duracen., ſeu *Durracen.*, & *Dyrrachien.*, vulgo *Durazzo*, in Albania. *Conſtitutio XX Johannis XXIII.* Ipſe eſt *Johannes*, qui *de Duranol* nuncupatur a *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XLI pag.* 73, & a *Cavalerio Tomo I pag.* 206 *num. CCCCXXVIII.* Notandum tamen quod ex *Plodio*, & *Fontana*, quos excipit *Cavalerius Tomo I pag.* 186 *num. CCCXLIV* Epiſcopus in *Dalmatia* fuit *F. Johannes de Duracio*, & floruit anno *MCCCXCVII.* Hinc ſi quis contendat, *Johannem* noſtrum prius Epiſcopum, deinde Archiepiſcopum evaſiſſe, non abnuam quidem, ſed ex mox laudata *Conſtitutione* liquet, *Johannem* noſtrum *de Duracio*, non autem *de Duranol* cognominatum fuiſſe.

Anno 1414 Die 28 Septembris. F. Gregorius Cadolfinus, Archiepiſcopus Corcyrenſis, *Corfu*, in ejuſdem nominis Inſula ditionis Venetorum. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXII pag.* 70, *ex Libro Proviſion. Prælator. Johan. XXIII. Cavalerius Tomo I pag.* 207 *num. CCCCXXXIX.* Nota quod *Ughellus in Epiſcop. Patavinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 454 ipſum *Georgium* vocat, & Epiſcopum *Corphienſem* corrupte nominat.

Circa Annum 1414. F. Andreas Rhodius, Archiepiſcopus Coloſſenſis, ſeu Rhodius, in ejuſdem nominis Inſula. *Leander Albertus de viris illuſtribus. S. Antoninus Hiſtor. Parte III Tit. XXII Cap. XI. Acta Conciliorum Conſtantienſis, Baſileenſis, & Florentini*: in his enim tribus Synodis floruit vir celeberrimus. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXVIII pag.* 67. *Cavalerius Tomo I pag.* 242 *num. XCV, ex Sonegio, & Feuillet.*

Echard

Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad an. MCCCCXLV pag. 801, *ex Odorico Raynaldo, Bzovio, Spondano, Altamura &c.* Ceterum ex Actis *Conſtantienſis* Concilii emendandi Scriptores, qui Archiepiſcopum iſtum remittunt vel ad an. *MCCCCXXX*, vel ad *MCCCCXXXVIII*, vel ad *MCCCCXXXIX*. Liquet enim ex hac Synodo *Andream* Archiepiſcopum fuiſſe ante annum *MCCCCXIV*. Ex Actis vero *Florentini* Concilii erraſſe videntur Auctores, qui *Andream* dicunt Archiepiſcopum ab anno *MCCCLXXX*. Id etiam evincitur ex Legatione, quam obiit *Andreas* poſt ipſam Synodum, ut in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV* dicetur. vel ergo Scriptores illi *Neſtoreos* annos *Andreæ* concedant oportet, vel hallucinantur. Hic obiter notandum, quod in Exemplari Græco *Florentini* Concilii *Andreas* noſter Archiepiſcopus *Rhodius* appellatur, in Latino autem *Coloſſenſis* Archiepiſcopus dicitur. Hinc conſtat unum & eundem Archiepiſcopatum utroque nomine nuncupatum fuiſſe. *Rhodium* quidem ex Inſulæ nomine, *Coloſſenſem* ex *Coloſſo* ibidem erecto, ut alicubi diximus.

EPISCOPI.

F. Michael Treſtka, Epiſcopus Kiovien., *Kiow*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Conſtitutio VI Johannis XXIII. Cavalerius Tomo I pag. 206 num. CCCCXXXI. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCIX pag. 209, ex Bzovio, & Simone Okolski in Ruſſia Florida. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 226.*
Anno 1410 Die 19 Novembris.

F. Henricus Grube, Epiſcopus Conſtantianen., ſeu Conſtantien., *Coutances*, in Normannia, ſub Archiepiſcopo Rotomagenſi. *Conſtitutio VIII Johan. XXIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Titulo CXCIII pag. 175, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 205 num. CCCCXX.* Sed notandum quod ab iſtis Scriptoribus *Giube* nominatur.
Anno 1411 Die 11 Februarii.

F. Petrus Perrigandi, Andegavenſis, Epiſcopus Aptenſis, *Apt*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Aquenſi. *Conſtitutio IX Johannis XXIII. Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag. 620, ex Gallia Chriſtiana, & Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 205 num CCCCXXI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 23.* Ipſe eſt *Petrus*, quem Scriptores illi *Perriganoti*, *Pricaudi*, & *Perrigant* vocant.
Anno 1411 Die 27 Februarii.

F. Arnaudus, ſeu Arnaldus, Epiſcopus Ebronenſis, in Palæſtina, ſub Jeroſolymitano Patriarcha. *Conſtitutio XI Johannis XXIII. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXI pag. 188, ex Libro Proviſion. Prælator. Johan. XXIII, & ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 205 num. CCCCXXII.* A Scriptoribus mox laudatis Epiſcopus iſte remittitur ad diem *VIII* Junii. In hoc autem emendandos eſſe, liquet ex *Conſtitutione* citata.
Anno 1411 Die 10 Maii.

F. Laurentius Venerius, Venetus, Epiſcopus Motonenſis, ſeu Methonenſis, *Modon*, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCIV pag. 241, ex Libro Proviſion. Prælator. Johan. XXIII. Cavalerius Tomo I pag. 217 num. XIX.*
Anno 1411.

F. Johannes, Epiſcopus Hollenſis, ſeu Holenſis, vulgo *Halar*, in Iſlandia, ſub Archiepiſcopo Lundenſi. *Conſtitutio XIV Johannis XXII.* Hunc non norunt Noſtrates.
Anno 1411 Die 23 Decembris.

F. Petrus Eugubinus, Epiſcopus Sarſinatenſis, ſeu Saſſenatenſis, *Sarſina*, in Romandiola, ſub Archiepiſcopo Ravennatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXX pag 290, ex Plodio, Fernandez, & Monumentis Cœnobii Faventini. Cavalerius Tomo I pag. 205 num. CCCCXXIII.*
Circa Annum 1412.

F. Stephanus Zajachez, vel Zarazech, Epiſcopus Ceretenſis, in Valachia inferiori. Nunc Bachoviam translatus fuit Epiſcopatus ille. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLV pag. 165, ex Bzovio. Cavalerius Tomo I pag. 205 num. CCCCXXIV. Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 233.*
Circa Annum 1412.

F. Gundiſalvus, Hiſpanus, Epiſcopus Salmanticenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DV pag. 282, ex Fernandez, & Ægidio in Theatro Salmanticenſis Eccleſiæ. Cavalerius Tomo I pag. 207 num. CCCCXXXV.*
Circa Annum 1412.

F. Andreas Senenſis, Epiſcopus Lunenſis, in Italia, immediate ſub S. Sede. *Cavalerius Tomo I pag. 205 num. CCCCXXV, ex Plodio.*
Circa Annum 1412.

Circa Annum 1412. F. Johannes Marchand, ſeu Mereator, Gallus, Senonenſis, Epiſcopus Bethleemitanus, io Judæa, ſub Jeroſolymitano Patriarcha. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LXXXVIII pag. 141, ex Libro Proviſion. Prælator. Johan. XXIII, ex Plodio, & Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 206 num. CCCCXXVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 22 col. II.*

Anno 1412 Die 7 Aprilis. F. Simon de Tomaſis, Epiſcopus Brugnatenſis, in Liguria, ſub Archiepiſcopo Gemnenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CVII pag. 146, ex Taegio, & Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 215 num. VIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXVIII pag. 762.*

Anno 1412 Die 28 Martii. F. Johannes Muten, Epiſcopus Maiorien., fortaſſis Majomen.. in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Conſtitutio XV Johannis XXIII.* Eccleſiam *Majorenſem* Metropolis *Nazarenæ* Suffraganeam eſſe, docet *Cavalerius Tomo I pag. 216 num. XIV*, ubi *Johannis* noſtri meminit ex *Fontana*.

Anno 1412 Die 22 Junii. F. Bartholomæus Ferdinandi, Epiſcopus Laodicienſis, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIII pag. 209, ex Lib. Proviſion. Prælator. Johan. XXIII. Cavalerius Tomo I pag. 206 num. CCCCXXX.*

Anno 1412 Die 31 Auguſti. F. Ivo Neretii, de Senis, Epiſcopus Nicopolenſis. *Conſtitutio XIX Johannis XXIII.* Variæ ſunt huiuſce nominis civitates. Nec facile dictu, quænam ſit hæc Sedes *Nicopolenſis*. Alia eſt enim in Palæſtina, ſub Patriarcha Jeroſolymitano, alia in Armenia minori, ſub Archiepiſcopo Sebaſtenſi. Eſt etiam Nicopolis Epiri ſub Archipræſule Naupactenſi. Eſt & Nicopolis Myſiæ.

Anno 1412 Die 1 Octobris. F. Antonius de Caturcis, Epiſcopus Caprulenſis, *Caorle*, in Statu Veneto, ſub Patriarcha Veneto. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXXXV pag. 155, ex Ughello. Cavalerius Tomo I pag. 227 num. XLVI.*

Anno 1412 Die 7 Octobris. F. Simon Chriſtophori, Dalmata, Epiſcopus Giſarelenſis, ſeu Giſacenſis, Girardenſis, Gaſſarenſis, Giſaretenſis, aut Giſaletenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXVI pag. 198, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 206 num. CCCCXXIX.*

Anno 1412 Die 29 Octobris. F. Corradus Exienhurſi, vel Exienuh, Epiſcopus Arbenſis, in eiuſdem nominis Inſula Dalmatiæ, ſub Archiepiſcopo Jaderenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLVII pag. 129, ex Lib. Proviſion. Prælator. Johan. XXIII. Cavalerius Tomo I pag. 216 num. XIII, ex Altamura.*

Anno 1413. F. Thomas Erneber, Epiſcopus Ceretenſis, in Valachia inferiori. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag. 623, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 207 num. CCCCXXXIV.*

Anno 1413 Die 30 Aprilis. F. Zaroslaus de Lublino, Prior Lublinenſis Cœnobii, Epiſcopus Laodicienſis, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. Succeſſit iſte Bartholomæo Ferdinandi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXIII pag. 209, ex Libro Proviſion. Prælator. Johan. XXIII. Cavalerius Tomo I pag. 206 numero CCCCXXXII. Dominicus Frydryebowiez in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 232.*

Anno 1413 Die 7 Auguſti. F. Venceslaus Sprover, Epiſcopus Lidoricenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Titulo CCCXXXIII pag. 215, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 206 num. CCCCXXXIII.* Quiſnam ſit Epiſcopatus iſte, me fugit.

Circa Annum 1413. F. Gregorius Polonus, Epiſcopus Wlodimerien., ſeu Volodimirien., & Wladimirien., *Wlodzimiere*, in Polonia. Nunc Luceoriæ, in Volhinia Superiori ſedet Epiſcopus Wlodimirienſis, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXLIV pag. 325, ex Bzovio, Simone Okolski, & Strieovio. Cavalerius Tomo I pag. 210 num. I. Dominicus Frydryebowiez in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 232.*

Circa Annum 1413. F. Bartholomæus Dominici, Senenſis, Epiſcopus Coronenſis, in Peloponneſo, ſub Archiepiſcopo Patracenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCIII pag. 179, ex Ugurgerio. Cavalerius Tomo I pag. 210 num. II.*

F. Eraſ-

F. Eraſmus Villis, Epiſcopus Naturenſis, in Thracia, ſub Patriarcha Conſtantinopolitano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXIII pag. 245, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 207 num. CCCCXXXVII.* — Anno 1414 Die 4 Martii.

F. Laurentius Petri Jacopini, Epiſcopus Achadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag. 619, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 207 numero CCCCXXXVI.* Iſtum non diſtinguit *Echard* a *Laurentio* Epiſcopo *Achaia*, de quo dicetur in *Appendice ad Pontificatum Martini V.* — Anno 1414 Die 6 Julii.

F. Antonius Ponticorona, Panormitanus, Epiſcopus Cephaluden., *Ceſalu*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLIX pag. 163, ex Pirro. Cavalerius Tomo I pag. 251 num. CXXXII.* Adfuit *Conſtantienſi* Concilio, ut ex Actis ejuſdem Synodi conſtat. Ad *Agrigentinam* Sedem tranſlatus fuit, ut poſtea dicetur. — Anno 1414.

F. . . . Zmbeke, Epiſcopus Berſaben., vulgo *Gibelin*, in Palæſtina. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag. 622, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 207 num. CCCCXXXVIII.* — Anno 1414 Die 24 Septembris.

F. Marcus, Epiſcopus Chryſopolitanus, in Arabia majori, ſub Archiepiſcopo Boſtrenſi. *Cavalerius Tomo I pag. 207 num. CCCCXL. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXXIII pag. 199, ex Mſs. Bzovianis.* — Anno 1414 Die 1 Octobris.

F. Matthæus de Catania, Epiſcopus Pactenſis, in Regno Siciliæ, ſub Archiepiſcopo Meſſanenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLVI pag. 257, ex Pirro, Cavalerius Tomo I pag. 227 numero XLVII, ex Plodio, Lopez, & Marietta.* — Anno 1415.

LEGATUS.

F. Thomas de Firmo, ad Florentinos & Genuenſes Legatus. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCI pag. 747, ex Scipione Ammirato Hiſtor. Florentin. Tomo II Parte II Lib. XVIII pag. 966.* — Anno 1413.

MARTINUS III DICTUS V,

(a) Acta Concilii Conſtantienſis.
(b) Eugenius IV.

Columna, Electus (a) fuit Conſtantiæ XI Novembris MCCCCXVII. Coronatus eſt ibidem XXI ejuſdem Menſis. Obiit (b) Romæ XX Februarii MCCCCXXXI. Sedit Annos XIII, Menſes III, Dies X.

Anno 1417 Die 21 Novembris.

Cœnobii Cambèriacenſis (1) Ordinis Prædicatorum fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

I.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Amedeo (3) Duci (4) Sabaudię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam, promeretur, ut votis tuis, in his pręſertim, quę Divini cultus augmentum, & ſacrę Religionis Ordinis Fratrum Prędicatorum propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod tu pro Divini cultus, & dictę Religionis augmento, tuorumque ſubditorum animarum ſalute, in tuo oppido Chamberiacen. Gratianopolitanę Dięceſis, quod in partibus illis notabile eſſe dignoſcitur, unam Domum cum Eccleſia, humili campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione Fratrum dicti Ordinis, per Priorem Provincialem, & Fratres dicti Ordinis Provincię Francię ſecundum morem ejuſdem Ordinis primaria vice inibi ponendorum, quorum unus dictę domus, Prior exiſtat, de tuis, a Deo collatis tibi, necnon per Chriſti fideles ad hoc largiendis bonis, conſtrui, & etiam ędificari facere, deſideras, & proponis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi dictam Domum, ut pręmittitur, fundandi, ac eiſdem Fratribus, illam ad uſus ſuos recipiendi, & in ea commorandi licentiam concedere, & alias eiſdem Fratribus in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris temporibus augeri, & eorundem ſubditorum animarum ſaluti providere intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, in Oppido, & loco hujuſmodi de bonis tibi a Deo collatis, & per ipſos Chriſti fideles ad id largiendis, dictam Domum, cum Eccleſia, humili campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, dormitorio, & aliis officinis prędictis, pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum, quorum unus ipſius Domus Prior exiſtat, ut pręmittitur, necnon ipſis Fratribus, ut pręmittitur, in ea domo ponendis, dictam domum recipiendi, & in ea commorandi, cujuſcunque licentia minime requiſita, jure Parochialis Eccleſię & quolibet alieno in omnibus ſemper ſalvo, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam elargimur; Et nihilominus eiſdem Priori, & Fratribus, qui pro tempore in dicta domo moram trahent, quod domus prędicta, necnon Fratres pro tempore in eo commorantes omnibus privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, immunitatibus, & libertatibus, aliis domibus dicti Ordinis generaliter conceſſis, gaudeant, & utantur: felicis recordationis Bonifatii Papę VIII Predeceſſoris noſtri, prohibentis, ne Fratres Ordinis Mendicantium, in aliqua Civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocunque, domos, ſeu loca quęcunque de novo recipere, vel recepta mutare poſſint, ſine Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Conſtantię XI Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Ducis Sabaudiæ ſupplex petitio.

Indulget ut ſupra.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Camberiacenſis.*) Vulgo, *Chamberi* in *Sabaudia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. IV fol.* 12.
3. *Amedeo.*) Qui poſtea nuncupatus eſt *Felix V* Antipapa.
4. *Duci.*) Anno enim præcedenti, ſeu *MCCCCXVI* titulo Ducatus inſignita erat *Sabaudia*.

Anno 1417 Die 18 Decembris.

Confirmat omnia Privilegia a ſuis Prædeceſſoribus Monaſterio Sanctæ Mariæ in Staynach (1), Curienſis Diœceſeos, conceſſa.

Ex Archivo (2) *Ordinis libro B. folio* 267.

II.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Domus Beatę Marię in Staynach ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventibus, Curienſis Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

CUm a Nobis petitur quod juſtum, & honeſtum eſt, tam vigor ęquitatis, qam ordo exigit rationis, ut id per ſolicitudinem officii noſtri, ad debitum perducatur effectum. Ea propter, dilectę, in Domino filię, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipatę, cum omnibus bonis quę impręſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, pręſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub Beati Petri protectione ſuſci-

Confirmatio.

ſuſcipimus, atque Noſtra, omneſque immunitates, atque libertates a Prędeceſſoribus noſtris Romanis Pontificibus, ſive per privilegia, ſive alias indulgentias, vobis, & Domui veſtrę conceſſas, ſicut eas juſte, & pacifice obtinetis, necnon libertates, & exemptiones ſingularium exactionum a Regibus, & Principibus, & aliis Chriſti fidelibus, vobis, & per vos eidem Domui veſtrę auctoritate Apſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem &c. Datum Conſtantię XV Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

1. *Staynach.*) Conſulenda *Conſtitutio CCV Alexandri IV Tomo I pag.* 361.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo in Monaſterio *Staynacenſi* aſſervato.

In nonnullos Lemovicenſes hæreſeos ſuſpectos, inſtigante F. Johanne de Podio, quæſtionem decernit.

Anno 1418 Die 27 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Toloſan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. III.

EXhibita nobis pro parte dilecti filii Johannis de Podio (2) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, in Provincia Toloſan. hęreticę pravitatis Inquiſitoris a Sede Apoſtolica deputati, petitio continebat, quod cum olim ipſe dilectos filios Bernardum de Lachapolia, Johannem Soſpeti, Johannem Brevis, Guidonem Quinquini, Petrum Jaculatoris, Johannem Rixerio, alios quoque clericos, Lemovicen. Diœceſis, ex eo habuiſſet de hęretica pravitate ſuſpectos, quod ipſi excommunicationis ſententiam, in eos ex certa cauſa canonice latam, per annum, & ultra, animo ſuſtinuerint indurato, redire non curantes ad Eccleſię unitatem, volenſque contra eos propterea ex officio ad Inquiſitionem deſcendere, coram ſe feciſſet ad judicium evocari, pręfati clerici ſentientes, ut dicebant, ab eodem Inquiſitore, poſtquam in hujuſmodi Inquiſitionis negotio ad nonnullos actus proceſſerat, a quodam ſufficienti & conficto gravamine, per ipſum eis illato, indebite ſe gravari, ad Sedem appellarunt eandem, ac Generalis Synodus Conſtantien., poſtquam Baldaſſar (3) in ſua obedientia Johannes XXIII nominatus, hujuſmodi obedientię pręſidere deſiit, eadem Sede vacante, cauſam appellationis hujuſmodi dilecto filio Magiſtro Geminiano de Prato Capellano Sedis prędictę, & Auditori cauſarum Palatii Apoſtolici, ad inſtantiam dictorum clericorum audiendam commiſit, & fine debito terminandam, qui in dicta cauſa citra tamen concluſionem ad nonnullos actus inter partes ipſas dicitur proceſſiſſe; Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de meritis dictę cauſę melius in partibus illis, quam in Romana Curia liquere poſſit, pro parte dicti Inquiſitoris fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, qui poſtea fuimus, divina favente clementia, ad apicem Summi Apoſtolatus aſſumpti, ſtatum cauſę hujuſmodi habentes pręſentibus pro expreſſo, ac hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eandemque cauſam ad Nos auctoritate Apoſtolica advocantes, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis dictis clericis, & aliis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Non obſtante ſi eiſdem clericis, vel quibusvis aliis, communiter, vel diviſim a dicta Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi &c. Datum Conſtantię VI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Diplomatis cauſa. — Mandatum. — Clauſula derogans.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. I fol.* 184.

2. *Johannis de Podio.*) Unus eſt ex Inquiſitoribus *Toloſanis*, quos non novit *Percinus* noſter, ut videre eſt ex eorundem Inquiſitorum *Indice*, qui legitur in *Diſſertatione de Inquiſitione* ad calcem *Monumentor. Conventus Toloſani pag.* 109.

3. *Baldaſſar.*) *Balthaſar.*

Ex Hiſpaniarum Provincia tripertita tres Provincias, Hiſpaniæ ſcilicet, Sancti Jacobi, & Portugalliæ, conſtituit (1).

Anno 1418 Die 5 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. IV.

SAcrę Religionis ſub qua dilecti filii Magiſter Generalis, & Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum mundanis abjectis illecebris, & pompis ſeculi abdicatis, ſedulum, & devotum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis illorum, illis pręſertim, per quę ipſi quietius, & Deo ferventius in humilitatis ſpiritu deſervire valeant, dictuſque Ordo in bono ſtatu perpetuo conſervetur, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Magiſtri, & Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod Provincia Hiſpanię, quę ſecundum conſuetudines, & inſtituta dicti Ordinis per Priorem Provincialem ejuſdem Ordinis regi, & gubernari, ac viſitari, & reformari conſuevit, ac plura Regna, & Dominia continet, adeo longa, & lata exiſtit, quod Prior Provincialis ejuſdem Provincię, exiſtens pro tempore, ipſam Provinciam, ac Domos, & Fratres ejuſdem Ordinis viſitare, & reformare commode non poteſt, propter quod Regularis diſciplina deperit, & divinus cultus paſſim decreſcit in Provincia, & Domibus antedictis. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſi Provincia hujuſmodi in tres Provincias divideretur, videlicet Hiſpanię, Sancti Jacobi, & Portugallię, & quod ſub Hiſpanica, Caſtellę, Toletanę, Murcię, necnon Frontarię ſive Lu-

Exordium. — Hujus Diplomatis cauſa.

Luſitanię cum Extrematura (3), Vizcayę (4), cum Aſturiis de Santillana, & ſub Sancti Jacobi, Legionis, Gallicię, & Alturię de Oveto, ac ſub Portugallię Provinciis hujuſmodi Portugallię Regna, & Dominia comprehenderentur, ac quęlibet Provinciarum hujuſmodi ſuum haberet Priorem Provincialem, ut Ordo, & Domus, & Fratres prędicti poſſent in melius reformari; pro parte dictorum Magiſtri, & Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut prędictam Provinciam, ut pręmittitur, dividere, & alias ipſis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ad eoſdem Ordinem, & Fratres ſpecialem gerimus devotionis affectum, ac de pręmiſſis plenius informati, volentes ſuper his ſalubriter providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium Provinciam Hiſpanię prędictam in tres Provincias, videlicet Hiſpanię, Sancti Jacobi, ac Portugallię dividimus, ac ſub Hiſpanica Caſtellę, Toletan., Murcię, Frontarię, ſive Luſitanię cum Extrematura, Vizcayę cum Aſturiis de Santillana, & ſub Sancti Jacobi Legionis, Gallicię, & Aſturię de Oveto, necnon ſub Portugallię Provinciis, hujuſmodi Portugallię Regna, & Dominia prędicta perpetuo volumus comprehendi. Et inſuper ſtatuimus, & ordinamus, quod quęlibet trium Provinciarum hujuſmodi ſuum de novo proprium habeat Priorem Provincialem, quem Fratres eligent ſecundum hujuſmodi dicti Ordinis Conſtitutiones, conſuetudines, & Inſtituta; quodque quilibet Prior Provincialis pro tempore exiſtens dictarum trium Provinciarum Provinciam ſibi decretam, ac domus, & Fratres, & etiam Moniales ſub ipſorum Fratrum cura degentes in eadem, regere, gubernare, corrigere, reformare tam in capite, quam in membris, ac in eis viſitationis officium exercere valeat, prout ſibi ſecundum Deum, & Conſtitutiones, conſuetudines, ac inſtituta prędicta, noverint expedire. Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę diviſionis, voluntatis, Conſtitutionis, & ordinationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Conſtantię Nonis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Conſtituit ut ſupra. — Clauſula derogans. — Sanctio pœnalis.

1. *Conſtituit.*) Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXVIII pag.* 303 *&* 304.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XVI fol.* 182. Legitur etiam apud *Fontanam* mox laudatum.
3. *Extrematura.*) *Extremadura* ſcilicet *Portugallica*.
4. *Vizcaya.*) *Cantabria* nempe, vulgo *Biſcaya*. Quidam, ut *Vaſcones*, pronunciant *Viſcaya*.
5. *Aſturiis de Santillana.*) Multiplex enim *Aſturia*. *Aſturia* ſcilicet *Ovetenſis*, vulgo *Aſturia de Oviedo*, & *Aſturia Santillana* &c. Illa, *Ovetenſis* nempe, *Gallaciæ* adjacet; iſta *Cantabriæ* contigua eſt.

Anno 1418 Die 5 Februarii.

Fratribus Ordinis Prædicatorum Provinciæ Hiſpaniæ, ut Cœnobia Sex, & quatuor Monaſteria fundare (1) poſſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

V.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Provincię Hiſpanię ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium ab encomio Ordinis. — Indulget ut ſupra. — Sanctio pœnalis.

SAcer Ordo veſter in agro dominico divina diſpoſitione plantatus, digne meretur extolli, cujus profeſſores mundanis a ſe relegatis illecebris, & cęleſtium contemplationi vacantes, inſiſtunt jugiter profectibus animarum. Eapropter ad dictum Ordinem, quem felicia, dante Domino, incrementa ſuſcipere cupimus, Apoſtolicę conſiderationis intuitum dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quę Ordo ipſe uberius valeat propagari. Veſtris igitur in hac parte, necnon dilecti filii Ludovici (3) de Valleolete, ejuſdem Ordinis, ac Sacrę Theologię profeſſoris, per cariſſimum in Chriſto filium noſtrum Johannem Regem Caſtellę, & Legionis illuſtrem ad Nos, & Generalem Synodum Conſtantienſem Ambaſciatoris (4) deſtinati, ſupplicationibus inclinati, vobis, qui, ut aſſeritis, pauca reſpective Domus & loca pro uſu, & habitatione veſtris habetis, & poſteris veſtris, qui erunt pro tempore, ut ſex domos, ſive loca pro vobis, necnon quatuor alia loca pro Sororibus Ordinis Sancti Auguſtini ſub cura, & cuſtodia veſtris degentibus, ad hoc tamen congrua, & honeſta, quę in Provincia Hiſpanię, in quibuſvis Regnis, aut terris, vobis, & eiſdem poſteris, conceſſione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, aut oblatione aliorum Chriſti fidelium concedi, largiri, & offerri canonice contigerit, recipiendi, necnon apud illa de novo fundandi, ędificandi, ſeu conſtruendi Eccleſias, campanilia, cum ſingulis campanis, cęmeteriis, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis veſtris officinis, pro uſu, & habitatione veſtris, & eorundem poſterorum habendi, ac perpetuo retinendi: felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio loco quocunque, Domos, vel loca quęcunque de novo recipere, aut habitare pręſumant abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem faciente, & alia generaliter ejuſdem Sedis conſtitutione contraria non obſtante, Diœceſanorum locorum, & quorunlibet aliorum licentia, vel conſenſu ſuper hoc minime requiſitis: jure tamen Parochialium Eccleſiarum in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam, tenore pręſentium, licentiam elargimur; Volentes, & vobis auctoritate prędicta concedentes, quod Fratres Ordinis veſtri, & Sorores hujuſmodi, qui pro tempore in eiſdem domibus, ſive locis reſidebunt, & domus ipſę omnibus privilegiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus a Sede prędicta Fratribus hujuſmodi dicti veſtri Ordinis generaliter conceſſis, uti valeant pariter, & gaudere. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Conſtantię Nonis Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. Fun-

1. *Fundare.*) *Cum Pater Ludovicus de Valliſoleto ad Concilium a Caſtellæ Rege Orator miſſus . . . in unione Eccleſiæ cum aliis Patribus Hiſpanis ſecum adductis ſuam appoſuiſſet operam indefeſſam ; illo terminato , a Martino electo Pontifice multis fuit auctus favoribus ; inter quos , ut poſſet , novos Conventus , nova loca , novaque Sororum Monaſteria in Hiſpania conſtruere , non obſtante Bonifatii VIII decreto .* Hæc Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXVII pag. 302.

2. *Archivo .*) In quo duplex Exemplar, unum ex *Archivo Apoſtolico Lib. IV fol.* 250 , aliud inter Monumenta Conventus *B. Mariæ Rupis Franciæ* , ſeu *Lanciæ Oppidanæ* , vulgo *Peña di Francia* , in Regno *Legionenſi* . Legitur etiam apud *Fontanam* mox laudatum .

3. *Ludovici .*) *De Valleoleti a patria , vulgo Valladolid , aut certe profeſſionis ſuæ loco , Caſtellæ Veteris civitate præclara* , nuncupati ; ut inquit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCXXXVI pag.* 789.

4. *Ambaſciatoris .*) Id eſt *Oratoris* . Adeas *Labbeum Tomo XII Concilior. General. in Concilio Conſtantienſi Seſſione XXXV pag.* 224 , 225 , 226 *&c.*

Fratrem Leonardum (1) de Florentia Ordinis Prædicatorum Generalem Magiſtrum declarat (2).

Anno 1418 Die 2 Martii.

Ex Archivo (3) *Ordinis* .

VI.

Martinus Epiſcopus , Servus Servorum Dei , dilecto filio Leonardo de Florentia , Ordinis Fratrum Prędicatorum, & in Theologia Profeſſori, ac ejuſdem Ordinis Magiſtro Generali , Salutem , & Apoſtolicam Benedictionem .

Exordium .

AD hoc Nobis ſummi providentia Magiſtri jugum impoſuit Apoſtolicę ſervitutis , ut ſuper gregem dominicum , noſtrę vigilantię divinitus creditum , intenti , prout Nobis deſuper conceditur , ſpeculatoris exercentes officium , quid pręſertim pro Religionis cujuslibet expediat propagatione felici , quid ſtatui conveniat ſub illa militantium quorunlibet , ſolertius attendamus ; labores exquirentes , & ſtudia , per quę ipſa dilatetur Religio florida , decentię , & honeſtatis candore refulgeat , &, electarum ſubſtitutione perſonarum, virtutum elevata gradibus, continue, dante Domino, ſuſcipiat incrementum . Cum itaque execrabili jam tandem , cooperante Domino , ſublato , tunc durante ſchiſmate , & Obedientiarum, quibus contendentes de ſpiritu prociderunt (4) , diverſitate ſublata , poſtquam tu , ſicuti comperimus , electioni de te per majorem , ſanioremque partem dilectorum filiorum Fratrum Ordinis Prędicatorum in illius Generalem Magiſtrum factę , attentius inhęrendo , Generalis officium Magiſtri exercere curaras , etiam dilectus filius Johannes (5) electus Cathanien. ſe pro Magiſtro Generali geſſerit in Ordine memorato ; Noſque de perſona dicti Johannis Eccleſię Cathanien. tunc Paſtore carenti auctoritate duximus Apoſtolica providendum , pręficiendo eum illi in Epiſcopum , & Paſtorem ; Nos ex diverſorum hujuſmodi Pręſidentium officio in antea, quod abſit, tolerando concurſu, inter ipſius Ordinis plantaria , quietis potius , ac tranquillitatis communione fovenda , diviſiones , & ſcandala , & eidem Ordini diſpendia , oneraque plurima ſubſequi poſſe non immerito reſolventes , & propterea univerſali Eccleſię in nobis ſupremo aſcriptis ſolio , pace firmata , ad inferiorum miniſteria , ut unitatis integritate lętentur , capiteque refecto membra vegetari cernantur , vices operarias intermittere ſalubriter exquirentes , ad te quoque moribus , & vita conſpicuum , ſapientia , & prudentia circumſpectum , aliiſque virtutum donis multiplicibus inſignitum debitę dirigentes conſiderationis intuitum , nobis ſpe firma fiduciaque pollicitis , quod eo pręſtante , ad cujus laudes , & gloriam jugis Ordinis ejuſdem ſuccedet propagatio , tu , quem pro ejuſdem Eccleſię , ut a diuturnę eriperetur ſciſſurę laqueis redintegratione felici , curis, ſtudiiſque indefeſſis fructuoſius experimentaliter elaboraſſe cognovimus , Ordini ipſi , illiuſque perſonis , ut deſiderato potiantur eventu , exiſtere poteris admodum profuturus , habita ſuper his , cum Fratribus noſtris deliberatione matura , de ipſorum conſilio Fratrum , te Generalem & unicum dicti Ordinis Magiſtrum , ac talem ab omnibus cenſendum , & reputandum fore , eadem auctoritate declaramus ; decernentes te ad hujuſmodi officium , ejuſque exercitium in Generalem Magiſtrum Ordinis prędicti ab univerſis & ſingulis Fratribus ejuſdem Ordinis , prout juxta ipſius Ordinis congruit conſuetudines , & ſtatuta , admitti debere , irritum quoque , & inane quicquid in contrarium a quoquam , quavis auctoritate , ſcienter , vel ignoranter contigerit attentari ; Mandantes nihilominus diſtrictius Fratribus & perſonis prędictis , cujuſcunque dignitatis , ſtatus , gradus , vel conditionis fuerint , ut tibi in his omnibus , quę ad hujuſmodi officium de jure , vel conſuetudine , pertinent , humiliter pareant , & intendant . Nos enim ſententias , ſive pęnas , quas rite tuleris , ſive ſtatueris in rebelles , ratas habebimus , & faciemus , auctore Domino , uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari . Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis , & privilegiis perſonis quibuſvis ſub quacunque verborum forma , conceſſis , necnon ſtatutis , & conſuetudinibus prędictis , juramento, confirmatione Apoſtolica , vel quavis alia firmitate vallatis , ceteriſque contrariis quibuſcunque . Tu igitur in commiſſo tibi hujuſmodi officio , ſic te geras ſolicite , fideliter, fructuoſe , & prudenter, quod fructus ſperati cumulentur , & exinde etiam pręter humanę laudis pręconium , te noſtrę , dictęque Sedis comitetur benevolentia tempore procedente. Datum Conſtantię VI Nonas Martii , Pontificatus noſtri Anno Primo.

Hujusce Diplomatis cauſa .

Conſtituit ut ſupra .

Clauſula derogans .

1. *Leonardum .*) *Statii* filium , *De Datis* ex familia , *De Florentia* , a patria nuncupatum .

2. *Declarat .*) *Martinus Pontifex* , inquit *Fontana* Monumen. Dominican. Part. III. Cap. XII ad an. MCCCCXVIII. pag. 304, *redditam Eccleſiæ unionem , ac pacem conſervaturus , unitatem quoque Dominicanæ Religionis ex corde deſiderans , & ut ſuum conſequeretur effectum animum applicavit . Quare nominato Johanne de Podio Nucis Catanen. Epiſcopo . . . . eodemque in animæ ſuæ cuſtodem , & Confeſſarium aſſumpto , P. Leonardum Statii de Datis , Florentinum , pro Republica Florentina in eodem Concilio Oratorem , unicum totius noſtri Ordinis Generalem Magiſtrum , ac ſupremum Caput cum omnimoda auctoritate creavit , in præmium laborum exantlatorum pro ſancta unione Eccleſiæ reddenda .*

3. *Archivo .*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVII. fol.* 231 . Idem tranſcripſit *Fontana* mox laudatus .

4. *Prociderunt* . Ex Fontana : *Præſiderent* .

5. *Johannes .*) *De Podio Nucis* . Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCXCIX pag.* 708.

Com-

Anno 1418 Die 14 Martii.

Compoſitionem de *Quarta canonica* (1) Fratres Prædicatores & Minores inter ac Parochos Argentinen., initam firmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

VII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Diplomatis cauſa. QUi libenter in pacis delectamur obſervantia, ea, quę inter Eccleſiaſticas potiſſime perſonas judicio, vel concordia diffinita fuere, ut firma, & illibata perſiſtant, Apoſtolico Nos decet pręſidio communire. Sane petitio dilectorum filiorum Fratrum Domorum Argentinen. (3) Prędicatorum & Minorum Ordinum. Nobis nuper exhibita, continebat, quod orta dudum inter ipſos ex una parte, & dilectos filios univerſos Parochialium Eccleſiarum Argentinen. Rectores ſuper Quarta canonica, & illius occaſione, ex altera, materia quęſtionis, tandem partes ipſę a lite hujuſmodi recedere omnino, illamque amicabili compoſitione finiri, perpenſius aſſectantes, in bonę memorię Johannem Epiſcopum Ar-
Confirmatio. gentinen., tanquam arbitrum, arbitratorem, & amicabilem compoſitorem, ſuper pręmiſſis, compromittere curarunt, & qui hujuſmodi arbitrio in ſe ſponte ſuſcepto, & ejus forma ſervata ęquum tulit arbitrium inter pręſentes, quod a parte ſponte extitit utraque ſuſceptum, prout in Inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictorum Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut eidem Arbitrio robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de ſpeciali gratia dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati hujuſmodi Arbitrium, ſicut provide, & rite latum, necnon ab utraque parte ſponte ſuſceptum fuit, ut pręfertur, etiam inde ſecuta, rata habentes, atque
Sanctio pœnalis. grata, ea auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti parrocinio communimus. Nulli ergo noſtrę confirmationis, & communitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Conſtantię II Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Quarta Canonica.*) De qua dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro VI fol.* 293.
3. *Argentinen.*) Vulgo *Straſbourg* in *Alſatia.*

Anno 1418 Die 21 Aprilis.

Ut executioni mandetur Ægidii Conimbricenſis (1) Epiſcopi teſtamentum, quo quædam FF. Prædicatoribus Ulyſſipponenſibus (2) legarat.

Ex Archivo (3) Ordinis.

VIII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Salvatoris de Palatiolo, Portugalen. (4) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. INter alia noſtri cordis deſideria illo ſiml non tepeſcimus, ut pia, honeſtaque teſtantium vota, ea pręſertim, per quę cum divini propagatione cultus animarum ſaluti conſulitur, votivum ubilibet conſequantur effectum. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Ferdinandi Gunſalvi Cantoris Eccleſię Colimbrien. (5). executoris teſtamenti, ſive ultimę voluntatis bonę memorię Ægidii Epiſcopi Colimbrien., petitio continebat, quod olim pręfatus Epiſcopus, humanę pertingens naturę curſum, & ſua teſtamentaria diſpoſitione ſaluti animę conſulere preferens, de quibuſdam ad ejus perſonam legitime ſpectantibus, & aliis per ipſum eccleſiaſtico acquiſitis theſauro bonis, poſt hujuſmodi conſum-
Supplex petitio. mationem curſus, quandam Capellam in honorem, & ſub vocabulo cujuſdam Sancti tunc expreſſi, in Eccleſia Domus Ulixbonen. (6) Fratrum Ordinis Prędicatorum. in qua ejus Parentes Eccleſiaſticę tradi elegerant ſepulturę, de novo conſtrui, & erigi voluit, quibuſdam pecuniarum ſummis, & etiam cum lecturis (7) utriuſque, ac aliis libris, ornamentis quoque, & veſtibus, ac rebus aliis, etiam argenteis divino aptis cultui pro dote Capellę, & ut in illa pro hujuſmodi ejus anima Miſſa, & alia divina pro tempore celebrarentur officia, aſſignationis antedictę. necnon omnium & ſingulos ad dictam Capellam etiam pro tempore pertinentium bonorum penes aliquem ei conſanguinitate proximiorem perpetuo adminiſtratione relicta; & nihilominus, ne beneficiorum, ſervitiorumque ſibi per ejus familiares, necnon conſanguineos, & amicos exactius impenſorum, ingratitudinis ſibi extaret nota, & ipſius per amplius propterea conditione gravata (8), fore penitus proſpiceretur immemor, debita ad ſingulos conſideratione directa, illis nonnulla, res, pecuniarum ſummas, & bona legavit, atque donavit, mobilia, quemadmodum in quadam Cedula, ſuis propriis manibus ſubſcripta, ac aliis authenticis literis plenius dignoſcitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet ipſe Ferdinandus teſtamenti ſive ultimę voluntatis hujuſmodi executioni intentus, in illa, juxta datam ſibi a Deo prudentiam, ſe exonerare proponat, onus ſibi injunctum, in ea parte cooperante Domino ſalubriter deducendo, ſuper ſufficientis tamen ſubſiſtentia licentię quoad amplexanda per ipſum Epiſcopum teſtamentum, & voluntatem hujuſmodi, dubietatis ſuccreſcente ſcrupulo, ea paſſim dubiiet impugnationi poſſe quomodolibet ſubjacere, pro parte dicti Ferdinandi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper iis opportune
Mandatum. conſulere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, teſtamentum, voluntatem, legata, & donata hujuſmodi; necnon alia ea contingentia, in dicta Cedula, & literis contenta, in quantum alias moderate proceſſiſſe noſcantur, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate noſtra approbes, pariter & confirmes; Non obſtantibus, ſi forſitan ſuper pręmiſſis, aut ali-

Digitized by Google

alicujus eorum occaſione, lis inter Fernandum ipſum, & dilectos filios Capitulum Colimbrien., pendeat indeciſa, & aliis contrariis quibuſcunque. Datum Conſtantię XI Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Conimbricenſis.*) *Coimbra*, in *Luſitania*.
2. *Ulyſſiponen.*) *Lisboa*, in eodem Regno.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. III fol. 276.*
4. *Portugalen.*) Seu *Portus-Calenſis* vulgo, *Portugallo*, urbs eſt Epiſcopalis in *Luſitania*, ſub Archiepiſcopo *Bracarenſi*.
5. *Colimbrien.*) *Conimbricen.*
6. *Ulixbonen.*) Seu *Ulyſſiponen.*
7. *Lecturis.*) Miſſarum nempe Codicibus.
8. *Gravata.*) Turbatus locus.

Privilegia, quibus Johannes (1) Patriarcha Conſtantinopolitanus, S. Sedis Apoſtolicæ Legatus, Monaſterium Prulianum (2) donavit confirmat.

Anno 1418 Die 5 Maii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. IX.

HIs, quę pro tranquillitate perſonarum ſub ſacrę Religionis obſervantia ſtudio vacantium pię vitę, ſalubriter & provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Nuper ſiquidem pro parte dilectarum in Christo filiarum Prioriſſę, & Conventus B. Marię de Pruliano per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Sancti Papuli Diœceſis, Nobis exhibita, petitio continebat, quod olim venerabili Fratri noſtro Johanni Patriarchę (4) Conſtantinopolitano, tunc Adminiſtratori Eccleſię S. Pauli in ſpiritualibus, & temporalibus per Sedem Apoſtolicam deputato, necnon ad Caſtellę, Legionis. ac quędam alia tunc expreſſa Regna, & partes, Sedis prędictę Nuncio, cum plena poteſtate Legati a Latere, deſtinato, habentique ſpecialem per literas Sedis ejuſdem tam in Linguis Occitan. (5) in quibus dictum Monaſterium conſiſtere dignoſcitur, & per quas ipſe etiam tunc in bujuſmodi Nunciatione tranſibat, quam etiam aliis partibus, per quas ipſum, hujuſmodi Nunciatione durante, tranſitum facere contingeret, plenam, pręterquam in Beneficiorum Eccleſiaſticorum collationibus, quandiu poteſtate hujuſmodi fungeretur, facultatem, expoſito, quod in dicto Monaſterio, in quo Prioriſſa, & Conventus arctis utique contentę clauſuris, ſedulum exhibebant Domino famulatum, unus, qui Prior ad ipſius Monaſterii curam & regimen, ac adminiſtrationem in ſpiritualibus, ac etiam temporalibus exercenda (6), alius, qui Sacriſta dicti Monaſterii, alii vero, qui earundem Prioriſſę & Conventus Confeſſores exiſterent, alii vero, qui alia ſibi conſtituta ſubirent officia, Fratres Ordinis Prędicatorum, ſub quorum cura Prioriſſa & Conventus prędictę, ex ſpeciali diſpoſitione Sedis pręfatę vivere conſueverant, haberentur, quos per Magiſtrum, aut ſaltem per Provincię Toloſan. ſecundum morem dicti Ordinis Priorem Provincialem, ſeu alterius eorundem, qui alium in hoc pręveniret, Vicarium poni, & pro ſolo Magiſtri, ſeu Prioris, ſeu Vicarii hujuſmodi nutu, etiam rationabili non ſubſiſtente cauſa, ac interdum invitis, & contradicentibus eiſdem Prioriſſa & Conventu, nunc amoveri, nunc ſuſpendi, nunc vero illis alios novos, & plerunque eiſdem Prioriſſę, & Conventui ignotos, vel etiam ſuſpectos ſubſtitui, quin etiam bona penes ipſos, ſi quando contingebat eos apud dictum Monaſterium decedere, reperta, quęque, ut plurimum, ex ipſo Monaſterio acquiſita fuiſſent, ab inde trahi, ſeu ſibi, vel quibus, aut ubi volebant, applicari, frequenter evenerat, unde pręfatę Prioriſſa & Conventus, ſe, ac dictum Monaſterium frequentes turbationes, incommoditates, ac etiam varia damna ſibi ſenſerant ſępe numero eveniſſe: Idem Patriarcha tunc, ut pręfertur, Adminiſtrator & Nuncius, volens circa pręmiſſa Prioriſſę, & Conventus, ac Monaſterii prędictorum indemnitati ſalubriter providere pariter & quieti, diverſis per eum ſuper his, tam Apoſtolicis, quam aliis viſis, recenſitiſque privilegiis & indultis, ac matura deliberatione pręhabita, cauſiſque, ac meritis, & circumſtantiis ejuſmodi negotii examinatis diligenter, & ſolerter, demum vigore poteſtatis ejuſdem decrevit, ſtatuit, pariter & ordinavit, quod perpetuis futuris temporibus Prior dicti Monaſterii canonice inſtitutus (7), & ad poſſeſſionem, vel quaſi, regiminis, & adminiſtrationis hujuſmodi admiſſus, ab illis, niſi de Prioriſſę & Conventus prędictorum, ac aliorum ex dictis Fratribus, tunc in ipſo Monaſterio degentium, ſive duarum partium eorundem conſenſu, & etiam requiſitione, etiam ſufficienti ex cauſa, & ſummaria cognitione pręmiſſa, abſque Sedis prędictę mandato, ſeu licentia ſpeciali deponi, mutari, & abſolvi, vel amoveri non poſſit, ipſe quoque Prior mores, & honeſtatem, necnon ſufficientiam, & merita illorum ex Fratribus prędictis, qui ad hujuſmodi gerenda officia, & miniſteria utiles, & idonei fuerint, dijudicans, prout ſibi neceſſarium fore, & expediens videbitur, quoſcunque ex ipſis Fratribus, ad prędicta officia, & miniſteria pro tempore deputatos, ab eis, etiam Magiſtri, ſive Provincialis hujuſmodi ſuper hoc licentia minime requiſita, vel obtenta, deſtituere, mutare, ſuſpendere, vel amovere, ac loco ipſorum alios ad hoc voluntarios, & idoneos ibidem ponere, & ſubrogare valeat, alteri cuiuſcunque, eadem inconſulta Sede, id faciendi poteſtate penitus interdicta. Ceterum circa bona Fratrum hujuſmodi, quos apud Monaſterium ipſum, illius obſequiis hujuſmodi inſiſtendo, ex tunc in antea decedere contingeret, ſtatuit & etiam ordinavit, quod illorum una Monaſterio prędicto in ejus, ac earundem Prioriſſę & Conventus uſus, & utilitatem convertenda, ac reliqua, medietates, Conventibus, & locis illis, ubi Fratres ipſi, hujuſmodi deputationibus & obſequiis ceſſantibus, ea acquiſiviſſent, ęquis portionibus, applicentur, prout in quibuſdam authenticis, deſuper confectis literis, ipſius Patriarchę ſigillo munitis, quarum tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, plenius continetur. Quare pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literis, necnon decreto, ſeu conſtitutioni, ac ſtatutis, & ordinationibus pręfatis, pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, lite-

Supplex Monialium petitio.

Alia ſupplex Monialium petitio.

Confirmatio.

literas, necnon decretum, ſive conſtitutionem, ac ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia tenore pręſentium, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes etiam omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; non obſtantibus pręmiſſis necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Tenor vero dictarum literarum talis eſt: Johannes miſeratione divina Patriarcha Conſtantinopolitanus, ad Caſtellę, & Legionis, Aragonię, Navarrę, & Granatę Regna, necnon ad Armagniati (8), & Fuxi (9) Comitatus, cum plena poteſtate a Latere, & facultate eadem utendi in Lingua Occitan., & certis aliis partibus, Nuncius Apoſtolicus ſpecialiter deſtinatus. Ad Futuram Rei Memoriam. Apoſtolicę veritatis eloquium orthodoxę Religionis ſtatus tripertiti eos prępoſuit, quos digna virginitas mundanę ſolicitudinis ob limoſa (10) Deo conſtituit famulari. Hinc Unigenitus Dei Filius cum Patre & Spiritu Sancto carnem aſſumere fragilem, deliberans, Angelo nunciante, & Spiritu Sancto obumbrante ejus Genitricis glorioſam Aulam virginalis uteri primum ingredi maxime dignatus eſt, eam ſibi eligens, quam Sancta Virginitas cęlitus pręſentavit; verum & cupientibus eidem contemplari (11), cujuſcunque ſolicitudinis cura ſemota, evangelica prędicatio conſulit provideri, ne eiſdem humana perſiſtens labilitas, de facili delinquens a vero, a contemplationis gratia, illecebris ſeducta ſeculi, divagetur. Cum igitur univerſalis, & Sacrę Romanę Eccleſię Summus Pontifex, Dominus noſter, Dominus Johannes Divina providentia PP. XXIII, ejuſdem Eccleſię Cardinalium participato conſenſu, ad animarum Chriſti fidelium ſalutem, cultum fidei orthodoxę, ac libertatis Eccleſię ſaluberrimum incrementum, & pacem, ut per effectum deſiderabilis, & integerrimę unionis in Dei Eccleſia, ſublato de vinea Domini lugubri, & inveterato, proh dolor! nimium ſchiſmate, Domino auctore, poſſint hęc omnia provenire, in pręfatis Regnis, Comitatibus, & Terris, ac certis aliis partibus omnes & quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas, & Seculares, ne ſcintilla alicujus negligentię valeret ipſis imputari, reformandi, & quęcunque ad cultum Dei, fidei orthodoxę augmentum, & Apoſtolicę Sedis honorem, obſervantiam canonicarum ſanctionum, integritatem Eccleſię libertatis, reformationem morum, honeſtatis cultum, relevationem & Eccleſiarum conſervationem, pauperum animarum ſalutem, ac corporum tranquillitatem ſpectarent, corrigendi, ſtatuendi, providendi, ordinandi, pręcipiendi, exercendi, ac exequendi, contradictoreſque compeſcendi, quibuſcunque privilegiis & exemptionibus non obſtantibus, cum facultate utendi in partibus linguę Occitan., nobis plenariam contulit facultatem, prout in literis ſuis Apoſtolicis tenoris infraſcripti plenius continetur. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Patriarchę Conſtantinopolitano ad Caſtellę, Legionis, Aragonię, Navarrę, & Granatę Regna; necnon ad Armagniati, & Fuxi Comitatus, ceteraſque Regum Regnorum, & Comitum Comitatuum prędictorum ditioni ſubjectas, ac nonnullas alias partes Apoſtolicę Sedis Nuncio, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. De ſummis cęlorum ad ima mundi deſcendens Unigenitus Dei Filius, ut hominem de laqueo ſervitutis eriperet, in quem ipſum ſuggeſtio impulerat ſerpentina, veſtem noſtrę mortalitatis induit, volens proprii aſperſione ſanguinis incendia perpetui cruciatus extinguere, ac ſuos ęterna morte poſſeſſos, vitę perennis efficere poſſeſſores, qui commiſſę ſibi legationis in regione peccatorum exercens officium, in univerſum mundum Diſcipulos, quos elegerat, deſtinavit, creaturę omni Evangelium prędicans, Vicarium ſuum inſtruens, ut ejus exemplo nonnunquam alios in partem ſolicitudinis advocaret, ubi officii ſui debitum corporali abſentia ſolvere prohiberetur; licet enim Nobis ſit poteſtatis plenitudo commiſſa, fines tamen humanę poſſibilitatis exire non valemus, ut, dum in parte una officium exercemus, injunctum, illud alibi proportionaliter exequamur, quia lex humanę conditionis non permittit, perſonam eandem ſimul in diverſis partibus exiſtendo, creditam ſibi exequi poteſtatem, nec etiam patitur vis naturę corpus unum eodem tempore locis pluribus comprehendi; unde cum ſuſcepti cura regiminis, Nos univerſis Chriſti fidelibus conſtituat debitores, ne abſentes negligentia relinquamus, ad ipſos interdum perſonas idoneas dirigimus, & prudentes. Sane inter cetera deſiderabilia cordis noſtri, ſalutem animarum, cultum fidei orthodoxę, ac ejus, & libertatis Eccleſię ſaluberrimum incrementum, ac pacem per effectum deſiderabilis, & integerrimę unionis in Dei Eccleſia, ſublato de Vinea Domini Sabaoth lugubri & inveterato, proh dolor! nimium ſchiſmate, divina ſuper illuſtrante clementia, emerſuram, ad quod ſuprema deſideria noſtra tendunt, cunctis Chriſti fidelibus potiſſime cupientes, ſedula vigilamus ſolertia, & quod poſſumus diligentię adhibemus, ut poſſint laudabiliter, ſemotis impedimentis quibuslibet juxta noſtri deſiderii plenitudinem, auctore Domino, provenire, & maxime in Caſtellę, Legionis, & Aragonię, Navarrę, & Granatę Regnis, necnon in Armagniati & Fuxi Comitatibus, ceteriſque Regum Regnorum, & Comitum Comitatuum prędictorum ditioni ſubjectis, & nonnullis aliis partibus, & ut Regnum ipſum Granatę, cum Rege & incolis Regem Regum agnoſcant & Dominum, ac gregi fidelium conjungantur, ad quę eo avidius oculos providentię paternę convertimus, quo, ſicut ex ipſorum turbatione multorum ſequitur adverſitas populorum, ita per ipſorum reformationem, & unitatem, & redintegrationem, ad noſtram & ipſius Eccleſię obedientiam, & aggregationem ad ovile dominicum, regnicolarum dicti Granatę Regni multis aliis Regnis, & populis, proſperitatis & pacis ſperamus commoda reſultare. Ut igitur ipſa Regna, & partes eo magis in Dei & Eccleſię devotione proficiant, atque noſtra, quo ſpecialius per Sedem Apoſtolicam, veluti Matrem, ſe viſitationis beneficio conſpexerint refoveri, ecce ad te, potentem quidem opere & ſermone, quem in magnis expertum & arduis, eximia circumſpectione, induſtria, probitate, & fidelitate probatum, gratiarum dono, ſcientię magnitudine, induſtrię claritate, maturitate conſilii, morum elegantia, & aliis grandium virtutum titulis inſignitum, in cujus affectibus gerimus, prout indubitanter tenemus, ſedare fluctuantes turbines, & juſtitię terminos colere, humiliare ſuperbos, rebelles, & inobedientes compeſcere, & errantes ad viam reducere veritatis, te pro tuarum conſideratione virtutum, tibi a Domino in abundantia conceſſarum, ad Regna, Comitatus, & partes illas tanquam pacis Angelum, de Fratrum noſtrorum conſilio, tibi in Regnis, & Co-

Tenor Diplomatis Nuncii.

Comitatibus, ac partibus ipſis vices noſtras, ac plenę Legationis officium, cum poteſtate Legati de Latere, committendo, ut in ipſis evellas, deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ędifices, atque plantes, deformata reformes, indirecta dirigas, & corrigenda corrigas, ac ſtatuas in nomine Domini, prout cęleſtis gratię infuſio, tuaque tibi providentia, miniſtrabunt, providimus deſtinandum; firma tenentes fiducia, quod actus tuos dirigente qui novit prava in directa, & aſpera in vias planas convertere, per tuę circumſpectionis induſtriam periculis, & diſcriminibus, quę ex commotionibus, ac perverſitatibus ſchiſmatis, atque guerris in dictis partibus, procurante pacis ęmulo, exortis, poſſent veriſimiliter evenire, poteris laudabiliter obviare: tibi inter quaſcunque perſonas Eccleſiaſticas & Seculares, in dictis Regnis & partibus, bonum pacis & concordię reformandi, & quęcunque ad cultum Dei, orthodoxę fidei augmentum, & Apoſtolicę Sedis honorem, obſervantiam canonicarum Sanctionum, integrationem Eccleſię libertatis, extirpationem diuturni ſchiſmatis, eventuram concluſionem integerrimę unionis hujuſmodi, reformationem morum, honeſtatis cultum, relevationem Eccleſiarum pauperum, animarum ſalutem, tranquillitatem corporum, & robur ſtatus proſperi Regnorum, Comitatuum, & partium earundem quomodolibet pertinebunt, corrigendi, ſtatuendi, providendi, ordinandi, pręcipiendi, & exercendi, ac etiam exequendi, & nihilominus contradictores quoslibet & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, quibuſcunque privilegiis, indulgentiis, exemptionibus, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum conceſſis, per quę nullum cuicunque cujuſcunque ſtatus, conditionis, vel Ordinis, etiam Ciſtercienſis, Cluniscenſis, Pręmonſtratenſis, Grandimontenſis, Cartuſienſis, Vallis Umbroſę, Camaldulenſis. Humiliatorum, Sancti Benedicti, & Auguſtini, Hoſpitalis S. Johannis Jeroſolymitani, Sanctę Marię Teutonicorum, & Calatraven., ſeu quorumvis aliorum Ordinum exiſterent, quibus in hac parte nolumus afferri ſuffragium, nequaquam obſtantibus, plenam, & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Quocirca fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta tenore pręſentium mandamus, quatenus injunctum tibi miniſterium laborum hujuſmodi pro divina, & dictę Sedis, atque noſtra reverentia devote ſuſcipiens, ſic illud viriliter, ſicque ſollicite, & laudabiliter, juxta datam tibi a Deo prudentiam exequaris, quod de tuis laboribus, cęleſti favente clementia, deſiderati fructus adveniant, quos ſperamus, tuque illam, quę pias cauſas gerentibus cęleſti retributione rependitur, feliciter conſequi palmam glorię merearis. Nos enim ſententias, quas rite tuleris, & pęnas quas inflixeris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romę apud S. Petrum XV Kalen. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio (12). Johannes Epiſcopus Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Patriarchę Conſtantinopolitano, Apoſtolicę Sedis Nuncio, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum te ad Caſtellę, Legionis, Aragonię, Navarrę, & Granatę Regna; necnon Armagnisti, & Fuxi Comitatus, ceteraſque Regum Regnorum, & Comitum Comitatuum prędictorum, ditioni ſubjectas, ac nonnullas alias partes pro nonnullis magnis & arduis noſtris, & Romanę Eccleſię negotiis, ac pro ſalute & pace Regum, Comitum, Principum, Magnatum, & juſtitia Populorum Regnorum, Comitatuum, & partium prędictarum pręſentialiter deſtinemus; Nos volentes tuam per amplius honorare perſonam, & per honorem tibi exhibitum perſonis etiam Regni Portugallię, ac Terrarum Regis ejuſdem Regni, ipſius dominio ſubditorum, necnon partium Linguę Occitan., ac Civitatis & Diœceſis Lugdunen., per quę ad Regna, Terras, & partes dictę tuę Nunciationis accedendo, vel redeundo de ipſis, tranſitum te facere contigerit, providere; Fraternitati tuę a die a te accipiendi itineris ad Regna, Terras, & partes hujuſmodi Nunciationis, accedendo, ſeu etiam ab eis ad Nos, & Romanam Curiam redeundo, quamprimum Regnum Portugallię, Terras, partes, Civitatem, & Diœceſim prędictas te intrare contigerit, in eis quoad omnes, & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, Seculares, vel Regulares, exemptas, & non exemptas, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, conditionis, vel pręeminentię fuerint, etiamſi Pontificali, aut alia qualibet pręfulgeant dignitate, in eiſdem Regno Portugallię, Terris, Partibus, Civitate, & Diœceſi quomodolibet degentes, aliis Terris, partibus, Civitatibus, Diœceſibus, ac Provinciis, quibuslibet, Cardinalibus, Vicariis, Legatis, aut Nunciis Sedis pręfatę per Nos hactenus commiſſis duntaxat exceptis, hujuſmodi Nunciationis officium exercendi, ac omnibus, & ſingulis facultatibus, juriſdictionibus, & earum qualibet in partibus Nunciationis prędictę tibi quomodolibet conceſſis, quas, & earum tenores pręſentibus pro expreſſis, ac ſpecifice pro declaratis haberi volumus, quoties eidem Fraternitati tuę videbitur, plene, & libere, pręterquam in collationibus Beneficiorum, officiorum, Dignitatum, & Adminiſtrationum Eccleſiaſticorum, necnon Canonicatuum & Prębendarum, utendi, ac omnia & ſingula, in eiſdem facultatibus, & noſtris Apoſtolicis ſuperinde confectis literis contenta, per te, vel alium, ſeu alios, exercendi, & exequendi communiter, vel diviſim, pro tuę libitu voluntatis, perinde ac ſi ad Regnum Portugallię, Terras, partes, Civitatem, & Diœceſim prędicta delinatus Nuncius exiſtiſſes, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac aliis in contrarium facientibus, non obſtantibus quibuſcunque, plenam & liberam tenore pręſentium concedimus facultatem. Datum Romę apud Sanctum Petrum XV Kal Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Poſtmodum vero nobis exiſtentibus Toloſę iter Nunciationis Nobis injunctę peragentes pro parte Religioſarum Prioriſſę & Sororum Monaſterii B. Marię de Prullano Ordinis S. Auguſtini, Sancti Papuli Diœceſis, ſub cura Fratrum Prędicatorum ex conceſſione Apoſtolica exiſtentium, nobis exhibita petitio continebat, quod cum ipſę intimę affectionis deſiderio, hujus mundanę molis abjectis concupiſcentia oculorum & vitę miſerabilis ſuperbia, ſolum Deum cupientes contemplari, ac inquietudinis cura poſtpoſita, caritatis pennis otium poſſidentes, ſibique ipſis quaſi abnegatis, ſolum Deum inſequendo, ſe ſtrictiſſimis, ſupponendo clauſuris, arctam ſervant Regulam, ut liberius Altiſſimo Creatori quotidianas laudes concinant, ob quod dudum ſtatutis Apoſtolicis, & mandatis, mundanarum rerum earum ac ſolicitudinum regimen & cura, tam in ſpiritualibus, quam temporalibus Priori Conventus earundem Ordinis Prędicatorum pręfati commiſſa eſt, adjunctis eidem certis aliis Fratribus ejuſdem Ordinis circa gerenda officia, quidam Sacriſtę, alii Confeſſores, alii ſuo ordine ſervientes, qui Prior, ceterique Fratres ſolo nutu, & voluntatis arbitrio Nota.

per Magiſtrum Generalem dicti Ordinis Prędicatorum, Provincialem Toloſanum (13), aut Vicarium ſolent poni, & deponi, inſtitui, deſtitui, mutari, ſuſpendi, & abſolvi, ut aſſerunt, & prętendunt, ſine aliqua cauſę cognitione, & dictis Prioriſſa & Sororibus invitis, & contradicentibus: Quod ſi aliquoties attentatum extitit .... (14) ſcandalorum, & novitatum, & damna irreparabilia Monaſterio ſunt ſecuta, & poſſent inſequi modernis temporibus graviora, cum Prior ad extremum potentię jura earundem, & Monaſterii redditus, & poſſeſſiones inſequi, proſequi, defendere, ſeu augmentare teneatur, a ſuis inſtitutoribus aliquid inſequi prohibitus in perſonę odium potius, aut amorem, quam Monaſterii pręfati utilitatem, vel favorem, ſeu a dictis Generali, Provinciali, aut Vicario prędictorum, Prioriſſę, aut Sororibus, vel Monaſterio ſuper jugum impoſito gravamine, vel injuſte oppreſſis, plerumque manerent indefenſę, dubitans ipſe Prior ſui ſuſpenſionem, ſeu depoſitionem, aut aliam vexationem; a qua multoties noſcitur ſe redemiſſe, prędictis inſtitutoribus bonorum Monaſterii diſtributione facta, quod in Monaſterii earundem Prioriſſę, & Sororum vertitur prędjudicium, & bonorum communium diſſipationem, & de facili talibus repetitis mutationibus redditus earundem, & poſſeſſiones prolaberentur in ruinam, & maximam diminutionem, cum & Prior prędictus attendens, ea poſtpoſita diligentia requiſita, potius ſibi accumulare, quam de futuris Monaſterio providere, quodque ceterorum Fratrum mutatio, ſeu ſuſpenſio, quę etiam inſcio Priore, qui eorum merita novit, & experimento didicit, ſic ſępiſſime pręfatas Sorores a confeſſionibus ſuis, & ab aliorum Sacramentorum ſuſceptione fecit eſſe remiſſas, in animarum ſuarum periculum non modicum, ex eo quod quandoque Confeſſores inſtituantur, qui multoties exoſi habentur, etiam quod alias alienatio, & mutatio plerumque dignoſcitur cauſam prębuiſſe ſcandalis; inſuper ſubjungentes, quod pręfatis Confeſſoribus, Sacriſtis, ceteriſque Fratribus in dicto Monaſterio degentibus mortalitatis ſuę dies claudentibus extremos eorum bona, pręfato Provinciali, Generali, aut Vicario mandantibus, Monaſterio, ſeu Conventui a quo proceſſerunt applicantur, aut eiſdem Generali, vel Provinciali devolvuntur, quod videtur abſonum, & in dictarum Prioriſſę & Sororum Monaſterii maximum gravamen, cum ex bonis ipſarum, & Monaſterii proveniant, per quę paratur deſtructio, & paratur annihilatio dicti Monaſterii, & Religionis earundem, dubitantes id ſępiſſime evenire poſſe, ſibi ipſis, ac Monaſterio volentes proſpicere, nobis humiliter ſupplicarunt, ad bonorum ſuorum atque Monaſterii conſervationem, ſuper pręmiſſis de remedio providere opportuno. Nos igitur a pręfata Nunciatione redeuntes ad prędictum Monaſterium Pruliani, ut de ſingulis plenius inquireremus, ſumma utique diligentia & mature examinatis, & exquiſitis circumſtantiis ſingulorum de dictis inconvenientibus, providendo, ne aliquid non viſum alias facere videremur, aut non conſonum rationi, ad pleniorem informationem per pręfatas Prioriſſam, & Sorores nobis extitit pręſentata quędam litera Apoſtolica quamplurimum faciens ad ſuppoſitam materiam tenoris infraſcripti. Clemens (15) Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Guillelmo Guarici, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Priori Monaſterii Beatę Marię de Pruliano, Ordinis S. Auguſtini, Sancti Papuli Diœceſis, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis & virtutum merita, ſuper quibus apud nos fide digno commendaris teſtimonio, nos inducunt, ut te favore Apoſtolico proſequamur. Sane petitio pro parte tua nobis exhibita continebat, quod olim Prioratu Monaſterii B. Marię de Pruliano, Ordinis S. Auguſtini, Sancti Papuli Diœceſis, in quo propter Prioriſſam pro tempore exiſtentem, & dilectas in Chriſto filias Sorores dicti Monaſterii, quę ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum, vivunt, unus Prior & nonnulli Fratres dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum fore noſcuntur, ex eo vacante quod dilectus filius Helias (16) Magiſter dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum dilectum filium Hugonem de Verduno, olim ipſius Monaſterii Priorem, a dicto Monaſterio amoverat, idem Helias Magiſter, ad quem dicti Monaſterii regimen, necnon Prioris inſtitutio, deſtitutio, ac deputatio ex privilegio (17) Sedis Apoſtolicę pertinet, te in Priorem dicti Monaſterii per ſuas certi tenoris literas inſtituit, & deputavit ad eundem, regimen, & adminiſtrationem dicti Monaſterii plenarie committendo, qua etiam tibi commiſſa, conceſſit, ut per quemcunque Provincialem Provincię Toloſanę, qui tunc erat, vel eſſet, ſeu Vicarios dicti Magiſtri, vel Priorum Provincialium quoſcunque, aut Provinciale Capitulum a Prioratu dicti Monaſterii amoveri, mutari, ſuſpendi, aut abſolvi non valeres quoquo modo, te etiam quoad hoc ab eorum poteſtate eximendo, tuque hujuſmodi inſtitutionis, & deputationis vigore, dictum Prioratum fuiſti pacifice aſſecutus, & eum ex tunc rexiſti; prout regis de pręſenti, & tandem bonę memorię Nicolaus (18) tit. S. Martini in Montibus Presbyter Cardinalis de mandato noſtro facto ſibi ſuper hoc oraculo vivę vocis, inſtitutionem, deputationem, & commiſſionem prędictas per ſuas certi tenoris literas auctoritate Apoſtolica confirmavit. Cum itaque, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tu dubites a Magiſtro, ſeu Provinciali dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum in Provincia Toloſana, qui ſunt, aut erunt pro tempore, te poſſe ſuper dicto Prioratu in poſterum moleſtari, aut ab eodem Prioratu per Magiſtrum, aut Provincialem prędictos amoveri; nos, volentes te pręmiſſorum meritorum tuorum intuitu favore proſequi gratioſo, tuis, ac Prioriſſę, & Sororum prędictarum, pro te nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantium, in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & tibi auctoritate Apoſtolica concedimus, quod a dicto Prioratu per Magiſtrum, aut Provincialem prędictos, aut per alium quemcunque dicti Ordinis, quandiu vixeris, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, ſuſpendi nequeas, aut etiam amoveri. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Datum apud Caſtrum Novum, Avinionen. Diœceſis, VIII Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Et deinde litera inſtitutionis Prioris in forma, qua fieri conſuevit, cujus tenor ſequitur. In Dei Filio ſibi cariſſimo Fratri Bernardo Savi Ordinis Fratrum Prędicatorum Vicario Monaſterii B. Marię de Pruliano, Sancti Papuli Diœceſis, Frater Petrus ejuſdem Ordinis in Provincia Toloſana Prior Provincialis, ſalutem, & unitatem ſpiritus in vinculo pacis. Cupientes affectu benevolo dicto Monaſterio Pruliano de bono & ſufficienti Capite, Rectore & Paſtore pro viribus providere juxta indulta Apoſtolica, hinc eſt, quod ego prędictus Prior Provincialis auctoritate Apoſtolica mihi in hac parte commiſſa, de magno, & ſolemni conſilio Patrum

de-

deſcriptorum noſtri Sacri Ordinis venerabilem Patrem Fratrem Bernardum Savi Conventus Ruthenę (29) nunc Vicarium prędicti Monaſterii de Pruliano, de cujus probitate, & ſufficientia pro regimine dicti Monaſterii fiduciam plenam in Domino gero, in Priorem, Reformatorem, viſitatorem, & Rectorem Monaſterii ſupradicti inſtituo, ordino, & facio, per tenorem pręſentium committentes eidem Fratri Bernardo omnimodam curam & regimen pręfati Monaſterii tam in ſpiritualibus, quam temporalibus, ſecundum indulta Romanorum Pontificum, mandans Fratribus, & Sororibus dicti Monaſterii, quatenus eidem obediant, & ipſum in verum Priorem recipiant, & acceptent, nolens, quod aliquis me inferior in pręmiſſis valeat ipſum impedire aliquo modo, in quorum omnium pręmiſſorum firmitatem, & teſtimonium mei officii ſigillum duxi pręſentibus apponendum. Bene valete, & pro me exorate Dominum. Datum in dicto Monaſterio Pruliano X Menſis Januarii, Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo decimo. Attentis ſiquidem pręfatis Bulla & litera inſtitutionis, quę vim & formam teſtimonii perpetui habere noſcitur, & quod induſtria, & operę Prioris, qui pręficitur regimini ipſius Monaſterii, dantur & aſſignantur in favorem ipſarum Priorillę & Sororum, per quę excluditur revocabilitas voluntaria, & ſine cauſa, maxime ipſis Priorilla, & Sororibus contradicentibus, & quod de aſſertis nobis ſummarie conſtitit, pronuntiando decrevimus providendum ſuper ipſis, unde ad perpetuam defenſionem, & conſervationem dicti Monaſterii, futuris obviando periculis, & inconvenientibus, auctoritate Apoſtolica, qua fungimur in hac parte. & virtute plenę poteſtatis Legati a Latere, quoad etiam ſpiritualium facultatum ab eadem nobis conceſſarum, ſtatuimus, & ordinamus, quod Prior dicti Monaſterii, qui eſt, aut pro tempore fuerit inſtitutus per Magiſtrum Generalem Ordinis Prędicatorum, Provincialem Toloſanum, ſeu Vicarium pręfatos, ad hoc poteſtatem habentem canonice, & ſecundum quod hactenus obſervatum eſt (20), & fieri conſuevit, & ad poſſeſſionem adminiſtrationis, & regiminis ſibi commiſſi rite fuerit admiſſus, nullatenus poſſit, aut valeat, a ſua adminiſtratione, vel officio ſuſpendi, deponi, mutari, abſolvi, vel moveri, niſi de dictorum Priorillę, Sororum, ceterorumque Fratrum in dicto Monaſterio degentium, & qui erunt pro tempore, aut duarum partium eorundem conſenſu, & ipſis requirentibus, ſufficienti tamen cauſa, & cognitione ſummaria pręmiſſis, abſque S. Sedis Apoſtolicę ſpeciali licentia, & mandato: ſtatuimus inſuper, quod Prior ſic inſtitutus, & admiſſus, ad quem ſpectant cura & regimen, atque onus totalis (21) adminiſtrationis, & novit, quę ſufficientia, mores, & honeſtas requirantur in Fratribus, qui ad ſibi ſubveniendum in dicto Monaſterio advocantur, quod Fratres hujuſmodi, qui ſunt, aut fuerint pro tempore, ſive ſint deputati ad dictarum Priorillę, & Sororum confeſſiones audiendas, ſive ad alia officia exercenda mancipati, ſicut novit eſſe neceſſarium, vel expediens, poſſit, & valeat, omnes & ſingulos remittere ad Conventus a quibus receſſerunt, venientes ad prędicta officia, ſive Monaſterium mutare, deponere, & ſuſpendere, & alium, ſeu alios, loco ſuſpenſorum, vel ſic remiſſorum ſubſtituere, ponere, & de ſingulis Conventibus Provincię Toloſanę, ubi repererit Fratrem dicti Ordinis ad hoc idoneum, & voluntarium, advocare, licentiare & in loco ſic remiſſi ponere, dicti Magiſtri, aut Provincialis Toloſani, minime requiſita, aut obtenta licentia, nec per alium poſſint, aut valeant advocari, vel ſuſpendi pręfata Sede Apoſtolica inconſulta. Pręterea, ęquitate ſuadente, ſtatuimus, & ordinamus, quoad bona Fratrum in dicto Monaſterio degentium, qui ſunt, aut fuerint pro tempore in ipſo Monaſterio, ſive in ipſius obſequiis inſiſtendo decedentium, medietas bonorum, quę pro tempore ſui exceſſus habuerint, ſpectet, & pertineat pręfato Monaſterio, convertenda in ipſius & dictarum Priorillę & Sororum utilitatem, alia vero medietas Conventibus, ſive Conventui, cui applicata fuiſſent, ſi ad ſerviendum in dicto Monaſterio vocatus non fuiſſet, applicetur, quibuſcunque conſuetudinibus, ſtatutis, vel ordinationibus dicti Ordinis in contrarium editis non obſtantibus. Si quis autem auſu temerariò contra hujuſmodi ſtatutum, & ordinationem noſtras, immo verius Apoſtolicas, venire pręſumpſerit, aut in aliquo infringere attentaverit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrat, quam ex nunc ſtatuimus fore latam, & pręfata auctoritate ferimus, a qua non poſſint abſolvi pręterquam in mortis articulo niſi per Romanum Pontificem. Datum Pruliani Sancti Papuli Dięceſis XVII Kal. Septembris, Pontificatus dicti Domini noſtri PP. Johannis XXIII Anno Quinto. Nulli ergo &c. Si quis autem &c. Datum Conſtantię III Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

1. *Johannes.*) *De Rupeſciſſa*, vulgo *de la Roche taillee*, nuncupatus, quem *Martinus V* S.R.E. Cardinalem poſtea creavit. Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXVII pag.* 841.

2. *Prulianum.*) Conſulendæ *Conſtitutio Unica Innocentii III Tomo I pag.* 1, & Conſtitutio *Martini V data XXV Martii MCCCCXX.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico*.

4. *Patriarchæ.*) Hoc titulo donatus erat a *Johanne XXIII* ut liquet ex Inſtrumento in hoc Diplomate inſcripto. Emendandus ergo *Ciaconius*, vel potius *Oldoinus* apud *Ciaconium* mox citatum docens, *Johannem de Rupeſciſſa* Patriarcham renunciatum fuiſſe a *Martino V*.

5. *Linguis Occitan.*) Vulgo *Languedoc*. Provincia eſt *Galliarum* Regni. Adeas *Catellum Hiſtor. Occitan. Lib. I pag.* 39, & 40. Quia autem duplex eſt *Occitania*, Superior una, vulgo *Haut Languedoc*, Inferior alia, ſeu *Bas Languedoc*, hinc de *Linguis Occitanis* hic mentio.

6. *Exercenda.*) Nota Priorem *Pruliani* Monaſterii non ſolum *Spiritualium*, ſed etiam *temporalium adminiſtratorem* eſſe. Vide *Notas ad Conſtitutionem unicam Innocentii III*, & *ad Primam Honorii III*.

7. *Canonice inſtitutus.*) Electus ſcilicet vel a Generali Magiſtro Ordinis, vel a Conventu Monialium ſimul & Fratrum, ſuffragiis latis via Scrutinii, & a Magiſtro Generali totius Ordinis confirmatus, ut liquet ex *Mſ.* inter *Monumenta Monaſterii Pruliani* aſſervato in *Archivo Ordinis*. Ibidem mentio Senatus conſulti, ſeu *Arreſti*, ut loquuntur, Magni Conſilii Regis *Franciæ*, Dati anno *MDXXVII* die *XXII* Januarii: In quo refertur, *quod Moniales Prulianæ ſemper elegerunt ſuum Priorem, earumque electiones fuerunt Confirmatæ, & ipſi rexerunt, poſſederunt, & gubernaverunt Spirituale & temporale dicti Monaſterii. Quidque ante annum illum MDXXVII mortuo Fratre Antonio de Cleda, ultimo Priore, & Prioratu vacante, Moniales, & Fratres Monaſterii proceſſerunt ad electionem ſui futuri Prioris, qui fuit Frater Adrianus de Milly, qui fuit confirmatus tam a Generale Ordinis, quam a S. Sede Apoſtolica*. Hinc alio Senatus conſulto ejuſdem Supremi Conſilii, a Rege Chriſtianiſſimo confirmato anno *MDCXXVIII* ſancitum eſt, quod *vacante per mortem officio Prioris, vel per abſolutionem a dicta adminiſtratione, providebitur de alio Priore per dictum Generalem, vel ejus Vicarium, ad nominationem & electionem dictarum Religioſarum, vel majoris partis*, & Fratrum ibidem degentium.

8. *Armagniati.*) Seu *Arminiacenſis*, vulgo *Armagnac*, in *Aquitania*.

9. *Fuxi.*) Vulgo *Foix* in *Occitania*.

10. *Ob limoſa.*) Turbatus locus.

11. *Ei-*

11. *Eidem Contemplari.*) Fortaſſis *complacere*; vel, *eadem contemplari*.

12. *Pontificatus Anno Tertio.*) Chriſti *MCCCCXIII.*

13. *Provincialem Toloſanum.*) Juris ergo Provinciæ *Toloſanæ* tunc erat Monaſterium *Prulianum*. Id ex his, quæ ſequuntur hoc in Diplomate, liquet.

14. *Extitit...*) Quædam hic deſunt. Adderem: *Seminaria*.

15. *Clemens.*) *VII*, Antipapa.

16. *Helias.*) *Elias Raymundi Toloſanus*, de quo conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXVII pag.* 660.

17. *Privilegio.*) De quo dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

18. *Nicolaus.*) Natione *Gallus*, patria *Claromontanus*; Ordinis Prædicatorum alumnus fuit *Nicolaus de S. Saturnino*, quem Pſeudo-Cardinalem creaverat *Clemens* Antipapa. Nota quod Titulo *S. Martini in Montibus* donatur. Hinc emendandus *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in Clemente VII Antipapa pag.* 676.

19. *Ruthenæ.*) *Rutenis*, vulgo *Rodez*, in *Gallia Aquitanica*.

20. *Hactenus obſervatum eſt.*) Hinc firmatur *Nota XIII.*

21. *Onus totalis.*) Hinc patet, quænam ſit auctoritas Prioris *Pruliani* Monaſterii.

Anno 1418
Die 7 Maii.

Asloenſi (1), & Verionenſi (2) Epiſcopis, ut de Vita, & Miraculis recolendæ memoriæ Nicolai Lincopenſis (3), & Brymulphi (4) Scarenſis (5) Epiſcoporum, ac Ingridis (6) Monialis Ordinis Prædicatorum, quæſtionem inſtituant.

Ex Archivo (7) *Ordinis.*

X.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Asloenſi, ac Verionenſi Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

QUoniam ineffabilis virtutum cęleſtium, proceręque celſitudinis, internę lętitię veritate plantantis, ſummi, circumdati agminibus, Patris providentia, licet, in hoc defluentis, & ad exitum continuo properantis mundi, flatu recti cenſura judicii cuncta regens, omnes formans, graduſque plaſmatorum diiudicans, ſingulis diverſa diſtribuat, & in hoc proceiloſo curarum pelago hunc humiliet, & hunc exaltet, iſtum deiici permittat ad infima, illumque ad ſumma rerum faſtigia magnitudine dignitatum attollat, dum naſcentis dies mortis indicitur, & per latentes ſubdoloſque diſcurſus hujus vitę noſtrę mortalitas ad extremum diem propulſi temporis mobilitate captatur, operum, geſtorumque, remedia, & auxiliaria commoda ſalvando cętui perſtringit duntaxat profutura, congruit profecto, ut ultimum labentis vitę noſtrę diem, quem feſtinatis curſibus properare ſentimus, piis prętvenire geſtientes operibus, & ex eorum, quos in hoc blandienti, captioſoque ſeculi tramite, curſu conſummato ex miſeriarum acervo, ad cęleſtem patriam immarceſſibilibuſque deliciis Altiſſimi pręſentiam veniſſe pie creditur, acceptabilia acquirentes ſuffagia, illos, ut etiam eorum adjuti patrocinio, ipſius patrię poſſeſſores efficiamur, & hęredes, ſtudiis honorare ſolicitis, & ſonoris efferre pręconiis nullatenus omittamus. Dudum ſiquidem cum pro parte dilectiſſimi in Chriſto filii noſtri Erici (8) Swetię (9), Dacię (10), & Norvegię (11) Regis Illuſtris, ac venerabilium Fratrum noſtrorum Upſalenſis (12), Lundenſis (13), & Nidroſienſis (14), Archiepiſcoporum, necnon Suffraganeorum (15) Provincię Upſalenſis, ac dilectorum filiorum nonnullorum Capitulorum, & Conventuum Eccleſiarum, & Monaſteriorum, necnon Procerum, aliorum Nobilium, & Communitatum quarundam Civitatum Regni Swetię juxta ſeriem quarundem literarum per illos Baldaſari, in ſua obedientia, de qua partes illę tunc erant, Johanni XXIII, ſuper hoc ſpecialiter directarum, coram Generali Conſtantienſi Synodo, poſtquam ipſe Baldaſar hujuſmodi obedientię, pręſidere deſierit, & antea ſibi hujuſmodi literis minime pręſentatis expoſitum extitiſſet, quod celebris, & recolendę memorię Nicolaus Lincopenſis, Brymulphus Scarenſis Epiſcopi, ac Ingridis Monialis Monaſterii Monialium Skrenugen., (16), Ordinis S. Auguſtini ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium Lincopen. Diœceſis dum in hujus ęrumnoſę peregrinationis exilio mortali vita potirentur, non humanis favoribus obſequi, ſed puro corde, ſinceraque mente divinis oculis complacere ſtuduerant, & per auſteritatem jugis pęnitentię corporum artus ſuorum ſpiritui ſervire cogentes, lubricę carnis contempſerant illecebras, declinaverant a voluptatibus, pudicitię conjuncti fuerant, & ſpreta fallaci gloria mundi, per devotę orationis exercitium, & laudabilium virtutum opera ſummo judici, Deo famulatum impendere, ac ſibi ipſis, & aliis ad ęternę vitę merita proficere conati erant indeſeſſe verbis pariter, & exemplis, non quęſierant opibus, ſed ſpiritualibus gratiis, & bonis moribus abundare, quibus jugiter, & converſatione ſe pios, prudentes, humiles, ſobrios, & caſtos, erga Deum ſumma veneratione devotos, erga vere pauperes, & loca pia caritate non ficta largifluos, conſtantes, in fide, ſacra ſpe plenos, & aliis virtutibus claros eſſe probaverant; propter quod mirabilis Deus in Sanctis ſuis, & faciens mirabilia magna ſolus, per glorioſa eorundem Nicolai, Brymulphi, & Ingridis merita, tam ipſis in humanis agentibus, quam etiam poſt eorum felicem tranſitum ab hac luce in variis locis Swetię, diverſiſque temporibus, miracula dignatus fuerat operari, honorans illos in terris, quos, ut pie credebatur, coronaverat in excelſis, ac ex parte Regis, & aliorum exponentium prędictorum ipſi Synodo humiliter ſupplicato, ut aliquibus ex Sanctę Romanę Eccleſię Cardinalibus, & aliis Pręlatis in dicta Synodo exiſtentibus, quod ſe de vita, & meritis pręfatorum Nicolai, Brymulphi, & Ingridis, ac hujuſmodi Miraculis informarent, & ea quę per hujuſmodi reperirent informationem, eidem Synodo referre curarent, & deinde, ſufficientibus, & exquiſitis meritis ad hoc ſuffragantibus, ipſi Nicolaus, Brymulphus, & Ingridis aliorum Sanctorum Catalogo aſcribi, & aggregari poſſent, committere dignaretur; ipſa Synodus Nobis, tunc minori fungentibus officio, & dilecto filio noſtro Petro (17) tit. S. Criſogoni Presbytero Cardinali, ac venerabili Fratri noſtro Jacobo (18), Epiſcopo Laudenſi, necnon dilectis filiis Johanni de Jarſono (19) Cancellario Eccleſię Pariſienſis, Lamberto de Gelria (20), Petro de Pulca (21), Wilhelmo Slync (22), & Johanni Blocvvell (23), in Theologia profeſſoribus, in eadem Synodo pręſentibus, vivę vocis oraculo commiſit, ut literis au-

Supplex Regis Sveciæ, Cleri, aliorumque petitio.

Conſtantienſis Synodus Generalis de eodem negotio quæſtionem decernit.

authenticis, necnon libellis, & inſtrumentis publicis per Regem, & alios exponentes prędictos, ſuper hoc deſtinatis per eos viſis, & examinatis, ſuper pręmiſſis omnibus ſe diligenter informarent, & omnia, quę per eandem reperirent informationem, ipſi Synodo fideliter referre curarent. Qui quidem Commiſſarii Procuratoribus Regis, & aliorum exponentium prędictorum, negotium hujuſmodi proſequentibus, eiſdem literis, necnon libellis, & inſtrumentis publicis, per eos diligenter viſis, & examinatis, ea quę exinde repererunt de vita, & meritis, necnon fama, & devotione Populi, & miraculis hujuſmodi tam in vita, quam poſt mortem eorundem Nicolai, Brymulphi, & Ingridis, quę ipſe Deus ad eorum preces, ut credebatur, operatus fuerat, & in dies operabatur, ſerioſius referre curarunt, ipſaque Synodus attendens, quod de fama pręmiſſorum, ac devotione Populi, necnon vita, & meritis dictorum Nicolai, & Ingridis, ac Miraculis, ſupradictis per hujuſmodi informationem receptam plene liquere non poterat, quodque Eccleſię Militanti difficillimum redderetur agnoſcere ſpiritum glorificandum (24) in Eccleſia triumphanti, & quod propterea expediens videretur in talibus ea gravitate procedi, qua ipſa non deciperetur Eccleſia Militans, & virtutum mater juſtitia non lęderetur, ſed in re tanta cum abundantiori cautela, & majori maturitate procederetur, vobis (25) ſuis dedit literis (26) in mandatis, Mandat ut ſupra. quatenus ad loca, quibus prędicti Nicolaus, Brymulphus, & Ingridis fuerant, dum in humanis agerent, converſati, & ad illa, ubi eorum corpora requieſcunt, perſonaliter accedentes, de fama pręmiſſorum, ac devotione populi, vitaque, & meritis antedictis, ac miraculorum hujuſmodi crebreſcentia, veritateque, & eorum circumſtantiis univerſis juxta datam vobis a Deo prudentiam, a teſtibus omni, quantum humana ſineret fragilitas, exceptione majoribus, exacte, diligenter, fideliter, & prudenter ſecundum articulos, & interrogatoria, quę ſub ſua Bulla vobis mittebat incluſa, requireretis perpenſius veritatem, ſuper quibus omnibus, & ſingulis veſtras duxit conſcientias onerandas, prout in ipſis literis plenius continetur. Nos itaque qui ſuperni poſtmodum diſpoſitione conſilii in Apoſtolicę dignitatis ſtatione collocati, illius quem in ſuis Sanctis collaudare jubemur, cujuſque in hac tenebrarum valle habitantibus inſcrutabilia ſunt judicia, & qui inveſtigabiles fecit vias ſuas, in terris, vices gerere, licet immeriti, comprobamur, ulterioribus Regis, aliorumque exponentium prędictorum, qui caritate ęſtuantes, & fide, illudque veritatis, non qui cęperit, ſed qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit, complectentes oraculum, Epiſcoporum, & Ingridis prędictorum, qui ex Deo nati illi omnia ſua vovendo conſecrarunt, & quos Altiſſimus, in omni benedictione ſpirituali in cęleſtibus in Chriſto Jeſu benedicens, ante mundi conſtitutionem elegit, ut in conſpectu ejus Sancti eſſent, & immaculati, Canonizationem, ut cum Sanctis ſcribantur, ſtudiis ſtatuerint indefeſſis, piis ac devotis ſupplicationibus excitati, ad Dei laudem, & gloriam, fidei propagationem orthodoxę, & ut juſtorum ſemita, quaſi lux ſplendens procedat, atque creſcat, ac compunctionis vomere ad proferendos fructus, uberesque manipulos fidelium de virtute in virtutem ambulantium corda perpenſius adaperiant (27), veſtrique exilis operis fruge Deus Omnipotens, qui nullius obliviſcitur operis, ſeminis per ſuos germinati in plurimorum conſpectu pabula falce metat, granaque ſua ad horrea perducat ęterna, & elucente divinę operationis effigie in hujuſmodi tam celebris exagitatione negotii illud verbi Dominici: Inveni hominem ſecundum cor meum: vobis dirigi valeat, & aſcribi, Noſtrę ſuper his impertientes auctoritatis adminiculum, commiſſiones, necnon mandata, ac literas hujuſmodi, & omnia inde ſecuta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica laudamus, approbamus pariter, & confirmamus, ac pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus, ut hujuſmodi tam meritorii ędificatoriique negotii ductu Regio exitus citius ſubſtituatur optatus, vobis, & veſtrum cuilibet, per vos, vel etiam alios, moribus, & vita comprobatos, viros idoneos, de quibus, & prout vobis, in his etiam hujuſmodi veſtris conſcientiis oneratis, expedire videbitur, ad prędictarum literarum executionem procedendi, ac in eis contenta exequendi, omnia pręterea, & ſingula, quę pro hujuſmodi executorialiter adimplenda quomodolibet neceſſaria, vel opportuna fuerint, faciendi, pręſentium ſerie mandatum damus, & etiam poteſtatem. Teſtes autem hujuſmodi qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, compellatis veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, ac de una, & duabus dietis in Concilio Generali, quam aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Quicquid autem per hujuſmodi inquiſitionem vos, & a vobis forſitan deputandos invenire contigerit in pręmiſſis, Nobis, aut Succeſſori noſtro Romano Pontifici, canonice intranti, per veſtras patentes literas, pręſentium, & aliarum literarum prędictarum ſeriem continentes, plurimorum Tabellionum publicorum boni teſtimonii, & famę legalis, manibus, ac ſuſcriptione veſtris, ſigilliſque munitas, fideliter quantocius intimare curetis, ut ex intimatione ipſa ſuper his, uberiori Nobis, vel eidem Succeſſori, certitudine reddita, conſultius fieri queant ſingula, laudibus, & rependiis, ſupernaque caterva jugiter extollenda. Datum Conſtantię Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Clauſulæ derogans.

1. *Asloen.*) Seu *Aslogen.*, vulgo *Asloa*, in *Norvegia*.
2. *Verionen.*) *Veſxionen.*, vulgo *Vexſia*, in *Svecia*. Apud *Odoricum Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXVI num. XXII*, legitur *Vexionen.* Epiſcopalis urbs eſt *Vexſia*, ſub Archiepiſcopo *Upſalenſi*.
3. *Lincopen.*) In *Gothia*. Hujuſce Beati ſæpius meminit. Sancta *Birgitta* in ſuis Operibus.
4. *Brymulphi.*) *Odoricus* ſcribit. *Brinulphi*.
5. *Scarenſis.*) Urbs eſt Epiſcopalis *Gothia*.
6. *Ingridis.*) Ex Odorico *Nigridis*. Beatæ *Ingridis* vitam conſcripſere *Johannes* noſter *a S. Maria*, in Libro, cui titulus: *Les Vies, & Actions memorables des Sainctes & Bienheureuſes tant du Premier, que du Tiers Ordre du G. P. & P. S. Dominique Parte II pag. 137 &c. Hyacinthus* noſter *Choquetius*, *Olaus Magnus Upſalenſis* Archiepiſcopus, & *Johannes Vaſtonius in Vite Aquilonari*.
7. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro II fol. 163*.
8. *Erici.*) Seu *Henrici*, hujus nominis *XIII* Regis *Svecia*, & *IX* Regis *Dania*.

9. *Suve-*

9. *Suvetiæ.*) *Sveciæ*, vulgo *Suveden*. Regnum eſt *Europæ* verſus Septentrionem.

10. *Daciæ.*) Regio eſt *Europæ*, in *Tranſylvaniam*, *Moldaviam*, & *Valacchiam* diviſa.

11. *Norvegiæ.*) Vulgo *Nordvvege*. Eſt *Europæ Regnum*.

12. *Upſalen.*) In *Svecia*

13. *Lunden.*) Urbs eſt *Scaniæ* Provinciæ.

14. *Nidroſien.*) Vulgo *Drontheim*,& *Trontheim* in *Norvegia*.

15. *Suffraganeorum.*) Quos numero ſex eſſe, docet *Crantzius*, Epiſcopos ſcilicet *Scarenſem*, *Lincopenſem*, *Stregnienſem*, *Aboenſem*, *Aroſienſem*, & *Vellimenenſem*. Idem cenſent *Miræus*, & *Johannes Carolus a Stadel*, in *Compendio Geographiæ Eccleſiaſticæ pag.* 227. Verum *Labbeus in Breviario Geographiæ Epiſcopalis* eos inter Suffraganeos recenſet etiam *Weſcionenſem*, ſeu *Vexionenſem* Epiſcopatum, de quo in *II Nota* mox dictum fuit.

16. *Skenugen.*) Illud crediderim Monaſterium, quod *Bernardus Guidonis* recenſens Sororum Monaſteria Provinciæ *Daciæ*, vocat *Skemungenſe*. Ab *Odorico* dicitur *Oltrovingen*.

17. *Petro.*) *De Alliaco* nuncupato, viro doctiſſimo, de quo Conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. ad an. MCCCCX pag.* 800. Iſti alium Cardinalem addit Odoricus, *Odonem* ſcilicet *S. Georgii ad Velum aureum* Diaconum Cardinalem, ipſum nempe *Martinum V.*

18. *Jacobo.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII*.

19. *Johanni de Jarſono.*) Seu *de Gerſono*, ut ſcribit *Odoricus*, utrumque bene. Quis fuerit vir ille celeberrimus, nemo neſcit. Adeas *Boulæum in Hiſtoria Univerſitatis Pariſienſis*, *Bellarminum*, *Poſſevinum*, *Miræum*, ceteroſque qui de Scriptoribus Eccleſiaſticis ſermonem habent.

20. *Lamberto de Gelria.*) De *Lamberto*, ceteriſque videas *Acta Conſtantienſis Concilii*.

21. *Petro de Pulca.*) *Odoricus* legit. *De Pulta*.

22. *Wilhelmo Slync.*) Apud Odoricum. *Willelmo Kluit*.

23. *Johanni Blocvvell.*) Ex Odorico. *Johanni Boltuvel*.

24. *Glorificandum.*) *Odoricus* ſcribit. *Clarificantem*.

25. *Vobis.*) Tribus Epiſcopis, *Asloenſi*, ſcilicet, *Abonenſi*, & *Veſxionenſi* Synodi *Conſtantienſis* Diploma inſcribitur.

26. *Literis.*) Quas refert *Odoricus Raynaldus Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCXVI num. XXII.* Hujus tenoris ſunt.

Sacroſancta, & Generalis Synodus Conſtantienſis, venerabilibus Fratribus Asloenſi, Abonenſi, & Vexionenſi Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum pro parte cariſſimi Eccleſiæ filii Erici Sueciæ, Daciæ, Norvegiæ Regis illuſtris, & venerabilium Fratrum Upſalenſis, Lundenſis, & Nidroſienſis Archiepiſcoporum, necnon Suffraganeorum Epiſcoporum Provinciæ Upſalenſis, ac quorundam Capitulorum, & Conventuum Eccleſiarum & Monaſteriorum, necnon procerum, & nobilium, & Communitatum quarundam Civitatum Regni Sueciæ, juxta ſeriem quarundam literarum per Regem, Archiepiſcopos, Epiſcopos, Capitula, Conventus, Nobiles, & Communitates hujuſmodi Balthaſari, tunc Johanni Papæ XXIII, ante ejus depoſitionem a Papatu, ſuis exigentibus demeritis, per nos rite factam, ſuper hoc ſpecialiter directarum, coram nobis, poſt depoſitionem eandem, cum ipſæ literæ dicto Balthaſari, dum adhuc præeſſet Papatui, non fuiſſent præſentatæ, ſit expoſitum, quod celebris, & recolendæ memoriæ Nicolaus Lincopenſis, Brinulphus Scarenſis Epiſcopi, & Nigridis Monialis Monaſterii Monialium Oltrovingen. Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum inſtituta Fratrum Prædicatorum viventium, Lincopenſis Diœceſis, dum in hujus ærumnoſæ peregrinationis exilio mortali vita potirentur, non humanis favoribus obſequi, ſed puro corde, ſinceraque mente divinis oculis complacere ſtuduerunt, ac per auſteritatem jugis pœnitentiæ corporis artus ſuo ſpiritui ſervire cogentes, lubricæ carnis contempſerunt illecebras, declinaverunt a voluptatibus, pudicitiæ conjuncti ſunt, & ſpreta fugaci, fallacique gloria mundi per devotæ orationis exercitium, & laudabilium virtutum opera ſummo Judici Deo famulatum impendere, & ſibi ipſis & aliis ad æternæ vitæ merita proficere conati ſunt indefeſſe verbis pariter & operibus, quibus re & converſatione ſe pios, prudentes, & humiles, ſobrios & caſtos, erga Deum ſumma veneratione devotos, vera erga pauperes & loca pia caritate non ficta largifluos, conſtantes in fide, ſacra ſpe plenos, & aliis virtutibus claros eſſe comprobaverint: propter quod mirabilis Deus in Sanctis ſuis, & faciens mirabilia magna ſolus pro gloria eorundem Nicolai, Brinulphi, & Nigridis merita, tam ipſis in humanis agentibus, quam etiam poſt eorum felicem tranſitum ex hac luce in variis locis Sueciæ, diverſiſque temporibus plura mirabilia dignatus fuerit operari; quamobrem pro parte Regis & aliorum ſic exponentium prædictorum nobis fuit ſupplicatum, ut aliquibus S. R. E. Cardinalibus, & aliis Prælatis, in hoc ſacro Conſtantienſi Concilio exiſtentibus quod ſe de fide, vita, & meritis prædictorum Nicolai, Brinulphi, & Nigridis, ac hujuſmodi miraculis informarent, & ea quæ per hujuſmodi reperirent informationem, nobis referre curarent, ut deinde ſufficientibus & exquiſitis meritis ad hoc ſuffragantibus, ipſi Nicolaus, Brinulphus, & Nigridis Sanctorum catalogo aſcribi, & aggregari poſſent, committere dignaremur. Nos ad eorundem Regis, & exponentium, & ſupplicantium devotam inſtantiam, devotiſſimis Eccleſiæ filiis Petro tituli S. Chryſogoni, alias dicto Cameracenſi, Presbytero, & Odoni S. Georgii ad velum aureum Diacono ejuſdem Eccleſiæ Cardinalibus, ac venerabili Fratri Jacobo Laudenſi Epiſcopo, necnon dilectis Eccleſiæ filiis Johanni de Gerſono Cancellario Eccleſiæ Pariſienſis, Lamberto de Gelria, Petro de Pulta, Willelmo Kluit, & Johanni Boltuvel in Sacra Theologia Profeſſoribus in dicto Concilio præſentibus vivæ vocis oraculo commiſimus, ut literis authenticis, necnon libellis, & inſtrumentis publicis, per Regem, & alios exponentes prædictos ſuper hoc deſtinatis, per eos viſis, & examinatis, ſuper præmiſſis omnibus, & ſingulis ſe diligenter informarent, & ea quæ per eandem reperirent informationem, nobis fideliter referre curarent. Qui quidem Commiſſarii Procuratoribus Regis, & aliorum exponentium prædictorum negotium hujuſmodi proſequentibus, eiſdem literis, libellis, & inſtrumentis publicis, per eos diligentes viſis, & examinatis, nobis quę per ea, quæ exinde repererunt, apparebant de vita, & meritis, necnon de fama, & devotione populi, & Miraculis tam in vita quam poſt mortem eorundem Nicolai, Brinulphi, & Ingridis, quæ ipſe Deus ad ipſorum preces, ut credebatur, operatus fuerat, & in dies operatur, ſerioſius retulerunt. Nos igitur attendentes, quod de fama prædictorum, ac populi devotione, necnon de vita & meritis dictorum Nicolai, Brinulphi, & Nigridis, & Miraculis ſupradictis per hujuſmodi informationem receptam plene liquere non poteſt, ac etiam conſiderantes, quod Eccleſiæ Militanti difficillimum redditur agnoſcere ſpiritum clarificantem in Eccleſia Triumphanti, & quod propterea expediens videtur in talibus ea gravitate procedi, qua ipſa non decipiatur Eccleſia Militans, & virtutum mater juſtitia non lædatur; ſed in re tanta cum abun-

abundantiori cautela, & majori maturitate procedatur. Quapropter cum pro parte Regis & aliorum expouentium pręfatorum nobis cum omni inſtantia, & debita reverentia fuerit ſupplicatum, ut cum ipſis pręmiſſa probaudi incumbat oeceſſitas, & teſtes ad pręſens in humanis agentes, per quorum depoſitiones probationes ipſę ſufficienter fieri poſſe ſperaotur, ſeu eorum aliqui, ſi, quod abſit, hujuſmodi negotii executionem nimium contingeret protelari, interim de medio poſſent ſubmoveri, in negotio ipſo abſque morę diſpendio, ad ulteriora procedere dignaremur: Nos hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitatibus veſtris, de quibus in iis & aliis gerimus in Domino fiduciam ſpecialem per noſtra ſcripta committimus, & mandamus, quatenus ad loca, in quibus pręfati Nicolaus, Brinulphus, & Nigridis fuerunt, dum in humanis agerent, converſati, & illa ubi eorum corpora requieſcuot, perſonaliter accedentes, de ſama pręmiſſorum, ac devotiooe populi, vitaque & meritis antedictis, & Miraculorum hujuſmodi crebreſcentia, veritateque, & eorum circumſtantiis univerſis juxta datam vobis a Deu prudentiam a teſtibus omni, quantum humana ſinit fragilitas, exceptione majoribus exactis, diligenter, fideliter, & prudenter, ſecundum Articulos & interrogatoria, quę ſub Bulla noſtra vobis mittimus incercluſa, inquiratis perpenſius veritatem: ſuper quibus univerſis, & ſingulis pręmiſſis veſtras conſcientias oneramus; teſteſque huiuſmodi, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione ceſſante, compellatis, veritati teſtimonium perhibere &c. *Addidere imperia, ut teſtium dicta de illorum rebus admirandis in tabulas publicas quam diligentiſſime referenda curarent, & epiſcopalibus ſigillis obſignata, vel Concilio, vel renunciando. Pontifici mitterent.*

27. *Adaperiant.*) Turbatus locus ad hæc uſque verba: *Inveni hominem.*

Ut F. Johannes Boulaye S. Theologiæ Magiſter conſtituatur.

Anno 1418 Die 29 Maii.

Ex Arch. (1) Ordinis.

Martious Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Barre Provinciali Proviocię Francię ſecundum morem Fratrum Ordinis Prędicatorum in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XI.

Viri ſacrę Religionis ſtudio dediti, & in Lege Domini eruditi, ſub Religionis habitu Domino famulantes, favoribus Apoſtolicis gratiam promerentur, eoque benignius, decet, honeſtis eorum deſideriis annui, quo ex eorum profectibus major poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Johannes Boulaye, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, per plures Annos in diverſis Domibus ejuſdem Ordinis, & Studiis honorabilibus io Theologia, ac aliis licitis facultatibus ſtudendo, legendo, ac diſputando, necnon Chriſti fidelibus Verbum Dei fideliter prędicando, ſe juxta morem ipſius Ordinis ſtudioſe exercuerit, & adeo profecerit, quod gradu Licentię & inſigniis Magiſterii in eadem Theologia dignum ſe reddiderit, Nos, volentes dictum Johannem, apud Nos, etiam de Religionis zelo, vitę ac morum honeſtate, aliiſque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu, favore proſequi gratioſo, ipſius in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi per tuam, & aliorum in eadem Theologia Magiſtrorum diligeotem examinationem, ipſum Johaonem ſcientia, vita, & moribus, ac alias ad hoc ſufficientem, & idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam, & aliorum in eadem Theologia Magiſtrorum hujuſmodi conſcientias oneramus, Gradum, & inſignia hujuſmodi, in loco ubi Studium vigeat generale, adhibitis tamen ſolemnitatibus in talibus fieri ſolitis, ac forma Conſtitutionis in Concilio Viennen. ſuper hoc editę obſervata, eidem Johanni auctoritate noſtra ſtudeas impertiri, ſibique, ut ipſe omnibus, & ſingulis exemptionibus, privilegiis, gratiis, prerogativis & juribus, ceteris in dicta Theologia Magiſtris ejuſdem Ordinis profeſſoribus conceſſis, uti poſſit, & valeat, non obſtantibus quibuſcumque privilegiis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus Studii, & Ordinis prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque alia firmitate roboratis, etiamſi de illis, & eorum totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum in pręſentibus facienda eſſet mentio ſpecialis, auctoritate prędicta concedas. Datum Romę apud Saoctos Apoſtolos IV Kal. Juoii, Pootificatus noſtri Anno Primo (2).

Exordium. Mandatum.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIX fol.* 160.
2. *Primo.*) Hic Amanuenſis erravit certe vel in loco, quo Diploma datum fertur, vel in *Anno*, quem aſſignavit. Per id enim tempus *Romam* nondum advenisse *Martinum V*, liquet ex ſequentibus *Conſtitutionibus* datis *Gebennis*.

Ut Ædes ſacræ Cœnobii Lauſannenſis (1) reficiantur, Indulgentias impertitur.

Anno 1418 Die 25 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XII.

Licet is &c (3). Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Domus Fratrum Prędicatorum Lauſannen. propter ejus antiquitatem in tectis, & aliis ſuis ſtructuris ad tantam eſt redacta ruinam, quod nequaquam in ea divinum officium celebrare poſſit, & per Fratres pręfatos propter eorum inopiam abſque Chriſti fidelium ſuffragio nequeat reparari. Nos, cupientes, ut ipſa Eccleſia congruis honoribus frequentetur, & etiam reparetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad reparationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius

uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & BB. Petri, & Pauli pręfatorum, necnon B. Dominici Confeſſoris, ac Dedicationis dictę Eccleſię, feſtivitatibus, & in celebratione omnium Sanctorum, necnon ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, necnon Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, ac Nativitatis B. Johannis, & BB. Petri & Pauli pręfatorum, Feſtivitatum Octavas, & per ſex dies pręfatam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes dictam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatum, tres Annos & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum pręfatorum, diebus, quibus dictam Eccleſiam viſitaverint, & ad reparationem hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias Eccleſiam ipſam viſitantibus, vel ad ejus fabricam, ſeu reparationem hujuſmodi manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus, nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Dat. Gebennis (4) VII Kal. Julii (5), Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Lauſannenſis.*) Vulgo *Lauſanne*, in *Helvetiis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 241.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX.*
4. *Gebennis.*) Vulgo *Genevra*. Urbs eſt *Allobrogum* in limite *Sabaudiæ*.
5. *VII Kalendas Julii.*) Emendandus ergo *Oldoinus apud Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCCXVII pag.* 823, ubi docet, *Martinum V* die duntaxat *XI* Julii Civitatem *Gebennenſem* ingreſſum fuiſſe.

Anno 1418 Die 6 Julii.

Honorarium de Cameræ redditibus ſtatuit F. Ludovico (1) de Valleoleti, cujus præclare geſta laudibus celebrat.

Ex Arch. (2) Ordinis.

XIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ludovico de Valleoleti, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Sacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude F. Ludovici:

Exigunt tuarum virtutum merita, & labores aſſidui, quos pro pace, & unione in Eccleſia Sancta Dei, & extirpatione nefandi ſchiſmatis proximis his temporibus in Sacro Conſtantien. Concilio pertuliſti (3), ut perſonam tuam ſpeciali Apoſtolicę Sedis munificentia proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, volentes tibi in recompenſatione laborum prędictorum, quos ibidem te jugiter ſubire oportuit, de alicujus ſubventionis auxilio providere, teque, qui etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (4) Caſtellę & Legionis Regis illuſtris, Ambaſciator ad ipſum Concilium deſtinatus exiſtis, pręmiſſorum intuitu, favoribus proſequi gratioſis, tibi proviſionem annuam centum, & quinquaginta florenorum auri de camera

Penſionem aſſignat.

ſuper fructibus, redditibus, & proventibus, & juribus Collectorię (5) in Regnis Caſtellę, & Legionis, ad Nos & Apoſtolicam Cameram pertinentibus, per dilectum filium Johannem de Brondeville Archidiaconum de Lorta in Eccleſia Carthaginen., hujuſmodi jurium, reddituum, & proventuum, in nonnullis partibus dictorum Regnorum, & Provincia Compoſtellan. (6) Collectorem per Nos hactenus deputatum, aut illum, qui pro tempore fuerit, tibi, vel Procuratori tuo, ad id ſpeciale mandatum habenti, in Feſto omnium Sanctorum anno quolibet uſque ad noſtrum, & dictę Sedis beneplacitum, effectualiter perſolvendam, ac de ipſius Collectoris computis deducendam, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro te Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, tenore pręſentium, concedimus, donamus, & etiam aſſignamus, diſtrictius inhibentes Collectori pręfato, aut illi, qui pro tempore fuerit, ne de juribus, fructibus, & proventibus prędictis, niſi tibi prius, aut tuo Procuratori de dicta proviſione in dicto Feſto, ut pręmittitur, perſolvenda, integraliter ſatisfacto, diſponere, aut ordinare quoquomodo pręſumat; Nos enim tibi, & Procuratori prędicto eundem Collectorem de his, quę tibi, vel pręfato Procuratori uſque ad ſolutionem integram dictę proviſionis perſolverit, atque dederit cum effectu, ac ſolventem hujuſmodi noſtro, & pręfatę Camerę nomine finiendi, quietandi, & abſolvendi, plenam,

Sanctio pœnalis.

& liberam harum ſerie concedimus facultatem. Nulli ergo &c. Noſtrę donationis, aſſignationis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Gebennis II Non. Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Ludovico.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXXVI pag.* 789. Legendus etiam *Fontana Monument. Dominican. Parte III Cap. XII ad annum MCCCXVIII pag.* 305 *&c.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVI fol.* 188. Idem partim tranſcripſit *Fontana* mox laudatus.
3. *Pertuliſti.*) Quantum in *Conſtantienſi* Concilio *Ludovicus* noſter claruerit, Acta ejuſdem Synodi probant, ut alibi dictum fuit.
4. *Johannis.*) Hujus nominis *II*. Ipſi a confeſſionibus erat *Ludovicus*.
5. *Collectoria.*) Adeas *Baronium Annal. Eccleſiaſt. ad annum CCCXCVII.*
6. *Compoſtellan.*) In *Gallacia*.

Offi-

Officiali Gratianopolitano (1), ut Moniales Monaſterii de Staviacco (2), Ordinis Prædicatorum, in Bonorum alienatorum poſſeſſionem mittat. Anno 1418 Die 7 Julii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Officiali Gratianopolitano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XIV.

DIlectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii de Staviacco, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta, & ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, Lauſannenſis Dięceſis, precibus inclinati, pręſentium tibi auctoritate mandamus, quatenus ea, quę de Bonis ipſius Monaſterii alienata inveneris illicite vel diſtracta, ad ius, & proprietatem eiuſdem Monaſterii legitime revocare procures. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas, veritati teſtimonium perhibere. Datum Gebennis Nonis Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Mandatum.

1. *Gratianopolitano.*) In *Delphinatu*.
2. *Staviacco.*) Vulgo *Stavaie* in *Helvetiis*.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in *Staviacenſi* Monaſterio.

F. Johannem (1) Dominici S. R. Eccleſiæ Cardinalem, Ordinis Prædicatorum, ad Reges Hungariæ, Bohemiæ &c. legat. Anno 1418 Die 10 Julii.

Ex Odorico Raynaldo Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXVIII num. IX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni, titulo Sancti Sixti Presbytero S. R. E. Cardinali, ac in Regnis Hungarię, atque Bohemię, & omnibus Terris, atque Dominiis, cariſſimis in Chriſto filiis noſtris Sigiſmundo (2) Romanorum, & Hungarię, & Wenceslao Bohemię Regibus Illuſtribus, communiter, vel diviſim ſuppoſitis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XV.

LEvantes in circuitu noſtrę mentis oculos, & non abſque maxima cordis noſtri amaritudine recenſentes, quod in Regno Bohemię, ac finitimis partibus, proh dolor! pręteritis, & modernis temporibus per argumenta peſtifera contra puritatem Catholicę Fidei, hoſtis humani generis procurante verſutia, viperea dogmata, quę tanquam cancer mentes mortalium ſerpere non deſiſtunt. peſtifere pullularunt per prędicationes nefarias, & articulos damnatę memorię Johannis Vuicleff (3) Hęreſiarchę, & ſequacium malignantium ipſius, jugiter connitentium, Chriſti fidelium mentes, & corda ſeducere a veritate orthodoxę fidei contra ſacroſanctam Matrem, & univerſalem Eccleſiam, ſponſam noſtram, in perniciem ſalutis ęternę multorum fidelium Chriſtianorum, &, ſicut lugubri inſinuatione didicimus multorum fide digniſſimorum, etiam Prelatorum, & Principum, in partibus illis, atque finitimis exiſtentium, & remotis, niſi celeriter, atque ſalubriter ad reductionem animarum ad prefatę Eccleſię unitatem, ac fidelitatem, & obedientiam, & coinquinatorum horrenda ac pernicioſa labe hęreticę pravitatis, obſtinatorumque protervlam ex agro militantis Eccleſię radicitus extirpandam, opportunis remediis occurratur. non ſolum per Regnum, & partes illas, ſed alias ſic debacchatur, & furit huiuſmodi labes, impellente ſatore zizanię, quod innumerabiles Orbis partes in confuſionem prefatę orthodoxę fidei pręcipitabiliter, & inexterminabiliter ſecum trahet: & ſupremis exoptantes affectibus, ut in Regno, & partibus illis, & aliis, reſurgant deſiderabilis pax, & quies, & cultus prefatę fidei orthodoxę incrementis ſalutaribus, animarum ſalus, & corporum coaleſcant, eoque diligentius veniant in premiſſis apponenda remedia, nec minus pręcavenda diſcrimina, quo plures ad morbum cauſas, & incrementa peſtifera videtur in dies ad infectionem mentium chriſtianarum Pater ille malignantium ſeminare; ecce ad te, quem potentem quidem opere, & ſermone, in magnis expertum, & arduis, eximię circumſpectionis induſtria, claritate ſcientię, probitate, ac fidelitate, & morum elegantia probatum, divinarum, humanarumque rerum notitia, ac gerendarum rerum experientia, maturitate, & altitudine conſilii inſignitum; in cujus affectibus geritur, prout indubitanter tenemus, extirpare hęreſes, veritatem Catholicę Fidei, labefactatis, & coinquinatis hęretica coinquinatione multorum mentibus, ſacris tuis eloquiis inſerere, & oberrantes, ac devios hujuſmodi ad veritatem Catholicę Fidei, & unitatem ipſius Eccleſię, noſtramque, & Sedis pręfatę fidelitatem, & obedientiam revocare, atque reducere, ſalutaribus argumentis, & ad veram pacem, & concordiam cunctos diffidentes reducere, & univerſa diffidentia in pacis pulchritudinem commutare, & ſic oberrationes hujuſmodi in perfidia ſuę malignitatis per ſedulos Nuncios, juſtitia mediante, compeſcere omnibus viis, & modis, ut eorum malignitas perſecutione qualibet tam juris, quam facti, modis omnibus proſternatur, licet tuę circumſpectionis pręſentia Nobis, & apud Nos Eccleſię univerſali perutili, careamus inviti, noſtrę convertimus deliberationis intuitum, pro tuarum conſideratione virtutum, tibi a Domino in abundantia conceſſarum, te tanquam pacis angelum, de Fratrum noſtrorum conſilio, ad Regna Hungarię, atque Bohemię, & Terras, ac dominia, ipſis Sigiſmundo Romanorum, ac Hungarię, ratione Coronę Hungarię, necnon Wenceslao Bohemię, Regibus Illuſtribus, ſuppoſita, & eorum juriſdictioni ſubjecta, Apoſtolicę Sedis Legatum impręſentiarum, ut in ipſis evellas, & deſtruas, diſſipes, & diſperdas, ędifices, atque plantes, deformata reformes, indirecta dirigas, corrigenda corrigas, & convertas aſpera in

Legationis cauſa.

F. Johannis encomium.

Ejuſdem Legatio.

in vias planas, ac deviantes ad ſemitam reducas veritatis, ac ſtatuas in nomine Domini, prout cęleſtis gratię infuſio, tuaque tibi providentia miniſtrabunt, providimus deſtinandum (4), firma tenentes fiducia, quod actus tuos dirigente, qui novit prava in directa, & aſpera in vias planas convertere, per tuę circumſpectionis induſtriam periculis, & diſcriminibus, quę ex dogmatizationibus, hęreſibus, diviſionibus, perverſitatibus, inobedientiis, ſchiſmatibus, atque guerris in Regnis, Terris, & dominiis ſupradictis, procurante pacis ęmulo, exortis, evenerunt, ſeu de cetero poſſent veriſimiliter evenire, poterit laudabiliter obviari, necnon oberrantium, & indevotorum hujuſmodi reductio, extirpatio hęreſum, ac ſchiſmaticę pravitatis, obſtinatorumque contra eandem Fidem catholicam fieri, obſervantia cenſurę, & redintegratio libertatis, & immunitatis eccleſiaſticę, relevatio Eccleſiarum, & locorum Eccleſiaſticorum oppreſſorum, pauperum defenſio, animarum ſalus, tranquillitas, corporum, ac pacis deſideranda tranquillitas Regni, & partium prędictarum, inſpirante Altiſſimo, ad effectum ſaluberrimum deducentur, eidem circumſpectioni tuę inter quaſcunque perſonas eccleſiaſticas, & ſeculares cujuſcunque ſtatus, habitus, ſeu conditionis exiſtant, etiamſi Regali, Reginali, Pontificali (5), aut quavis alia eccleſiaſtica, vel mundana dignitate pręfulgeant, Regnorum, & partium, prędictorum, vel alterius eorundem, bonum pacis, & concordię reformandi, hęreticos, & ſchiſmaticos, abjuratis prius per eos, & eorum quemlibet hereſi, ac ſchiſmate, in forma Eccleſię conſueta, recipiendi, & ad gremium ejuſdem Eccleſię, ac Sedis Apoſtolicę, noſtramque fidelitatem, devotionem, & obedientiam reducendi, & redintegrandi, ac etiam abſolvendi, & liberandi, ſi hoc humiliter petierint, prędictos, & quemlibet ipſorum, per eandem circumſpectionem tuam receptorum, ab omnibus, & ſingulis culpis, criminibus, proceſſibus, & delictis, fautoriis, rebellionibus, ſchiſmatibus, hęreſibus, & criminibus lęſę majeſtatis, & aliis quibuſcunque per eos, aut eorum aliquem quibuſcunque loco, vel tempore uſque in diem abſolutionis, per eandem circumſpectionem faciendi quomodocunque, aut qualitercunque, per ſe, vel alios dictis, factis, dicto, facto, aſſenſu, vel opere quomodocunque, aut qualitercunque commiſſis, vel perperrstis, cujuſcunque qualitatis, vel ſpeciei, etiamſi maxima fuerint, & in generali remiſſione niſi de eis ſpecialis mentio in Apoſtolicis literis facta fuerit, non veniant &c (6). Dat. Gebennis VI Idus Julii, Pontificatus noſtri Anno Primo.

Poteſtas ipſi facta.

1. *Johannem.*) Beatum, de quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*. Conſulendi *Ferrarius de Rebus Hungar. Provincia Ord. Prædicator. Parte II lib. I a Capite XXVI ad XLV*, *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad annum MCCCCXVIII num. IX*, *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXVIII pag. 302*. Audiendus autem hic *Odoricus* ad annum MCCCCXVIII num. VIII. *Ad vindicandam porro a tot, tantiſque impiorum injuriis Religionem intentus Pontifex, ſoluta jam vigeſima ſecunda Aprilis Synodo Conſtantienſi, cum Gebennam ſe contuliſſet, Johannem Dominici Ordinis Prædicatorum tituli S. Sixti Presbyterum Cardinalem, doctrina rerum ſacrarum ac religione inſignem, de quo jam ante a nobis mentio acta eſt, VI Idus Julii Legatum in Bohemia & Hungaria creavit, ampliſſimaque ad reprimendam hæreſim, quæ jam Principes quoque ac Præſules inficere cœperat, auctoritate communivit, ut judiciis perſequeretur hæreticos, redeuntes ad ſinum Eccleſiæ exciperet, tum ut Synodos cogere, & ſi Magiſtratus torperent, Principes ad arma in impios concitare poſſet.*

2. *Sigiſmundo.*) *Romanorum* Regi. Quanta autem auctoritate *Johannes* fuerit apud *Sigiſmundum*, docet *Ferrarius* loco laudato, *Capitibus XLI, & XLII.*

3. *Johannis Wickſiff.*) Seu *Wicleſ*, natione *Angli*. Petierat ab anno *MCCCLXXXIV*, ſed *Hungari*, & *Bohemi*, peſtiferis *Wicleſiſtarum* dogmatibus infecti erant.

4. *Deſtinandum.*) *Profectus* Johannes *in Bohemiam*, inquit *Odoricus* ad annum MCCCCXVIII num. X, *adeo in impietate hæreticos obſirmatos comperit, ut cum occluſis verbo ſalutis auribus, vique adhibita, homines pios ad ſcelus cogerent, Sigiſmundo Regi Romanorum ſignificarit, convertenda in Bohemiam illius arma ad ruentem catholicam rem tuendam, confirmandamque.*

5. *Pontificali.*) *Commendatus eſt Cardinalis Legatus*, verba ſunt *Odorici* loco mox laudato, *Præſulibus, ac viris principibus Bohemis, & Hungaris; quibus cauſas expoſuit, ob quas Johannes in ea Regna a Sede Apoſtolica legaretur*: Pro nonnullis, *inquit*, noſtris, & Eccleſiæ Romanæ arduis negotiis, & pro incremento divini cultus, extirpatione hæreſum, & tutela fidei orthodoxæ, & reductione oberrantium ad ovile dominicum, & pro quibuſdam aliis urgentibus cauſis, ac pro pace, & tranquillitate dictorum Regnorum, & partium, ſubditorum, necnon Dominorum, & Principum, & juſtitia Populorum. Datum Gebennis V Idus Julii Anno Primo.

6. *Non veniant &c.*) Deſunt nonnulla.

Anno 1418 Die 16 Julii.

Ut Moniales Monaſterii de Dertford (1) Ordinis Prædicatorum, ejuſdem Ordinis Generali Magiſtro, ceteriſque Præpoſitis morem gerant.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Apoſtolicę ſervitutis, Nobis injunctę deſuper, officium mentem noſtram excitat, & inducit, ut circa ea, quę pro ſtatu proſpero Monaſteriorum, piorum locorum, ac perſonarum in illis ſub Religionis obſervantia vacantium aſſidue ſtudio pię vitę, ac etiam ad Divini cultus, & ejuſdem religionis perſeverantiam opportuna fore conſpicimus, & per quę eorum neceſſitatibus conſulitur operoſis ſtudiis intendamus. Dudum ſiquidem fel. rec. Johanni PP. XXII, Prędeceſſori noſtro, pro parte inclytę memorię Eduardi Regis Anglię expoſito, quod clarę memorię Alicnnora Regina Anglię Mater ſua ad Ordinem Monialium, ſeu Sororum ſub Regula B. Auguſtini, ac cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, dum adhuc in humanis exiſteret ſpecialem gerens devotionis affectum, ad laudem & gloriam ſummi Regis, & pro animę ſuę ſalute, unum Monaſterium fundare ordinavit, & etiam ędificare diſpoſuit, in quo collocarentur, & ponerentur Sorores, quę ſub eiſdem regula, & cura, ac ſecundum Inſtituta hujuſmodi viverent, & in eo Deo famulatum devotum & perpetuum exhiberent; ſed quia eadem Regina morte pręventa hujuſmodi ſuum propoſitum adimplere nequiverat, prędictus Rex de ſua, & ipſius Reginę animarum ſalute ſolicitus adimplere deſideraret propoſitum antedictum, pręfatus Prędeceſſor inter alia per ſuas literas (3) dilectis filiis Magiſtro, necnon Provinciali in Anglia & loci de Langeley (4) Ordinis Fratrum eorundem Kucolvienſis (5) Dięceſis Prioribus, ut poſtquam Monaſterium constructum, necnon Moniales, & Sorores hujuſmodi in eo inſtitutę forent, prędictas, & alias, quę eſſent pro tempore

Hujuſce Diplomatis cauſa.

dicti

dicti Monaſterii Moniales, & Sorores auctoritate Apoſtolica duxit committendum; ſtatuens nihilominus, ut ex tunc ſub doctrina Magiſtri, & Priorum prędictorum permanere, ac illis, ſuiſque Vicariis, ſicuti Fratres dicti Ordinis, in omnibus obedire tenerentur, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper petitio pro parte dictorum Priorum continebat, poſtmodum clarę recordationis Eduardus ipſius Regis natus, etiam Rex Anglię, ad hujuſmodi propoſiti executionem ſendens efficacem, Monaſterium ipſum in ſolo ſuo, loco videlicet de Dertford Roffenſis (6) Dięceſis cum Domibus, clauſtris, & clauſuris pro quodam Prioratu, necnon inhabitatione, unius Priorillę, ac triginta novem Monialium, & earundem Sororum tunc inibi includendarum, & ſub Regula, necnon Prioris dicti loci de Langeley, qui eſſet pro tempore, obedientia hujuſmodi Altiſſimo ſerviturarum, fundari & conſtrui faciendo, illud cum prędictis Domibus, clauſtris, & clauſuris, ac omnibus aliis ſuis pertinentiis, necnon centum libras per ipſas Prioriſſam & Moniales annis ſingulis ad Sacarium (7) ſuum, & heredum ejuſdem, in Paſchę, & S. Michaelis feſtivitatibus, per ęquales portiones percipiendas, & habendas, quouſque ipſis per eum, vel dictos hęredes de centum libris terrę vel redditus annuatim per eas in perpetuum habendis fuiſſet in locis competentibus proviſum, illis conceſſeſit pariter & aſſignaverit; volens & ordinans expreſſe, quod tam Prioriſſa & Sorores, quam Prior loci de Langeley, hujuſmodi, necnon quinquaginta novem apud dictum locum de Langeley, morantium Fratrum eorundem victu, veſtitu, & omnibus aliis neceſſariis deliberatis (8) quandiu illas ſic perciperent, ac terris, & redditibus pręfatis, ac omnibus aliis rebus, quę ipſis dari, necnon fructibus Eccleſiarum, quas eis in poſterum appropriari contingeret, competenter, & honeſte, ſecundum ordinationem, & diſpoſitionem, ſuſtentarentur Priores loci de Langeley memorati; pro parte dictorum Priorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto, fundationi, conſtructioni, conceſſioni, & aſſignationi, voluntati, & ordinationi prędictis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Supplex petitio.
Nos igitur, qui eiſdem ſupplicationibus inclinati, necnon ſtatutum, fundationem, conſtructionem, conceſſionem, aſſignationem, voluntatem, ac ordinationem hujuſmodi, & quęcunque inde ſecuta rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſiqui forſan intervenerint, in conceſſione, aſſignatione, voluntate, & ordinatione ante dictis; & nihilominus modernas, & pro tempore exiſtentes Prioriſſas, ac Sorores & Moniales dicti Monaſterii juxta ſtatuti, necnon voluntatis, & ordinationis prędictarum continentiam atque formam eiſdem Prioribus obedire, & ſubeſſe debere, ad id quoque per cenſuras eccleſiaſticas, & alia opportuna juris remedia compellendas fore, ac compelli poſſe, decernimus per preſentes. Decernit ut ſupra. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis, quibuſcunque. Clauſula derogans. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, & conſtitutionis infringere. Datum Gebennis XVII Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Sanctio pœnalis.

1. *Dertford.*) In *Anglia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVI fol.* 257.
3. *Literas.*) Quę deſiderantur.
4. *Langeley.*) Vide *Notam I ad Conſtitutionem CCXIX Martini V.*
5. *Lincolnienſis.*) *Lincolnien.*, ſeu *Lindenſis*, vulgo *Lincolne*, in *Anglia*.
6. *Roffenſis.*) Vulgo *Rocheſter*, in *Anglia*.
7. *Sacarium.*) Id eſt *Theſaurum*, ut loquuntur, ſeu Ærarium Regium. Hinc *Sacarius* & *Secularius* olim idem ac *Theſaurarius*, ſeu Quęſtor.
8. *Deliberatis.*) Id eſt: *Perpenſis*.

Ut F. Johannes (1) Tuamenſis Archiepiſcopus delectum (2) habeat unius Fratris, qui Capellanus ipſius ſit.

Anno 1418 Die 22 Julii.

Ex Archivo (3) Ordinis

XVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Archiepiſcopo Tuamen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PErſonam ſuam, Nobis & Apoſtolice Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Exordium. Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, qui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, & Magiſter in Theologia exiſtis, & ut aſſeris, cum aliquo Fratre dicti Ordinis propter priſtinam converſationem tuam in eodem Ordine melius ſcis, & magis deſideras, quam cum aliquo Presbytero ſeculari, converſari & orare, ut unum dicti Ordinis profeſſorem, quem ad id voluntarium inveneris, in Capellanum tuum domeſticum recipere, & tecum pro celebratione divinorum, & ad dicendum horas canonicas continuo retinere licite valeas, ac illi, ut tecum, quoad vixeris, commorari, & hujuſmodi divina celebrare, horaſque canonicas dicere libere poſſit; Diplomatis cauſa. Sic tamen quod idem profeſſor interim ad domos, ſeu loca dicti Ordinis per Superiores ſuos, qui erunt pro tempore, invitus revocari nequeat, privilegiis per dictam Sedem eidem Ordini conceſſis, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacumque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis quibuſcunque nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore preſentium indulgemus. Facultas. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Gebennis XI Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Johannis* XXIII.
2. *Delectum.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro III fol.* 197.

Ex

Anno 1418 Die 28 Julii.

Ex Clementis IV Diplomate (1) Bona Fratribus Ordinis Prædicatorum, jure hæreditario obvenire poſſe decernit (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

XVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Lugdunenſi, & Biſuntin. Archiepiſcopis, ac dilecto filio Abbati Monaſterii Cluniacenſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum felicis recordationis Clemens PP. IIII Prędeceſſor noſter dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, ut aſſerunt, literas ſuas conceſſit in hęc verba. Clemens Epiſcopus, Servus
Tenor Diplomatis Clementis IV. Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum (4), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Obtentu divini nominis, cujus cultui ſub Sacrę veſtrę Religionis obſervantia ſtudetis mente devotiſſima deſervire, votis veſtris libenter annuimus, & petitiones veſtras in his, quę digne depoſcitis, favorabiliter exaudimus. Ex parte ſiquidem veſtra fuit propoſitum coram Nobis, quod nonnulli Prelati, & laici in diverſis mundi partibus conſtituti, aſſerentes, vos mundo fore mortuos, nec valentes proprium poſſidere, vos occaſione hujuſmodi, a quibuslibet ſucceſſionibus excludere moliuntur. Quare pro parte veſtra fuit a Nobis humiliter poſtulatum, ut, ne contingat, vos propter hujuſmodi pręſumptionem talium, aliquod incurrere nocumentum: congruum ſuper hoc remedium adhibere paterna diligentia curaremus. Nos itaque, veſtris ſupplicationibus benignius annuentes, auctoritate Apoſtolica declaramus, quod vos in temporalibus bonis, in quibus ſuccederetis in ſeculo exiſtentes, licite poteſtis ſuccedere, & bonorum ipſorum poſſeſſionem apprehendere, ac vendere libere bona ipſa, eorumque pretium in utilitatem veſtram convertere, prout vobis melius videbitur expedire. Univerſas autem interdicti, ſuſpenſionis, & excommunicationis ſententias, quas contra pręſentis declarationis tenorem per quemcunque ferri contigerit, decernimus irritas, & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę declarationis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Peruſii II Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo. Nos cupientes, ut hujuſmodi ipſius Prędeceſſoris
Mandatum. literę, ſi quę appareant, ſuum ſortiantur effectum, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, ſi, & poſtquam vobis de pręmiſſis literis ſanis, & integris, non cancellatis, non abraſis, nec in aliqua ſui parte ſuſpectis, per ipſarum exhibitionem legitime conſtiterit, & eis per diſſuetudinem, vel alias canonice fore detractum evidenter non appareat, prędictis Magiſtro & Fratribus ſuper his opportunę defenſionis auxilio aſſiſtentes, non permittatis eos, contra hujuſmodi ipſius Prędeceſſoris declarationis, & Conſtitutionis tenorem, a quoquam occaſione bonorum pręmiſſorum impediri quomodolibet, ſeu etiam moleſtari; facientes, ut
Clauſula derogans. congruit, literas obſervari antedictas: contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter, aut diviſim ab Apoſtolica Sede indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poterint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Gebennis V Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Diplomate.*) *Conſtitutione* ſcilicet *XXXIX Clementis IV Tomo I pag.* 470.
2. *Decernit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XVII fol.* 320.
4. *Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prædicatorum.*) Nulla hic mentio Fratrum Ordinis *Sancti P. Franciſci*.

Anno 1418 Die 29 Julii.

Ne Mendicantium Ordinum Fratres ad alios Ordines tranſeant (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. VIam ambitioſę cupiditatis, Religioſis, potiſſime Mendicantibus, pręcludere cupientes, ad alios Ordines, pręſertim Monaſticos, fucatis tamen coloribus aſſerentibus ob frugem melioris vitę, aut arctioris obſervantię, tam S. Benedicti, quam Ciſtercienſium, Camaldulenſium, Vallis Umbroſę, Canonicorum Regularium S. Auguſtini, vel aliorum Monaſticorum Ordinum convolare nitentibus, licentiam a Sede Apoſtolica, ſeu Legatis, aut Nunciis ejuſdem Sedis de transferendo ſe a Mendicantium Ordinibus, ea ratione pręſertim, ut veriſimiliter, prout facti experientia docet, eſt pręſumendum (3), quod liberius (4) degant, dignitateſque, & Beneficia Monaſtica (5) conſequi valeant, & ex certis aliis cauſis honeſtati non conſonis obtinentibus, ac volentes (6) conſervationi Ordinum Mendicantium etiam providere,
Inhibitio. auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore pręſentium declaramus, ac decernimus ſtatuentes (7), quod de cetero nullus Religioſus de Ordinibus Mendicantium quorumcunque, cujuſcunque ſtatus, conditionis, vel Religionis exiſtat, quomodocunque, aut qualitercunque poſſit, vel debeat virtute cujuſcunque licentię, aut indulti Apoſtolici, ſeu Pęnitentiarię noſtrę, curam gerentis, aut alia, quavis auctoritate hactenus, etiam per Bullas Apoſtolicas facultatum quarumvis, tam Legatorum, & Nunciorum Sedis Apoſtolicę, necnon Pęnitentiarię hujuſmodi pro tempore curam gerentes, quam aliorum quorumcunque ſub quavis poteſtate, aut auctoritate, maxime de transferendis Fratribus aut aliquibus, pręſertim Ordinum Mendicantium profeſſoribus in genere, vel ſpecie ab Ordinibus hujuſmodi Mendicantium ad Monaſticos ſub quacunque verborum conceptione appareant, admitti, & (8) recipi per aliquos, etiam Superiores Ordinis, vel Monaſterii, aut loci Monaſtici, ſeu alias in Monachum, vel in Fratrem alicujus

ex

ex Ordinibus Monaſticis prędictis, vel aliis expreſſis, & non expreſſis Ordinibus, Cartuſien. duntaxat excepto, ſub pęna excommunicationis, quam, tam recipientes, quam recepti ipſo facto incurrant, & quam ex nunc, prout ex tunc contra quemlibet tranſgreſſorem quomodolibet in pręmiſſis, ſcientia, & auctoritate pręfatis, proferimus in his ſcriptis, & a nemine, niſi duntaxat a Romano Pontifice, prętérquam in mortis articulo, excommunicati hujuſmodi abſolutionis beneficium poſſint quomodolibet obtinere. Et nihilominus ſecus, vel aliter facta non teneant, & nullius exiſtant efficacię, roboris, vel momenti. Decernentes etiam, & volentes, quod ſi quis hactenus virtute cujuſvis licentię, ſeu indulti hujuſmodi fuiſſet receptus ad aliquem Ordinem Monaſticum, & habitum conſuetum geſtari per Monachos talis Ordinis ſuſcepiſſet, ſive Profeſſionem emiſerit, ſive non, ſub dicta pęna teneatur in Monaſterio, in quo receptus fuit, etiam ſi Beneficia Eccleſiaſtica, ſeu Rectorias Eccleſiarum quarumvis obtineat, ſtare in ejus tali vocatione in hujuſmodi Ordine Monaſtico, & Altiſſimo deſervire. Si quis autem prętextu hujuſmodi licentię, cum habitu, vel ſine, quomodolibet vagando incederet, monitione pręvia teneatur, & debeat infra terminum quindecim dierum a die monitionis hujuſmodi computandorum ad ejus Religionem, & Ordinem, unde cum licentia, vel ſine, receſſerat, remeare (9). Quod ſi efficere neglexerit, poſt ipſum terminum, tanquam notorius Apoſtata, & excommunicatus in omnibus, & per omnia debeat per quemlibet reputari, & tractari, etiam per invocationem auxilii brachii ſecularis, quoties fuerit opportunum. In futurum autem, nullus ex profeſſoribus alicujus ex Ordinibus Mendicantium hujuſmodi, ad aliquem Monaſticum Ordinem, Cartuſienſe duntaxat excepto, poſſit, aut debeat per quemcunque recipi, vel admitti virtute alicujus licentię, vel indulti, abſque Sedis ejuſdem licentia ſpeciali ſub dictis pęnis; Et nihilominus ſecus facta non teneant ipſo jure: hujuſmodi licentiis, & indultis, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, & Mendicantium Ordinum prędictorum, etiam ſi de iis ſpecialis, & expreſſa, aut de verbo ad verbum in noſtris literis mentio habenda foret, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Geben. IV Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Primo. Decretum irritans.

1. *Tranſeant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar. Legitur apud *Confettium pag. 30, Caſtellanum pag. 89, in Conſtitutionibus Ord. Prædicatorum impreſſis an. MDVII, in Bullario Carmelitano Parte I Conſtitut. I Martini V pag. 170.*
3. *Ut veriſimiliter, prout facti experientia docet, eſt præſumendum.*) Apud *Caſtellanum* ſic legitur: *Ut viſibiliter, aut facti experientia docet, eſt putandum.*
4. *Liberius.*) Ex Confettio: *Libentius.*
5. *Monaſtica.*) Ex eodem: *Eccleſiaſtica.*
6. *Volentes.*) Apud Confettium: *Valentes.*
7. *Statuentes.*) Idem ſcripſit: *Et ſtatuimus.*
8. *Et.*) Ex eodem: *vel.*
9. *Receſſerat, remeare.*) Apud eundem: *Exiverit, redire.*

Fratribus Ordinis Prædicatorum Provinciæ Angliæ, ut Melcombenſe (1), aliaque Cœnobia fundare poſſint.

Anno 1418 Die 17 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum Provincię Anglię, ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Sacer Ordo veſter, in agro dominico divina diſpoſitione plantatus, digne meretur extolli, cujus profeſſores mundanis a ſe relegatis illecebris, & cęleſtium contemplationi vacantes, inſiſtunt jugiter profectibus animarum. Exordium. Apropter ad dictum Ordinem, quem felicia, dante Domino, incrementa ſuſcipere cupimus, Apoſtolicę conſiderationis intuitus dirigentes, ad ea libenter intendimus, per quę Ordo ipſe uberius valeat propagari. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod nonnulli Chriſti fideles in partibus Regni Anglię conſtituti, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ad laudem & gloriam divini nominis, animarum ſalutem, Religionis profectum, & divini cultus augmentum, in Melcombe unam, & in Wendoven. Sariſbirien. (3) & Lincolnen. (4) Diœceſum locis ad hoc congruis, & honeſtis alias Domus, cum Eccleſiis, campanilibus, campanis, cęmeteriis, clauſtris, dormitoriis, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, de bonis ſibi a Domino collatis, & aliis piis fidelium largitionibus, pro perpetuis uſu, & habitatione Fratrum veſtri Ordinis, conſtruere, & fundare cęperunt, illaque ulterius perficere, ac vobis, & eidem Ordini, pro uſu, & habitatione prędictis donare proponunt. Supplex Fratrum petitio. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem fidelibus, tam pium, & laudabile propoſitum hujuſmodi perficiendi, vobiſque Domum, & locum prędicta pro vobis, & poſteris veſtris, pro hujuſmodi uſu, & habitatione, recipiendi, & perpetuo retinendi licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & Religionis propagationem hujuſmodi intenſis deſideriis affectamus, etiam dilecti filii Leonardi, Magiſtri Generalis dicti Ordinis, & hujuſmodi veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, pręfatis fidelibus hujuſmodi ſuum propoſitum in Domino perficiendi, vobiſque Domus, & Loca ipſa libere, & licite, recipiendi, ac pro uſu, & habitatione prędictis pro vobis & eiſdem poſteris veſtris perpetuo retinendi, & habendi, Ordinariorum hujuſmodi locorum, & aliorum quorumcunque licentia, vel conſenſu ſuper hoc minime requiſitis, dummodo tamen in locis ipſis, ſeu prope illa infra centum & quinquaginta cannarum diſtantiam alię ejuſdem, vel alicujus, ſeu aliorum, ex aliis Mendicantium Ordinum Domus non habeantur, fel. rec. Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua Civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio loco quocunque, Domus, vel loca quęcunque de novo recipere, aut inhabitare pręſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, plenam, & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem faciente, & quibuslibet aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus; jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper

Indulget ut ſupra.

Clauſula derogans.

ſemper ſalvo; plenam, & liberam auctoritate pręfata licentiam facimus, concedentes, quod illi ex vobis, & Fratribus, ſeu poſteris veſtris prędictis, qui pro tempore in eiſdem Domibus, ſeu altera ipſarum reſidebunt, ac etiam Domus ipſę omnibus privilegiis, gratiis, exemptionibus, & libertatibus Fratribus, & aliis Domibus, ſive locis dicti veſtri Ordinis conjunctim, vel diviſim a Sede prędicta generaliter conceſſis, uti valeant, pariter & gaudere. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis, infringere &c. Si quis autem &c. Datum Gebennis XVI Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo.

1. *Melcombenſe.*) In Wiltonia Provincia *Angliæ*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro V fol.* 182.
3. *Sariſbirien.*) *Sariſberien.*, vulgo *Saleſbury*, in *Anglia*.
4. *Lincomen.*) Legerem *Lincolnien.*, ſeu *Linden.*, vulgo *Lincolne*, in *Anglia*.

Anno 1418 Die 23 Auguſti.

Fratres Minores Privilegiis, Fidei Præconibus Ordinis Prædicatorum a Johanne XXII Diplomate, hic inſcripto, conceſſis (1), donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXI. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Vicario dilecti filii Miniſtri Generalis, & Fratribus Ordinis Minorum Vicarię Boſnę, ſecundum morem dicti Ordinis, pręſentibus, & futuris, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ILlius, qui, ut protoplaſti poſteros barathri eriperet a faucibus, & primi gehennę mancipii objectos faucibus cęlitum revocaret ad aulam, carne mortalitatis induta, ſe ipſum in ſalvationis pretium Crucis victimavit in Ara, vices, licet immeriti, gerentes in terris, ad ea noſtrę perpenſius dirigimus vigilantię curas, per quę fidei, pręmia grandia felicitatis offerentis ęternę, propagatio intendatur orthodoxę, & infidelitatis, hęreſumque, & ſuperſtitionum ſucciſis erroribus, etiam noſtris, quos in vinea Domini cultores eximios fore perſpicimus, ſalutaribus inviteinus pręſidiis, quibus animarum fidelium quarumlibet ſalutis exquiritur incrementum. Dudum ſiquidem fel. rec. Johannes Papa XXII, Prędeceſſor noſter, ſuas conceſſit literas tenoris ſubſequentis. Johannes Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Fratribus de Ordine Fratrum Prędicatorum in Terris Saracenorum, Paganorum, Gręcorum, Bulgarorum, Cumanorum, Iberorum, Alanorum, Gazarorum, Gothorum, Sicocorum, Rutenorum, Jacobitarum, Nubianorum, Neſtorianorum, Georgianorum, Armenorum, Indorum, Motorum, aliarumque non credentium Nationum Orientis, & Aquilonis, ſeu quarumcunque aliarum partium proficiſcentibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum hora undecima ſit diei hominibus &c (3). Et deinde pię memorię Urbanus Papa V etiam Prędeceſſor noſter, intellecto, quod etiam in Bulgarię, Valachię, Raſcię, & Boſnę partibus, in quibus hęretici, & ſchiſmatici commorabantur, illos per prędicationem, & exemplum vitę laudabilis, cum auxilio Divinę gratię, ad unitatem, & obedientiam Sacroſanctę Romanę Eccleſię matris cunctorum, & magiſtrę, jugiter reducere piis, & ſolicitis ſtudiis curabatis, vobis per quaſdam conceſſit, quod vos, & veſtrum ſinguli omnibus, & ſingulis pręſcriptis gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultatibus, & auctoritatibus in literis Johannis Papę contentis hujuſmodi ſecundum earum formam in pręmiſſis pręſentibus, cum ea tamen modificatione, quod Indulgentias majores uno anno dare, & votum peregrinationis, ſeu viſitationis Dominici Sepulcri commutare, aut illa, quę ad Epiſcopalem pertinent dignitatem, exercere minime valeretis, perinde uti, ſeu fungi poſſetis, ac ſi literę Johannis Papę hujuſmodi vobis, & ſingulis veſtrum nominatim, & ſpecialiter directę extitiſſent. Et ſucceſſive quondam Urbanus in ſua obedientia, de qua tunc eratis, VI nuncupatus, per alias ſuas literas vobis conceſſit, atque declaravit, quod pręfato ipſius Johannis privilegio uti poſſetis quoad omnia in ea contenta, non obſtante quod Epiſcopus catholicus in locis, ſeu partibus ipſis reſideret, vel pręſens exiſteret, dummodo Clerum, vel Sacerdotes, aut Curatorum copiam non haberet, qui fidelibus, ſive noviter converſis partium earundem ſufficienter pręeſſe valerent in miniſtrando eis eccleſiaſtica Sacramenta, & fidem catholicam prędicando, illis tamen quę de jure, vel obſervata conſuetudine ad eandem Epiſcopalem dignitatem pertinent, exercitio veſtro penitus interdictis, prout in eiſdem aliis literis plenius continetur. Nos igitur crebris fide dignorum certiorati relationibus, quod vos vitam ducendo piiſſimam, diviniſque, ex quibus gloria attollitur Altiſſimi, inſiſtendo laudibus, & ſanctę prędicationis exercendo officium, ad ſupernę Majeſtatis obſequium partium earundem habitatores & incolas flectere non tepeſcitis, & propterea ut ipſius negotium fidei per amplius proſperari valeat, vobiſque de meſſe, cui inſerere geſſitis aſſiduo, uberiores recolligendi manipulos pręſtantior ſit facultas, etiam veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, devotioni veſtrę, quod vos, & ſinguli veſtrum gratiis, privilegiis, indulgentiis, facultatibus, & aliis pręmiſſis in dictis ipſius Johannis Papę literis expreſſatis, illis videlicet, quę ad hujuſmodi Epiſcopalem dignitatem pertinent, in abſentia, aliis vero tam in pręſentia, quam in abſentia Catholicorum Epiſcoporum inibi locorum Dięceſanorum in Bulgarię, Valachię, Raſcię, & Boſnę prędictis, & etiam aliis, in quibus vos, ut earum habitatores, & incolę ad unitatem fidei, devotionem quoque & obedientiam Eccleſię hujuſmodi reducerentur, ſive in illis perſiſterent, dictę Sedis concurrente miniſterio, ſubiiſtis hactenus, & ut ceteri, quibus opus fuerit, paſſim cooperante Domino, reducantur ad eas, ut optamus, in futurum perferre contigerit labores & ſtudia, partibus fungi, & uti; & ut ſpiritualium per pręmia plures virtutum allicere valeatis ad merita, omnibus & ſingulis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Trinitatis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, Petri & Pauli Apoſtolorum, necnon Beati Michaelis, & Omnium Sanctorum feſtivitatibus, ac illarum Octavarum, necnon Palmarum, Cęnę Domini, & duobus immediate ſequentibus diebus, Eccleſias veſtrorum Domorum, & Conventuum, in

Tenor Diplomatis Johannis XXII.

Indulget ut ſupra.

in pręmiſſis, & aliis quibuslibet partibus infra Vicariam Boſnę ſecundum morem veſtri Ordinis conſiſtentium, pręſentium, & futurorum, devote viſitaverint annuatim, illam Indulgentiam, ſive ei ſimilem, quę fidelibus hujuſmodi vere pęnitentibus, & confeſſis Eccleſias Fratrum Domus prędictę in feſto Beati Franciſci devote viſitantibus a Sede prędicta generaliter eſt conceſſa, elargiri libere, & licite poſſitis, auctoritate pręſentium concedimus, pariter, & indulgemus. Non obſtantibus modificationibus, ac reſtrictionibus per ipſos Urbanum V, & Urbanum VI factis, ut pręfertur, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & indulti infringere &c. Si quis &c. Datum Gebennis X Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Primo. *Clauſula derogans.* *Sanctio pœnalis.*

1. *Conceſſit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro IV fol.* 264. Illud idem partim exſcripſit *Waddingus Annal. Minor. Tomo V in Regeſto Martini V pag.* 62.
3. *Hominibus &c.*) Ut in *Conſtitutione XXXIII Johannis XXII*, ad finem uſque.

Indulgentia conceſſa cuilibet ſextis feriis viſitanti Sacellum B. Mariæ Virginis, & SS. Johannis Baptiſtæ, ac Johannis Evangeliſtæ, ſitum in Ædibus Sacris Cœnobii Lingonienſis (1).

Anno 1418 Die 28 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXII.

Licet is &c (3). Cupientes igitur, ut Capella B. Marię Virginis, ac Sanctorum Johannis Baptiſtę, & Johannis Evangeliſtę, ſita in Eccleſia Fratrum Ordinis Prędicatorum Lingonen., quam, ut accepimus, dilectus filius Johannes de Nogdeut laicus Lingonen. Diœceſis de bonis ſuis, ſibi a Deo collatis, de novo fundaſſe, & ad hoc quod die qualibet in ea una ſtatuta Miſſa celebrari poſſit ſufficienter dotaſſe, dignoſcitur, congruis honoribus frequentetur, ut ipſi fideles eo libentius intereſſe celebrationi Miſſę curent ejuſdem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ſingulorum ſextis feriis annorum quorunlibet eandem Capellam devote viſitaverint, quadraginta dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus, volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Capellam, aut ad ejus conſervationem, ſeu fabricam manus porrigentibus adjutrices, ſeu alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Mantuę IV Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo. *Indulgentia.*

1. *Lingonienſis.*) Vulgo *Langres*, in *Gallia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXVII fol.* 279.

Abbati Monaſterii S.Michaelis Antuerpienſis (1), & Decano Eccleſiæ S.Gudilæ Bruxellenſis (2), ut quæ Decanus, & Capitulum S. Johannis de Boſcoducis (3) debent Monialibus Auderghem, Ordinis Prædicatorum, ſolvenda curent.

Anno 1418 Die 18 Decembris.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Abbati Monaſterii S. Michaelis Antwerpien., & Decano Eccleſię S. Gudilę Bruxellen. Cameracen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXIII.

Digna reddimur ſoliciti attentione, ut illis per Nos Apoſtolicę Sedis miniſtretur libertas, quę ſpreto mortalis viri toro, ei, qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum, ſe ſponte voventes, ſub Religionis habitu monaſticę normę laudabiliter ſe coaptant. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii de Onderghcem (5), per Prioriſſam ſoliti gubernari, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Cameracen. Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat; quod, cum olim dilecti filii Decanus, & Capitulum Eccleſię S. Johannis Evangeliſtę Oppidi de Boſcoducis, Leodien. Diœceſis, Parochiales de Oerten. (6) dictę Diœceſis, & ipſius Oppidi Eccleſias invicem canonice unitas, & quarum jus patronatus ad eaſdem Prioriſſam, & Conventum pertinere conſuevit, ſub certis modo, & forma, eis, & Capitulari menſę dictę Eccleſię auctoritate Apoſtolica incorporari, necnon uniri & annecti, deſideraſſent, Decanus & Capitulum pręfati, ut hujuſmodi incorporatio, necnon unio, & annexio acceptius ſortirentur effectum, inter alia laudarunt pariter, & approbarunt, quod poſtquam ipſi earundem incorporationis, necnon unionis, & annexionis vigore dictas Parochiales Eccleſias forent pacifice aſſecuti, Prioriſſa & Conventus prędictę tertiam partem oblationum de ipſis Parochialibus Eccleſiis, ſive illarum ratione provenientium, percipere, & nihilominus de ſeptennio in ſeptennium unam marcam argenti puri ab ipſis Decano, & Capitulo habere perpetuo deberent, illo inter alia adjuncto, quod dicti Decanus, & Capitulum, ſi, quod abſit, eos in non ſolvendo partem oblationum & marcam hujuſmodi rebelles fore, contingeret, ex tunc pęnam centum ſimilium marcarum, *Exordium.* *Monialium ſupplex petitio.*

pro una Duci Brabantię, pro tempore exiſtenti, & alia, medietatibus, eiſdem Prioriſſę, & Conventui applicandam, incurrerent eo ipſo, prout in Inſtrumento publico, deſuper confecto, plenius dicitur contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, nonnullis ſuper eo, quę, & qualia, nomine oblationum earundem, ac ratione prędicta cedere & comprehendi debeant, necnon alias de premiſſorum juribus, pro eo quod, in illis auctoritas ordinaria, ſeu Diœceſani confirmatio, & approbatio non acceſſit, dubium ſubſiſtat exploratum, pro parte dictarum Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in premiſſis ipſis, ac dicto Monaſterio opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandat ut ſupra. Nos igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, vos, aut alter veſtrum laudationem, & approbationem hujuſmodi, necnon alia in dicto Inſtrumento contenta, prout eandem ſolutionem contingere cenſentur, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica prędicta, approbetis, & pariter confirmetis, ſupplendo etiam illum, qui pro eo, quod auctoritas ordinaria, ſive confirmatio, & approbatio Diœceſani hujuſmodi, in premiſſis non acceſſit, ut preteritur, proveniſſe dignoſcitur, ac reliquos omnes, ſi qui alias intervenerint, defectus quoſlibet in eiſdem, & nihilominus ad hujuſmodi, ratione earundem oblationum, emergentis ambiguitatis tollendum dubium, illa proventus, & emolumenta, quę jure, ac in dictę Eccleſię vicinis, & preſertim B. Marię Antwerpien. dictę Cameracen. Diœceſis Eccleſiis, oblationes fore cenſentur, & ſub illis fore comprehenduntur, ſive reputantur, nomine, & ratione, hujuſmodi oblationum cedere, ac comprehendi debere, ipſoſque Decanum & Capitulum ſecundum hoc, & alias juxta laudationem, necnon eorum approbationem hujuſmodi, ac dicti Inſtrumenti continentiam, etiam ad faciendam ſolutionem eandem obligatos exiſtere, prelata Apoſtolica auctoritate decernatis; facientes eiſdem Prioriſſę & Conventui de ſingulis juxta premiſſa plenam ac debitam ſatisfactionem impendi.

Clauſula derogans. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus tam pię memorię Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, quod cum actor & reus civitatum, & Diœceſum fuerint diverſarum, ſi actor in civitate vel Diœceſi rei judicem habere recuſet, ipſum non in ſua, ſed in alia civitate, vel Diœceſi libere impetrare valeat, reumque trahere ad eandem, quam aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dictę Eccleſię S. Johannis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate vallatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Diœceſano, ſeu Capitulo prefatis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede prędicta indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Mantuę XV Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Antuerpienſis.*) Vulgo *Anverſa*, in *Belgio*.
2. *Bruxellenſis.*) Vulgo *Bruxelles*, in *Belgio*.
3. *Boſcoducis.*) Vulgo *Boiſleduc*, *Boſleduc*, & *Bolduc*, in *Belgio*.
4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol. LXXXVII.*
5. *Underghem.*) Legendum *Auderghem*, ſic enim vocant Monaſterium *Vallis-Ducis* prope *Bruxellas*, ut videre eſt ex *Belgio Dominicano* Titulo *De Monaſterio Vallis-Ducis in Auderghem pag.* 356.
6. *Oerten.*) De iiſdem Eccleſiis hæc habet eruditus noſter *Bernardus de Jonghe* in *Belgio Dominicano* loco mox laudato: *Prioriſſa vi Officii ſui eſt Domina in Waetermale, & Patrona Eccleſiarum Parochialium S. Johannis Buſciducis, de Waetermaele, & Eeckeren.*

Anno 1418 Die 18 Decembris.

Monaſterii Ordinis Prædicatorum Florentiæ (1) fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo (3) Priori Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. PErſonam tuam, Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illam tibi libenter gratiam concedimus, quę ſacrę Religionis propagationem, divinique cultus augmentum concernunt.

Supplex Magiſtri Generalis petitio. Exhibita ſiquidem Nobis pro parte tua, petitio continebat, quod tu de bonis mobilibus, & immobilibus pia Chriſti fidelium largitione erogatis, & erogandis, quorum diſpoſitio ex ipſa largientium voluntate, vel alias ad te quomodolibet pertinet, aut pertinebit in Civitate, vel Diœceſi Florentin. unum Monaſterium, ſive locum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, domibus, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu & habitatione unius Prioriſſę, & Monialium Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum vivere volentium, conſtrui, & ędificari facere, & ſufficienter dotare, deſideras, ac proponis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi ſuper hoc licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Indulget ut ſupra. Nos igitur, qui hujuſmodi Ordinis propagationem, & cultus affectamus augmentum, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi hujuſmodi Monaſterio, ſive Loco, cum Eccleſia, campanili, campana cęmeterio, & clauſtro, domibus, & aliis officinis hujuſmodi in Civitate, vel Diœceſi prędictis, in loco ad hoc congruo & honeſto, & ipſius dote primitus ſufficienti aſſignata, conſtruendi, ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, jure tamen Parochialis Eccleſię, & quolibet alieno in omnibus ſemper ſalvo; necnon in eodem Monaſterio Prioriſſam, & Moniales hujuſmodi ſecundum Inſtituta dicti Ordinis hac prima vice duntaxat ponendi, & recipiendi, Diœceſani loci & cujuſcunque alterius ſuper his licentia minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, licentiam largimur: Volentes nihilominus, & eadem auctoritate Apoſtolica concedentes, quod Prioriſſa & Moniales dicti Monaſterii, quę erunt pro tempore, omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, immunitatibus, exemptionibus, & libertatibus gaudeant, & potiri valeant, quibus alię Prioriſſę & Moniales, ſecundum hujuſmodi Inſtituta viventes, dicti Ordinis gaudent, ſeu quomodolibet potiuntur.

Sanctio pœnalis. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pagi-

paginam noſtrę conceſſionis; & voluntatis infringere &c. Dat. Mantuę XV Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Florentiæ.*) In *Hetruria*. Vide *Diploma Datum XIX Februarii MCCCCXX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 268.
3. *Leonardo.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXIV pag.* 755.

Monaſterium de Luen. (1) Ord. Prædicatorum ſuo, & S. Sedis Apoſtolicæ præſidio tutatur.

Anno 1419 Die 28 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ord. lib. B. fol.* 91.

XXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii de Luen. Ordinis S. Auguſtini, ſecundum Inſtituta Fratrum Ord. Prędicatorum viventibus, Saliſburgenſis (3) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcroſancta Romana Eccleſia devotos, & humiles, filios ex aſſuetę pietatis officio propenſius diligere conſuevit, &, ne pravorum hominum moleſtiis agitentur, eos tanquam pia mater ſuę protectionis munimine confovere. Ea propter, dilectę in Chriſto filię, veſtris juſtis poſtulationibus grato concurrentes aſſenſu, perſonas veſtras, & locum, in quo divino eſtis obſequio mancipatę, cum omnibus bonis, quę impręſentiarum rationabiliter poſſidetis, aut in futurum juſtis modis, pręſtante Domino, poteritis adipiſci, ſub B. Petri, & noſtra protectione ſuſcipimus; ſpecialiter autem terras, domos, poſſeſſiones, Grangias, redditus, prata, ſilvas, paſcua, & alia bona veſtra, ſicut ea omnia juſte. ac pacifice poſſidetis, vobis, & per vos veſtro Monaſterio auctoritate Apoſtolica confirmamus. & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę protectionis, & confirmationis infringere, vel ei &c. Si quis autem &c. Datum apud Urbem Veterem (4) V Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Præſidio eſt ut ſupra.

Sanctio pontificalis.

1. *De Luen.*) In *Germania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar authenticum.
3. *Saliſburgenſis.*) Vulgo *Saltzburg*, in Circulo *Bavariæ*.
4. *Urbem Veterem.*) V Kalendas Februarii Pontificatus anno Secundo *Martinum II*, dictum *IV*, *Urbe Veteri* fuiſſe, docent Annales Eccleſiaſtici, quod vero per id tempus Pontificatus ſui *Martinus* dictus *V Mantuæ* fuerit, liquet ex præcedenti, & ſequenti Diplomatibus, præſens ergo Conſtitutio *Martino IV*, non autem *V* debet aſcribi.

Præpoſito Eccleſiæ S.Ciriaci in Wiſenſtaig (1), ut Moniales Monaſterii Urſpringenſis, ſecundum Inſtituta Fratrum Prædicatorum viventes, in poſſeſſionem cujuſdam Beneficii mittat.

Anno 1419 Die 29 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Eccleſię S. Ciriaci in Wiſenſtaig, Conſtantien. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilectę in Chriſto filię Magiſtra & Conventus Monaſterii in Urſpring, per Magiſtram (3) ſoliti gubernari, Ordinis S. Benedicti Conſtantien. Dięceſis, ſub Regula (4), & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventes, devotum & ſedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut votis earum, in his pręſertim, quę ipſarum & dicti Monaſterii ſtatum, & utilitatem concernunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Sane pro parte ipſarum Magiſtrę, & Conventus, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum dilectus filius nobilis vir Johannes Harſter Armiger dictę Dięceſis zelo devotionis accenſus jus patronatus Parochialis Eccleſię in Alnembur ejuſdem Dięceſis, necnon decimam ejuſdem Eccleſię, quam ipſe, & ſui prędeceſſores abſque contradictione aliqua recipere, & in ſuos uſus etiam a tempore cujus contrarii memoria non erat, convertere conſueverant, Magiſtrę & Conventui pręfatis liberaliter donavit, & tradidit, & aſſignavit, hac conditione adjecta, quod Magiſtra, & Conventus pręfatę decimam partem ejuſdem decimę pro ſuſtentatione perpetui Capellani ad Altare S. Johannis, ſitum in Eccleſia dicti Monaſterii, pro tempore exiſtentis, annis ſingulis perpetuis futuris temporibus dare & realiter aſſignare tenerentur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, de ipſarum donationis, traditionis, & aſſignationis, juribus ab aliquibus hęſitetur, pro parte dictarum Magiſtrę & Conventus aſſerentium, ſe in nutriendis quadraginta Monialibus, cum earum familia annis ſingulis, ac alias diverſis gravibus oneribus pręgravatas exiſtere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, traditioni, & aſſignationi huiuſmodi pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere; necnon Eccleſiam Parochialem pręfatam eidem Monaſterio in perpetuum unire, annectere, & incorporare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, & committimus, quatenus vocatis, qui fuerint evocandi, ſuper pręmiſſis omnibus & ſingulis, ac eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes, et, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, donationem, traditionem, & aſſignationem pręfatas eadem auctoritate confirmes; Et nihilominus Eccleſiam pręfatam, cujus cum eadem decima quindecim marcarum argenti, cum omnibus ſuis juribus, & pertinentiis pręfato Monaſterio, cujus centum, & quadraginta marcarum argenti puri fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut ipſa Magiſtra, & Conventus aſſerunt, non exce-

Supplex Monialium petitio.

Mandatum.

excedunt, auctoritate prędicta in perpetuum unias, annectas, & incorpores, & quod cedente, vel decedente Rectore dictę Eccleſię, qui nunc eſt, vel Eccleſiam ipſam alias quomodolibet dimittente, liceat eiſdem Magiſtrę & Conventui, per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Eccleſię, juriumque & pertinentiarum prędictorum auctoritate propria libere apprehendere & hujuſmodi ejus fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac dicti Monaſterii uſus perpetuo convertere, ac etiam retinere, Dięceſani loci & alterius cujuſcunque licentia ſuper hoc minime requiſita; reſervata tamen ſuper hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus ejuſdem Parochialis Eccleſię pro perpetuo Vicario in ea inſtituendo congrua portione, de qua idem Vicarius valeat congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere,
Clauſula derogam. & alia incumbentia ſibi onera ſupportare. Contradictores per Cenſuram &c. Non obſtantibus ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum; quas quidem literas, & proceſſus, earum auctoritate habitos, vel habendos, ad prędictam Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum per hoc eis, quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa vel totaliter non inſerta effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Mantuę IV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Wiſenſtaig.*) In *Suevia*, ubi cetera loca, de quibus hoc in Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 63.
3. *Magiſtram.*) Seu *Abbatiſſam*.
4. *Regula.*) Id eſt non ſolum *S. P. Benedicti*, ſed etiam Leges & Inſtituta Fratrum Prædicatorum ſervantes.

Anno 1419 Die 9 Martii.

Epiſcopo Baſileenſi, ut Moniales Monaſterii Schonenſteynbacenſis (1), Ordinis Prædicatorum, in poſſeſſionem quorundam Beneficiorum mittat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Baſilien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ÆTernę Beatitudinis amatrices, quę habitu ſacre Religionis aſſumpto, uni viro, Chriſto videlicet, ſe voto celebri deſponſarunt, paterna benevolentia proſequentes, illa libenter eis concedimus,
Supplex Monialium petitio. per quę ipſarum neceſſitatibus provideatur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Priorisſę, & Conventus Monaſterii, in Schoenſteynbach, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, Baſilien. Dięceſis, petitio continebat, quod olim dicto Monaſterio, quod in ſua primitiva fundatione ſufficienter dotatum fuerat, propter guerras, & mortalitates, ac alias calamitates, quę in illis partibus viguerant, adeo in ſuis redditibus, & proventibus diminuto, ac ędificiis, & structuris deſolato, quod nullę in ipſo Monaſterio Moniales habitarent, neque commode remanere poſſent, tandem nonnullę devotę & honeſtę Mulieres, tam virgines, quam viduę, ac etiam Religioſę in diverſis Monaſteriis, & locis, dictę, & aliarum Dięceſum, tunc conſiſtentes, ſe cum auctoritate Apoſtolica, & licentia loci Ordinarii, & aliorum ſuorum Superiorum, ad dictum Monaſterium rite reduxerunt, ita quod una ipſarum Prioriſſa exiſteret, & ſecundum Inſtituta prędicta ſub perpetua clauſura in eodem Monaſterio viverent, Altiſſimo in divinis ſervitutę, quodque ſucceſſive, cum Prioriſſa & Conventus ejuſdem Monaſterii, ſecundum premiſſa legitime ordinatę, & inſtitutę ad ipſius Monaſterii reformationem, & divinorum obſervationem diligenter attenderent, & ad hoc harum, & ipſius Monaſterii facultates minime ſuppeterent, quondam Lupoldus Dux in Ingelſat (3), cum eius filiali Eccleſia in Rotenberch, & cum Capella in Bretten, in Loco Sunkaw, & dilecta in Chriſto filia Nobilis Mulier Catharina (4) de Burgundia, Duciſſa Auſtrię, Sanctorum Coſmę & Damiani ad S. Coſmam in eodem loco, necnon Nobiles viri Johannes Ultrici Vomhus Miles & Hartmannus Vomhus ejus natus dictę Dięceſis in Butenheym ejuſdem Dięceſis, Parochialium Eccleſiarum jus patronatus, quod ad ipſos tunc ſpectabat, ad fines, & effectum, quod prefato Monaſterio pro ipſarum Prioriſſę & Conventus, ac perſonarum in eodem Monaſterio pro tempore degentium, ſuſtentatione, necnon onerum & expenſarum, eis pro tempore incumbentium ſupportatione, ac in laudem & gloriam Dei, & divini cultus augmentum, perpetuo unirentur, & incorporarentur, pro ſuarum & progenitorum ſuorum animarum ſalute, prędicto Monaſterio ſponte, & liberaliter donarunt, prout in ſingulis dictorum Ducis & Duciſſę, & Militia inde confectis literis, & ſingulorum ipſorum ſigillis munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro hujuſmodi oneribus commodius ſupportandis in Ingelſat, cum hujuſmodi filiali Eccleſia, & Capella, quarum novem, & Sanctorum Coſmę & Damiani, cujus decem, necnon in Butenheym, cujus duodecim, Parochiales Eccleſias prędictas prefato Monaſterio, cujus quinquaginta marcarum argenti fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem exiſtimationem, valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, in perpetuum in-
Mandatum. corporare, annectere, & unire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de premiſſis certam notitiam non habentes, ac cupientes earundem Prioriſſę & Conventus neceſſitati, quantum cum Deo poſſumus, providere, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis qui fuerint evocandi, ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus,

in

in Ingelſat eum filiali Eccleſia, & Capella hujuſmodi, necnon Sanctorum Coſmę & Damiani, ac in Butenheym, Eccleſias, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, pręfato Monaſterio auctoritate noſtra in perpetuum incorpores, unias, & annectas; Ita quod cedentibus, aut decedentibus Eccleſię & Capellę prędictarum Rectoribus, qui nunc ſunt, aut illas alias quomodolibet dimittentibus, liceat eiſdem Priorillę & Conventui Eccleſiarum & Capellę, juriumque, & pertinentiarum, prędictorum poſſeſſionem auctoritate propria libere apprehendere, in ſuos & dicti Monaſterii uſus committere, & perpetuo retinere, alicujus licentia ſuper hoc minime requiſita, & reſervatis tamen de hujuſmodi ipſarum Eccleſiarum fructibus, redditibus, & proventibus, pro perpetuis Vicariis, inibi inſtituendis, congruis portionibus, de quibus iidem Vicarii valeant congrue ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare. Non obſtantibus, ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad Inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus habitos per eaſdem, ad dictas Eccleſias, & Capellam volumus non extendi; ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum prędjudicium generari, & quibusvis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę, pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo, quod propterea pręfata Capella in divinis officiis nullatenus defraudetur, Nos enim ex nunc irritum, & inane decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Dat. Florentię VII Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Clauſula derogans.

1. *Schoneſteynbacenſis.*) In *Alſatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 264.
3. *Ingelſat.*) In *Germania*, ubi cetera loca de quibus hoc in Diplomate.
4. *Catharina.*) *Leopoldi III* Ducis *Auſtriaci* conjux. Hinc *Lupoldus*, cujus hic mentio, *Leopoldus III* videtur. Obierat anno *MCCCCXI*.

F. Leonardo (1) Generali Magiſtro Ordinis Prædicatorum, ut in Capitulo Generali Coloniæ celebrando ejuſdem Ordinis Fratres Theologiæ Doctores creare poſſit (2).

Anno 1419 Die 11 Aprilis.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

XXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo, Generali Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, in Sacra Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Viri ſacrę lectionis ſtudio dediti, & in Lege Domini eruditi, ſub Religionis habitu Domino militantes, favoris Apoſtolici gratiam promerentur, eoque benignius licet eorum deſideriis annuere, quo ex ipſorum profectibus major poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. Cum itaque, ſicut accepimus, in Capitulo Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum Colonię (4) in feſto Pentecoſtes proxime futuro, juxta ipſius Ordinis Inſtituta, ut dicitur, celebrando (5), quamplures Fratres ejuſdem Ordinis, qui Sententiarum, & alios Libros Facultatis Theologię in Studiis Generalibus, & aliis locis dicti Ordinis pręlegerunt, habiles & idonei ad honorem Magiſterii in dicta Facultate obtinendum, dicantur debere convenire: Nos, volentes tuam honorare perſonam, ut per honorem tibi impenſum, poſſis te aliis reddere gratioſum, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, concedendi auctoritate noſtra duobus ex dictis Fratribus ipſius Ordinis profeſſoribus, quos duxeris eligendos, quoſque ad hoc in vita & moribus reputaveris, & per tuam, & quatuor aliorum in dicta Facultate Magiſtrorum de dicto Capitulo, diligentem examinationem, ad recipiendum Gradum Magiſterii hujuſmodi, idoneos & ſufficientes eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, hujuſmodi Magiſterii honorem, & docendi licentiam in Facultate prędicta, ſervatis Conſtitutionibus Viennenſis Concilii, ac aliis ſolemnitatibus in talibus ſervari conſuetis; non obſtantibus quibuſcunque Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus prędicti Ordinis contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etſi de illis, & eorum totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, de verbo ad verbum eſſet in pręſentibus mentio facienda, quę alias volumus in ſuo robore permanere, plenam & liberam concedimus, tenore pręſentium, facultatem. Datum Florentię III Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Exordium. — Indulget ut ſupra. — Clauſula derogans.

1. *Leonardo.*) De quo ſæpius dictum eſt.
2. *Poſſit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 203.
4. *Colonia.*) *Agrippina*, in *Germania*.
5. *Celebrando.*) Hinc emendandus *Echard* in *Indice Capitulorum Generalium Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 19, ubi hoc anno *MCCCCXIX* Capitulum Generale *Metis* celebratum fuiſſe, docet. In eandem ſententiam ivit *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXIX pag.* 306. At ex *Tomo II Actor. Capitulor. General. pag.* 566 Capitulum Generale *Metis* coactum fuit Anno duntaxat *MCCCCXXI*.

Archi-

Anno 1419
Die 19 Maii.

Archidiacono Lucenſi (1), ut Moniales Monaſterii S. Marthæ Piſan. (2), Ordinis Prædicatorum a tributis ſolvendis eximat (3).

Ex Archivo (4) Ordinis.

XXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archidiacono Eccleſię Lucan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Supplex Monialium petitio.

HUmilibus, & honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Marthę de Miſericordia Piſan., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Ordinis Fratrum Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod olim jam multis retroactis temporibus, pro oneribus Clero Civitatis, & Dięceſis Piſan. pro tempore incumbentibus, facilius, & ęqualius ſupportandis, redditibus Eccleſiaſticis earundem Civitatis & Dięceſis ęſtimatis, ac oneribus ipſis inter obtinentes redditus eoſdem juxta ipſorum redditum exigentiam, partitis, prędicto Monaſterio certa tunc expreſſa fuit aſſignata pecunię ſumma ex redditibus ipſius Monaſterii pro hujuſmodi, & pro tempore incumbentibus oneribus perferendis, contribuenda, quę ſumma, licet partibus illis in eo ſtatu, quo tunc fuerant, permanentibus, eidem Monaſterio ſatis tolerabilis fuerat, tamen ſucceſſive cauſantibus guerris, & aliis diverſis calamitatibus & malis diſpoſitionibus partium earundem, hujuſmodi ſtatu mutato, ac ejuſdem Monaſterii Domibus, & aliis ędificiis tam urbanis, quam ruralibus dirutis, & deſtructis, ac agris, & poſſeſſionibus, colonis, & laboratoribus deficientibus, ad ſterilitatem redactis, extitit importabilis effecta Monaſterio antedicto; ſunt enim ipſę Prioriſſa, & Conventus pręſertim propter tallias, & alia onera eis, etiam per ſeculares perſonas juxta prędictam exiſtimationem multiplicatis vicibus impoſita, quę ſolvere nequaquam poterant, aut poſſint, ad tantam paupertatem redactę, quod nec Ornamenta aut paramenta eccleſiaſtica, ſeu alia mobilia bona videantur habere, nec ex agris, poſſeſſionibus, aut aliis dicti Monaſterii bonis immobilibus, quę fere infructuoſa ſunt, percipiant unde valeant ſuſtentari, adeo quod ipſę Prioriſſa & Conventus, niſi eis ſuper his celeriter provideatur, dictum Monaſterium, quod etiam in ſuis ędificiis ruinoſum exiſtit, nec poteſt ob facultatum defectum reparari, mera penuria, & neceſſitate relinquere compellentur. Quare pro parte earundem Prioriſſę, & Conventus, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſas ab hujuſmodi Talliis, & oneribus, pręteritis temporibus impoſitis, & non ſolutis, quę etiam ad ſummam ipſis importabilem aſcendunt abſolvere, & ſuper in futurum eis imponendis talliis & oneribus, ne indebite graventur, & alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, repereris, pręfatis Prioriſſę & Conventui, efficacis defenſionis auxilio aſſiſtendo, non permittas eas de cetero Talliis, ſeu aliis oneribus quibuſcunque, quę commode pro tempore ſupportare nequeant, per quoſcunque Clericos, ſeu laicos eis imponendis, gravari, aut alias quomodolibet moleſtari; Et nihilominus ſuper impoſitis ipſis pręteritis temporibus, & non ſolutis Talliis & oneribus hujuſmodi, vocatis qui fuerint evocandi, quod juſtum fuerit, eadem auctoritate, decernas, & facias firmiter obſervari. Contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię XIV Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Lucenſi.*) Seu *Lucano* in *Hetruria*.
2. *Piſan.*) Hujus Monaſterii nec meminit *Echard* in *Indice Monaſteriorum Ordinis*, nec *Fontana* in Libro cui Titulus *De Romana Provincia* ipſius mentionem habet
3. *Eximat.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*
4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXIV fol.* 254.

Anno 1419
Die 26 Maii.

Epiſcopo Piſtorienſi (1), ut Moniales Monaſterii S. Silveſtri Piſani (2) a quocunque tributo immunes reddat (3).

Ex Archivo (4) Ordinis.

XXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Piſtorien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Supplex Monialium petitio.

REgimini univerſalis Eccleſię pręſidentes, pro Chriſti fidelium, preſertim Religioſarum perſonarum, quę videlicet illecebris mundanis, & mortalis viri toro propulſis, illi, qui ſpecioſus eſt pręe filiis hominum ſub regulari habitu continuum exhibent famulatum, ac ipſorum Monaſteriorum, & quorumlibet, ſtatu ſalubriter dirigendo, prout ex debito Nobis injuncti Paſtoralis tenemur officii, ſolicitę conſiderationis libenter intuitum extendimus, & ad ea, per quę illorum indemnitatibus conſulitur, adhibemus ſolicitudinis partes noſtrę. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Silveſtri Piſan., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet olim bonę memorię Simon (5), Archiepiſcopus Piſan. exacte recenſens fructus, redditus, & proventus

Prio-

Prioriſſę pro tempore exiſtentis dicti Monaſterii, ac hujuſmodi Conventus, pro earum ſuſtentatione & diverſis ipſis incumbentibus oneribus cedentes, videnſque plurimum exiles exiſtere, dilectorum filiorum Capituli Eccleſię Piſan. ad id accedentibus conſenſu, pariter & voluntate, ſtatuiſſet, & etiam ordinaſſet, ut quotieſcunque dilectis filiis Clero Civitatis & Dięceſis Piſan. quęcunque collectę, exactiones, aut caritativa ſubſidia loci Ordinario, vel quibuſvis aliis danda, & ſolvenda imponi contingeret, pręfatę Prioriſſa, & Conventus, etiam accreſcentibus fructibus, redditibus, & proventibus prędictis, occaſione collectarum, exactionum, vel impoſitionum hujuſmodi pro rata eis ratione dicti Monaſterii, ac illius Eccleſię, quę etiam Parochialis exiſtit, contingente, quinquaginta ſolidos monetę Piſan. pro tempore currentis, ibidem duntaxat dare, & ſolvere tenerentur: tamen poſtea inter Prioriſſam & Conventum, cum ipſę tunc contra eorundem ſtatuti, & ordinationis tenorem, atque formam per Clerum hujuſmodi diverſis, & indebitis afficerentur exactionibus, ex una parte, & Clerum pręfatos, ab alia, conventum extitit, quod eadem Prioriſſa ex tunc in antea, dummodo hujuſmodi collectę, exactiones, vel ſubſidia communiter exempto, & non exempto, decem & octo, & alias non exempto duntaxat Clero Civitatis & Dięceſis prędictarum imponerentur, quinque libras cum dimidia dictę monetę, pro ſimili rata, dare, & ſolvere, ſive in illis contribuere deberent, & etiam tenerentur, quodque Baldaſar (6) in ſua obedientia, de qua partes illę erant, tunc Johannes XXIII nuncupatus, exilitatem fructuum, & proventuum Monaſterii hujuſmodi attendens, per quaſdam ſuas literas, pręfatum Monaſterium, cum perſonis, ac omnibus juribus, & pertinentiis, & bonis, ac rebus ſuis, quę tunc legitime poſſederunt, & ex tunc juſtis titulis adipiſcerentur, uſque ad quinquennium a data earundem literarum computandum, ab omnium ſolutione datiorum, collectarum, ſubſidiorum, decimarum & aliorum onerum quorumcunque, etiam Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate, ſeu per dilectos filios Commune Florentin. tunc impoſitorum, vel imponendorum exemit, abſolvit, & totaliter liberavit, prout in literis prędictis, ac nonnullis aliis, deſuper confectis, inſtrumentis publicis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfata conventio in non modicum . . . . dicti Monaſterii, quod a quindecim annis immediate retroactis in eiſdem fructibus, redditibus, & proventibus, ut ipſę Prioriſſa & Conventus aſſerunt, adeo diminutum exiſtit, quod ipſi ad earum ſuſtentationem, ſuorumque onerum ſupportationem vix ſufficiunt, pro parte dictarum Prioriſſę & Conventus fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut eis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Prioriſſę, & Conventus pręfatarum, ut eo liberius illis, quibus deditę cenſentur, intendere valeant, quo adverſus alienos incurſus Apoſtolicę Sedis extiterint tenacius pręſidio communitę, indemnitatibus conſulere intenſis deſideriis affectamus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, pręfatas Prioriſſam & Conventum, etiam ratione dictę Eccleſię, a collectarum, exactionum, & ſubſidiorum, ac aliorum onerum quorumcunque etiam quavis auctoritate, & ex quacunque cauſa, eiſdem Clero impoſitorum hactenus, & in poſterum imponendorum, ſolutione, vel pręſtatione, ac in illis contributione alias quam per eundem Archiepiſcopum ſtatutum extitit, & ordinatum, donec hujuſmodi fructus, redditus, & proventus multo magis augmentati fuerint, auctoritate noſtra prorſus, & omnino eximere, ac totaliter liberare procures; decernendo Prioriſſam, & Conventum pręfatas, ad impendendum, pręſtandum, vel ſolvendum quicquam de collectis, exactionibus, ſubſidiis, & aliis oneribus eiſdem, quibuſcunque cenſeantur nominibus, vel ipſorum aliquid, ſeu ad contribuendum in eiſdem, etiam ratione dictę Eccleſię, contra tenorem atque formam ſtatuti, & ordinationis prędictorum, minime teneri, nec ad id a quoquam, quavis etiam auctoritate, poſſe compelli, aut quomodolibet coarctari. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon conventione prędicta, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię VII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Nota. — Mandatum. — Clauſula derogans.

1. *Piſtorienſi*.) Vulgo *Piſtoja*, in *Hetruria*.
2. *Piſan*.) De hoc Monaſterio conſulendus *Fontana de Romana Provincia Cap.III Tit.XI pag.269*.
3. *Reddas*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit.X.*
4. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIV fol.41*.
5. *Simon*.) Frater ſcilicet *Simon Saltarelli*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII*.
6. *Baldaſar*.) Seu *Balthaſſar Coſſa*. Adeas *Ciaconium vit. Pontif., & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCX pag.735 & c.*

Anno 1419 Die 21 Junii.

Fratribus Ordinis Prædicatorum jus ante Fratres Minores præcedendi (1). concedendum decernit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Gratianopolitano (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

JUſtis petentium votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Ordinis Fratrum Prędicatorum loci Chamberiaci (4), tuę Dięceſis, petitio continebat, quod cum olim inter ipſos, & dilectos filios Guardianum, & Fratres Domus Ordinis Fratrum Minorum, dicti loci ſuper prioratis vel poſterioritatis ordine incedendi in Proceſſionibus, & aliis Eccleſiaſticis actis, orta fuiſſet materia quęſtionis, tu conſiderans, quod Ordo dictorum Fratrum Prędicatorum prius (5) quam idem Ordo Fratrum Minorum extitit per Sedem Apoſtolicam approbatus, quodque juxta morem, & conſuetudinem in ſimilibus Proceſſionibus, tam in tua Civitate Gratianopolitana, quam alibi hactenus generaliter obſervatos Minorum cum ſua Cruce pręcedunt, & poſt illos Prędicatorum Ordinum Fratres prędicti immediate ſubſequuntur, & ſic

Exordium. — Supplex Fratrum petitio.

& ſic in aliis actibus Eccleſiaſticis inter eos obſervari conſueverat, ſtatuiſti, & ordinaſti ſcilicet inter eoſdem Fratres dictarum domorum Prędicatorum, & Minorum Ordinum dicti loci Chamberiaci deberi in perpetuum obſervari, non obſtante quod dicta domus Fratrum Minorum primo in dicto loco, quam Domus Ordinis Prędicatorum prędicta extitit fundata, prout in tuis literis inde confectis, tuo ſigillo munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictorum Fratrum Ordinis Prędicatorum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut ſtatuto, & ordinationi prędictis robur Apoſtolicę firmitatis adiicere, & illa in perpetuum obſervari facere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, ſtatutum, & ordinationem prędicta, & quęcunque inde ſecuta Auctoritate noſtra confirmes, & approbare facias, illaque perpetuis futuris temporibus per cenſuram eccleſiaſticam eadem auctoritate, oppoſitione remota, inviolabiliter obſervari; Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c Non obſtantibus ſi prę fatis Fratribus, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię XI Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Nota:

Conceſſio ut ſupra.

Clauſula derogans.

1. *Præcedendi.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. T. ultimo Tit. II.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIV fol. 37.*
3. *Gratianopolitano.*) In *Delphinatu.*
4. *Chamberiaci.*) *Camberiaci*, vulgo *Chambery*, in *Sabaudia.*
5. *Prius.*) Ordo enim noſter confirmatus eſt ab *Honorio III* Anno *MCCXVI*, Ordo vero S. P. *Franciſci* Anno *MCCXXIII.*

Anno 1419 Die 28 Junii.

Cœnobii Ordinis Prædicatorum in Terra Voraginis (1) fundandi Facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Archipresbytero Eccleſię Saonen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum Provincię Lombardię ſecundum morem dicti Ordinis, devotum, & ſedulum exhibent Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut votis eorum, in his pręſertim quę divini cultus augmentum & Religionis propagationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, petitio continebat, quod dilecti filii Univerſitas terrę Voraginis, Saonen. Diœceſis, zelo devotionis accenſi, pro divini cultus augmento, & propagatione Religionis ejuſdem Ordinis, ac animarum Chriſti fidelium ſalute, in Oratorio Sanctę Marię de Eremito extra muros dictę terrę, per tertiam partem unius milliaris a dictis muris diſtante unam Domum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione unius Prioris, & aliquorum Fratrum dicti Ordinis, de bonis eis a Deo collatis conſtruere, & ędificare proponunt. Quare pro parte eorundem Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Univerſitati, pręmiſſa faciendi, prę fatiſque Priori, & Fratribus Domum ipſam recipiendi, & perpetuo retinendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris temporibus augeri, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus quatenus, ſi ad id venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Saonen., & dilecti filii Prioris Generalis ejuſdem Ordinis accedat aſſenſus, ac tibi videatur, quod locus ipſe ad hoc ſit congruus, & honeſtus, univerſitati prę fatis conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi Domum hujuſmodi in eodem Oratorio, ipſiſque Priori Provinciali, & Fratribus Domum eandem pro uſu, & habitatione Prioris, & Fratrum prędictorum, ut pręfertur, recipiendi, & perpetuo retinendi, auctoritate Apoſtolica, licentiam largiaris: jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus, tam fel. recordationis Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Et inſuper pręfatis Priori, & Fratribus, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, de uberioris dono gratię concedas, quod Prior, & Fratres ipſi, qui in eadem domo morabuntur, ut pręfertur, omnibus privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus gaudeant, & utantur, quibus alii Priores, & Fratres, in aliis Domibus dicti Ordinis commorantes, gaudent, & quomodolibet potiuntur. Datum Florentię IV Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplex Fratrum petitio.

Indulget ut ſupra.

Clauſula derogans.

1. *Terra Voraginis.*) Vulgo *Voragine*, in *Liguria.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXV fol. 110.*
3. *Saonen.*) Vulgo *Savona*, in *Liguria.*

Dei

Decano Compoſtellano (1), & quibuſdam aliis, ut ſententias ſecundum Fratres Prædicatores Cœnobii Beatæ Mariæ *de Nyeva* in Fratres Ordinis Eremitarum S. P. Auguſtini latas executioni mandandas curent. Anno 1419 Die 16. Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Decano Compoſtellan., & Archidiacono Derbubal., Aurien. (3), ac Abbati de Heremedes, Palentin. Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXIII.

EXhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus B. Mariȩ de Nyeva Ordinis Prȩdicatorum, Segobien. Diȩceſis, petitio continebat, quod cum olim ipſi dilectos filios Priorem, & Fratres Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, Domus Villȩ de Valleſoleti, Palentin. Diȩceſis, qui quoſdam Domos, & hortos, necnon pecuniarum ſummas, & res alias eiſdem Priori, & Fratribus Ordinis Prȩdicatorum in Eleemoſynas collatos occupaverant, & detinebant tunc indebite occupatos, ſuper hoc petendo ipſos condemnari, & compelli, ad dimittendum eis Domos, & hortum, necnon ad ſolvendum pecuniarum ſummas, & dandum res alias hujuſmodi coram dilecto filio Abbate Secularis & Collegiatȩ Eccleſiȩ de Fuſellis, dictȩ Palentin. Diȩceſis, vigore quarundam literarum ad ipſum ſuper his obtentarum traxiſſent in cauſam, prȩfatus Abbas legitime, ac juris ordine obſervato, in hujuſmodi cauſa procedens, diffinitivam pro prȩfatis Priore & Fratribus Prȩdicatorum, & contra Priorem & Fratres Eremitarum Ordinum hujuſmodi ſententiam promulgavit, a qua pro parte eorundem Prioris & Fratrum Ordinis Eremitarum fuit ad Curiam Petri de Luna, in ſua obedientia, de qua partes illȩ erant tunc, Benedicti XIII nominati, appellatum. Idemque Petrus tunc Benedictus XIII, cauſam appellationis hujuſmodi dilectis filiis Magiſtris Luppo Gundiſalvo de Cotes primo, & deinde ex certis cauſis Gundiſalvo, & Garziȩ de S. Maria, tunc Capellanis ſuis, & Auditoribus Cauſarum ſui Palatii, audiendam commiſit & fine debito terminandam: qui quidem Gundiſalvus Auditor, in hujuſmodi Cauſa legitime procedens, dictam Sententiam per ſuam diffinitivam ſententiam confirmavit, ipſos Priorem & Fratres Ordinis Eremitarum in expenſis, coram eo in hujuſmodi cauſa legitime factis, condemnando; prȩfatique Prior & Fratres ejuſdem Ordinis Prȩdicatorum ſuper executione ſententiarum, quarum ultima, nulla provocatione ſuſpenſa, in rem tranſivit judicatam, ac ſatisfactione expenſarum, quȩ ad certam florenorum auri ſummam taxatȩ fuerunt, hujuſmodi dicti Petri, tunc Benedicti XIII ipſa obedientia durante, & dudum antequam contra eum diffinitiva per Generalem Synodum Conſtantien. ſententia promulgata fuiſſet (4) ad quoſdam Judices ſub certa forma literas impetrarunt. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ad dictarum, ipſis Judicibus directarum, literarum executionem nondum ſit proceſſum, pro parte eorundem Prioris, & Fratrum Prȩdicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni veſtrȩ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, dictas ſententias, ſicut juſte latȩ ſunt, faciatis auctoritate noſtra, appellatione remota, firmiter obſervari, ac inſuper legitime per vos, ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, aggravare curetis, Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtante ſi eidem Ordini Eremitarum a Sede Apoſtolica ſit induitum, quod perſonȩ ipſius Ordinis ad judicium trahi, ſeu excommunicari, vel ipſȩ, aut dicti Ordinis Eremitarum loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, ac qualibet alia dictȩ Sedis indulgentia, generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam prȩſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, veſtrȩ juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quȩ quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Florentiȩ XVII Kal. Septemb., Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplex Fratrum petitio.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Compoſtellano*.) In *Gallacia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXV fol.156.*
3. *Aurien.*) Vulgo *Orenſe* in *Hiſpania*, ubi cetera loca, de quibus hoc in Diplomate.
4. *Promulgata fuiſſet*.) *Seſſione XXXVII* Concilii *Conſtantienſis* habita die *XXVI* Menſis Julii an. *MCCCCXVII* lata eſt hæc ſententia, ut ex eodem Concilio liquet. Adeas *Labbeum Tomo XII Conciliorum General. pag.233 &c.*

F. Johannes de Caſanova (1) Pœnitentiarius Summi Pontificis conſtituitur. Anno 1419 Die 31 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Caſanova Ordinis Fratrum Prȩdicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, Pȩnitentiario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XXXIV.

REligionis zelus (3) literarum ſcientia, vitȩ ac morum honeſtas, prudentia ſpiritualium, & alia multiplicia probitatis & virtutum merita, quibus perſonam tuam fide dignis percepimus inſignitam teſtimoniis, promerentur, ut te condignis favoribus, & gratiis honoremus. Hinc eſt quod Nos de perſona tua plenam in Domino fiduciam obtinentes, te, qui, ſicut aſſeris, dilecti filii noſtri Caroli Sancti Georgii ad velum aureum Diaconi Cardinalis Confeſſor exiſtis, prȩmiſſorum intuitu in Pȩnitentiarium

Exordium.

noſtrum in Romana Curia cum ſtipendiis, honoribus, & oneribus conſuetis conſtituimus, & etiam ordinamus, tibi tenore preſentium committendo, ut hujuſmodi officium Pęnitentiarię in eadem Curia, ſicut alii noſtri in Curia ipſa Pęnitentiarii illud ibidem gerere, & exercere conſueverunt, diligenter & fideliter exequaris. Volumus tamen, quod tu, priuſquam ipſum officium incipias exercere, in manibus venerabilis Fratris noſtri Jordani Epiſcopi Albanen. Pęnitentiarię noſtrę curam gerentis de hujuſmodi fideliter exercendo officio pręſtes corporaliter juramentum juxta formam pręſentibus annotatam, quę talis eſt. Ego Johannes de Caſanova Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſor, Magiſter in Theologia, Domini noſtri Papę Pęnitentiarius, ab hac hora in antea fidelis ero Beato Petro, Sanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo Domino Martino Papę Quinto ejuſque Succeſſoribus Canonice intrantibus &c. Sic me Deus adjuvet & hęc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, ordinationis, commiſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię II Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Pœnitentiarius creatur.

a. *Johannes de Caſa nova.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

a. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXV fol.55*. Ceterum tenorem juramenti, quod hic inſcribitur, habes in *Conſtitutione VII Bonifatii IX pag.113*.

3. *Religionis Zelus.*) Ne longum ſit miſſa ſunt ejuſdem tenoris alia Diplomata, quibus Fratres Prædicatores Pœnitentiarios ſuos creavit *Martinus V*. Quædam ſervantur in Archivo Ordinis, quibus Summus ille Pontifex Pœnitentiarios tenunciavit

F. Johannem Crucelli, Diplomate dato Florentiæ VI Kalendas Julii, Pontificatus Anno Tertio. *Ex Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol.134*.

F. Johannem de Curraii, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum XIV Kalendas Januarii, Pontificatus Anno Quarto. *Ex Archivo Apoſtolico Libro LI fol.50*.

F. Iſnardum Lhuntandi, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum VII Kalendas Junii, Pontificatus Anno Quarto. *Ex Archivo Apoſtolico Libro LI fol.50*.

F. Hugonem de Alba, Diplomate dato Romæ apud S.Petrum XVII Kalendas Maii, Pontificatus Anno Quinto. *Ex Archivo Apoſtolico Libro LXIV fol.130*.

F. Antonium Sancti de Reate, Diplomate dato Romæ apud S. Petrum V Idus Martii, Pontificatus Anno Sexto. *Ex Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.180*.

F. Johannem Scutiferi, alumnum Cœnobii Lingonenſis, Diplomate dato Cavis, Pœneſtrin. Diœceſis VII Idus Julii, Pontificatus Anno Undecimo *Ex Archivo Apoſtolico Libro CXXXIX fol. 235*.

F. Dominicum de Roſerio, Diplomate dato Romæ apud SS. Apoſtolos XI Kalendas Maii, Pontificatus Anno Duodecimo. *Ex Archivo Apoſtolico Libro CLXI fol.245*.

Anno 1419 Die 9 Octobris.

Martinus (1) de Chiari Ordinis FF. Prædicatorum Unitorum, Epiſcopus Nachuanenſis conſtituitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Martino de Chiari, Electo Nachuanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

EX paſtoralis ſuſcepti cura regiminis, quę univerſis Chriſti fidelibus Nos conſtituit debitores, inter cetera deſiderabilia cordis noſtri Animarum ſalutem, incrementum verę fidei, ac quietem, & pacem fidelibus ipſis adeſſe, permaxime affectamus, &, licet ſingulis regionibus Deo, & Apoſtolicę Sedi devotis favorem Apoſtolicum impendere debeamus, viſuri, quid gregi dominico expediat, & quid operis impendi debeat circa ipſum, ad ſalutem tamen chriſti fidelium qui infidelibus undique circumdati, ut vera fide relicta ad idololatriam ſubvertantur. continuo infeſtantur, ac fidei conſervationem, & augmentum eo propenſius, quo ipſi eorum viduati Epiſcopo, & Paſtore, facilius poſſent periculum animarum incurrere, nimirum totis ſenſibus vigilamus Dudum ſiquidem in noſtri Apoſtolatus primordiis fide dignis relatibus intellecto, quod Eccleſia Nachuanen., cui bonę memorię Mictareus pręſidebat, per ipſius Mictarei obitum, qui Apoſtolica Sede vacante extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacaverat, & adhuc per hujuſmodi obitum vacabat tunc, Nos, cupientes eidem Eccleſię utilem, & idoneam per Apoſtolicę Sedis providentiam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, & ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum Unitorum In illis partibus nuncupatorum, Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum ſpiritualium providentia, temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, quodque eiſdem Eccleſię & Armenię fidelibus, quorum Idioma bene intelligis, & intelligibiliter loqueris, eſſe poteris verbo pariter & exemplo, & alias quamplurimum fructuoſus, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & dictis Fratribus, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta, pręfatę Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem; curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus & temporalibus plenarie committendo; in illius virtute, a quo chariſmatum dona proveniunt confidentes, quod gratia tibi ſuffragante divina, circa inſtructionem & cor-

Martinus Epiſcopus creatur.

Digitized by Google

& corroborationem fidelium prędictorum in hujuſmodi fide, non ſolum doctrina verbi, ſed etiam exemplo boni operis, indefeſſis ſtudiis laborabis, ac dicta Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter, & proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa. Jugum igitur Domini, tuis impoſitum humeris, prompta devotione ſuſcipiens, ad Eccleſiam prędictam cum gratia noſtrę benedictionis accedas: curam, regimen, & adminiſtrationem prędictam ſic gerendo, & fideliter exercendo, quod ſperati fructus adveniant ac Eccleſia ipſa gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam, tuque exinde cum grege tibi commiſſo ęternę felicitatis gaudia merearis, & lauream in gloria Supernorum. Datum Florentię VII Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Martinus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXII fol.* 194.

Anno 1419 Die 20 Octobris.

Ut F. Bartholomæus Scala (1) Theologiæ Magiſter creetur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Aufragola (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, in Romana Curia ejuſdem Ordinis Procuratori Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VIri Sacrę lectioni dediti, & in Lege Domini eruditi, Apoſtolici favoris gratiam promerentur, eoque benignius decet honeſtis ipſorum deſideriis annui, quo ex eorum profectibus maior poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Bartholomęi Scalę, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, ipſe, qui diutius Theologię facultatis ſtudio in multis dicti Ordinis Domibus, ac Generalibus Studiis per plures annos inſtitit, & actus ſcholaſticos exerceri ſolitos, & Gradus recipi conſuetos, exercuit, ac recepit, & dudum per Capitulum Generale dicti Ordinis in Villa Montis-Peſſulan. Magalonen. Dięceſis celebratum juxta ipſius Ordinis morem ad legendum Bibliam, & Libros Sententiarum, ac recipiendi Magiſterii gradum in eadem Theologia in Studio Pariſien. fuerit deputatus, ipſeque, poſtquam Bibliam, & libros hujuſmodi legit, ad recipien. eundem Magiſterii gradum juxta morem huiuſmodi habilitatus extiterit, cupiatque in Romana Curia gradum recipere memoratum; Nos de permiſſis, ac ipſius Bartholomęi ſufficientia, & idoneitate certam notitiam non habentes, ac volentes eum, alias apud Nos de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtate, aliiſque probitatis & virtutum meritis multipliciter commendatum, ut de hujuſmodi ſuo fructuoſo, & commendabili labore optatum fructum reportet, ac pręmium, & honorem, favore proſequi gratioſo, diſcretioni tuę per Apoſtolica Scripta mandamus, quatenus, ſi per tuam, & aliorum, ſaltem trium, vel quatuor, in eadem Theologia Magiſtrorum, diligentem examinationem, eundem Bartholomęum ſcientia, vita, & moribus ad hoc ſufficientem, & idoneum eſſe repereris, eidem Bartholomęo, aliis circa hoc juxta morem ejuſdem Romanę Curię debitis, & conſuetis ſolemnitatibus obſervatis, hujuſmodi gradum Magiſterii in eadem Theologia auctoritate Apoſtolica ſtudeas impertiri, ſibique eadem auctoritate concedas, ut ipſe omnibus gratiis, privilegiis, & juribus Magiſtris hujuſmodi Facultatis in eodem Ordine pro tempore exiſtentibus quomodolibet conceſſis, gaudeat, & fruatur, non obſtan. quibuſcunque privilegiis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis, & Studiorum prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de illis, ac eorum totis tenoribus eſſet in pręſentibus ſpecialis, & expreſſa mentio facienda. Datum Florentię XIII Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Supplex petitio.

Mandatum.

1. *Bartholomaeus Scala.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Pii II*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXV fol.* 183.

3. *Aufragola.*) *Afragola*, *Neapolitanus* ſcilicet, oriundus ex ea civitatis parte, quam dicunt *Afragolam*.

Anno 1419 Die 21 Octobris.

Epiſcopi Nachuanenſis (1) eligendi facultatem facit Armenis Fratribus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

CIrcumſpecta caritas Apoſtolicę Sedis propagationi Catholicę fidei, & ſaluti animarum, intenta, illa libenter concedit, cum neceſſitas imminet, & utilitas perſuadet, per quę propagatio, & ſalus hujuſmodi valeant facilius provenire. Sane cum pridem Eccleſię Nachuanen. paſtoris regimine deſtitutę de perſona dilecti filii Martini de Chiari Ordinis Prędicatorum, nunc nuncupati Unitorum (3), Ordinem ipſum expreſſe profeſſi, & in Sacerdotio conſtituti, Nobis, & Fratribus noſtris, ob ſuorum exigentiam meritorum accepta, de Fratrum eorundem conſilio, auctoritate Apoſtolica duxerimus providendum, pręficiendo eundem illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, ac felicis recordationis Gregorius PP. XI, Prędeceſſor noſter, circumſpecte providens, nonnullos Fratres prędicti Ordinis ad partes Armenię majoris, & pro fide ad prędicandum fidem Chriſti & ad regendum, & ad confortandum catholicos in eiſdem partibus commorantes, duxerit deſtinandos, ac Fratres ipſi, qui ad pręſens Ordinis Unitorum vocantur, ibidem exiſtentes, fidem prędicent, dictoſque catholicos in fide conſervent, ab hęreticorum veneno, & gentilium impuritate omni cum vigilantia pro-

protegentes, ne dominici gregis oves lupus rapax invadendo diripiat, quia Eccleſia Nachuanen. prędicta in partibus prędictis exiſtens, utpote poſita inter infidelium nationes, Capitulo, ad quod ſecundum inſtituta ſacrorum canonum electio futuri Pontificis, cum Eccleſia ipſa vacaret, & Metropolitano (4) ad quem hujuſmodi electionis confirmatio pertineret, caret, & Apoſtolica Sedes, quę divina diſ- Diplomatis cauſa. poſitione pręeſt cunctis orbis Eccleſiis, & illis cum ſibi placet de perſonis, quas ad id idoneas reputat, providere poteſt, eidem Eccleſię, cum eam vacare contingit, nequit, ut decet, celeriter de idoneo paſtore propter magnam locorum diſtantiam providere, propter quę Eccleſia ipſa ſępe longo tempore vacare dignoſcitur, in dictę fidei, & animarum gravilſſimum detrimentum, Nos, cupientes detrimento hujuſmodi obviare, eiſdem Fratribus dicti Ordinis Prędicatorum nuncupati Unitorum pręſentibus, & futuris, qui ad partes eaſdem de licentia Sedis prędictę, vel dilecti filii Magiſtri dicti Ordinis pro tem- Facultas. pore exiſtentis accedent, quorumque nomina haberi volumus pręſentibus pro expreſſis, ſi, & cum contigerit prędictum Martinum promotum, & quemcunque alium ex ſucceſſoribus ejus in dicta Eccleſia eximi ab humanis, eligendi ſucceſſorem idoneum in Epiſcopum, & paſtorem prędictę Eccleſię ſic vacantis, & venerabili Fratri Epiſcopo Caſſen. pręſenti, & pro tempore exiſtenti, vel alii, qui Eccleſię prędictę Nachuanen proximior erit, electionem hujuſmodi, prout juſtum fuerit, confirmandi, vel infirmandi, & dicto Martino nunc per Nos promoto, cum verſus partes illas eſſe reperiatur ad pręſens, ac cuicunque alteri ex ſucceſſoribus ſuis, cujus electio, & confirmatio, hujuſmodi ſecundum ritum Romanę Eccleſię extiterint, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus vel tribus aliis catholicis Antiſtitibus gratiam & communionem dictę Sedis habentibus, ſi eos commode habere poterit, ſuper quo ejus aſſertioni conſcientię ſtari volumus, alioquin ipſi ſoli in aliqua Eccleſia cujuſcunque Civitatis, vel Diœceſis partium prędictarum, vel alterius partis, munus conſecrationis impendendi, quibuſcunque conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus, tenore pręſentium, auctoritate Apoſtolica, plenam & liberam poteſtatem, & licentiam elargimur. Pręſentibus poſt triginta annos minime valituris. Volumus autem quod dictus Martinus promotus, & quilibet alius ex Succeſſoribus ſuis eligendus, & promovendus Epiſcopus, ſtatim poſt impenſum eis hujuſmodi munus conſecrationis in manibus dicti Epiſcopi qui eis hujuſmodi munus impendet, pręſtent fidelitatis debitę juxta ſubſcriptam formam ſolitum juramentum. forma autem juramenti talis eſt: Ego N Epiſcopus ab hac hora in antea fidelis, & obediens ero Beato Petro, ſanctęque Romanę Eccleſię, ac Domino meo Domino Martino PP. Quinto, ſuiſque Succeſſoribus canonice intrantibus, non ero in conſilio aut conſenſu, vel facto ut vitam perdant aut membrum, ſeu capiantur mala captione, conſilium vero quod mihi credituri ſunt, per ſe, aut Nuncios, aut literas ad eorum damnum me ſciente nemini pandam, Papatum Romanum & Regalia Sancti Petri &c. adjutor eis ero ad retinendum, & defendendum ſalvo meo ordine contra omnem hominem Legatum Sedis Apoſtolicę in eundo, & redeundo honorifice tractabo, & in ſuis neceſſitatibus adjuvabo, vocatus ad Synodum veniam, niſi prępeditus fuero canonica prępeditione: poſſeſſiones vero ad menſam meę Eccleſię pertinentes non vendam, neque donabo, neque impignerabo, neque de novo infeudabo, vel alio modo alienabo inconſulto Romano Pontifice. Sic me Deus adjuvet, & hęc Sancta Dei Evangelia. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię XII Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Nachuanenſis.*) Quod hæc Sedes ſit in *Armenia*, liquet ex ipſa *Conſtitutione*. De *Martino*, cujus hic mentio, dicetur in *Appendice ad præſentem Pontificatum*. *De jure ad* eligendum, quod ſibi vindicant *Armeni*, conſulendus *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Titulo IX pag.56*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXV fol.263*. Idem Diploma tranſcripſit *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXIX pag. 308*.

3. *Unitorum.*) De quibus ſæpius dictum fuit.

4. *Metropolitano.*) *Soltanienſis* Metropolis poſtea juris fuit *Nachuanenſis* Sedes, ut ex *Conſtitutione data XXVII Novembris MCCCCXIX* videre eſt.

Anno 1419 Die 20 Octobris.

Inſcribit, & firmat Conſtitutionem Bonifatii IX datam in gratiam FF. Unitorum (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

XXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut ſuum jus cuilibet conſervetur, ac religioſe viventibus, Exordium. ut liberius, ferventiuſque valeant Domino famulari, Apoſtolici favoris benigna ſuffragia decet impendi. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum, & pręſertim unius declarationis Bonifatii PP. IX, ſic in ſua obedientia nuncupati, in Regiſtro ipſius Bonifatii repertum pro eo quod, ſicut nuper exhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum Gubernatoris, & Fratrum Ordinis Unitorum vocati, de Armenia Majori, petitio continebat, ipſi hujuſmodi tenore indigere noſcuntur, ad eorum inſtantiam de Regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, ac pręſentibus annotari fecimus, qui eſt talis. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. Creditum nobis deſuper Inſcribitur conſtitutio Bonifatii IX. Apoſtolicę Servitutis officium &c. (3). Datum Romę apud S. Petrum IV Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ceterum ut earundem literarum, & declarationis tenor, ſic inſertus, omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica, auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eandemque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quę haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi, Confirmatio. ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, & inſuper auctoritate pręfata, ex certa ſcientia, dictas literas, gratiam, declarationem, & indultum confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ac

ac etiam de benignitate Apoſtolica innovamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conſtitutionis, confirmationis, & innovationis, & roborationis infringere &c. Datum Florentię VII Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo. Sanctio pœnalis.

1. *Unitorum.*) De quibus in *Notis ad Conſtitutiones V, & VII Innocentii VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXV fol. 264.*

3. *Officium &c.*) Ut in *Conſtitutione Bonifatii IX Data XXVIII April. MCCCXCIX*, ad finem uſque.

F. Franciſcum Sala (1) de Tarraconenſi ad Barchinonenſem Domum transfert.

Anno 1419 Die 30 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Franciſco Sala, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DEvotionis tuę probata ſinceritas, quam ad Nos, & Romanam Eccleſiam gerere comprobaris, necnon fidei tuę puritas, quam in exterminandis vepribus hęreticę pravitatis diligenter, ac prudenter hactenus oſtendiſti, merito Nos inducunt, ut illa tibi favorabiliter concedamus, quę tibi, ut Altiſſimo cum animi tui quiete congruentius deſervire valeas, fore conſpicimus opportuna. Cum itaque, ſicut in noſtra propoſuiſti pręſentia conſtitutus, tu, qui, ut aſſeris, domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Terraconen. (3) tam Religionis profeſſione, quam etiam in Sacrę Theologię Magiſterio, juxta ipſius Ordinis morem, filius nativus, ac in Regnis & terris cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Aragonum Illuſtris citra mare (4), & Comitatu Inquiſitor hęreticę pravitatis deputatus exiſtis, tam pro Inquiſitionis hujuſmodi officio in prędicto Comitatu Roſſilionis utilius exercendo, quam pro animi tui quiete cupias ad domum Fratrum dicti Ordinis Barchinonen. te transferre; Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, ut etiam Superioris tui prędicti Ordinis licentia, non petita, nec obtenta, de dicta domo Terraconen. ad prędictam domum Barchinonen. te transferre libere, & licite valeas, auctoritate Apoſtolica de ſpeciali gratia, tenore pręſentium indulgemus, volentes, ac prędicta tibi auctoritate concedentes, quod poſtquam ad prędictam domum Barchinonen. te tranſtuleris, ut pręmittitur, etiamſi officium Inquiſitionis hujuſmodi deſinas exercere, perinde illius Frater, & juxta morem hujuſmodi filius nativus habearis, ac omnibus, & ſingulis gratiis, & libertatibus quibus Fratres profeſſi nativi, & Magiſtri in eadem Theologia dictę domus Barchinonen. pro tempore exiſtentes, uti, & gaudere conſueverunt, gaudeas, & utaris, ac ſi in ea, & pro ea habitum recepiſſes, ac emiſiſſes profeſſionem Ordinis prędicti, ejuſdemque domus Barchinonen. Magiſter in hujuſmodi Theologia exiſteres. Non obſtantibus quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus domorum, & Ordinis prędictorum contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda eſſet in pręſentibus mentio ſpecialis. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię III Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Exordium. Supplex petitio. Conceſſio.

1. *Franciſcum Sala.*) Cujus meminit *Diago Hiſtor. Provincię Aragon. Lib. I Cap. XXXII pag. 59.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXV fol. 284.*

3. *Terraconen.*) *Tarraconen.*

4. *Citra Mare.*) Hinc, quod in Regno *Majoricenſi* alius Inquiſitor per id tempus conſtitutus fuerit, liquet. Maximi momenti eſt hæc *Notatio*, ut diluantur objecta quorundam *Lulliſtarum*, qui noviſſimis his diebus atro dente petierunt venerabilem virum *Eymericum*. Sed de his alias.

Ut Sacræ, ceteræque ædes Monaſterii S. Nicolai de Prato (1) reficiantur, Indulgentias elargitur.

Anno 1419 Die 4 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XL.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet is &c. (3). Cum autem, ſicut accepimus, Eccleſia, & alia ędificia Monaſterii Monialium S. Nicolai de Prato, Ordinis S. Auguſtini, Piſtorien. Diœceſis, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum degentium, reparatione indigeant non modicum ſumptuoſa, ad quam proprię ipſius Monaſterii non ſuppetunt facultates; Nos, cupientes, ut Eccleſia, & ędificia hujuſmodi debite reparentur, ac Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, & etiam conſerventur, ac fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad illius, & ędificiorum prędictorum, reparationem, & conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, qui in feſtivitate S. Nicolai, ſub cujus Vocabulo Eccleſia, & Monaſterium hujuſmodi ędificata exiſtunt, eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad hujuſmodi reparationem, & conſervationem, manus porrexerint adjutrices, ut pręfertur, tres Annos & totidem quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, aut ad ejus ſeu ędificiorum prędictorum, reparationem, ſeu hujuſmodi conſervationem, manus adjutrices porrigentibus, vel alias inibi pias elee-

Indulgentia.

eleemoſynas erogantibus, ſive alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum, duratura per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Florentię II Non. Novemb., Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *S. Nicolai de Prato.*) Juris eſt Provinciæ *Romanæ*, ſitum in *Piſtorienſi* Diœceſi *Hetruriæ*.

2. *Archivo*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXIX fol.* 261.

3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX* ad hæc uſque verba *Gratia aptiores*.

Anno 1419 Die 6 Novembria.

Inquiſitio Gebennenſis (1) Ordini FF. Prædicatorum reſtituta.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

INter cetera Religionis ea, quę pro jugi catholicę fidei profectu antiqua Prędeceſſorum noſtrorum
providentia diſpoſuit, Apoſtolico roborare munimine pro majori perſonarum tranquillitate Nos
Exordium. convenit, omnemque inter perſonas ſacrę Religioni deditas ingruentem, ut fit interdum, controverſię
materiam rotaliter amputare. Dudum ſiquidem fel. rec. Nicolaus PP. IV (3) Prędeceſſor noſter ad re-
preſſionem errorum, & confuſionem pravitatis hęreticę in Biſuntin. (4), Gebennen., Lauſannen., Sedu-
Hujusce Diplomatis cauſa. nen., Tullen., Meten., & Virduneo., Civitatibus, & Dięceſibus intendens, ad hoc Inquiſitores hęre-
ticę pravitatis in Civitatibus, & Dięceſibus prędictis per Priorem Provincialem Fratrum Ordinis Prę-
dicatorum Provincię Francię ſecundum morem dicti Ordinis pro tempore, quotiens opus eſſet, provi-
dit deputandos, & deinde tacito de pręmiſſis quondam Alexander V (5) in ſua obedientia, de qua partea
illę exiſtebant, tunc nuncupatus, ſuas direxit, ac demum Nos, divina favente clementia, ad apicem
Summi Apoſtolatus aſſumpti, noſtras conceſſimus dilecto filio Pontio Feugeyronis, Ordinis Fratrum
Minorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, literas, quarum omnium tenores de verbo ad verbum prę-
Bullam Nicolai IV inſcribit. ſentibus inſeri fecimus; qui tales ſunt. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori
Provinciali Fratrum Ordinis Prędicatorum in Francia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Prę
cunctis noſtrę mentis &c. (6). Alexander (7) Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Pontio
Feugeyronis, Ordinis Fratrum Minorum Profeſſori in Sacra Theologia Magiſtro, Inquiſitori Hęreticę
Tenor Conſtitutionis Alexandri V. pravitatis Avinionen. nominato, in Provinciis Arelaten., Aquen., & Ebredunen., & in omnibus terris &
locis (8) infra dictarum Provinciarum terminos conſtitutis, necnon in Lugdunen., Viennen., & Bellicen.
(9), Gratianopolitan. (10), Maurianen. (11), Dien. (12), Valentin. (13), Vivarien. (14), Tarentaſien.
(15), & Auguſten. (16) Civitatibus, ac Dięceſibus, ac in Delphinatu, Comitatibuſque Provincię (17),
Forcalquerii (18), & Venayſſini (19), ac in Principatu Aurayceo. (20), necnon in Civitate, & Dięceſi
Avinionen., ceteriſque aliis terris, & locis auctoritate Apoſtolica deputato, Salutem, & Apoſtolicam
Benedictionem. Ab exordio naſcentis Eccleſię Paſtores vigilare cęperunt contra pſeudo-chriſticolas, qui
vineam Domini Sabaoth, catholicam videlicet Eccleſiam, diffuſam per Orbem, quaſi vulpeculę demo-
liri conantur: quorum Paſtorum exemplo laudabili, Prędeceſſores noſtri, Romani Pontifices, qui fue-
runt pro tempore, ſe murum defenſionis pro domo Domini opponentes, ardore chriſtianę fidei, & re-
ligionis accenſi, circumſpecta vigilantia ſtuduerunt ordinare per diverſa mundi climata Inquiſitores
contra maculatos hęretica pravitate, eorumque fautores, & defenſores diverſarum ſectarum ad inſtar
vulpium caudas habentium colligatas, eiſdem Inquiſitoribus auctoritate conceſſa, procedendi contra
eos juxta canonicas ſanctiones, ac privilegia, & ſtylum hujuſmodi Inquiſitionis officii hactenus obſerva-
rum. Sane nuper dolenter audivimus, quod infra terminos in quibus Inquiſitor hęreticę pravitatis es
auctoritate Apoſtolica deputatus, videlicet Arelaten., Aquen., & Ebredunen. Provinciis, necnon Lug-
dunen., Viennen., Bellicen., Gratianopolitan., Maurianen., Dien., Valentin., Vivarien., Tarentaſien.,
& Auguſten., Civitatibus & Dięceſibus, & in omnibus terris, & locis infra dictarum Provinciarum &
Dięceſum terminos conſtitutis, ac in Delphinatu, Comitatibuſque Provincię, Forcalquerii, & Venayſſini,
ac Principatu Auraycen., necnon in Civitate & Dięceſi Avenionen., & nonnullis aliis terris, & locis illa-
rum partium, plerique neſcientes in ſemitis juſtitię dirigere greſſus ſuos, ſed diverſa Catholicę fidei,
ac etiam ſacris Canonibus adverſa, ſeu contraria, per quę ſe ipſos & multos ſimplices ſecum trahunt dam-
nabiliter in gehennam, conantur dogmatizare, & etiam ſalutares determinationes Generalis Concilii
nuper in Civitate Piſan., in qua cum noſtra Curia reſidemus, celebrati ſuper integritate, & unione uni-
verſalis Eccleſię ſalubriter factas, & potiſſime, ac ſpecialiter condemnationem de Angelo Corario, qui
olim in ſua obedientia Gregorius XII, & Petro de Luna, qui olim in ſua obedientia Benedictus XIII,
nominabantur, inveterati ſchiſmatis, quod tunc in prędicta Eccleſia vigebat, pertinacibus nutritoribus,
ac fautoribus, necnon invicem de Papatu contendentibus, immo verius colludentibus, etiam in eodem
Concilio ſententialiter facta, verbo, & facto temere ſatagunt impugnare in fomentum ſchiſmatis, ac fa-
vorem Angeli, & Petri prędictorum, eiſque adhęrentium, & faventium in hac parte; quodque nonnulli
Chriſtiani, ac perfidi Judęi, infra eoſdem terminos conſtituti, novas Sectas, & prohibitos ritus eidem
fidei repugnantes inveniunt, quos ſaltem in occulto dogmatizant, docent, prędicant, & affirmant,
ſuntque infra eoſdem terminos multi Chriſtiani, & judęi, & ſortilegi, divini, dęmonum invocatores,
carminatores (21), & conjuratores, ſuperſtitioſi augures, utentes artibus nefariis, & prohibitis, quibus
chriſtianum populum, ſeu pleroſque ſimplices illarum partium maculant, & pervertunt. Prętérea
quidam prędictorum judęorum nonnullos neophitos, ſeu ad eandem fidem noviter de judaica cęcitate
converſos, ad rejudaizandum, ſeu ad ritus judaicos execrabiles reſumendum, directe, vel indirecte,
mediate, vel immediate inducere ſatagunt, necnon impio, quem Talmud appellant, aliiſque libris ſuis,
plures tam ſcriptos, quam etiam alios damnatos errores publice aſtruunt, quibus utique corda ſimplicium
etiam

etiam ſępe maculant, & confundunt invehentes contra fidem catholicam, & doctrinam veritatis, atque etiam in ſua lege Moſayca multifarie deficientes. Demum etiam quidam Chriſtiani & judęi earundem partium non verentur aſſerere, quod uſura non ſit peccatum, aut recipere decem pro centum mutuo datis, ſeu quicquam aliud ultra ſortem in his, & ſimilibus, atque in nonnullis aliis ſpiritualibus & gravibus pręceptis, multipliciter excedunt, & alios deludunt. Nos igitur, qui dictorum Prędeceſſorum veſtigia ferventibus imitamur affectibus, ac deſideramus ejuſdem fidei ac Religionis ampliari cultum, & extirpare hujuſmodi errores, & etiam pravitates: diſcretioni tuę, de cujus fidelitate, & induſtria, ac circumſpectione fiduciam in Domino gerimus pręcipuam, tenore pręſentium ſpecialiter committimus, quatenus ad extirpationem omnium hujuſmodi pravitatum, & errorum ab eiſdem omnibus, & ſingulis terminis, & partibus, cooperante Domino, vigilanter inſiſtas contra ipſos chriſtianos, & judęos qui hujuſmodi errores fovere, ſeu aſtruere, defendere, aut alias ſequi pręſumunt, atque eorum fautores, receptatores, & defenſores, & ſequaces. Nos enim tibi inquirendi, eoſque citandi, & examinandi, & contra ipſos uſque ad diffinitivam ſententiam incluſive, una cum Dięceſanis locorum ordinariis, & alias, prout de jure fieri conſuevit in talibus, procedendi, prout juris fuerit & rationis, ſummarie, & de plano, necnon abſque judiciorum, & advocatorum ſtrepitu, & forma judicii. Illos quoque, quos per Inquiſitionem hujuſmodi dictos errores committere, aut fovere, ſeu alias in aliquo pręmiſſorum culpabiles, aut etiam pravitates exercere, repereris, juxta eorundem delinquentium exceſſus & demerita, puniendi, ſeu per cenſuram eccleſiaſticam, & alia tam juris, quam conſuetudinis opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, & omnia alia, & ſingula in pręmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu opportuna, exequendi, ſtatuendi, & ordinandi juxta prudentiam a Domino tibi datam, plenam & liberam, tenore pręſentium concedimus facultatem; mandantes etiam univerſis, & ſingulis chriſti fidelibus ſub examine diſtricti judicii, quatenus in omnibus & ſingulis, quę ad hujuſmodi commiſſionem ſpectant, tibi obediant efficaciter, & intendant, ac, prout expedierit, & eos requiſieris, pręſtent auxilia, conſilia, & favores. Non obſtantibus ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra dietas, vel certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet privilegiis, & indulgentiis, generalibus, vel ſpecialibus, ſub quacunque verbbrum forma eis conceſſis, per quę pręſentibus nolumus aliquod obſtaculum interponi; necnon tam fel. recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, de una, & duabus dietis in Concilio Generali, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Datum Piſis III Kal. Septembris, Pontificatus noſtri, Anno Primo (22).

Martini V Conſtitutio in gratiam F. Pontii Feugeyronis, Ordinis Minorum.

Martinus (23) Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Pontio Feugeyronis, Ordinis Fratrum Minorum profeſſori, in Theologia Magiſtro, Inquiſitori Hęreticę pravitatis Avinionen. nominato, in Arelaten., Aquen., Ebredunen., Provinciis; necnon in Lugdunen., Viennen., Bellicen., Gratianopolitan., Maurianen., Gebennen., Valentin., Vivarien., Dien., Tarentaſien., & Auguſten. Civitatibus, & Diœceſibus, & in omnibus terris & locis infra dictarum Provinciarum & Diœceſum terminos conſtitutis, ac in Delphinatu, Comitatibuſque Provincię, Forcalquerii, & Venayſſini, ac in Principatu, Auraycen., necnon in Civitate & Diœceſi Avinionen., & nonnullis aliis terris, & locis auctoritate Apoſtolica deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Licet ubilibet Apoſtolicę Sedis providentia circumſpecta circa hęreticę pravitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit ut cancer, ne in aliorum perniciem ſua venena diffundant, remedium libenter adhibeat opportunum, tamen in Arelaten., Aquen., Ebredunen. Provinciis, necnon Lugdunen., Viennen., Bellicen., Gratianopolitan., Maurianen., Gebennen., Valentin., Vivarien., Dien., Tarentaſien., Auguſten. Civitatibus, & Diœceſibus; ac in omnibus Terris, & locis infra dictarum Provinciarum, & Diœceſum terminos conſtitutis, ac in Delphinatu, Comitatibuſque Provincię, Forcalquerii, ac Venayſſini, ac in Principatu Auraycen., necnon in Civitate noſtra, & Diœceſi Avinionen., & nonnullis aliis partibus, & locis, ad quos, & eorum Incolas affectum gerimus ſpecialem, pręcipue cupimus, ut negotia fidei jugi profectu, eliſis omnino, & eradicatis erroribus, proſperentur, fideſque catholica fortius invaleſcat. Sane dudum ad quondam Alexandri, V in ejus obedientia nominati, auditum pervenit, quod infra terminos, & partes prędictos, plerique neſcientes in ſemitis juſtitię dirigere greſſus ſuos, ſed per diverſa catholicę fidei, ac etiam ſacris canonibus adverſa, ſeu contraria, per quę ſe, & multos ſimplices ſecum trahebant damnabiliter in gehennam, conabantur dogmatizare, quodque nonnulli chriſtiani, & perfidi judęi, infra eoſdem terminos conſtituti, novas ſectas, & prohibitos ritus eidem fidei repugnantes inveniebant, quos ſaltem in occulto dogmatizabant, docebant, & prędicabant, & affirmabant, erantque etiam infra eoſdem terminos multi chriſtiani & judęi, ſortilegi, divinatores, dęmonum invocatores, carminatores, conjuratores, ſuperſtitioſi, augures, utentes artibus nefariis, & prohibitis, quibus chriſtianum populum, ſeu pleroſque ſimplices illarum partium maculabant, & pervertebant. Pręterea quidam prędictorum judęorum, nonnullos neophitos, ſeu ad eandem fidem noviter de judaica cęcitate converſos, ad rejudaizandum, ſeu ad ritus judaicos execrabiles reſumendum directe, vel indirecte, mediate, vel immediate inducere ſatagebant, necnon impio, quem Talmud appellant, aliiſque libris ſuis plures tam ſcriptos, quam etiam alios damnatos errores publice aſtruebant, quibus utique corda ſimplicium etiam ſępe maculabant, & confundebant, invehentes contra fidem catholicam, & doctrinam veritatis, atque etiam in ſua Lege Moſayca multifarie deficientes. Demum etiam quidam chriſtiani, & judęi illarum partium non verebantur aſſerere, quod uſura non ſit peccatum, aut recipere decem pro centum mutuo datis, ſeu quicquam aliud ultra ſortem, in his & ſimilibus, atque nonnullis aliis ſpiritualibus, & gravibus peccatis multipliciter excedebant, & pleroſque deludebant, idem Alexander, tunc Papa nominatus, volens ejuſdem fidei, & religionis ampliare cultum, & extirpare hujuſmodi errores, & pravitates, tibi per ſuas literas commiſit, quatenus ad extirpationem omnium hujuſmodi pravitatum & errorum ab eiſdem omnibus, & ſingulis terminis, & partibus vigilanter inſiſteres contra ipſos chriſtianos, & judęos, qui hujuſmodi errores

ſo-

fovere, ſeu aſtruere, defendere, aut alias ſequi pręſumerent, atque eorum fautores, & receptatores, & defenſores, ac ſequaces: Et etiam tibi inquirendi, eoſque citandi, examinandi, & contra eos uſque ad difinitivam ſententiam incluſive procedendi, prout juris foret, & rationis, ſummarie, & de plano, necnon abſque judiciorum & advocatorum ſtrepitu, & forma judicii; Illos quoque, quos per inquiſitionem hujuſmodi dictos errores committere, aut fore, ſeu alias in aliquo pręmiſſorum culpabiles, ſeu etiam pravitates exercere, repereris, juxta eorundem delinquentium exceſſus, & demerita puniendi, ſeu per cenſuram eccleſiaſticam & alia tam juris, quam conſuetudinis, opportuna remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendi, invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, & omnia alia in pręmiſſis, & circa ea neceſſaria, ſeu quomodolibet opportuna exequendi, ſtatuendi, & ordinandi, juxta datam tibi a Domino prudentiam, plenam, & liberam conceſſit facultatem, prout in eiſdem literis plenius continetur. Quare pro parte tua nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut deputationi, & commiſſioni prędictis, ac aliis omnibus & ſingulis in eiſdem literis contentis robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, necnon alias in pręmiſſis pro catholicę fidei augmento providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, dictaſque deputationem, facultatem, & omnia in eiſdem literis contenta auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium confirmantes, & approbantes, ac nihilominus ad perſonam tuam, quam religionis, & fidei ſinceritate, ac maturitate, morum & literarum ſcientia, multarumque virtutum donis earum largitor, Dominus inſignivit, dirigentes intuitum noſtrę mentis, te, qui ad Generale Concilium Conſtantien. pro parte totius Ordinis Fratrum Minorum deſtinatus fuiſti, & quem ex multorum notabilium perſonarum Nobis facta relatione fideli, ad hujuſmodi officium ſufficientem, & idoneum reputamus, Inquiſitorem hereticę pravitatis in omnibus & ſingulis terminis ſupradictis, juxta prędictarum literarum tenorem, & formam, auctoritate prędicta, tenore pręſentium deputamus; mandantes etiam univerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus ſub examine diſtricti judicii, quatenus in omnibus & ſingulis, quę ad hujuſmodi deputationis, & Inquiſitionis ſpectant officium, tibi obediant efficaciter, & intendant, ac, prout expedierit, & eos requiſieris, pręſtent auxilia, conſilia, & favores. Non obſtantibus, ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede prędicta ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut ultra dietas, vel extra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet privilegiis, ac Indulgentiis, generalibus, vel ſpecialibus ſub quacunque verborum forma eis conceſſis, per quę pręſentibus aliquod nolumus obſtaculum interponi; necnon tam fel. recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, de una & duabus Dietis in Concilio Generali, quam aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, approbationis, mandati, & voluntatis infringere &c. Datum Conſtantię III Non. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Primo (24). Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dictorum Prioris & Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, pręfatus

Decernit ut ſupra.

Pontius noſtris, ac pręfati Alexandri literis hujuſmodi munitus, officium Inquiſitionis pravitatis dictę, in Civitate & Dięceſi Gebennen. prędictis, ſaltem cum illius Inquiſitore, per Priorem prędictum inibi deputato, non ſine evidenti literarum dicti Prędeceſſoris evacuatione, ac plurimum nominis, & famę Prioris, & Fratrum Prędicatorum, ac eorum Ordinis prędictorum abjectu, exercere conetur, unde poſſint nedum inter eoſdem Priorem & Fratres Prędicatorum, ac Pontium, ſed etiam inter univerſos dictorum Ordinum profeſſores, in illis partibus degentes, gravia diſcrimina, & circa exercitium dicti officii perplexitates varię exoriri, pro parte dictorum Prioris, & Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut providere ſuper hoc opportune de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui inter Religioſas perſonas pacis, & caritatis commoda vigere peroptamus, nolentes eiſdem Priori, & Fratribus Prędicatoribus id, quod circa eos ejuſdem Prędeceſſoris providentia, pro catholicę fidei profectu, cui indeſinenter aſſident, ſalubriter diſpoſuit, per noſtras literas, aut Alexandri literas prędictas in caſſum ſine magna cauſa deduci, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, prędictas ipſius Prędeceſſoris literas ex certa ſcientia, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; & nihilominus tam noſtras, quam Alexandri literas hujuſmodi, quatenus prędictis ipſius Prędeceſſoris literis obviant, pro infectis habentes, decernimus, eas, tanquam in quibus de prędictis Prędeceſſoris literis ſufficiens mentio facta non extitit, nequaquam ad Civitatem & Dięceſim Gebennen. prędictas extendi, ſed quoad eas duntaxat inefficaces exiſtere penitus, & inanes; ita quod de

Clauſula derogans.

cetero nequaquam liceat eidem Pontio in eiſdem Civitate & Dięceſi, aut etiam in earum perſonas officium Inquiſitionis hujuſmodi, ſive per ſe, ſive cum alio exercere, aut ſe de illo intromittere quoquomodo: Nos enim officium ipſum, ejuſque exercitium eidem Pontio in eiſdem Civitate, & Dięceſi auctoritate pręſentium interdicentes, decernimus ex nunc omnes actus, proceſſus, & ſententias, ſi quas inibi per eundem Pontium forſitan fieri contigerit, aut haberi, irritos fore pariter & inanes. Non obſtantibus in his omnibus tam noſtris ſupra inſertis, quam Alexandri literis prędictis, ceteriſque contrariis

Sanctio pœnalis.

quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę voluntatis, confirmationis, communitionis, Decreti, & Conſtitutionis infringere &c. Datum Florentię VIII Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

1. *Gebennenſis.*) Vulgo *Genevra*, in *Sabaudiæ* finibus.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXV fol.*178.
3. *Nicolaus Papa IV.*) *Conſtitutione XXI pag.*29.
4. *Biſuntin.*) Lege *Notas* ad *Conſtitutionem* mox laudatam.
5. *Alexander V.*) Ordinis Minorum.
6. *Mentis &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox citata, ad finem uſque.
7. *Alexander.*) Legitur apud Waddingum *Annal. Minor. Tomo V ad an.MCCCCIX num.XII pag.*61.
8. *Locis.*) Sita ſunt in *Gallo-Provincia*, & in *Delphinatu*.
9. *Bellicen.*) *Bellay*, in *Baugeſia* regione *Galliæ*.
10. *Gratianopolitan.*) *Grenoble*, in *Delphinatu*.
11. *Maurianen.*) *S. Jean de Meriene*, in *Sabaudia*.
12. *Dien.*) *Die*, in *Delphinatu*.
13. *Valentin.*) *Valence*, in eadem Provincia ad *Rhodanum*.
14. *Vivarien.*) *Viviers*, in *Occitania* ad *Rhodanum*.

15. *Ta-*

15. *Tarentaſien.*) *Tarentaiſe*, in *Alpibus Graiis*.
16. *Auguſten.*) *Aoſta*, in *Pedemontio*.
17. *Provinciæ.*) *Provence*.
18. *Forcalquerii.*) *Forcalquier*, in *Gallo-Provincia*.
19. *Venayſſini.*) *Le Comtat Venaiſſin*.
20. *Auraycen.*) *Orange*. Principatus iſte *Arauſicanus* eſt in *Gallo-Provincia*.
21. *Carminatores.*) Seu Magos carminibus aliquem faſcinantes. Hinc olim Virgilius. *Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes*: & *Aimoinus Floriacenſis* Monachus *Lib. III Hiſtor. Francorum Cap. I.II*, apud *Ducheſnium Tomo III Scriptor. Francicorum* hæc habet. *Rapi meretrices ad ſupplicia jubet, quæ ſe fatebantur carminibus multos interemiſſe innocentes*.
22. *Primo.*) Chriſti *MCCCCIX*.
23. *Martinus.*) *Waddingus* illud idem Diploma tranſcripſit *Annal. Minor. Tomo V ad an: MCCCCXVIII num. II pag.* 109.
24. *Primo.*) Chriſti *MCCCCXVIII*.

Quædam de Licentiatis, & Doctoribus (1) Ordinis Prædicatorum a Capitulo Generali Friburgenſi ſancita confirmat.

Anno 1419 Die 20 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XLII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis univerſis Provincialibus, ceteriſque Prioribus, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

IN Apoſtolicę dignitatis ſpecula, licet immeriti, diſponente Domino, pręſidentes, ad veſtri Ordinis conſervationis honorem, ac facultatis Theologię puritatem, noſtrę conſiderationis dirigentes intuitum, quę circa hęc ſalubriter ſtatuta ſunt, & ordinata, ut firmiter obſerventur, partes noſtrę ſolicitudinis adhibemus. Sane pro parte dilectorum filiorum Leonardi Statii Prioris Generalis, & Diffinitorum Capituli Generalis, Ordinis Fratrum Prędicatorum dudum in oppido Friburgi (3), Baſilien. Dięceſis, celebrati (4) nobis exhibita petitio continebat, quod olim ipſi tunc in dicto Capitulo exiſtentes provide attendentes, quod nonnulli dicti Ordinis Fratres minus ſufficientes, & ydonei ad ſtatum ipſis, eorum ſufficientia, & ydoneitate ponderatis, non debitum, per viam exquiſitam nimiam mundanorum honorum, & bonorum ambitione ſeducti, aſcendere molientes, Lectura, & actibus ſcolaſticis circa hoc in Studiis Generalibus, in quibus illud in dicta Theologię facultate viget generale non completis, extra eadem ſtudia ad Licentię gradum, & Magiſterii honorem in dicta Theologia promoveri eatenus procuraverant, ac etiam procurabant, quod in ipſius Ordinis prę judicium cedebat, ac etiam ſcandalum, volentes circa hoc providere, de conſilio, & aſſenſu omnium in pręfato Capitulo exiſtentium ſtatuerunt, & ordinaverunt, ſi ad hoc Apoſtolicę Sedis accederet firmitatis auctoritas, quod omnes, & ſinguli Fratres dicti Ordinis, qui ſic Licentiati, aut Magiſtrati in eadem Theologia a quinquennio citra extiterant, necnon illi, quos hujuſmodi lectura, & actibus non completis in ea licentiari, aut Magiſtrari, contingeret, pro non licentiatis, & non Magiſtratis haberentur, nec etiam reputarentur niſi per hujuſmodi Capitulum, aut Magiſtrum approbati forent; ac etiam mandaverunt Provincialibus, ac aliis ejuſdem Ordinis Prioribus pro tempore exiſtentibus, ſub pęna abſolutionis a ſuis officiis, quam contravenientes incurrerent, quod taliter licentiatos, & licentiandos, ac Magiſtratos, & Magiſtrandos in eadem Theologię facultate, ad honores, loca, & privilegia, ad quę ceteri in ea licentiati, ſeu Magiſtri, admitti ſolent, non admitterent, ſed ipſos tenerent, & tractari facerent quoad illa ſicuti ante hujuſmodi licentię Gradum, & Magiſterium tenebantur. Prohibueruntque inſuper Diffinitores pręfati eidem Magiſtro Generali pro tempore exiſtenti, ne cum hujuſmodi licentiatis, & Magiſtratis de cetero quoquo modo diſpenſaret. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi rata, & grata habere pro eorum ſubſiſtentia firmiori, illaque obſervari mandare, dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi talium ambitioſis conatibus per debitę proviſionis auxilium occurrere cupientes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ac ea rata habentes & grata, diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus omnes, & ſingulos licentiatos, & magiſtratos hujuſmodi, vel impoſterum licentiandos, aut magiſtrandos in dicta Theologię facultate pręfati Ordinis, quos niſi lecturam, & actus ſcolaſticos in ſtudio ejuſdem facultatis Theologię, in quo illud vigeat Generale, fieri ſolitos, compleverint, & in eodem ſtudio ad hujuſmodi licentię Gradum, ac Magiſterii honorem ſuſcipientes in eadem Theologia reperti fuerint ſufficientes, & ydonei, pro non Licentiatis, & non Magiſtris in dicta facultate apud vos, & quoſcunque alios haberi volumus, pro non Licentiatis, & non Magiſtratis habeatis, & reputetis, & ab aliis pro non licentiatis, & non magiſtratis faciatis auctoritate noſtra ab omnibus teneri, & etiam reputari. Decernentes auctoritate prędicta quod nullus cum hujuſmodi ſic Licentiatis, & Magiſtratis, ſeu Licentiandis, & Magiſtrandis diſpenſare pręſumat, niſi de dictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & cum aſſenſu Magiſtri pręfati, aut Procuratoris dicti Ordinis, in Romana Curia pro tempore exiſtentis, & quod ipſi Licentiati, & Magiſtrati, & Licentiandi, & Magiſtrandi ante vel poſt diſpenſationem hujuſmodi lecturam, & actus prędictos compleverint, aut complere teneantur, & ad hujuſmodi Licentię gradum, & magiſterii honorem recipiendum ydonei reperti fuerint, aut reperiantur, alioquin diſpenſatio aliter facta eis nullatenus in aliquo ſuffragetur. Datum Florentię XII Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Secundo.

Magiſtri Generalis & Definitorum ſupplex petitio.

Confirmatio.

X
X
X

Supra partem inflexam, quam Plicum vocant, legitur.

Rs. (*Regiſtrata*) gratis pro medietate de mandato D. N. PP. in Bulla & Rgro (*Regiſtro*).

J. Branchacius.

1. *Doctoribus.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum. Aliud aſſervatur in *Barchinonenſi* Cœnobio. Plumbum ſericis filis appenditur. Legitur apud *Uſuſmarem pag.* 104. Duplex Exemplar habes in *Archivo Ordinis.* Authenticum unum *Lib. B. fol.* 558, ex Autographo *Barkinonenſi.* Aliud ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXV fol.* 19.

3. *Friburgi.*) In *Germania*, vulgo *Friburg.* Urbs eſt *Briſgaviæ primaria.*

4. *Celebrati.*) Hujuſce *Capituli* non meminit *Echard* in *Indice Capitulorum Generalium.* Celebratum crediderim anno *MCCCCXVIII.*

Anno 1419 Die 27 Novembris.

F. Johannes (1) Boteſach Epiſcopus Millenenſis conſtituitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIII.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Boteſach Electo Millenen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis Nobis ex alto commiſſum &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Gerlaco Epiſcopo Millenen. regimini Millenen. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per

F. Johannes ſuccedit Gerlaco.

mortem ejuſdem Gerlaci Epiſcopi, qui extra Romanam Eccleſiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus prę̨ter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paterna, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Fratrum Ordinis Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicibus virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimonio accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de eorundem Fratrum conſilio, Apoſtolica tibi auctoritate providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVII fol.* 159.

Anno 1419 Die 29 Novembria.

Ne F. Franciſcus Sala (1) ab Inquiſitoris officio poſſit amoveri.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Franciſco Sala, Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

FIdei tuę probata ſinceritas, quam circa regimen, & exercitium officii tibi commiſſi, te habuiſſe, comperimus, necnon Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque multiplicia virtutum laudabilia merita, quibus perſonam tuam fidedignorum teſtimoniis juvari percepimus,

Supplex petitio.

Nos inducunt, ut perſonam tuam favoribus Apoſtolicis proſequamur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod olim tu per quondam Petrum de Fonte Luporum (3) tunc Priorem Provincialem Ordinis Fratrum Prędicatorum in Provincia Aragonię etiam auctoritate Apoſtolica, ex indultis pręfato Ordini ab Apoſtolica Sede conceſſis, Inquiſitor hęreticę pravitatis in ditione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Regis Aragonum Illuſtris citra mare (4), & Comitatu Roſſilionis conſtitutus, & deputatus fueras, Petrus de Luna tunc Benedictus XIII in ſua obedientia, de qua partes illę fuerant, nuncupatus, Conſtitutionem, & deputationem hujuſmodi confirmavit, ac tibi, ut per Superiorem, vel Superiores tuos dicti Ordinis ab officio Inquiſitionis hujuſmodi amoveri non poſſes, conceſſit, tuque per plures annos officium Inquiſitionis hujuſmodi in partibus illis non ſine magnis laboribus, & periculis, tamen ſine contradictione alicujus Superioris tui exercuiſti; ſubſequenter vero, ſicut eadem petitio ſubjungebat, dilectus filius Bernardus Dulcis Prior Domus Barchinonen. prędicti Ordinis, in qua, ad prędictum officium exercendum, tunc reſidebas, per quaſdam literas dilecti filii Franciſci Pontii (5) Magiſtri in Theologia, olim Prioris Provincialis pręlibati Ordinis in dicta Provincia, te ab hujuſmodi Inquiſitionis officio, ac ejus exercitio amotum fuiſſe in Capitulo Fratrum dictę Domus publice nunciavit, in evidens exercitii dicti officii impedimentum, magnumque tui prę̨judicium, & gravamen. Quare pro parte tua fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut amotionem prędictam nullam decernere, & alias in prę̨miſſis tibi oppor-

Indultum.

tune providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, prę̨miſſa omnia & ſingula, in favorem officii habentes prę̨ſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac amotionem prędictam decernentes irritam, & inanem, volumus, & Apoſtolica tibi auctoritate concedimus, quod officium Inquiſitionis hujuſmodi uſque ad Sedis Apoſtolicę beneplacitum exerceas libere, ſicut prius, quodque ab illo, ſeu ejus exercitio, per Superiorem, vel Superiores tuos dicti Ordinis nequeas amoveri. Non obſtantibus quibuſcunque Conſti-

Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię III Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio. Sanctio pœnalis.

1. *Franciſcus Sala.*) De quo in *Conſtitutione XXXIX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXV fol.* 284.
3. *Petrum de Fonte Luporum.*) Adeas *Diago Hiſtor. Provinc. Aragon. Libro I Cap. XXXII pag.* 59.
4. *Citra mare.*) Ut in *Nota IV* ad Diploma mox laudatum. Conſulendus *Diago Cap. XXXIII.*
5. *Franciſci Pontii.*) Legendus *Diago Cap. XXXIII.*

Ut F. Franciſcus Sala (1) in pristinam dignitatem reſtituatur.

Anno 1419 Die 29 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Terraconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Humilibus & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę a rationis tramite non diſcordant, ac fidei catholicę favorem, necnon hęreticę pravitatis extirpationem reſpiciunt, libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Franciſci Sala, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Magiſtri in Theologia, petitio continebat, quod olim (Supplex petitio.) ipſe poſtquam per quondam Petrum de Fonte Luporum tunc Priorem Provincialem dicti Ordinis in Provincia Aragonię ſecundum ipſius Ordinis morem, etiam auctoritate Apoſtolica ex indultis Apoſtolicę Sedis, eidem Ordini conceſſis, Inquiſitor pravitatis hujuſmodi conſtitutus, & deputatus fuiſſet, ac deinde Petrus de Luna, olim in obedientia, de qua partes illę erant, tunc Benedictus XIII nuncupatus, conſtitutionem & deputationem hujuſmodi confirmaſſet, eidemque Franciſco indulſiſſet, ut ab officio Inquiſitionis hujuſmodi, per Superiorem vel Superiores ſuos dicti Ordinis amoveri non poſſet, ac decreviſſet ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, pręfatus Franciſcus officium prędictum ſolicite gerens, abſque alicujus Superioris ſui contradictione, per plures annos, non ſine magnis laboribus, & periculis rexit, & etiam gubernavit, & quod nuper ipſe in Domo Fratrum dicti Ordinis Barchinonen. reſidente, & contra quendam perditionis filium Petrum de Quatuor caſis nuncupatum, ac nonnullos alios laicos, de hujuſmodi pravitate vehementer ſuſpectos quoſdam contra fidem Catholicam, & Eccleſię unitatem, propter eorum fęditatem non exprimendos, errores, temere, & perfide ſeminantes, & dogmatizantes, ad extirpationem eorum, prout exigebat facti qualitas, procedente, quibuſdam Petri de Quatuor caſis, & aliorum laicorum prędictorum, amicis, & complicibus, ut aſſeritur, id procurantibus, dilectus filius Bernardus Dulcis Prior dictę Domus in Capitulo Fratrum illius, per quaſdam literas dilecti filii Franciſci Pontii, in eadem Theologia Magiſtri, ſe in eadem Provincia Priorem Provincialem fuiſſe aſſerentis, quod idem Franciſcus Pontii per biennium antequam Prior Provincialis eſſe deſiiſſet eundem Franciſcum Sala ab hujuſmodi Inquiſitionis officio amoverat, publice nunciavit, & nihilominus eiſdem Fratribus dictę Domus mandavit, ac inhibuit, ne dicto Franciſco Sala de pane & vino, ac aliis neceſſariis, ſibi tanquam Inquiſitori, juxta morem, & inſtituta Domus, & Ordinis, prędictorum, debitis, & exhiberi conſuetis, providerent, propter quę idem Franciſcus Sala, timens ſibi tam in prędicto, & aliis cęptis, quam non cęptis, Inquiſitionis hujuſmodi negotiis periculum, ac ſentiens ex publicatione literarum, ac mandato, & inhibitione hujuſmodi indebite ſe gravari, ad Sedem Apoſtolicam appellavit, ac Nobis humiliter ſupplicavit, ut in pręmiſſis, & circa ea ſibi opportune providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, qui per alias noſtras literas (3) (Mandatum.) amotionem hujuſmodi reputavimus irritam, & inanem, ac voluimus, & dicto Franciſco auctoritate Apoſtolica conceſſimus, ut officium prędictum, uſque ad prędictę Sedis beneplacitum, exerceret libere ſicut prius, cupientes, ut officium ipſum ad Dei gloriam, & robur fidei ubique proſpere dirigatur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus facias pręfatum Franciſcum Sala, ac ſocium, & delegatos ipſius per Provincialem, & alios Priores, ac Vicarios Domorum Provincię & Ordinis prędictorum, juxta ipſius officii exigentiam, & ſecundum prędicti Ordinis morem, & obſervantias, ob dictę Sedis reverentiam, ſincera in Domino caritate tractari, ſibique de pane, vino, & aliis victualibus juxta morem, & obſervantias hujuſmodi provideri. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Super aliis vero, vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris, per cenſuram eandem, ſimili appellatione remota, firmiter obſervari. Teſtes autem qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante compellas, veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, illis pręſertim quibus cavetur, ut cum ejuſdem Civitatis vel Diœceſis fuerint Actor, & Reus, Cauſę extra ipſas auctoritate (Clauſula derogans.) literarum Sedis prędictę non committantur, nec conveniatur aliquis eorundem, ſeu ne Judices a Sede deputati prędicta, aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere pręſumant, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi eidem Ordini a dicta ſit Sede indultum, quod perſonę ejuſdem Ordinis ad judicium trahi, aut quod ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſe, aut dicti Ordinis loca interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, tuę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Florentię III Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Franciſcus Sala.*) Legenda præcedentia Diplomata.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol.* 26.
3. *Literas.*) Præcedentes.

Anno 1419 Die 13 Decembris.

Ut Frater Arnaldus de Curtibus (1) in priſtinum honoris, & gratiæ gradum reſtituatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XLVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SEdia Apoſtolicę providentia circumſpecta nonnunquam ſtatuta, & ordinata per ejus ſubditos quavia auctoritate aut revocat, aut immutat, prout perſonarum, & temporum qualitate penſata, id pie conſpicit expedire. Sane quia nuper, ſicut nonnullorum fide dignorum relatibus percepimus, in Capitulo Generali Ordinis Prędicatorum apud Friburgum Loſanen. (3) Dięceſis per Generalem, alioſque Priores & Fratres ipſius Ordinis noviter celebrato, contra nonnullos alius Religioſos Ordinis ejuſdem in ſacra pagina profeſſores, quorum quidam auctoritate Petri de Luna, tunc Benedicti XIII in ſua obedientia, de qua partes illę tunc erant, nuncupati, dicta ejus durante obedientia, alii vero ex conceſſione & licentia data per dilectum filium noſtrum Alemannum (4) tituli Sancti Euſebii Presbyterum Cardinalem in Terris & Regnis Aragon. & Navarrę, tunc Apoſtolicę Sedis Legatum, auctoritate Apoſtolica, rigoroſe tamen, ut accepimus, eorum ſufficientia, idoneitateque, & meritis exigentibus ad Gradum Magiſterii in ſacra pagina digne promoti ſunt, & aſſumpti, quędam ſtatutum, & ordinatio, ſeu denuntiatio facta fuere in hunc qui ſequitur modum. Denuntiamus Fratribus noſtri Ordinis univerſis, quatenus auctoritate Apoſtolica, Reverendo Magiſtro Ordinis, & Nobis Diffinitoribus in hac parte conceſſa, per Bullam lectam coram Nobis, conſtitit evidentius, omnes, & ſingulos Magiſtratos, vel Licentiatos, magiſtrandos vel licentiandos in ſacra pagina per Bullam, aut per ſaltum, ſua lectura ſecundum tenorem noſtrę Conſtitutionis, quę habetur in Capitulo de Studentibus non perfecta, a Quinquennio citra duntaxat, pro non Magiſtris habendis, & reputandis decernimus, ſtatuimus, & declaramus, niſi per Capitulum Generale, vel Magiſtrum Ordinis fuerint approbati, quos ex nunc pro non Magiſtris haberi, & cenſeri mandamus, pręcipientes nihilominus Prioribus Provincialibus, & Conventibus noſtri Ordinis ſub pęna abſolutionis a ſuis officiis, quam contraveniendo incurrant, ne taliter magiſtratos, ut pręfertur, ad loca, honores, & privilegia, ceteris Magiſtris dari conſueta, admittant, ſed eos tractent, & tractari faciant quoad illa, ut pręfertur, & ante hujuſmodi pretenſum magiſterium tractabantur, & eadem loca teneant, prohibendo Magiſtro Ordinis Reverendo, ne cum hujuſmodi magiſtratis de cetero velit quomodolibet diſpenſare, & idem intelligi volumus de taliter magiſtratis in Provinciis Hiſpanię, & Aragonię a tempore unionis citra quoad ſingula ſupraſcripta. Nos licet ſtatutum, ordinationem & denuntiationem hujuſmodi in Religionis reformationem, ac decus redundare intelligamus, motu tamen proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed ex certis rationabilibus cauſis, ad id animum noſtrum moventibus, & ex certa ſcientia lecturas dilecti filii Arnaldi de Curtibus per eum tam in Studiis Generalibus, quam in Curia dicti Petri de Luna, quam alibi etiam factas, & curſus per eum uſque ad magiſterium habitos, atque factos, ac magiſterii gradum per eundem, ſicut pręmittitur, habitum, & receptum a die receptionis hujuſmodi auctoritate Apoſtolica approbantes, & ipſum Arnaldum verum eſſe propterea Magiſtrum declarantes, ſtatutum, & ordinationem, ſeu denuntiationem prędictam, & quęcunque inde ſecuta, quantum dictum Arnaldum de Provincia Aragonię prędicti Ordinis profeſſorem, & Magiſtrum in ſacra pagina, auctoritatibus prędictis promotum reſpicere, ſeu comprehendere dignoſcuntur, eiſdem motu, auctoritate, & ſcientia, revocamus, caſſamus, irritamus & penitus annullamus, ac nullius volumus eſſe roboris, vel momenti; harum ſerie diſtricte & expreſſe in virtute ſanctę obedientię mandantes Generali, & Provincialibus, aliiſque Prioribus, ceteriſque Pręſidentibus, & Fratribus Ordinis pręfati, quatenus eundem Arnaldum ut verum Magiſtrum in Theologia a die ſuę promotionis ad loca, pręrogativas, libertates, honores, & privilegia ceteris Magiſtris dari conſueta, habeant, recipiant, & admittant, ipſumque ut ceteros Magiſtros honorifice tractent, & tractari faciant alias ut Magiſtri in Theologia in dicto Ordine tractari debent, & conſueverunt, prędictis, & aliis ordinationibus in contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, & iterum pręcipimus Generali, & aliis Prioribus antedictis, quatenus revocationem noſtram hujuſmodi, quamprimum ad eorum notitiam pervenerit, pręſertim in ſingulis Conventibus Provincię Aragonię de verbo ad verbum Fratribus debeant publicare, aut facere publicari, ut, quos contingit, omnimodam de his habeant notitiam. Nulli ergo &c. Noſtrę approbationis, declarationis, revocationis, caſſationis, irritationis, annullationis, voluntatis, & mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Florentię Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Sanctio pœnalis.

1. *Arnaldus de Curtibus.*) Cujus meminit *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragon. Lib. I Cap. XXI pag.* 41.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXV fol.* 263.
3. *Loſanen.*) *Lauſannen.*, in *Helvetiis*. Hocce Capitulum Generale *Friburgenſe* non norunt *Echard* in *Serie Capitulor. General. Ord. Prædicatorum*, quæ legitur *Tomo I Scriptor. Ord. pag.* 16 *& c.*, & *Fontana in eorundem Capitulor. ſerie* quam exhibet initio Libri cui Titulus: *Conſtitutiones, Declarationes, & Ordinationes Capitulor. General. Sac. Ordinis Prædicatorum*. Anno MCCCCXVIII coactum videtur *Friburgenſe* Capitulum, hoc enim anno MCCCCXIX *Coloniæ* celebratum fuit, ut habetur ex *Nota V ad Diploma datum XI April. MCCCCXIX*. Hinc autem reſtituenda duo iſta Capitula Generalia ſcriptoribus noſtris paſſim ignota.
4. *Alemannum.*) Adeas *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCX pag.* 789.

Lectu-

Digitized by Google

Lecturas, ſeu Lectiones a F. Johanne (1) de Caſanova in Studiis generalibus, alibique factas approbat.

Anno 1419 Die 13 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. XLVII.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circumſpecta &c (3). Nos licet ſtatutum, ordinationem, & denuntiationem hujuſmodi in Religionis reformationem ac decus redundare intelligamus, motu tamen proprio, non ad alicujus inſtantiam, ſed ex certis rationabilibus cauſis, ad id animum noſtrum moventibus, & ex certa ſcientia, lecturas dilecti filii Johannis de Caſanova, Pęnitentiarii noſtri, per eum tam in Studiis Generalibus, quam in Curia Petri de Luna, quam alibi etiam factas, & in poſterum in evidentem utilitatem totius Ordinis Prędicatorum, cujus Religionis profeſſor, ac Magiſter in Theologia exiſtit &c. grata devotionis obſequia, quę prędictę Religioni & Apoſtolicę Sedi hactenus impendit, & ſolicitis ſtudiis impendere non deſiſtit, necnon Religionis zelus, literarum ſcientia, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam ſuam etiam fide dignorum teſtimonio juvari percepimus, Nos inducunt, ut eum proſequamur Apoſtolicis gratia & favore. Hinc eſt, quod Nos de ſpecialis dono gratię, tenore præſentium, lecturas prędictas ita factas, & faciendas confirmamus, & approbamus. Nulli ergo &c. Noſtrę confimationis approbationis &c. infringere. Datum Florentię Idibus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Johanne.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol.* 28.
3. *Circumſpecta &c.*) Ut in præcedenti Diplomate ad hæc uſque verba: *Singula ſupraſcripta.*

S. Georgii Monaſterium Ordinis Prædicatorum unitur Peruſin. Monaſterio S. Thomæ (1), Ordinis S. Benedicti.

Anno 1419 Die 22 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Johannis de Marzano, Civitatis Caſtelli (3) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. XLVIII.

Exordium.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, per quę Religioſarum perſonarum, illarum pręſertim, quę, mundanis illecebris abiectis, divinis obſequiis mancipatę, in humilitatis ſpiritu devotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum, tranquillitati, & commodis ſalubriter conſulitur. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Thomaſię Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Georgii prope Peruſium, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſecundum tamen regularia Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, degentium, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet Prioriſſa & Conventus prędictę ſe ac pręfatum Monaſterium cum omnibus ſuis poſſeſſionibus atque bonis, ſub cura & protectione Generalis Magiſtri, & Priorum Provincialium Romanę Provincię, Ordinis Prędicatorum, qui eſſent pro tempore, illorumque punitioni, & correctioni, de ſpeciali privilegio fel. rec. Benedicti PP. XI, Prędeceſſoris noſtri, commiſerint, & ſubjecerint, gaudentes omnibus privilegiis, gratiis, & indultis, dicto Ordini Prędicatorum ab Apoſtolica Sede conceſſis, & in poſterum concedendis, ita quod Magiſter, & Provincialis prędicti, in eaſdem Prioriſſam, & Conventum omnem poſſent juriſdictionem & ſuperioritatem exercere, tamen ipſę Prioriſſa & Conventus provide conſiderantes, quod ipſum Monaſterium in ſummitate cujuſdam Montis prope Peruſium, ubi nemo a jamdiu habitare conſuevit, ſituatum exiſtit, quodque ipſas Prioriſſam & Conventum ob guerrarum calamitates, quę partes ipſas diutius afflixerunt, armigerarumque gentium incurſus, ſtrepitus, & tumultus, nonnunquam Monaſterium ipſum relinquere, & ad Civitatem Peruſin., illi conterminam, pro ipſarum ſecuritate confugere, ac ibidem in certis conductis domibus, tanquam ſeculares perſonas, per aliquod tempus oportuerit immorari, non abſque ſuarum mentium perturbatione, & tam animarum, quam corporum diſcrimine, & intermiſſione obſervantię regularis; volenteſque, quantum in eis erat, ac intendentes pręfatę Prioriſſa & Conventus pręmiſſorum incommodis obviare, ac conſiderantes, Monaſterium Sancti Thomę Peruſin. Ordinis S. Benedicti, in quo dilectę in Chriſto filię Abbatiſſa & Conventus, ſub regularibus inſtitutis ejuſdem S. Benedicti virtutum Domino jugiter famulantur, pro ipſarum uſu, & habitatione perpetuis ſatis commodum, & quietum exiſtere, matura inter eas prius deliberatione pręhabita, tandem de communi omnium conſenſu, & voluntate ſe de prędicto Monaſterio S. Georgii ad ipſum Monaſterium Sancti Thomę, cum poſſeſſionibus, & bonis hujuſmodi, ad ipſum Monaſterium S. Georgii ſpectantibus, auctoritate propria tranſtulerunt, ac eidem Monaſterio S. Thomę conjunxerunt, & etiam unierunt, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, eędem Prioriſſa, & Conventus dicti Monaſterii S. Georgii deſiderant, ſicut aſſerunt, ut quietius Domino famulentur, ſub regulari profeſſione dicti Ordinis S. Benedicti, una cum eiſdem Abbatiſſa & Conventu vivere, & in ipſo Monaſterio S. Thomę juxta eius conſuetudinem regularem habitum aſſumere, & geſtare, profeſſionemque per ipſius Moniales dicti Ordinis S. Benedicti emitti conſuetam, ſponte emittere, ſeque regularibus inſtitutis dicti Monaſterii S. Thomę conformare, & in eo perpetuo remanere, ſi tamen per dictę Sedis providentiam ipſum Monaſterium S. Georgii dicto Monaſterio

Supplex Monialium petitio.

S. Tho-

S. Thomę perpetuo applicetur, & etiam uniatur; unde pro parte Prioriſſę, Abbatiſſę, & Conventuum prędictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſius Monaſterii S. Georgii ſtatui & indemnitatibus conſulere, ipſumque prędicto Monaſterio S. Thomę incorporare, annectere, & unire de benignitate

Unii ut ſupra.

Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religioſarum perſonarum, divinis laudibus deditarum, profectum tranquillum, & quietem appetimus, earumque diſpendiis & jacturis, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni suę, de qua in his & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus tu, vocatis eiſdem Prioriſſa & Conventu dicti Monaſterii S. Georgii, & aliis, qui fuerint evocandi, de his omnibus auctoritate noſtra te diligenter informes; et, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe, inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, dictum Monaſterium S. Georgii, cujus ducentorum, pręfato Monaſterio S. Thomę, cujus quadringentorum florenorum auri fructus, redditus, & proventus, ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut Prioriſſa, & Abbatiſſa, Conventus prędictę aſſerunt, non excedunt, cum omnibus juribus & pertinentiis ſuis, auctoritate noſtra prędicta, incorpores, unias, & annectas, nomenque Prioriſſę & dicti Ordinis S. Auguſtini, in dicto Monaſterio S. Georgii penitus ſupprimas, & extinguas, ita quod liceat ex tunc eiſdem Abbatiſſę, & Conventui dicti Monaſterii S. Thomę per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Monaſterii S. Georgii, juriumque, & pertinentiarum, prędictorum, auctoritate propria apprehendere, & perpetuo retinere, alicuius licentia, vel conſenſu ſuper hoc minime requiſitis, reſervata tamen de hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus dicti Monaſteri S. Georgii pro perpetuo Vicario, in eo inſerviendo pro tempore, congrua portione, de qua idem Vicarius congrue valeat ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ei incumbentia onera ſupportare; & nihilominus Prioriſſę & Conventui dicti Monaſterii S Georgii, ad hoc voluntariis, ſe ad ipſum Monaſterium S. Thomę de novo transferendi, nomineque & Ordine S. Auguſtini prędictis ſuppreſſis pariter & deſtructis, hujuſmodi profeſſionem per Moniales eaſdem emitti conſuetam in eo libere emittendi, habitumque Monialium dicti Ordinis S. Benedicti recipiendi, & geſtandi, ſeque illius inſtitutis regularibus conformandi, ac ibidem perpetuo remanendi, eadem auctoritate

Clauſula derogans.

licentiam largiaris. Non obſtantibus ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinum prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quacunque firmitate alia valiatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Dat. Florentię XI Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *S. Thomæ.*) Hujuſce celebris Monaſterii Moniales priſtinum vitæ genus repetiſſe, & Ordini Prædicatorum nomen dediſſe, dicetur inferius. Adeas *Fontanam De Romana Provincia Cap. III Tit. IV* pag. 238.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol.* 268.

3. *Civitatis Caſtelli.*) Vulgo *Citta di Caſtello*. Sic *Tifernum Tiberinum* vocant. Ditionis eſt Pontificiæ. Situm in *Umbria*.

Anno 1420 Die 12 Januarii.

Ut Ædes ſacræ Cœnobii Panormitani (1) S. Dominici perficiantur, Indulgentias elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XLIX. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet is &c (3). Cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Domus S. Dominici Panormitan., Ordinis Fratrum Prędicatorum, nondum perfecte completa, & ad eujus Domus perfectionem ſunt neceſſarię expenſę, inchoata exiſtat non modicum ſumptuoſe, Nos, cupientes, ut Eccleſia ipſa, congruis honoribus frequentetur, & etiam perficiatur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad perfectionem ipſius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem

Indulgentia.

dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui eandem Eccleſiam in die feſtivitatis ejuſdem Sancti devote viſitaverint annuatim, & ad ejus perfectionem hujuſmodi, manus porrexerint adjutrices, Tres Annos & totidem Quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, ſeu ad ejus perfectionem, ſeu fabricam manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia perpetua, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Dat. Florentię II Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Panormitani.*) In *Sicilia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LI fol.* 263.

3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Benifatii IX*.

F. Proculus (1) fit Epiſcopus Coronamenſis.

Anno 1420 Die 15 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

L.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Proculo de Lepays Electo Coronamen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis Nobis ex alto commiſſum &c. Dudum ſiquidem proviſiones Eccleſiarum omnium, tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium, & in antea vacaturarum, diſpoſitioni, & ordinationi noſtrę duximus reſervandas; Decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſiam Coronamen., cui bonę memorię Martinus Epiſcopus Coronamen, dum viveret, pręſidebat, per obitum ipſius Martini Epiſcopi, qui apud eandem Sedem diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus prędictis, ne Eccleſia ipſa prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum meritis, apud Nos fide digna perhibentur teſtimonia, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Florentię XVIII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Proculus Martino ſuccedit.

1. *Proculus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVI fol.* 141.

Monaſterium Piſanum (1) S. Silveſtri a quibuſdam Decimis, & tributis ſolvendis eximit.

Anno 1420 Die 26 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Piſtorien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

REgimini univerſalis Eccleſię pręſidentes, pro Chriſti fidelium pręſertim Religioſarum perſonarum, quę videlicet illecebris mundanis, & mortalis viri toro propulſis, illi, qui ſpecioſus eſt pręfiliis hominum, ſub regulari habitu continuo exhibent famulatum, ac ipſorum Monaſteriorum. & locorum quorumlibet ſtatu ſalubriter dirigendo, prout ex debito Nobis injuncti Paſtoralis tenemur officii, ſolicitę conſiderationis libenter intuitum extendimus, & ad ea, per quę illorum indemnitatibus conſulitur, adhibemus ſolicitudinis noſtrę partes. Sane pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Conventus Monaſterii S. Silveſtri Piſan., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod licet olim bonę memorię Simon (3) Archiepiſcopus Piſan, exacte recenſens fructus, redditus, & proventus Prioriſſę pro tempore exiſtentis dicti Monaſterii, ac hujuſmodi Conventus, pro earum ſuſtentatione, & diverſis ipſis incumbentibus oneribus, cedentes, videnſque plurimum exiles exiſtere, dilectorum filiorum Capituli Piſan. Eccleſię ad id accedentibus conſenſu pariter & voluntate, ſtatuiſſet, & etiam ordinaſſet, ut quotieſcunque dilectis filiis Clero Civitatis, & Dięceſis Piſan quęcunque collectę, exactiones, aut caritativa ſubſidia loci Ordinario, vel quibuſvis aliis danda, vel ſolvenda, imponi, contingeret, pręfatę Prioriſſa & Conventus, etiam accreſcentibus fructibus, redditibus, & proventibus prędictis, occaſione collectarum, exactionum, vel impoſitionum hujuſmodi, pro rata eis ratione dicti Monaſterii, ac illius Eccleſię, quę etiam Parochialis exiſtit, contingente, quinquaginta ſolidos monetę Piſan. pro tempore currentis ibidem duntaxat primo, & deinde bonę memorię Johannes (4) etiam Archiepiſcopus Piſan., habens ad hoc a Sede Apoſtolica ſpecialem poteſtatem, inter alia ſtatuiſſet, & ordinaſſet, quod quotieſcunque collectę & exactiones, ac alia onera ſupradicta exigerentur ab exempto, & non exempto, Prioriſſa & Conventus prędictę ratione dicti Monaſterii libras decem & octo, ratione vero dictę Eccleſię S. Silveſtri ſolidos ſexdecim, denarioſque quatuor dictę monetę dare, & ſolvere tenerentur, tamen poſtea inter Prioriſſam & Conventum, cum ipſę tunc contra eorundem primi ſtatuti, & ordinationis tenorem, atque formam, per Clerum hujuſmodi diverſis & indebitis afficerentur exactionibus, ex una parte, & Clerum pręfatos, ex alia, conventum extitit, quod eędem Prioriſſa, & Conventus ex tunc in antea, dummodo hujuſmodi collectę, exactiones, vel ſubſidia communiter exempto, vel non exempto, decem & octo, & alias non exempto duntaxat Clero Civitatis & Dięceſis prędictę imponerentur, quinque libras cum dimidia dictę monetę pro ſimili rata dare, & ſolvere, ſive in illis contribuere deberent, & etiam tenerentur, quodque poſtmodum bonę memorię Baldaſar, Epiſcopus Tuſculan. (5), tunc in ſua obedientia, de qua partes illę erant, Johannes XXIII nuncupatus, exilitatem fructuum, redditum, & proventuum Monaſterii

Supplex Monialium petitio.

hujuſ-

hujuſmodi attendens, per quaſdam ſuas literas pręfatum Monaſterium, cum perſonis, ac omnibus juribus, & pertinentiis, ac bonis, & rebus ſuis, quę tunc legitime poſſederunt, & ex tunc juſtis titulis adipiſcerentur uſque ad quinquennium a data earundem literarum computandum, ab omni ſolutione datiorum, collectarum, ſubſidiorum, decimarum, & aliorum onerum quorumcunque, etiam Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate, ſeu per dilectos filios Commune Florentin. tunc impoſitorum, vel imponendorum, exemit, abſolvit, & totaliter liberavit, prout in literis prędictis, ac nonnullis deſuper confectis Inſtrumentis publicis, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfata conventio in non modicum dicti Monaſterii, quod a quindecim annis immediate retroactis, in eiſdem fructibus, redditibus, & proventibus, ut ipſa Priorifſa, & Conventus aſſerunt, adeo diminutum exiſtit, quod ipſi ad earum ſuſtentationem, ſuorumque onerum ſupportationem vix ſufficiunt, damnum & pręjudicium vergere dignoſcatur, pro parte dictarum Prioriſſę, & Conventus quę jam bis, contra tamen eorum voluntatem hujuſmodi, ſummam decem & octo librarum ratione Monaſterii, ac ſolidos ſexdecim & denarios quatuor, ratione Eccleſię prędictorum, perſolverunt, fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut eis in

Exemptio.

pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur, qui Prioriſſę, & Conventus prętatarum, ut eo liberius illis, quibus dedirę cenſentur, intendere, valeant, quo adverſus alienos incurſus Apoſtolicę Sedis extiterint tenacius pręſidio communitę, Indemnitatibus conſulere intenſis deſideriis affectamus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, pręfatas Prioriſſam & Conventum, etiam ratione dictę Eccleſię, a collectarum, exactionum, & ſubſidiorum, ac aliorum onerum quorumcunque, etiam quavis auctoritate, & ex quacunque cauſa eiſdem Clero impoſitorum hactenus, & in poſterum imponendorum, ſolutione, vel pręſtatione, ac in illis contributione alias quam per eundem Archiepiſcopum primo ſtatutum extitit, & ordinatum, auctoritate noſtra prorſus, & omnino eximere, ac totaliter liberare procures; decernendo, Prioriſſam & Conventum prętatas ad impendendum, pręſtandum, vel ſolvendum quicquam de collectis, exactionibus, ſubſidiis, & aliis oneribus eiſdem, quibuſcunque cenſeantur nominibus, vel ipſorum aliquid, ſeu ad contribuendum, in eiſdem, etiam ratione dictę Eccleſię, contra tenorem atque formam ſtatuti primi, & ordinationis prędictorum, minime teneri, nec ad id a quoquam, quavis etiam auctoritate, poſſe compelli, aut quomodolibet coarctari. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon conventione, & ſolutione prędictis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Florentię VII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Clauſula derogans.

1. *Piſanum.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Libro *XXXVIII fol.* 44.
3. *Simon.*) Conſulendum *Diploma datum XXVI Maii MCCCCXIX*, ubi quæ dicenda forent, inveniuntur.
4. *Johannes.*) Adeas *Ughellum in Archiep. Piſan.*
5. *Epiſcopus Tuſculanus.*) Quandonam hac Sede *Baldaſar*, ſeu *Balthaſſar Coſſa* donatus fuerit, docet *Oldoinus* apud *Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in Martino V pag.* 794.

Anno 1420 Die 31 Januarii.

F. Sinlaus (1) de Albania creatur Epiſcopus Liſmorenſis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Sinlao de Albania Electo Liſmoren. alias Ergaden. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolatus officium, quanquam inſufficientibus meritis Nobis ex alto commiſſum &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Beano Epiſcopo Liſmoren., alias Ergaden., regimini Eccleſię Liſmoren., alias Ergaden., Romanę Eccleſię immediate ſubjectę pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero eadem Eccleſia per ipſius Beani Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, dilecti filii Capitulum dictę Eccleſię, reſervationis & decreti prędictorum forſan ignari, dilectum filium Beanum Decanum dictę Eccleſię, in eorum, & ipſius Eccleſię Epiſcopum elegerunt de facto, ipſeque Beanus Decanus electioni hujuſmodi, illius ſibi pręſentato decreto, reſervationis, & decreti prędictorum ſimiliter inſcius, conſenſit etiam de facto, & ſucceſſive vacatione, & electione hujuſmodi ad noſtram deductis notitiam, electionem ipſam, & quęcunque inde ſecuta, prout erant, irrita, & inania reputantes, & ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, ne prolixioris vacationis exponeretur

F. Sinlaus Epiſcopus conſtitutus.

incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, & in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Florentię II Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Sinlaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Libro *XXXVII fol.* 84.
3. *Ergaden.*) Seu *Argaden.* Duplex eſt enim *Liſmorenſis* Eccleſia, una in *Hibernia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſilienſi*, altera in *Scotia*, in *Argadia* regione. De iſta, non de illa loqui Diploma, conjicitur ex his verbis: *alias Ergaden*, & ex *Conſtitutione* mox tranſcribenda liquet, cum *Scotorum* Regi *Sinlaum* commendet Summus Pontifex.

Capi-

Capitulo Liſmorenſi (1) F. Sinlaum Epiſcopum conſtitutum ſignificat.

Anno 1420 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Ecclesię Liſmoren., alias Ergaden., Romanę Eccleſię immmediate ſubjectę, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c (3). Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Sinlao Electo, tanquam Patri & Paſtori animarum veſtrarum, humiliter intendentes, ac exhibentes ſibi obedientiam, & reverentiam, debitas, & devotas, ejus ſalubria monita & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin ſententiam, quam idem Sinlaus Electus rite tulerit in rebelles ratam habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Florentię II Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Liſmorenſi.*) Conſulenda præcedens *Conſtitutio*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVII fol.* 84.
3. *Officium &c.*) Ut in præcedenti Diplomate.

Clero Liſmorenſi, ut F. Sinlao Epiſcopo morem gerat.

Anno 1420 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clero Civitatis, & Dięceſis Liſmoren., alias Ergaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Sinlaum Electum, pro noſtra, & Apoſtolicę Sedis reverentia, benigne recipientes, & honorifice pertractantes, exhibeatis eidem obedientiam, & reverentiam debitas, & devotas, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiendo humiliter, & efficaciter adimplendo, alioquin ſententiam, quam idem Sinlaus Electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Florentię II Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVII fol.* 84.

Jacobo (1) Scotorum Regi, ut F. Sinlaum Liſmorenſem Epiſcopum, habeat commendatum.

Anno 1420 Die 31 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Jacobo Regi Scotorum illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRatię Divinę pręmium &c. Cum itaque tibi cariſſimę ſit virtutis opus, Dei Miniſtros benigno favore proſequi, ac eos verbis & operibus pro Regis ęterni gloria venerari, Serenitatem tuam regiam rogamus, & hortamur attente, quatenus eundem Sinlaum, & pręfatam Eccleſiam ſuę curę commiſſam habens pro noſtra & dictę Sedis reverentia propenſius commendatos, ſic eos tui favoris auxilio proſequaris, quod idem Sinlaus Electus tuę Celſitudinis fultus pręſidio in commiſſę ſibi curę Paſtoralis officio poſſit, Deo propitio, proſperari, ac tibi exinde a Deo perennis vitę pręmium, & a Nobis condigna perveniat actio gratiarum. Datum Florentię II Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Jacobo.*) Hujus nominis *I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVII fol.* 84.

S. Georgii Monaſterium Ordinis Prædicatorum uniens (1) Peruſino Monaſterio S. Thomæ Ordinis S. Benedicti, de privilegiis Fratrùm Prædicatorum nominatim derogat.

Anno 1420 Die 7 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Johannis de Marzano, Civitatis Caſtelli Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio &c (3). Non obſtantibus privilegiis ejuſdem Prędeceſſoris tam Prioriſſę, & Conventui Monaſterii Sancti Georgii, quam Magiſtro, Provinciali, & Ordini Prędicatorum prędictis, ſub quacunque verborum forma, vel conceptione, conceſſis, & quibuſvis aliis literis Apoſtolicis ſpecialibus, vel generalibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſ-

Digitized by Google

expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus hujuſmodi gratię impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinum prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia vallatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Datum Florentię VII Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Uniens.*) Conſulendum *Diploma datum XXII Decembris Anno MCCCCXIX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol.* 213.

3. *Officio &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad hæc uſque verba; *Licentiam largiaris.*

Anno 1420 Die 19 Februarii.

S. Petri Martyris Monaſterii Florentini (1) curam committit Magiſtro Generali, ac Provinciali Romanæ Provinciæ, & quædam ſtatuit de Monaſterii clauſura (2).

Ex Archivo (3) Ordinis

LVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

UT inter ęternę beatitudinis amatrices, quę habitu ſacrę Religionis aſſumpto, uni viro, Chriſto videlicet, voto celebri deſponſarunt, flores honoris, & honeſtatis fructus, in ubertate ſuccreſcant, & ne, dum divinis obſequiis harum ſedulitas officioſa verſatur, aliquid obrepat, quod fructum ſalutis impediat, oculoſque divinę majeſtatis offendat, illarum ex his petitionibus libenter annuimus, quę, dirigentem ad vitam quietam, viam mandatorum Domini dilatato corde procurare cupiunt, quo mereantur in Electarum Sanctarum numero computari. Dudum ſiquidem dilecto filio Leonardo (4) de Florentia, Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi in Civitate, vel Diœceſi Florentin. unum Monaſterium Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta eorundem Fratrum vivere debentium, per noſtras literas (5) licentiam conceſſimus, prout in ipſis literis plenius continetur, & deinde pręfatus Leonardus in pręfata Civitate in loco ad hoc congruo, & honeſto, in honorem, & ſub vocabulo B. Petri Martyris, unum Monaſterium cum Eccleſia, domibus, horto, & aliis neceſſariis officinis pro una Prioriſſa, & certis Monialibus dicti Ordinis S. Auguſtini, quę ſub cura, & ſecundum Inſtituta dictorum Fratrum, ac ſub perpetua clauſura vivere debeant, dictarum literarum vigore, conſtrui, & ędificari, & competenter dotari fecit, & in illo nonnullas Moniales locavit, quarum una Vicaria, donec una Prioriſſa idonea illi pręeſſet, deputavit. Prędictarum igitur Vicarię, & Monialium ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica Monaſterium prędictum, & ejus curam Magiſtro, & Provinciali, ſeu Vicario alterius eorum ſecundum morem dicti Ordinis, perpetuo committimus, & per pręſentes, necnon auctoritate pręfata, pręſenti perpetua Conſtitutione ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod de cetero nullus maſculus, ſive laicus, ſive eccleſiaſtica perſona, ſecularis, vel regularis exiſtant, ſepta & clauſuras dicti Monaſterii ſub excommunicationis pęna, quam ipſo facto incurrant, niſi in caſibus infraſcriptis, ingredi quoquomodo pręſumat. Hujuſmodi autem caſus ſunt hi, videlicet, Magiſter dicti Ordinis Prędicatorum, aut Prior Provincialis Provincię Romanę ſecundum morem dicti Ordinis, de qua quidem Provincia Monaſterium ipſum exiſtit, cum uno Socio duntaxat ętatis provectę, & probatę famę, ſemel tantum in anno, cauſa viſitationis, & non alias; & etiam quando aliqua ex Monialibus dicti Monaſterii infirmari gravi infirmitate contigerit, unus Frater dicti Ordinis Prędicatorum antiquus, & probatus, cum uno ſocio tantum ſimilis conditionis, quem Fratrem Prioriſſa dicti Monaſterii, quę erit pro tempore, de conſenſu duarum partium Monialium diſcretarum, & antiquarum ipſius Monaſterii, poſtulaverint, pro miniſtrandis Eccleſiaſticis Sacramentis, aut pro gravioribus exceſſibus corrigendis, medio quoque tempore infirmitatis hujuſmodi Monialium, ac etiam operarii pro victualibus deferendis, ſeu ędificiis reparandis, cum expedierit, quę omnes honeſtę converſationis exiſtant, caſibus duntaxat prędictis, clauſuras, & ſepta prędicta valeant introire. Prœmiſſis etiam adjicimus, quod ante Cratem, ſive feneſtram, ubi Moniales cum forenſibus loqui ſolent, maneat ſemper pannus extenſus & undequaque affixus, ita quod colloquentes ſe mutuo videre non poſſint, & quando caſu, aut vetuſtate laniatus fuerit, novus pannus ſimilis, & ſimiliter ante Cratem ipſam apponatur, & ſub ſimilis excommunicationis ſententię incurſu nulla perſona pannum hujuſmodi audeat amovere, & quod quicunque excommunicationis ſententiam hujuſmodi incurrerit, ab ea niſi per Romanum Pontificem, pręterquam in mortis articulo poſſit abſolvi, niſi forſan in caſu incendii, vel ruinę, aut incurſus latronum, aliqui intrarent ad ſuccurrendum Prioriſſę & Monialibus antedictis. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę conceſſionis, commiſſionis, conſtitutionis, ordinationis, & adjectionis infringere &c. Datum Florentię XI Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Monialium ſupplex petitio.

Ne viris aditus ſit in Monaſterium.

Caſus excepti.

Crates, ſeu feneſtræ clathratæ, cellæ colloquii velandæ, ne colloquentes ſeſe mutuo videant.

Sanctio pœnalis.

1. *Florentini.*) In *Hetruria.*

2. *Clauſura.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIII.*

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.* 8.

4. *Leonardo.*) Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCXIV pag.* 755.

5. *Literas.*) Datas *XVIII* Decembris *MCCCCXVIII.*

Reſcin-

Reſcindit Literas (1) in gratiam Prioris Pruliani a ſe, & a Patriarcha Conſtantinopolitano datas.

Anno 1420 Die 25 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. LVIII.

Exordium.

AD providam Apoſtolici Vicarii, prȩſidentis in ſpecula Apoſtolicȩ dignitatis, circumſpectionem pertinet, ſic temporum vicibus prȩbere excubias diligentes, ac emergentium negotiorum cauſas, diſcutere, necnon locorum & perſonarum eccleſiaſticarum, prȩſertim religioſarum, qualitati attendere, & eorum profectibus inſiſtere, ut omnis perturbationis materia, prȩſertim ex noſtris, & quorumlibet aliorum conceſſionibus ſuborta, ab eiſdem prorſus auferatur, & quȩ alias juxta conſiderationem conceſſa videbantur, dum ea in noxam, vel abuſum portendere cognoſcit, ſalubri mutatione conſilii in melius reformet, aut penitus revocet, & annullet, prout ſalubriter in Domino noverit expedire. Sane dudum dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſȩ & Conventus Monaſterii B. Mariȩ de Pruliano per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prȩdicatorum viventium, S. Papuli Diȩceſis, ſupplicationibus inclinati, noſtras conceſſimus literas tenoris ſubſequentis Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. His quȩ pro tranquillitate perſonarum &c (3). Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Leonardi (4) Magiſtri Generalis dicti Ordinis Prȩdicatorum, & Johannis Dignati, ejuſdem Provinciȩ ſecundum morem ipſius Ordinis Fratrum Prȩdicatorum, Prioris Provincialis, petitio continebat, decretum, ſeu Conſtitutio, necnon ſtatuta, ordinationes, confirmatio, & alia prȩmiſſa, ac tam noſtrȩ, quam dicti Patriarchȩ literȩ hujuſmodi in eis contenta in grave prȩjudicium, & notoriam eliſionem ſtatutorum regularium, ac privilegiorum dicti Ordinis Prȩdicatorum, ſeu contra illa, necnon etiam in enormem monaſticȩ, & regularis diſciplinȩ, lȩſionem, & ſubverſionem, diſſolutionem quoque debitȩ ſubjectionis, & obedientiȩ multipliciter cedere dignoſcantur, pro parte dictorum Leonardi Magiſtri, & Johannis Prioris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui dicti Ordinis Fratrum Prȩdicatorum, ad quem propter multiplicem, quem Fratres ipſi in Eccleſia Dei fructum afferre noſcuntur, ſingularis devotionis affectum gerimus, privilegia, & ſtatuta conſervari, ac vigere intenſis deſideriis affectamus. hujuſmodi ipſorum Leonardi Magiſtri, & Johannis Prioris, ſupplicationibus inclinati, decretum, Conſtitutionem, ſtatuta, & ordinationes, necnon tam noſtras, quam prȩfati Patriarchȩ literas, ac in eis contenta hujuſmodi, & quȩcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia revocamus, caſſamus, & annullamus, & nullius volumus eſſe roboris, vel momenti, decernentes ritus, & obſervantias, qui antea in prȩmiſſis, & circa ea habiti fuere, deinceps vigere debere in omnibus, & per omnia, ac ſi decretum, ſeu Conſtitutio, necnon ſtatuta, & ordinationes hujuſmodi nullatenus emanaſſent; irritum quoque & inane quicquid in contrarium a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrȩ revocationis, caſſationis, annullationis, voluntatis, & conſtitutionis infringere &c. Datum Florentiȩ VIII Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

Nota.

Abrogatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Literas.*) *Conſtitutionem ſcilicet IX Martini V.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVIII fol.* 189.
3. *Perſonarum &c.*) Ut in *Conſtitutione* mox laudata ad finem uſque.
4. *Leonardi.*) *Statii, de Datis, de Florentia*, cujus ſȩpius mentio facta fuit.

Ut Inquiſitor in Valentiæ Regno conſtituatur (1).

Anno 1420 Die 27 Martii.

Ex Arch. (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. LIX.

Exordium.

ROmanus Pontifex, Beati Petri cȩleſtis clavigeri ſucceſſor, & Vicarius Jeſu Chriſti, cuncta Mundi climata, omniumque nationum in eis degentium utilitates paterna conſideratione diſcutiens, diligenter ex officio, ſibi ſuperna diſpoſitione commiſſo, illa, ſuadentibus rationabilibus cauſis, ſalubriter ordinat, & diſponit, quȩ divinȩ majeſtati grata fore conſiderat, & per quȩ oves ſibi divinitus traditas in fidei catholicȩ puritate conſervet, ipſaſque dirigat, & augmentet ad conſequenda prȩmia felicitatis ȩternȩ. Sane, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Alfonſo (3) Rege Aragonum illuſtri Nobis inſinuante, didicimus, quod, licet Prior Provincialis Ordinis Fratrum Prȩdicatorum in Provincia Aragoniȩ, juxta morem ipſius Ordinis exiſtens pro tempore, ad quem id ex indultis Apoſtolicis (4) dicitur pertinere, in Regnis, & Terris prȩfati Regis ditioni ſubjectis, diverſos Inquiſitores hȩreticȩ pravitatis officium ipſum per ſe, & principaliter exercentes in diverſis partibus conſueverit deputare, tamen in Regno Valentiȩ (5), quod inter cetera Regna, & terras hujuſmodi non modicum membrum fore dignoſcitur, ſed nobile, & amȩnum, Inquiſitor officium Inquiſitionis hujuſmodi per ſe, & principaliter exercens, hactenus minime extitit deputatus, ſed per Inquiſitorem in dominiis ipſius Regis citra mare, & Comitatu Roſſilionis (6) pro tempore exiſtentem diverſi locum tenentes, ſeu Commiſſarii ad regendum & exercendum in Civitate Valentina, Provinciȩ Tarraconen., quȩ notabilis, & populoſa, prȩfatiquȩ Regni caput exiſtit, diverſis temporibus deputati fuerunt, quodque nonnunquam accidit, quod in Civitate & Regno prȩdictis,

Hujus Diplomatis cauſa.

in quibus nonnulli judęi, ac magnę Univerſitates Saracenorum utriuſque ſexus, tamen ſub dominio Chriſti fidelium conſiſtere dignoſcuntur, propter eorundem Inquiſitorum, ac locum tenentium, ſeu commiſſariorum hujuſmodi abſentiam, vel mutationem, officium ipſum non fuit hactenus, prout expedit, gubernatum, ac ſuper his, quę ad illius exercitium pertinent, nonnulla fuerunt inconvenientia ſubſecuta.

Supplex Regis petitio.

Quare pro parte dicti Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut officium Inquiſitionis hujuſmodi per Inquiſitorem in Civitate, & Regno prędictis, per ſe, & principaliter deputandum regi, & gubernari facere, & alias, in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Mandatum.

Nos igitur, qui deſideranter in votis gerimus, ut fides catholica noſtris pręſertim temporibus ubilibet proſperetur, ac hęretica pravitas de finibus fidelium extirpetur, ad Dei gloriam & ejuſdem fidei favorem, ut idem officium Inquiſitionis eo felicius in illis partibus proſperetur, quo deinceps in Civitate, & Regno prędictis per Inquiſitorem inibi continue reſidentem, & principaliter deputandum, diligentius peragetur, hujuſmodi pręfati Regis, necnon dilectorum filiorum, Nobis etiam ſuper hoc humiliter ſupplicantium, Juratorum (7) dictę Civitatis, ſupplicationibus inclinati, volumus, & auctoritate Apoſtolica ordinamus, quod officium Inquiſitionis hujuſmodi in Civitate, & Regno prędictis per Inquiſitorem in illis a Priore pręfato, prout ad eum ex indultis hujuſmodi pertinet, deputandum, qui inibi perſonaliter reſideat per ſe, & principaliter & non per commiſſarios, ſeu locum tenentes hujuſmodi, abſque pręfati, per quem inibi locum tenentes, ſeu commiſſarii hujuſmodi deputari conſueverunt, ut pręfertur, vel alterius cujuſcunque Inquiſitoris, impedimento, ſeu obſtaculo quocunque, de cetero regatur, & etiam gubernetur; decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Clauſula derogans.

Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę ordinationis, conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię VI Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Conſtituatur*.) Adeas *Franciſcum Diago* mox laudandum.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar. Autographum eſt in Cœnobio *Valentino*. Legitur apud *Franciſcum Diago Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ Lib. I Cap. XXXV pag. 63.*

3. *Alfonſo*.) Hujus nominis *V.*

4. *Apoſtolicię*.) Plures hac de re *Conſtitutiones* habes *Tomo I hujus Bullarii*.

5. *Valentiæ*.) In *Hiſpania Tarraconenſi*.

6. *Roſſilionis*.) *Ruſcinonis*, vulgo *Rouſſillon*, in *Galliæ Narbonenſi*.

7. *Juratorum*.) Seu Conſulum; ſic etiam in *Aquitaniæ* Conſules *Jurati* nuncupantur. In *Anglia* vero *Juratoria* dignitas ea eſt quæ de ſumma litis quoad factum decernit, anteaquam judex de jure ſtatuat.

Anno 1420 Die 24 Aprilis.

Ut Eccleſia Villæ Mencienſis (1) Parochialis ſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Theſaurario Eccleſię Cordubenſis; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

ILlos Sedes Apoſtolica gratioſis libenter favoribus proſequitur, & ſuis juſtis deſideriis acquieſcit, quos eſſe fidei novit, & Chriſti fidelium zelatores, ac Sedem ipſam humiliter revereri.

Supplex petitio.

Sane, ſicut exhibita Nobis, pro parte dilecti filii Nobilis viri Didaci Fernandi, Domini Villæ de Baena, Cordubenſis Dięceſis, Mareſcalli Caſtellę, petitio continebat; Quod ipſe pro tuitione, & defenſione Chriſti fidelium partium ipſarum convicinarum patrię infidelium Saracenorum Regni Granatę ab ipſis, qui eoſdem chriſtianos frequenter invadentes, illorum, quam plures morti tradebant, aut capiebant, & alias ipſis, & eiſdem partibus damna gravia inferebant, partes ipſas ignis voragine conſumentes, cupiens eiſdem Saracenis, ne de cetero in Chriſtianos, & patriam hujuſmodi adeo ſęvirent, viam precludere, quoddam fortalitium in paſſu forti, & ſtricto, ſito in loco de Donna Mencia, infra limites, & fines territorii dictę Villę propter confinia Saracenorum memoratum, & per quem ad eorundem Chriſtianorum loca tranſitus habetur, deſerto, & alias inhabitato, conſtruxit; necnon ipſum hominibus populavit, & pro ipſorum viginti in recompenſationem laborum, quos pro fide catholica, & tuitione, ac defenſione patrię, & Chriſtianorum prędictorum in eodem fortalitio ſuſtinerent, certam exemptionem Regiam impetravit, & pro habitatoribus fortalitiis prędicti in eo quandam devotam Eccleſiam ſub invocatione Beatę Marię de Conſolatione, ut in ea iidem habitatores dicti fortalitii, quod a dicta Villa fere per tria milliaria diſtat, pro tempore exiſtentes, audire divina valeant, ac Eccleſiaſtica recipere Sacramenta, canonice fundavit; & quod licet Rectores, & Beneficiati Parochialium Eccleſiarum Villę prędictę pro parte Domini, & habitatorum prędictorum, cum ipſi ad audiendum divina, & ad recipiendum Sacramenta hujuſmodi in Eccleſiis dictę Villę propter nimiam ipſarum diſtantiam a fortalitio prędicto, & Saracenorum infidelium partium illarum metum, accedere non auderent, fuerunt requiſiti, quod unum ex eis Sacerdotem tranſmitterent, qui eis in dicta Eccleſia Beatę Marię divina celebraret, necnon Sacramenta miniſtraret antedicta, & parati erant habitatores prędicti decimas, & primitias ex eorum laboribus, & alias ipſorum ratione provenientes, qui ultra viginti florenorum auri ſecundum communem extimationem valorem annuum non excedunt, ſolvere, ſicut boni, & fideles Chriſtiani; tamen Rectores, & Beneficiati memorati id adimplere denegarunt, reſpondentes inter alia, quod hujuſmodi Decimę, & primitię pro unius ſuſtentatione Sacerdotis minime ſufficiebant, & ad dictam Eccleſiam Beatę Marię, ad hujuſmodi divina celebranda, & Sacramenta miniſtranda propter metum Saracenorum prędictorum accedere non audebant. Cum

autem,

autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, fructus, redditus, & proventus earundem Eccleſiarum dictę Villę pro illorum Rectoribus, & Beneficiatorum ſupportandis oneribus abſque decimis, & primitiis prętatis ſufficiant, ipſique nullum Sacerdotem ad eandem Eccleſiam Beatę Marię pro celebrando divina, & miniſtrando Sacramenta hujuſmodi mittere velint; ac prętati habitatores decimas, & primitias hujuſmodi ſolvere ſint parati, ut prętertur, pro parte dicti Domini Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eandem Eccleſiam Beatę Marię, cum fontibus Baptiſmalibus & Cęmeterio, ac aliis inſigniis Parochialibus, in Parochialem Eccleſiam dicti fortalitii erigere, & ſibi Parochiam per certos confines, infra quos commorantes, ejus Parochiani exiſterent, conſtanter deputare, necnon jus patronatus ipſius, ſeu pręſentandi, tam primaria vice, quam deinceps, quotiens illam vacare continget, perſonam idoneam loci Ordinario in ejus Rectorem, eidem Domino, ſuiſque hęredibus, & Succeſſoribus Dominis dictę Villę concedere, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, ne prętati habitatores hujuſmodi Divinorum celebratione, ac Sacramentorum miniſtratione diu careant, & alias in pręmiſſis de quibus certam notitiam non habemus, intendentes ſalubriter providere, necnon eundem Dominum favoribus Apoſtolicis proſequi gratioſis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vocatis Rectoribus, & beneficiatis prędictis, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus, & eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi pręmiſſa repereris fore vera, aſſignata primitus per eundem Dominum computatis hujuſmodi decimis, & primitiis pro ipſius Eccleſię Beatę Marię Rectoris, qui erit pro tempore, dote ſufficiente, eandem Eccleſiam Sanctę Marię, cum fontibus Baptiſmalibus, cum cęmeterio, & aliis Parochialibus inſigniis in Parochialem Eccleſiam auctoritate noſtra erigas, ac ei Parochiam ſufficientem pręfata auctoritate limites, & deputes, ipſas Eccleſiam Beatę Marię, & Parochiam ab Eccleſiis dictę Villę memoratis, earumque Parochiis penitus eximendo, & etiam ſeparando; & inſuper hujuſmodi jus patronatus, ſeu pręſentandi perſonam hujuſmodi in ipſius Eccleſię Beatę Marię Rectorem loci Ordinario prędicto, tam primaria vice hujuſmodi, quam deinceps, ut prętertur, Domino, & hęredibus, ac ſucceſſoribus prętatis, auctoritate concedas memorata: provideas tamen, ut competens in ea honor pro facultate loci Eccleſię Matrici ſervetur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, contrariis quibuſcunque. Datum Florentię VIII Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Conſtituit ut ſupra.

1. *Villa Menciensis.*) Vulgo *Villa de Doña Mencia*, in *Hiſpania Bætica*. Hæc autem Parochia juris eſt Fratrum Prædicatorum.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum, ex Autographo *Cordubenſi*.

Ad Moniales Monaſterii (1) S. Petri Martyris vita Religioſa inſtituendas duæ Moniales ex Monaſterio Piſano Florentiam petant..

Anno 1420 Die 4 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Conventui, & Monialibus Monaſterii Beati Petri Martyris Florentin., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę ęternę beatitudinis amatrices, quę habitu ſacrę Religionis aſſumpto, uni viro, Chriſto videlicet, ſe voto celebri deſponſarunt, obſervantię regularis ignarę ab expertis inſtrui, & doceri cupiunt, libenter annuimus, eiſque favorem Apoſtolicum impertimur. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra, petitio continebat, dilectus filius Leonardus de Florentia Magiſter Ordinis Fratrum Prędicatorum in Civitate Florentin. in loco ad hoc congruo & honeſto, unum Monaſterium, in honorem & ſub vocabulo B. Petri Martyris, cum Eccleſia, Domibus, horto, & aliis neceſſariis officinis, pro una Prioriſſa, & certis Monialibus Ordinis Sancti Auguſtini, quę ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum hujuſmodi vivere debeant, canonice conſtrui, & ędificari, ac pro hujuſmodi Prioriſſa, & Monialibus competenter dotari fecerit, in illo vos collocaverit, quarum una Vicaria, donec vobis unam Prioriſſam idoneam, & expertam prętecerit, deputavit: Et, ſicut eadem petitio ſubjungebat, vos adhuc inexpertę, & ignarę obſervantię regularis exiſtatis, & deſideretis, ut aliquę expertę Moniales vos inſtruant regulari obſervantia ſupradicta; pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis aliquas Moniales Monaſterii Sancti Dominici Piſan. dicti Ordinis S. Auguſtini, & ſecundum inſtituta prędicta viventes, probatas, & expertas in obſervantia regulari hujuſmodi, in dicto veſtro Monaſterio recipiendi, ac eiſdem Monialibus de dicto Monaſterio S. Dominici exeundi, & ad dictum veſtrum Monaſterium intrandi, & quandiu eis expedire videbitur, in illo pro veſtra inſtructione remanendi, & ab inde ſine aliqua contradictione libere recedendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur; Nos igitur veſtrum hujuſmodi deſiderium plurimum commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis unam quinquaginta, & aliam, ſeu alias Moniales ejuſdem Monaſterii S. Dominici ętatum trigintaquinque annorum, dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Conventus dicti Monaſterii S. Dominici ad id accedente conſenſu, recipiendi, eiſdemque duabus Monialibus a dicto Monaſterio S. Dominici exeundi, ac in eodem Monaſterio veſtro pro inſtructione veſtra in hujuſmodi regulari obſervantia, tanquam in eorum proprio Monaſterio remanendi, & ab inde libere, & ſine alicujus contradictione, prout, & quando eis, videbitur, recedendi, & ad prętatum Monaſterium S. Dominici redeundi, Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſta-

Supplex Monialium petitio.

Conceſſio.

Clauſula derogans.

ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinum prętatorum, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam elargimur. Nos enim in quaſvis perſonas, impedientes pręfatas Moniales, quo minus in dicto veſtro Monaſterio remanere, aut quod ad prędictum Monaſterium S. Dominici reverti libere valeant, excommunicationis ſententiam promulgamus: ſub eadem ſententia diſtrictius inhibentes, quod nullę Moniales dictorum Monaſteriorum pręter prędictas, quę, ut pręfertur, vos inſtruere debeant, ad idem veſtrum, ſeu aliud, accedere Monaſterium quoquomodo pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali; decernentes ex nunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Florentię IV Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Monaſterii.*) Videas *Diploma datum XIX Februarii MCCCLXX*, Conſtitutionem ſcilicet *LVII* Martini V.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XL fol. 63.*

Anno 1420 Die 28 Maii.

Confirmat Bullam incipientem: *Perſonam tuam*: qua Bonifatius IX Magiſtrum Ordinis variis privilegiis (1) ornat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

REgimini univerſali pręſidentes Eccleſię, votis illis, per quę perſonarum, pręſertim paupertatis jugo ſe ſubmittentium, ſtatui, & indemnitatibus conſulitur, gratioſum libenter afferimus auditum, & hiis, quę Apoſtolicę Sedis proviſione propterea proceſſiſſe comperimus, ut ſolidius perſiſtant, potioris, cum a nobis petitur, ſuffragii adjicimus incrementum. Dudum ſiquidem quondam Bonifatius, in ſua obedientia VIIII nuncupatus, ſuas concesſit literas tenoris ſequentis. Bonifatius (3) Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę Magiſtro Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam tuam, Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, ac religionis zelo conſpicuam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę ad ſalutem animarum, & ſtatum proſperum, & tranquillum Fratrum Ordinis Prędicatorum tendere dignoſcuntur. Hinc eſt, quod Nos, tuis devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, & fel. rec. Benedicti XI, & nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum noſtrorum, veſtigiis inhęrentes, ut tu, & Succeſſores tui Magiſtri dicti Ordinis, qui fuerint pro tempore, in quolibet Capitulo generali, ſecundum morem dicti Ordinis pro tempore celebrando, uni ex Fratribus dicti Ordinis in Theologica facultate provecto, quem tu, vel Succeſſores hujuſmodi, per tuam, vel Succeſſorum eorundem, necnon Diffinitorum dicti Capituli, vel aliorum Magiſtrorum ad hoc aſſumendorum, diligentem examinationem, ſufficientem, & ydoneum inveneritis, Magiſterii honorem, & docendi licentiam in facultate prędicta, ſervatis Conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus in talibus conſuetis, auctoritate Apoſtolica largiri, ſibique ut intra dictum Ordinem, & extra, quibuſcunque gratiis, privilegiis, libertatibus, & indulgentiis, tam a Sede, quam ab Ordine prędictis, Fratribus ejuſdem Ordinis in eadem Theologia Pariſius Magiſtratis conceſſis, perinde uti, & gaudere valeat, ac ſi in Pariſienſi Studio hujuſmodi Magiſterium recepiſſet. Quodque etiam tu, & Succeſſores hujuſmodi, omnes, & ſingulos Fratres dicti Ordinis, ad partes infidelium, & ſciſmaticorum tranſmiſſos, ſeu in Pęnitentiarios extra Romanam Curiam, aut Inquiſitores hęreticę pravitatis, ac Priores etiam Provinciales, Conventuales, necnon Vicarios, Lectores, Bacallarios in dicto Ordine, per Sedem prędictam, vel alias, per quoſcunque, & qualitercunque, & quavis auctoritate, etiam noſtra, deputatos hactenus, & imposterum deputandos, ac alios quoſcunque officiales dicti Ordinis, necnon Rectores, adminiſtratores, ac Prioriſſas Monaſteriorum, Hoſpitalium, aliorumque locorum, dicti Ordinis, ſeu eidem Ordini ſubjectorum, vel ſubmiſſorum, cujuſcunque ſtatus, ordinis, ſexus, vel conditionis exiſtant, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, quotiens tibi, vel ſucceſſoribus tuis, pro dicti Ordinis, vel alicujus ex locis prędictis, ſeu perſonarum ipſorum, vel alicujus eorum, ſtatu, & honore videbitur, revocare, & ab hujuſmodi eorum officiis, miniſteriis, Prioratibus, & adminiſtrationibus quibuſcunque removere, & alios loco ipſorum ſubſtituere, ac etiam officia ipſa limitare, ac etiam aliquem ex Fratribus hujuſmodi, ad hoc ydoneum, in dicti Ordinis Procuratorem deputare, & inſtituere, & inſtitutum ab ipſo officio amovere, & alium loco ejus ponere, ſemel, & pluries, ac totiens quotiens tibi, & Succeſſoribus tuis videbitur, & placebit, qui ipſo facto omnium Provinciarum, Conventuum, Monaſteriorum, Hoſpitalium, & locorum ipſius Ordinis, & perſonarum eorundem, ac aliorum prędictorum, & ipſi Ordini ſubjectorum, cenſeatur, & ſit verus Procurator, cujuſque procurationis officium decedente Magiſtro ipſius Ordinis, qui pro tempore fuerit, nullatenus expiret, donec ſuper hoc per Magiſtrum ſuccedentem aliter ordinetur, dictuſque Procurator poſſit, & valeat cauſas quaſcunque, tam civiles, quam criminales, eccleſiaſticas, ſive mundanas, quas voluerit aſſumere, pro dicto Ordine, & locis, & ipſorum locorum Conventibus, & officialibus, ac perſonis prędictis, & ipſorum quolibet, ac etiam ipſorum nomine, & pro eis tam conjunctim, quam diviſim, per ſe, vel alium, ſeu alios, tam in Romana Curia, quam extra, contra quaſcunque perſonas, collegia, & univerſitates, movere, proſequi, defendere, & agere, ac appellare in judicio, & extra, tam in prima, quam in ſecunda, & tertia inſtantiis, etiam in his, in quibus requiritur ſpeciale mandatum, totiensquotiens, ſemper, & quandocunque ſibi videbitur, & placebit, ſecundum poteſtatem per te, vel Succeſſores tuos hujuſmodi, ſibi traditam, vel tradendam, perinde ac ſi ab Ordine, & locis, officialibus, & perſonis prędictis ſibi data eſſet omnimoda poteſtas, cum pleno, libero, & generali mandato ad cauſas antedictas. Quodque tu, & ſucceſſores tui Magiſtri hujuſmodi cum quibuſcunque Fratribus

Tenor Conſtitutionis Bonifatii IX.

dicti

dicti Ordinis, & perſonis prędictis, cujuſcunque ordinis, aut ſexus exiſtant, ex quocunque damnato coitu procreatis, vel procreandis, ut ad quoſcunque gradus in licitis facultatibus, dignitates, & honores, ac officia quęcunque in Ordine ipſo, & locis prędictis duntaxat, promoveri libere, & licite poſſint, Generali prędicti Ordinis excepto Magiſtratu, auctoritate Apoſtolica diſpenſare, ac illos ex Fratribus hujuſmodi, qui forſan antequam ad legitimam ętatem pervenerint, ſe fecerint, aut permiſerint ad quoſcunque ſacros Ordines promoveri, ab omnibus ſententiis, & pęnis quas propterea incurrerint, eadem auctoritate abſolvere, & ſuper irregularitate, ſi forſan, per eos propterea qualitercunque contracta, auctoritate Apoſtolica diſpenſare, ac quaſcunque utriuſque ſexus perſonas, tibi, & Succeſſoribus hujuſmodi pro tempore confitentes, extra prędictam Curiam, ab eorum peccatis, in illis caſibus duntaxat, in quibus minores noſtri, & dictę Sedis Pęnitentiarii poſſunt, abſolvere. Necnon quotiens te, & Succeſſores ipſos per aliquas partes iter facere contigerit, Miſſam antequam dies illuceſcat circa tamen diurnam lucem, celebrare, aut per proprium, vel alium Sacerdotem ydoneum facere celebrari, ita tamen quod id nec tibi, nec Succeſſoribus ipſis, nec Sacerdoti hujuſmodi, ad culpam valeat imputari, tibi, & Succeſſoribus tuis Magiſtris hujuſmodi, de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia, tenore pręſentium indulgemus. Conſtitutionibus & gratiis Apoſtolicis hujuſmodi Fratribus, officialibus, ſeu perſonis, aut locis in genere, vel in ſpecie conceſſis, vel concedendis pro tempore, quas eis quoad pręmiſſa, niſi de pręſentibus de verbo ad verbum plenam, & expreſſam fecerint mentionem, nolumus ſuffragari, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo tertio. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii Leonardi (4) Magiſtri Generalis dicti Ordinis, petitio continebat, licet ſuper earundem viribus litterarum hęſitationis ſibi ſcrupulus non occurrat, illas tamen a Nobis, poſt univerſalis ſciſſurę ſuppoſitę diutine reintegrationem Eccleſię, in Summi Apoſtolatus Solio gregi pręſidentibus univerſo, uberioris expoſcat Apoſtolici muniminis pręſidio ſolidari. Nos itaque, ipſius Leonardi in hac parte ſupplicationibus inclinati, pręſentium ſerie, litteras approbantes eaſdem, illas juxta omnimodam ipſarum ſeriem, plena ſubſiſtere decernimus roboris firmitate. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire; Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię V Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

X
X

Supra plicum, ſeu partem inflexam legitur.

A. Fidelis.

B. De Vincio. VII

S. Curneri.

1. *Privilegiis.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. IV.*

2. *Archivo.*) In quo Autographum, & Exemplar authenticum. Aliud habes ibidem ex *Archivo Apoſtolico Lib. XXXVIII fol.* 122. Illud etiam tranſcripſit *Uſuſmaris pag.* 105.

3. *Bonifatius.*) Eadem eſt, ac *Conſtitutio CCVIII Bonifatii IX.* Verum, cum maximi ſit momenti, & Autographum nunc teneamus, exſcribitur.

4. *Leonardi.*) *De Datis.* Conſulendus *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad annum MCCCCXIV pag.* 755.

Ut Romæorum Deſpoti (1) duodecim Prædicatorum, vel aliorum Mendicantium Fratres ſecum habere poſſint.

Anno 1420. Die 13 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio nobili viro Carolo Deſpoto Romęorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SIncerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam promeretur, ut votis tuis, illis pręſertim, quę animarum ſalutem & Chriſti nominis exaltationem reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, & ſucceſſoribus tuis Deſpotis Romęorum, qui erunt pro tempore, ut tam tu, quam quilibet ſucceſſorum prędictorum duodecim Prędicatorum, vel Minorum, aut aliorum quorumcunque Mendicantium Ordinum profeſſores vita, moribus, & virtute pręclaros, ac literarum ſcientię prędiros, & ad hoc voluntarios, quos duxeritis eligendos pro divinorum officiorum celebratione, vel aliis veſtris ſervitiis licitis & honeſtis, necnon pro corroboratione, & amplificatione fidei catholicę quę per illorum prędicationis miniſterium, & exemplum laudabilis vitę, in illis partibus, auctore Domino, ſuſcipere poterit incrementum, recipere, illoſque vobiſcum retinere valeatis, prędictiſque profeſſoribus per vos, ut pręmittitur, eligendis, & nominandis, ut Superiorum licentia, ſeu conſenſu minime requiſitis, vel obtentis, vobiſcum morari, & hujuſmodi officia celebrare, ac veſtris, & ejuſdem fidei ampliandę ſtudiis & negotiis intendere libere, & licite poſſint, auctoritate apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus: eiſdem nihilominus profeſſoribus eadem auctoritate de ſpeciali gratia concedentes, quod hujuſmodi ſervitiis & obſequiis inſiſtendo, per eorum Superiores, aut alios, quoſcunque ad eorum clauſtra, abſque rationabili cauſa revocari, ſeu ad aliqua loca, vel conventus ſuorum Ordinum mitti, vel transferri nequeant quoquomodo. Non obſtan. apoſtolicis ac provincialibus, & ſynodalibus conſtitutionibus, necnon ſtatutis &

Facultas.

con-

conſuetudinibus eorundem Ordinum, ac aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię Idibus Junii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Romæorum Deſpoti*,) Seu Græcorum Reges.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.125.*

Anno 1420 Die 23 Junii.

Nę Cœnobia, & Monaſteria Ordinis Prædicatorum, aliorumque Mendicantium, juris ac poteſtatis ſint generalium Viſitatorum (1) Apoſtolicorum.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

ROmani Pontificis provida circumſpectio geſta per eum, ne ſub ignorantia facti libitis adligantur indebitis, & illis pręſertim, quos ſibi devotos, quoſque, relegatis mundi illecebris, pię vitę ſtudio, & bonorum operum exercitio, in divinę majeſtatis obſequio cum caritatis fervore ſedulo vacare cognoſcit, protendantur in noxa, nonnunquam dilucidat, prout conſpicit ſalubriter expedire. Nuper ſiquidem pro parte dilecti filii nobilis viri Ludovici (3) Comitis Palatini Rheni, Nobis expoſito, quod in pleriſque tam in Virorum quam Mulierum Ordinum diverſorum Monaſteriis, aliiſque regularibus locis, infra Comitatum Palatin. Rheni, ac alias terras, in quibus idem Comes temporale obtinebat Dominium conſiſtentibus, regularis depreſſa obeſervantię norma, ritus monaſticus, divinum quoque miniſterium laxarentur in dies, ac perſonę inibi aſtrictę divinis, pię vitę ſtudio, necnon ſuavi contemplationis jugo ſepoſitis, variis, criminibus, & exceſſibus, quę damnabiliter proh dolor! impunita ſuccederent, ſe immergere periculoſius non tremeſcerent, in ſuarum ſalutis animarum diſpendium, non ſine ſcandalorum fomite, ſacrę religionis opprobrium, plurimorum perniciem pariter, & exemplum, ac propterea, ut, obſtructis pręcipitantium greſſibus, plantaria inibi vigerent Deo grata, & fructus deinceps afferrent ampliores, Monaſteria, & loca ipſa, tam in capite quam in membris, ſpiritualibus, quoque, & temporalibus, reformationis pręſidium expoſcerent ſalutare. Nos tunc dicti Comitis, in ea parte ſupplicationibus inclinati, dilectis filiis in Caſtello, & in Hulbrun, Eyſteten. (4), & Spucen. (5) Dięceſum Monaſteriorum Abbatibus, eorum propriis nominibus non expreſſis, per noſtras literas commiſimus, & mandavimus eiſdem, quatenus ſub illius, qui, ut Religione munda ſalutis nobis prępararet iter, proprio ſanguini non pepercit, ductu almifico, ad illa quę non exempta, ſi, & poſtquam locorum ad id Ordinariorum accederet conſenſus, ad ea, quę exempta forent, ex Monaſteriis, & locis pręmiſſis, etiam ſine hujuſmodi conſenſu, quoties ipſarum, quas in hoc onerari volumus, judicio conſcientiarum, expedire videretur, perſonaliter accedentes, de nunquam ſolum ſuis proponentes oculis (6) in Monaſteriis, & locis eiſdem, tam in ſpiritualibus quam temporalibus, necnon capitibus, & membris hujuſmodi, debitę viſitationis officium auctoritate Apoſtolica impendere, ac ſolicitius exercere curarent, reformationis ejuſdem adminiculum propenſius exquirentes: Nos enim pręfatis Abbatibus, ut, ex hujuſmodi ipſorum viſitationis, & reformationis ſtudio, vigilantię fructus comitarentur optati, omnes, & ſingulos Monaſteriis Pręſidentes eiſdem, illorumque perſonas, cujuſcunque ſtatus, gradus, ordinis, vel conditionis exiſterent, juxta criminum, & exceſſuum per eorum quemlibet perpetratorum, qualitatem, & exigentiam, ſanctioneſque canonicas, ac regularia eorundem Ordinum Conſtitutiones, & inſtituta, necnon, prout Pręſidentium, & perſonarum animarum ſaluti, Monaſteriorum quoque, & locorum eorundem ſtatui, & indemnitatibus congruere proſpicerent, eadem auctoritate, corrigendi, pęniſque debitis plectendi: Pręſidentes pręterea, & perſonas hujuſmodi, ſi ipſorum culpę, ſive demerita id poſcerent, a Dignitatibus Abbatialibus, regiminibus quoque Monaſteriorum, & locorum pręfatorum, necnon aliis illorum adminiſtrationibus, & officiis quibus tunc pręeſſent, & pro quibus, occaſione vacationis eorundem pro parte Pręſidentium, & perſonarum hujuſmodi, ut ſurrogarentur inibi, ad Sedem Apoſtolicam ſpecialis non conſuevit haberi recurſus, eadem auctoritate penitus deſtituendi, & amovendi, & nonnulla alia in pręmiſſis, & circa ea, faciendi, conceſſimus facultatem, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum itaque, ſicut accepimus, a nonnullis prętendatur, Nos literas, commiſſionem, & mandatum hujuſmodi, etiam ad Fratrum Pręedicatorum, Minorum, Eremitarum Sancti Auguſtini, & Sanctę Marię de Monte Carmeli Ordinum Domos, & loca, eorumque perſonas, necnon ad Abbatiſſas, Prioriſſas, & Sorores, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum ipſorum Ordinum, vel alicujus eorundem viventium, & earum Monaſteria, & loca extendi voluiſſe, Nos, ne propterea errores, aut perturbationem circa pręmiſſa committi, contingat, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium decernimus, Nos non intendiſſe, ſeu voluiſſe literas, Commiſſionem, & mandatum pręedicta debuiſſe, aut debere, ſe ad Domos, ſeu loca Fratrum Pręedicatorum Ordinum, ſeu eorum perſonas, aut Abbatiſſas, Prioriſſas, vel Sorores ſub cura, & ſecundum Inſtituta pręfata viventes, aut ipſarum Monaſteria, ſeu loca extendi debuiſſe, ſeu debere quovis modo, & inſuper irritum, & inane quicquid pręetextu literarum, commiſſionis, & mandati pręedictorum per dictos Abbates, vel ipſorum alterum, aut alias contra decretum noſtrum hujuſmodi contigerit attentari. Nulli ergo &c. Datum Florentię IX Kalen. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Hujuſce Diplomatis cauſa. — Declaratio. — Sanctio pœnalis.

1. *Viſitatorum*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.62.*

3. *Ludovici*.) Hujus nominis *Primi* e ſtirpe *Rudolphiana*. *Barbatus*, *Cæcus*, & *Pius* nuncupatur.

4. *Eyſteten*.) Vulgo *Eichſtett*, in *Franconiæ* Circulo. Conſulendus *Johannes Carolus a Stadel in Compendio Geographiæ Eccleſiaſticæ Cap. XVI Sect. V pag.193.*

5. *Spucen*.) Legerem *Spiren.*, vulgo *Speyer*, in Circulo *Rheni Superioris*. Adeas Auctorem mox laudatum *Sectione X pag.197.*

6. De

6. *De nunquam ſolum ſuis proponentes oculis.*) Turbatus locus. Fortaſſis legendum. *Alienis nunquam, ſed ſolum ſuis deferentes oculis.* Nota, quod ejuſdem *Conſtitutionis* linea 44, ubi typographi incuria legitur: *loca Fratrum Prædicatorum*; Scribendum: *loca Fratrum prædictorum*.

Conſervatores conſtituit, qui Decretalem (1) quæ incipit: *Super Cathedram*; ſervandam curent.

Anno 1420 Die 1 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Leopolen. (3), & Alben. (4), ac Primilien. (5) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXV.

FRequentes hactenus &c. (6). Nuper etiam pro parte venerabilis Fratris noſtri Johannis Epiſcopi Muldavien. (7), & dilectorum filiorum Capituli Eccleſię Muldavien., ac aliarum Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis Muldavien., necnon Prelatorum, Conventuum, Priorum, Rectorum, Curatorum, Sacerdotum, & Vicariorum Parochialium, ac Cleri tam Regularium, quam Secularium Civitatis & Diœceſis prędictarum nobis exitit intimatum &c. (8). Datum Florentię Kalendis Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Decretalem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIII fol. 117.*
3. *Leopolen.*) Polonis *Lvvovv*, Italis *Leopoli*. Urbs eſt *Ruſſia Nigra*.
4. *Alben.*) Vulgo *Akerman*, in *Moldavia*.
5. *Primilien.*) *Premislien.*, in *Ruſſia Nigra*.
6. *Frequentes hactenus &c.*) Ut in *Conſtitut. III Clementis VI* ad hæc uſque verba: *Partibus inferuntur*.
7. *Muldavien.*) *Moldavien.*, in ejuſdem nominis Regione.
8. *Intimatum &c.*) Ut in *Conſtitutione* laudata ad finem uſque.

Ex Bonifatii IX Conſtitutione, quam inſcribit, & firmat, Ordinem FF. Prædicatorum ab Epiſcoporum juriſdictione, & Decimis, aliiſque tributis eximit (1).

Anno 1420 Die 15 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LXVI.

AD ſummi Apoſtolatus apicem divina diſpoſitione vocati, dum prędaram dilectorum filiorum Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorum Religionem, & merita intra mentis noſtrę recenſentes archana, & ad commendabiles, quibus operoſis eorum miniſteriis erga Deum, & homines indeſinenter exuberant, fructus, digne noſtros diffundimus cogitatus, votis illis gratioſum libenter offerimus auditum, per quę ipſorum ſtatui & indemnitatibus conſulitur, ut ea, quę pro illorum quiete, commodoque, & profectibus, exquiſita comperimus, prędio munimiois apoſtolici jugiter invaleſcant. Dudum ſiquidem quondam Bonifatius, in ſua obedientia VIIII nuncupatus, ſuas conceſſit literas tenoris ſubſequentis. Bonifatius (3) Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Etſi pro cunctorum Chriſti fidelium, ſuper quibus curam officii Summi Pontificatus, divina diſponente clementia, gerere obligamur, ſtatu ſalubriter dirigendo, libenter adhibeamus ſolicitudinis noſtrę partes, illos tamen affectuoſiori ſtudio proſequimur, quorum alii a mundanis abſtracti illecebris, & gravibus pęnitentiis dediti, cęleſtibus inhiant, & ad illa per contemplationis pennas ſuavius, & altius elevantur, ut Aquilę, & cum Maria parte optima perfruuntur, alii vero, Sanctam Marthę ſolicitudinem ſectantes, celebrationi divinorum vacant ſolertius, alii diſcunt, & docent Dei ſcientiam, & plebem inſtituunt in eadem, alii quoque ferventioris ſpiritus ardore ſucceſſi, non timentes, ſed amantes, ad converſionem infidelium anhelant intrepidi, ut valeant ad dominicam aream multos afferre manipulos, & de talentis eis creditis bonam Domino reddere rationem. Hii profecto ſunt Fratres Ordinis Prędicatorum, in Dei Eccleſia multiplicibus ſplendoribus radiantes, quorum ſonus prędicationis per diverſa mundi climata noſcitur exiviſſe. Hii ſunt, quos Deus numero multiplicavit, & meritis, quibuſque, ſicut & aliis bene currentibus in ſtadio militantis Eccleſię, ęternum bravium elargitur. Quapropter de ipſis curam vigilem gerimus, ut eos in hiis ſanctis operibus nil impediat, vel perturbet, ſed ipſi oportune quietis dulcedine potiantur. Hinc eſt, quod Nos dilecti filii Thomę Magiſtri, & dilectorum filiorum Priorum & aliarum perſonarum dicti Ordinis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ac felicis recordationis Nicolai IV, & Benedicti XI, & nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum, Prędeceſſorum noſtrorum, veſtigiis inhęrentes, Ordinem ipſum, ac Magiſtrum, Priores, & Fratres prędictos, pręſentes, & futuros, necnon quaſcunque Sorores, ac Domos, Monaſteria, loca, & Hoſpitalia quęcunque, quę ſub cura, & regimine Ordinis, & Fratrum Prędicatorum fuerint pro tempore conſtituta, & eorum Rectores, & Gubernatores, cum omnibus ſuis juribus, & pertinentiis, quę in pręſentiarum obtinent, & in futurum, dante Domino, juſtis modis poterunt adipiſci, ab omni juriſdictione, dominio, ſubjectione, & poteſtate quorumlibet Ordinariorum, & Prelatorum, ac Perſonarum Eccleſiaſticarum, necnon a ſolutione cujuſcunque collectę, pedagii, aut cujuſcunque alterius generis exactionis, de Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, & ex certa ſcientia, prorſus eximimus, & totaliter liberamus, illaque in jus, & proprietatem Beati Petri, & Sedis Apoſtolicę, & ſub eorum ſpeciali, & immediata protectione ſuſcipimus, atque noſtra: decernentes, Ordinem, Magiſtrum, Priores, Fratres, Sorores, qui nunc ſunt, & erunt pro tempore, domos, Monaſteria, loca, & Hoſpitalia ſupradicta, eorumque Rectores, & Gubernatores, cum omnibus juribus, & pertinentiis hujuſmodi, ſolum, & immediate Sedi prędictę ſubjacere; Ita quod Ordinarii, & Prelati, aut hujuſmodi, ſeu

Exordium a laude Ordinis.

Tenor Conſtitutionis Bonifatii IX.

Ordinis Commendatio.

Privilegia.

Digitized by Google

ſeu quęvis alię perſonę in ea, utpote prorſus exempta, generaliter, vel ſpecialiter, aut communiter, vel diviſim non poſſint, quavis auctoritate, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias promulgare, aut alias, etiam ratione delicti, ſeu contractus, vel rei, de qua agitur, ubicunque committatur delictum, ineatur contractus, aut res ipſa conſiſtat, poteſtatem, ſeu juriſdictionem aliquam quomodolibet exercere. Quodque Magiſter, Priores, Fratres, Sorores, Rectores, & Gubernatores pręfati, ratione domorum, locorum, Monaſteriorum, & Hoſpitalium prędictorum, aut quorumcunque aliorum bonorum, aut poſſeſſionum, quę in pręſentiarum habent, & juſtis modis, pręſtante Domino, habebunt in futurum, ſeu alia quavis occaſione, decimam, vel aliam portionem, aut annuos redditus, ſeu cenſum, vel procurationem aliquam, vel aliam ſubventionem Legatis, vel Nunciis dictę Sedis, aut Ordinariis locorum, vel aliis quibuſcunque, aut pedagia, vel Theolonea, & alias exactiones quibusvis Regibus, ſeu

Mentio ſpecifica facienda de Ordine eique conceſſis.

aliis Perſonis eccleſiaſticis, vel ſecularibus, dare, & ſolvere minime teneantur, nec ad id compelli poſſint, vel ſuper hoc, aut alias a quoquam quomodolibet conveniri per litteras Sedis Apoſtolicę, aut Legatorum, vel Delegatorum, ſeu Nunciorum ipſius, aut Dioceſanorum locorum, vel Rectorum terrarum Eccleſię Romanę, aut quorumcunque aliorum, etiamſi in ejuſdem Sedis litteris contineatur expreſſe, quod ad quęvis exempta, vel non exempta loca, ſeu monaſteria, ſe extendant, & aliqua eis, cujuſcunque tenoris exiſtat, ipſius Sedis indulgentia non obſiſtat, niſi forſan dictę litterę Apoſtolicę de dicto Ordine, & pręſentibus de verbo ad verbum, ac etiam Monaſteriis, locis, & Domibus, ipſorum Rectoribus, ac Gubernatoribus, & perſonis prędictis plenam, & expreſſam, ac etiam ſpecialiter, & notanter fecerint mentionem. Et nihilominus volumus, & eiſdem Magiſtro, Prioribus, & Fratribus, auctoritate Apoſtolica concedimus, quod ipſi de pręſentibus, & in eis contentis alicui ex locorum Ordinariis, quoad vixerit, niſi ſemel tantum, ſi ſuper hoc per eum fuerint requiſiti, fidem facere nequaquam teneantur, nec

Confirmatio.

ad id a quoquam inviti valeant coarctari, felicis recordationis Innocentii Papę IIII Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, legibus Imperialibus, ſtatutis, & conſuetudinibus, per quę pręmiſſa poſſent quomodolibet infringi, vel impediri, & aliis in contrarium editis, non obſtantibus quibuſcunque. Nos enim quaslibet excommunicationum, ſuſpenſionum, & interdicti ſententias, & quoſcunque proceſſus, quaſvis pęnas, & ſententias continentes, quas, & quos contra Magiſtrum, Priores, Fratres, Sorores, domos, & Hoſpitalia, perſonas, & alia ſupradicta, contra tenorem & formam pręſentium, & exemptionis hujuſmodi, promulgari, & haberi, contigerit, irritos decernimus penitus, & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę exemptionis, liberationis, ſuſceptionis, voluntatis, conceſſionis, & Conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit, Indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Tertio decimo. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Leonardi (4), Magiſtri Generalis

Nota.

dicti Ordinis, & eorundem Fratrum, petitio continebat, licet litterę pręmiſſę per Nos, qui etiam ſacra Conſtantien. approbante Synodo, exemptionibus uni toti conceſſis Ordini detrahere non cenſuimus, ſubſiſtentię, vigoriſque effectui ſint relictę, ipſi tamen Leonardus, & Fratres a nobis, qui poſt peſtiferi in Dei eccleſia ſciſmatis ſublationem dominici gregis paſtor unicus fore proſpicimur, potioris Apoſtolicę auctoritatis miniſterio fulciri geſtiant litteras antedictas; Nos itaque, Leonardi & Fratrum prędictorum in hac parte ſupplicationibus inclinati, pręſentiumque ſerie litteras approbantes eaſdem, illas juxta omnimodas ipſarum continentiam, atque formam, roboris firmitate plenarii decernimus (5) ſubſiſtere, foreque

Sanctio pœnalis.

ſubnixas. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, & conſtitutionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare pręſumpſerit indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Florentię Id. Julii, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

X
X

Jo. De Prato.

Supra plicum, ſeu partem inflexam ſubſcripſit.

De Garſt.

B. De Vincio:

1. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. V, & X.*

2. *Archivo.*) In quo Authographum. Ibidem Quadruplex aſſervatur Exemplar, unum ex *Archivo Apoſtolico Lib. XL fol.* 95, aliud ex Authentico, fide publica comprobato *Romæ* anno a Nativitate Domini *MCCCCXXXIII*, Indictione *XI*, die Lunæ, *XI* Menſis Maii, Pontificatus *Eugenii IV* anno Tertio; tertium Authenticum, ex alio, quod tenet Conventus *S. Mariæ Gratiarum Mediolanenſis*; quartum ex Authentico quod eſt *Venetiis*, in Cœnobio *SS. Johannis, & Pauli*. Duplex aliud Authenticum habet in Cœnobio *Mutinenſi*. Legitur etiam apud *Caſtellanum pag.* 88, in *Conſtitutionibus an. MDV num. LXXXIII*, in *aliis an. MDVII num. XCVII*, & in *Bullario Bononienſi fol.* 12, ex Autographo *Bononienſi*.

3. *Bonifatius.* Ut in *Conſtitutione CCXVII Bonifatii IX*, quæ ex Autographo hic tranſcribitur.

4. *Leonardi.*) De quo ſæpius dictum eſt.

5. *Decernimus.*) Huc ſpectat ſequens Diploma, cujus Autographum eſt *Neapoli*, in Cœnobio *S. Dominici*.

Petrus miſeratione divina Sanctæ Mariæ in Dominica Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, ac in Regno Siciliæ, & Terra citra farum Apoſtolicæ Sedis Legatus. Ad futuram rei memoriam. Humilibus, & honeſtis ſupplicum votis, illis præſertim, per quæ geſtarum rerum veritas in lucem deducitur, libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Pridem ſiquidem pro parte dilectorum nobis in Chriſto Prioris Fratrum, & Conventus Monaſterii Sancti Dominici Neapolitani Ordinis Prædicatorum, nobis expoſito, quod licet ipſi vigore ſpecialis Privilegii, Apoſtolici dudum per nonnullos Summos Pontifices, præſertim felicis recordationis Gregorium Papam XI, dilectis nobis in Chriſto Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis dicti Ordinis, con-

conceſſi, & indulti fuiſſent, & eſſent ab exactione, & ſolutione quartarum, ſeu Canonicarum portionum penitus exempti, & immunes, ac exemptionis prorſus titulo, etiam reſpectu univerſalis & totius ordinariæ Juriſdictionis gaudere debuiſſent, & deberent, prout in eodem Privilegio coram nobis pluries exhibito, & per nos viſo, plenius continetur. Tamen Reverendus in Chriſto Pater Dominus Nicolaus Archiepiſcopus Neapolitanus præmiſſorum non ignarus, & hujuſmodi privilegio contra juſtitiam ſe opponens, quendam dictorum Ordinis, & Conventus Fratrem, cui quædam perſona certam pecuniæ quantitatem tunc expreſſam legaverat, pro quarta hujuſmodi legati habenda, de facto excommunicaviſſet, & excommunicatum publice nunciari mandaſſet, & feciſſet, aliiſque impediviſſet, prout impediret, ac feciſſet, & faceret quo minus ipſum Privilegium, quoad præfatos exponentes debitum ſortiretur effectum, & quominus iidem Exponentes, eodem Privilegio juxta ipſius tenorem, præſertim quoad præmiſſa pacifice gaudere valerent, & potiri, ortaque propterea inter dictos Dominum Archiepiſcopum, & Exponentes, de, & ſuper ſolutione quartarum, ſeu Canonicarum portionum Epiſcopalium, quas de jure communi, & quartæ Parochialis, quam de jure ſpeciali, idem D. Archiepiſcopus a dictis Exponentibus ſe vendicare, ac ad ſe, & Eccleſiam ſuam Metropolitanam ſpectare dicebat, necnon ſuper viribus, & intellectu dicti privilegii, quoad præmiſſa, & eorum occaſione materia quæſtionis, & conſtitutis deinde perſonaliter coram nobis præfato Domino Archiepiſcopo, ſuo, & dictæ Eccleſiæ ſuæ, nomine, ex una, & dilectis nobis in Chriſto Magiſtro Nicolao de Nuceria, ſacræ paginæ, & Ordinis prædicti profeſſore, præfati Magiſtri Generalis ejuſdem Ordinis in Natione Terræ Laboris Vicario Generali, ac Fratre Galaſſo de Neapoli Priore moderno dicti Conventus, ſuorum, & aliorum Exponentium præfatorum, nomine, partibus ex altera; & per eaſdem partes hinc inde ſuper præmiſſis aliquandiu diſceptato, tandem partes ipſæ, perſona noſtra pro bono pacis earundem ſe interponente, ad hujuſmodi finalem concordiam devenerunt, videlicet, quod præfatus Frater aſſertus excommunicatus ab hujuſmodi excommunicationis ſententia abſolveretur ad cautelam, & dicta pecuniæ quantitas apud dilectum nobis in Chriſto Magiſtrum Bartholomæum de Benevento, decretorum Doctorem, Auditorem noſtrum generalem, deponeretur, & quod omiſſis aliis ſolemnitatibus Juris quibuſcunque, quælibet ipſarum Partium, Jura, & munimenta, quibus uti vellet in præmiſſis, coram eodem Auditore produceret, ac verbo, vel in ſcriptis, prout mallet, allegaret, idemque Auditor, hujuſmodi Juribus, & allegationibus, duntaxat, viſis, & auditis, abſque alia Juris ſolemnitate, prædictam cauſam, controverſiam, ſive quæſtionem, audiret, decideret, atque terminaret. Noſque tunc auctoritate Legationis noſtræ dictis Partibus hinc inde petentibus, conſentientibus, & volentibus, in nonnullorum aliorum fide dignorum tunc coram nobis exiſtentium, & præmiſſa omnia, & ſingula, audientium, & intelligentium præſentia, cauſam, & controverſiam, ſive quæſtionem hujuſmodi dicto Auditori ibidem etiam præſenti vivæ vocis oraculo commiſimus, ſecundum modum, & formam dictæ conventionis, audiendam, decidendam, atque terminandam. Qui quidem Auditor, ſervatis dictarum Conventionis, & commiſſionis vigore ſervandis, pro dictis Exponentibus, & contra præfatum D. Archiepiſcopum ſententiam, ſive laudum, ſeu arbitramentum promulgavit, cujus tenor ſequitur, & eſt talis: Nos Bartholomæus de Benevento decretorum doctor Reverendiſſimi in Chriſto Patris, & Domini, Domini Petri miſeratione divina Sanctæ Mariæ in Dominica Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconi Cardinalis, ac in Regno Siciliæ, & Terra citra Farum Apoſtolicæ Sedis Legati Auditor Generalis, & ad infraſcripta, tam ex ſpeciali commiſſione præfati Reverendiſſimi Patris vivæ vocis oraculo nobis facta, quam etiam expreſſo conſenſu partium infraſcriptarum delegatus cognitor, & notionem voluntariam habentes ad judicandum, definiendum, decernendum, declarandum, cognoſcendum, & finaliter decidendum, & determinandum litem, dubium, quæſtionem, ſeu controverſiam vertentem, & habitam inter Reverendum Patrem D. Nicolaum Archiepiſcopum Neapolitanum petentem ex una parte, & Priorem, & Conventum Monaſterii Sancti Dominici de Civitate Neapolis Ordinis Prædicatorum ex altera parte ſe defendentes, de, & ſuper ſolutione quartarum de jure communi debitarum dicto Domino Archiepiſcopo, & de jure ſpeciali, de, & ſuper ſolutione quartæ Parochialis de jure communi debitæ Parochiali Sacerdoti, quam aſſeruit dictus D. Archiepiſcopus ſibi, & Eccleſiæ ſuæ deberi, & ad ſe pertinere de dicto jure ſpeciali, necnon ſuper robore, viribus, & intellectu cujuſdam privilegii dictis Fratribus, & Conventui, immo toti Ordini dictorum Fratrum Prædicatorum hactenus indulti, & principaliter per olim felicis recordationis D. Gregorium Papam Undecimum, necnon exinde confirmati, & in publicam notionem deducti etiam ex certa ſcientia, primo per D. Bonifatium felicis recordationis Papam Nonum, exinde per D. Gregorium Papam XII, ſicut patet ex inſpectione, & tenore dicti privilegii, viam ſimplicis notionis de conſenſu utriuſque partis prædictarum ſequentes, auditis primo allegationibus viva voce factis publice per præfatum Reverendum Patrem D. Archiepiſcopum, in domo reſidentiæ præfati D. Legati coram nobis ſuper præmiſſis, & D. Goffredum de Caieta U. J. D. Advocatum præfati Domini Archiepiſcopi ex una parte, & egregium U. J. D. Dominum Auguſtinum de Bulgarellis præfatorum Prioris, Conventus, & Fratrum, Advocatum ſuper præmiſſis ex altera parte, viſa etiam admonitione per nos facta utrique parti exinde de producendo, & exhibendo dictas allegationes in ſcriptis, juraque, & munimenta utriuſque partis hinc inde, conſideratiſque allegationibus plurium Doctorum coram nobis exhibitis, & productis pro parte præfati D. Archiepiſcopi, & præfatorum Prioris, Fratrum, & Conventus Monaſterii prælibati, necnon examini noſtro ſuppoſitis, & diligenti præmeditatione penſatis, habita etiam collatione cum plurimis Dominis Doctoribus, & aliis juris peritis ſuper præmiſſis, & quolibet præmiſſorum, eodemque Domino Archiepiſcopo citato, & pro iſta hora ad hanc noſtram, & peremptorie deciſionem, notionem, laudum, arbitramentum, ſeu ſententiam diffinitivam audiendum, & ipſo, nec al-

aitero pro eodem dicta hora coram oobis minime comparente, prius ex patte diclorum Prioris, Conventus, & Fratrum, præfati D. Archiepiſcopi contumacia coram nobis accuſata, & per nos admiſſa, & inſtantes, ut diffinitivam ſuper præmiſſis deberemus ferre ſententiam. Igitur ejus D. Archiepiſcopi abſentia divina repleta præſentia, Chriſti nomine invocato, ejuſdemque Genitricis glorioſæ Virginis Mariæ, omniumque Sanctorum in his ſcriptis pro Tribunali ſedentes pro majori fide, & ſolemnitate dictæ noſtræ diffinitivæ notionis ſententiæ, & ad cautelam in loco noſtro conſueto in domibus reſidentiæ præfati D. Legati dicimus, diffinimus, decernimus, declaramus, decidimus, arbitramur, & omni modo, via, jure, & forma, quibus magis, & melius de jure poſſumus, & debemus, videlicet, quod præfati, Prior, Conventus, & Fratres non tenentur, nec obnoxii ſunt, ſeu fuerunt, nec pro tempore futuro erunt, dicto Privilegio in ſuo robore permaneote. præfato Domino Archiepiſcopo, & ſuæ Eccleſiæ Archiepiſcopali Neapolitanæ prædictæ ad ſolutionem ullam quartarum, tam de Jure commmi debitarum, quam etiam Parochialis, ſecundum formam, diſpoſitionem, & tenorem dicti privileeii. præter quam de funeralium quartis, de quibus Parochiali Eccleſiæ de jure communi debetur, ut ſic ſalva ſit clauſula in dicto Privilegio exemptionis dictorum Prioris, Fratrum, & Conventus inſerta, videlicet ſalva Juſtitia &c. Non obſtaote etiam, quod io dicto privilegio non ſit expreſſa, & inſerta clauſula, non obſtante, ex certa ſcientia, vel ſimiiis, quæ in privilegiis locum oon habent, cum ſint leges privatæ. Ioſuper declarantes omni tempore dictos Conventum, & Fratres gaudere debere immunitatibus omoibus, & ſingulis io dicto privilegio contentis circa prædicta ſupra deducta, & juribus quibuſcunque ut ſupra, ſuper quibus omnibus, & ſingulis præſato D. Archiepiſcopo, nomioe, & vice ſuæ Eccleſiæ Metropolitanæ prædictæ, perpetuum ſilentium imponentes. Cum autem, ſicut exhibita nobis nuper pro parte præſatorum exponentium petitio continebat, Iidem Exponentes dubitent ſibi in poſterum ex eo præjudicium generari, quod conventio, & commiſſio prædictæ, in ſcriptis authenticis tunc redactæ non fuerint, pro parte eorundem Exponeotium nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, in, & ſuper præmiſſis opportune providere, literaſque noſtras teſtimoniales concedere digoaremur. Nos igitur, qui teſtimonium veritatis innitentes, præmiſſa omnia, & ſingula ſic, ut præmittitur, eſſe peracta recognoſcimus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, has patentes noſtras literas io fidem, robur, & teſtimonium omnium præmiſſorum fieri, ſigilliqûe noſtri appenſione mandavimus roborari. Datum Neapoli Primo Octobris Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris, & Domini noſtri, D. Martini divina providentia Papæ Quinti, Aono Secundo. Jo: de Moutepolitiano. B. Bozoler. ✠ Locus ſigilli.

Anno 1420 Die 17 Julii.

Ut F. Blaſius (1), Danenſis Epiſcopus, Beneficium Eccleſiaſticum conſequi poſſit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Blaſio Epiſcopo Danen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Facultas.

PErſonam tuam Nobis. & Apoſtolicę Sedi devotam, tuis exigentibus meritis paterna benevolentia proſequentes, illam tibi gratiam libenter impendimus, quam tuis neceſſitatibus fore conſpicimus opportunam. Cum itaque, ſicut, pro parte tua Nobis ouper exhibita, petitio continebat, fructus, redditus. & proventus menſę Epiſcopalis Daneo. adeo tenues, & exiles exiſtant, quod ex illis juxta Pontificalis dignitatis deceotiam commode ſuſtentari oon potes, Nos, volentes tibi, qui Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor exiſtis, ne in hujuſmodi dignitatis opprobrium egeſtate ducaris. de alicujus ſubventionis auxilio providere, tuis in hac parte ſupplicationibus ioclinati, tecum, ut quodcunque beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, per Clericos Seculares regi conſuetum, cujus fructus, redditus, & proventus ducentorum florenorum auri ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedant, ſi tibi alias canonice conferatur, & uſque ad noſtrum beneplacitum una cum Daneo. Eccleſia, cui pręeſſe dignoſceris, retinere libere, & licite valeas, Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali dono gratię, diſpenſamus, proviſo quod beneficium hujuſmodi debitis interim non fraudetur obſequiis, & animarum cura in eo, ſi qua illi immineat, nullatenus negligatur. Nulli ergo &c. noſtrę diſpenſationis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Florentię XVI Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Blaſius*.) De quo in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii IX*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIII fol.* 227.

Subla-

Sublata provocatione ad S. Sedem Generalis Magiſter quandam litem dirimat (1) prout legibus noſtris præſcribitur. Anno 1420 Die 1 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo (3) de Florentia Ordinis Fratrum Prędicatorum Magiſtro Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXVIII.

EXhibita nobis pro parte tua, & dilectorum filiorum Johannis de Podio, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, tui in officio magiſtratus dicti Ordinis Vicarii, ſive Locumtenentis, necnon Johannis Dignati Provincię Toloſan. ſecundum morem dicti Ordinis, ac Johannis Serene Monaſterii per Priorem, & Prioriſſam ſoliti gubernari, de Pruliano, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Ordinis Fratrum eorundem viventium, Sancti Papuli Dięceſis, Prϊorum petitio continebat, quod dudum poſtquam tu dilectum filium Bernardum Savi, etiam Ordinis Fratrum Profeſſorem, & olim Priorem Monaſterii eorundem, ſuadentibus inſtitutis prędictis, ac Ordinis Fratrum hujuſmodi conſtitutionibus, Prioratu ipſius Monaſterii, cui ut Prior tunc pręerat, ex certis legitimis cauſis rite privaveras, & de illo amoveras, dictuſque Johannes Serene eidem Monaſterio ſecundum hujuſmodi conſtitutiones, & inſtituta, in Priorem prefectus fuerat, orta inter te, & Johannem de Podio, & Johannem Dignati dictis privationi, amotioni, & prefectioni adherentes, necnon Johannem Serene prędictos ex una parte, & dilectas in Chriſto filias Raymundam Prioriſſam, & Conventum dicti Monaſterii, ipſum quoque Bernardum occaſione privationis, amotionis, & prefectionis earundem, ac nonnullis aliis articulis, ex altera, materia queſtionis, Nos cauſam hujuſmodi, non obſtante quod de ſui natura ad Romanam Curiam legitime devoluta, ac apud eam tractanda, & finienda non eſſet, dilecto filio noſtro Raynaldo (4) Sancti Viti in Macello Diacono Cardinali ad inſtantiam Prioriſſę, Conventus, ac Bernardi primo, & deinde, poſtquam idem Cardinalis in ea ad nonnullos actus inter partes ipſas proceſſerat, iidemque Prioriſſa, Conventus, & Bernardus a quibuſdam confictis gravaminibus eis per ipſum Cardinalem, ut pretendebant, illatis, ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, Nos appellationis hujuſmodi, & ex certis cauſis negotii principalis cauſam dilecto filio Magiſtro Bartholomęo Guichardi, Capellano noſtro, & Auditori cauſarum Palatii Apoſtolici, ac ſubſequenter poſtquam ille etiam ad nonnullos alios actus inter eaſdem partes in dicta cauſa proceſſerat, ut ipſa juxta prçmiſſa conſtitutiones, & ſtatuta tractaretur, & eiſdem partibus ſe litibus implicandi diutius tolleretur occaſio, Nos cauſam hujuſmodi ad Nos advocantes, dictoque Auditori, ne ulterius in illa procederet inhibentes, ipſam tibi audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, qui in ea ſimiliter ad pleroſque alios actus inter dictas partes diceris proceſſiſſe. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, occaſione potiſſime Cardinali, & Auditori prędictis factarum, ut prefertur, Commiſſionum hujuſmodi, apud aliquos heſitationis exter ſcrupulus, an cauſa ipſa juxta eaſdem conſtitutiones, & inſtituta, decidi debeat pariter, & finiri, Nos ſtatum cauſę prędictę habentes preſentibus pro expreſſo, ac hujuſmodi proceſſum per te, ut premittitur, habitum, ac ipſum juxta conſtitutiones, & inſtituta debito fine decidas, alias rite geſtum validum reputantes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus in cauſa ipſa ulterius procedens, illam audias, & juxta hujuſmodi conſtitutiones, & inſtituta debito fine termines, faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari; Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas, veritati teſtimonium perhibere. Non obſtantibus premiſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Prioriſſę, Conventui, & Bernardo prędictis, vel quibusvis aliis communiter, aut diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem. Datum Florentię Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa. — Mandatum.

1. *Dirimat*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XL fol. 8.*
3. *Leonardo*.) De quo ſæpius dictum fuit; adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXIV pag. 755.*
4. *Raynaldo*.) *Brancacio*, cujus meminit *Ciaconius Vit. Pont., & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCLXXVIII pag. 662.*

Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus Ædes ſactas Monaſterii S. Catharinæ Florentini (1). Anno 1420 Die 23 Auguſti.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti Fidelibus preſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXIX.

CUpientes (3) igitur, ut Eccleſia Monaſterii Monialium S. Catharinę Florentin., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, congruis honoribus frequentetur, & conſervetur, & etiam reparetur, & ut ipſi fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad ejus, necnon dicti Monaſterii conſervationem, & reparationem, manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc celeſtis dono gratię conſpexerint uberius ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere penitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Cor- Indulgentiæ.

Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, & prędictorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & ejuſdem B. Catharinę feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, necnon Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, ac Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum feſtivitatum, Octavas, & per ſex dies dictum feſtum Pentecoſtes immediate ſequentes, pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius conſervationem & reparationem, manus, ut pręfertur, porrexerint adjutrices, ſingulis feſtivitatum videlicet & celebritatis prędictarum, trea Annos, & totidem Quadragenas, Octavarum vero, & ſex diebus pręfatis, quibus dictam Eccleſiam viſitaverint, & manus porrexerint adjutrices, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus ſeu dicti Monaſterii Fabricam, vel reparationem manus porrigentibus adjutrices, aut inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu aliis aliqua alia Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris vel momenti. Datum Florentię X Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Florentin.*) In *Hetruria*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LI fol.* 3.
3. *Cupientes*.) Exordium deſideratur.

Anno 1420 Die 28 Auguſti.

De Fratre Johanne de la Magdalena ad Magiſterii gradum promovendo per Procuratorem Generalem Ordinis.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Auſragola Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, in Romana Curia ejuſdem Ordinis Procuratori Generali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VIri ſacrę lectionis ſtudio dediti, & in lege Domini eruditi, pręſertim ſub religionis habitu Domino militantes, favoris Apoſtolici gratiam promerentur, eoque benignius decet honeſtis ipſorum deſideriis annui, quo ex eorum profectibus major poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. Cum itaque, ſicut accepimus, dilectus filius Johannes de la Magdalena Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Baccalarius in Theologia adeo in pleriſque dicti Ordinis domibus Provincię Hiſpanię, necnon Pariſien., aliiſque Generalibus ſtudiis per plures annos, ſe diverſis ſolemnibus Scholaſticis actibus in ejuſdem Theologię, aliiſque licitis facultatibus, ſtudendo, legendo, & diſputando, necnon Chriſti fidelibus verbum Dei fidelibus proponendo ſtudioſe exercuerit, & profecerit, quod licentię gradum & Magiſterii honorem in Theologię facultate ſuſcipere meruit antedicta, pro parte dicti Johannis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſum ad gradum, & honorem hujuſmodi promovere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos de pręmiſſis, ac ipſius Johannis ſufficientia, & idoneitate, certam notitiam non habentes, ac volentes ipſum Johannem apud Nos de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtate, aliiſque probitatis, & virtutum meritis multipliciter commendatum, horum intuitu favore proſequi gratioſo, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus & mandamus, quatenus, ſi per tuam & aliorum ſaltem trium, vel quatuor in eadem Theologia magiſtrorum perdiligentem examinationem prędictum Johannem ſcientia, vita, & moribus, ac alias ad hoc ſufficientem, & idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ac etiam dictorum Magiſtrorum, eidem Johanni ſervatis Conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus juxta morem Romanę Curię in talibus obſervari ſolitis, gradum, & honorem hujuſmodi, ac docendi licentiam in prędicta Theologię facultate in dicta Curia auctoritate Apoſtolica ſtudeas impertiri, ſibique eadem auctoritate concedas, ut ipſe omnibus, & ſingulis exemptionibus, gratiis, privilegiis, pręrogativis, & juribus, ceteris ipſius Ordinis profeſſoribus in eadem Theologia licentiatis, vel Magiſtris, quomodolibet, conceſſis, in omnibus & per omnia, ac ſi gradus prędictos in ſtudio Bononien. ſuſcepiſſet, libere, & licite uti valeat, & gaudere. Volumus autem quod dictus Johannes, ſi, & poſtquam ſibi per te hujuſmodi gradus concedi contigerit, ex tunc quam primum commode poterit ad aliquem locum, in quo Generale viget ſtudium, ſe perſonaliter conferat, ac inibi Sententiarum, & alios libros in dicta Theologia pro curſu ad hujuſmodi gradum Magiſterii in eadem Theologia conſequendo de more legi ſolitos, tandiu ſecundum morem, & conſuetudinem ſtudii dicti loci, & alias prout inibi curſum hujuſmodi pro tempore facientes legere conſueverunt, legere debeat, & teneatur, alioquin exemptionibus, gratiis, pręrogativis, & aliis privilegiis penitus careat memoratis. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis & ſtudiorum prędictorum contrariis, juramento, confirmatione apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de illis, & eorum totis tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum eſſet in pręſentibus mentio facienda. Datum Florentię V Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Mandatum

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.* 13.

De

De quibuſdam ædibus conductitiis Fratribus Ordinis in Caſtro S. Geminiani (1) legatis. Anno 1420 Die 2 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Wlteran., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXI.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis Exhibita ſiquidem Nobis ouper per parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Ordinis Prędicatorum, domus Caſtri Sancti Geminiani, Wlteran. Dięceſis, petitio continebat, quod olim quondam Contiſſa Franciſchini vidua de dicto Caſtro, condens de bonis ſuis in ejus voluntate ultima teſtamentum, in eodem teſtamento inter cetera ejus bona quandam domum ad eam tunc legitime pertinentem, & io eodem Caſtro conſiſtentem Collegio tunc inibi inſtituto Mantellatarum (3) quę ſub cura, & ſecundum Inſtituta dicti Ordinis viventes Bighinę (4) nuncupantur, de quarum Monaſterio dicta Contiſſa tunc temporis erat, legavit, atque reliquit, ac voluit, & ordinavit, quod domus ipſa aliis perſonis quam Religioſis in dicto Caſtro commorantibus locari, vel ad penſionem concedi nequiret, quodque dicto Collegio deficiente domus ipſa ad eoſdem Fratres libere devolveretur, & per eos ex ejuſdem domus penſione, ſeu proventibus Anniverſarium pro remedio animę dictę Teſtatricis celebrari deberet, prout in quodam Inſtrumento publico deſuper confecto dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjuogebat, hujuſmodi Collegium defecerit, ipſaque domus ad eoſdem Fratres, ut pręfertur, devoluta exiſtat, nullęque perſonę Religioſę in dicto Caſtro reperiri queant, quibus domus ipſa locari valeat de pręſeoti, & propterea domus ipſa per multos annos inhabitata remanſerit & paſſim veniat in collapſum, pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, aſſerentium, domum ipſam, ſi quibuſvis aliis perſonis ſecularibus pro condecenti pretio locaretur, in ſuis ędificiis conſervari, ſeque hujuſmodi Anniverſarium celebrare poſſe commodius annuatim, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Priori & Fratribus prędictis domum ipſam quibuſvis perſonis, etiam laicis ſecularibus cujuſcunque ſtatus, gradus, & conditionis extiterint, locandi, ſeu ad penſionem concedendi auctoritate noſtra licentiam largiaris, pręmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis gratiis non obſtantibus quibuſcunque, proviſo tamen quod ex proventibus dictę domus Anniverſarium hujuſmodi pro ſalute animę ejuſdem Teſtatricis juxta ejus diſpoſitionem annis ſingulis celebrent. Datum Florentię IV Non. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *S. Geminiani.*) In *Hetruria*, ubi Wlterana Diœceſis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XL fol. 63.*
3. *Mantellatarum.*) Sic vocabant *Sorores de Pœnitentia S. P. Dominici*, ut videre eſt apud B. *Raymundum in Vita S. Catharinæ Senenſis Num. LXIX.*
4. *Bighinæ.*) *Beghinæ*, de quibus ſæpius dictum eſt.

Prioriſſa, & Conventus Monaſterii in Clingental Amoris Baſileæ (1) decem Beneficia Eccleſiaſtica fundare, eademque conferre poſſint. Anno 1420 Die 2 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii in Clingental Amoris Baſileę, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Conſtantien. (3) Dięceſis ſecundum Inſtituta, & ſub cura Fratrum Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam. Benedictionem. LXXII.

MEritis veſtrę Religionis, qua mundanis ſpretis illecebris uni viro, Chriſto videlicet, in virginitatis flore, ſub arctę vitę obſervantia famulari perpetuo vos dedicaſtis, inducimur, ut vota veſtra, illa potiſſime, quę divini cultus augmentum, & animarum ſalutem reſpiciunt, plenis in Domino favoribus proſequamur. Sane, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, vos hactenus in Eccleſia veſtri Monaſterii octo, & aliquoties pauciores Presbyteros ad Miſſarum celebrationem in eadem habere, & tenere ſolitę, decem beneficia eccleſiaſtica manualia pro decem Presbyteris inibi Miſſas, & alia divina officia perpetuo celebraturis, ad veſtrum nutum deputandis, & amovendis, iniſtui, & eiſdem Presbyteris portiones congruas, de quibus congrue ſuſtentari poterint, de certis olim vobis, & dicto Monaſterio, pru uſu, & ſuſtentatione dictorum habitorum Presbyterorum per nonnullas ejuſdem Monaſterii Sorores, & alios Chriſti fideles, donatis, legatis, ſeu relictis, & quatenus illa ad hoc non ſufficerent, de aliis ejuſdem Monaſterii, quod, ad hoc gratia, & munificentia concurrentibus divinis, impręſentiarum ſatis abundat bonis, tam mobilibus, quam immobilibus, aliiſque redditibus, aſſignare deſideratis, pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut vobis Ordinarii loci, vel alterius cujuſcunque licentia, vel conſenſu minime requiſitis, hujuſmodi beneficia inſtituendi, ac, prout vobis viſum fuerit, bona, & redditus hujuſmodi ab aliis ipſius Monaſterii bonis, & redditibus penitus ſegregandi, prędictis beneficiis perpetuo applicandi, & aſſignandi licentiam, necnon ad eadem beneficia octo prę-

Exordium.

Supplex Monialium petitio.

prędictos, & alios duos hac prima vice, & deinceps quoties ea, ſeu aliquod ipſorum, vacare contigerit, Presbyteros idoneos ponendi, illoſque quoties vobis videbitur, ab eiſdem removendi, & ad illa alios Presbyteros idoneos ponendi, poteſtatem concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Divinum cultum noſtris temporibus adaugeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, & ſucceſſoribus veſtris Prioriſſis, & Conventui dicti Monaſterii, qui erunt pro tempore, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam & poteſtatem concedimus antedictas, jure tamen Parochialis Eccleſię, & alterius cujuſcunque alias in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo omnino &c. Datum Florentię IV Non. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Conceſſio.

1. *Clingental Amoris Baſileæ.*) Cujuſdam Monaſterii ſiti *in Baſilea, in Chilugendal* meminit *Bernardus Guidonis in Indice Monaſteriorum Ordinis.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XL fol.36.*

3. *Conſtantienſis.*) In *Suevia.*

Anno 1420 Die 4 Septembris.

F. Johannes (1) de Ryfferſcheyt Epiſcopus Cerinenſis creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Ryfferſcheyt Electo Cerinen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIvina diſponente clementia &c. Cum itaque Eccleſia Cerinen., cui bonę memorię Andreas Epiſcopus Cerinen., dum viveret, pręſidebat, per ejuſdem Andreę Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacet ad pręſens, ac per annum & ultra vacaverit, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, & ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem & felicem, ne longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem in Theologia licentiatum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Florentię II Nonas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

F. Johannes fit Epiſcopus.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XXXVII fol.152.*

Anno 1420 Die 5 Septembris.

Indulgentiis donat viſitantes Ædes Sacras Cœnobii S. Mariæ Novellæ Florentin. (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUm pręcelſa &c. (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia S. Marię Novellę Florentin., Ordinis Fratrum Prędicatorum, congruis honoribus frequentetur, & ut Chriſti fideles eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię, uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui Dominica ſequenti feſtum B. Petri Martyris, & qui a primis Veſperis, diei Conſecrationis ejuſdem Eccleſię uſque ad ſecundas veſperas, eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim; Quinque annos, & totidem Quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, ſeu ad ejus conſervationem, & fabricam manus adjutrices porrigentibus, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Florentię Non. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

Indulgentia.

1. *Florentin.*) In *Hetruria.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.290.*

3. *Præcelſa &c.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.

Ut

Ut quilibet Sacerdos Sacramenta F. Johanni de Caſanova (1) miniſtrare poſſit.

Anno 1420 Die 22 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Caſanova Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indultum.

EXimię devotionis affectus, quam ad nos, & Romanam geris Eccleſiam, promeretur, ut in his, quę animę tuę ſalutem reſpiciunt, votis tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Tuis itaque ſupplicationibus inclinati, ut quilibet idoneus Sacerdos ſecularis, vel Religioſus, tibi qui etiam minor Pęnitentiarius noſter, & in Presbyteratus Ordine conſtitutus exiſtis, quoties expedierit, miniſtrare valeat eccleſiaſtica ſacramenta, felicis recordationis Clementis PP. V, Prędeceſſoris noſtri, & alia qualibet conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis nequaquam obſtantibus, ac jure Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius ſemper ſalvo, tibi, & eidem Sacerdoti auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XI Kalendas Novembris, Pontificatus noſti Anno Tertio.

Sanctio pœnalis.

1. *Caſanova.*) Cœnobii *Barchinonenſis* alumnus, S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalis fuit, ut in *Appendice ad præſentem Pontificatum* videre eſt.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XL fol.* 119.

Ut F. Johannes (1) de Caſanova Pœnitentiarii munus obire poſſit in Hiſpania.

Anno 1420 Die 22 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

LXXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Caſanova Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indultum.

SIncerę devotionis affectus quem ad nos, & Romanam geris Eccleſiam promeretur, ut in his, quę animę tuę ſalutem reſpiciunt, votis tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut liceat tibi qui etiam Minor Pęnitentiarius noſter, & in Presbyteratus Ordine conſtitutus exiſtis, extra Romanam Curiam in Catalonia, vel aliis Hiſpanię partibus exiſtens, decem perſonas utriuſque ſexus tibi confiteri volentes, earum ſingularum confeſſionibus diligenter auditis, pro commiſſis, etiam in caſibus in quibus alii minores Pęnitentiarii noſtri in Romana Curia reſidentes abſolvere poſſunt, ſeu conſueverunt, ſemel duntaxat abſolvere, ac eis pro modo culpę pęnitentiam ſalutarem injungere, devotioni tuę. auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

1. *Johannes.*) De quo in præcedenti Diplomate.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.* 184.

F. Berengarium Rubei Sacræ Theologiæ Magiſtrum conſtituit.

Anno 1420 Die 6 Novembris.

Ex Archivo (1) Ordinis.

LXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Generali Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

VIri ſacrę Lectionis ſtudio dediti, & in lege Domini eruditi, pręſertim ſub Religionis habitu Domino famulantes, favoris Apoſtolici gratiam promerentur, eoque benignius decet honeſtis eorum deſideriis annui, quo ex eorum profectibus major poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis pro parte dilecti filii Berengarii Rubei, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, petitio continebat, ipſe pluribus annis in Grammatica, Logica, Philoſophia, ac Theologia, & aliis facultatibus, in diverſis locis, & ſtudiis dicti Ordinis in Provincia Aragonię ſtuduerit, ac legendo, & diſputando plures & diverſos ſolemnes actus ſcholaſticos exercuerit, & prędicando populum Chriſtianum dogmatibus fidei Catholicę inſigniverit, & inſtruxerit, circa quę etiam laborare non deſinit, nec deſiſtere intendit, & dudum per Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, ac dilectos filios Capitulum Provinciale ejuſdem Provincię ad legendum Librum ſententiarum in Domo Fratrum Barchinonen. ejuſdem Ordinis, in qua viget quoad Fratres ipſius Ordinis Studium Generale, deputatus, & aſſignatus extiterit, & adeo profecerit, quod, ſicut accepimus, ſe idoneum reddidit ad obtinendum gradum, & honorem Magiſterii in eadem Theologica facultate, pro parte ipſius Berengarii nobis extitit humiliter ſupplicatum, ut ipſum ad Gradum, & honorem hujuſmodi promoveri facere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de prędictis, ac ſufficientia, & idoneitate ipſius Berengarii certam notitiam non habentes, ac volentes ipſum apud Nos de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtate, aliiſque pro-

Mandatum.

probitatis, & virtutum meritis, multipliciter commendatum, horum intuitu favore proſequi gratioſo, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & per tuam, ac aliorum ſaltem trium, vel quatuor in eadem Theologia Magiſtrorum diligentem examinationem pręfatum Berengarium, ſcientia, & moribus, ac alias poſt ſtrictum examinis rigorem, in talibus conſuetum, ad hoc idoneum, & ſufficientem eſſe repereris, ſuper quo tuam, & eorundem Magiſtrorum conſciensias oneramus, eidem Berengario, ſervatis conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus, juxta morem Romanę Curię in talibus obſervari ſolitis, Gradum, & honorem magiſterii hujuſmodi, ac docendi Licentiam in prętata Theologię facultate, per te vel alium, cui id duxeris ſpecialiter committendum, in Capitulo Generali prędicti Ordinis in proximo celebrando, auctoritate Apoſtolica, ſtudeas impertiri, & ſi ipſum Berengarium ad hujuſmodi gradum, & honorem aſſumi contingat, ut pręfertur, ſibi poſtquam ad illum aſſumptus fuerit, eadem auctoritate concedas, ut ipſe omnibus, & ſingulis gratiis, privilegiis, prerogativis, favoribus, & honoribus, ceteris ipſius Oſdinis profeſſoribus in eadem Theologia Magiſtris quomodolibet conceſſis, in omnibus, & per omnia, libere, & licite uti valeat, & gaudere; non obſtantibus, quibuſcunque ſtatutis, & conſuetudinibus Ordinis prędicti contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiam ſi de illis & eorum totis tenoribus ſpecialis & expreſſa, ac de verbo ad verbum eſſet in pręſentibus mentio facienda. Datum Romę apud Sanctum Petrum VIII Idus Novembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio.

s. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLVII fol.*194..

Anno 1420 Die 18 Novembris.

F. Antonium Murta (1) Fidei Quæſitorem creat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Murta, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & ſacrę Theologię profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam Dominus, illarum largitor, inſignivit, ſpem nobis indubiam pollicentur, ut ea, quę tibi, pręſertim circa orthodoxę fidei ampliationem, & conſervationem, commiſſa fuerint, fideliter & ſollicite proſequaris. Dudum ſiquidem Petrus de Luna, tunc Benedictus Decimus Tertius in ſua obedientia, de qua partes illę tunc erant, nuncupatus, per ſuas literas inter cetera ſtatuit, & ordinavit, quod Magiſter Generalis, aut Prior Provincialis Provincię Aragonię, Ordinis Fratrum Prędicatorum ſecundum morem ejuſdem Ordinis, pro tempore exiſtentes, unum in Regno Majoricen. (3), & in Inſulis ſibi ſubjectis, ac alium in Roſilionis (4) & Ceritanię (5) Comitatibus poſſent, & deberent pro tempore Inquiſitores (6) hęreticę pravitatis conſtituere, & etiam deputare, ipſis Magiſtro & Priori, & cuilibet eorum pro tempore plenam ſuper hoc concedens per ſuas literas facultatem. Deinde vero cum dilectus filius Bernardus Moyl, Frater dicti Ordinis, tunc in Regno & Inſulis prędictis hujuſmodi pravitatis Inquiſitor officio Inquiſitionis ejuſdem non potens ei ex tunc in antea ex certis legitimis cauſis intendere in manibus dilecti filii Franciſci Pontii (7) Prioris Provincialis dictę Provincię ipſo uſe, & libere ceſſiſſet, idem Franciſcus Prior hujuſmodi ceſſione per eum recepta, & admiſſa, te in Inquiſitorem dictę pravitatis in Regno & Inſulis eiſdem, auctoritate literarum prędictarum, conſtituit, & etiam deputavit, prout in literis prędictis, & in Inſtrumento publico, ſuper conſtitutione & deputatione prędictis confecto, plenius continetur. Nos igitur, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, conſtitutionem, & deputationem prędictas ratas habentes & gratas, te ad majoris auctoritatis cautelam in Inquiſitorem hujuſmodi pravitatis in Regno & Inſulis prędictis, cum omnibus honoribus, oneribus, & emolumentis conſuetis auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium quoad vixeris de novo conſtituimus, & etiam deputamus, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, quod antequam hujuſmodi Inquiſitionis officium incipias exercere de illo fideliter exercendo in manibus venerabilis Fratris noſtri Ludovici Epiſcopi Magalonen. (8), Camerariatus officium de mandato noſtro Regentis, pręſtes in forma ſolita juramentum. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, deputationis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIV Kal. Decembris, Ponſificatus noſtri Anno Tertio.

Diplomatis cauſa.

Inquiſitorem conſtituit.

1. *Antonium Murta.*) Adeas *Franciſcum Diago Hiſtor. Provincię Aragon. Lib.I Cap.XXXIII pag.*60.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.*73.
3. *Majoricen.*) In Inſulis nempe Balearibus.
4. *Roſilionis.*) *Ruſcinonis* nempe, vulgo *Rouſſillon*, in *Gallia Narbonenſi.*
5. *Ceritanię.*) *Cerretania*, & *Ceretania*, vulgo *Cerdaña*, Comitatus eſt *Cataloniam* inter, & *Occitaniam.*
6. *Inquiſitores.*) Ex hoc firmatur *Nota IV ad Diploma Datum XXX Octobris MCCCCXIX.*
7. *Franciſci Pontii.*) Conſulendus *Diago Cap.XXXIV pag.*61.
8. *Magalonen.*) In *Occitania*. Nunc *Montem-Peſſulanum* tranſlatus eſt Epiſcopatus ille.

F. Ro.

F. Rogerum (1) Epiſcopum Solubrienſem conſtituit.

Anno 1420. Die 16 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Rogero Electo Solubrien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUſcepti cura regiminis &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Franciſchinus Epiſcopus Solubrien. regimini Solubrien. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum illam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Franciſchini Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Pręedicatorum profeſſorem, cui de vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque virtutum meritis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVII Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto,

F. Rogerus Epiſcopus conſtitutus.

1. *Rogerum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 189.

F. Salomon (1) præficitur Eccleſiæ Anteradenſi.

Anno 1420 Die 16 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Salomoni Cardon, Electo Anteraden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DIvina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Daniele Epiſcopo Anteraden. regimini Eccleſię Anteraden. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Danielis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Pręedicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędítum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVII Kalendas Januarii Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Salomon Danieli ſuccedit.

1. *Salomon.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 181.

Anno 1420 Die 23 Decembris.

F. Andream (1) Raguſeum Eccleſiæ Satrianenſi præficit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

LXXXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Andreę Raguſeo Electo Satrianen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ROmani Pontificis providentia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Thoma Epiſcopo Satrianen. regimini Satrianen. Eccleſię prędidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prędidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę, duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per ipſius Thomę Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam debitum naturę perſolvit vacante, Nos, vacatione hujuſmodi intellecta, volentes, tam dictę Eccleſię, de cujus proviſione nullus pręter Nos ea vice diſponere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, de gubernatore utili, & idoneo, per quem Eccleſia ipſa utiliter regi, & feliciter gubernari valeret, quam etiam dilecto filio noſtro Antonio titulo Sanctę Suſannę Presbytero Cardinali de alicujus ſubventionis auxilio. pro incumbentibus ſibi expenſarum oneribus, providere, prędictam Eccleſiam ſic vacantem, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, ſibi uſque ad dictę Sedis beneplacitum tenendam regendam, & etiam gubernandam, auctoritate Apoſtolica, duximus commendandam, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur. Cum itaque dictus Cardinalis qui regimen adminiſtrationis ipſius Eccleſię hujuſmodi commendę vigore fuerat aſſecutus illam pacifice poſſidens commendę hujuſmodi in manibus noſtris ſponte, & libere ceſſerit, Noſque ceſſionem hujuſmodi duxerimus apud Sedem pręfatam auctoritate pędicta admittendam, necnon ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longioris vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligen-
F. Andreas fit Epiſcopus. tem, demum ad te, Ordinis fratrum Prędicatorum profeſſorem, & in ſacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędictum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide dignorum teſtimoniis commendatum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua. Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum conſilio auctoritate prędicta providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum X Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Andream*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 180.

Anno 1421 Die 10 Januarii.

Ut F. Johannes de Currali, & Theſaurarius Cordubenſis nonnullos ab excommunicationis ſententia ſolvant.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

LXXXII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Johanni de Curralli, Ordinis Fratrum Prędicatorum in Theologia profeſſori, minori Pęnitentiario noſtro, & Theſaurario Eccleſię Corduben., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ETſi nonnullę ſunt culpę, quibus eſt culpa relaxare vindictam, illius tamen, licet immeriti, Vicarii conſtituti, qui parcendo maxime, & miſerando, ſuam omnipotentiam manifeſtat, ſcientes illi nil eſſe acceptius, quam lucrum quęrere animarum, libenter in cunctis noſtris actibus miſericordiam amplexamur, ac modis, quibus poſſumus, convertentes, allicimus, & ab ovili dominico ad illud reducimus oberrantes, his pręſertim, qui culpas ſuas miſericorditer recognoſcunt, miſericorditer ignoſcendo, ut
Diplomatis cauſa. miſericordes a Domino miſericordiam conſequamur. Sane, ſicut accepimus, nonnulli ex mercatoribus, & perſonis aliis partium frontarię Regni Caſtelli. pręſertim Corduben., & Gremien. (2) Civitatum, & Dięceſum, qui cupiditatis vitio cęcati, Saracenis, & infidelibus arma, oleum, carnea, & alia prohibita, quibus chriſtianos impugnare poterant, poſt, & contra prohibitiones, & proceſſus Apoſtolicos vendiderunt, vel illa eis ad terras ipſorum detulerunt, ac propterea excommunicationis, & anathematis ſententias, aliaſque pęnas in tales promulgatas, damnabiliter incurrerunt, & in illis, cum talium abſolutio pręterquam in mortis articulo Soli Romano Pontifici, ad quem ipſis propter locorum diſtantiam, viarumque diſcrimina, guerras, & alias perturbationes, quę in eiſdem partibus viguerunt, necnon perſonarum ſuarum fragilitatem, aut alias varias cauſas, gravis, & diſpendioſus fuit, & eſt acceſſus, diutius inſorduerunt, ad cor reverſi, de pręmiſſis dolentes, ab intimis deſiderent ad Eccleſię redire unitatem, Nos, igitur eorundem mercatorum & perſonarum aliarum periculis obviare, eorumque ſalutem, quantum cum Deo poſſumus, procurare, volentes, diſcretioni veſtrę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam
Mandatum. obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus quilibet veſtrum illorum ex merca-

mercatoribus, & perſonis prędictis, vobis, aut alteri veſtrum ſua peccata confiteri volentibus, uſque ad numerum centum & quinquaginta duntaxat, confeſſionibus diligenter auditis, eis pro commiſſis, etiam in caſibus, in quibus minores Pęnitentiarii noſtri eos abſolvere poſſent, ſatisfacto tamen prius per eos quibus de jure ſatisfactio impendenda fuerit, debitam abſolutionem impendat, & injungat pęnitentias ſalutares, eoſque, ſi id humiliter petierint, a prędictis, ac omnibus aliis ſententiis, & pęnis quas propter pręmiſſa, a jure, vel ab homine, ſub quacunque expreſſione verborum promulgatas, incurrerunt, auctoritate noſtra abſolvat hac vice duntaxat in forma Eccleſię conſueta; injuncto ipſis, & eorum cuilibet inter alia, quod ex facultatibus ſuis juxta illorum exigentiam, ſeu quantitatem, quotam, ſeu ſummam, de qua vobis videbitur, in reparationem Eccleſiarum Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum de Urbe convertendam, infra tempus de quo vobis, ſeu alteri veſtrum ſimiliter videbitur, Collectori, vel Subcollectori fructuum & proventuum in illis partibus Camerę Apoſtolicę debitorum in eiſdem partibus deputato, realiter, & cum effectu tradant, & aſſignent, & ſub virtute juramenti per ipſos, & eorum quemlibet in veſtris, vel alterius veſtrum pręſtandi manibus quod ſimilia, propter quę hujuſmodi ſententias, ut pręmittitur, incurrerunt, de cetero non committant, nec ea facientibus prębeant auxilium, conſilium, vel favorem, ac pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda. Volumus autem, quod vos de ſumma hujuſmodi, poſtquam Collectori, vel Subcollectori prędicto aſſignata fuerit, gentes dictę Camerę per veſtras literas veſtro ſigillo munitas quantocius certificare curetis, quodque illi ex mercatoribus, & perſonis prędictis, quibus hujuſmodi abſolutionem ab eiſdem ſententiis impenderetis, ſeu alter veſtrum impendet, & qui ſummam ipſam, eis pro reparatione hujuſmodi decretam, infra dictum tempus per vos eis ſtatuendum, ut prędicitur, Collectori, vel Subcollectori prędicto efficaciter, integre & expedite non tradiderint, ſeu perſolverint, lapſo dicto tempore eo ipſo in ſententias relabantur eaſdem. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LI fol. 89.*

2. *Gremien.*) Legendum videtur *Giennien.*, vulgo *Jaen*. Urbe eſt *Andaluzia*, ubi *Cordubenſis* Civitas.

F. Petrum (1) Raynaldi creat Archiepiſcopum Corinthienſem.

Anno 1421 Die 14 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Raynaldi de Ripa Tranſon. Electo Corinthien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXIII.

Divina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Antonio Archiepiſcopo Corinthien. regimini Eccleſię Corinthien. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Antonii Archiepiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos, hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de prępiciendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia pręditum, vitę ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, & aliis multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię de ipſorum Fratrum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi prępicimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XVI Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Petrus ſuccedit Antonio.

1. *Petrum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol. 65.*

F. Johannem (1) de Chorono creat Arienſem Epiſcopum.

Anno 1421 Die 21 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Chorono Electo Arien. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LXXXIV.

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium, tunc apud Sedem Apoſtolicam vacantium, & in antea vacaturarum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Arien. ex eo quod nuper dilectus filius Antonius Guidius (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, tunc Electus Arien., de cujus perſona Nos eidem Eccleſię tunc etiam vacanti duximus providendum, prępiciendo eum illi in Epiſcopum, & Paſtorem, regimini ipſius Eccleſię, cui etiam adhuc infra tempus de conſecrandis Epiſcopis a canonibus defi-

F. Antonius Guidius onus Epiſcopale detrectat.

definitum exiſtens prępręrat, per venerabilem Fratrem noſtrum Theodoricum Epiſcopum Olonen. Procuratorem ſuum, ad hoc ab eo ſufficiens, & ſpeciale mandatum habentem, in manibus venerabilis Fratris noſtri Antonii Epiſcopi Portuen. apud Sedem prędictam ſponte & libere ceſſit (4), dictuſque Antonius Epiſcopus ceſſionem hujuſmodi de ſpeciali mandato noſtro facto ſibi ſuper hoc oraculo vivę vocis apud eandem Sedem admiſit, apud Sedem ipſam vacante, Nos ad proviſionem ejuſdem Eccleſię Arien. celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne ipſa Eccleſia Arien. longę vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię Arien. perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, etiam dicti Ordinis Profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Arien. Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XI Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Johannem.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 202.
3. *Antonius Guidius.*) Quem *Cavalerius Tomo I pag.* 226 *num. XLIV* Epiſcopum renunciatum fuiſſe *XIV* Decembris *MCCCCXIX*, & Epiſcopalis officii partes impigre obiiſſe, docet. *Cavalerius* excepit *Fontanam Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LI pag.* 130. Sed emendandos eſſe, liquet ex annotatione ſequenti.
4. *Sponte & libere ceſſit.*) Nondum inauguratus Epiſcopus, tantæ dignitati nuncium certe remiſit *Antonius*. Id conſtat, Primo, quia *ceſſit infra tempus de conſecrandis Epiſcopis a Canonibus definitum*. Secundo quia *Dilectus filius* non vero *venerabilis Frater* hoc in Diplomate nuncupatur. Tertio quia *Electus* dicitur. Hinc emendes *Cavalerium Tomo II pag.* 136. *IV num. II*, ubi *Antonium* Eccleſiæ *Arienſi* ad annum circiter *MCCCCXXVII* jus dixiſſe, ſcribit.

Anno 1421 Die 14 Maii.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Veneti (1) S. Dominici.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

LXXXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

Licet is &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia S. Dominici Domus Fratrum Prędicatorum in Venetiis, Caſtellan. Dięceſis congruis honoribus frequentetur, ac etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, ac ad ejus conſervationem, & fabricam, manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in feſto dicti S. Dominici dictam Eccleſiam viſitaverint annuatim, & ad conſervationem, & fabricam hujuſmodi manus adjutrices porrexerint, ſeptem annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod, ſi alias dictam Eccleſiam viſitantibus, ſeu ad conſervationem, & fabricam hujuſmodi manus adjutrices porrigentibus, vel alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum II Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Veneti.*) In ejuſdem nominis Reipublicæ Metropoli.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XLIX fol.* 20.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX.*

Anno 1421 Die 7 Julii.

Poſſeſſiones quaſdam Hoſpitali Domui S. Johannis, Spoletanæ, uniendas decernit.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Adjacen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

In Apoſtolatus officio, licet immeriti, diſponente Domino, pręſidentes, ad ea, quę piorum locorum, & Chriſti pauperum utilitatem, & commodum reſpiciunt, libenter intendimus, illaque favore proſequimur opportuno. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum Ordinis Prędicatorum Domus S. Salvatoris Spoletan., petitio continebat, quod olim quondam Nardus Petrucii, Civis Spoletan., condens de bonis a Deo ſibi collatis, in ejus ultima voluntate teſtamentum, in eo inter cetera voluit, & ordinavit, quondam Thadeam ejus uxorem, quandiu viveret, uſufructuariam, quarundam Domorum in Civitate Spoletan., & poſſeſſionum, vinearum & laborativarum in Villa Baſſani, Spoletan. Dięceſis conſiſtentium, ad ipſum teſtatorem legitime pertinentium, exiſtere, & poſt ejuſdem Thadeę obitum de eiſdem domibus, poſſeſſionibus, & nonnullis aliis bonis ſuis tunc expreſſis, quoddam Hoſpitale pauperum in honorem & ſub vocabulo S. Dominici, in quo duodecim lecti ponerentur, hoſpitalitaſque laudabiliter ſervaretur, per Priorem & Fratres in eadem Domo pro tempore exiſtentes fundari, & ſub eorum cura, atque regimine regi, & perpetuo conſervari, prout in dicto Teſtamento dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ante ejuſdem Thadeę

Supplex Fratrum petitio.

obi-

obitum Domus, poſſeſſiones, & bona hujuſmodi, propter guerras, & alia incommoda, quę partes illas afflixerant, adeo deteriorata fuerant, quod ex poſt nullus, vel modicus fructus potuit, vel poteſt percipi ex eiſdem, & ad hujuſmodi Hoſpitale noviter fundandum juxta diſpoſitionem dicti Teſtatoris, pręfata domus, Poſſeſſiones, & bona nullatenus ſufficiunt, quodque ſi domus, poſſeſſiones, & bona hujuſmodi Hoſpitali pauperum S. Johannis Baptiſtę Spoletan.[1], quod etiam ſub cura & gubernatione eorundem Prioris & Fratrum gubernatur, & in quo perpetua Hoſpitalitas ſervatur, applicarentur, appropriarentur, concederentur, & donarentur, ad magnum ſublevamen pauperum, & Infirmorum, ad illud pro tempore confluentium cederet, Domuſque, poſſeſſiones, & bona hujuſmodi facilius reparari, & ad bonum ſtatum, & cultum reduci poſſent, & etiam conſervari. Quare pro parte Prioris & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut domus, poſſeſſiones, & bona hujuſmodi cum omnibus juribus, & pertinentiis eidem Hoſpitali S. Johannis in ipſius, & pauperum, ac infirmorum prędictorum utilitatem, & commodum, perpetuo applicare, appropriare, concedere, & donare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi domus, poſſeſſiones, & bona in hujuſmodi pios uſus distribui, & converti affectantes, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati; Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi pręmiſſa repereris fore vera, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, hujuſmodi domus, poſſeſſiones, & bona, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis pręfato Hoſpitali S. Johannis in ipſius, ac pauperum, & infirmorum eorundem, uſus convertenda, & exponenda, auctoritate Apoſtolica in perpetuum applices, appropries, concedas, & dones: ita quod liceat Priori, & Fratribus prędictis domus, poſſeſſiones, & bona hujuſmodi, cum omnibus juribus & pertinentiis ſupradictis, in Hoſpitalis S. Johannis, & pauperum, ac infirmorum prędictorum uſus, perpetuo retinere, & convertere, libere, & licite, Diœceſani loci, & cujuſvis alterius licentia ſuper hoc minime requiſita, inducens per te, vel alium, ſeu alios, eoſdem Priorem, & Fratres, vel Procuratorem ſuum pro eis, in corporalem poſſeſſionem domorum, poſſeſſionum, & bonorum, ac jurium, & pertinentiarum prędictorum, & defendens inductos, & faciens ſibi de ipſorum domorum, poſſeſſionum, & bonorum fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus, univerſis, in uſus prędictos convertendis, integre reſponderi; Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus voluntate, & ordinatione prędictis, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Tibure Non Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Clauſula derogans; (margin)

Mandatum. (margin)

1. *Spoletan.*) In *Umbria*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro L fol.* 212.
3. *Adjacen.*) Vulgo *Aiazzo*, in *Corſica*.

Inſcribit, & firmat Conſtitutionem, qua Bonifatius IX Ordinem Prædicatorum ab omni juriſdictione Epiſcoporum, decimis, ac tributis eximit (1).

Anno 1421 Die 15 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. LXXXVII.

AD Summi Apoſtolatus apicem &c (3). Datum Florentię Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Eximit.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. V & X.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar inter *Conſtitutiones Eugenii IV.*
3. *Apicem &c.*) Ut in Conſtitutione data *XV Julii Anno MCCCCXX*, ad finem uſque.

F. Angelus (1) Corporis Sancti fit Epiſcopus Galipolitanus.

Anno 1421 Die 13 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Angelo Corporis Sancti Electo Galipolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. LXXXVIII.

ROmani Pontificis, quem Paſtor ille cęleſtis &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Guillelmo Epiſcopo Galipolitan. regimini Galipolitan. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari; poſtmodum vero dicta Eccleſia per ipſius Guillelmi Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus dili-

F. Angelo Guillelmo ſuccedit. (margin)

Digitized by Google

diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, prędictę Eccleſię, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Tibure Idibus Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Angelus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CX fol.* 34.

Anno 1421 Die 27 Auguſti.

Moniales Monaſterii S. Petri Martyris transferuntur ad Monaſterium S. Eulaliæ, Barchinonen. (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

LXXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Populeti, Tarraconen. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. APoſtolicę Sedis providentia circumſpecta votis perſonarum eccleſiaſticarum pręſertim ſub regulari obſervantia divinis laudibus deditarum, ut proinde quietius Altiſſimo famulentur, annuit, eaſque favoribus & gratiis proſequitur opportunis. Sane, exhibita Nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (3) Regis, & cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Marię (4) Reginę Aragonum, Conjugum illuſtrium, petitio continebat, quod dilecti filii Prior, & Canonici Monaſterii S. Eulalię de Campo, alias dels Sachs, Civitatis Barchinonen., nuncupati, per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, deſiderant de eodem Monaſterio ad Domum S. Annę Sepulcri Dominici Civitatis, & Ordinis, prędictorum, ſe transferre, ibique una cum eiſdem Priore & Fratribus, ſub eorum regulari habitu virtutum Domino famulari, quodque attento, quod Monaſterium Monialium S. Petri Martyris ſub regula Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, in ſuis ędificiis adeo ſtrictum eſt, & anguſtum, quod ipſius per Priorillam gubernari ſoliti, Prioriſſa, & Sorores, ſeu Moniales, quarum quamplures de nobili, & etiam militari genere procreatę exiſtunt, nequeunt inibi, prout deſiderant, Domino famulari, & ſecundum generis ſui decentiam pro ſua mora locum habere competentem, eędem Prioriſſa, & Sorores cupiunt de eodem Monaſterio S. Petri ad ipſum Monaſterium S. Eulalię pro ſua mora quamplurimum utile, & commodum, ſe transferre, ſi Priorem & Canonicos ſupradictos ad Domum transferri contingat antedictam, & pręfatum Monaſterium S. Eulalię eiſdem Prioriſſę & Sororibus in Monaſterium concedatur. Quare pro parte Regis & Reginę, ac Prioris, Prioriſſę, Canonicorum, & Sororum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręfatis Priori, & Canonicis de Monaſterio S. Eulalię prędicto cum ornamentis, veſtimentis, libris, calicibus, Reliquiis, Reliquiaribus, jocalibus, & aliis bonis, mobilibus, & immobilibus, ac juribus univerſis dicti Monaſterii eidem Domui applicandis, & appropriandis, ad ipſam Domum transeundi, & inibi habitum per Canonicos, & Fratres ejuſdem Domus geſtari ſolitum, recipiendi, & profeſſionem expreſſam per Fratres dictę Domus emitti ſolitam emittendi, & in eo perpetuo remanendi, necnon Prioriſſę & Sororibus prędictis dictum Monaſterium S. Eulalię cum Eccleſia, clauſtro, cęmeterio, refectorio, dormitorio, domibus, & hortis ſuis, & aliis officinis locorum Monaſterium aſſumendi, & inſtituendi, & ad illud transeundi, ac in eo perpetuo remanendi, necnon Monaſterium S. Petri, ejus nomine in illo ſuppreſſo, ipſius ſolum, cum ejus Domibus, & ędificiis, & hortis, ad earum utilitatem, & commodum in profanos uſus vendendi, & alienandi, ac pretium, & pretia inde habitura, in earum, & dicti Monaſterii S. Eulalię utilitatem, & alias, prout eis pro bono ſuę translationis hujuſmodi videbitur, convertendi, licentiam concedere, necnon quadringentorum florenorum per Prioriſſam & Sorores, ſuper earum, ſuique Monaſterii, ſic de novo per eas aſſumendi, Priori Monaſterii quoad vixerit, vel donec ſibi de aliqua dignitate, aut alio beneficio Eccleſiaſtico, cujus fructus, redditus, & proventus tanti annui valoris illam vel illud, pro tempore obtinenti, & in ea, vel eo, non reſidenti, vel penſione, conſimilis, vel maioris, valoris proviſum fuerit; & Prioriſſę, vel Sororibus prędictis, ut hujuſmodi quadringentorum commodius ſolvere valeant, trecentorum florenorum auri de Aragonia interim, vel quandiu dictorum quadringentorum florenorum ſolvere tenebuntur, per Priorem ejuſdem Domus & Fratres prędictos ſolvendas penſiones annuas ſuper ejuſdem domus ſepulcri dominici fructibus, redditibus, & proventibus concedere, conſtituere, & aſſignare, & alias in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur ipſorum Prioriſſę, & Sororum, ac Prioris Monaſterii,

Translatio. & Canonicorum prędictorum, votis, in hac parte favorabiliter annuentes, volenteſque eos favoribus proſequi gratioſis, ac de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vocatis quorum intereſt, & aliis, qui fuerint vocandi, de pręmiſſis omnibus, & eorum circumſtantiis univerſis, auctoritate noſtra te diligenter informes; &, ſi per informationem hujuſmodi ea repereris veritate fulciri, & ibi utile, & ſalubre videatur, quod hujuſmodi licentia concedatur, & alia pręmiſſa fiant, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, pręfatis Priori Monaſterii, Canonicis, ac Prioriſſę, & Sororibus, hujuſmodi licentias auctoritate noſtra largiaris, necnon ornamenta, cruces, veſtimenta, libros, calices, Reliquias, Reliquiaria, jocalia, & alia bona mobilia, & immobilia prędicti Monaſterii S. Eulalię, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis dictę domui ſepulcri Dominici, & Menſę conventuali ejuſdem, auctoritate prędicta appro-

appropries, & applices, ipſumque Monaſterium S. Eulalię, cum ejus Eccleſia, clauſtro, refectorio, dormitorio, domibus, officinis, atque hortis, in ipſarum Prioriſſę & Sororum, ac earum, quę in ipſo ſuccedent Monaſterio, conſtituas, & aſſignes, & inſuper penſiones prędictas, pręfatis Priori Monaſterii, ac Prioriſſę, & Sororibus ipſis, ut pręmittitur, annis ſingulis, in terminis per te deputandis, integre perſolvendas, eadem auctoritate concedas, conſtituas, & aſſignes, eaſque facias Priori, ac Prioriſſę, & Sororibus prędictis, integre perſolvi, necnon quęcunque alia, quę circa pręmiſſa, & ea concernentia, utilia & commoda videris, juri tamen non obviantia, ſtatuas (5), & ordines, prout tibi videbitur expedire; proviſo tamen, quod Eccleſia, & cęmeterium dicti Monaſterii S. Petri ad profanos uſus veluti hereditas nullatenus transferantur. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis & conſuetudinibus Monaſteriorum, & domus Sepulcri Dominici, ac Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Priori & Conventui dictę domus Sepulcri Dominici, ac Prioriſſę, & Sororibus prędictis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Romę apud S. Mariam Majorem VI Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Clauſula derogans.

1. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo, quod aſſervatur in *Barchinonenſi* Monaſterio *Montis Sion*. Aliud habes in Archivo Ordinis ex *Archivo Apoſtolico Lib. LVII fol.* 314.
3. *Alfonſi*.) Hujus nominis *V*.
4. *Mariæ*.) Conſulendus *Antonius Panormitanus* in Libro cui titulus: *De factis & dictis Alfonſi Regis*.
5. *Statuas*.) Quid egerit Delegatus, habetur ex Inſtrumento, cujus Autographum eſt in Monaſterio *Montis Sion*.

Ad Archiepiſcopum Toletanum (1) de ampliando Cœnobio Alcaracenſi.

Anno 1421 Die 20 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Toletan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XC.

Exordium. Supplex petitio. Conceſſio. Clauſula derogans.

HUmilibus, & honeſtis, ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectę in Chriſto filię nobilis Elvirę, relictę, quondam Enrici Crivel Militis, viduę, tuę Diœceſis, petitio continebat, quod ipſa & dictus Enricus dudum de bonis ſibi a Deo collatis, quandam Domum Fratrum Ordinis Prędicatorum ad uſum ipſorum Fratrum in oppido de Alcaraz dictę Diœceſis conſtrui & ędificari fecerunt (3), ac eidem Domui quondam Hoſpitale pauperum, quod quandoque per Clericos, & quandoque per Laicos gubernari conſuevit, contiguum exiſtit, propter quod domus ipſa, quę parva pro habitatione eorundem Fratrum eſſe dignoſcitur, ampliari non poſſit, niſi hoc Hoſpitale penitus diruatur, & illius domui pro illius ampliatione in perpetuum applicetur; Quare pro parte Elvirę, & Fratrum Prędicatorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Hoſpitale prędictum diruendi, ac ipſum, ejuſque ſpatium, ſive ſolum in utilitatem & ampliationem dictę Domus applicandi, & convertendi licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, poſtquam prędicta Elvira, ſeu Fratres ipſi, aut alius eorum nomine aliud Hoſpitale, cum officinis, & Cameris neceſſariis, ęquale, vel majus in dicto Oppido, in loco ad hoc apto & congruo, ſuis ſumptibus, & expenſis, conſtrui, & ędificari fecerint, illudque pro uſu, & utilitate pauperum, & infirmorum, loco dicti diruendi hoſpitalis, dederint, & aſſignaverint, realiter, & cum effectu, aliis juribus, & bonis primi dicti hoſpitalis eidem ędificando hoſpitali appropriatis, & remanentibus, ſemper ſalvis, Elvirę & Fratribus ipſis conſtructum hoſpitale diruendi, & in utilitatem, & ampliationem, dictę domus appropriandi, & non in alios uſus convertendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris; Provincialibus, & Synodalibus Conſtitutionibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Dat. Romę apud S. Mariam Majorem XIII Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Toletanum*.) In *Caſtella nova*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo, quod aſſervatur in Cœnobio *Alcaracenſi*, *Alcaraz*, in Hiſpania: In eodem Archivo Ordinis habes aliud Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LIII fol.* 47.
3. *Fecerunt*.) Anno *MCCCC*, ut docet *Echard* in *Indice Cœnobiorum Provinciæ Bæticæ*, *Tomo I Scriptorum Ord. Prædicator. pag.* 11.

Cœnobii Mariæ Heidani (1) fundandi facultas.

Anno 1421 Die 24 Octobris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Colonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XCI.

Supplex Fundatoris petitio.

PIIs ſupplicum votis, illis pręſertim, quę Religionis propagationem, ac divini cultus augmentum reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii nobilis viri Gerardi de Marks, Domicelli Colonien. Diœceſis, petitio continebat, quod ipſe de propria ſalute recogitans, ac cupiens, terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, ad laudem omnipotentis Dei, & ejus Genitricis Beatę Marię Virginis glorio-

glorioſę, & ob reverentiam Sancti Dominici, ad cujus Religionem, & Ordinem ſpecialis gerit devotionis affectum, locum in Marien. Heiden., dictę Diœceſis, temporali Dominio dicti Domicelli ſubjectum, & ad eum legitime pertinentem, dilectis filiis Leonardo (3) de Florentia Generali Magiſtro, & Fratribus dicti Ordinis, pro eorum Conventu inibi ſtatuendo, uſu quoque, & habitatione perpetuis conceſſit, atque donavit, prout in quodam Inſtrumento publico, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dicti Domicelli Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Generali, & Fratribus locum ipſum recipiendi, & in illo, ſicuti congruit, Eccleſiam cum cęmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, licen-

Conceſſio. tiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, pręfatum locum cum ejus juribus, & pertinentiis univerſis Generali, & Fratribus prędictis, pro hujuſmodi uſu, & habitatione applicare, & aſſignare auctoritate noſtra procures, ipſiſque dictum locum pro iiſdem uſu & habitatione recipiendi, ac inibi, prout opus fuerit, Eccleſiam eandem cum prędictis cęmeterio, campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis officinis conſtruendi, & ędificandi, ſive conſtrui, & ędificari faciendi, plenam, & liberam eadem auctoritate li-centiam largiaris, juxta formam Conſtitutionis fel. rec. Clementis Papę Sexti, Prędeceſſoris noſtri, pr ohibentis, ne domus aliqua pro hujuſmodi uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Mendicantium, niſi ab alia domo ejuſdem Ordinis per trecentas cannas diſtet, fundari, aut ędificari non poſſit; Nos enim ſi per te dictam licentiam elargiri, contigerit, ut pręfertur, Fratribus Ordinis prędicti, qui in eodem l oco pro tempore reſidebunt, quod omnibus, & ſingulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, pręfato Ordini, ac illius domibus, ſive locis per Sedem Apoſtolicam, ſeu alias quomodolibet conceſſis, uti, & gaudere libere, & licite, valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium,

Clauſula derogans. indulgemus. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii Papę VIII, etiam Prędeceſſoris noſtri, illæ pręſertim, qua prohibetur, ne quivis mendicantes in Caſtro, ſeu Villa, aut loco quocunque ad habitandum domos, vel loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, pręſumant, abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de prohibitione hujuſmodi mentionem, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Ordinarii, ac Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctam Mariam Maiorem IX Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

1. *Mariæ Heidani.*) Vulgo *Marien Heiden.* Juris eſt Provinciæ *Teutoniæ.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 281.

3. *Leonardo.*) De quo ſæpius ſupra.

Anno 1421 Die 24 Octobris.

Cœnobii Murani (1) fundationem confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

ORdinis Fratrum Prędicatorum Sacra Religio, & perſonarum ipſius conſpicua merita promerentur, ut eis, in his. quę divini cultus, & Religionis ejuſdem augmentum reſpiciunt, Nos exhibeamus favorabiles, & benignos. Hinc eſt, quod Nos dilecti filii Leonardi Magiſtri Generalis dicti Ordinis ſupplicationibus inclinati, locum in inſula Muran., Torcellanę (3) Diœceſis, olim dictis Fratribus, pro eorum uſu, & habitatione perpetuis, pia largitione fidelium.conſtructis in eo domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conceſſum,& per quondam Thomam (4), tunc Generalem ipſius Ordinis Magiſtrum, de Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali pro uſu, & habitatione prędictis, legitime receptum, cum illius Eccleſia, in qua nonnulli ex dictis Fratribus divino ſunt obſequio mancipati, necnon domibus, hortis, hortalitiis, & officinis hujuſmodi, ceteriſque aliis juribus. & pertinentiis ſuis, pręfatis Fratribus, ſicut Ipſi illa rationabiliter ſunt adepti, & impręſentiarum juſte, & pacifice habent, & poſſident, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis. & communitionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem, hoc attentare pręſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud S. Mariam Majorem IX Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

F. Branchatus.

1. *Murani.*) In Ditione *Veneta.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Muranen.* Aliud habes in Archivo Ordinis ex *Archivo Apoſtolico Libro LI fol.* 281.

3. *Torcellanæ.*) Vulgo *Torcello*, in Ducatu *Veneto.*

4. *Thomam.*) *De Firmo.* Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCI pag.* 747.

Monia-

Moniales Monaſterii Leovallenſis (1) hæreditates (2) adire poſſint.

Anno 1421 Die 24 Octobris.

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

XCIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto Filiabus Prioriſſę, & Conventui Monaſterii de Levental (4), per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum inſtituta Fratrum Prędicatorum viventibus, Conſtantien. (5) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SAcrę Religionis obſervantia, ſub qua, mundania abjectis illecebris, in humilitatis ſpiritu devotum & ſedulum exhibetis Domino famulatum, non indigne meretur, ut petitionibus veſtris, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Hinc eſt, quod Nos, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut vos in omnibus, & ſingulis bonis mobilibus, & immobilibus, in quibus, ſi eſſetis in ſeculo poſteris ſuccedere, ipſaque bona, ſi ex paterna, vel alia, hęreditate, aut alias ad vos in communi, vel in ſingulari, quovis juſto titulo, ſive modo, perveniant, ſeu devolvantur, in communi adire, eaque a quibuſcunque perſonis illa vobis, quacunque cauſa, vel ratione, debentibus, petere, exigere, ac percipere, & tenere, necnon in communem veſtrum & Monaſterii de Levental (6), Ordinis S. Auguſtini, Conſtantien. Dięceſis, in quo eſtis divinis obſequiis mancipatę, uſum, & utilitatem convertere, ac illis in communi duntaxat, uti, & gaudere, eaque pacifice poſſidere, libere & licite valeatis, vobis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis Prędicatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem IX Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Conceſſio.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Leovallenſis.*) Vulgo *Louven-Thal*. Jacis eſt Provincialis *Saxonia*.
2. *Hereditates.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 302.
4. *Levental.*) *Louven-Thal.*
5. *Conſtantien.*) In *Suevia*.
6. *Levental.*) *Louven-Thal.*

Firmat donationem factam Fratribus de Rupe-Fideli (1).

Anno 1421 Die 3 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

XCIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Aurien. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

HUmilibus ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę Eccleſiaſticarum, pręſertim Religioſarum perſonarum, commoditatibus conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Domus Sancti Pauli Villę de Rupe fideli Ordinis Fratrum Prędicatorum, Palentin. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod quondam Johannes Manuel Miles, ac temporalis Dominus dictę Villę pro ſuę & ſuorum progenitorum animarum remedio, cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, nonnulla poſſeſſiones, Vineas, Terras, prata, & alia bona, cum certis libertatibus, privilegiis, & immunitatibus, necnon oleum, vina, blada, grana, aliosque redditus, & proventus, tam in dicta villa, quam aliis locis dicto Militi ſubjectis conſiſtentia, & ad eum tunc legitime pertinentia, pro Fratrum, & aliorum qui in dicta domo pro tempore reſiderent alimonia, & ſuſtentatione intuitu eleemoſynę eis pia largitione legavit, conceſſit, & donavit, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Quare pro parte Prioris, & Conventus prędictorum, qui poſtmodum, legationis, conceſſionis, & donationis prędictarum vigore, poſſeſſiones, vineas, terras, prata, & redditus hujuſmodi aſſecuti fuerunt, & illa poſſident pacifice de pręſenti, fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut legationi, conceſſioni, & donationi prędictis, pro illarum ſubſiſtentia potiori, robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, legationem, conceſſionem, & donationem prędictas, prout pro evidenti neceſſitate, & ſuſtentatione Prioris & Fratrum prędictorum factę ſunt, auctoritate noſtra approbes, & confirmes; ita tamen quod Prior, & Conventus de bonis hujuſmodi, eorumque fructibus, & proventibus pro tempore proventuris, libros, paraments, & alia ornamenta ad divinum cultum ſpectantia, necnon domos, earumque ędificia, & ſtructuras reparari facere teneantur. Non obſtantibus Conſtitutionibus Domus, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia vallatis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem III Non. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Quarto.

Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

1. *Rupe-Fideli.*) Vulgo *Peñafiel*, in *Caſtella veteri*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LVII fol.* 267.
3. *Aurien.*) Vulgo *Orenſe*, in *Hiſpania*.

Anno 1422 Die 12 Januarii.

F. Henricus (1) Holleyben. Epiſcopus Cathoſienſis renunciatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Henrico Holleyben. Electo Cathoſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

F. Henricus Nicolao ſuccedit.

DIvina diſponente Clementia &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Nicolao Epiſcopo Cathoſien. regimini Cathoſien. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per dictę Sedis providentiam, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per ipſius Nicolai obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſten. ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Henricus*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVIII fol.* 80.

Anno 1422 Die 19 Januarii.

F. Andinus (1) Sarnerii Eccleſiæ Aconenſi præficitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

XCVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Andino Sarnerii Electo Aconen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

F. Andinus Antonii ſucceſſor.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Antonio Epiſcopo Aconen. Eccleſię Aconen. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum illam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium utilem & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę reſervavimus, decernentes ex tunc irritum, & inane quicquid in contrarium per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturę perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Theologia Magiſtrum, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIV Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Andinus*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXVIII fol.* 90.

Digitized by Google

Indulgentia conceſſa, ut Ædes Sacræ Cœnobii Veronenſis (1) perficiantur.

Anno 1422 Die 4 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XCVII.

Licet is &c. (3). Cum autem, ſicut accepimus, Eccleſia Domus Sancti Petri Martyris Veronen., Ordinis Pręedicatorum, ad Dei laudem, & dicti Sancti honorem, ex pia fidelium largitione, opere quidem ſumptuoſo incepta, ſecundum ejuſdem operis magnitudinem, nequeat abſque Chriſti fidelium ſuffragiis aliquatenus perfici, Nos, cupientes, ut Eccleſia ipſa congruis honoribus frequentetur, & etiam perficiatur, & ut etiam Chriſti fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad ipſius fabricam manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentia Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in ejuſdem S. Petri Martyris feſtivitate Eccleſiam pręedictam devote viſitaverint annuatim, & ad ipſius fabricam manus porrigent adjutrices, quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus fabricam, ſeu conſervationem, manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus jam vel nondum elapſum, duratura per nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum IV Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Indulgentia.

1. *Veronenſis*.) In *Longobardia*. Ditionis eſt *Venetæ*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXI fol.* 246.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX*.

Quaſdam decimas Fratribus Kalinarvenſibus (1) aſſignat.

Anno 1422 Die 20 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo. Upſalen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

XCVIII.

Juſtis, & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę Religioſarum perſonarum opportunitatibus conſulitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum domus Ordinis Pręedicatorum Kalinarven., Lincopen. (4) Dięceſis, petitio continebat, quod licet ipſi ſuper decimas ex fructibus excreſcentibus, & aliis proventibus in Dięceſi pręedicta pro tempore proventuris, quarum Decimarum una diviſione facta, ac reliqua parte in tres partes diviſa illarum ultima pars pauperum nuncupatur, hujuſmodi ultimam partem per loci Ordinarium & Dominum Regni, in puris eleemoſynis eis tanquam Chriſti Pauperibus pie conceſſam in more Olandię (5) & Syhard (6) locis, & partibus dictę Dięceſis, a centum & ſeptuaginta annis, vel circa, per eos levari conſuetam, pacifice perceperint annuatim, tamen venerabilis Frater Noſter Kanutus (7) Epiſcopus Lincopen. hujuſmodi ultimam partem Decimarum, per ipſos Fratres, ut pręfertur, percipi conſuetam, Capellę, Fidelium animarum nuncupatę, per ipſum Epiſcopum in Lincopen. Eccleſia inſtitutę, pro ſuſtentatione Sacerdotis & Miniſtrorum in illa pro tempore deſervientium in divinis, etiam dilectorum filiorum Pręepoſiti, & Capituli Eccleſię pręedictę ad id expreſſo accedente conſenſu, applicavit, & etiam deputavit, in ipſorum Fratrum grave pręjudicium, & jacturam, quam quidem applicationem, & deputationem, idem Epiſcopus per bonę memorię Baldaſarem (8) Epiſcopum Tuſculan., tunc Johannem XXIII in ejus obedientia, de qua partes illę tunc erant, nuncupatum, auctoritate Apoſtolica obtinuit confirmari, prout in Canuti, & Johannis XXIII Epiſcoporum pręedictorum literis deſuper confectis dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, quamvis idem Kanutus, intendens dictorum Fratrum neceſſitatibus ſubvenire, poſt applicationem & deputationem pręedictas, ne hujuſmodi ultimam partem pręedictam eis in puris eleemoſynis annis ſingulis percipiendam, ut pręmittitur, conſignatam, percipere valerent, impedivit, prout impedit etiam de pręſenti, & quia applicatio, confirmatio, & deputatio pręedictę in ipſorum Fratrum, qui nimia inopia oppreſſi ſunt, & vix aliunde quam ex hujuſmodi decimarum ſuffragiis ſuſtentari poſſunt, grave diſpendium vergere dignoſcuntur, pro parte dictorum Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut eis, & eorum ſtatui in pręmiſſis opportune conſulere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus vocatis dicto Kanuto Epiſcopo, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi pręmiſſa eſſe vera repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, pręfatis Fratribus perceptionem dictę ultimę partis decimarum, quam ante applicationem, deputationem, & confirmationem pręedictas percipere conſueverant, & levare, uſque ad Quinquennium a Data pręſentium computandum per eos percipiendum in eleemoſynam auctoritate pręedicta concedas, ac fa-

Exordium.

Supplex petitio.

Conventus antiquitas.

Concessio.

facias, dicto durante quinquennio, illarum pacifica poſſeſſione gaudere, prout de jure fuerit faciendum. Non obſtantibus prǽmiſſis literis, etiam ſi de illis & earum totis tenoribus de verbo ad verbum in prǽſentibus habenda eſſet mentio ſpecialis; necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Kanuto Epiſcopo, Prǽpoſito, & Capitulo prǽfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romǽ apud S. Petrum XIII Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Kalinarvenſibus*.) Sic Amanuenſis nuncupat Cœnobii *Kalmarenſis*, vulgo *Kalmar*, in *Gothia*, ſodales. *Bernardus Guidonis*, ipſumque excipiens *Echard* in *Indice Cœnobiorum*, hocce Cœnobium vocant *Kalmarnienſe*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXI fol.* 195.
3. *Upſalen*.) In *Suecia*.
4. *Lincopen*.) In *Gothia*.
5. *More Olandiæ*.) Legerem. *Vermelandiæ*. Provincia eſt *Gothiæ Occidentalis*, in *Sueciæ* Regno.
6. *Sybard*. Hujus nominis Provinciam, vel Civitatem, nec in his partibus, nec alibi novi. Amanuenſem hallucinatum crediderim, ut in vocibus illis propriis paſſim contingit. Ceterum quod hic de Provincia, *Sueciæ* Regni ſermo ſit, liquet ex ipſomet Diplomate. Num autem legendum ſit *Upland.*, vel *Smaland.* (ſic vocant Provincias *Sueciæ*) ne hariolari videar, non dicam.
7. *Kramitus*.) *Kanutus*, ut inferius.
8. *Baldaſarem*.) Is eſt *Balthaſſar Coſſa*.

Anno 1422 Die 22 Aprilis.

Quingentos Florenos Auri de Camera Monaſterio S. Mariæ de Nazareth (1) ex piis legatis aſſignat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

XCIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Maſſilien. (3) Officiali, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PIis ſupplicum votis, per quǽ prǽſertim Eccleſiarum, in quibus aſſidue collaudatur Altiſſimus, neceſſitati conſulitur, libenter intendimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (4) Jeruſalem, & Siciliǽ Regis Illuſtris, petitio continebat, quod cum olim Monaſterium Monialium B. Mariǽ de Nazareth extra Muros (5) Aquen., ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prǽdicatorum viventium, Monaſterium Regnum (6) nuncupatum, in parietibus, & aliis inſignibus ǽdificiis, Clauſtris, Clauſuris, & pertinentiis ſuis, per ipſius Regis Prǽdeceſſores Reges, qui pro tempore fuerunt, opere non modicum ſumptuoſo, ſub vocabulo ejuſdem B. Mariǽ (7) Virginis conſtructum, & ǽdificatum, ac de bonis eis a Deo collatis ſufficienter dotatum fuiſſet, in quo olim una Prioriſſa, & centum (8) Moniales ex nobili (9) genere procreatǽ, ſub regulari obſervantia jugiter Altiſſimo famulabantur, quod poſtea propter guerrarum diſcrimina, quǽ partes illas diutius afflixerunt, in hujuſmodi ǽdificiis adeo dirutum, & devaſtatum exiſteret,

Supplex petitio.

quod inibi Prioriſſa, & Moniales prǽdictǽ non valentes habitare, infra Civitatem Aquen. ſe reduxerunt, ubi unum Monaſterium ſub vocabulo ejuſdem S. Mariǽ de Nazareth conſtrui fecerunt, in quo ſub cura, & ſecundum eadem Inſtituta obſervantiam faciunt regularem, licet in eo clauſuram, clauſtrum, & ǽdificia non habeant, eis pro hujuſmodi obſervantia regulari accommoda, & neceſſaria, nec etiam ad ipſa facienda, & ǽdificanda ipſius Monaſterii ſuppetant facultates. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, quod plura legata ad pias, & incertas cauſas in Aquen., necnon Arelaten (10), & Ebredunen., (11) Civitatibus, & Diœceſibus, ac Provinciis (12) fore noſcantur, Nos, cupientes, quod Prioriſſa, & Moniales prǽfatǽ, ſub regulari obſervantia, ac clauſura, clauſtro, & ǽdificiis convenientibus virtutum Domino ſerviant, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuǽ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, de legatis ipſis uſque ad ſummam quingentorum florenorum auri de camera. in, & ad opus dicti Monaſterii infra dictam Civitatem exiſtentis clauſurǽ, clauſtri, & ǽdificiorum prǽdictorum, integre convertendam, auctoritate noſtra, ipſis Prioriſſǽ, & Monialibus, ſeu earum procuratori, ad hoc ab eiſdem ſpeciale mandatum habenti, penes quaſcunque perſonas illa habentes, ſeu retinentes,

Conceſſio.

realiter tradi, & aſſignari, & ad reparationem, & in opus prǽdicta converti facias, & procures, diſtrictius inhibendo Locorum Ordinariis, & quibuſcunque aliis ipſorum officialibus, ne Prioriſſam, & Moniales, vel Procuratorem prǽdictos, in perceptione Legatorum hujuſmodi perturbare, aut quo minus ea per illos haberi, & ad reparationem, & opus hujuſmodi, converti valeant, impedire, ſeu perſonas, a quibus Prioriſſa, & Moniales, vel Procurator prǽdicti illa receperint, ad ſolvendum quidquam de illis alicui alteri compellere quoquomodo prǽſumant. Contradictores quoque per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, auctoritate noſtra, appellatione poſtpoſita, compeſcendo. Non obſtantibus tam provincialibus, quam ſynodalibus conſtitutionibus, & aliis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari, aut extra, vel ultra certa loca ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Nos enim eiſdem Prioriſſǽ, & Monialibus quǽcunque legata hujuſmodi, ubicunque, & in quibuſcunque rebus conſiſtant, per ſe, vel per Procuratorem hujuſmodi exigendi, petendi, & recipiendi, & habendi, necnon de receptis hujuſmodi perſonas, a quibus ea receperint, prǽdicta auctoritate perpetuo abſolvendi, & quitandi (13), plenam, & liberam tenore prǽſentium concedimus facultatem; decernentes omnes illos, qui legata ipſa, prout per te, vigore prǽſentium, aſſignata fuerint, eiſdem Prioriſſǽ, & Monialibus, ſeu eorum Procuratori perſolverint, ut prǽfertur, ulteriori cuivis alteri de illis in poſterum facienda ſolutione liberos atque quitos fore pariter, & immunes. Datum Romǽ apud S. Petrum X Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *S. Ma-*

1. *S. Mariæ de Nazareth.*) Diœceſis *Aquenſis*, vulgo *Aix*, in *Gallo-Provincia*. De hoc Monaſterio *Bernardus Guidonis in Indice Monaſteriorum Provinciæ Provinciæ* ſic loquitur: *Monaſterium eſt in Aquis Civitate Provinciæ, quod olim fuit in Maſſilia, dein in Duranna prope Aquis, Anno uno. Dominus autem* Karolus *Rex Siciliæ tranſtulit in melius in Aquis in loco qui fuerat Saccatorum, ubi fundavit, ædificavit, & dotavit Anno Domini MCCXCII. Fuerunt autem Sorores de Pruliano Maſſiliam traductæ, & poſitæ anno Domini MCC &c.* Sic in antiquo *Mſ.* in Archivo Ordinis aſſervato legitur. Verbis paululum immutatis hoc modo legebat *Echard* in alio Manuſcripto. Monaſterium *in Aquis Provinciæ civitate, quod olim primo fuit in Maſſilia prope Fratres* (hoc eſt in ſuburbio), *& illuc primo fuerunt perductæ Sorores quatuor de Monaſterio Pruliano circa annum Domini MCCLXXXVIII, & annis paucis permanſerunt. Deinde in Duranna prope Aquis anno quaſi uno. Demum Dominus Carolus Rex Siciliæ inde tranſtulit eas in melius in Aquis, in loco qui fuerat Saccatorum Anno Domini MCCXCII, ubi fundavit, & ædificavit, & dotavit regaliter. Prima iſtarum Sororum Prioriſſa dum adhuc erant in Maſſilia fuit Soror Matheudis de Folcalquier.* Hæc ille. In alio autem Manuſcripto *Pruliano* hæc addit *Bernardus* Guidonis. *Primus Prior Sororum Sanctæ Mariæ de Nazareth de Aquis fuit F. Pontius de Aqueria, de Taraſcone, inſtitutus anno Domini MCCXCII. Prior fuit anno quaſi dimidio.... Secundus Prior F. Berengarius Alphandi, Taraſconenſis, ſucceſſit F. Pontio de Aqueria, inſtitutus auctoritate Magiſtri Ordinis F. Stephani Biſuntini, memorato Rege Siciliæ procurante, anno Domini MCCXCIII. Tempore Prioratus ſui, favente ac faciente memorato Domino Rege, ædificatum fuit Monaſterium ac proſperatum valde tam in ædificiis quam in redditibus acquirendis.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXI fol. 90.*

3. *Maſſilien.*) In *Gallo-Provincia*.

4. *Ludovici.*) Hujus nominis *III.*

5. *Extra muros.*) Nunc intra.

6. *Regnum.*) *Regum*.

7. *Vocabulo ejuſdem B. Mariæ.*) Nunc vulgo *S. Bartholomæi*.

8. *Centum.*) Alias ſic, modo vero viginti circiter.

9. *Nobili.*) Eodem natalium ſplendore etiam nunc conſpicuæ Moniales *Aquenſes*.

10. *Arelaten.*) Vulgo *Arles*.

11. *Ebredunen.*) *Ambrum*.

12. *Provinciis.*) *Arelatenſis* enim Civitas eſt in *Gallo-Provincia*, *Ebredunenſis* in *Delphinatu*.

13. *Quitandi.*) Id eſt dandi apocham, & chirographo fatendi acceptum. Hinc *Quitos fore*, idem eſt ac fore ſolutos omni nomine, ex Gallica voce *Quitte*, qui nihil debet amplius.

Liberam in Aquenſi (1) Monaſterio ſepulturam decernit.

Anno 1422 Die 4 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

C.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſæ, & Conventui B. Mariæ de Nazareth, Aquen., per Prioriſſam ſolitis gubernari, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prædicatorum, viventibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcræ Religionis ſub qua devotum, & ſedulum in humilitatis ſpiritu exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut vos, & etiam Monaſterium veſtrum, in quo divinis obſequiis aſſidue inſiſtitis, ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Cum itaque Nobis nuper pro parte cariſſimi in Chriſto filii Ludovici Jeruſalem, & Siciliæ Regis Illuſtris, petitio continebat, quod plures perſonæ, devotionis cauſa, in Eccleſia prædicta, quam ipſius Regis prædeceſſores conſtrui, & ædificari fecerunt, cupiant earum eligere ſepulturam, ſi ad id Apoſtolicæ Sedis accedat aſſenſus, pro parte dicti Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc vobis licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vobis, ut perſonarum quarumcunque in dicta Eccleſia earum ſepulturam eligere volentium, in illa eorum corpora ſepeliri facere, libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prædictorum, ceteriſque contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialium Eccleſiarum, & aliorum quorumlibet alias in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Datum Romæ apud Sanctum Petrum IV Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

Exordium. — Supplex Regis petitio. — Indulget ut ſupra.

1. *Aquenſi.*) Conſulendum præcedens Diploma.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXIV fol. 145.*

Ut F. Stephanus de Spernaco (1) Beneficia eccleſiaſtica poſſit conſequi.

Anno 1422 Die 25 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano de Spernaco Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

REligionis zelus, vitæ ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, volentes te, qui, ut aſſeris, Ordinem Fratrum Prædicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, præmiſſorum meritorum tuorum intuitu, necnon conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Jeruſalem, & Siciliæ Regis Illuſtris, pro te dilecto Confeſſore, & familiari ſuo continuo commenſali, ſuper hoc nobis humiliter ſupplicantis, favore proſequi gratioſo, dicti Regis, & tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tecum, ut quamcunque domum Dei, vel Leproſariam (3) ſeu Hoſpitale pauperum, etiam quandoque per Laicos, aliquando vero per Clericos ſeculares gubernari conſuetam, ſeu conſuetum, ſi tibi Apoſtolica, ſive ordinaria auctoritate committatur canonice, recipere, ac juxta Conſtitutionem, per fel: rec: Clementem Papam Quintum Prædeceſſorem noſtrum ſuper hoc editam, regere, & etiam gubernare licite valeas, auctoritate Apoſtolica, de ſpeciali gratia, tenore præſentium, diſpenſamus. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus prædicti Ordinis, etiam juramento, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Proviſo, quod Domus, vel Leproſaria, aut Hoſpitale hujuſmodi ob-

Exordium. — Indultum.

obſequiis propterea non fraudetur. Nulli ergo &c. noſtrę diſpenſationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum VIII Kalendas Junii, Pontificatûs noſtri Anno Quinto.

1. *Stephanus de Spernaco.*) Ludovico III Jeruſalem, & Siciliæ Regi a confeſſionibus erat *Stephanus de Spernaco*, ut ex ipſo Diplomate conſtat.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXIV fol.44.* Meminit *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXXII pag.*113.
1. *Leproſariam.*) Sic a *lepra* vocatæ ſunt Domus lepra laborantibus aſſignatæ, & fidelium ſtipe dotatæ.

Anno 1422 Die 3 Julii.

F. Antonium (1) de Levanto præficit Eccleſiæ Tanenſi.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio de Levanto Electo Tanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

F. Antonius Matthæo ſuccedit.

EX ſuſcepti cura regiminis quę univerſis Chriſti fidelibus nos conſtituit debitores, inter cetera deſiderabilia cordis noſtri animarum ſalutem, incrementum verę fidei, ac quietem, & pacem fidelibus ipſis adeſſe, permaxime affectamus; & licet ſingulis Regionibus Deo, & Apoſtolicę Sedi devotis, favorem Apoſtolicum impendere debeamus, & ad eos noſtrę conſiderationis aciem diffundamus, levando in circuitu, more Paſtoris vigilis, noſtrę mentis oculos, viſuri, quid gregi Dominico expediat, & quid operis adhiberi conveniat circa illum, ad ſalutem tamen Populi Tanen., & partes circumſtantes habitantium orthodoxę fidei zelatorum, qui tam infidelibus, quam hereticis, & ſchiſmaticis undique circumdati, ut vera Religione Chriſtiana derelicta ad idololatriam, & hereſim ſubvertantur, continue infeſtantur, conſervationem, & augmentum eo propenſius, quo Chriſticolę ipſi eorum carentes Epiſcopo, & Paſtore, majus animarum periculum incurrere poterint, vigilamus. Nuper ſiquidem fide dignis relatibus intellecto, quod Eccleſia Tanen. Romanę Eccleſię immediate ſubjecta per obitum bonę memorię Matthęi Epiſcopi Tanen. extra Romanam Curiam defuncti, qui dictę Eccleſię, dum viveret, pręſidebat, vacat ad pręſens, Nos ad proviſionem ejuſdem Tanen. Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Romanam Eccleſiam ſe intromittere potuit, ſive poteſt, ne longę vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, ſperantes, quod tu qui in eorum idiomate plene doctus exiſtis, eis recte vivendi normam tribues, ac veritatis, & juſtitię ſemen ſparges, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & dictis Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, pręfatę Tanen. Eccleſię, de eorumdem noſtrorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem, curam, regimen, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, in virtute illius, a quo univerſorum chariſmatum dona proveniunt, confidentes, quod ejus tibi gratia aſſiſtente, circa inſtructionem, & corroborationem fidelium, in fide Catholica, Infideliumque reductionem ad illam, non ſolum doctrina verbi, ſed exemplo boni operis laborabis ſtudiis indefeſſis, ac dicta Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum &c. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem V Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Quinto.

1. *Antonium.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXVIII fol.*56.

Anno 1422 Die 1 Septembris.

F. Johannem de Caſanova (1) quibuſdam redditibus donat, ut Apoſtolici Palatii Magiſtri munus decenter obeat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Johanni de Caſanova Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

PErſonam tuam, Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę tuis neceſſitatibus fore conſpicimus opportuna. Cum itaque, ſicut in noſtra propoſuiſti pręſentia conſtitutus, tu, qui etiam minor Pęnitentiarius noſter, & in Scholis Palatii Apoſtolici Magiſter exiſtis, ac Prioratum Beatę Marię infra Caſtrum Biſuldini (3), ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicę Sedis, in perpetuam commendam obtines, quique propter Prioratum Sancti Saturni, Sancti Auguſtini, & Sancti Benedicti Gerunden. (4), & Gailaritan (5) Dięceſum, quem nuper certo modo vacantem tibi per alias noſtras literas, certo etiam modo, commendavimus, camerę noſtrę in certa pecunię quantitate obligatus exiſtis, magna, ratione Magiſterii dicti Palatii, cui pręſentialiter inſiſtis, jugiter ſubire te oporteat onera expenſarum, ac propterea in neceſſitate non modica conſtitutus exiſtas, Nobis humiliter ſupplicaſti, ut pro relevatione pręmiſſorum, arrendandi, ſeu vendendi ad triennium fructus, redditus, & proventus Prioratuum prędictorum, licentiam tibi concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur tibi, ut citius in neceſſitatibus tuis hujuſmodi

Diplomatis cauſa.

con-

conſulatur, providere, gratiamque ſpecialem facere volentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi arrendandi, ſeu vendendi fructus, redditus, & proventus Prioratuum hujuſmodi ſimul, vel ſeparatim, pro quacunque pecuniarum quantitate, uſque ad triennium immediate computandum, perſonę, vel perſonis quibuſcunque etiam laicis, cum quibus tuam, & Prioratuum ipſorum conditionem poſſis facere meliorem, ac pretium, vel pretia arrendamentorum hujuſmodi recipiendi, & in tuos uſus, vel neceſſitates convertendi, teque, & tuos in dictis Prioratibus ſucceſſores, ac eoſdem Prioratus, & bona eorundem uſque ad ſummam pretii, vel arrendamenti, vel arrendamentorum hujuſmodi, ipſorum arrendatoribus uſuris omnino ceſſantibus, obligandi, & renunciandi, de duabus Dietis editę in Concilio Generali, ac fel. recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac beneficio reſtitutionis in integrum, necnon literis, & indulgentiis Apoſtolicis impetratis, & impetrandis, ac omni juris Canonici vel Civilis auxilio, & quibuſcunque exceptionibus, per quas contra eoſdem Arrendatores tu, vel Succeſſores prędicti, in poſterum poſſetis vos tueri, etiamſi de illis eſſet in pręſentibus facienda mentio ſpecialis, plenam, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium licentiam elargimur. Itaque te cedente, vel decedente, aut Prioratus hujuſmodi, vel eorum alterum quomodolibet dimittente, fructus, redditus, & proventus prędicti uſque ad ſatisfactionem arrendamenti vel arrendamentorum prędictorum, integram, & completam, eiſdem perſonis, quibus illos arrendaveris, aut vendideris, ut pręfertur, pro ſupradicto duntaxat tempore, remaneant efficaciter obligati, non obſtan. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutiſque, & conſuetudinibus, ac ſtabilimentis Prioratuum, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & aliis contrariis quibuſcunque. Ceterum ne in hoc vorago locum ſibi vendicet uſurarum, noſtrę intentionis exiſtit, quod tu & iidem ſucceſſores, dictos Prioratus, aut eorum fructus, redditus, proventus, & bona per noſtras literas per cujuſpiam fraudis, vel calliditatis aſtutiam, ſub quovis palliato colore verborum ad uſuras aliquas nullatenus valeatis obligare, eaſdem literas, necnon conceſſiones, cautiones, promiſſiones, & obligationes per eas, ſeu auctoritate, vel occaſione ipſarum factas, vel faciendas quoad obligationem uſurarum duntaxat decernentes irritas, & inanes, ac nullius exiſtere penitus firmitatis: eis nihilominus quoad omnia alia ſupradicta, quę uſurarum pravitatem non ſapiunt, in ſuo robore duraturis. Volumus autem, quod Prioratus prędicti, ac fructus, redditus, proventus, & bona ipſorum prętextu noſtrę conceſſionis hujuſmodi ultra dictum triennium nullatenus remaneant obligati, eaſdem pręſentes, ipſarumque effectum quoad eoſdem Prioratus, ac fructus, redditus, proventus, & bona ipſorum ex tunc omnino carere viribus decernentes. Datum Vicovarii, Tiburtin. Diœceſis, Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Indultum.

1. *Caſa nova.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXIV fol.*306.
3. *Biſuldini.*) Vulgo *Beſalu*, in *Catalonia*, ad *Fluvianum* amnem.
4. *Gerunden.*) *Girona*, in *Catalonia*.
5. *Gallaritan.*) Legerem *Calaritan.*, vulgo *Cagliari*, in *Sardinia*, quæ tunc *Aragonum* Regis juris ac poteſtatis erat.

Ut F. Johannes (1) de Caſa nova Magiſter Sacri Palatii teſtamenti habeat factionem.

Anno 1422 Die 1 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Caſa nova Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Magiſtro in Theologia, Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

QUia pręſentis vitę conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea, quę viſibilem habent eſſentiam, tendunt viſibiliter ad non eſſe, tu, hoc ſalubri meditatione pręmeditans, diem tuę peregrinationis extremum, diſpoſitione ſuprema deſideras pręvenire. Nos itaque, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu, qui etiam minor Pęnitentiarius noſter, ac in Scholis Palatii noſtri Apoſtolici Magiſter exiſtis, de bonis mobilibus a te, tam per Eccleſiam, videlicet ratione beneficiorum Eccleſiaſticorum, quę ex conceſſione, & diſpenſatione Apoſtolicę Sedis obtinere dignoſceris, quam alias quomodocunque, licite tamen acquiſitis, quę Altaris, vel Altarium ipſorum beneficiorum miniſterio, ſeu alicui ſpeciali eorundem divino cultui, vel uſui non fuerunt deputata, pro decentibus, & honeſtis expenſis funeris tui, & pro remuneratione illorum, qui tibi viventi ſerviverint, ſive ſint tui conſanguinei, ſive alii juxta ſervitii meritum, uſque ad ſummam mille florenorum auri de Camera, diſponere, & erogare poſſis, & alias, prius tamen de omnibus prędictis bonis ęre alieno & his, quę pro reſtaurandis domibus, & ędificiis conſiſtentibus in locis dictorum beneficiorum culpa, vel negligentia tua, ſeu tuorum procuratorum deſtructis, ſeu deterioratis, necnon reſtaurandis aliis juribus eorundem beneficiorum deperditis ex culpa, vel negligentia ſupradictis, fuerint opportuna, deductis, in pios uſus ac licitos convertere valeas, non obſtan., quod Ordinis Prędicatorum profeſſor exiſtis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis quibuſcunque, devotioni tuę plenam, & liberam auctoritate pręſentium concedimus facultatem. Volumus autem quod in eorundem diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga prędicta beneficia te liberalem exhibeas, prout conſcientia tibi dictaverit, & ſaluti animę videris expedire. Datum Vicovarii, Tiburtin. Diœceſis, Kal. Septembris, Pontificatus noſtri Anno Quinto. Facultas.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XL fol.*119.

Anno 1422 Die 1 Decembris.

De F. Raymundo de Tilio Inquiſitore Carcaſſonenſi (1) conſtituendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Electen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD exequendum Inquiſitionis officium adverſus hęreticę pravitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit, ut cancer, ne etiam in aliorum perniciem ſua venena diffundant, expedit per Sedem Apoſtolicam tales deputari perſonas, quę honeſta ſua converſatione puritatis tribuentes exemplum, & eruditis labiis ſalutarem doctrinam fundentes, ſacro ſuo miniſterio omne fermentum labis hujuſmodi, Domino cooperante, ſciant, & valeant propenſius expurgare. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Raymundi de Tilio, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & in Sacra Theologia profeſſoris, petitio continebat, quod nuper Inquiſitionis dictę pravitatis officio in Civitate, & Dięceſi Carcaſſonen., in quibus quondam Petrus de Marologio (4) profeſſor Ordinis, ac in Civitate, & Dięceſi prędictis pravitatis hujuſmodi ſecundum morem dicti Ordinis, dum viveret, Inquiſitor extitit, per ipſius Petri obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Inquiſitore deſtituto, dilectus filius Johannes Dignati, Provincialis Toloſan., ſecundum morem prędictum, habens ad hoc, ut dicebat, a prefata Sede poteſtatem, illius pretextu, eundem Raymundum tunc, & nunc, in triceſimo ſecundo ſuę ętatis anno, vel circiter conſtitutum. in pravitatis hujuſmodi Inquiſitorem Carcaſſonen. deputavit, & deinde Leonardus Magiſter Generalis dicti Ordinis deputationem hujuſmodi per ſuas literas, ut debuit, approbavit, & confirmavit, & dictus Raymundus ad cautelam in dicto officio confirmatus ſe pro hujuſmodi pravitatis Inquiſitore Carcaſſonen. gerens, poſſeſſionem Domus, & habitationis ejuſdem Inquiſitoris Carcaſſonen. apprehendens, illam ex tunc tenuit, & poſſedit, prout tenet, & poſſidet de preſenti, officium hujuſmodi etiam interim exercendo ſimiliter de facto. Cum autem deputatio, approbatio, confirmatio. Inſtitutio, & prefectio prędictę, ſacris canonum inſtitutis, eidem Raymundo quoad hoc in ętate hujuſmodi repugnantibus, iuribus non ſubſiſtant, &, ſicut accepimus, officium ipſum Inquiſitore in Civitate & Dięceſi prędictis adhuc carere noſcatur, Nos, cupientes, ut negotium fidei jugi profectu, eliſis omnino & eradicatis erroribus, proſperetur, & fides catholica fortius coaleſcat, ac ſperantes, quod prefatus Raymundus, de cujus ſincerę Religionis, & fidei puritate, maturitate morum, & literarum ſcientia, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide dignorum teſtimonia perhibentur, ad hujuſmodi officium utilis, & idoneus exiſtet, illudque poterit, & ſciet auctore Domino ſalubriter gerere, & exercere, de ipſius tamen meritis, & aliis premiſſis alias certam notitiam non habentes diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eundem Raymundum, ſi alias eum ad hoc idoneum eſſe inveneris, & aliud canonicum non obſiſtat, ſuper quibus conſcientiam tuam oneramus, hujuſmodi pravitatis Inquiſitorem Carcaſſonen. in Civitate & Dięceſi prędictis, aliiſque Terris, & locis, in quibus ejuſdem pravitatis Inquiſitor Carcaſſonen., qui fuit pro tempore, officium ipſum exercere conſuevit, dummodo tamen tempore datę preſentium non ſit ibidem aliquis per Nos alius Inquiſitor canonice deputatus, cum honoribus, & oneribus debitis, & conſuetis, auctoritate noſtra conſtituas, & deputes, ſibique dictum Inquiſitionis officium. per eum quoad vixerit ibidem gerendum, & exercendum, eadem auctoritate committas, faciens ipſum per te, vel alium, ſeu alios, ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum, & quietum exercitium cum honoribus, & oneribus antedictis per Domus Carcaſſonen., & alios dicti Ordinis Fratres, ac alios quoſcunque, quorum intereſt, ut moris eſt, recipi, & admitti, ac debita in dicta Domo honorificentia pertractari. Contradictores per cenſuram &c., & nihilominus eidem Raymundo, ſi ipſum per te hujuſmodi Inquiſitorem Carcaſſonen. vigore preſentium conſtitui, & deputari contigerit, diſtrictius committas, ac etiam in remiſſionem peccaminum injungas, ut ipſe in caritate Dei, omni timore poſtpoſito, virtutum ſpiritum induens ex alto, prędictum Inquiſitionis officium in eiſdem Civitate, Dięceſi, Terris, & locis prout tanti negotii utilitas perſuadet, ſub ſpe mercedis ęternę efficaciter proſequi, & exequi ſtudeat diligenter, ut per ſolicitudinis ſuę prudentiam radix pravitatis ejuſdem exinde penitus evellatur, & vinea Domini Sabaoth, exterminatis vulpeculis, quę perverſis ſuis morſibus demoliuntur eandem, fructus afferat catholicę puritatis, in hujuſmodi negotio proceſſurus ſecundum indulgentias, & privilegia, Inquiſitoribus pravitatis, & officio hujuſmodi Inquiſitionis per eandem Sedem conceſſa, & alias ſecundum canonicas ſanctiones: Nos enim cum dicto Raymundo, ſi eum per te, vigore preſentium, hujuſmodi pravitatis Inquiſitorem Carcaſſonen. conſtitui, & deputari contigerit, ut prefertur, ut ipſe Officium Inquiſitionis pravitatis ejuſdem in Civitate, Dięceſi, Terris, & locis prędictis gerere, & exercere, libere & licite valeat, auctoritate prędicta tenore preſentium, de ſpecialis dono gratię, diſpenſamus. Non obſtantibus defectu ętatis, quem quoad hoc in triceſimo ſecundo hujuſmodi ſuę ętatis anno, vel circiter, ut prefertur, conſtitutus patitur, necnon felicis recordationis Clementis Papę V, Prędeceſſoris noſtri, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque, aut ſi eidem Ordini, vel quibuſvis aliis a dicta ſit Sede indultum, quod ejuſdem Ordinis Fratres, vel ipſi alii ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſi, aut dicti Ordinis loca interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Carcaſſonenſi.*) In *Occitania.* Adeas *Fontanam Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXXIII* pag. 314.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Li-*

Libro LXXVII fol.226. Meminit *Fontana* mox laudatus.
3. *Electen.*) *Alecten.*, Vulgo *Alet*, in *Occitania*.
4. *Petrus de Marologio.*) Sic a patria cognominatus eſt *Petrus*. Eſt autem, *Morologium* vulgo *Marueges*, oppidum *Galliæ*, in tractu *Gabalenſi*.

Facultas fundandi Cœnobium in Inſula Majoricenſi (1).

Anno 1423 Die 1 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio Alfonſo (3) Regi Aragonum Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

EXimię devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam, necnon clara tua, & progenitorum merita promerentur, ut votis tuis, in his potiſſime, per quę divinus cultus protenditur, & ſacra Religio propagatur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua petitio continebat, quod tu pro tuę dictorumque progenitorum animarum ſalute, & cultus hujuſmodi incremento, ac ad Dei Omnipotentis, ſueque Genitricis, Beatiſſimę Marię, laudem, & gloriam, necnon ob reverentiam Beati Dominici Confeſſoris, de bonis a Deo tibi collatis in honorem, & ſub vocabulo ejuſdem Beatę Marię unam Domum cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, & aliis neceſſariis officinis apud Inſulam Majoricarum, quę magna, & lata, & in qua unus duntaxat Ordinis Fratrum Prędicatorum Conventus (4) exiſtit, in Montano Sanctę Marię de Luch vulgariter nuncupato, & infra limites Parochię de Starcha Majoricen. Diœceſis, ſeu quovis alio loco ad hoc congruo, & apto per te, aut dilectum filium Julianum Tallada (5) dicti Ordinis, & in Theologia profeſſorem, eligendo, pro uſu, & habitatione duodecim Fratrum, inibi ſub regulari obſervantia prędicti Ordinis Altiſſimo perpetuo famulaturorum, quorum unus ex eis Prior eſſe debeat, & vocetur, conſtruere, & ędificare, aut conſtrui, & ędificari facere, proponas, ſi ad id tibi Apoſtolicę Sedis auctoritas ſuffragetur. Quare pro parte tua extitit Nobis humiliter ſupplicatum, ut tibi faciendi prędicta, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, tuum pium, & laudabile in hac parte propoſitum plurimum in Domino commendantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi Domum hujuſmodi cum Eccleſia, campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, refectorio, & aliis ſupradictis, pro uſu, & habitatione Prioris, & Fratrum eorundem, inibi perpetuo ſub regulari obſervantia Domino ſerviturorum, de licentia tamen, & conſenſu Ordinarii loci, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, pręſentibuſquę Priori, & Fratribus, ac eorum poſteris domum hujuſmodi cum Eccleſia, & aliis ſupradictis, recipiendi, ac in ea perpetuo commorandi, felicis recordationis Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinis Mendicantium in aliqua Civitate, Caſtro, Villa, ſeu alio loco quocunque, ad habitandum Domos, vel loca quęcunque de novo recipere pręſumant abſque dictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia Conſtitutione Apoſtolica, contraria nequaquam obſtante, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium licentiam elargimur; jure tamen parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius, in omnibus ſemper ſalvo. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Siquis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Exordium. Supplex Regis petitio. Conceſſio.

1. *Majoricenſi.*) Hiſpanis *Mallorca*, Italis *Majorica*. Inſula eſt *Hiſpaniæ*, in Mari *Mediterraneo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXV fol.295.*
3. *Alfonſo.*) Hujus nominis *V*.
4. *Conventus.*) Adeas *Franciſcum Diago Hiſtor. Provincia Aragon. Lib. II Cap. XLII pag.153.*
5. *Tallada.*) Conſulendus idem *Diago* loco mox laudato, *Cap. XLIII pag. 155.*

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Anneciacenſis (1).

Anno 1423 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUpientes (3) igitur ut Eccleſia Domus Anneciacen., Gebennen. (4) Diœceſis, quam venerabilis Frater noſter Johannes (5) Epiſcopus Oſtien., S. R. E. Vicecancellarius, fundaſſe, & erexiſſe, & in qua, ſicut accepimus, per viginti Fratres ejuſdem Ordinis conventualiter ibidem viventes, in prędicationibus, & aliis divinis officiis laudabiliter deſervitur, & perpetuis futuris temporibus, auctore Domino, ſervietur, congruis honoribus frequentetur, ipſaque Eccleſia cum habitationibus, & officinis pro hujuſmodi Fratribus neceſſariis decenter conſtruatur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, ac ad illorum, & dictarum habitationum conſtructionem, & fabricam, necnon pro comparatione Ornamentorum ad divinum cultum in eadem Eccleſia neceſſariorum, manus porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię conſpexerint uberius ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Pentecoſtes; necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, & Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, ac prędictorum Petri, & Pauli Apoſtolorum, necnon Dedicationis ipſius Eccleſię Feſtivitatibus, ac in Celebritate omnium Sanctorum, & per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti Domini, necnon Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, ac Nativitatis B. Johannis, necnon BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum pręe-

Indulgentiæ.

prędictorum feſtivitatum Octavas, ac ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes, Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad conſtructionem, & fabricam, & reparationem manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis duos annos, & totidem quadragenas, Octavarum vero, & ſex dierum prędictorum diebus, quibus Eccleſiam viſitaverint, & ad conſtructionem, & fabricam, necnon comparationem prędictas, manus adjutrices porrexerint, ut prefertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Anneciacenſis.*) Vulgo *Annecy*, in *Sabaudia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXVI fol.6.*
3. *Cupientes.*) Exordium deeſt.
4. *Gebennen.*) *Gebenna* urbs eſt *Allobrogum*.
5. *Johannes.*) *De Broniaco* nuncupatus ex *Annecienſi* Civitate oriundus. Adeas *Giaconium Tomo II Vit. Pontif., & Cardinal. pag.* 683.

Anno 1423 Die 18 Januarii.

Fratres Anneciacenſis (1) Cœnobii poſſint infra quinque leucas ab eadem domo prædicare, & pecuniam corrogare.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Ordinis Prędicatorum Anneciacen., Gebennen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Concessio.

SAcrę veſtrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut ad ea favorabiliter intendamus, quę vobis fore conſpicimus opportuna. Hinc eſt, quod Nos venerabilis Fratris noſtri Johannis Epiſcopi Oſtien., S. R. E. Vicecancellarii, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Fratres veſtrę Domus Anneciacen., Gebennen. Dięceſis, eleemoſynas per Fratres ipſius Ordinis duntaxat peti, & recepi ſolitas, in locis ultra quinque leucas ab eadem Domo veſtra non diſtantibus petere, & recipere, & inibi verbum Dei Chriſti fidelibus proponere, alias ſecundum canonicas ſanctiones, & ejuſdem veſtri Ordinis fundationem, ac inſtituta per Sedem Apoſtolicam approbata, libere, & licite valeatis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Sanctio pœnalis.

1. *Anneciacenſis.*) De quo in præcedenti Diplomate.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.69.*

Anno 1423 Die 18 Januarii.

Ut infra quinque leucas a Cœnobio ſuo Fratres Anneciacenſes (1) ad vitam neceſſaria quærere mendicando, & de Divinis rebus ad populum dicere poſſint.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Ordinis Prędicatorum Anneciacenſis, Gebennen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę veſtrę Religionis &c. (3) Ut Fratres Domus veſtrę Anneciacen., Gebennen. Dięceſis, eleemoſynas, queſtas apud vos nuncupatas &c. (4) Et alias ſine alterius prejudicio, libere, & licite valeant, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Anneciacenſes.*) Videas penultimum Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. *LXXVII fol.63.*
3. *Religionis &c.*) Ut in præcedenti ad hæc uſque verba. *Inclinati, vobis.*
4. *Nuncupatas &c.*) Ibidem ad hæc uſque. *Apoſtolicam approbata.*

Anno 1423 Die 18 Januarii.

Anneciacenſes (1) Fratres omnibus privilegiis Ordinis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Anneciacen., Gebennen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Concessio.

SAcrę Religionis, ſub qua devotum, & ſedulum exhibetis Domino famulatum, promeretur honeſtas, ut ea vobis favorabiliter concedamus, quę vobis fore conſpicimus opportuna. Hinc eſt, quod venerabilis Fratris noſtri Johannis Epiſcopi Oſtien., S. R. E. Vicecancellarii, qui, ſicut aſſerit, Domum veſtram pro divini cultus augmento, ac Fratrum veſtri Ordinis uſu, & habitatione, de bonis a Deo ſibi collatis, Apoſtolicę Sedis ſuper hoc ſuffragante licentia, fundavit, devotis ſupplicationibus inclinati, ut vos

Digitized by Google

vos, qui impręſentiarum inibi eſtis divinis obſequiis mancipati, & qui pro tempore in eadem domo reſidebunt, ſive moram traxerint, ipſius Ordinis Fratres, omnibus & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, & exemptionibus, quibuſcunque, pręfato Ordini, & ipſius perſonis per Sedem prędictam quomodolibet generaliter conceſſis, quibus alias per eandem Sedem derogatum non exiſtat, uti, & gaudere libere, & licite valeatis, vobis, & illis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Sanctio pœnalis.

1. *Anneciacenſes.*) Conſulenda *Conſtitutio CVII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.* 233.

Ut Fratres Annecii (1) prædicantes Auditorum cœtui Indulgentias elargiri poſſint (2). Anno 1423 Die 18 Januarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Ordinis Prędicatorum Anneciacen., Gebennen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXI.

INjunctum Nobis deſuper Apoſtolicę Servitutis officium digne peragere credimus, ſi ad ea ſolitę benignitatis extendamus affectum, quę ex devotionis ardore conſpicimus prodire, & animarum afferre valeant ſalutis incrementum. Hinc eſt, quod Nos, venerabilis Fratris noſtri Johannis Epiſcopi Oſtien., S. R. E. Vicecancellarii, qui, ut aſſerit, domum veſtram Anneciacen., Gebennen. Dięceſis, in qua eſtis divinis obſequiis mancipati, pro divini cultus augmento, ac veſtri Ordinis Fratrum uſu, & habitatione fundavit, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ac veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut quivis ejuſdem domus Frater, ad hoc alias canonice deputatus, quotieſcunque in Eccleſia dictę Domus per prędicationis miniſterium publice propoſuerit verbum Dei, poſſit auctoritate Apoſtolica omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, ibidem in prędicatione pręſentibus, ſi Magiſter in Theologia ſexaginta, ſi vero alius fuerit, quadraginta dies de injunctis eis pęnitentiis, auctoritate Apoſtolica valeat miſericorditer relaxare; pręſentibus poſt quindecim annos minime valituris. Nulli ergo &c. Datum Romę apud S. Petrum XV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Conceſſio.

1. *Annecii.*) Conſulenda præcedentia Diplomata.
2. *Poſſint.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.* 294.

In Petrum Freſerii hæreſeos ſuſpectum. Anno 1423 Die 20 Januarii.

Ex Archivo (1) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Narbonen. (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXII.

EXhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Petri Salatii (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, in Theologia Magiſtri, ac in Roſſilionis (4), ac Ceritanię (5) Comitatibus Inquiſitoris hęreticę pravitatis, petitio continebat, quod cum olim Petrus Freſerii laicus ſub habitu Eremitico in Dięceſi Elnen (6), ac infra dictum Comitatum Roſſilionis, moram trahens, ſuper certis capitulis, ſeu articulis, tunc expreſſis, apud bonos, & graves de pravitate prędicta diffamatus, & de fide ſuſpectus publice haberetur, poſtquam pręfatus Inquiſitor, ſuper his ex officio ad inquiſitionem deſcendens, nonnullos proceſſus contra eundem Petrum Freſerii fecerat, ac teſtes receperat, & examinaverat, pręfatus Petrus Freſerii volens canonicam correctionem effugere, & aſſerens, quod idem Inquiſitor nonnullos teſtes ejuſdem Petri Freſerii ęmulos, & inimicos, ac viles, & infames perſonas, ac ſibi ſuſpectos, & manifeſte exoſos, ipſumque Petrum Freſerii nequiter diffamantes, receperat, & examinaverat, dictumque Petrum ceperat, & carceribus mancipaverat, ipſe tamen Petrus Freſerii paratus erat ſuper his coram competente judice ſe purgare, Nos dilecto filio Abbati Monaſterii de Aruiis (7) dictę Dięceſis, ejus proprio nomine non expreſſo, noſtris dedimus literis in mandatis, ut vocatis, qui forent evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum foret, appellatione remota, decerneret, faciens quod decerneret per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari; Idemque Petrus Freſerii fecit ſuper his coram Bertrando Torraci Canonico Elnen., cui Bernardus Abbas dicti Monaſterii ſuper his ſub certa forma commiſerat vices ſuas, pretextu literarum, & commiſſionis hujuſmodi ad judicium evocari; Et licet pro parte dicti Inquiſitoris fuiſſent coram eodem Canonico nonnullę exceptiones legitimę contra literas antedictas, loco, & tempore, congruis, propoſitę, & allegatę, per quas legitime conſtabat, eaſdem literas fuiſſe, & eſſe ſurreptitias, & invalidas, ac tacita veritate, & expreſſa falſitate, obtentas, ac per conſequens eiſdem Abbati, & Canonico earum pretextu nulla per eas fuerat poteſtas ſeu juriſdictio attributa, nec ipſarum vigore in cauſa hujuſmodi procedere poterant, ſeu debebant, prout ipſe Inquiſitor erat legitime docere paratus, & de quibus per antea proteſtatus extiterat, quia tamen pręfatus Canonicus, eundem Inquiſitorem ſuper hoc contra juſtitiam audire recuſans, per ſuam interlocutoriam, ſe fore judicem competentem in cauſa hujuſmodi, pronuntiavit inique, ipſamque cauſam ad eundem Abbatem remiſit, pro parte dicti Inquiſitoris, ſentientis exinde indebite ſe gravari, fuit ad Sedem Apoſtolicam appellatum; Sed idem Diplomatis cauſa.

Abbas

Digitized by Google

Mandatum.

Abbas appellatione hujuſmodi, cujus ipſe non erat ignarus, & infra cujus proſecutionis tempus, de quo non modicum ſupererat, idem Inquiſitor exiſtebat, contempta, cauſam eandem Arnaldo de Axutelauro, etiam Canonico Elnen., de facto commiſit, idemque Arnaldus Canonicus, appellatione prędicta ſimiliter contempta, in cauſa ipſa etiam perperam, & de facto procedens, definitivam contra eundem Inquiſitorem ſententiam promulgavit, a qua quidem definitiva pro parte ipſius Inquiſitoris fuit ad prędictam Sedem iterum appellatum; ac Nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ipſe propter favores, quos idem Petrus Freſerli in prędicta Dięceſi Elnen. habet, non ſperet ſuper his in eadem Dięceſi conſequi poſſe juſtitię complementum, appellationum ac nullitatis proceſſuum, & attentatorum poſt, & contra appellationes hujuſmodi, necnon totius principalis negotii cauſas alicui in partibus extra dictam Dięceſim Elnen. committere, ac alias ſibi in pręmiſſis providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, pręmiſſorum ſtatum habentes pręſentibus pro expreſſo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus partibus convocatis, & auditis hinc inde propoſitis, quod canonicum fuerit, appellatione remota, decernas, faciens quod decreveris per cenſuram eandem, ſimili appellatione ceſſante, firmiter obſervari. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, ac de duabus dietis edita in Concilio Generali, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi eidem Petro Freſerli, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, excommunicari, vel ſuſpendi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Kalendas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol 55*, Meminit *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXXIII pag.* 314, quem conſulas velim.

2. *Narbonen.*) In *Occitania*.

3. *Petri Salatii.*) Inquiſitorem iſtum non novit *Franciſcus Diago in Hiſtor. Provinciæ Aragoniæ*, ubi Inquiſitorum *Aragoniæ* ſeriem exhibet. *Fontana* mox laudatus ipſum *Solatium* vocat.

4. *Roſſilionis.*) *Ruſcinonis*.

5. *Ceritania.*) *Cataloniam* inter & *Occitaniam*.

6. *Elnen.*) *Helenen.*, vulgo *Elna*, in *Gallia Narbonenſi*. Nunc *Perpinianum* translatus eſt *Helenenſis* Epiſcopatus.

7. *De Arulis.*) Antiqua & perilluſtris Abbatia eſt Ordinis *S. Benedicti*. Incolis *Arlas*, Gallice *Arles* vulgo vocatur. Sita eſt in Comitatu *Ruſcinonenſi*.

Anno 1423 Die 18 Februarii.

Prioratum Monaſterii S. Georgii Ordinis S. Auguſtini fidei & curæ F. Johannis Verba committit.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CXIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Archidiacono Ulixbonen. (2), & Decano, ac Petro Laurentii Canonico Colimbrien. (3) Eccleſiarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Alia Martini V Conſtitutio.

HOdie ſiquidem a Nobis emanarunt literę, tenorem, qui ſequitur continentes; Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Iohanni Verba, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, licentiato in Theologia, Căpellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ad Eccleſiarum & Monaſteriorum omnium ſtatum proſpere & feliciter dirigendum, perſonarumque Religioſarum neceſſitatibus providendum paterna ſolicitudine vigilantes, eorum profectibus libenter intendimus, ut illorum incommodis, quantum cum Deo poſſumus, ſalubriter obviemus. Dudum ſiquidem quondam Alvaro Gundiſalvi Priore Monaſterii Sancti Georgii, per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, Colimbrien. Dięceſis. regimini ejuſdem Monaſterii prę ſidente, Nos, cupientes eidem Monaſterio, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prę ſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Monaſterii ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Cum itaque poſtmodum prę fatum Monaſterium per obitum ipſius Alvari Prioris, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacaverit, & vacet ad prę ſens, nulluſque prę ter Nos de illius proviſione hac vice ſe intromittere potuerit, ſive poſſit, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, Nos tam dicto Monaſterio, ne longę vacationis exponatur incommodis, de gubernatore ſecundum cor noſtrum utili, & idoneo per quem circumſpecte regi, & ſalubriter dirigi valeat, quam etiam tibi in Sacerdotio conſtituto, & pro quo dilectus filius nobilis vir Petrus Dux Colimbrię cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (4) Portugallię, & Algarbii Regis illuſtris ſecundo genitus (5), aſſerens, te Confeſſorem ſuum fore, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, ut ſtatum tuum commodius, & decentius tenere valeas, de alicujus ſubventionis auxilio providere volentes, Monaſterium prędictum, cujus fructus, redditus, & proventus centum, & viginti librarum Turonen. parvorum ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, ſic vacans cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis tibi per te tenendum, regendum, & etiam gubernandum, uſque ad dictę Sedis beneplacitum, auctoritate Apoſtolica, commendamus, curam, regimen, & adminiſtrationem ejuſdem Monaſterii, hujuſmodi commenda durante, tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committentes, ac ſperantes, quod ipſum Monaſterium per tuę providentię laudabile ſtudium, dextera Domini tibi aſſiſtente propitia, votivis congratulabitur eventibus, ac continuum in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementum. Volumus autem, quod in eodem Monaſterio cultus divinus, ac ſolitus Canonicorum, & Miniſtrorum jus, nullatenus minuatur, quodque ejus Monaſterii, & dilectorum filiorum Conventus ejuſdem debitis, & conſuetis ſupportatis oneribus, de reſiduis hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus, dicta Commenda durante, diſponere, & ordinare libere, & licite valeas, ſicuti

ſicuti veri ipſius Monaſterii Priores, qui fuerint pro tempore, de illis diſponere potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ejuſdem Monaſterii tibi penitus interdicta. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Sancti Auguſtini prędictorum ac tui Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus curam, regimen, adminiſtrationem, & gubernationem hujuſmodi per te, vel alium, ſeu alios, eadem commenda durante, ſic geras ſolicite, fideliter, & prudenter, quod dictum Monaſterium utili gubernatori, ac fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſum, tuque pręter ęternę retributionis pręmium, & humanę laudis pręconium, quę proinde mereberis, noſtram, & dictę Sedis benedictionem & gratiam uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctum Petrum XII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto. Ut igitur literę, & commenda, noſtrę hujuſmodi facilius, plenius, & liberius ſuum debitum conſequi poſſint effectum, ex abundanti cautela diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios eundem Johannem Adminiſtratorem in eiſdem literis contentum, vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem, vel quaſi, regiminis, & adminiſtrationis Monaſterii, juriumque, & pertinentiarum in ipſis literis expreſſorum, inducatis auctoritate noſtra, & defendatis inductum, amoto exinde quolibet detentore, facientes ipſum Adminiſtratorem hujuſmodi, ut eſt moris, admitti, ſibique de ipſius Monaſterii fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis, dicta commenda durante, ac juxta illius formam, & tenorem integre reſponderi, necnon a ſuis ſubditis obedientiam, & reverentiam debitas exhiberi. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus omnibus, quę in eiſdem literis volumus non obſtare, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede prędicta ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum XII Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXX fol.* 110.
2. *Ulixbonen.*) *Ulyſſipponen.*, in *Luſitania*.
3. *Colimbrien.*) *Conimbricen.*, vulgo *Coimbra*.
4. *Johannis.*) Hujus nominis *I.*
5. *Secundo genitus.*) Nullo ſcilicet numero habito *Alfonſo*, qui, juvenis adhuc, deceſſerat, *Petrus* vocatur *Secundo genitus*, alioqui *Tertio genitus* dicendus eſſet. Sex enim filii fuere *Johanni I*, *Alfonſus* nempe, *Eduardus*, *Petrus*, *Henricus*, *Johannes*, & *Ferdinandus*.

De Viennenſi (1) Cœnobio conſtruendo.

Anno 1423 Die 26 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Lugdunen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris & Fratrum domus Ordinis Prędicatorum Viennen., petitio continebat, quod licet Eccleſia dictę domus valde ſolemnis exiſtat, ipſi tamen carent domibus, clauſtris, refectoriis, dormitoriis, & aliis neceſſariis officinis, & propterea multa incommoda incurrere dignoſcuntur, ſolumque etiam non habent, in quo ea conſtruere valeant, ſitque eis proximum ſolum Monaſterii Sancti Andreę Viennen., Ordinis Sancti Benedicti, in quo, ſi eis concedatur, commode poterint domos, clauſtra, refectoria, & alia ſupradicta eis opportuna conſtruere. Quare pro parte Prioris & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut cum dilecti filii Abbas & Conventus dicti Monaſterii in recompenſationem hujuſmodi ſoli pro conſtructione prędicta aſſignandi quingenta ſcuta auri habere proponant, ipſeque Prior & Fratres ad illa ſolvendum ſint penitus impotentes, de legatis ad pias cauſas per Civitatem & Dięceſim Viennen. pro tempore obvenientibus hujuſmodi ſummam eiſdem Abbati & Conventui ſolvi mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, venerabilis Fratris noſtri Johannis (3) Epiſcopi Oſtien. Sanctę Romanę Eccleſię Vicecancellarii ſuper hoc Nobis humiliter ſupplicantis, & Prioris & Fratrum Prędicatorum ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus per te, vel alium ad hoc idoneum, cum ad hoc venerabilis Fratris noſtri Johannis (4) Archiepiſcopi Viennen. expreſſus conſenſus acceſſerit, de hujuſmodi legatis ad pias cauſas per Civitatem & Dięceſim prędictas, quę obvenerunt, & obvenient in futurum, dictam ſummam quingentorum ſcutorum auri, a quibuſcunque perſonis earundem Civitatis & Dięceſis debitis, auctoritate noſtra recipias & hujuſmodi ſummam per te receptam prędictis Abbati & Conventui in hujuſmodi recompenſationes tradas realiter, & aſſignes, necnon Priori & Fratribus prędictis domos, Clauſtra, & alia, ut pręmittitur, eis opportuna conſtruendi, auctoritate prędicta licentiam largiaris. Nos enim tibi perſonas, a quibus ſummam hujuſmodi receperis, quitandi, & perpetuo liberandi, eadem auctoritate, tenore pręſentium, concedimus facultatem. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Supplex petitio

Indultum.

1. *Viennen.*) In *Delphinatu*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.* 94.
3. *Johannis.*) *De Broniaco* nuncupati. Conſulendus *Ciaconius* in *Clemente VII Antipapa Tomo II Vit. Pontif. & Cardinal. pag.* 683.
4. *Johannis.*) Adeas *Sammarthanos* in *Gallia Chriſtiana*.

con-

Anno 1423 Die 26 Februatii.

Confirmatio diviſionis (1) Provinciæ Hiſpaniæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. AD ſtatum proſperum, & felicem Religioſorum quarumlibet, ac regularium perſonarum, degentium in eiſdem, paterna ſolicitudine vigilantes, earum profectibus libenter intendimus, & his, quę pro ipſarum pace, & ſtatu proſpere conſervando, provide facta ſunt, ut illibata permaneant, libenter adiicimus Apoſtolici muniminis firmitatem. Supplex petitio. Sane pro parte dilecti filii Ludovici de Valleoleti (3) Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Prioris Provincialis Provincię Hiſpanię ſecundum morem dicti Ordinis, Magiſtri in Theologia, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod poſtquam ipſe per dilectos filios Priores Conventuales, & Fratres juxta morem dicti Ordinis in Priorem Provincialem dicti Ordinis Provincię (4) canonice electus, & confirmatus fuerat, & officium Provincialatus hujuſmodi aliquandiu exercuerat, pro eo quod ipſe una cum Prioribus conventualibus, Magiſtris, & aliis ejuſdem Ordinis profeſſoribus in Provinciali Capitulo Iſpali (5) congregatis, ab iis, quę gerebat, & mandabat eis dilectus Leonardus (6) de Florentia dicti Ordinis, ac ſacrę paginę profeſſor, & ejuſdem Ordinis Generalis Magiſter, ad Sedem Apoſtolicam appellaverat, prędictum Ludovicum ab ejus officio, & illius exercitio abſolvit, & depoſuit, ab eodem, & deinde prędictus Generalis ex ſpeciali commiſſione, per Nos ſibi facta, prędictum Ludovicum ad ipſum officium, ac alias in ſtatum priſtinum, in quo erat antequam abſolutio, & depoſitio prędictę fierent, auctoritate noſtra reſtituit, atque repoſuit, & nihilominus prędictam Hiſpanię in duas Provincias ſeparavit, atque diviſit, ſtatuens, & ordinans, quod Conventus Fratrum, & Monaſteria Sororum, quę ſunt, & erunt pro tempore in Regno Caſtellę, in Eſtrematura (7), in Aſturiis de Santillana (8), & Sanctianderii (9), ac Viſcaia (10), in Luſitania, & Frontaria, ſive Vandalia (11) Provinciam Hiſpanię conſtituerent, & ad eam pleno jure pertinerent, Conventus vero Fratrum, & Monaſteria Sororum, quę in Regno Legionis, & Galęcię, & in Aſturiis de Oveto conſiſtunt, Provinciam facerent, quę Provincia Sancti Jacobi perpetuo cenſeretur exiſtere, & ſic deberet ab omnibus futuris temporibus nuncupari, in qua prędictus Generalis novum Vicarium inſtituit, qui ipſam novam Provinciam, donec de Priore Provinciali proviſum eſſet, proſpere gubernet, & mandans inſuper, & injungens dictus Generalis Prioribus, & Fratribus ejuſdem Provincię Sancti Jacobi, poſtquam illam diviſerat, quod ſibi aliquem probum virum Religioſum dicti Ordinis profeſſorem juxta ejuſdem Ordinis regularia inſtituta in Priorem Provincialem eligerent, quem (12) Priores conventuales, tanquam de diviſione prędicta non contenti, uſque in hodiernum diem hujuſmodi electionem facere diſtulerunt & etiam neglexerunt, prout in dictis literis Generalis, deſuper confectis, plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, diviſio dictarum Provinciarum, & alia premiſſa, pro ſtatu proſpero, tranquillitate, & pace Conventuum, Monaſteriorum, Priorum, & Ordinis prędictorum, per ipſum Generalem provide facta ſit, pro parte ejuſdem Ludovici Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut diviſioni, ſeparationi, ſtatuto, & literis prędictis, pro ipſorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac ipſius Ludovici ſtatui ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Confirmatio. Nos igitur, qui Religionum omnium ſtatum proſperum & felicem, earumque profectum ſupremis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diviſionem, ſeparationem, & ordinationem, ſtatutum, & literas prędicta, & omnia in eis contenta, & quęcunque inde ſecuta, & per ipſum Generalem, circa diviſionem ipſarum Provinciarum alias rite geſta, & ordinata, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & nihilominus inſtitutionem de ipſo Ludovico in Provincialem dictę Provincię Hiſpanię ſubſiſtere provide volumus, & etiam declaramus, ac ſi abſolutio, & depoſitio prędictę ab eodem Generali nullatenus emanaſſent. Mandamus inſuper ex nunc eiſdem Prioribus Conventualibus, ceteriſque electoribus Provincię Sancti Jacobi, ut infra tres menſes, a die habitę notitię pręſentium computandos, aliquem probum dicti Ordinis profeſſorem in eorum & dictę Provincię Sancti Jacobi Provincialem ponere, ac juxta inſtituta, & morem dicti Ordinis eligere teneantur. Et ſi id infra eoſdem menſes agere renuerint, ex tunc electionem ipſam, pro ea vice duntaxat, de perſona utili, & idonea faciendam, ad ipſum Generalem legitime decernimus pertinere, qui eo caſu aliquem idoneum profeſſorem auctoritate ſua in Priorem Provincialem inſtituat in Provincia Sancti Jacobi, ſtatuentes, & etiam ordinantes, quod Prior Provincialis Provincię Sancti Jacobi pro tempore exiſtens de Monaſteriis, & Conventibus, eorumque Fratribus, & Sororibus ejuſdem Provincię Hiſpanię contra voluntatem ſui Provincialis Prioris, & e contra, ſe nullatenus intromittat, aut poſſit in eos, vel ea aliquam poteſtatem, auctoritatem, vel juriſdictionem exercere, & quicquid in contrarium factum fuerit, non teneat, ſed irritum ſit & inane. Clauſula derogans. Non obſtantibus privilegiis, & literis Apoſtolicis, alias ſuper diviſione, & ſeparatione pręfatę Provincię Hiſpanię per Nos forſan, vel Sedem Apoſtolicam ſub quacunque verborum forma conceſſis, etiam ſi de illis, eorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda eſſet in pręſentibus mentio ſpecialis, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Sanctio pœnalis. Nulli ergo &c. Noſtrorum confirmationis, communicationis, ſuppletionis, voluntatis, declarationis, mandati, ſtatuti, ordinationis, & conſtitutionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Diviſionis.*) Conſulenda *Diplomata data V Februarii MCCCCXVIII &c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.* 176.

3. *Ludov.*

3. *Ludovici de Valleoleti.*) Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCXXXVI pag. 789.*
4. *Provinciæ.*) *Hiſpania.*
5. *Iſpalis.*) *Hiſpalis*, vulgo *Sevilla*.
6. *Leonardus.*) *De Datis*, cujus mentio ſæpius facta eſt.
7. *Eſtrematura.*) *Extremadura*, non quidem ea, quæ in Regno *Legionis* eſt, ſed *Portugallica*.
8. *Santillana.*) *Biſcaiæ*, ſeu *Cantabriæ* contigua eſt.
9. *Sanctianderii.*) Vulgo *S. Ander*, in Ora *Cantabriæ*.
10. *Viſcaia.*) Seu *Biſcaia*, *Cantabria* ſcilicet.
11. *Vandalia.*) Seu *Vandalitia*, ſic a *Vandalis* dicta.
12. *Quem.*) *Quodque*.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Taurenſis (1).

Anno 1423 Die 26 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis Lib. B. fol.* 413.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXVI.

Exordium.

CUm pręcelſa meritorum inſignia, quibus Regina cęlorum Virgo Dei Genitrix glorioſa, ſedibus prędiata ſidereis, quaſi ſtella matutina pręrutilat, devotę conſiderationis indagine perſcrutamur: dum etiam intra pectoris arcana devolvimus, quod ipſa, utpote Mater gratię, & pietatis amica, humani generis conſolatrix, pro ſalute fidelium, qui delictorum onere pręgravantur, ſedula exoratrix, & pervigil, ad Regem, quem genuit, intercedit, dignum, quin potius debitum, arbitramur, ut Eccleſias, Capellas, & loca alia in ſui nominis honore dedicata, gratioſis remiſſionum proſequamur impendiis, & Indulgentiarum muneribus decoremus. Cupientes igitur, ut Capella B. Marię Virginis ſita in Eccleſia S. Ildefonſi, Loci de Tauro, domus, ſeu Conventus Fratrum Prędicatorum Zamorenſis Dięceſis, a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem ejuſdem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in feſto Aſſumptionis B. Marię Virginis glorioſę a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas eandem Capellam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem manus porrexerint adjutrices, unum annum, & quadraginta dies de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer in Domino relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Capellam, vel ad ejus conſervationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum IV Kalend. Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Indulgentiæ.

1. *Taurenſis.*) In *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar Authenticum ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Taurenſi*. Aliud habes in Archivo Ordinis ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.* 55.

De Fratrum Prædicatorum jure præcedendi (1) ante alios Mendicantes Fratres.

Anno 1423 Die 3 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopo Lugdunen. (3), & . . . . (4), ac Gratianopolitan. (5) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXVII.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque proſequimur favoribus opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris Fratrum Domus Viennen. (6), Ordinis Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, quod licet dicta domus, quę inter alias a venerabili Fratre Noſtro Johanne (7) Epiſcopo Oſtien., S. R. E. Vicecancellario, ut aſſeritur, fundata, ac alii Priores, & Fratres dicti Ordinis de antiqua, approbata, ac hactenus pacifice obſervata conſuetudine, in ſingulis mundi partibus (8), pręſertim in Romana Curia, ac Comitatibus, & Dięceſibus, ubi ſtudia vigent Generalia, priorem, & ſuperiorem locum perſonaliter incedendo, ac alias, ad funeralia, & exequias mortuorum eundo, redeundo, atque alias ſtando, et ſedendo ſuper alios Fratres Mendicantes Ordinum quorumcunque habuerint, & habeant, tamen dilecti filii Guardianus, & Fratres Domus Ordinis Fratrum Minorum etiam Viennen., de, & ſuper hujuſmodi prioritate, & conſuetudine dictos Priorem, & Fratres Prędicatores Viennen. hactenus impedire pręſumpſerunt, prout pręſumunt, in eorundem Fratrum Ordinis Prędicatorum diſpendium pariter, & jacturam. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum Prędicatorum, aſſerentium, quod ipſi propterea accedere ad Proceſſiones aliquas cum dictis Fratribus Minoribus ſe retraxerunt, & hoc eis in pręjudicium quamgrave ceſſerit, fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut eis ſuper pręmiſſis, & alias opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur: Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, vocatis pręfatis Guardiano, & Fratribus Minoribus, ac aliis, qui fuerint evocandi, ſuper pręmiſſis diligenter vos informetis, &, ſi per informationem hujuſmodi, dictam conſuetudinem ita eſſe repereritis, vos Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum hujuſmodi efficacis defenſionis pręſidio aſſiſtentes, non permittatis, eoſdem Fratres Ordinis Prędicatorum contra pręfatam conſuetudinem per prędictos Guardianum, & Fratres Ordinis Minorum, aut quoſvis alios vexari, ſeu quomodolibet moleſtari: Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac aliis contrariis quibuſcunque, ſeu ſi Ordini Fratrum Minorum hujuſmodi a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod perſonę ipſius Ordinis Fratrum Minorum ad judicium trahi, aut ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſę & eorum loca, interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam

Supplex petitio.

Mandatum.

Clauſula derogans.

Digitized by Google

& expreſſam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, noſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Dat. Romę apud S. Petrum V Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Pracedendi.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.* 237.
3. *Lugdunen.*) Vulgo *Lyon*, in *Gallia*.
4. . . . .) Nomen Epiſcopatus deeſt.
5. *Gratianopolitan.*) *Grenoble*, in *Delphinatu*.
7. *Johanne.*) Conſule *Conſtitutionem CVII.*
8. *In ſingulis mundi partibus.*) Nota morem ubique ſervatum.

Anno 1423 Die 5 Martii.

F. Laurentium (1) Pignon Epiſcopum Bethleemitanum renunciat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Laurentio Pignon Electo Bethleemitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

F. Laurentius Johanni ſuccedit.

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Bethleemitan. regimini Bethleemitan. Eccleſię pręſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum dicti Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, & ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, & in Theologia Baccalaureum formatum, cui de Religionis zelo &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Laurentium.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXII fol.* 29.

Anno 1423 Die 22 Martii.

Compoſitio de Quarta funerali Fratres inter & Capitulum, ac Parochos Valentinos (1) inita firmatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Bernardi extra muros Valentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Apoſtolicę Sedis providentia circumſpecta, ad ea per quę perſonę Eccleſiaſticę in tranquillitate mentis, & corporis, Domino famulentur, ac ipſarum quieti & paci conſulitur, libenter intendit, & ea, quę inter ipſas ſunt per concordiam terminata, ne in recidivę contentionis ſcrupulum relabantur, ſępius, cum ab ea petitur, mandat Apoſtolico muniminę roborari. Sane pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Ordinis Prędicatorum Valentin., Nobis nuper exhibita petitio continebat, quod orta dudum inter eos ex una parte, & dilectos filios Rectores, perpetuos Vicarios, & Presbyteros Curatos, duodecim Parochialium Eccleſiarum Civitatis Valentin., Provincię Tarraconen. (3), tam communiter, quam diviſim, ex altera, ſuper Quarta, ſeu canonica portione, funeralium, de his, quę ratione corporum defunctorum, qui apud Domum prędictam eligunt ſepulturam, ad Priorem & Fratres prędictos provenerant eatenus, & provenirent etiam in futurum, coram diverſis judicibus, & Commiſſariis, & tam in Romana curia, quam etiam in partibus illis, materia quęſtionis; tandem partes ipſę, volentes anfractus litium amputare, ac parcere laboribus, & expenſis, inter ſe ad quandam amicabilem compoſitionem, ſeu concordiam, devenerunt, necnon pactum, & conventionem fecerunt, videlicet, quod Prior & Fratres prędicti ex tunc, & in perpetuo darent, ac dare tenerentur, Rectoribus, Vicariis, & Curatis prędictis, qui tunc erant, eorumque ſucceſſoribus, nomine Eccleſiarum Parochialium prędictarum, omni exceptione remota, Quartam partem, ſeu canonicam portionem, de omnibus, & ſingulis, quę ipſis Priori & Fratribus offerrentur in die Sepulturę cujuslibet funeris, utpote de cera, pane, vino, pecunia, panno, lineo, laneo, aureo, ſeu ſerico, quomodocunque darentur, ſeu offerrentur Fratribus ante dictis, & ipſi illa reciperent ratione funeris, ſive teſtamenti, ſive a teſtatoribus, ſive ab amicis ſuper Corpus ponerentur, vel darentur, & quod idem, de Equis (4) Militum, ſeu Nobilium, pro tempore decedentium intelligeretur, quodque Prior & Fratres prędicti de his, quę in Anniverſario poſt ſepulturam immediate ſequenti offerrentur, videlicet cera, pane, vino, & pecuniis, darent Quartam eiſdem Rectoribus, Vicariis & Curatis, ſine aliqua fraude; pro omnibus vero aliis legatis, tam pręteritis, quam futuris, & tam particularibus, quam communibus, Fratrum, & tam perpetuis, quam temporalibus, ac

pro

Supplex petitio.

Digitized by Google

pro omnibus aliis juribus in particulari, ſeu Conventuali, eiſdem Fratribus pertinentibus, ipſi Prior & Fratres in prędictorum compenſationem darent, & aſſignarent, ac dare, aſſignare, & tradere tenerentur pręfatis Rectoribus, & Vicariis perpetuis dictarum Eccleſiarum quadraginta libras monetę regalium Valentin. cenſuales, rendales (5), & perpetuas de illis, quas iidem Prior & Fratres infra dictam Civitatem, vel ejus hortum, tunc percipiebant, & percipere conſueverant, inter Vicarios, & Rectores eoſdem, prout ipſis videretur, dividendas, ita quod pręmiſſa omnia, ſic concordata, deberent per Epiſcopum & Capitulum Valentin. ratificari, & approbari, & auctoritate Apoſtolica confirmari, prout in quodam Inſtrumento publico, inde confecto, pręmiſſa, & alia dicuntur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, bonę memorię Jacobus Epiſcopus Valentin. compoſitionem, ſeu concordiam, ac pactum, ſeu conventionem hujuſmodi auctoritate ordinaria approbaverit, & etiam ratificaverit, ac illis auctoritatem ſuam interpoſuerit, & decretum; iidemque Prior, & Fratres pro reali obſervatione compoſitionis, & concordię, ac pacti, ſeu conventionis prędictorum, quadraginta libras dictę monetę cenſuales, rendales & perpetuas, hujuſmodi pręfatis Rectoribus, & Vicariis, realiter dederint, & aſſignaverint, & tradiderint, ac ex tunc hujuſmodi compoſitio, ſeu concordia, ac pactum, ſeu conventio inter eos, ac Rectores, & Vicarios ante dictos, fuerint firmiter obſervata, & obſerventur etiam de pręſenti, pro parte ipſorum Prioris & Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut compoſitioni, ſeu concordię, ac pacto, ſeu conventioni, prędictis, pro earum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui libenter in pacis obſervantia delectamur, ac univerſis Chriſti fidelibus, prout Nobis eſt poſſibile, pacis, & quietis commoda paramus, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, vocatis Rectoribus, & Vicariis ſupradictis, & aliis, qui fuerint evocandi, de pręmiſſis omnibus auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi, ita eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, compoſitionem, & concordiam, ac pactum, ſeu conventionem hujuſmodi, eadem auctoritate approbes, ratifices, & confirmes. Non obſtantibus Apoſtolicis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis Conſtitutionibus, ac majoris Eccleſię Valentin., & Ordinis Prędicatorum, ſtatutis, & conſuetudinibus, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, cęteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum XI Kalend. Apilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Valentinos.*) In *Hiſpania.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.* 133.
3. *Provincia Tarraconen.*) Eſt enim *Valentia* in *Hiſpania Tarraconenſi.*
4. *Equis.*) Nota morem. In *Galliis* non *equus*, ſed *enſis* offertur.
5. *Rendales.*) Idem ac *Annales*, ſeu proventum annuum importantes.

F. Jacobus Guiſthardi Pœnitentiarius Avenionenſis creatur.

Anno 1423 Die 23 Martii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Jacobo Guiſthardi Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in ſacra pagina Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dilectorum filiorum Syndicorum, Concilii, & Communis Univerſitatis, incolarumque & habitatorum Civitatis Avinionen., necnon Comitatus Venayſſini, ad Nos & Romanam Eccleſiam pleno jure pertinentium, fidei conſtantis probata ſinceritas, ac ſingularis devotionis integritas, quibus Nos, & eandem Eccleſiam reverentur, non indigne merentur, ut ea quę ipſis accommoda conſpicimus, pręſertim animarum ſalutem concernentia, eis favorabiliter concedamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte Syndicorum, Concilii, & Communis dictę Civitatis, petitio continebat, quod poſt receſſum Romanę Curię ab eadem Civitate in ea unus ex minoribus Sedis Apoſtolicę Pęnitentiariis, aut alius idoneus minorum Pęnitentiariorum in ipſa Curia reſidentium, ab eadem Sede poteſtatem habens pro ſuis, necnon tam aliorum incolarum, & habitatorum ejuſdem Civitatis, quam Comitatus prędictorum, Confeſſionibus audiendis, & pęnitentiis ſalutaribus, pro commiſſis injungendis, reſidere conſuevit, quodque quondam Petrus Reverſat Ordinis Fratrum Minorum profeſſor, dictę Sedis Pęnitentiarius, in eadem Civitate propterea reſidens, nuper, ſicut Domino placuit, ab hac luce emigraverit, quare cum nunc ipſa Civitas Pęnitentiario, aut poteſtatem hujuſmodi habente, careat, pro parte Syndicorum, Concilii & Communis prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus, ne ipſi, incolęque habitatores Civitatis, & Comitatus prędictorum propterea fatigentur laboribus, & expenſis in veniendo huc ad eandem Curiam, eis ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui ſalutem quęrimus animarum, & illorum pręſertim, qui Nobis ſpiritualiter & temporaliter ſubſunt, quieti, quantum cum Deo poſſumus, ſummis affectibus providere cupientes, ac de tuis literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſufficientia, aliiſque probitatis, & virtutum meritis, ſuper quibus apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, confidentes, ſupplicationibus hujuſmodi inclinati diſcretioni tuę, ut Syndicorum, Concilii, & Communis, ac quorumlibet aliorum Civitatis & Comitatus prędictorum incolarum, & habitatorum utriuſque ſexus, pręſentium, & futurorum tibi confiteri volentium, confeſſiones, etiam in caſibus in quibus noſtri minores Pęnitentiarii in dicta Curia reſidentes audire, & abſolvere poſſint, audiendi, & pro commiſſis eis, & cuilibet ipſorum pęnitentias ſalutares, prout tibi videbitur, etiam in dictis caſibus injungendi, & eos abſolvendi, ac alias Pęnitentiariorum hujuſmodi officium quoad Syndicos, Concilium, Commune, inco-

Supplex Avenionenſium petitio.

Pœnitentiarius conſtituitur.

incolas & habitatores prędictos, communiter, & diviſim in eadem Civitate, uſque ad noſtrum beneplacitum gerendi, & exercendi, conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ſtatutis, & conſuetudinibus, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque, plenam & liberam concedimus tenore pręſentium facultatem. Volumus autem, quod antequam pręſentibus uti incipias, quod tibi per ipſas commiſſa fideliter & diligenter exequeris & ab illicitis quibuſcunque abſtinebis, & alias debitę fidelitatis, in manibus venerabilis Fratris noſtri Franciſci (2) Archiepiſcopi Narbonen., Camerarii noſtri, & in Civitate & Comitatu prędictis in temporalibus pro Nobis & dicta Eccleſia Vicarii Generalis, pręſtes corporaliter juramentum. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis & voluntatis infringere. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum X Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.* 195.

2. *Franciſci.*) De quo *Sammarthani in Archiep. Narbonen.*

Anno 1423 Die 25 Martii.

Annona, Fratribus S. Sabinæ de Urbe erogata, omni tributo (1) libera declaratur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Priori, & Fratribus Domus Sanctę Sabinę de Monte Aventino de Urbe, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Sacrę Religionis, ſub qua mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum redditis Domino in humilitatis ſpiritu famulatum, promeretur honeſtas, ut votis veſtris, illis pręſertim, per quę veſtris commodo, & tranquillitati conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. *Supplex petitio.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte veſtra petitio continebat, quod cum vos de puris eleemoſynis, quę vobis a Chriſti fidelibus tam in Urbe, quam extra eam, moram trahentibus pro tempore largiuntur, vixeritis, & vivatis, & plerumque contingat, quod nonnulli ex fidelibus hujuſmodi extra prędictam Urbem, ut pręmittitur, habitantes, vinum, bladum (3), farinam, oleum, caſeos, piſces. & alia diverſa, ad uſum, & ſuſtentationem veſtros neceſſaria in eleemoſynam, ob Chriſti, ſuique nominis reverentiam, mittere conſueverint, de quibus Chriſti fideles ad ſolutionem gabellę, & pedagii, ac introitus portarum Urbis prędictę, per gabellanos, & alios officiales, necnon cuſtodes portarum ipſius Urbis, ad hoc deputatos eſſe aſſerentes, compelluntur; propter quod fideles Chriſti eorum bonam voluntatem adimplere, & vobis eleemoſynas hujuſmodi, ſine magno damno, & gravamine diſtribuere non volentes, ab hujuſmodi eleemoſynis & piis largitionibus refrigeſcunt, & ad eas vobis miniſtrandum omnino detrahuntur, pro parte veſtra extitit Nobis humiliter ſupplicatum, ut cum ex pręmiſſis penuriam & indigentiam non mediocres ſuſtinere vos oporteat, ſuper hoc vobis, & ſucceſſoribus veſtris, opportune providere, paterna diligentia curaremus. *Exemptio.* Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, vos, necnon Succeſſores veſtros hujuſmodi, a ſolutione Datii gabellę, ſeu pedagii, introitus portarum, & alterius oneris cujuſcunque, ratione vini, bladi, & aliorum quorumcunque, pro uſu, & ſuſtentatione veſtris, ut pręfertur, neceſſariorum, duntaxat, quę vobis a fidelibus ipſis largientur, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium prorſus eximimus, abſolvimus, & totaliter liberamus, voſque, & ſucceſſores prędictos exemptos, & liberos eſſe volumus penitus, & immunes; mandantes nihilominus eiſdem gabellanis, officialibus, & cuſtodibus, & quibuſvis aliis, ne contra abſolutionem, exemptionem, liberationem, & voluntatem hujuſmodi aliquid attentare pręſumant, per ſe, vel alios, quovis modo, ſed facta eis per vos, & ſucceſſores prędictos fide, quod talia vobis in eleemoſynam largiantur fideles, ipſos vobis pręmiſſa, pro uſu veſtro duntaxat, portantes, abſque datii, gabellę, ſeu introitus portarum, vel alterius oneris cujuſcunque libere tranſire permittant. *Clauſula derogans.* In contrarium editis non obſtantibus quibuſcunque. *Sanctio pœnalis.* Nulli ergo &c. Noſtrę exemptionis, abſolutionis, liberationis, mandati, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum VIII Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Tributo.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. X.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.* 123.

3. *Bladum.*) Frumentum ſcilicet.

Anno 1323 Die 27 Martii.

Rogatu Fratris Johannis Crucelli Sacellum Parochiale conſtituit in loco de Braſſiliaco (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano Eccleſię Beatę Marię Lętę de Anneſſiaco (3), Gebennen (4) Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Humilibus, & honeſtis ſupplicum votis, illis pręſertim, quę Divini cultus augmentum reſpiciunt, & per quę animarum periculis obviatur, libenter annuimus, & favorem Apoſtolicum impartimur. *Supplex petitio.* Sane petitio, pro parte dilectorum filiorum Johannis Crucelli Ordinis Fratrum Prędicatorum, & in Theologia profeſſoris, Pœnitentiarii noſtri, necnon univerſorum habitatorum, & incolarum loci de Braſſiliaco, Gebennen. Diœceſis, Nobis exhibita, continebat, quod locus ipſe ab Eccleſia Parochiali Prioratus de Foyliaco Ordinis Sancti Auguſtini, dictę Diœceſis, infra cujus limites dictus locus conſiſtit, & ipſi habi-

habitatores, & incolę parochiani prędictę Eccleſię exiſtere dignoſcuntur, adeo diſtat, quod aliqui ex habitatoribus, & incolis ipſis propter hujuſmodi diſtantiam ſine Sacramentis eccleſiaſticis, & aliqui infantes abſque Baptiſmate deceſſerunt, & unus laicus de dicto loco, neceſſitate cogente, cum preſentia Prioris, & Vicarii, ſeu Curati dictę Eccleſię haberi non poterat, confeſſionem ſui filii legitimi, conſtituti in articulo mortis, audivit. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Johannes, necnon habitatores, & incolę prędicti, cupientes periculis hujuſmodi obviare, de bonis eis a Deo collatis unam Capellam, in qua Miſſas, & alia divina officia audire, & hujuſmodi Sacramenta recipere valeant, cum campanili, campana, cęmeterio, fontibus baptiſmalibus, & aliis Parochialibus inſigniis, ad Parochialem Eccleſiam ſpectantibus, in loco ad hoc congruo, & honeſto conſtruere & ędificare proponant, quę quidem Capella dictę Eccleſię parochiali de Poyſiaco filialis, & ſubjecta exiſtat, necnon Prior dicti Prioratus, & Vicarius, ſeu Curatus dictę Eccleſię, decimas, & oblationes, & quęcunque alia jura parochialia, ad eandem Capellam pro tempore obvenientia, habeant, & percipiant, ac de Sacerdote idoneo, qui in dicta Capella diebus Dominicis, & feſtivis Miſſam celebrare, & quoties opportunum fuerit, habitatoribus prędictis Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, cui quidem Sacerdoti habitatores, & incolę prędicti de competenti ſalario providere teneantur (5), pro parte Johannis, habitatorum, & incolarum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis faciendi pręmiſſa, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui hujuſmodi periculis, quantum poſſumus, obviamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, vocatis, qui fuerint evocandi, Johanni, habitatoribus, & incolis prędictis Capellam cum campanili, campana, cęmeterio, fontibus baptiſmalibus, & aliis parochialibus inſigniis hujuſmodi, auctoritate Apoſtolica, conſtruendi, & ędificandi, ita quod dicta Capella filialis, & ſubjecta ſit Prioratui, & Parochiali Eccleſię ſupradictę, ac Prior, & Vicarius, ſeu Curatus prędicti pro tempore exiſtentes, decimas, oblationes, & quęcunque alia jura Parochialia ad hujuſmodi Capellam pro tempore obvenientia, habeant, & percipiant, necnon de Sacerdote idoneo, qui in dicta Capella diebus Dominicis, & feſtivis Miſſam celebrare, & quoties opus fuerit, habitantibus & incolis dicti loci Sacramenta Eccleſiaſtica miniſtrare, ipſique habitatores, & incolę prędicto Sacerdoti de ſalario competenti providere teneantur, & in caſu, quo Prior, & Vicarius, ſeu Curatus prędicti, in pręmiſſis remiſſi fuerint, ſeu etiam negligentes, prędicti habitatores Venerabilem Fratrem noſtrum Epiſcopum Gebennen., qui ſuper pręmiſſis opportune provideat, adire poſſint, juribus Prioris, & Vicarii, ſeu Curati prędictorum, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvis, Diœceſan. loci, & alterius cujuſcunque licentia ſuper his minime requiſita, auctoritate prędicta, licentiam largiaris. Volumus autem, quod ſi aliqui Religioſi ſupradicti Ordinis, aut alii Sacerdotes, ad dictum locum declinantes, in dicta Capella celebrare voluerint, petita, & obtenta licentia, a cuſtodibus ejuſdem in eadem Capella celebrare libere permittantur, conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Conceſſio.

1. *Braſſiliaco*.) In *Sabaudia*.
2. *Archivo*.) In quo exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXVII fol.*143.
3. *Anneſſiaco*.) Seu *Anneclacenſis*; *Annecy*, in *Sabaudia*.
4. *Gebennen.*) *Genevra*.
5. *Teneantur*.) Nonnulla deſunt.

Ut F. Johannes de Caſanova (1) Subſtituto uti valeat ad obeundum munus Magiſtri Scholarum Sacri Palatii.

Anno 1423 Die 5 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Magiſtro Johanni de Caſanova, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Magiſtro in Theologia, Capellano noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

GRata devotionis obſequia, quibus apud Nos, & Apoſtolicam Sedem, hactenus claruiſti, ac clarere adhuc ſolicitis ſtudiis non deſiſtis, merito Nos inducunt, ut ad ea, quę tui commodi, & honoris incrementa reſpiciunt, favorabiliter intendamus. Cum itaque tu, qui in Palatio Apoſtolico Sacrę Theologię Scholarum Magiſter exiſtis, obſequiis cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi (3) Regis Aragonum Illuſtris, cujus confeſſor exiſtis, de licentia, & beneplacito inſiſtas; Nos, volentes te ſpecialis favoris gratia proſequi in hac parte, tuis ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica auctoritate concedimus, quod tu quandiu hujuſmodi ejuſdem Regis obſequiis inſtiteris, officium Magiſtri Scholarum prędictarum per Subſtitutum idoneum gubernari facere, ac ipſius officii emolumenta libere, & licite percipere valeas, & habere cum omnibus, & ſingulis privilegiis, prerogativis, honoribus, & libertatibus conſuetis. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum III Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Conceſſio.

1. *Johannes de Caſanova*. De quo in *Appendice ad praeſentem Pontificatum*. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an.MCCCCXXXVI pag.*791.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVII fol.*143.
3. *Alfonſi*.) Hujus nominis *V.*

Ne

Anno 1423 Die 17 Maii.

Ne qui ſtudiorum curriculum non confecerint, & per quadriennium non docuerint Magiſterii lauream (1) in Aragonia conſequantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

INter ceteros tam Mendicantium, quam aliorum, divinis laudibus deditorum, profeſſorumque, Re-
Exordium a laude Ordinis. ligiones, & Ordines, quibus Nos prętulit benigna clementia Salvatoris, venerabilem Fratrum Pre-
dicatorum Ordinem favoris pręrogativa conſpicimus, & amoris proſequimur privilegio ſingularis, circa
illum, ejuſque profeſſores ſolicitę conſiderationis intuitum dirigentes, ut pacifici ſtatus, & proſperita-
tis plenitudine gratuletur, divini cultus in illo exercitium floreat, & profeſſorum theologicę diſciplinę
polleat honeſtate, ut quemadmodum ſalutaris doctrinę ſplendoribus in agro Dominico clarere dignoſci-
Supplex petitio. tur, ſic decore virtutum, & ſanctitatis glorioſis operibus illorum, qui poſt longos ſuorum ſtudiorum la-
bores in eadem theologia digne gradum Magiſterii meruerint, in domo Domini glorietur. Sane pro par-
te cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi Regis Aragonum Illuſtris Nobis nuper exhibita petitio conti-
nebat, quod in Provincia Aragonię nonnulli Fratres, prędicti Ordinis profeſſores, in Generalibus ſtudiis
curſibus eorum non ſolum non expletis, verum etiam nedum inchoatis & penitus ignorantes, quadam
elatione ſpiritus inflati, auctoritate literarum Sedis Apoſtolicę, vel Legatorum ejuſdem, ſeu vigore fa-
cultatum diverſis perſonis ab eadem Sede de Magiſtrandis aliquibus conceſſarum, ad Gradum hujuſmodi
ſunt promoti, propter quę multiplicatio Magiſtrorum dicti Ordinis in eadem Provincia adeo excrevit,
Mandatum. quod magna, ac gravia affert vilipendium, damnum, & incommoda Religioni ejuſdem Ordinis, ac dig-
nitati theologicę facultatis, quia multi pręmiſſorum occaſione ſe retrahunt a ſtudio, & labore, nec in
eadem theologia curant, ut deceret, perficere curſus ſuos, ut digne mereantur in illa Gradum ejuſdem
Magiſterii, tanquam benemeriti, obtinere. Quare pro parte ejuſdem Regis Nobis fuit humiliter ſup-
plicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupien-
tes, ut digni duntaxat dicti Ordinis profeſſores, qui perfecerint in aliquo ex Generalibus ſtudiis curſus
ſuos, ſecundum regularia inſtituta dicti Ordinis, Gradum hujuſmodi Magiſterii, ac ſuorum laborum
meritum, ac pręmium conſequantur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, hac noſtra Conſtitutione
irrefragabili, perpetuo duratura, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, atque decer-
nimus, quod nullus deinceps ex Fratribus Ordinis & Provincię prędictorum, niſi prius in aliquo Ro-
Nota Univerſitates delectas. manę Curię, Pariſien., Bononien., Oxonen., vel Salamantin. (3), Studiorum, per quadriennium theo-
logiam legerit, ibique curſus, & actus ſuos ſcholaſticos conſuetos compleverit, & deinde poſt diligen-
tem, & rigoroſam examinationem Magiſtrorum in eadem theologia, ſuper hoc in ipſis ſtudiis deputa-
torum, vel deputandorum, ad gradum hujuſmodi Magiſterii obtinendum ſufficiens, & idoneus reper-
tus fuerit, quavis etiam auctoritate literarum dictę Sedis, aut Legatorum ejuſdem, ad ipſum Magiſ-
terii, vel Licentię gradum, in eadem theologia abſque ſpeciali prędictę Sedis licentia, vel indulto, fa-
ciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de Conſtitutione hujuſmodi in ſuis literis mentio-
Clauſula derogans. nem, per aliquem de cetero valeat promoveri quomodolibet, vel aſſumi. Non obſtantibus literis, & pri-
vilegiis Apoſtolicis, quibusvis perſonis, cujuſcunque ſtatus, gradus, Ordinis, vel religionis, exiſtant,
ab eadem Sede ſub quacunque verborum forma, conceſſis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis,
etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia vallatis, ceteriſque in con-
Decretum irritans. trarium editis, aut aliter diſponentibus quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus & inane,
ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli
ergo &c. noſtri ſtatuti, & Conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum
XVI Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Lauream.*) Conſule *Tractatum de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.179.*
3. *Salamantin.*) *Salmanticen.*, in *Hiſpania*.

Anno 1423 Die 17 Maii.

Ortenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Barchinonen. Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. HUmilibus ſupplicum votis, illis pręſertim, per quę perſonarum religioſarum neceſſitatibus ſub-
venitur, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Sane pro parte cariſſimi
in Chriſto filii noſtri Alfonſi Regis Aragonum Illuſtris, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod
olim quondam Bertrandus Nicolai, Civis Barchinonen., de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena
Supplex petitio. in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, quandam turrim, ſive Domum, S. Ma-
rię de Orto communiter nuncupatam, prope Civitatem Barchinonen. conſiſtentem, cum quibuſdam
juribus, poſſeſſionibus, & pertinentiis pręfatę turri adjunctis, de bonis ſibi a Deo collatis, emptionis
titulo acquiſivit, ipſamque turrim, ſive Domum, cum poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis ſupradictis,
pro uſu, & habitatione, ſive Conventu Ordinis Fratrum Prędicatorum illic inſtituendo, quos Priori, &
Fratribus Domus Fratrum ejuſdem Ordinis Barchinonen., eorumque curę, & regimini, & correctioni
ſub-

ſubeſſe voluit, eiſdem prędicta largitione conceſſit, atque donavit irrevocabiliter inter vivos, prout in quodam publico Inſtrumento, deſuper confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfati Prior, & Fratres, conceſſionis, & donationis earundem vigore, poſſeſſionem turris, ſive Domus, juriumque, & poſſeſſionum hujuſmodi, etiam dicto Bertrando adhuc in humanis agente, fuerint aſſecuti, illamque teneant, & poſſideant pacifice de pręſenti; pro parte dicti Regis Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut, ne contingat, pręfatos Priorem, & Fratres ſuper conceſſione, & donatione prędictis per aliquos in poſterum moleſtari, hujuſmodi conceſſioni, donationi, & Inſtrumento, pro ipſorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, certam notitiam non habentes de pręmiſſis hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, conceſſionem, donationem, & inſtrumentum prędicta, omniaque in eo contenta, & quęcunque inde ſecuta, prout rite & rationabiliter proceſſerunt, auctoritate noſtra approbes, & confirmes, & ſuppleas illos defectus, qui ob ſolemnitates omiſſas, quę a jure in ſimilibus requiruntur, intervenerint in eiſdem, Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia vallatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud S. Petrum XVI Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Facultas. — Clauſula derogans.

1. *Ortenſis.*) In *Catalonia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXV fol. 179.*

In Viterbienſes Fratribus moleſtias exhibentes.

Anno 1423 Die 27 Maii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Montisflaſconis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Conqueſti ſunt Nobis Prior, & Fratres domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Sanctę Marię ad Gradus Viterbien., quibus, ut aſſerunt, licet habere (2) proprium in communi, ex indulto Sedis Apoſtolicę ſpeciali, cui non eſt in aliquo derogatum, quod Angelus Zucii, Johannes de Caprinis, Stephanus Maccellarius, & Bartholomęus Johannis, dictus Bardorius, Cives Viterbienſes, ac quidam alii Clerici, & Laici Civitatis, & Dięceſis Viterbien., ſuper quibuſdam hoſpitale pauperum, Domus Dei nuncupato, in quo Fratres aliqui aſſiſtunt prope Eccleſiam Sanctę Marię ad Gradus Viterbien. ſito, domibus, apothecis, agris, Vineis, terris, poſſeſſionibus, in dictis civitate, & Dięceſi conſiſtentibus, pannis ſericis, laneis, & lineis, auri, argenti, frumenti, vini, & quantitatibus pecuniarum ſummis, & rebus aliis, ipſis in eleemoſynam erogatis, injuriantur eiſdem. Cum autem dicti conquerentes, ſicut aſſerunt, potentiam dictorum injuriantium merito perhorreſcentes, eos infra civitatem, ſeu Dięceſim Viterbienſem, nequeant convenire ſecure, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, vocatis, qui fuerint evocandi, & auditis hinc inde propoſitis, quod juſtum fuerit, appellatione remota, decernas: faciens quod decreveris per cenſuram eccleſiaſticam firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Non obſtante, ſi eiſdem civibus, vel quibuſvis aliis a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod ad judicium trahi, aut ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſi, aut eorum loca, interdici non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes, plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictę Sedis indulgentia, generali, vel ſpeciali, cujuſcunque tenoris exiſtat: per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, tuę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Hujuſce Diplomatis cauſa. — Mandatum. — Clauſula derogans.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar. Autographum eſt in Cœnobio *Viterbienſi*.

2. *Licet habere.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Ut fundetur Ortenſe (1) Cœnobium, vel ejus loco Sacellum conſtituatur in Ædibus Sacris Cœnobii Barchinonenſis.

Anno 1423 Die 2 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Barchinonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Ad ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, & paterna diligentia vigilamus, quę perſonarum eccleſiaſticarum, pręſertim religioſarum, utilitates & commoda, ac divini cultus augmentum reſpicere dignoſcuntur. Sane pro parte cariſſimę in Chriſto filię noſtrę Marię Reginę Aragonum Illuſtris, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dudum quondam Bertrandus Nicolai, civis Barchinonen., dum ageret in humanis, quandam Domum beatę Marię de Orto communiter nuncupatam, prope civitatem Barchinonen. conſiſtentem, pro quodam Oratorio ibidem inſtituendo, ac uſu, & habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum, qui ſub cura atque regimine dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Barchinonen., ejuſdem Ordinis, vivere deberent, de bonis ſibi a Deo collatis, em-

Exordium. — Supplex Aragonum Reginæ petitio.

emptionis titulo, acquiſivit; ipſamque Domum, cum quibuſdam juribus, & pertinentiis ſuis eiſdem Priori, ac Conventui pia largitione conceſſit, atque donavit irrevocabiliter inter vivos; Volens inter cetera dictus Bertrandus, & expreſſe declarans, quod ſi Priorem & Conventum prędictos, occaſione donationis hujuſmodi, per quemvis in poſterum moleſtari, aut contradictionem aliquam pati contingeret, propter quam dictum Oratorium mutari, ſeu transferri oporteret, vel forſan ſi dictę donatę Domus poſſeſſio inſtitutis regularibus dicti Ordinis repugnaret, ex tunc, in altero caſuum prędictorum, liceret Priori, & Conventui ſupradictis donatam Domum hujuſmodi cum ſuis juribus & pertinentiis univerſis cuicunque perſonę illarum partium, cum qua ſuam conditionem poſſent efficere meliorem, pro illo pretio, quo invicem concordarent, libere vendere, & alienare, dummodo pretium, quod ex venditione dictę donatę Domus perciperetur, pro conſtructione, & fabrica unius Capellę infra limites, ſeu ſepta Domus Prioris & Conventus Barchinonen., conſtruendę, in qua Miſſę & alia divina officia pro remedio animę ipſius Bertrandi celebrarentur, & ponerentur cum effectu, prout in quodam publico Inſtrumento, ſuper hac donatione confecto, dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, poſſeſſio ejuſdem donatę Domus profeſſioni ipſorum Prioris, & Fratrum non congruat, ſed eiſdem obviet inſtitutis, ipſiſque nonnullas moleſtias, & incommoda, quę tempore donationis ejuſdem pręfati Prior, & Conventus non conſideraverunt, & de pręſenti, experientia docente, patiuntur, multipliciter pariat, & inducat, pro parte dictę Reginę Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eiſdem Priori, & Conventui Domum ipſam donatam, cum juribus, & pertinentiis ſupradictis vendendi, & alienandi, ac de ejus pretio Capellam cum Altari infra limites dictę Domus Barchinonen. fundandi, & conſtruendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea vera eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, pręfatis Priori, & Conventui dictam Domum donatam, cujus qualitates, valores, atque confinia, pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, cum juribus, & pertinentiis prędictis, cuicunque perſonę partium earundem, cum qua ipſi ſuam conditionem facere poterunt potiorem, & pro illo pretio, de quo invicem concordaverint, vendendi, alienandi, & concedendi, auctoritate prędicta, plenam, & liberam licentiam largiaris. Non obſtantibus felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, quibus cavetur, ne quivis Fratres Ordinum Mendicantium in quavis Civitate, Caſtro, vel Villa, loca ad habitandum de novo recipere, ſeu recepta mutare, aut eis illa pia largitione fidelium conceſſa, & donata vendere, & alienare, aut in alios transferre pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis & conſuetudinibus dicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel etiam quacunque alia firmitate vallatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque; Proviſo, quod ex hujuſmodi pretio una Capella cum Altari, & aliis neceſſariis officinis in eadem Domo Barchinonen., in qua Miſſę & alia divina officia pro ſalute animę dicti Bertrandi pro tempore celebrentur, fundetur, & conſtruatur, quodque in dicta Capella poſtquam *juxta* piam ipſius Bertrandi voluntatem, & intentionem fundata fuerit, & conſtructa, deſerviatur laudabiliter in divinis. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Nonas Junii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Conceſſio.

1. *Orten∫e.*) De quo in Diplomate *CXXV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXV fol.* 37.

Anno 1423 Die 15 Julii.

Indulgentia conceſſa viſitantibus Ædes ſacras Cœnobii Fanenſis (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentię.

CUm itaque (3), ſicut accepimus, ad Capellam B. Petri Martyris in Eccleſia S. Dominici de Fano, in Provincia noſtra Marchię Anconitan., conſiſtente, ſingularis devotionis cauſa nonnulli pro tempore confluant, Nos, cupientes, ut devotio hujuſmodi ferventius vigeat, & augeatur, ac fideles ipſi eo libentius ex cauſa pręfata ad Capellam confluant ante dictam, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de Omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, ac Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti; necnon in Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, necnon BB. Petri & Pauli Apoſtolorum, ac Sanctorum Dominici, & Petri Martyris prędictorum, necnon Dedicationis dictę Eccleſię, feſtivitatibus, & celebratione omnium Sanctorum, ac per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, & Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum Petri & Pauli prędictorum, feſtivatum octavas, & per ſex dies dictam feſtivitatem Pentecoſtes immediate ſequentes Capellam prędictam devote viſitaverint annuatim, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebrationis prędictarum, unum Annum & quadraginta dies, octavarum vero, & ſex dierum prędictorum, diebus, quibus Capellam hujuſmodi viſitaverint, ut pręfertur, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Fa-*

1. *Fanenſis*.) In *Umbria maritima*. LXXVI *fol.*297.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.*
3. *Cum itaque*.) Exordium deeſt.

Ut Achadenſe (1) Cœnobium, ipſiuſque Ædes ſacræ reædificentur, Indulgentias elargitur.

Anno 1423 Die 21 Septembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus præſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm itaque, ſicut accepimus Domus Ordinis Fratrum Prædicatorum loci de Achuerii (3), Tuamen. (4), Diœceſis, cum ſuis ædificiis, & officinis neceſſariis, ac Eccleſia illi contigua, caſuali ignis incendio lamentabiliter combuſta fuerit, & ad reparationem ejuſdem, cujus nullæ facultates ſuperſunt, Chriſti fidelium ſuffragia ſint plurimum opportuna, Nos, cupientes, ut Eccleſia prædicta congruis honoribus frequentetur, & tam ipſa quam hujuſmodi domus, decenter reparentur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, necnon ad reparationem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratiæ uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pœnitentibus, & confeſſis, qui in S. Patricii, & S. Petri ad Vincula, feſtivitatibus, Eccleſiam prædictam devote viſitaverint, & ad hujuſmodi reparationem manus porrexerint adjutrices, ut præfertur, ſingulis videlicet feſtivitatum earundem tres annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem XI Kal. Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Indulgentiæ.

1. *Achaden*.) In *Hibernia*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVI fol.*202. Exordium deſideratur.
3. *Achuerii*.) Seu *Achadenſis*, vulgo *Achonry*.
4. *Tuamen*.) Vulgo *Toam*. Archiepiſcopalis ſedes eſt *Connaciæ*, in Hibernia.

F. Pretrus (1) de Carna, Ordinis Unitorum, fit Epiſcopus Nantuanenſis.

Anno 1423 Die 13 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Carna, Electo Nantuanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem Martino Epiſcopo Nantuanen. regimini Nantuanen. Eccleſiæ præſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſiæ, cum ipſam vacare contingeret, per operationis noſtræ miniſterium utilem, & idoneam præſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſiæ ordinationi, & diſpoſitioni noſtræ duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero præfata Eccleſia per obitum dicti Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſiæ celerem, & felicem, de qua nullus præter nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longæ vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem quam de præficiendo eidem Eccleſiæ perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prædicatorum, Unitorum nuncupatorum, profeſſorem in Presbyteratus ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitæ munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos, fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtræ mentis. Quibus omibus attenta meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſiæ, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem III Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Petrus Martino ſuccedit.

1. *Petrus*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXII fol.*104.

Anno 1423 Die 13 Octobris.

Capitulo Nantuanenſis (1) Eccleſiæ de F. Petro Epiſcopo conſtituto.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXXI. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Eccleſię Nantuanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictioneu.

APoſtolatus officium &c. Quocirca diſcretioni veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eidem Electo tanquam Patri, & Paſtori animarum veſtrarum humiliter intendentes, ac exhibentes ſibi obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam, ejus ſalubria monita, & mandata ſuſcipiatis humiliter, & efficaciter adimplere curetis, alioquin ſententiam, quam idem Electus rite tulerit in rebelles, ratam habebimus, & faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romę apud S. Mariam Majorem III Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Nantuanenſis.*) De hac Eccleſia dicetur in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXII fol.*104.

Anno 1423 Die 13 Octobris.

Ut Populus Nantuanenſis morem gerat F. Petro Epiſcopo.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXXXII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Populo Civitatis, & Diœceſis Nantuanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c Quocirca univerſitatem veſtram rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica ſcripta vobis mandantes, quatenus eundem Electum tanquam Patrem, & Paſtorem animarum veſtrarum grato admittentes honore, exhibeatis eidem obedientiam, & reverentiam debitam, & devotam, ita quod ipſe in vobis devotionis filios, & vos in eo per conſequens Patrem inveniſſe benevolum gaudeatis. Datum Romę apud S. Mariam Majorem III Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXII fol.*104.

Anno 1423 Die 13 Octobris.

Ut Soltanienſis (1) Archiepiſcopus F. Petrum Nantuanenſem Epiſcopum habeat commendatum.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXXIII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Soltanien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD cumulum &c. (3). Cum igitur, ut idem Electus in commiſſa ſibi cura dictę Eccleſię facilius proficere valeat, tuus favor ei noſcatur plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus, & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus eundem Electum, & pręfatam Eccleſiam Suffraganeam tuam habens pro noſtra, & Apoſtolicę Sedis reverentia perpenſius commendatos, in ampliandis, & conſervandis juribus ſuis, ſic eos tui favoris pręſidio proſequaris, quod idem Electus in commiſſo ſibi dictę Eccleſię regimine ſe poſſit utiliter exercere, tuque divinam miſericordiam, ac noſtram, & dictę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud S. Mariam Majorem III Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Soltanienſis.*) In *Perſide*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXII fol.*104.
3. *Ad Cumulum &c.*) Exordium deeſt.

Anno 1423 Die 22 Octobris.

Bodrogenſis (1) Cœnobii Ædes Sacras viſitantibus Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXXIV. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentiæ. CUm itaque (3), ſicut accepimus, Eccleſia S. Marię Virginis Domus Fratrum Ordinis Pręedicatorum de Boroch (4), Quinque Eccleſien. (5) Diœceſis, in ejus domibus, & ędificiis ruinas minetur, ad quorum reparationem, & conſervationem Chriſti fidelium ſuffragia ſint plurimum opportuna; Nos, cupientes, ut Eccleſia congruis honoribus frequentetur, ac Domus, & ędificia hujuſmodi debite reparentur, & etiam conſerventur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem Eccleſiam, & ad hujuſmodi reparationem, & conſervationem manus promptius porrigant adjutrices, quo ex

ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię conſpexerint uberius ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in feſto Aſſumptionis ejuſdem B. Marię Virginis annis ſingulis, a primis veſperis, uſque ad ſecundas veſperas feſtivitatis ejuſdem, Eccleſiam ipſam devote viſitaverint annuatim, & ad hujuſmodi reparationem, & conſervationem manus adjutrices porrexerint, ut pręfertur, Quinque annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem XI Kalend. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Bodrogenſis.*) In *Hungaria*.
2. *Archivo*. In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXVI fol.*203.
3. *Comitaque*. Exordium deeſt.
4. *Beroch.*) *Bodrock*, latine *Bodrogenſis*. Hujuſce Cœnobii meminere *S. Antoninus*, *Plodius*, *Pazmanius*, & *Ferrarius de Rebus Hungariæ Provinciæ Parte IV Libro* Unico *Cap.II pag.*512; ab ipſis *Budruchenſis*, & *Budorachenſis*, ab oppido *Budruch*, ſive *Buderogk*, Conventus iſte nuncupatur.
5. *Quinque Eccleſien.*) Vulgo *Funſkirken*, in *Hungaria*.

F. Johannes (1) de Nardo Epiſcopus Sanctarienſis creatur.

Anno 1423 Die 27 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXXXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni de Nardo Electo Sanctarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Sanctarien. regimini Eccleſię Sanctarien. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, ac decrevimus ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturę perſolvit, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relationibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, decreto, & reſervatione obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Fratrum Ordinis Prędicatorum profeſſorem &c. direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio eidem Eccleſię auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud S. Mariam Majorem VI Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

F. Johannes Epiſcopus conſtitutus.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXII fol.*139.

Eccleſiæ Sanctarienſis Capitulo F. Johannem eidem Eccleſiæ præfectum eſſe declarat.

Anno 1423 Die 27 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXXXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Capitulo Eccleſię Sanctarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. (2). Quocirca diſcretioni veſtrę &c. (3). Datum Romę apud S. Mariam Majorem VI Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXII fol.*139.
2. *Officium &c.* Ut in præcedenti.
3. *Veſtræ &c.*) Ut in *Conſtitutione CXXXI*.

Populo Sanctarienſi de F. Johanne Epiſcopo conſtituto.

Anno 1423 Die 27 Octobris.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CXXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Populo Civitatis, & Dięceſis Sanctarien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Quocirca univerſitatem veſtram &c. (2). Datum Romę apud S. Mariam Majorem VI Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXII fol.*139.
2. *Veſtram &c.*) Ut in *Conſtitutione CXXXII*.

Anno 1423 Die 27 Octobris.

Archiepiſcopo Nichiſſienſi (1) F. Johannem Epiſcopum Sanctarienſem commendat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo, Nichiſſien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

AD Cumulum &c. Cum igitur ut idem Johannes Electus in commiſſa ſibi prędictę Eccleſię Sanctarien. cura facilius proficere valeat, tuus favor ſibi noſcatur eſſe plurimum opportunus, fraternitatem tuam rogamus, monemus, & hortamur attente, per Apoſtolica tibi ſcripta mandantes, quatenus eundem Johannem electum, & Eccleſiam Sanctarien. ſibi commiſſam, Suffraganeam (3) tuam, habens pro noſtra & ejuſdem Sedis reverentia perpenſius commendatos, in ampliandis, & conſervandis ejuſdem Sanctarien. Eccleſię juribus, ſic eum tui favoris prędidio proſequaris, quod ipſe per tuę auxilium gratię ſe poſſit in commiſſo ſibi ejuſdem Sanctarien. Eccleſię regimine utilius exercere, tuque divinam miſericordiam, & noſtram, ac ejuſdem Sedis benevolentiam valeas exinde uberius promereri. Datum Romę apud S. Mariam Majorem VI Kal. Novembris, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

1. *Nichiſſien.*) *Nicoſien.*, in Inſula *Cypri*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXII fol.* 139.
3. *Suffraganeam.*) Hanc Epiſcopalem Eccleſiam prius ſub Archiepiſcopo *Rhodienſi*, tum ſub *Parenaxienſi* fuiſſe, docet *Ferrarius*. Sed ex hoc Diplomate ad *Nicoſienſem* Metropolim pertinebat.

Anno 1423 Die 12 Decembris.

F. Johannes (1) Archiepiſcopus Soltanienſis renunciatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Electo Soltanien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ROmani Pontificis &c. Cum itaque ſicut fide dignis percepimus relatibus, Eccleſia Soltanien., cui bonę memorię Johannes Archiepiſcopus Soltanien., dum viveret, prę̨ſidebat, per ejuſdem Archiepiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam deceſſit, paſtoris ſit ſolatio deſtituta, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, ne ulterioris vacationis prę̨gravetur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de prę̨ficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & fructuoſam, intra Nos habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis fratrum Prędicatorum, Unitorum nuncupatorum, profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, quem, ut aſſeris, nonnulli ex dictis Fratribus, aſſerentes, juxta quędam privilegia Apoſtolica, deſuper conceſſa, eis id licere, poſt hujuſmodi obitum in Archiepiſcopum Soltanien. duxerunt eligendum, & cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis, Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua Nobis, ob tuorum exigentiam meritorum accepta eidem Eccleſię auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi prę̨ficimus in Archiepiſcopum & Paſtorem. Curam, & adminiſtrationem ipſius Eccleſię tibi in ſpiritualibus, & temporalibus plenarie committendo, firma ſpe, fiduciaque conceptis, quod, dirigente Domino actus tuos, prę̨fata Eccleſia per tuę circumſpectionis induſtriam, & ſtudium fructuoſum regetur utiliter ac proſpere dirigetur, grataque in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus ſuſcipiet incrementa, Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus impoſitum tibi a Domino onus regiminis dictę Eccleſię ſuſcipiens reverenter, curam, & adminiſtrationem prędictas ſic exercere ſtudeas ſolicite, fideliter, & prudenter quod dicta Eccleſia gubernatori provido, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; tuque prę̨ter ęternę retributionis prę̨mium Noſtram, & Apoſtolicę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Per hoc autem hujuſmodi privilegiis, ſi quę ſint, derogare in aliquo non intendimus, ſed illa nihilominus in ſuo volumus robore permanere. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Nota.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIII fol.* 89.

Anno 1423 Die 12 Decembris.

Inſcribit, & firmat Conſtitutionem, qua Bonifatius IX Fratrum Unitorum (1) Cœnobia ſemel tantum in anno a Fratribus Prædicatorum Ordinis viſitanda decrevit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXL.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut ſuum jus cuilibet conſervetur, ac religioſe viventibus, ut liberius, & ferventius valeant Domino famulari, Apoſtolici favoris benigna ſuffragia decet im-

impendi. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum, & preſertim unius declarationis Bonifatii PP. IX, ſic in ſua obedientia nuncupati, in Regiſtro ipſius Bonifatii Pape repertum, pro eo quod, ſicut nuper exhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum Gubernatoris, & Fratrum Ordinis, Unitorum vocati, de Armenia Majori, petitio continebat, ipſi hujuſmodi tenore indigere noſcuntur, ad eorum inſtantiam de Regiſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, ac preſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam. Creditum nobis deſuper &c (3). Nulli ergo &c. Dat. Rome apud S. Petrum IV Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo. Ceterum ut earundem literarum, & declarationis tenor &c (4). Datum Rome apud S. Petrum II Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Bonifatii IX Bulla inſcribitur, & confirmatur.

1. *Unitorum.*) De quibus in *Notis* ad *Conſtitutiones V*, & *VII Innocentii VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.* 280.
3. *Deſuper &c.*) Ut in *Diplomate dato XXVIII Aprilis MCCCXCIX* ad finem uſque.
4. *Tenor &c.*) Ut in *Conſtitutione Martini V data XXVI Octobris MCCCCXIX.*

Anno 1423 Die 12 Decembris.

Fratrum Prædicatorum, Unitorum (1) Magiſter quorumcunque Confeſſiones poſſit excipere, a reſervatis etiam Sedi Apoſtolicæ eos abſolvere, ipſiſque alia Sacramenta miniſtrare.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXLI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Joſepho Ordinis Fratrum Predicatorum, Unitorum nuncupatorum, in Armenia Majori Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Pia deſideria devotorum eo magis debemus favore proſequi, quo per eos Altiſſimi gloria & animarum ſalus ſperatur dilatari. Hinc eſt, quod Nos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut tu, tuique Succeſſores Magiſtri Ordinis Fratrum Predicatorum, Unitorum nuncupatorum, in Armenia Majori, qui erunt pro tempore, uſque ad viginti annos a data preſentium computandos, Confeſſiones, quorumcunque Chriſticolarum in hujuſmodi Armenia, ac Provincia Soltanien. exiſtentium, necnon etiam quorumvis aliorum ad Chriſti fidem ſe converti; tibique, & eiſdem ſucceſſoribus ſua peccata ſponte confiteri volentium, audire, ac ipſorum confeſſionibus diligenter auditis eis pro commiſſis, etiam in caſibus Sedi Apoſtolice reſervatis, debitam abſolutionem impendere, & injungere penitentiam ſalutarem, ipſiſque etiam abſque juris alieni prejudicio quecunque eccleſiaſtica ſacramenta miniſtrare libere, & licite valeatis, fel. rec. Clementis Pape V, Predeceſſoris noſtri; & quibuslibet aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, tibi & eiſdem ſucceſſoribus auctoritate Apoſtolica, tenore preſentium, indulgemus. Nulli ergo &c. Dat. Rome apud S. Petrum II Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Conceſſio.

1. *Unitorum.*) De quibus in *Notis* ad *Conſtitutiones V*, & *VII Innocentii VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIX fol.* 16.

Anno 1424 Die 2 Januarii.

Literas (1), quibus Hiſpaniæ Provinciam diviſerat, reſcindit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXLII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

Romani Pontificis providentia circumſpecta nonnunquam geſta per eum juſtis, & rationabilibus cauſis revocat, & annullat, prout, rerum, perſonarum, & temporum qualitate penſata, in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Ludovici de Valleoleti (3), Ordinis Fratrum Predicatorum profeſſoris, Prioris Provincialis Provincie Hiſpanie, ſecundum morem dicti Ordinis, Nobis expoſito, quod poſtquam ipſe per dilectos filios Priores Conventuales, & Fratres de more prefati Ordinis in Priorem Provincialem predicte Provincie canonice electus, & confirmatus fuerat, ac officium Provincialatus hujuſmodi aliquandiu exercuerat, pro eo, quod ipſe una cum Prioribus Conventualibus, Magiſtris, & aliis ejuſdem Ordinis profeſſoribus in Provinciali Capitulo Hiſpali (4) congregatis ab his que gerebat, & mandabat eis dilectus filius Leonardus (5) de Florentia dicti Ordinis, ac ſacre pagine profeſſor, & ejuſdem Ordinis Generalis Magiſter, ad Sedem predictam appellaverat, prefatum Ludovicum ab ejus officio, & illius exercitio abſolverat, & depoſuerat ab eodem, & deinde prefatus Generalis ex ſpeciali noſtra conceſſione ipſum Ludovicum ad ipſum officium, ac alias in ſtatum priſtinum, in quo erat antequam abſolutio, & depoſitio predicte fierent, auctoritate noſtra reſtituerat, atque repoſuerat, & nihilominus predictam Hiſpanie in duas Provincias ſeparaverat, atque diviſerat, ſtatuens, & ordinans quod Conventus Fratrum, & Monaſteria Sororum, qui tunc erant, & eſſent pro tempore in Regno Caſtelle, in Extrematura (6), in Aſturiis (7) de Santillana & Sancti Anderii, ac Viſchaya (8), in Luſitania, & Frontaria, ſive Vandaliis (9), Provinciam Hiſpanie conſtituerent & ad eandem pleno jure pertinerent, Conventus vero Fratrum, & Monaſteria Sororum, que in Regno Legionis (10), & Galetie (11), & in Aſturiis (12) de Oveto conſiſtunt, Provinciam facerent, que Provincia Sancti Jacobi perpetuo cenſeretur exiſtere, & ſic deberet ab omnibus futuris temporibus nuncupari, in qua prefatus Generalis novum Vicarium inſtitueret, qui ipſam Provinciam Sancti Jacobi, donec de Priore Provinciali provi-

Hujuſce Diplomatis cauſa.

proviſum eſſet, proſpere gubernaret, mandans inſuper, & injungens dictis Conventualibus Prioribus, & Fratribus ejuſdem Provincię Sancti Jacobi, poſtquam illam diviſerat, quod ſibi aliquem probum virum Religioſum dicti Ordinis profeſſorem juxta ejuſdem Ordinis regularia inſtituta in Priorem Provincialem eligerent, qui Priores Conventuales tanquam de diviſione prędicta non contenti uſque tunc hujuſmodi electionem facere diſtulerant, ac neglexerant, & deinde pro parte ejuſdem Ludovici Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi diviſionem, ſeparationem, ordinationem, ſtatutum, & literas ejuſdem Generalis, ſuper pręmiſſis confectas, confirmare dignaremur. Nos, tunc exiſtimantes, diviſionem, & ſeparationem prędictas pro ſtatu proſpero, & tranquillo Conventuum, Monaſteriorum, Priorum, & Ordinis, prędictorum, factas eſſe, diviſionem, ſeparationem, ordinationem, ſtatutum, & literas hujuſmodi, & omnia in eis contenta, & quęcunque inde ſecuta, & per ipſum Generalem circa diviſionem ipſarum Provinciarum alias rite geſta, & ordinata per alias noſtras literas (13) confirmavimus, & ſupplevimus omnes defectus, ſi qui forſan intervenerant in eiſdem, mandantes ex tunc inter cetera eiſdem Prioribus Conventualibus, & aliis electoribus Provincię Sancti Jacobi, ut infra tres menſes a die habitę notitię literarum noſtrarum computandos, aliquem probum dicti Ordinis profeſſorem in eorum, & dictę Provincię Sancti Jacobi Provincialem Priorem, juxta inſtituta, & morem dicti Ordinis, eligere tenerentur, quod ſi id infra eoſdem menſes agere contemnerent, ex tunc electionem ipſam pro ea vice dumtaxat de perſona utili & idonea faciendam, ad ipſum Generalem legitime decrevimus pertinere, prout in dictis noſtris literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte pręfati Generalis, necnon dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum dicti Ordinis profeſſorum, in dicta Provincia Hiſpanię conſtitutorum, petitio continebat, ſeparatio, & diviſio dictę Provincię, de quibus pene omnes illius Conventus ſunt male contenti, inter Fratres, & profeſſores Ordinis, & Provincię prędictorum, noxias novitates, ſcandala, diſſenſiones, & diſcordias parturiant, & de gravioribus malorum, & contentionum fomentis in poſterum veriſimiliter formidetur, pręſertim ex eo, quia ex illis expenſarum onera ſolito graviora ſubire, &, hujuſmodi ſtante diviſione, quamlibet illius partem ſeorſum, ac de per ſe ſumptus, & labores Capitulorum Generalium ſuſtinere, & ad illa ſuos Fratres deſtinare, Provinciali quoque partis ſuę expenſas, & alia vitę neceſſaria miniſtrare, necnon Priori Ordinis debitam proviſionem impendere oporteret, in quorum onerum ſupportationem tota Provincia ad hęc concurrens ante ſeparationem hujuſmodi nimium gravabatur, & nunc multo fortius gravaretur, & quia Fratres unius non admitterentur per Fratres alterius Provincię ad Scholaſtica exercitia in Generali ſtudio Salamantin. (4), quod in altera dictarum Provinciarum conſiſtit, & propterea tolleretur ipſis Fratribus inibi ſtudendi facultas, & acquirendi ſcientię margaritam, a quibus etiam ſeparatione, & diviſione Fratres & profeſſores prędicti, illis diſſentientes omnino, ad Sedem ipſam appellarunt; quare pro parte Generalis, Priorum, & Fratrum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro ipſorum tranquillo ſtatu, & pace, ſeparationem, & diviſionem prędictas caſſare, & revocare, & annullare, ipſamque Provinciam Hiſpanię reunire, & integrare, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionum omnium, & perſonarum Religioſarum in illis vacantium ſtudio pię vitę ſtatum reddi pacificum, & quietum ſupremis deſideriis affectamus, ac hujuſmodi ſcandalis, diſſenſionibus, & diſcordiis, quantum cum Deo poſſumus, obviamus, de pręmiſſis omnibus habentes notitiam pleniorem, cum Nobis conſtet, ſeparationem, & diviſionem prędictas cedere ad ipſorum, Priorum & Fratrum, ac Conventuum prędictorum prejudicium, & gravamen, ſeparationem & diviſionem, ordinationem, & literas dicti Generalis, ac confirmationem noſtram hujuſmodi, & alia circa diviſionem ipſarum Provinciarum ſuper pręmiſſis geſta, & ordinata, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore pręſentium, revocamus, caſſamus, irritamus, & annullamus, nulliuſque efficacię roboris, vel momenti exiſtere, auctoritate prędicta decernimus. & etiam declaramus, ac pręfatas literas proinde haberi volumus & cenſeri, quoad ſeparationem, & diviſionem hujuſmodi duntaxat, ac ſi a Nobis, & eodem Generali nullatenus emanaſſent; Et nihilominus ipſam Provinciam Hiſpanię eadem auctoritate reunimus, & redintegramus, & alias in ſtatum priſtinum, in quo erat antequam diviſio, & ſeparatio prędictę fierent, reſtituimus, & reponimus per pręſentes. Non obſtantibus pręfatis literis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis quorumcunque tenorum exiſtant, etiam ſi de eis, & eorum totis tenoribus, ac de verbo ad verbum in pręſentibus Noſtris literis habenda foret mentio ſpecialis, ceteriſque gratiis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo &c. Noſtrę revocationis, voluntatis, renunciationis, redintegrationis, reſtitutionis, & repoſitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum IV Nonas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Reſciſio.

Clauſula derogans.

Decretum irritans.

Sanctio pœnalis.

1. *Literas.*) *Datas V Februarii MCCCCXVIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol. 60.*
3. *Ludovici de Valleoleti.*) De quo Scriptores, quos laudat, & excipit *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXXVI pag. 789.*
4. *Hiſpali.*) Vulgo *Sevilla*. Urbs eſt *Hiſpania Batica*.
5. *Leonardus.*) *De Florentia* nuncupatus a patria. Vulgo *De Datis* appellatur e *Datorum* perantiqua progenie. *Leonardus Statii*, ex patris nomine a nonnullis vocatur. Adeas *Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCCXIV pag. 755.*
6. *Extrematura.*) Provincia eſt *Hiſpania*, in Regno *Portugallia*.
7. *Aſturiis.*) Ut in *Annotatione V ad Diploma datum V Februarii MCCCCXVIII*.
8. *Viſchava.*) Ibidem *Annotatione IV.*
9. *Vandalia.*) *Vandalitia*, vulgo *Andaluzia*. Regnum eſt *Hiſpania*, ubi alias *Batica*.
10. *Legionis.*) Vulgo *Leon*. Pars eſt Hiſpaniæ.
11. *Saletia.*) Sic Amanuenſis. Legendum, *Galacia*, vulgo *Galizia*, in *Hiſpania*.
12. *Aſturiis.*) Ut in *Nota VII.*
13. *Literas.*) De quibus *Annotatione I.*
14. *Salamantin.*) Vulgo *Salamanca*, in *Hiſpania*.

Indul-

Indulgentiis donat viſitantes Ædes ſacras Cœnobii Caſſenſis (1).

Anno 1424 Die 4 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXLIII.

Licet is &c (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia S. Nicolai Caſſen. a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad conſervationem ipſius manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in feſtivitate Sancti Mathęi eandem Eccleſiam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem manus porrexerint adjutrices, duos Annos & totidem Quadragenas de injunctis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum II Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Indulgentia.

1. *Caſſen.*) In *Taurica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 229.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Benifatii IX.*

Ut F. Leonardus de Florentia Inquiſitorem (1) Carcaſſonenſem creet.

Anno 1424 Die 11 Januarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo de Florentia, Ordinis Fratrum Prędicatorum Generali Magiſtro, ſacrę Theologię Profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CXLIV.

Paſtoralis officii debitum exigit, ut ad ea, per quę univerſorum, & potiſſime Religioſorum, divinis obſequiis ſpecialiter mancipatorum, tranquillitati, paci, & quieti, conſulitur, ſolicitis ſtudiis intendamus, & adverſus hereticę pravitatis labe reſperſos, ne etiam in aliorum perniciem ſua venena diffundant, expedit tales deputare perſonas, quę honeſta ſua converſatione puritatis tribuentes exemplum, & eruditis labiis ſalutarem verę ſapientię doctrinam fundentes, facto ſuo miniſterio omne fermentum labis hujuſmodi, Domino cooperante, ſciant, & valeant perpenſius expurgare. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Ubertini de Albicis (2), Ordinis Fratrum Prędicatorum, & in ſacra Theologia profeſſoris, ac in Romana Curia ejuſdem Ordinis Generalis Procuratoris, petitio continebat, quod orta dudum inter dilectos filios Raymundum de Tilio, & Johannem Richelis dicti Ordinis & in eadem Theologia profeſſores ſuper officio inquiſitionis hereticę pravitatis in Civitate & Dięceſi Carcaſſonen., cui tunc per obitum quondam Petri de Marologio ipſius Ordinis profeſſoris, ac in Civitate, & Dięceſi prędictis hujuſmodi pravitatis ſecundum morem dicti Ordinis Inquiſitoris extra eandem Curiam defuncti, vacanti, quilibet videlicet eorum ſe in Inquiſitorem pręfectum fuiſſe canonice, ac hujuſmodi Inquiſitionis officium ad ſe de jure ſpectare aſſerebat, prout aſſerit, materia quęſtionis, Nos cauſam hujuſmodi, non obſtante, quod de ſui natura ad dictam Curiam legitime devoluta, & apud eam tractanda, & finienda non eſſet, dilecto filio Magiſtro Tappo de la Turre Capellano noſtro, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori, ad inſtantiam dicti Johannis, audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, qui in ea ad nonnullos actus, citra tamen concluſionem, inter partes ipſas, dicitur proceſſiſſe. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, incongruum ſatis ſit, & rationi diſſonum, perſonas Religioſas maxime Ordinis Mendicantium, qui ſe ſpecialius cęterorum divinis obſequiis mancipaverunt, litibus involvere, in prędjudicium officii, interim Inquiſitore carentis, memorati, quodque etiam tu, qui Magiſter Generalis dicti Ordinis exiſtis de idoneitate utriuſque litigantium ad officium hujuſmodi facilius te poteris informare, & dicto officio utiliter providere; quare pro parte dicti Ubertini Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eandem cauſam ab eodem Tappo Auditore ad Nos advocare, ac litem hujuſmodi extinguere penitus, & caſſare, & alias dicto officio utiliter provideri mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatumque cauſę hujuſmodi, in qua etiam dilectus filius Petrus Prior Provincialis Provincię Francię dicti Ordinis, aſſertus ſua intereſſe, pro hujuſmodi ſuo intereſſe coram eodem Auditore ſe admitti poſtulavit, habentes pręſentibus, pro expreſſo, eandem cauſam ad Nos tenore pręſentium advocantes, litemque hujuſmodi extinguentes penitus, & caſſantes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus utriuſque Raymundi, & Johannis deputationibus caſſatis, & annullatis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii vocatis dicto Raymundo, & Johanne, ſi tibi viſum fuerit opportunum, & aliis qui fuerint evocandi, illum ex eis, quem per diligentem examinationem, aut ex fide dignorum relationibus, vel alias debite ad exercitium officii Inquiſitionis hujuſmodi magis habilem & idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, dicto officio pręficias, ipſumque Inquiſitorem hujuſmodi pravitatis in Civitate, & Dięceſi prędictis, aliiſque Terris, & locis in quibus ejuſdem pravitatis Inquiſitor Carcaſſonen., qui fuit pro tempore, officium ipſum exercere conſuevit, etiam ſi officium Inquiſitionis hujuſmodi per obitum, vel per liberam reſignationem dicti Johannis extra eandem Curiam, etiam coram Notario publico & teſtibus ſponte factam, quam ratam, & gratam habemus, vel alioquovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacet, dummodo tamen tempore datę pręſentium non ſit ibidem aliquis alius Inquiſitor canonice deputatus, cum honoribus omnibus debitis, & conſuetis, auctoritate noſtra conſtituas, & deputes, ſibique dictum Inqui-

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Inquiſitionis officium per eum, quoad vixerit, ibidem gerendum, & exercendum, eadem auctoritate, committas; faciens ipſum per te, vel alium, ſeu alios ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum, & quietum exercitium cum honoribus, & oneribus antedictis per domus Carcaſſonen., & alios dicti Ordinis Fratres, & quoſcunque, quorum intereſt, ut moris eſt, recipi, & admitti, ac cum debita in Domino honorificentia pertractari. Contradictores per cenſuram &c. & nihilominus habiliori, & idoneori ex prędictis, ſi ipſum per te hujuſmodi Inquiſitorem Carcaſſonen. vigore pręſentium conſtitui, & deputari contigerit, diſtrictius committas, ac etiam in remiſſionem peccaminum injungas, ut ipſe in caritate Dei, omni timore poſtpoſito, virtutem ſpiritus induens ex alto, prędictum Inquiſitionis officium in eiſdem Civitate, Dięceſi, Terris, & locis, prout tanti negotii utilitas perſuadet, ſub ſpe mercedis ęternę efficaciter proſequi, & exequi ſtudeat, ut per ſolicitudinis ejus prudentiam radix pravitatis ejuſdem penitus evellatur, & vinea Domini Sabaoth, exterminatis vulpeculis quę perverſis ſuis morſibus demoliuntur eandem, fructus afferat Catholicę puritatis, in hujuſmodi negotio proceſſurus ſecundum indulgentias, & privilegia Inquiſitoribus pravitatis, & officio Inquiſitionis hujuſmodi per eandem Sedem conceſſa, & alias ſecundum canonicas ſanctiones. Nos enim, cum dicto Raymundo, qui in triceſimo ſecundo ſuę ętatis anno, vel circiter conſtitutus exiſtit, ſi ipſum per te vigore pręſentium hujuſmodi pravitatis Inquiſitorem Carcaſſonen. conſtitui, & deputari contigerit, ut prefertur, ut ipſe officium Inquiſitionis hujuſmodi in Civitate, Dięceſi, Terris, & locis prędictis gerere, & exercere libere, & licite valeat auctoritate prędicta tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, diſpenſamus. Non obſtantibus ętatis defectu hujuſmodi, necnon fel. rec. Clementis Papę Quinti, Prędeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi eidem Ordini, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod ejuſdem Ordinis Fratres, vel ipſi alii ſuſpendi, aut excommunicari, aut ultra, vel extra certa loca ad judicium evocari, ſeu ipſi, & dicti Ordinis loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Inquiſitorem.*) Legendum *Diploma datum I Decembris MCCCCXXII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLI fol.* 234.
3. *Ubertini de Albicis.*) De quo in *Appendice ad pręſentem Pontificatum.*

Anno 1424 Die 17 Januarii.

De F. Ludovico (1) Valleoleti a Provincialatus munere dimittendo.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo de Florentia Ordinis Fratrum Prędicatorum, ſacrę paginę profeſſori, ac ejuſdem Ordinis Generali Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Hujus Diplomatis cauſa.

AD ſtatum proſperum, & felicem Religionum quarumlibet, ac religioſarum perſonarum, degentium in eiſdem, paterna ſolicitudine vigilantes, ad illa libenter intendimus, per quę earum quieti & paci ſalubriter conſulatur. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Ludovici de Valleoleti, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Prioris Provincialis Provincię Hiſpanię ſecundum morem dicti Ordinis, Nobis expoſito, quod poſtquam ipſe per dilectos filios Priores Conventuales, & Fratres juxta morem dicti Ordinis in Priorem Provincialem dictę Provincię canonice electus, & confirmatus, fuerat, ac officium Provincialatus hujuſmodi aliquandiu exercuerat, pro eo quod ipſe una cum Prioribus Conventualibus, Magiſtris, & aliis ejuſdem Ordinis Profeſſoribus in Provinciali Capitulo Hiſpali congregatis, ab his, quę gerebas, & mandabas eis ad Sedem prędictam appellaverat, pręfatum Ludovicum, ab ejus officio & illius exercitio abſolveras, & depoſueras ab eodem, tuque deinde ex ſpeciali commiſſione per Nos tibi facta, pręfatum Ludovicum ad ipſum officium ac alias in ſtatum priſtinum, in quo erat antea, quam abſolutio, & depoſitio prędictę fierent, auctoritate noſtra reſtitueras, atque repoſueras, & nihilominus dictam Hiſpanię in duas Provincias ſeparaveras, atque diviſeras, ſtatuens, & ordinans, quod Conventus Fratrum, & Monaſteria Sororum, quę tunc erant, & eſſent pro tempore, in Regno Caſtellę, in Extrematura, in Aſturiis de Santiliana, & Sancti Anderii, ac Viſcaya, in Luſitania, & Frontaria, ſive Vandalia, Provinciam Hiſpanię conſtituerent, & ad eandem pleno jure pertinerent: Conventus vero Fratrum, & Monaſteria Sororum, quę in Regno Legionis, & Galęcię, ac in Aſturiis de Oveto conſiſtunt, Provinciam facerent, quę Provincia S. Jacobi perpetuo cenſeretur exiſtere, & ſic deberet ab omnibus futuris temporibus nuncupari, in qua novum Vicarium inſtitueras, qui ipſam Provinciam S. Jacobi, donec de Priore Provinciali proviſum eſſet, proſpere gubernaret, mandans inſuper, & injungens Prioribus & Fratribus ejuſdem Provincię S. Jacobi, poſtquam illam diviſeras, quod ſibi aliquem probum virum Religioſum dicti Ordinis profeſſorem juxta ejuſdem Ordinis regularia inſtituta in Priorem Provincialem eligerent, qui Priores Conventuales tanquam de diviſione prędicta non contenti, uſque tunc electionem hujuſmodi facere diſtulerant, ac neglexerant, & deinde pro parte ejuſdem Ludovici Nobis humiliter ſupplicato, ut hujuſmodi diviſionem, ſeparationem, ordinationem, ſtatutum, & literas, tuas ſuper prędictis confectas confirmare dignaremur, Nos, tunc exiſtimantes, diviſionem, & ſeparationem prędictas pro ſtatu proſpero & tranquillo Conventuum, Monaſteriorum, Priorum, & Ordinis prędictorum factas eſſe, diviſionem & ſeparationem, ſtatutum & literas hujuſmodi, & omnia in eis contenta, & quęcunque inde ſecuta, ac per te circa diviſionem ipſarum Provinciarum alias rite geſta, & ordinata, per alias noſtras literas confirmavimus, ac ſupplevimus omnes defectus, ſi qui forſan intervenerant in eiſdem, & nihilominus

reſti-

reſtitutionem de ipſo Ludovico in Provincialem dictę Provincię Hiſpanię a te, ut prę ſertur, factam, fuiſſe, & eſſe validam, ipſumque Ludovicum verum & legitimum Provincialem Hiſpanię exiſtere, perinde voluimus, & etiam declaravimus, ac ſi abſolutio, & depoſitio prędictę, a te nullatenus emanaſſent, mandantes inſuper ex tunc eiſdem Prioribus Conventualibus, & certis electoribus Provincię S. Jacobi, ut infra tres menſes, a die habitę notitię literarum noſtrarum computandos, aliquem probum dicti Ordinis Profeſſorem, in eorum, & dictę Provincię S. Jacobi Provincialem Priorem juxta inſtituta, & morem dicti Ordinis eligere tenerentur, quod ſi id infra eoſdem menſes agere contemnerent, ex tunc electionem ipſam pro ea vice duntaxat de perſona utili & idonea faciendam, ad te legitime decrevimus pertinere, qui eo caſu aliquem idoneum profeſſorem in Priorem Provincialem inſtitueres in Provincia Sancti Jacobi ſupradicta, ſtatuentes, & etiam ordinantes, quod Prior Provincialis Provincię S. Jacobi pro tempore exiſtens de Monaſteriis, & Conventibus, eorumque Fratribus, & Sororibus ejuſdem Provincię Hiſpanię contra voluntatem ſui Provincialis Prioris, ſe nullatenus intromitteret, aut poſſet in eos, vel ea, aliquam poteſtatem, auctoritatem, vel juriſdictionem exercere, & quicquid in contrarium factum foret, non teneret, ſed eſſet irritum, & inane, & ſucceſſive pro parte tua, necnon dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum dicti Ordinis profeſſorum, in dicta Provincia Hiſpanię conſtitutorum, etiam Nobis expoſito, quod ſeparatio, & diviſio prędictę Provincię, de quibus pene omnes illius Conventus erant male contenti, inter Fratres, & profeſſores Ordinis, & Provincię prędictorum noxias novitates, ſcandala, diſſenſiones, & diſcordias parturirent, & de gravioribus malorum, & contentionum fomentis in poſterum veriſimiliter formidaretur, prę ſertim ex eo, quia ex illis expenſarum onera eis ſolito graviora ſubire, & hujuſmodi ſtante diviſione, quamlibet illius partem ſeorſim, ac de per ſe, ſumptus & labores Capitulorum Generalium ſuſtinere, & ad illa ſuos Fratres deſtinare, Provinciali quoque partis ſuę expenſas, & alia vitę neceſſaria miniſtrare, necnon Magiſtro Ordinis debitam proviſionem impendere oporteret, in quorum onerum ſupportatione tota Provincia ad hęc concurrens, ante ſeparationem hujuſmodi nimium gravabatur, & nunc multo fortius gravaretur, & quia etiam Fratres unius, non admitterentur per Fratres alterius Provincię ad Scholaſtica exercitia in Generali ſtudio Salamanticen., quod in altera dictarum Provinciarum exiſtit, & propterea tolleretur ipſis Fratribus inibi ſtudendi facultas, & acquirendi ſcientię margaritam, a quibus etiam ſeparatione & diviſione Fratres, & profeſſores prędicti, illis diſſentientes omnino, ad Sedem ipſam appellaverant, & ſucceſſive pro parte tua, & Priorum & Fratrum prędictorum Nobis humiliter ſupplicato, ut pro ipſorum tranquillo ſtatu, & pace, ſeparationem, & diviſionem prędictas caſſare, revocare, & annullare, ipſamque Provinciam Hiſpanię reunire, & redintegrare dignaremur. Nos igitur de prę miſſis omnibus, habentes notitiam pleniorem, cum Nobis conſtet, ſeparationem, & diviſionem prędictas cedere ad ipſorum Priorum, & Fratrum, ac Conventuum prędictorum prę judicium, & gravamen, ſeparationem, & diviſionem, ordinationem, & literas tuas, ac confirmationem noſtram hujuſmodi, & alia circa diviſionem ipſarum Provinciarum ſuper prę miſſis geſta, & ordinata, & quęcunque inde ſecuta, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia per alias noſtras literas revocavimus, irritavimus, & annullavimus, nulliuſque efficacię, roboris, vel momenti exiſtere decrevimus, & etiam declaravimus, ac prę fatas literas perinde haberi voluimus, quoad ſeparationem Provincię Hiſpanię ſupradictę hujuſmodi duntaxat, ac ſi a Nobis, & a te nullatenus emanaſſent, & nihilominus ipſam Provinciam Hiſpanię reunivimus, redintegravimus, & alias in ſtatum priſtinum, in quo ante erat antequam diviſio, & ſeparatio prędictę fierent reſtituimus, & repoſuimus per eaſdem, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis pro parte tua, ac dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum dicti Ordinis profeſſorum in dicta Provincia Hiſpanię conſtitutorum, petitio continebat, dictus Ludovicus, qui in Provincialatus officio, quod per antea aliquandiu exercuerat, ut prę fertur, ex legitimis cauſis ſubſiſtentibus, per te dudum realiter depoſitus, & abſolutus fuerit, per falſi ſuggeſtionem, ac veritate tacita, necnon contra ſtatuta, & conſuetudines dicti Ordinis, Fratribus quoque, & profeſſoribus prędictis in hoc omnino diſſentientibus, ſeparationem, & diviſionem Provincię Hiſpanię ſupradictę, necnon reſtitutionem de ſe in Provincialem ejuſdem Provincię Hiſpanię per te fieri procuraverit, illaſque a Nobis confirmari obtinuerit, necnon literas prę fatas, non propter utilitatem, vel bonum publicum dicti Ordinis impetraverit, & propterea, ac etiam ex eo, quod ex ejuſdem Ludovici non utili, & ſalutari regimine inter Fratres, & profeſſores prędictos, ſcandala, diſſenſiones, & diſcordię, ſint exorta, & graviora, niſi ſuper hoc opportune provideretur, poſſent in poſterum veriſimiliter exoriri, & propterea Fratres, & profeſſores prę fati, de reſtitutione dicti Ludovici ad Provincialatus officium hujuſmodi, ipſumque ad illud, ejuſque exercitium admittere, ſuiſque monitis & mandatis obedire omnino diſſentiant, & recuſent, &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet Fratres, & profeſſores prędicti, ex redintegratione, & reunione Provincię Hiſpanię ſupradictę per Nos, ut prę fertur, factis, maximam conſolationem ſuſceperint, per hoc tamen ſcandala, diſcordię, & diſſenſiones, ac alia inconvenientia hujuſmodi, inter eos ſedari non poterunt, niſi idem Ludovicus, qui prę miſſorum ſcandalorum cauſa cenſetur exiſtere, ab eodem Provincialatus officio abſolvatur; Quare pro parte tua, ac Priorum, & Fratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ad obviandum ſcandalis, diſſenſionibus, & aliis inconvenientibus hujuſmodi reſtitutionem de hujuſmodi Ludovico ad Provincialatus officium per te, & confirmationem per Nos factas hujuſmodi, ut prę fertur, revocare, & alias ejuſdem Provincię ſtatui, & quieti ſuper his opportune conſulere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur de prę miſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Mandatum.
Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de prę miſſis omnibus auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi per informationem hujuſmodi prę miſſa vera eſſe repereris, hocque tibi pro ſtatu proſpero & tranquillo, Priorum, Fratrum, & profeſſorum prędictorum expediens videatur, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, ad abſolutionem ipſius Ludovici a Prioratus officio Provincię Hiſpanię ſupradictę eadem auctoritate procedas, prout ſecundum inſtituta, & conſuetudines dicti Ordinis tibi videbitur faciendum, ſuper quibus omnibus tibi plenam & liberam tenore

Clauſula derogans. præſentium concedimus facultatem. Non obſtantibus præfatis prioribus noſtris literis, etiam ſi de illis, & earum totis tenoribus, habenda ſit in præſentibus mentio ſpecialis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romę apud S. Petrum XVI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Ludovico.*) Conſulendum Diploma *Datum II Januarii MCCCCXXIV*, Conſtitutio ſcilicet CXLII.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol. 93.*

Anno 1424 Die 20 Januarii.

Confirmat collationem cujuſdam Beneficii annexi Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ ad Lapides extra muros Baſileen. (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano S. Petri Baſilien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ETſi ex debito ſolicitudinis paſtoralis, quibuslibet perſonis, divinis laudibus deditis, Nos deceat eſſe favorabiles, & benignos, mulieribus tamen, quę oię vitę ſtudio Domino famulantur, tanto propenſiori Nos convenit auxilio ſubvenire, quanto pro fragilitate ſexus fęminei, majoribus noſcuntur auxiliis indigere. Supplex petitio. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę & Sororum Domus S. Marię Magdalenę ad lapides, extra Muros Baſilien ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod nuper dilectus filius nobilis vir Fredericus Dux Auſtrię, provide attendens, quod fructus, redditus, & proventus Domus ejuſdem adeo exiles eſſent, quod de illis pręfatę Prioriſſę, & Sorores congrue ſuſtentari non poſſent, paupertatis onere depreſſę, & ſpe, affectuque gerens, quod Parochialis Eccleſia in Frich Baſilien. Dięceſis, cujus jus patronatus tunc ad ipſum legitime pertinebat, domui incorporaretur eidem, jus ipſum ob ſuę, & dilecti filii nobilis viri Erneſti, etiam Ducis Auſtrię, fratris ſui, ac progenitorum ſuorum animarum ſalute, pręfatę Domui liberaliter donare curavit; quare pro parte dictarum Prioriſſę, & Sororum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi donationi robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, ac ipſam Eccleſiam cum omnibus ſuis juribus, & pertinentiis, dictę domui in perpetuum incorporare, annectere, & unire de benignitate Apoſtolica dignaremur. Confirmatio. Nos igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi, & poſtquam vocatis omnibus & ſingulis, quorum intereſſe poterit, tibi de donatione prędicta legitime conſtiterit, illam, & quęcunque inde ſecuta auctoritate noſtra approbes, & confirmes, & inſuper, ſi eorum, quorum intererit, tunc ad id accedat aſſenſus, Eccleſiam prędictam cujus vigiliti, cum eiſdem juribus & pertinentiis dictę Domus, cujus quinquaginta marcarum argenti puri fructus, redditus, & proventus ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut ipſę Prioriſſa, & Sorores aſſerunt, non excedunt, eadem auctoritate perpetuo incorpores, unias, & annectas, ita quod, cedente, vel decedente ejuſdem Eccleſię Rectore, qui nunc eſt, vel illam alias quomodolibet dimittente, liceat eiſdem Prioriſſę, & Sororibus per ſe, vel alium, ſeu alios, corporalem poſſeſſionem Eccleſię juriumque & pertinentiarum prędictarum auctoritate propria libere apprehendere, ac hujuſmodi ejus fructus, redditus, & proventus in ſuos, ac dictę Domus uſus perpetuo convertere pariter, & retinere, Dięceſani loci, & alterius cujuſvis ſuper hoc licentia minime requiſita, reſervata tamen ſuper hujuſmodi fructibus, redditibus, & proventibus dictę Eccleſię pro perpetuo Vicario, in ea inſtituendo, pro tempore portione cõngrua, de qua ipſe valeat commode ſuſtentari, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ſibi incumbentia onera ſupportare. Clauſula derogans. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuètudinibus domus, & Ordinis eorundem, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate vallatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquis ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales Apoſtolicę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetraverint, etſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus, etiam pro tempore habitos per eoſdem & quęcunque inde ſecuta, ad aſſecutionem beneficiorum, & aliorum volumus pręjudicium generare, & quibuslibet privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus eorum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam contigerit attentari. Datum Romę apud S. Petrum XIII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Baſileen.*) In *Helvetiis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol. 249.*

De

De lite Fratres Biterrenſes (1) inter & Vicecomitem Narbonenſem componenda.

Anno 1424
Die 29 Januarii.

Ex Archiva (2) Ordinis.

CXLVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Narbonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium;

Hujus Diplomatis cauſa.

EX Paſtoralis officii debito, quod Nos Eccleſiis, locisque & perſonis eccleſiaſticis, necnon fidelibus quibuslibet obligat, inducimur, illorum annuere votis, per quę Eccleſiis, locis, perſonis, & fidelibus ipſis valeat ſalubriter provideri. Sane dilectorum filiorum, Nobilis Viri Guillelmi Vicecomitis Narbonen., Domini Baronię loci, & caſtri de Podio Surogario, Narbonen. Dięceſis, ac Prioris & Domus Fratrum Ordinis Prędicatorum Biterren., Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim quondam Arnaldus de Sano, Dominus Baronię loci, & Caſtelli prędictorum, de bonis a Deo ſibi collatis in ejus ultima voluntate ſuum condens Teſtamentum inter cetera voluit, & ordinavit, quod ſui heredes, & ſucceſſores, & alii quicunque, qui Baroniam, locum, & Caſtrum hujuſmodi pro tempore poſſiderent in perpetuum, dictis Priori, & Fratribus, ad hoc, ut totus eorum Conventus ſingulis quartis pro quondam Berengarii avi dicti Arnaldi, & ſingulis ſextis feriis, ipſius, Arnaldi necnon genitoris & genitricis, ac omnium aliorum progenitorum ſuorum animarum ſalute, Miſſas celebrarent, & ſpecialem ſuper Berengarii, & Arnaldi prędictorum monumenta in Eccleſia dictę Domus, apud quam ipſi ſuam elegerunt ſepulturam, & ipſe Berengarius jam tumulatus erat, commemorationem & orationes facerent, unum ſextarium frumenti mercadalii (3) menſurę Biterren., & decem ſolidos Turonen. ſingulis diebus hujuſmodi, in Biterris, perpetuis futuris temporibus dare, & ſolvere tenerentur, inhibens eis expreſſe, ne ſuper hujuſmodi voluntate, ſive legato, movendo quomodolibet, ſeu immutando, ullam compoſitionem, connectionem (4), ſive ordinationem facerent, alioquin legatum ipſum ex toto ab eodem Conventu adimebat, & ſubtrahebat, illudque eo caſu Conventui Domus Fratrum Minorum Biterren., qui celebrationem, commemorationem, & orationes hujuſmodi modo ſimili facere tenerentur, applicabat, & tranſportabat, quodque ubi prius Teſtatoris heredes premiſſa per Annum adimplere negligerent, duplum illius, quod reſtaret ſingulis annis ſolvere tenerentur, & ulterius, ſi contigeret, Regem Francię, vel officiales ejus, pro tempore exiſtentes, quęſtionem, vel impedimentum apponere, quandam ejus Baſtardam (5), Lodeſavum nuncupatam, cum ſuis juribus, & pertinentiis, per ejus heredes vendi, & de ejus pretio redditus, in puro & franco allodio (6) uſque ad quantitatem, & ſufficientiam adimpletionis prędicti legati, emi voluit, & ordinavit; quodque licet legatum, ſive voluntas hujuſmodi fuiſſet per heredes prędictos per plures annos obſervatum, & executioni mandatum, & poſtmodum tamen, cum aliqui ex dictis heredibus frumentum, & ſolidos hujuſmodi ſolvere recuſaſſent, ac propterea ad inſtantiam dictorum Prioris & Fratrum Prędicatorum in Romana Curia in cauſam tracti fuiſſent, & deinde in poſſeſſorio tribus definitivis ſententiis evicti, & ad ſolvendum ſingulis annis centum & quatuor ſextaria frumenti, & quinquaginta duas libras Turonen. pro hujuſmodi frumento, & ſolidis, tunc debitas condemnati, ac ſententiarum hujuſmodi, necnon literarum executoriarum ſuper eis obtentarum vigore dictus Vicecomes, ac ejus Tutores, ſub quorum tutoria ipſe, tunc minorennis (7) exiſtens, erat, excommunicationis ſententia innodati, & ſententia ipſa etiam ſubſequenter aggravata fuerat, ac tandem ipſe Comes ab hac excommunicationis ſententia de mandato noſtro ad certum tempus, infra quod voluimus, quod cum dictis Priore & Fratribus prędictis concordaret, alioquin, eo lapſo, in priſtinas relaberetur ſententias, primo, & deinde poſt dicti temporis lapſum, infra quod tamen ſubſcriptum receperat appuntamentum (8), licet nondum completum, de conſenſu dictorum Prioris & Fratrum prędictorum pro biennio duntaxat abſolutus, poſtmodum vero, ſicut eadem petitio ſubjungebat, iidem Prior, & Fratres Prędicatorum, etiam de conſenſu dilecti filii Provincialis dicti Ordinis Prędicatorum, necnon Vicecomes prefatus, ſalvo in hoc beneplacito noſtro, tam ſuper principali negotio, quam expenſis eatenus occaſione premiſſorum factis ad hanc concordiam devenerunt, videlicet quod idem Vicecomes mille & quingenta ſcuta boni auri, & legitimi ponderis, Cugni (9) dicti Regis, in tribus terminis tunc expreſſis, necnon centum libras Turonen. monetę currentis in Regno Francię ejuſdem Priori, & Fratribus Prędicatorum dare & ſolvere, & realiter aſſignare ſemel duntaxat in ſcutis auri hujuſmodi, necnon Inſtrumentum quitationis (10) & liberationis quartę, ſive canonicę portionis de Legatis, donatis, & relictis pro tempore dictis Priori & Fratribus Prędicatorum Rectori Parochialis Eccleſię dicti loci de Podio Surogario debitę per ejuſdem Eccleſię Rectorem factarum, ipſis Fratribus tradere debeat, & teneatur, quibus mediantibus Prior, & Fratres Prędicatorum, qui tunc de conſenſu, licentia, & voluntate dicti eorum Prioris Provincialis prefatum Vicecomitem in hujuſmodi Caſtro, & Baronia ejus heredes & ſucceſſores de ſolutione frumenti, denariorum, & reddituum hujuſmodi, necnon arreragiis & expenſis eis quoquomodo premiſſorum occaſione, debitis quittabunt, liberabunt, & abſolvent plenarie, & libere, eidemque Vicecomiti debitum frumenti, denariorum, reddituum hujuſmodi, remittent, atque donabunt, ac perpetuo quittaverunt, liberaverunt, & abſolverunt, ceſſeruntque, & remiſerunt, ſi ad id Noſter accederet conſenſus, prout in diverſis Inſtrumentis publicis, ac literis, ſeu ſcripturis authenticis, deſuper confectis, plenius contineri dicitur. Quare pro parte Vicecomitis, qui centum libras prędictas, ac Inſtrumentum liberationis dictę portionis eiſdem Priori & Fratribus Ordinis Prędicatorum per dictum Rectorem aſſignavit, & tradidit, & prędictorum mille quingentorum ſcutorum ſummam paratus eſt realiter in terminis conventis tradere, & ſolvere, ac Prioris & Fratrum Prędicatorum prędictorum, qui etiam prędicta omnia, in quantum eos concernunt, hujuſmodi noſtro ad hoc concurrente beneplacito, & aſſenſu, parati ſunt perficere, & adimplere, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro bono pacis partium prędictarum premiſſa, ſicut prefertur, ordinata, conventa,

& concordata perficiendi, & adimplendi, licentiam concedere, atque alias eis ſuper pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, ſtatum litis, quam etiam harum ſerie ad Nos advocamus, necnon tenores inſtrumentorum, literarum, & aliorum prędictorum, pręſentibus pro expreſſis habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis, qui fuerint evocandi, ita eſſe repereris, litem, ſeu lites hujuſmodi auctoritate noſtra prorſus extinguas, Vicecomitemque, & prędeceſſores, ac tutores prędictos, & alios quoslibet ab omnibus & ſingulis excommunicationum, aliiſque ſententiis, & pęnis eccleſiaſticis, quas pręmiſſorum occaſione, quomodolibet incurrerunt, ſi id humiliter petierint, auctoritate noſtra hac vice duntaxat abſolvas in forma Eccleſię conſueta, injunctis inde eis pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis quę de jure fuerint injungenda, ac ſatisfacto etiam prius Deo, & Eccleſię, & aliis quibus forſan alias propter pręmiſſa ſatisfactio fuerit impendenda, necnon eiſdem Vicecomiti, Priori, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, prout eos continget, conventa ordinata hujuſmodi, perficiendi, adimplendi, exequendi, tenendi, & obſervandi, plenam & liberam eadem auctoritate licentiam largiaris, & inſuper compoſitiones, conventiones, tranſactiones, concordia, pacta, & ordinationes hujuſmodi, & inde ſecuta, ſi, & poſtquam illa hujuſmodi licentię vigore proceſſerint, eadem auctoritate approbes, & confirmes, ſupplendo etiam omnes, & ſingulos defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, non obſtantibus teſtamento, voluntate, ordinatione, & aliis pręmiſſis, necnon conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis Fratrum Prędicatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis. Volumus autem, & eiſdem Priori, & Fratribus Ordinis Fratrum Prędicatorum mandamus, quod ipſi de pecuniis pręfatis, quas idem Vicecomes eſt eis, ut pręmittitur, ſoluturus, alios annuos fructus, redditus, & proventus, juxta pecuniarum hujuſmodi quantitatem in dicto Regno, vel alibi, ubi eis videbitur, ſic arguere (11), illoſque habere pro uſu & ornamentorum opportunitate, necnon fabricę Eccleſię aliorumque ędificiorum, & ſtructurarum dictę Domus dirutarum habere, & in illorum reparationes, & conſervationes convertere libere & licite valeant, auctoritate concedimus memorata, quodque Prior, & Conventus Ordinis Fratrum Prędicatorum, & eorum ſucceſſores, qui erunt pro tempore, juxta ordinationem, & voluntatem dicti Teſtatoris Miſſas, commemorationes, orationes, ac alia ſuffragia ſupradicta, in dicta Eccleſia, diebus pręfatis, debite facere, dicere, & celebrare, illaſque ſine fraude perpetuis futuris temporibus obſervare, & adimplere teneantur. Dat. Romę apud S. Petrum IV Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Biterrenſes.*) *Beſiers*, in *Occitania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 316.
3. *Mercadalii.*) Sic a *Mercatu* frumentum, quod, ceu proba merx, in foro frumentario poteſt exponi, vocant.
4. *Connectionem.*) Legerem: *Commutationem*.
5. *Baſtardam.*) Ab amanuenſi hæc lectio, legendum: *Baſtidam*. Hæc autem vox, vel propugnaculum, ſeu Caſtellum, vulgo *Baſtille*, ſignificat, ut in Inſtrumentis, de quibus *Dacherius* in *Spicilegio Tomo IX*, & *Du Cange* in *Gloſſario*, vel villam, ſeu rus ſonat, ut in *Gallo-Provincia*, ubi villa vulgo nominatur *Baſtide*.
6. *Puro, & franco allodio.*) Id eſt: *Prædio, non tantum ab omni praſtatione libero, ſed etiam a quolibet ſervitio reali & perſonali immuni*. Adeas *Du Cange* in *Gloſſario*.
7. *Minorennis.*) Quaſi: *Minor annis*: id eſt Pupillus.
8. *Appuntamentum.*) Seu *Compoſitionem*, vulgo *Appointement*.
9. *Cugni.*) Id eſt: *Typi*.
10. *Quitationis.*) Vulgo *Quittance*, latine *acceptilatio*, Græce vocatur [illegible]. Hinc inferius: *Quittabunt*, idem eſt ac *Chirographo fatebuntur acceptum*.
11. *Sic arguere.*) Turbatus locus: fortaſſis legendum: *ſic diſponere*, vel *ſic ſtatuere*.

Anno 1424 Die 4 Februarii.

Herefordenſis (1) Cœnobii ſacras Ædes viſitantibus Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXLVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Cum itaque (3), ſicut accepimus, Capella in Conventu Fratrum Ordinis Prędicatorum Hereforden., ad honorem omnipotentis Dei, ſub vocabulo S. David Epiſcopi & Confeſſoris constructa, reparatione indigeat non modicum ſumptuoſa, nec ipſius, vel Conventus ejuſdem, cujus, ut aſſeritur, Domus, & Libraria cum libris, ac Sacriſtia, cum calicibus, miſſalibus, & ornamentis, ad cultum divinum deputatis, & opportunis, jam ter combuſtę ſunt, pro reparatione hujuſmodi ſuppetant facultates, Nos, cupientes ut Capella ipſa congruis honoribus frequentetur, ac in ſuis, & dicti Conventus domibus, & ſtructuris reparetur, necnon in eiſdem libraria, ſacriſtia, & officinis, ac pro divino cultu neceſſariis debite reformetur, futuriſque temporibus perpetuo reſervetur, & ut fideles ipſi, ſine quorum ſuffragiis reparatio, reformatio, & conſervatio prędictę perfici nequeunt, eo libentius ex devotionis cauſa confluant ad eandem, manus quoque porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc dono cęleſtis gratię uberius refecti, animarum commoda ſperaverint ſe adipiſci, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus & confeſſis, qui Capellam prędictam in feſto ipſius S. Confeſſoris devote viſitaverint annuatim, ac pro reparatione, reformatione, & conſervatione hujuſmodi manus porrexerint, ut pręmittitur, adjutrices, duos Annos & totidem quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem &c. Datum Romę apud S. Petrum II Nonas Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Indulgentia.

1. *Herefordenſis.*) In *Anglia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIV fol.* 168.
3. *Cum itaque.*) Exordium deeſt.

Decla-

Declarat (1) literas hic inſcriptas non derogaſſe Decretali, quæ incipit: *Dudum* (2).

Anno 1424 Die 9 Februarii.

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CXLIX.

Exordium.

AD hoc Nos divina miſeratio, licet immeritos, ſupremę poteſtatis eccleſiaſticę prę ceteris mortalibus principatum obtinere diſpoſuit, ut ſuam cuique juſtitiam, prout debitores exiſtimus, ubilibet miniſtremus, & quę alieni juris vigorem abſorbere proſpicimus (4).., prout rerum, & temporum depoſcit qualitas, cura ſolerti reprimere nullatenus omittamus. Dudum ſiquidem pro parte dilectorum filiorum Leonardi Magiſtri Generalis, ac Fratrum Ordinis Prędicatorum Nobis expoſito, quod quondam Bonifatius in ſua obedientia VIIII nuncupatus ipſis ſuas conceſſit literas, quas petiverunt a Nobis Apoſtolico munimine roborari, Nos tunc eis noſtras conceſſimus literas cum inſertione literarum ipſius Bonifatii VIIII nuncupati earundem, ſub hac forma. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram Rei Memoriam. Ad ſummi Apoſtolatus &c. (5). Datum Florentię Idibus Julii, Pontificatus noſtri Anno tertio. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Decani, & Capituli Eccleſię Revalien. (6), petitio continebat, Prior, & Fratres Domus Prędicatorum Revalien., prętendentes per dictas literas Conſtitutioni felicis recordationis Clementis Papę V, Prędeceſſoris noſtri, quę incipit: Dudum: De Sepulturis (7): fore derogatum, quanquam de illa in ipſis literis nulla extitit mentio facta, & proptera ex illis lites, & ſcandala poſſint veriſimiliter exoriri, Nos, qui, ut eccleſiaſticę perſonę litibus non graventur, & ne inter eas ſcandala oriantur, libenter interponimus ſolicitudinis noſtrę partes, ex prę miſſis, & aliis rationabilibus cauſis, animum noſtrum moventibus, & in hac parte opportune providere cupientes, per prędictas literas pręſentibus inſertas, ut pręfertur, tenore pręſentium declaramus, Nos dictę conſtitutioni non voluiſſe derogare, & in quantum illi in aliquo obviare cenſentur, illas in hac auctoritate Apoſtolica pręſentium revocamus, caſſamus, & irritamus, decernentes illas, & omnia inde ſecuta nullius exiſtere firmitatis, nec eis in judicio, vel extra, quoad hoc fides debeat adhiberi, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctum Petrum V Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Hujuſce Diplomatis cauſa.

Declaratio.

1. *Declarat.*) Ut in *Tractata de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IX.*
2. *Dudum.*) Legitur *Clementinarum Lib. III Tit. VII De Sepulturis Cap. II.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. XCIV fol.* 252.
4. *Proſpicimus....*) Quædam deſunt.
5. *Ad Summi Apoſtolatus &c.*) Ut in Diplomate dato *XV Julii MCCCCXX* ad finem uſque.
6. *Revalien.*) Vulgo *Revel.* Urbs eſt *Livoniæ* Regionis.
7. *Dudum. De Sepulturis.*) Id eſt quæ incipit: *Dudum.* Legitur *Titulo VII De Sepulturis*, ut in *Nota II.*

Inquiſitorem (1) Carcaſſonenſem, a F. Leonardo Generali Magiſtro conſtitutum, confirmat.

Anno 1424 Die 13 Februarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CL.

Exordium.

LIcet ea, quę de mandato noſtro fiunt in ſe robur obtineant firmitatis, ut tamen, intemerata ſubſiſtant, cum noſtro fuerint pręſidio communita, libenter Apoſtolico munimine roboramus. Nuper ſiquidem pro parte dilecti filii Ubertini de Albicis, Ordinis Fratrum Prędicatorum, & in Theologia profeſſoris, ac in Romana Curia ejuſdem Ordinis Generalis Procuratoris, Nobis expoſito, quod orta dudum inter dilectos filios Raymundum de Tilio, & Johannem Richelis dicti Ordinis, & in eadem Theologia profeſſores ſuper officio Inquiſitionis hęreticę pravitatis in Civitate, & Dięceſi Carcaſſonen., tunc per obitum quondam Petri de Morologio ipſius Ordinis Profeſſoris, ac in Civitate, & Dięceſi prędictis hujuſmodi pravitatis, ſecundum morem dicti Ordinis, Inquiſitoris extra eandem Curiam defuncti, vacantis, quia videlicet quilibet eorum ſe illi in Inquiſitorem pręfectum fuiſſe canonice, ac hujuſmodi Inquiſitionis officium ad ſe de jure ſpectare aſſerebat, materia quęſtionis, Nos cauſam hujuſmodi, non obſtante, quod de ſui natura ad dictam Curiam legitime devoluta, & apud eam tractanda, & finienda non eſſet, dilecto filio Magiſtro Tappo de la Turre Capellano noſtro, & cauſarum Palatii Apoſtolici Auditori ad inſtantiam dicti Johannis audiendam commiſeramus, & fine debito terminandam, qui in ea ad nonnullos actus citra tamen concluſionem inter partes ipſas dicebatur proceſſiſſe, ac ſubjuncto, ſatis eſſe incongruum, & rationi diſſonum, perſonas Religioſas litibus involvi, quodque dilectus filius Leonardus de Florentia dicti Ordinis Generalis Magiſter de idoneitate utriuſque litigantium prędictorum ad officium hujuſmodi facilius ſe informare, & dicto officio utiliter providere poſſet, & pro parte dicti Ubertini Nobis humiliter ſupplicato, ut eandem cauſam ab eodem Auditore ad nos advocare, ac litem hujuſmodi extinguere penitus, & caſſare, & alias dicto officio utiliter provideri mandare de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos tunc hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatumque cauſę hujuſmodi, in qua etiam dilectus filius Petrus Prior Provincialis Provincię Francię dicti Ordinis aſſerens ſua intereſſe, pro hujuſmodi ſuo intereſſe coram eodem Auditore ſe admitti poſtulaverat, habentes aliis noſtris literis pro expreſſo, eandem cauſam ad Nos earundem literarum tenore advocantes, litemque hujuſmodi extinguentes penitus, & caſſantes, eidem Leonardo Magiſtro dictis noſtris literis dedimus in mandatis, quatenus, utriuſque Raymundi, & Johannis prę-

Diplomatis cauſa.

prędictorum deputatlooibus caſſatis, & annullatis, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, vocatis dictis Raymundo, & Johanne, ſi ſibi viſum foret opportunum, & aliis qui forent evocandi, illum ex eis, quem per diligentem examinationem, aut fide dignorum relationibus, vel alias debite ad exercitium officii Inquiſitionis hujuſmodi magis habilem, & idoneum eſſe reperiret, dicto officio pręficeret, ipſumque Inquiſitorem hujuſmodi pravitatis in Civitate, & Dięceſi prędictis, aliiſque Terris, & locis, in quibus ejuſdem pravitatis Inquiſitor Carcaſſonen., qui fuerat pro tempore, officium ipſum exercere conſueverat, etiam ſi officium Inquiſitionis hujuſmodi per obitum, vel per liberam reſignationem dicti Johannis extra eandem Curiam, etiam coram Notario publico, & teſtibus ſponte factam, quam ratam, & gratam habuimus, vel alias quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacaret, & dummodo tunc non eſſet ibidem aliquis Inquiſitor canonice deputatus, auctoritate noſtra conſtitueret, & deputaret, ſibique dictum Inquiſitionis officium per eum quoad viveret gerendum, & exercendum, eadem auctoritate committeret, ipſumque per ſe, vel alium, ſeu alios, ad hujuſmodi officium, ejuſque liberum, & quietum exercitium, cum honoribus, & oneribus antedictis, ut moris eſt, recipi, & admitti, & nonnulla alia faceret, & Nos cum eodem Raymundo ſuper defectu ętatis, quem in triceſimo ſecundo ętatis ſuę anno, vel circiter conſtitutus patiebatur, & patitur generoſe diſpenſavimus. Cum autem, ſicut exibita Nobis pro parte dicti Raymundi petitio continebat, pręfatus Magiſter tunc in Civitate Senen. reſidens, & ad earundem literarum noſtrarum executiones nullo dictorum Johannis, & Petri Prioris ſeu etiam aliquo alio ad hoc vocatis, ſed ſolum ad ejuſdem Raymundi ibidem pręſentis inſtantiam procedens, ac utriuſque ipſorum Raymundi, & Johannis deputationibus hujuſmodi caſſatis, & annullatis, quia, ut dixit, tam per certam, & experimentabilem utriuſque dictarum partium notitiam, & ſcientiam, quam etiam diligentes inquiſitiones, & informationes, ſibi conſtiterat, atque conſtabat fide dignorum teſtimonio pariter, & relatu, dictum Raymundum ad exercitium officii Inquiſitionis hujuſmodi magis habilem, & idoneum exiſtere, nec ſe aliud canonicum, quod obſtaret inveniſſe, ipſeque Raymundus officium illud ſciret, & poſſet auctore Domino ſalubriter gerere, & exercere, & nullum alium Inquiſitorem ibidem Canonice exiſtere deputatum, idcirco eundem Raymundum dicto Inquiſitionis officio earundem literarum vigore pręfecit, conſtituit, & deputavit, ſibique dictum officium per eum, quoad viveret, & gerendum & exercendum commiſit, ipſumque ad dicti officii corporalem poſſeſſionem, ejuſque liberum exercitium recipi, & admitti fecit, & mandavit, in contradictores quoslibet, & rebelles, excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti ſententias promulgando, prout in aliis noſtris, & dicti Magiſtri literis, ſive proceſſibus, deſuper habitis, & confectis, quorum omnium tenores pręſentibus haberi volumus pro expreſſis, plenius continetur, Quare pro parte

Confirmatio. dicti Raymundi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis, & aliis per eundem Magiſtrum circa executionem dictarum literarum noſtrarum, ſicut pręfertur, geſtis, & inde ſecutis, pro earum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos igitur, qui ſedulis urgemur vigiliis, & pręcipuis affectibus attentius exquirimus, ut negotium fidei jugi profectu, eliſis omnino, & eradicatis erroribus, proſperetur, ac fides catholica fortius invaleſcat, quique tales appetimus ad hujuſmodi negotium fidei deputari, quorum honeſta converſatio exemplum tribuat puritatis, & erudita labia doctrinam fundere ſciant, velint, & valeant verę ſapientię ſalutarem, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, caſſationem, & annullationem, necnon ipſius Raymundi in hujuſmodi officii Inquiſitorem pręfectionem, conſtitutionem, & deputationem prędictas, ac omnia alia, & ſingula per ipſum Magiſtrum, circa dictarum literarum noſtrarum executionem, ſicut pręmittitur, aut alias quomodolibet, alias tamen rite geſta, ſive facta, & in dictis ejuſdem Magiſtri literis, ſive proceſſibus contenta, & quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, ea omnia auctoritate Apoſtolica ex certa ſcientia confirmamus, & pręſentia ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes, ſi qui ex eo, quod idem Magiſter ad dictarum literarum noſtrarum executionem hujuſmodi nemine vocato proceſſit, ac omnes alios, & ſingulos defectus, ſi qui alias forſan intervenerint in pręmiſſis, & nihilominus ad abundantiorem cautelam Johanni, & Petro Priori pręfatis ſuper dicto officio, ejuſque exercitio perpetuum ſilentium imponentes, officium ipſum pręfato Raymundo per eum quoad vixerit ſecundum dictarum noſtrarum literarum vim, vigorem, ſeu effectum, & ipſius Ordinis morem, ac canonicas ſanctiones gerendum, regendum, & exercendum denuo committimus, ipſumque hujuſmodi pravitatis in Civitate, & Dięceſi Carcaſſonem, ac aliis locis, terris, & partibus, in quibus Inquiſitionis officium exercere conſuevit, cum omnibus, & ſingulis honoribus, oneribus, juribus, & emolumentis debitis, & conſuetis, Inquiſitorem auctoritate prędicta facimus, conſtituimus, & etiam deputamus per pręſentes, dictę diſpenſationis effectu etiam quoad hoc plenum robur habituro, & eidem Raymundo ſuffragaturo, non obſtantibus omnibus, quę in dictis noſtris literis non obſtare voluimus, necnon conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti Ordinis privilegiis, ſtatutis, & conſuetudinibus etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, etiamſi de ipſis, & totis eorum tenoribus in pręſentibus ſpecialis & expreſſa mentio habenda foret. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, commiſſionis, Conſtitutionis, & deputationis, ſuppletionis, impoſitionis, & voluntatis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Inquiſitorem*.) Conſulenda Conſtitutio CXLIV.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.* 144.

In

In quendam qui FF. Caphen. (1), Unitorum (2) nuncupatorum, bona invadebat. Anno 1424 Die 16 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Criſſo Epiſcopo Caffen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLI.

JUſtis ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus Sancti Nicolai Caffen., Exordium. Ordinis Fratrum Prędicatorum, Unitorum nuncupatorum, petitio continebat, quod licet olim ipſi in cauſa per eos contra Julianum de Sancta Agnete, laicum, in Civitate Caffen. commorantem, ſuper quadam domo in dicta civitate conſiſtente tunc expreſſa, ac eiſdem Fratribus in eleemoſynam erogata, coram Venerabili Fratre noſtro Simone Epiſcopo Caffen. ventilata definitivam ſententiam, per quam inter cetera dicta Domus erogata eiſdem Fratribus adjudicata fuit, ſententiam reportaverint, idemque Epiſcopus executioni ejuſdem ſententię, quę nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſivit judicatam, ad inſtantiam Fratrum prędictorum, inſiſtens, eundem Julianum canonica monitione pręmiſſa excommunicationis ſententia innodaverit, ipſumque fecerit excommunicatum publice nunciari, & aggravari; tamen idem Julianus in reprobum ſenſum datus pręmiſſis temere parere contemnit in animę ſuę periculum, & aliorum pernicioſum exemplum. Diplomatis causa. Quare pro parte dictorum Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper his de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, legitimis per eundem Epiſcopum ſuper his habitis, ſervatis proceſſibus, illos auctoritate noſtra aggravare, & reaggravare procures, prout de jure fuerit faciendum, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam &c. invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis. Mandatum. Non obſtantibus ſi pręfato Juliano, vel quibusvis aliis, communiter, vel diviſim, a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIV Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Caffen.*) In *Taurica Cherſoneſo*.
2. *Unitorum*.) De quibus in Notis ad *Conſtitutiones V*, & *VII Innocentii VI*.
3. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.176*.

Archiepiſcopo Soltanienſi (1), in quendam, qui bona Fratrum Unitorum occupaverat (2). Anno 1424 Die 16 Februarii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Soltanien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLII.

EXhibita Nobis pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Sancti Nicolai Caffen., Ordinis Fratrum Unitorum nuncupatorum, petitio continebat, quod cum olim ipſi Julianum de Sancta Agnete, civem Caffen., qui quandam Domum, Magazenum nuncupatam, in civitate Caffen. conſiſtentem, tunc expreſſam, quam quondam Dandi Urgelin. vidua Caffen. in ejus voluntate ultima eiſdem Priori & Fratribus in eleemoſynam pie legaverat, detinebat indebite occupatam, ac faciebat, quominus ultima voluntas dictę teſtatricis ſortiretur effectum, eundem Julianum, ſuper hoc petendo dictam Domum eiſdem Priori, & Fratribus adjudicari, & ſuper illa dicto Juliano perpetuum ſilentium imponi, ipſumque Julianum ab ea amoveri, ſeque in corporalem poſſeſſionem illius induci, coram venerabili Fratre noſtro Simone, Epiſcopo Caffen., non ex delegatione Apoſtolica traxerunt in cauſam, idemque Epiſcopus legitime, & juris ordine obſervato, in hujuſmodi cauſa procedens, definitivam pro dictis Priore, & Fratribus, & contra prefatum Julianum Sententiam promulgavit, ipſumque Julianum in expenſis in hujuſmodi cauſa factis nihilominus condemnando, earundem expenſarum taxatione ſibi in poſterum reſervata, quę quidem ſententia poſtmodum nulla provocatione ſuſpenſa in rem tranſivit judicatam, & deinde pręfatus Epiſcopus, ad executionem dictę ſententię procedens, eundem Julianum monuit, & Diplomatis causa. mandavit eidem, ut infra certum terminum competentem, tunc expreſſum, ab occupatione, & detentione dictę Domus deſiſteret, illamque libere, & expedite eiſdem Priori, & Fratribus dimitteret, ipſiſque de pręfatis expenſis, quas ad certam florenorum ſummam tunc expreſſam, taxavit, ſatisfaceret, alioquin in ipſum Excommunicationis ſententiam promulgabat, ipſumque mandabat, & faciebat excommunicatum publice nunciari. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, licet monitio, & mandatum hujuſmodi ad indubitatam notitiam ipſius Juliani perveniſſet, tamen idem Julianus in reprobum ſenſum datus illis ſpretis prędictam Domum eiſdem Priori, & Fratribus infra pręfatum terminum, ſeu etiam poſtea dimittere, & de hujuſmodi expenſis ſatisfacere contumaciter non curavit hactenus, neque curat, dictam Excommunicationis ſententiam damnabiliter incurrendo, ac redire non curans ad eccleſię unitatem. Quare pro parte eorundem Prioris, & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ipſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus eandem excommunicationis ſententiam, & per te ſuper his habendis ſervatis proceſſibus, eos, quoties expedierit, auctoritate noſtra Mandatum. ag-

aggravare procures; contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. invocato ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachii ſecularis, non obſtante ſi eidem Juliano, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Datum Romę apud Sanctum Petrum XIV Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Soltanienſi.*) In *Perſide*.
2. *Occupaverat.*) Conſulendum præcedens Diploma.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCIII fol.89.*, & *Lib.CXVI fol.301.*

Anno 1424 Die 2 Martii.

Aquenſi Archiepiſcopo de confirmanda donatione loci de Rochabruna (1) San-Maximinenſi (2) Cœnobio facta.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CLIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Aquen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Supplex petitio.

HUmilibus ſupplicum votis libenter annuimus, eaque favore proſequimur opportuno. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Eccleſię B. Marię Magdalenę de Sancto Maximino, Romanę Eccleſię immediate ſubjectę, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Aquen. Diœceſis, petitio continebat, quod dudum dilectus filius nobilis Vir Gauffridus Lomengre (4), alias Boucıquaut (5), Miles (6) Dominus de Borbonio, Avenionen. Diœceſis, cauſa devotionis cupiens terrena in cęleſtia felici commercio commutare, pro ipſius, parentum, amicorum, & benefactorum ſuorum animarum ſalute, & ob reverentiam ejuſdem Sanctę, ad quam idem Miles ſpecialem gerit devotionis affectum, & ut tam in loco de Balma, Maſſilien. Diœceſis, in qua dicta Sancta in humanis agens longam ſuorum peccaminum dicitur egiſſe pęnitentiam, quam in Eccleſia prędicta, in qua Venerabile Corpus ipſius Sanctę requieſcit (7), divinus cultus augeatur, Caſtrum, ſive locum de Rochabruna, Foro-Julien. (8) Diœceſis, ſeu jura, redditus, & dominium, ad ipſum Militem inibi ſpectantia, eiſdem Priori, & Conventui in perpetuum dedit, donavit, atque conceſſit, ita tamen, quod Prior, & Conventus pręfati nonnulla divina officia, Anniverſaria, & orationes in dictis locis pro ejuſdem Militis, ac parentum, & Benefactorum prędictorum animarum ſalute annis ſingulis, certis tunc diebus pręfixis, dicere, facere, vel celebrare, perpetuis temporibus teneantur; ſuper quibus nonnullę conventiones, ordinationes, obligationes, recognitiones, & pacta inter Militem, Priorem, & Conventum prędictos facta, inita, & concordata, & deinde per dilectum filium Leonardum de Florentia, in ſacra pagina profeſſorem, Magiſtrum Generalem dicti Ordinis, vallata fuerunt, prout in diverſis publicis Inſtrumentis, & literis, inde confectis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte dictorum Prioris, & Conventus, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationibus, conceſſionibus, conventionibus, ordinationibus, recognitionibus, obligationibus, & pactis hujuſmodi, ac omnibus aliis in eiſdem Inſtrumentis, & literis contentis clauſulis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitatis tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus; quatenus, ſi vocatis eiſdem partibus, pręmiſſa in literis, & inſtrumentis hujuſmodi contenta de ipſarum partium aſſenſu, ac alias rite, provideque proceſſiſſe repereris, ſuper quę tuam conſcientiam oneramus, ea omnia, & ſingula, prout facta ſunt, auctoritate Apoſtolica approbes, & confirmes, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in pręmiſſis. Datum Romę apud S. Petrum VI Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Mandatum.

1. *Rochabruna.*) Vulgo *Roquebrune*, in *Gallo-Provincia*.
2. *San-Maximinenſi.*) Conſulendæ *Notæ ad Conſtitutiones III, IV, V, & VI Bonifatii VIII.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico* Lib. *LXXXVII fol.170.*
4. *Lomengre.*) Scribendum *Le Maingre*. Nobilis eſt, & perantiqua familia, de qua legendus *Juſtel Hiſtor. Turonen.*
5. *Bouciquaut.*) *Boucicaut*. De *Gauffrido Le Maingre*, cognominato *Boucicaut*, meminit *Chorier Hiſtor. Delphinatus.*
6. *Miles.*) Id eſt Nobilis.
7. *Requieſcit.*) Vide *Notam III ad Conſtitut. III Bonifatii VIII.*
8. *Foro Julien.*) Vulgo *Frejus*, in *Gallo-Provincia*.

Anno 1424 Die 2 Martii.

Mille Florenos auri de Camera pro ſacris Ædibus San-Maximinenſis (1) Cœnobii perficiendis aſſignat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Tholonen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SIncerę devotionis affectus, quem dilecti filii Prior, & Conventus Fratrum Prędicatorum Eccleſię beatę Marię Magdalenę de Sancto Maximino, Romanę Eccleſię immediate ſubjectę, Aquen. Diœceſis, ad Nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur, ut ad ea favorabiliter intendamus, quę eis fore conſpicimus opportuna. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictorum Prioris, & Conventus, petitio continebat, quod dudum Eccleſia ipſa, in qua glorioſum Corpus ejuſdem Sanctę venerabiliter reconditum eſt (4), & inibi diverſis coruſcat Miraculis (5) per clarę memorię Carolum Secundum incepta, ipſaque poſtmodum, ac ejus Clauſtrum cum aliis diverſis ędificiis miro, & ſumptuoſo opere lapideo per

Hujus Diplomatis cauſa.

per diverſos alios Sicilię Reges ejuſdem Eccleſię Patronos, & ad eandem Sanctam devotionem habentes, continuata, & jam pro media parte, vel quaſi, facta fuerunt, ſed propter guerrarum turbines, quę in illis partibus diutius viguerunt, prout proh dolor! vigent de pręſenti, non potuerunt perfici, & ſic imperfecta reſtarunt, prout reſtant, ſuntque ibi duę Archerię (6) de lignis confectę, quę minantur ruinam in maximum periculum ibidem intrantium, quę quidem ędificia, ac alię reparationes neceſſarię decoſtarent (7) ſecundum opinionem magiſtrorum quadraginta millia librarum Turonen. parvorum, & ultra, ad quę facienda dictę ſuę facultates non ſuppetunt, nec abſque piis Chriſti fidelium eleemoſynis fieri poſſent. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, quod plura legata ad pias, & incertas cauſas in Aquen., Arelaten., & Ebredunen. Provinciis, ac earum Civitatibus, & Diœceſibus, fore noſcantur per quorum ſuffragia ędificia, & reparationes hujuſmodi poſſent veriſimiliter continuari, pariter & augmentari, pro parte ipſorum Prioris, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut de legatis ipſis aliquam ſummam in ędificiorum, & reparationum hujuſmodi uſus convertendam, eis concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, cupientes, ut Eccleſia ipſa, necnon clauſtrum, aliaque ędificia, & reparationes hujuſmodi perficiantur, conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (8), Jeruſalem, & Sicilię Regis illuſtris, ejuſdem Eccleſię Patroni, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ipſius, necnon Prioris, & Conventus prędictorum ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, de legatis hujuſmodi uſque ad ſummam mille florenorum auri de camera, in, & ad opus ędificiorum, & reparationum hujuſmodi, integre convertendam, eiſdem Priori, & Conventui, vel eorum Procuratori, ad hoc ab eis ſpeciale mandatum habenti, penes quaſcunque perſonas illa habentes, ſeu retinentes realiter cum integritate tradi, & aſſignari, ac in ędificiorum, & reparationum hujuſmodi uſus converti, auctoritate noſtra facias, & procures, diſtrictius inhibendo locorum Ordinariis, ac ipſorum officialibus, & quibusvis aliis, ne Priorem, & Conventum, vel Procuratorem prędictos, in perceptione legatorum hujuſmodi perturbare, aut quo minus ea per illos haberi, & in ędificiis, ac reparationibus hujuſmodi converti valeant, impedire, ſeu perſonas, a quibus Prior, & Conventus, vel Procurator prędicti illa receperint, ut prąfertur, ad ſolvendum quicquam de illis alicui alteri compellere quoquomodo pręſumant. Contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus tam felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac Provincialibus, & Synodalibus ſtatutis, & conſuetudinibus, cęteriſque contrariis quibuſcunque, aut ſi Ordinariis, Officialibus, & perſonis pręfatis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, Nos enim eiſdem Priori, & Conventui quęcunque legata hujuſmodi uſque ad dictam ſummam mille florenorum auri de camera ubicunque, & quibuſcunque rebus conſiſtant, per ſe, vel Procuratorem ſuum, exigendi, petendi, levandi, recipiendi, & habendi, necnon de receptis perſonas, a quibus illa receperint, auctoritate prędicta quittandi (9) perpetuo, & abſolvendi, plenam, & liberam, tenore pręſentium, concedimus facultatem; decernentes omnes illos, qui legata ipſa, prout per te vigore pręſentium aſſignata fuerint, ut pręfertur, eiſdem Priori, & Conventui, ſeu eorum procuratori perſolverint, ab ulteriori de illis cujusvis alteri in poſterum facienda ſolutione liberos, atque quitos fore, pariter & immunes. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *San Maximinenſi.*) Ut in *Notis ad Conſtitutiones III, IV, V, & VI Bonifatii VIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.* 171.
3. *Tholonen.*) Seu *Telonen.*, vel *Tolonen.* vulgo *Toulon*, in *Gallo-Provincia.*
4. *Reconditum eſt.*) Vide *Notam III ad Conſtitutionem III Bonifatii VIII.*
5. *Miraculis.*) Ea recenſent conſodales amantiſſimi, Cœnobii *San-Maximinenſis* quondam alumni, PP. *Vincentius Reboul in Vita S. Mariæ Magdalenæ*, & *Dominicus Gavoti* in *ejuſdem Sancta Vita.* Meminerunt vir clariſſimus *Bouche*, ceterique *Launoium* debellantes.
6. *Archeria.*) Sic appellatam fuiſſe feneſtrellam jaculatoriam, probat *Du Cange* in *Gloſſario*, verbo *Archeria.* Nec de hoc ambigendum: ita ſiquidem dici potuit ab *Arcu*, quo emittuntur ſagittæ. Verum hoc in Diplomate *Archeria* ſignificat arcum, Gallice *Arcade*, curvaturam ſcilicet illam in ædificiis, quæ fornix vocatur, Italice *Volta.*
7. *Decoſtarent.*) Id eſt *Conſtarent*, vernacule *Couter.*
8. *Ludovici.*) Hujus nominis *III*, de quo legendi *Sammarthani* in *Hiſtoria Genealog. Franciæ*, & in *Hiſtoria Provinciæ.*
9. *Quittandi.*) Vide *Notam X* in Diploma datum *XXIX Januarii, MCCCCXXIV.*

Prior Cœnobii (1) Sanctæ Mariæ Magdalenæ San-Maximinenſem gentem excommunicatione devincire poteſt eo modo, quo ſuos ſubditos Epiſcopi devinciunt.

Anno 1424 Die 2 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis, Nobis injunctę deſuper, officio libenter intendimus, per quę Eccleſiarum omnium, & pręſertim Romanę Eccleſię immediate ſubjectarum, necnon perſonarum eccleſiaſticarum in eis, maxime ſub regulari habitu virtutum Domino famulantium, libertates, ac jura conſerventur, illaque favoribus proſequimur opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Conventus Prioratus Fratrum Prędicatorum Eccleſię Beatę Marię Magdalenę de S. Maximino, Romanę Eccleſię immediate ſubjectę, Aquen. Diœceſis, petitio continebat, quod dudum felicis recordationis Bonifatius PP. VIII. Prędeceſſor noſter, in dicta Eccleſia, in qua

Supplex petitio.

claræ memoriæ Carolus Secundus, tunc Jeruſalem, & Siciliæ Rex, Corpus glorioſum ejuſdem Sanctæ Mariæ honorifice recondi fecerat, & ubi Corpus ipſum a Chriſti fidelibus reverenter veneratur (3), eidem Regi Prioratum prędictum ſub ipſius Ordinis approbata obſervantia regulari fundandi, & ordinandi licentiam per ſuas certi tenoris literas conceſſit, cujus vigore Rex ipſe Prioratum ipſum fundavit, & dotavit, & ipſe Prędeceſſor noſter in hujuſmodi primęva fundatione Eccleſiam, Prioratum, Priorem, & Conventum, ac alias ipſius perſonas, domos, poſſeſſiones, proprietates, jura, & obventiones ipſorum quęcunque, in jus, & proprietatem, ac protectionem Beati Petri, & Apoſtolicę Sedis recipiens, ipſos ab omni poteſtate juriſdictionis, & dominio Archiepiſcopi Aquen., & quorunlibet aliorum Ordinariorum, perpetuo exemit, & liberavit, ſtatuitque, & ordinavit quod Prior, qui pro tempore foret in dicto Prioratu, correctionem, punitionem, & reformationem in loco prędicto haberet, & exerceret, ac inſuper eiſdem Priori, ſuiſque ſucceſſoribus conceſſit, quod habitatorum quorunlibet dicti loci, & illuc advenientium, quandiu inibi ſtarent, cura ſibi, & ſucceſſoribus ipſius immineret animarum, quę per . . . . . Presbyteros, per eundem Priorem ibidem inſtituendos, exerceretur, quodque ratione dictę Curę Prior, ſeu presbyteri prędicti juriſdictioni Dięceſani loci, ſeu alterius cujuſcunque in nullo penitus eſſent ſubjecti, nec ſibi, vel quibusvis aliis tenerentur reddere rationem, prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ſępe contingit, quod nonnulli habitatorum prędictorum in confitendo, communicando, & in Divinis officiis audiendis (4) non ſolum negligentes, & remiſſi, quin etiam contradictores, & renitentes exiſtant, quod licet per Priores, & eorum deputatos pro tempore exiſtentes, ad pręmiſſa debite vocentur, & caritative moneantur, tamen adhuc adeo ſe reddunt difficiles quod eorundem Priorum, & deputatorum monitionibus, & mandatis obedire ſępius recuſarunt, & recuſant, ipſique inobedientia, & rebellione hujuſmodi indurati, incorrecti remaneant in ipſorum animarum detrimentum, & plurimorum ſcandalum, necnon libertatum, ac jurium dictorum Prioris, & Conventus lęſionem, ipſorumque non modicum prejudicium, & gravamen; quare, ut hujuſmodi animarum periculis poſſit commodius futuris temporibus obviari, pro parte ipſorum Prioris, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper hoc eis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi periculis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter obviare volentes, pręmiſſorum intuitu, necnon conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici (5) Regnorum prędictorum Regis illuſtris, dicti Prioratus Patroni, qui Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, hujuſmodi ejuſdem Regis, & Prioris, & Conventus prędictorum ſupplicationibus inclinati, Priori pręfato, ac ejus ſucceſſoribus, ut ipſi per ſe, vel alium, ſeu alios, quoties fuerit opportunum, & eis expedire videbitur; Omnes, & ſingulos habitatores dicti loci, & illuc, ut prefertur, advenientes, quod ipſi diebus Dominicis & feſtivis ad audiendum divina in dicta Eccleſia quandiu ibidem, ut prefertur, moram traxerint, necnon ad confitendum, & communicandum ſemel ſaltem in anno, ac alia faciendum, quę animarum ſalutem reſpicere dignoſcuntur, ac alia eccleſiaſtica ſacramenta ab ipſis, vel ad hoc deputatis, ſeu deputandis inibi, ab eis recipiendum, ut juris, & laudabilis conſuetudinis fuerit, convocari, & moneri, ipſoſque, ſi forſan contradictores, renitentes, & rebelles extiterint, per Cenſuram Eccleſiaſticam, & alia juris remedia ad pręmiſſa, in caſibus tamen, in quibus veri Dięceſani ſuos ſubditos in hoc compellere poſſint, auctoritate Apoſtolica compellant, & aſtringant, ac coerceant, ſeu aſtringi, coerceri, & compelli, etiam per ſe, vel alium, ſeu alios faciant, auctoritate prędicta, tenore prędentium indulgemus. Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus provincialibus, & ſynodalibus, privilegiis, libertatibus, & indultis Regalibus, & Imperialibus, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, & quod prefati Prior, & Fratres dicti Conventus, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſores exiſtant, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque, ſeu ſi eiſdem habitatoribus, & advenis, vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis & Conſtitutionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum VI Nonas Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Conceſſio.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

1. *Cœnobii.*) Conſulendæ *Notæ ad Conſtitutiones III, IV, V, & VI Bonifatii VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XCVII fol.74.* Duplex authenticum legitur *Libro B. fol.18, & 307.* Autographum eſt in Cœnobio *San-Maximinenſi.*

3. *Veneratur.*) A primo Eccleſiæ ſeculo ad hoc uſque, ut probat vir clariſſimus *Bouche* in *Diſquiſitione de Magdalena advena.*

4. *Audiendis.*) Quod nihil excuſationis habere poterat, cum nulla alia ibi tunc extaret Eccleſia.

5. *Ludovici.*) Hujus nominis *III.*

Anno 1424 Die 6 Martii.

Ut Patakinenſe (1) Monaſterium, a Turcis devaſtatum, reficiatur, Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Eccleſiarum, & Monaſteriorum, ac religioſorum locorum &c. (3). Cum itaque, ſicut accepimus, Monaſterium, ſive Conventus, ſub vocabulo S. Eliſabeth Ordinis Fratrum Prędicatorum in oppido Patak, Strigonien. (4) Dięceſis, ſituatum, & Capella in honorem B. Lucę Evangeliſtę dedicata, eidem Mo-

Monaſterio, ſive Conventui contigua, & annexa, ad quam ex devotionis cauſa ſolet populi multitudo confluere, propter guerras, & incurſus Turcarum, ac aliorum infidelium, Chriſtiani nominis inimicorum, adeo in ſuis ędificiis, & ſtructuris deficiant, quod niſi per pia fidelium ſubſidia repararentur, veriſimiliter dubitatur, ne in totum, eo maxime, cum non ſint aliunde facultates quibus propriis, vel alienis ſublevari poſſint, corruant, ipſorumque memoria pereat, Nos, cupientes, ut Monaſterium, ſive Conventus, atque Capella hujuſmodi congruis honoribus frequententur, & in eorum ędificiis, officinis, & ſtructuris per prędictorum fidelium caritativa ſuffragia debite reparentur, & reformentur, ac in ſtatu ſuo perpetuis futuris temporibus conſerventur, utque Chriſti fideles ampliori devotionis affectu eo libentius eandem viſitent Capellam, ac pro reparatione, & ſtructura, necnon conſervatione hujuſmodi, manus promptius porrigant adjutrices, quo ibidem ex hoc dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis qui Capellam ipſam ſingulis annis die decima octava menſis Octobris, qua Feſtum S. Lucę Evangeliſtę prędicti in eadem ſolemniter celebratur, devote viſitaverint, ac pro reformatione, reparatione, & conſervatione prę fatis manus porrexerint adjutrices, ut pręfertur, duos Annos, & totidem quadragenas de injunctis pęnitentiis miſericorditer relaxamus, volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam capellam, aut pro eiſdem reformatione, reparatione, ſtructura, & conſervatione manus porrigentibus adjutrices, ſeu inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus, nondum elapſum, duratura, per Nos conceſſa fuerit pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud S. Petrum II Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo. Indulgentiæ.

1. *Patakinenſe.*) Illud eſt Cœnobium *Potochenſe*, quod inter Conventus *Hungariæ* Provinciæ recenſent *Bernardus Guidonis*, *S. Antoninus*, *Plodius*, *Echard*, aliique paſſim. De eo conſultus a me *R. P. Nemethi*, verba ſunt *Ferrarii* De Rebus Hungar. Provinciæ Parte IV Lib. unico Cap. II pag. 515, *ita reſpondit: Patakinii, ſive Potokii, legi ſuiſſe Prædicatorum Conventum. Nunc hunc locum poſſidet illuſtriſſ. Tranſylvaniæ Princeps. Eſt oppidum cum arce in Hungaria ſitum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. LXXXIV fol.* 334.

3. *Locorum.*) Ut in ejuſdem tenoris Diplomatibus.

4. *Strigonien.*) Vulgo *Gran*, in *Hungaria*.

F. Job de Macho (1) fit Archiepiſcopus Machoenſis.

Anno 1424 Die 13 Martii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Job de Macho Electo Machoen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

EX ſuſcepti cura regiminis, quę univerſis Chriſti fidelibus Nos conſtituit debitores, inter cetera deſiderabilia cordis noſtri animarum ſalutem, incrementum verę fidei, ac quietem, & pacem fidelibus ipſis adeſſe permaxime exoptamus, & licet ſingulis regionibus Deo, & Apoſtolicę Sedi devotis, favorem Apoſtolicum impendere teneamur, & ad eas noſtrę conſiderationis aciem diffundamus, levando in circuitu more paſtoris vigilis oculos noſtrę mentis, viſuri quid gregi Dominico expediat, & quid operis impendi debeat circa illum, ad ſalutem tamen illorum, qui in Armenia majori circa partes infidelium habitantes, ut vera fide relicta blaſphemi nominis Chriſtiani fiant, continuo infeſtantur, eo propenſius quo ipſi eorum viduati Epiſcopo, & paſtore, majus animarum periculum poſſunt incurrere, vigilamus. Cum itaque Eccleſia Sancti Tadęi Machoen. ex eo, quod Nos nuper iniquitatis filium Hieronymum, de cujus perſona dudum pręfatę Eccleſię tunc vacanti fuerat Apoſtolica auctoritate proviſum, quique in vi proviſionis hujuſmodi poſſeſſionem dictę Eccleſię pacificam aſſecutus, abnegata palam catholica fide Jeſu Chriſti Redemptoris, & Domini noſtri, blaſphemus notorius eſt factus, de Fratrum noſtrorum conſilio dicta Eccleſia, ac ejus regimine, & adminiſtratione, declaramus eſſe privatum, & ſententialiter privavimus, & amovimus ab eiſdem, vacaverit, & vacet ad pręſens, nulluſque de illa prętet Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poſſit, pro eo quod diu ante declarationem, & privationem per Nos factam hujuſmodi, proviſiones ejuſmodi Eccleſiarum Metropolitanarum, & aliarum Cathedralium per declarationes, ſive privationes, & amotiones de Pręlatis earum ubilibet conſtitutis, per Nos ex tunc in antea faciendas vacaturarum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum, & inane ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari, & ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, ne longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſollicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum eiſdem Fratribus habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum, Ordinem ipſum expreſſe profeſſum, & in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, & honeſtate morum ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, quique ex illis partibus oriundus, illis verbo, & exemplo prodeſſe poteris pariter & prodeſſe, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua nobis, & dictis Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum III Idus Martii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Job de Macho.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIX fol.* 130.

Anno 1424 Die 18 Martii.

F. Odricus (1) de Torrente Inquiſitor Biſuntinus (2) conſtituitur.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CLVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Odrico de Torrente, Fratri domus Ordinis Prędicatorum Lauſanen. In Biſuntin., Gebennen., Lauſanen., Sedunen., Tullen., Meten., & Virdunen. Civitatibus, & Dięceſibus hęreticę pravitatis Inquiſitori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RElìgionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te gratiis, & favoribus Apoſtolicis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, volentes te, qui, ut aſſeris, dudum ad Inquiſitionis hęreticę pravitatis officium in Biſuntin., Gebennen., Lauſanen., Sedunen., Tullen., Meten., & Virdunen. Civitatibus, & Dięceſibus tunc ex eo vacans, quod dilectus filius Frater Antonius Coſte (4) Prior Provincialis (5) in Francia dicti Ordinis, cum ad Priorem dictę Provincię pro tempore exiſtentem amotio, & deputatio Inquiſitoris dictę pravitatis in eiſdem Civitatibus, & Dięceſibus pro ſolo nutu ſuo, quoties ſibi videtur expedire, ex ſpeciali privilegio Apoſtolico, cui non eſt in aliquo derogatum, legitime pertineat, dilectum filium Johannem Brucelli Fratrem domus Gebennen. dicti Ordinis, tunc in eiſdem Civitatibus, & Dięceſibus Inquiſitorem dictę pravitatis ex certis cauſis, tunc expreſſis, ab eodem Inquiſitionis officio, vigore dicti privilegii, amovit, ac te Inquiſitorem in eiſdem Civitatibus, & Dięceſibus obtentu privilegii hujuſmodi deputavit, tuque Inquiſitionis negotium hujuſmodi prędictorum vigore aliquandiu fideliter exercuiſti, etiam contra quendam Nicolaum Serrurarii . . . . Tornacen. de hęreſi infamatum, & alios hęreticos diligenter procedendo, prędictorum meritorum tuorum intuitu, favore proſequi gratioſo, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi ut etiam quoad vixeris de dicto officio per Provincialem dictę Provincię pro tempore exiſtentem, vel alium quemcunque abſque cauſa rationabili nequeas amoveri, quodque in eiſdem Civitatibus, & Dięceſibus, & aliis locis, in quibus hujuſmodi officium juxta conſuetudinem dicti Ordinis habes exercere, tempore generalis interdicti etiam, ex quacunque cauſa verbum Dei proponere, & prędicare, necnon miſſas, & alia Divina officia, interdictis, & excommunicatis excluſis, celebrari facere, quodque etiam unum Fratrem dicti Ordinis, ad hoc voluntarium, quoties tibi placuerit, aſſumere, & illum pro tuę voluntatis libitu mutare, ac loco ejus alium recipere, ſuperioris, aut dicti Fratris, ſeu alterius cujuſcunque licentia ſuper hoc minime requiſita, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, indulgemus. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum XV Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Diplomatis cauſa.

F. Odricus Inquiſitor creatur.

Clauſula derogans.

1. *Odricus.*) Forſan *Odericus.* Sic eum vocat *Fontana Monumen. Ord. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXXIV pag.* 316.
2. *Biſuntinus.*) In *Burgundiæ* Comitatu. Inquiſitoris *Biſuntini* juris ac poteſtatis erant Diœceſes illæ, de quibus hoc in Diplomate.
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.* 290. Ejuſdem Diplomatis meminere, *Fontana in Monument. Ordinis ad an. MCCCCXXIV,* & *Echard,* mox laudatus.
4. *Antonius Coſte.*) Adeas *Echard Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXXV pag.* 775.
5. *Provincialis.*) Electus anno *MCCCCXX.*

Anno 1424 Die 12 Aprilis.

F. Ricardum (1) de Belmer creat Epiſcopum Achadenſem.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Ricardo Belmer Electo Akaden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Donato Epiſcopo Akaden. regimini Akaden. Eccleſię pręſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Donati, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus hac vice pręter Nos, diſponere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in ſacra Theologia Baccalaurium, & in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis; Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, pręfatę Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſ-

& Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctum Petrum II Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Ricardum*.) De quo in *Appendice ad Præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIX fol. 71*.

F. Leonardo (1) de Florentia in quoſdam Fraticellos. Anno 1424 Die 24 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Leonardo de Florentia Ordinis Fratrum Prędicatorum, & Sacrę Paginę profeſſori, ac ejuſdem Ordinis Generali Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLX.

DUdum ſiquidem cauſam Inquiſitionis hęreticę pravitatis, contra Bartholomęum Matthęi, & Johannem Maſini de Luca, ac Bartholomęum Petei de Piſis, Fraticellos de opinione communiter nuncupatos, tibi, & collegis tuis, tunc Senenſi (3) Generali Concilio pręſidentibus (4), audiendam, & cognoſcendam commiſimus, & fine debito terminandam; Poſtmodum vero dicto Concilio diſſoluto, ipſiſque collegis ad noſtram pręſentiam venientibus, te ex certis cauſis Florentiam contuliſti, ubi dicti Fraticelli reſident de pręſenti. Nos igitur, qui hęreſes, & errores de vinea Domini ſabaoth cupimus penitus extirpari, atque ſuccidi, ſuper iis, ne propterea dicta cauſa indeciſa remaneat, providere volentes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus cauſam ipſam in eo ſtatu, in quo ultimo coram te, & eiſdem collegis indeciſa remanſit auctoritate noſtra reſumas, eamque per te, vel alium eccleſiaſticum virum idoneum, quem ſuper hoc ſubſtitueris, ulterius audias, & debito fine decidas, faciens, quod decreveris, per cenſuram eccleſiaſticam, & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, firmiter obſervari. Teſtes autem, qui fuerint nominati, ſi ſe gratia, odio, vel timore ſubtraxerint, cenſura ſimili, appellatione ceſſante, compellas veritati teſtimonium perhibere. Nos enim tibi in ſolidum pręfatam cauſam per te, vel alium, ut pręfertur, cum omnibus ſuis emergentibus, dependentibus, & connexis reſumendi, audiendi, decidendi, & fine debito terminandi, & quę ſuper hoc ſtatueris, decreveris, & ordinaveris, executioni debitę demandari faciendi, & ſuper pręmiſſis, ſi opus fuerit, auxilium ſecularis brachii invocandi, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, concedimus facultatem; diſtrictius inhibentes Inquiſitori hęreticę pravitatis in illis partibus exiſtenti, ne de cauſa ipſa ſe quomodolibet intromittat, aut in illius proſecutione, & deciſione, te, vel a te ſubſtitutum perturbet, impediat, vel moleſtet, per ſe, vel alios quovis modo. Non obſtantibus pręmiſſis, ac conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctum Petrum VIII Kalendas Maii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Leonardo*.) Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXIV pag. 755*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar authenticum. Autographum eſt *Florentia in* Cœnobio *S. Mariæ Novellæ*. Plumbum filis cannabinis appenditur.

3. *Senenſi*.) In *Hetruria*.

4. *Præſidentibus*.) *Martinus*, *V nuncupatus*, inquit *Echard* ſupra laudatus, *cum perſpectas Leonardi dotes egregias haberet, quas in utraque Synodo Piſana, & Conſtantienſi palam fecerat, eundem cum Petro Archiepiſcopo Spaletano, & Petro Abbate de Roſacco ſelegit, qui ſuo nomine Papiæ primum, quo proximum antea fuerat indictum Concilium, tum & Senis, quo graſſante lue poſtea translatum fuit, & coactum anno MCCCCXXIII præeſſet Nuncius Apoſtolicus, quo, & egregie functus eſt munere a XXII Junii anni dicti ad XXVI Februarii MCCCCXXIV, ut, & acta ipſa teſtantur*. Conſulendus *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. IX pag. 376*.

Conſervatores creat, qui Decretalem (1), quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervandam curent. Anno 1424 Die 18 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Tranen. (3), & Baren., ac Brundiſio. Archiepiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXI.

FRequentes hactenus &c. (4). Nuper etiam pro parte venerabilis Fratris noſtri Joſue Epiſcopi Monopolitan. (5). & dilectorum filiorum Capitulorum Majoris Monopolitan., & aliarum Eccleſiarum Civitatis, & Dięceſis Monopolitan., necnon Prętatorum, Conventuum, Priorum, Rectorum, Curatorum, Sacerdotum, & Vicariorum Parochialium, ac Cleri tam Regularium, quam Secularium civitatis, & Dięceſis prędictarum nobis extitit intimatum &c. (6). Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XV Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Decretalem*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, & IX*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXV fol. 61*.

3. *Tranen*.) In Regno *Neapolitano*, ubi ceteræ Diœceſes, de quibus hoc in Diplomate.

4. *Frequentes hactenus &c.*) Ut in *Conſtitutione III Clementis VI* ad hæc uſque verba: *Partibus inferuntur*.

5. *Monopolitan*.) Vulgo *Monopoli*, in Agro *Bariano*.

6. *Intimatum &c.*) Ut in Diplomate mox laudato ad finem uſque.

In-

Digitized by Google

Anno 1424 Die 21 Maii.

Innovat Conſtitutionem, qua Nicolaus IV declarat, Fratres Prædicatores hæreditates adire poſſe (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Apoſtolicę Sedis circumſpecta ſolertia ad id libenter intendit, ut Sedis ejuſdem privilegia piis, aut rationabilibus cauſis conceſſa, ſi forſan vetuſtate, aut negligentia conſumantur, cum illud debire requiritur, innovatione reſtauret, & auctoritate fulciat innovata. Sane pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literas per fel. rec. Nicolaum Papam, Prędeceſſorem noſtrum, vobis conceſſas,
Supplex petitio. quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, quarumque tenorem de verbo ad verbum prępſentibus inſeri fecimus, cum incipiant vetuſtate conſumi, innovare de benignitate Apoſtolica dignaremur; quarum quidem literarum tenor talis eſt. Nicolaus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, & Fratribus Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum olim ex parte veſtra
Tenor Conſtitutionis Nicolai IV. felicis recordationis Clementi Papę Prędeceſſori noſtro fuiſſet expoſitum &c. (3). Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, eaſdem literas auctoritate Apoſtolica innovamus, & prępſentis ſcripti patrocinio communimus, ita tamen quod literis ipſis in illis duntaxat locis, in quibus hactenus eis quiete uſi eſtis, deinceps & uti, & gaudere poſſitis, per hoc autem nullum jus de novo vobis acquiri volumus, ſed antiquum, ſi quod habetis, tantummodo conſervari. Nulli ergo &c. noſtrę innovationis, voluntatis, & communitionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Poſſe.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.* 101.
3. *Expoſitum &c.*) Ut in *Conſtitutione XXII Nicolai IV* ad finem uſque.

Anno 1424 Die 20 Julii.

Ædes ſacras Lubicenſis (1) Cœnobii, in quo FF. Prædicatores Generale Capitulum celebraturi erant, viſitantibus elargitur Indulgentias conceſſas inviſentibus Apoſtolorum limina.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXIII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, prępſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Licet is &c. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Magiſter Generalis, & Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum, Generale Capitulum juxta morem, & obſervantiam ipſius Ordinis in Eccleſia eorundem Fratrum Lubicen. in Feſtivitate Pentecoſtes proxime ventura, in honorem omnipotentis Dei, & augmentum devotionis Chriſti fidelium celebrare proponant; Nos, cupientes, quod hujuſmodi devotio, auctore Domino, ſuſcipiat incrementum, & ut fideles ipſi ad id ferventius animentur, quo uberius
Indulgentia. ſpiritualibus muneribus ſe ſenſerint prępveniri, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, de Civitate, vel Dięceſi Lubicen. conſiſtentibus, ſenio, vel infirmitate, ſeu guerris, aut aliis cauſis legitime impeditis, adeo quod Limina prędictorum Apoſtolorum de Urbe commode viſitare nequeant, qui per quindecim pręcedentes, & quindecim dies feſtivitatem prędictam immediate ſequentes, prępfatam Eccleſiam cauſa devotionis viſitaverint, & ad ejus fabricam manus porrexerint adjutrices, ſingulis videlicet dierum prędictorum diebus, quibus Eccleſiam ipſam devote viſitaverint, & manus adjutrices porrexerint, ut prępfertur, illam Indulgentiam, & remiſſionem peccaminum ſuorum, hac vice duntaxat, auctoritate Apoſtolica, tenore prępſentium, miſericorditer elargimur, quas viſitantes limina prępfata, annuatim quomodolibet conſequuntur. Datum Gallicani, Pęneſtrin. Dięceſis, XIII Kal. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Lubicenſis.*) *Lubecenſis*, vulgo *Lubeck*, in *Holſatia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.* 101.

Elec-

Electionem Prioriſſæ Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ Valentin. (1) confirmat.

Anno 1424 Die 26 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Iſabelię de Belluis, Prioriſſę Monaſterii Monialium Sanctę Marię Magdalenę Valentin., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RElígionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te favoribus Apoſtolicis proſequamur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod olim Monaſterio Monialium Sanctę Marię Magdalenę Valentin., per Prioriſſam ſolito gubernari, Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, cui tunc dilecta in Chriſto filia Valenſona Doſo, ipſius Monaſterii Prioriſſa, pręſidebat, ex eo vacante, quod dilectus filius Andreas Ros (3) prędicti Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Magiſter in Theologia, ac dilecti filii Leonardi ejuſdem Ordinis Generalis Magiſtri in Provincia Aragonię, ſecundum ipſius Ordinis morem, Vicarius Generalis, pręfatam Valenſonam, auctoritate Vicariatus hujuſmodi, a regimine, & adminiſtratione ipſius Monaſterii abſolverat, Prioriſſę regimine deſtituto, dilectę in Chriſto filię Conventus ejuſdem Monaſterii pro celebranda electione futurę Prioriſſę ipſius Monaſterii, vocatis omnibus, quę electioni hujuſmodi debuerunt, ac potuerunt, & voluerunt commode intereſſe, die ad eligendum pręfixa, ut moris eſt, convenientes, in unum, te ejuſdem Monaſterii Monialem, prędictum Sancti Auguſtini Ordinem expreſſe profeſſam, & in ętate legitima conſtitutam, de nobili quoque genere procreatam, in hujuſmodi Monaſterii Prioriſſam concorditer elegerunt, tuque electioni hujuſmodi illius tibi pręſentato decreto conſentiens, illam obtinuiſti ab eodem Vicario auctoritate prędicta confirmari, quodque tu electionis, necnon confirmationis hujuſmodi vigore ipſius Monaſterii regiminis, & adminiſtrationis prędictorum poſſeſſionem pacificam aſſecuta, Monaſterium ipſum ex tunc laudabiliter rexiſti, & etiam gubernaſti, prout regis, & gubernas etiam de pręſenti. Quare pro parte tua fuit Nobis humiliter ſupplicatum ut electioni hujuſmodi, & aliis inde ſecutis robur Apoſtolicę confirmationis adjicere, & alias in pręmiſſis opportune tibi providere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes te pręmiſſorum meritorum tuorum intuitu, favoribus proſe ... i gratioſis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, electionem prędictam, & alia inde ſecuta rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; Supplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & inſuper quod ab eiſdem regimine, & adminiſtratione, quandiu bene rexeris, nequeas amoveri, prędicta auctoritate Apoſtolica tibi concedimus per pręſentes. Nulli ergo &c. noſtrę confirmationis, communitionis, & conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Gallicani, Pręneſtin. Dięceſis, VII Kalendas Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Diplomatis edita.

Confirmatio.

1. *Valentin.*) In *Hiſpania Tarraconenſi*. Conſulenda *Hiſtoria* hujuſce regii Monaſterii edita paucis ab hinc annis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol.*221.
3. *Andreas Ros.*) Cujus meminit *Diago Hiſtor. Provincia Aragon. Lib.I Cap.XXXV fol.*64.

Neapolitanum (1) Monaſterium S. Sebaſtiani confert Monialibus Ordinis Fratrum Prædicatorum.

Anno 1424 Die 4 Auguſti.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Severini Neapolitan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

Exordium.

DIgna reddimur attentione ſoliciti, ut in admittendis earum vocibus benevolum amplectamur affectum, quę illecebris mundanis, ac mortalis viri toro repulſis, in illius, qui ſpecioſus eſt prę filiis hominum, beneplacitis, ſub regulari obſervantia laudabiliter converſantur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Petri ad Caſtellum Neapolitan., Ordinis (3), ſub cura, & regimine Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, petitio continebat, quod guerris, turbationibus, & aliis calamitatibus in Regno, & Civitate Neapolitan. vigentibus, Monaſterium prędictum per ſacrilegos, & pacis ęmulos, timore Dei poſtpoſito, pręfatis Prioriſſa, & Conventu, rebus, & bonis ſuis, etiam libris, calicibus, ceteriſque ornamentis Eccleſię, inhumaniter ſpoliatis, & ab eodem Monaſterio turpiter ejectis, ignis incendio extitit devaſtatum, in earundem Prioriſſę, & Conventus totalem deſolationem, ita quod eis locus, prout deceret, ſimul cohabitandi, & manendi in dicto Monaſterio ſuis facultatibus nullatenus ſit aptandus. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Monaſterium S. Sebaſtiani Neapolitan., Ordinis S. Benedicti, in quo unicus tantum Monachus reſidere cenſetur, quod venerabilis Frater noſter Cobellus Epiſcopus Militen. obtinet in commendam, pro cohabitatione, & aliquali ſuſtentatione Prioriſſę, & Conventus pręfatarum aptari poterit commodius, ac etiam deputari, pro parte ejuſdem Prioriſſę, & Conventus earundem, quę triginta ſunt numero, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut Commendam revocare, & Monaſterium Ordinis S. Benedicti hujuſmodi cum juribus, & pertinentiis ſuis, pro ipſarum habitatione, & ſuſtentatione deputare, &

Supplex petitio.

Conceſſio.

con-

Digitized by Google

concedere, ac alias in præmiſſis opportune eis providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur, Nos igitur, animarum periculis, quę ex diſperſione Prioriſſę, & Conventus præfatarum veriſimiliter evenire formidantur, obviare cupientes, necnon Commendam hujuſmodi ex certis cauſis revocantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, Monaſterium Ordinis S. Benedicti præfatum cum omnibus poſſeſſionibus, juribus, & pertinentiis, obventionibus, necnon bonis mobilibus, & immobilibus univerſis, præſentibus, & futuris, ac omni juriſdictione, dominio, & poteſtate ſub Ordine S. Auguſtini, necnon cura, & regimine Fratrum Prędicatorum, Prioriſſę, & Conventui prędictis, pro earum commoda habitatione, & ſuſtentatione, ſervatis etiam ipſis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, quacunque auctoritate eis conceſſis, quibus hactenus gaviſę ſunt, auctoritate noſtra deputes, & concedas; ita tamen, quod Monachus ipſe quoad vixerit in eodem Monaſterio, prout inibi habitare conſuevit, commodum, & vitę habeat neceſſaria; inducens per te, vel alium, ſeu alios Prioriſſam, & Conventum prędictas in corporalem poſſeſſionem Monaſterii conceſſi, juriumque, pertinentiarum, bonorum, & obventionum prędictarum, auctoritate prędicta, & defendens inductas, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac faciens ipſis Prioriſſę, & Conventui, de ipſius Monaſterii conceſſis fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi. Contradictores auctoritate noſtra compeſcendo; Non obſtantibus quibuſcunque, ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum, & Ordinum prędictorum, contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, aut ſi aliquibus communiter, vel diviſim, a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, mentionem. Datum Gallicani Prenèſtin. Diœceſis II Non. Auguſti, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

Clauſula decorgans.

1. *Neapolitanum.*) In ejuſdem nominis Regni Metropoli.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXVII fol. 60.*
3. *Ordinis.*) Adderem *S. Auguſtini.*

Anno 1424 Die 11 Octobris.

F. Dominicum (1) Mariconde præficit Alexanenſi Eccleſiæ.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Mariconde Electo Alexanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Cathedralium Eccleſiarum apud Sedem Apoſtolicam tunc vacantium, & in antea vacaturarum, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę reſervantes, decrevimus ex tunc irritum & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero Eccleſia Alexanen., ex eo apud eandem Sedem vacante, quod Nos dudum venerabilem Fratrem noſtrum Johannem Moran. tunc Alexanen. Epiſcopum apud Sedem conſtitutum prędictam, a vinculo, quo Alexanen. Eccleſię, cui tunc preerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Muran., tunc paſtore carentem, duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, pręficiendo eum præfatę Moran. Eccleſię in Epiſcopum & Paſtorem, Nos, ad proviſionem ejuſdem Alexanen. Eccleſię celerem & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne dicta Alexanen. Eccleſia longioris vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Alexanen. Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum eiſdem Fratribus habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos laudabilia teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ipſi Alexanen. Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctam Mariam Majorem V Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Septimo.

1. *Dominicum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro LXXXIX fol. 194.*

Anno 1424 Die 18 Decembris.

F. Petrus (1) de Ceno Archadienſi Eccleſiæ præficitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Ceno Electo Archadien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Michaele Archadien. regimini Archadien. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per operationis noſtrę miniſterium, utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię or-

ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum dicti Michaelis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Theologia Baccalarium, & in Presbyteratus Ordine conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, & aliis multiplicium virtutum meritis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & dictis Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XV Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Petrus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVIII fol.* 221.

Atellenſis (1) Monaſterii fundandi facultas.

Anno 1425 Die 9 Januarii.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

CLXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimę in Chriſto filię Johannę Secundę (3) Sicilię Reginę Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Piis votis fidelium libenter annuimus, & his, quę Religionis propagationem, & divini cultus augmentum reſpiciunt, favorem benevolum impertimur. Sane pro parte tua Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim quondam Nardus de Alexandrello, civis de Atella, de propria ſalute recogitans, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, de bonis ſibi a Deo collatis condens in ejus voluntate ultima teſtamentum, inter cetera voluit, & ordinavit, quod ad laudem omnipotentis Dei, & ob reverentiam Sanctę Catharinę Virginis, ad quam ſpecialis gerebat devotionis affectum, quoddam Monaſterium ſub vocabulo ejuſdem S. Catharinę, & ſub ea religione, ſub qua tuę ſerenitati videretur, in Civitate Atellę, in loco ad id congruo, & honeſto, de ejuſdem bonis fundaretur, & conſtrueretur, quodque celſitudo tua provide, attenteque conſiderans, Monaſterium Monialium S. Petri ad Caſtellum extra muros Neapolitan., ſub cura Ordinis Fratrum Prędicatorum, propter guerrarum turbines, aliaſque calamitates diverſas, quę partes illas pręteritis temporibus miſerabiliter afflixerunt, in ſuis ędificiis, & ſtructuris adeo diruptum, & collapſum exiſtere, quod Moniales de nobili proſapia utique genitę, ac ſanctę devotionis, & vitę, tuęque oratrices familiares, & devotiſſimę, quę in eodem Monaſterio ſedulum, devotumque reddere ſolebant Domino famulatum, nullum habent locum, in quo commode. & honeſte valeant reſidere, & propterea eadem tua Serenitas etiam voluntatem pręfati Teſtatoris debite exequi, ac Monialibus pręfatis ſuper pręmiſſis ſalubriter providere totis pręcordiis cupiens, Monaſterium fundandum hujuſmodi in loco pręfato fundare, & conſtruere, ac ad illud Moniales pręfatas, pro eorum commodo transferre, ipſumque Monaſterium fundandum de Monaſterii S. Petri, ac teſtatoris pręfatorum, necnon de tuis propriis bonis, pro ſuſtentatione Monialium hujuſmodi, competenter dotare proponis, ſi ad hoc Sedis Apoſtolicę accedat aſſenſus. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi fundandi, & conſtruendi, ſeu fundari, & conſtrui faciendi Monaſterium hujuſmodi in dicto loco cum Eccleſia, Altaribus, domibus, & aliis neceſſariis officinis, illudque, ut pręfertur, dotandi, ac ad ipſum Moniales prędictas ponendi, & transferendi, licentiam de benignitate Apoſtolica concedere dignaremur. Nos igitur, qui divinum cultum noſtris vigere & augeri temporibus, ſummis deſideriis affectamus, tuum pium propoſitum condignis in Domino laudibus plurimum commendantes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi Monaſterium prędictum cum Eccleſia, Altaribus, domibus, & aliis officinis hujuſmodi, in dicto loco de Atella, & ſub vocabulo pręfatę S. Catharinę, fundandi, & conſtruendi, ſeu fundari, & conſtrui faciendi, illudque, ut pręfertur, dotandi, & in eo, poſtquam conſtructum fuerit pariter, & dotatum, Moniales recipi faciendi, ipſiſque Monialibus ad illud ſe transferendi, & in eodem fundando Monaſterio perpetuo remanendi, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur. Nos enim Monaſterium hujuſmodi, poſtquam fundatum fuerit, & erectum, ac perſonas in illo pro tempore degentes cum omnibus juribus, membris, & bonis ſuis, quę dante Domino eędem perſonę poſſidebunt & juſto titulo adipiſci poterunt, ab omni juriſdictione, dominio, poteſtate, correctione, & inſtitutione Generalis, ac Provincialis, dicti Ordinis Miniſtrorum, necnon quorumcunque Ordinariorum, juriſdictione, uſque ad dictę Sedis beneplacitum, auctoritate prędicta, eximimus, & totaliter liberamus, eaſque, & ea ſub B. Petri protectione ſuſcipimus, atque noſtra, ac exemptas eſſe decernimus, & exempta, Nobiſque, & Romanę Eccleſię, hujuſmodi durante beneplacito, volumus immediate ſubeſſe; Non obſtantibus voluntate pręfati Teſtatoris, ac fel. rec. Innocentii PP. IV, Prędeceſſoris noſtri, & aliis conſtitutionibus Monaſterii S. Petri, & Ordinis prędictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alias roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę conceſſionis, exemptionis, libertatis, ſuſcep-

Supplex Reginæ petitio.

Facultas.

Subjectio immediata ſoli Sedi Apoſtolicæ ad tempus.

Clauſula derogans.

Sanctio pœnalis.

ſuſceptionis, conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos V Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Atellenſis.*) In Regno *Neapolitano* ad radices *Appennini* montis.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. C fol.* 144.
3. *Johannæ Secundæ.*) Quæ *Johannella* vulgo vocatur.

Anno 1425 Die 17 Februarii.

Ut Conſodales Societatis S. Catharinæ, Barchinone conſtitutæ, ſemel in vita a Sacerdote, quem elegerint, poſſint peccatis omnibus abſolvi.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CLXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

INjunctum Nobis cęlitus paſtoralis curę officium digne peragere non ambigimus, ſi ad ea ſolicitę benignitatis extendamus affectum, quę pro ſervandis peramplius perſonarum, virtutum Domino devote militantium, conſcientiis prodire conſpicimus, & animarum illis afferre valeant ſalutis incrementum.

Supplex petitio.

Cum itaque, ſicut accepimus, in Civitate Barchinon. ſit quędam utriuſque ſexus chriſticolarum Societas, ſive fraternitas, S. Catharinę nuncupatorum, quę apud Eccleſiam ejuſdem Sanctę Domus Fratrum Prędicatorum Barchinonen. ſingulis diebus in aurora Miſſam ſolemnem cum cereis magnis hactenus celebrari facere conſuevit,

Conceſſio.

Nos, eorundem in hac parte ſupplicationibus inclinati, omnibus & ſingulis perſonis utriuſque ſexus dictę Societatis, impręſentiarum exiſtentibus, tenore pręſentium indulgemus, ut Confeſſor, quem quęlibet earum duxerit eligendum, omnium peccatorum ſuorum, de quibus corde contritę & ore confeſſę fuerint, ſemel tantum in mortis articulo, plenam remiſſionem ipſis in ſinceritate fidei, unitate Sanctę Romanę Eccleſię, ac obedientia, & devotione noſtra, vel Succeſſorum noſtrorum Romanorum Pontificum, canonice intrantium, perſeverantibus auctoritate Apoſtolica concedere valeat, ſic tamen quod idem Confeſſor de his, de quibus fuerit alteri ſatisfactio impendenda, eam perſonis ipſis per eas, ſi ſupervixerint, vel per hęredes ſuos, ſi tunc forte tranſierint, faciendam injungat, quam perſonę, vel hęredes ipſi facere teneantur. ut pręfertur. Et ne, quod abſit, perſonę ipſę propter hujuſmodi gratiam reddantur procliviores ad illicita in poſterum committenda, volumus, quod ſi perſonę ipſę, vel earum aliquę ex confidentia remiſſionis hujuſmodi aliqua forte committerent, eis, quoad illa, prędicta remiſſio nullatenus ſuffragetur,

Opus injunctum pro tali Indulgentia.

quodque ſingulę perſonę hujuſmodi, per unum annum a tempore, quo pręſens noſtra conceſſio ad earum notitiam pervenerit computandum, ſingulis ſextis feriis, impedimento legitimo ceſſante, jejunent: quod ſi perſonę ipſę prędictis feriis, ex pręcepto Eccleſię, regulari obſervantia, injuncta pęnitentia, voto, vel alias jejunare teneantur, una alia ſingularum ſeptimanarum ejuſdem anni, qua ad jejunandum, ut pręmittitur, non ſint aſtrictę, jejunent, & ſi in dicto anno, vel aliqua ejus parte eſſent legitime impeditę, anno ſequenti, vel alias quamprimum poterunt, modo ſimili ſupplere hujuſmodi jejunium teneantur. Porro ſi perſonę ipſę forſan alias prelibatum jejunium in toto anno, vel in parte quandocunque commode adimplere non poſſent, eo caſu Confeſſor prędictus, quem ad hoc elegerint, jejunium ipſum in aliqua pietatis opera, prout animarum ipſarum ſaluti expedire viderit, commutare valeat, quę perſonę ipſę pari modo adimplere debeant, alioquin hujuſmodi noſtra pręſens conceſſio nullius ſit roboris, vel momenti. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud Sanctos Apoſtolos XIII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. C fol.* 187. Aliud ibidem aſſervatur authenticum *Libro B. fol.* 617, ex Autographo *Barchinonenſi*.

Anno 1425 Die 17 Februarii.

Facultatem concedit Societati Sanctæ Catharinæ erectæ in Eccleſia ejuſdem nominis Barchinonen. divina celebrandi tempore interdicti.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CLXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

DIgna exauditionis vota perſonarum Deo devote famulantium libenter Apoſtolico favore proſequimur, eiſque aſſenſum benevolum impartimur. Cum itaque, ſicut accepimus, in Civitate Barchinonen. ſit quędam Societas, ſive fraternitas utriuſque ſexus fidelium, Sanctę Catharinę nuncupatorum, qui apud Eccleſiam Sanctę Catharinę Domus Fratrum Prędicatorum Barchinonen. qualibet die in aurora Miſſam ſolemnem cum magnis cereis luminaribus celebrari facere, hactenus conſueverunt,

Facultas.

Nos, ut fidelibus ipſis continuandi pręmiſſa major adſit facultas, etiam cariſſimi in Chriſto filii noſtri Alfonſi, Regis Aragonum Illuſtris, Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, ſupplicationibus inclinati, eiſdem fidelibus auctoritate pręſentium indulgemus, ut ſi quando deinceps Civitatem prędictam eccleſiaſtico forſan ſupponi contigerit interdicto, ne per hoc hujuſmodi celebratio valeat impediri, liceat eiſdem fidelibus in Eccleſia pręfata, clauſis januis, interdictis, & excommunicatis excluſis, ſummiſſa voce, & non pulſatis campanis, Miſſam hujuſmodi in eorum, qui de Societate ipſa fuerint, duntaxat pręſentia, facere celebrari, dummodo ipſi, aut eorum aliqui cauſam non dederint Interdicto, nec id ipſis contigerit ſpecialiter interdici: pręſentibus poſt decennium minime valituris.

Sanctio pœnalis.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę conceſſionis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſ-

præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Dat. Romę apud Sanctos Apoſtolos XIII Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. C fol.* 187. Exemplar authenticum ex Autographo *Barchinonenſi* legitur *Lib. B. fol.* 617.

Lavarenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1425 Die 19 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nobili viro Petro, cariſſimi in Chriſto filii noſtri Johannis (3) Portugallię & Algarbii Regis nato, Duci Colimbrię, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXI.

Sincerę devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam, promeretur, ut votis tuis, illis pręſertim, quę divini cultus augmentum reſpiciunt, favorabiliter annuamus. (Exordium.) Sane petitio tua, Nobis nuper exhibita, continebat, quod tu pia devotione ſuccenſus, ac cupiens terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, pro tua, ac progenitorum tuorum animarum ſalute de bonis tuis, tibi a Deo collatis, quandam Domum in loco de Aveyro, Colimbrien. Diœceſis, ac hoc utique congruo, & honeſto, ędificari facere incepiſti, quam pro habitatione Fratrum Ordinis Prędicatorum, cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, poſtquam conſtructa fuerit, ipſis Fratribus pro hujuſmodi eorum habitatione, pie donare deſideras, ſi ad id Apoſtolicę Sedis accedat aſſenſus. (Supplex petitio.) Quare Nobis humiliter ſupplicaſti, ut dictam Domum, cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi, in loco pręfato, tibi ulterius ędificandi, & fundandi, eamque dictis Fratribus donandi, ac eiſdem Fratribus illam recipiendi, & pro hujuſmodi eorum habitatione perpetuo retinendi, licentiam concedere, & alias eis in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. (Facultas.) Nos igitur, qui eundem cultum noſtris temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi prędictam Domum, cum pręfatis Eccleſia, campanili, campana, hortis, hortalitiis, domibus, & officinis in loco prędicto ulterius conſtrui faciendi, & poſtquam conſtructa fuerit, illam cum Eccleſia, campanili, campana, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis officinis hujuſmodi, eiſdem Fratribus donandi, ac ipſis illam pro eorum habitatione, & uſu recipiendi, & perpetuo retinendi, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur; fel. rec. Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel villa, ſeu alio loco quocumque ad habitandum domos, vel loca quęcunquę de novo recipere pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia ejuſdem Sedis conſtitutione contraria non obſtante. Volumus autem, quod dicti Fratres, qui pro tempore in eadem Domo reſidebunt, omnibus, & ſingulis privilegiis, immunitatibus, & libertatibus uti, & gaudere libere, & licite poſſint, & debeant, quibus ceteri Fratres dicti Ordinis Prędicatorum gaudent, & potiuntur, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuſcunque alterius in omnibus ſemper ſalvo. (Sanctio pœnalis.) Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XI Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Lavarenſis.*) Vulgo *Averro*, in *Portugallia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro C fol.* 69.
3. *Johannis.*) Hujus nominis *I*, cognomento *Patris Patriæ*.

F. Dominicum (1) Johannis Epiſcopum Teralbenſem conſtituit.

Anno 1425 Die 28 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Johannis Electo Teralben., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CLXXII.

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem Matthęo Epiſcopo Teralben. Eccleſię prędidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Matthęi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam deceſſit, vacante, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem pręfatę Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, Religionis zelo conſpicuum, literarum ſcientia prędditum, vitę, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, ac aliis multiplicium virtutum donis, prout ex fide dignorum teſtimoniis percepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meri-

meritorum accepta eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos II Kal. Martii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Dominium.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVIII fol. 237.*

Anno 1425 Die 6 Maii.

Aſſignat quingentos florenos auri de Camera pro reficiendo Cœnobio (1) S. Mariæ Regalis *de Nieva.*

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXIII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Placentin., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SIncerę devotionis affectus, quem dilecti in Chriſto filii Prior & Fratres Domus Ordinis Prędicatorum S. Marię Regalis de Nieva Segobien. Diœceſis, ad Nos & Romanam gerunt Eccleſiam, promeretur, ut petitionibus eorum, illis prę ſertim, per quas ipſius Domus neceſſitatibus conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioris & Fratrum Prędicatorum, petitio continebat, prędicta Domus poſt conſtructionem ſuam in terram ſemel ruerit, & tam in ędificiis, quam in ornamentis eccleſiaſticis magnis reparationibus indigere noſcatur, Nos, ipſorum Priorum & Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, de legatis Teſtatorum ad pias & incertas

Conceſſio. cauſas, in Toletan., Segobien., Valentin., Placentin., & Salmantin. Diœceſibus pro tempore factis, ſeu faciendis, ſummam quingentorum florenorum auri de camera in reparationem Eccleſię, ac ędificiorum, & ornamentorum prędictorum, integre commutandam, eiſdem Priori, & Fratribus, auctoritate noſtra concedas pariter, & aſſignes, faciens eiſdem Priori, & fratribus de legatis hujuſmodi uſque ad ſummam prędictam per illos, ad quos legatorum hujuſmodi adminiſtratio, diſtributio, ſeu diſpoſitio quomodolibet pertinebit, cum effectu integre reſponderi. Contradictores per cenſuram &c. Non obſtantibus ordinationibus Apoſtolicis, ac provincialibus, & ſynodalibus conſtitutionibus, necnon ſtatutis & conſuetudinibus prędicti Ordinis, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, aliiſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi aliquibus communiter, vel diviſim a Sede Apoſtolica ſit indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, proviſurus, quod ſumma prędicta perveniat ad manus talium perſonarum, & quod in reparationem prędictorum integre & fideliter convertatur. Dat. Romę apud Sanctos Apoſtolos II Non. Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Cænobio.*) Eſt in *Hiſpania*, ubi Civitates omnes, de quibus hoc in Diplomate.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXVIII fol. 93.*

Anno 1425 Die 14 Maii.

F. Johannes (1) Grignardi Gebeldenſis Epiſcopus renunciatur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CLXXIV. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Grignardi Electo Gebelden., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SUſcepti cura regiminis &c. Dudum ſiquidem Jacobo, Epiſcopo Gebelden., regimini Eccleſię Gebelden. prę ſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, utilem, & idoneam per Apoſtolicę Sedis providentiam prę ſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero dicta Eccleſia per obitum ipſius Jacobi, qui extra Romanam Curiam debitum naturę perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam ſuper his cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, & in Sacerdotio conſtitutum, literarum ſcientia prędi tum, vitę, ac morum honeſtate decorum, in ſpiritualibus providum, & in temporalibus circumſpectum, aliiſque multiplicium virtutum meritis, prout fide dignorum teſtimoniis accepimus, inſignitum, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Dat. Romę apud Sanctos Apoſtolos II Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Johannes.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVIII fol. 319.*

Cœno-

Cœnobii (1) Urceorum Novorum fundandi facultas.

Anno 1425
Die 28 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Prępoſito Monaſterii Sancti Petri in Oliveto Brixien., per Prępoſitum ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXXV.

Exordium.

Supplex petitio.

PIis fidelium votis, prępertim illis, per quę divini cultus augmentum, &, ſacra Religione propagata, animarum ſalus procuratur, libenter annuimus, illiſque favorem Apoſtolicum impertimur. Sane petitio, pro parte dilectorum filiorum habitatorum & incolarum oppidi Urcearum Novarum (3), Brixien. Dięceſis, Nobis nuper exhibita continebat, quod ipſi ad Ordinem Fratrum Prędicatorum, ejuſque profeſſores ſingularem gerentes devotionis affectum, ac cupientes per illos ſuos in cęleſtibus reportare theſauros, in oppido prędicto, quod multum inſigne, & populoſum exiſtit, & a Civitate Brixien. per viginti milliaria illarum partium diſtare dignoſcitur, ſive illius diſtrictu in aliquo loco ad hoc habili, & idoneo, de bonis ipſis a Deo traditis unam Domum cum Eccleſia, campanili, campana, Domibus, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione nonnullorum Fratrum dicti Ordinis, inibi virtutum Domino ſerviturorum perpetuo, per quorum etiam prędicationem, & Evangelicę veritatis eloquium ipſi habitatores, & incolę in fide inſtrui, ac qualiter in ea perſiſtere, & ſuas animas lucrifacere debeant, edoceri valeant, de novo fundare, & erigere, ſeu fundari, & erigi facere deſiderant, ſi Sedis Apoſtolicę auctoritas ipſis ſuffragetur in premiſſis. Quare pro parte habitatorum, & incolarum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut hujuſmodi ipſorum deſiderio, grato concurrentes aſſenſu, ipſis fundandi, & erigendi, ſive fundari, & erigi faciendi pro eiſdem Fratribus Domum prędictam cum Eccleſia, campanili, campana, & aliis officinis prędictis, in oppido, vel diſtrictu hujuſmodi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem & cultum eoſdem noſtris potiſſime temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, tam pium ipſorum habitatorum, & incolarum propoſitum paternis non immerito proſequentes affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, habitatoribus, & incolis prefatis eandem Domum pro prędictis Fratribus cum Eccleſia, campanili, campana, aliiſque officinis prędictis in loco hujuſmodi fundandi, & erigendi, ſive fundari & erigi faciendi, necnon dilectis filiis Priori, & Fratribus Provincię Lombardię ſecundum morem dicti Ordinis Domum ipſam cum officinis hujuſmodi apprehendendi, & in ea perpetuo morandi, & Domino ſerviendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris. Non obſtantibus fel. rec. Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, in aliqua civitate, caſtro, villa, ſeu loco quocunque domos, ſeu loca quęvis, de novo recipere, vel recepta mutare pręſumant, ſine dictę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XIV Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Cœnobii*.) Juris eſt Provincialis utriuſque *Lombardię*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CX fol.* 114.
3. *Urcearum Novarum*.) *Urceorum Novorum*.

F. Dominicum (1) Grancorve de Raguſio Tribunienſem Epiſcopum conſtituit.

Anno 1425
Die 4 Julii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico Grancorve de Raguſio Electo Tribunien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CLXXVI.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne, Epiſcopo Tribunien., regimini Tribunien. Eccleſię prędidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prędidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernendo ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne etiam ipſa Eccleſia prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes poſt deliberationem, quam de prędiciendo eidem Eccleſię perſonam utilem & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos laudabilia teſtimonia perhibentur, pro quo etiam venerabilis Frater noſter Antonius Archiepiſcopus ejuſdem Eccleſię Metropolitan., & dilecti filii Capitulum Raguſin. Nobis per eorum literas humiliter ſupplicarunt, direximus oculos noſtrę mentis, quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, ipſi Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſi-

Digitized by Google

conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi præficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Dat. Romæ apud Sanctos Apoſtolos IV Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Dominicum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CVIII fol.* 117.

Anno 1425 Die 6 Septembris.

Ut Conventus B. Mariæ Regalis *de Nieva* (1) veniat in poſſeſſionem (2) bonorum, quæ F. Alfonſus Salmanticenſis (3) utenda habuit.

Ex Archivo (4) *Ordinis.*

CLXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Hiſpalen.; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SInceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Prior, & Fratres Domus Fratrum Prædicatorum Beatæ Mariæ Regalis de Nieva, Segobien. Diœceſis, Provinciæ Hiſpaniæ ſecundum ipſius Ordinis morem, ad Nos & Romanam gerunt Eccleſiam, non indigne meretur, ut petitionibus ipſorum, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. *Diplomatis cauſa.* Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Prioris, & Fratrum prædictorum, petitio continebat, in Conſtitutionibus Fratrum Prædicatorum inter cetera caveatur expreſſe, quod bona Fratrum ipſius Ordinis extra Provinciam, de qua ſecundum morem hujuſmodi fore dicuntur, decedentium, eidem Provinciæ debeantur, &, ſicut accepimus quondam Alfonſus de Salamantica (5) alias de Sibilia, prædicti Ordinis Frater, Ordinem ipſum expreſſe profeſſus, ſecundum morem hujuſmodi de Provincia prædicta exiſtens, ac nonnulla bona ad uſum ipſius habens, & tenens, extra prædictam Provinciam fuerit vita functus, licet nonnulli Laici bona hujuſmodi detineant occupata, Nos, volentes eoſdem Priorem, & Fratres dictæ Domus, qui, ut ipſi aſſerunt, novella plantatio exiſtit, & poſt illius conſtructionem magnam ruinam paſſa eſt, & propterea tam in ornamentis eccleſiaſticis, quam in ædificiis illius magnis reparationibus indiget, horum intuitu favore proſequi gratioſo, ipſorum Prioris & Fratrum dictæ Domus in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta *Mandatum.* mandamus, quatenus vocatis laicis prædictis, & aliis, qui fuerint evocandi, ſi eſt ita, omnia & ſingula mobilia, & immobilia bona hujuſmodi, quæ dictus Alfonſus ad uſum ipſius habebat, & tenebat, eiſdem Priori, & Fratribus dictæ domus, in reparationes Domus, ac ædificiorum & ornamentorum prædictorum, integre & fideliter convertenda, auctoritate noſtra donare, concedere, & aſſignare procures, faciens bona prædicta per Laicos hujuſmodi, aut alios illorum detentores, realiter tradi, & etiam aſſignari: contradictores per cenſuram eccleſiaſticam &c. *Clauſula derogans.* Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac prædictis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Domus, & Ordinis prædictorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, ſeu ſi eiſdem laicis, vel quibuſvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctos Apoſtolos VIII Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *De Nieva.*) In *Hiſpania.*
2. *Poſſeſſionem.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*
3. *Alfonſi Salmanticenſis.*) Ille videtur *Alfonſus Hiſpanus*, cujus accuratiorem notitiam deſiderabat eruditus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCLXXVIII pag.* 676. Ex hoc autem Diplomate *Alfonſi* patriam & Conventum cognoſcimus.
4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIX fol.* 110.
5. *De Salamantica.*) Seu *Salmanticenſis.*

Anno 1425 Die 9 Septembris.

Innovat Bonifatii IX Conſtitutionem, in qua inſcribitur Mare Magnum Gregorii XI.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CLXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. PRoviſionis noſtræ debet provenire ſubſidio, ut ſuum jus cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos tenorem quarundam literarum quondam Bonifatii, VIIII tunc in ſua obedientia nuncupati, in regeſtro ipſius repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Vicarii Generalis Priorum, & Fratrum Ordinis Prædicatorum, petitio continebat, ipſi hujuſmodi tenore ex certis cauſis ſe aſſerunt indigere, de regeſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad ipſorum ſupplicationis inſtantiam præſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. *Conſtitutionis Bonifatii tenor.* Bonifatius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prædicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Ex Apoſtolicæ Sedis proviſione &c (2). *Confirmatio.* Ceterum ut earundem literarum præfati Bonifatii, VIIII tunc nuncupati, tenor prædictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quæ haberent Originales præfati Bonifatii, VIIII tunc nuncupati, literæ præfatæ, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis dicti Bonifatii, VIIII tunc nuncupati, ſtaretur, ſi forent exhibitæ, vel oſtenſæ. Per hoc autem *Sanctio pœnalis.* nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed quod habet tantummodo conſervari. Nulli ergo &c.

Noſtrę Conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos V Idus Septembris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIX fol. 9.*

2. *Proviſione &c.*) Ut in *Conſtitutione CCXXI Bonifatii IX data XXVII Aprilis MCCCCII* ad finem uſque.

De Provinciali (1) Provinciæ Hiſpaniæ præficiendo.

Anno 1425 Die 17 Septembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę de Regno (3) Profeſſori, ac Vicario Generali, Ordinis Fratrum Prędicatorum per Sedem Apoſtolicam deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

AD pręſervandam in vinea Domini univerſam plantationem, ne putrefacta depereat, divinitus deputati, dum uberes fructus, quos Sacri Ordinis Fratrum Prędicatorum in vinea ipſa plantata Religio producit aſſidue, debita conſideratione metimur, ad ejus reformationem, & correctionem, cum ipſam in aliqua ejus parte in perſonis, moribus, & regularibus inſtitutis, percipimus deformatam, ſolicitudinis noſtrę partes adhibemus perpenſius. Ad noſtrum ſiquidem nuper, non ſine gravi noſtrę mentis diſplicentia, pervenit auditum, quod variis, & diverſis a quatuor fere annis citra inter Fratres Provincię Hiſpanię, ſecundum morem dicti Ordinis, gravibus diviſionibus, & diſcordiis quorundam ambitione ſubortis, inter alia dilecti filii Ludovicus de Valleoleti (4) in Theologia Magiſter, & Didacus de Thamarra, ejuſdem Ordinis profeſſores, a diverſis ipſius Ordinis Fratribus, etiam pluribus hinc inde appellationibus interpoſitis, Provinciales dictę Provincię ſimul, ac uno & eodem tempore, fuerint nuncupati, & reputati, ac etiam hodie nuncupentur, & reputentur, ac propterea interdum evenerit, quod duo, ſe diverſis auctoritatibus inſtitutos prętendentes, regimen unius, & ejuſdem Conventus, ad ſe pertinere contenderint, in hujuſmodi Conventus in ſpiritualibus & temporalibus grave diſpendium, & ſcandalum plurimorum. Quodque, licet alias prędicti Ludovicus, & Didacus, aſſerentes, ſe velle hujuſmodi diſcordiis atque malis finem imponere, per publicum Inſtrumentum utriuſque ipſorum juramento vallatum, in nonnullos Fratres dictę Provincię tunc expreſſos ſuper hujuſmodi Provincialatus officio plene & libere compromiſerint, ipſique compromiſſarii inter cetera, quod uterque eorum infra certum terminum tunc expreſſum abſolutionem dicti officii a bonę memorię Leonardo (5) Generali Magiſtro dicti Ordinis petere deberet, ita etiam ut neuter ipſorum ad prędictum officium ea vice deputari, &, ſi forte deputaretur, acceptare poſſet, in eorum Laudo (6) pronunciaverint; tamen pręmiſſis omnibus non obſtantibus diviſiones inibi continuarunt, & continuant antedictę. Nos igitur, quorum intereſt ſuper his de opportuno remedio providere, ad ſtatum ſalubrem dicti Ordinis ac hujuſmodi reformationem, & correctionem, pręſertim in dicta Provincia, paterna ſolicitudine intendentes, ac appellationum, liteſque, & earum ſtatum, necnon compromiſſi, & Laudi prędictorum tenores, & formas, pręſentibus pro expreſſis habentes, ipſaſque quoque oppoſitiones, & lites penitus extinguentes, prefatos Ludovicum, & Didacum, ac quoſcunque alios, reputatos Provinciales dictę Provincię, aut pro talibus ſe gerentes, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium ab hujuſmodi Provincialatus officio hac vice duntaxat abſolvimus, & abſolutos eſſe, decernimus; ita etiam ut hac vice ad officium ipſum aſſumi, aut aſſumpti illud acceptare non poſſint, aut debeant quoquomodo. Et nihilominus tibi per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus aliquem idoneum dicti Ordinis profeſſorem, de quo tibi videbitur, in vicarium dictę Provincię, qui in loco, & tempore, per eum ſtatuendis, cum aliis, ad quos Provincialis dictę Provincię ſpectabit electio, convenire, ac ad electionem ipſam juxta ejuſdem Ordinis inſtituta procedere poſſit, & debeat, qualibet alia electione per quoſvis alios, quavis auctoritate, ſeu quarumcunque appellationum, proteſtationum, aut contradictionum prętextu, forſitan facienda, minime valitura, auctoritate Apoſtolica pręfata deputes, & inſtituas, atque alias omnia alia, & ſingula circa pręmiſſa utilia, & opportuna, uſque ad futurum Generale Capitulum dicti Ordinis, de proximo celebrandum, exerceas, exequaris, & ordines, quę verus Generalis Magiſter dicti Ordinis, ſi quis eſſet, ſecundum inſtituta prędicta quomodolibet exercere, exequi & ordinare poſſet, ſive deberet, de conſuetudine, vel de jure, ſuper quibus omnibus plenam, & liberam, earundem pręſentium tenore, tibi concedimus poteſtatem; mandantes univerſis & ſingulis, ad quos ſpectat, cujuſcunque etiam gradus, & ordinis, dignitatis, aut pręeminentię fuerint, quatenus tibi in pręmiſſis, & circa ea in omnibus, & per omnia, hujuſmodi poteſtate durante, quemadmodum Generali Magiſtro facerent, pareant, & intendant. Nos enim ſententias, ſive pęnas, quas pręmiſſorum occaſione rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratas habebimus, & faciemus auctore Domino uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Non obſtantibus pręmiſſis, necnon Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Provincię, & Ordinis prędictorum, & etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XV Kalendas Octobris, Pontificatus noſtri Anno Octavo.

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

1. *Provinciali.*) Conſulenda Diplomata data *II*, ac *XVII Januarii MCCCCXXIV*, & *VII Maii MCCCCXXVII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CIX fol.* 110.

3. *Thomæ de Regno.*) Vir fuit magnarum partium, de quo legendi *Leander de viris illuſtrib. Ord. Prædicator. fol.* 248. *Valle in Compendio pag.* 156, *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag.* 777.

4. *Ludovicus de Valleoleti.*) Adeas *Echard ad annum MCCCCXXXVI pag.* 789.

5. *Bona memoriæ Leonardo.*) Hinc emendes illos qui *Leonardi* mortem prorogant ad an. *MCCCCXXVI.*

6. *Laudo.*) Id eſt *Compoſitione.*

Ut Enne-

Anno 1425 Die 24 Octobris.

Ut Ennetacenſe (1) Monaſterium, igne conſumptum, conſtruatur, Indulgentiam impertitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm itaque, ſicut ex relatione Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Sororum Domus in Villa Ennetach, extra muros oppidi Mengen. ſita, Ordinis S. Auguſtini, ſub regimine Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, Conſtantien. Dięceſis, facta recepimus, quod dicta domus, ac illius Eccleſia, in quibus olim Prioriſſa cum duodecim Sororibus degere, & Altiſſimo devotum & ſedulum conſueverunt reddere famulatum, ignis incendio dudum adeo miſerabiliter conſumptę & combuſtę fuerunt, quod Prioriſſa, & Sorores pro tunc exiſtentes ad alia loca divertere fuerunt coactę, & licet Prioriſſa, & Sorores pro tunc exiſtentes Domum cum Eccleſia hujuſmodi reparare, & de novo conſtruere, ac ad priſtinum ſtatum reducere, ac reſtituere, laudabiliter ceperunt, non tamen, propter earum magnam paupertatem, opus hujuſmodi perficere poſſint, niſi ſuper hoc per Chriſti fidelium, ſuffragia eiſdem pie, opportuneque ſuccurratur. Nos igitur, cupientes, ut Domus, & Eccleſia hujuſmodi, in ſuis ędificiis, & ſtructuris reparentur, reſtaurentur, & perficiantur, & a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequententur, & ut fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad reſtaurationem, reparationem, & perfectionem hujuſmodi manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc *Indulgentia.* ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in proxima die Dominica poſt feſtum S. Michaelis Archangeli, a primis Veſperis uſque ad ſecundas Veſperas ejuſdem diei, Domum & Eccleſias prędictas devote viſitaverint annuatim, & ad reparationem, & perfectionem hujuſmodi manus porrexerint adjutrices, tres Annos & totidem Quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus Domum & Eccleſiam prędictas, ac ad earum reparationem, fabricam, ſeu conſervationem manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Dat. Romę apud Sanctos Apoſtolos IX Kal. Novemb., Pontificatus noſtri Anno Octavo.

1. *Ennetacenſe.*) In *Suevia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CX fol.* 111.

Anno 1425 Die 21 Novembris.

Ut Chienſis (1) Conventus ſit in poſſeſſione eorum, quæ ſibi legantur (2).

Ex Archivo (3) Ordinis.

CLXXXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Conventui, & Fratribus Domus B. Marię Chien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ECcleſiarum, & eccleſiaſticorum locorum quorumlibet munificentiam, & decorem affectantes, ad ea, quę illorum fabricam, & officinas ac venuſtatem cultus Divini concernunt, ſolicitudinis noſtrę partes favorabiliter impertimur. Sane pro parte veſtra nuper exhibita, petitio continebat, quod Eccleſia Domus B. Marię Chien., Ordinis Fratrum Prędicatorum, quę in infidelium ſchiſmaticorum nationibus conſtituta exiſtit, & olim per Gręcos ſub illorum ritibus gubernari conſuevit, & quę jam pluribus annis elapſis ad Eccleſię Romanę gremium, & Catholicę fidei ac Latinam Religionem reducta, veſtris fuit uſui, habitationi, & gubernationi commiſſa, omnium Chriſti fidelium in partibus illis converſantium, pro audiendis inibi divinis officiis, ex ſingulari, quam ad eandam Eccleſiam gerunt, devotione, commune refugium exiſtat, quodque Eccleſia ipſa pro receptione ſingulorum ad illam confluentium ſpatioſiori loco, & pro celebratione divinorum inibi paramentis, libris, & ornamentis, aliiſque neceſſariis pluribus indi- *Supplex petitio.* geat officinis. Quare pro parte veſtra Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus vobis, & poſteris veſtris, ut bona quęcunque mobilia & immobilia pro fabrica, ornamentis, libris, luminaribus, ac memoriis (4), Anniverſariis, ſeptima, vigeſima peragendis, aut alias pro divino cultu inibi exercendo, necnon pro ampliatione Eccleſię, ac officinarum prędictarum, ac etiam pro veſtitu, victu, & ſuſtentatione veſtris, vobis danda, leganda, aſſignanda, ſeu alias pie eroganda, recipere, & retinere, illaque in uſus, ad quos deputata, ſeu aſſignata fuerint convertere poſſitis, de benignitate Apoſtolica concedere dignare- *Conceſſio.* mur. Nos igitur, pręmiſſa, in augmentum hujuſmodi, ac venuſtatem, & decorem Eccleſię prędictę cedentia, complectentes, hujuſmodi in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, & eiſdem veſtris poſteris, ut bona prędicta vobis & ipſis, ut pręmittitur, donanda, leganda, ſeu alias eroganda, niſi cedat in juris alieni pręjudicium, recipere, & retinere, ac in uſus, ad quos illa legari, donari, ſeu erogari contigerit, convertere & exponere libere, & licite valeatis, fel. rec. Clementis PP. VI, Prędeceſſoris noſtri, & quibuſcunque aliis Conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Domus, & Ordinis prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel alia quavis firmitate vallatis, ceteriſque contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpecialis dono gratię, indulgemus.

Nulli

Nulli ergo &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XI Kalen. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Chienſis.*) In ejuſdem nominis Inſula maris *Ægai*.
2. *Legantur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.I.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolicę Libro CXVI fol.*210.
4. *Memoriis.*) Id eſt *Exequiis*.

F. Dionyſium (1) de Knyn præficit Eccleſiæ Drivaſten.

Anno 1425 Die 29 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXXII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dionyſio de Knyn Electo Drivaſten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolatus Officium &c. Dudum ſiquidem proviſiones omnium Eccleſiarum Cathedralium per translationes per Nos faciendas de Prelatis earum ubilibet conſtitutis ad alias Cathedrales Eccleſias tunc vacantes, & in antea vacaturas, ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus reſervandas; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari; & deinde Eccleſia Drivaſten. ex eo vacante quod Nos dudum venerabilem Fratrem noſtrum Franciſcum Dulcinen., tunc Drivaſten. Epiſcopum, licet abſentem, a vinculo quo ipſi Drivaſten. Eccleſię, cui tunc pręerat, tenebatur, de Fratrum noſtrorum conſilio, & Apoſtolicę poteſtatis plenitudine, abſolventes, ipſum ad Eccleſiam Dulcinen., tunc vacantem, duximus auctoritate Apoſtolica transferendum, pręficiendo eum ipſi Eccleſię Dulcinen. in Epiſcopum & Paſtorem, Nos venerabilem Fratrem noſtrum Nicolaum, Epiſcopum olim Dulcinen., a vinculo quo olim ipſi Dulcinen. Eccleſię, cui etiam tunc pręerat, tenebatur, de ſimilibus conſilio, & poteſtatis plenitudine abſolventes ipſum ad eandem Eccleſiam Drivaſten., ut pręfertur, vacantem tranſtulimus, pręficiendo eum eidem Eccleſię Drivaſten. in Epiſcopum & Paſtorem. Cum autem dictus Nicolaus literas Apoſtolicas ſuper tranſlatione, & pręfectione de ipſo ad ipſam Drivaſten. eccleſiam, ut pręmittitur, factis, prout juxta quandam Conſtitutionem noſtram, ſuper hoc editam, tenebatur, infra tempus in eadem Conſtitutione expreſſum non fecerit expediri, & ſecundum pręmiſſa ipſa Drivaſten. Eccleſia adhuc, ut pręfertur, vacare noſcatur, Nos, ad proviſionem ejuſdem eccleſię Drivaſten., de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione & decreto obſiſtentibus ſupradictis, celerem, & felicem, ne ipſa Drivaſten. Eccleſia longę vacationis ſubjaceret incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię Drivaſten. perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum dictis Fratribus habuimus diligentem; demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, ac in Theologia Bacallarium formatum, ex nobilique genere procreatum, cui de vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum exigentiam meritorum tuorum accepta, eidem Drivaſten. Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos III Kalend. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Dionyſium.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXII fol.*251.

F. Andream de Conſtantinopoli Capellæ, ſeu ſacello, S. Antonii in civitate Caſen. (1) præficit.

Anno 1425 Die 10 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXXIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus fratribus Archiepiſcopo Soltanien., (3), & Electen. (4), ac Caſen. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus dilectus filius Andreas de Conſtantinopoli, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Magiſter in Theologia, apud Nos fide digno commendatur teſtimonio, Nos inducunt, ut ſibi reddamur ad gratiam liberales. Cum itaque, ſicut accepimus, Capella Sancti Antonii in Civitate Caſen. ſita vacet ad pręſens, & tanto tempore vacaverit, quod de ejus vero vacationis modo certa notitia non habetur, quodque ipſius collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta exiſtat, Nos dicto Andreę, qui, ut aſſerit, in partibus illis, in quibus pro Chriſtianę Religionis, & orthodoxę fidei incrementis inter infideles, & ſchiſmaticos Verbi Divini prędicationibus vacat, converſando, diverſorum ſumptuum, & expenſarum onera patitur, pręmiſſorum intuitu ſpecialem gratiam facere, ſibique, ut onera hujuſmodi facilius ſupportare valeat, de alicujus ſubventionis auxilio providere, volentes, fraternitati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, Capellam prędictam, quę ſine Cura, & eidem Andreę, ut aſſerit, pro hujuſmodi prędicationibus exercendis, ſatis accommoda exiſtit, cujuſque fructus, redditus, & proventus quinquaginta florenorum auri ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum non excedunt, quovis etiam modo, & ex quacunque perſona vacet, etiam ſi diſpoſitioni Apoſ- Diplomatis cauſa.

Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, dummodo tempore datę pręſentium non ſit in ea alicui ſpecialiter jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, eidem Andreę, per eum uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicę tenendam, regendam, & etiam gubernandam, auctoritate noſtra commendare curetis, ita quod liceat eidem Andreę, hujuſmodi beneplacito durante, de fructibus, redditibus, & proventibus, ipſius Capellę diſponere, & ordinare, ſicuti veri ipſius Capellę Rectores, qui fuerunt pro tempore, de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ipſius Capellę ipſi Andreę penitus interdicta, inducentes eum, vel procuratorem ſuum ejus nomine, in corporalem poſſeſſionem Capellę, juriumque, & pertinentiarum prędictorum, & defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes, ſibi de ipſius Capellę fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis, dicto beneplacito durante, integre reſponderi. Contradictores auctoritate noſtra &c. non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis quibuſcunque contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis; aut ſi aliqui ſuper proviſionibus, ſeu commendis ſibi faciendis, de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetraverint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus pręfatum Andream in aſſecutione dictę Capellę volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliorum pręjudicium generari, ſeu ſi venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Caſen., vel quibusvis aliis communiter, vel diviſim a dicta ſit Sede indultum quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, quodque de hujuſmodi, vel aliis beneficiis eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, pręſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, conjunctim, vel ſeparatim, ſpectantibus, nulli valeat provideri per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia indulgentia dictę Sedis generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, effectus hujuſmodi gratię impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis; Proviſo quod Capella prędicta debitis propterea non fraudetur obſequiis, ſed ipſius debite ſupportentur onera conſueta; Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos IV Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Caſen.*) *Capken.*, in *Taurica cherſoneſo*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXVI fol.* 228.
3. *Soltanien.*) In *Perſide*.
4. *Electen.*) *Electenſis* Epiſcopatus eſt in *Occitania*. Cum autem hoc in Diplomate de Suffraganeis Archiepiſcopi *Soltanienſis* mentio ſit, legendum videtur: *Heraten.*, ſeu *Eraten.*, vulgo *Herat*, in *Perſide*.

Anno 1425 Die 19 Decembris.

Confirmat donationem (1) loci de Rochabruna factam Cœnobio San-Maximinenſi.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

ILla, quę pro divini cultus augmento provide facta ſunt, ut illibata perſiſtant, libenter, cum a Nobis petitur, Apoſtolicę confirmationis munimine communimus. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum S. Maximini, Ordinis Prędicatorum, necnon Nobilis viri Gaufredi Lemengre (3), alias Bouſiquaut, Militis, Domini de Borbonio Aquen., & Avinionen. (4) Diœceſum, Nobis nuper exhibita continebat, quod dudum ipſe Miles zelo devotionis accenſus, ac cupiens terrena in cęleſtia felici commercio commutare, ad honorem, & laudem omnipotentis Dei, & ob reverentiam Beatę Marię Magdalenę, ad quam idem Miles ſingularem devotionem gerit, necnon pro ipſius, & quondam Conſtantię, Uxoris ſuę, ac parentum, amicorum, & benefactorum ſuorum, animarum ſalute, & ut hujuſmodi cultus tam in Eccleſia de Balma, Maſſilien. Diœceſis, quę per Fratres dictę Domus regi conſuevit, & in qua dicta Sancta in humanis agens longam peccaminum ſuorum dicitur egiſſe pęnitentiam, quam in Eccleſia prędicta, in qua venerabile Corpus ipſius Sanctę requieſcit (5), augeatur, Caſtrum, ſeu locum de Rochabruna, Foro-Julien. Diœceſis, ſeu jura, redditus, & dominium ad ipſum Militem inibi ſpectantia, eiſdem Priori, & Fratribus, in perpetuum dedit, donavit, atque conceſſit; ita tamen, quod Prior, & Fratres pręfati nonnulla divina officia, Anniverſaria, & orationes in dictis locis pro ejuſdem Militis, & Conſtantię, ac parentum, & benefactorum prędictorum animarum ſalute annis ſingulis, certis tunc expreſſis diebus pręfixis, dicere, facere, ac celebrare perpetuis temporibus tenerentur, ſuper quibus nonnullę conventiones, ordinationes, obligationes, recognitiones, & pacta inter Militem, Priorem, & Fratres prędictos, facta, inita, & concordata, & deinde per quondam Leonardum de Florentia Magiſtrum dicti Ordinis vallata fuere, prout in diverſis publicis Inſtrumentis, & literis inde confectis, plenius continetur. Quare pro parte dictorum Prioris, & Fratrum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut donationibus, conceſſionibus, conventionibus, ordinationibus, obligationibus, recognitionibus, & pactis hujuſmodi, ac omnibus aliis in eiſdem Inſtrumentis, & literis contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati omnia, & ſingula conventiones, ordinationes, obligationes, & pacta, in literis, & inſtrumentis hujuſmodi contenta, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, approbamus, & etiam confirmamus, ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nulli ergo omnino

Supplex petitio.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

ho-

hominum liceat hanc paginam noſtrę approbationis, confirmationis, ac ſuppletionis infringere &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XIV Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Donationem.*) Conſulendum Diploma datum *II Martii, MCCCCXXIV.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXVIII fol.* 200.
3. *Lemengre.*) *Le Maingre*, ut in *Nota IV ad Conſtitutionem* mox laudatam.
4. *Aquen.*, & *Avenionen.*) Quia terrę Caſtri *Borbonici* ad utramque Diœceſim pertinent.
5. *Requieſcit.*) Ut in *Nota III ad Conſtitut. III Bonifatii VIII pag.* 40.

Ne F. Johannes (1) de Caſanova renunciatus Elenenſis Epiſcopus penſione ſibi Magiſtro Sacri Palatii conceſſa utatur.

Anno 1425 Die 19 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CLXXXV.

Exordium.

SEdis Apoſtolicę providentia circunſpecta ad ea libenter intendit, per quę Monaſteria, & alia pia loca, ac perſonę, in eis ſub regulari habitu virtutum Domino famulantes, releventur ab oneribus extraordinariis ſupportandis, ipſa quoque Monaſteria, & loca in juribus ſuis liberius conſerventur, ac perſonę hujuſmodi quietius valeant ſedulum, & devotum Creatori ſuo in humilitatis ſpiritu reddere famulatum. Dudum ſiquidem dilecto filio Johanni de Caſanova, Electo Elnen., Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, tunc Capellano, & minori Pęnitentiario noſtro, ac ſcholarum Sacrę Theologię Palatii Apoſtolici Magiſtro, ut ſtatum ſuum decentius tenere, & alia ſibi incumbentia onera expenſarum facilius ſupportare, valeret, de alicujus ſubventionis auxilio providere, gratiamque ſpecialem facere volentes, annuam penſionem Ducentorum florenorum auri de Camera ſuper fructibus, redditibus, & proventibus Menſę Archimandriatus Monaſterii Sancti Salvatoris de Linguaſari extra Muros Meſſanen. Ordinis Sancti Baſilii per Archimandritam tunc exiſtentem dicti Monaſterii, & ſuos in dicto Archimandriatu Succeſſores, eidem Johanni, quoad viveret, vel Procuratori ſuo, ab eo ad hoc ſpeciale mandatum habenti, annis ſingulis, unam videlicet in Nativitatis, & aliam, medietates penſionis hujuſmodi in Reſurrectionis Domini noſtri Jeſu Chriſti, feſtivitatibus, tunc proxime futuris, & ſex deinceps annis ſingulis, in eiſdem feſtivitatibus, in Civitate Barchinonen. integre perſolvendam, motu proprio, non ad ipſius Johannis, vel alterius pro eo Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, ſed de noſtra mera liberalitate, auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, tenore quarundam literarum noſtrarum reſervavimus, & etiam aſſignavimus; decernentes tam Archimandritam, quam ſucceſſores ſuos ad integram ſolutionem penſionis ducentorum florenorum hujuſmodi, juxta reſervationis, Conſtitutionis, conceſſionis, & aſſignationis noſtrarum hujuſmodi tenorem, exiſtere efficaciter obligatos; ac volentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod Archimandrita, vel Succeſſores prędicti, ſi in dictis feſtivitatibus, vel ſaltem intra triginta dies, ſingulas feſtivitates ipſas immediate ſequentes, Johanni, vel procuratori, prędictis penſionem pręfatam non perſolverint, lapſis eiſdem diebus ſententiam excommunicationis incurrerent, a qua donec eidem Johanni de penſione prędicta integraliter ſatisfactum, aut alias cum eo, vel procuratore pręfato, ſuper hoc amicabiliter concordatum foret, ſeu alias expreſſo eorundem Johannis, vel procuratoris accedente conſenſu, pręterquam in mortis articulo conſtituti, nequirent abſolutionis beneficium obtinere, quodque ſi forſan Archimandrita, & ſucceſſores pręfati ſententiam hujuſmodi per ſex menſes a fine dictorum triginta dierum computandos, animo, quod abſit, indurato ſuſtinerent, lapſis eiſdem ſex menſibus pręfato Archimandriatu perpetuo privati exiſterent, ipſeque Archimandriatus ex tunc vacare cenſeretur; Et ſubſequenter de perſona ejuſdem Johannis Eccleſię Elnen., nuper vacanti, per alias noſtras literas duximus providendum, pręficiendo ipſum eidem Elnen. Eccleſię in Epiſcopum, & paſtorem, prout in eiſdem literis plenius continetur. Nos igitur attendentes, prout ſuper his alias informati fuimus, quod Monaſterium prędictum adeo per ſolutionem & exonerationem aliarum penſionum, ſuper fructibus, redditibus, & proventibus hujuſmodi hactenus diverſis perſonis auctoritate Apoſtolica conceſſarum, & alias debitorum onere pręgravatum exiſtit, quod Archimandrita, & Conventus pręfati de fructibus, redditibus, & proventibus prędictis creditoribus ſatisfacere, & juxta eorum ſtatum decenter vivere, non poſſunt, ac volentes Archimandritę, & Conventui, ac Monaſterio pręfatis, ut tenemur, pio, & paterno affectu conſulere, &, quantum cum Deo poſſumus, eos favoribus proſequi gratioſis, eorundem Archimandritę, & Conventus ſupplicationibus inclinati, reſervationem, ac conceſſionem, conſtitutionem, & aſſignationem penſionis ducentorum florenorum hujuſmodi eidem Johanni, ut pręmittitur, factas, necnon prędictas ſuper his confectas literas, ac proceſſus habitos per eaſdem, & quęcunque inde ſecuta, etiamſi ſuper eis in Romana Curia, vel extra eam lis, cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro ſufficienter expreſſo, pendeat indeciſa, quam primum idem Johannes electus poſſeſſionem adminiſtrationis bonorum ejuſdem Elnen. Eccleſię, ſeu majoris partis ipſorum, pacifice aſſecutus fuerit, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ceſſare, & expirare penitus, decernentes, ac ex tunc pro extinctis, & ſublatis, irritis quoque, &, caſſis, ac infectis habentes, volumus & auctoritate prędicta eiſdem Archimandritę, & Conventui, pręſentium tenore, concedimus, quod ipſi communiter aut diviſim ad ſolvendum, ſeu prędſtandum prędictam eidem Johanni Electo, ſeu quamvis aliam in poſterum ſuper fructibus, redditibus, & proventibus antedictis forſitan reſervandam, ſeu imponendam, aut cuiquam concedendam, conſtituendam, & etiam aſſignandam, cujusvis ſummę, annuam penſionem, ex tunc in antea minime teneantur, & ad id a quoquam compelli non poſſint quomodolibet ſeu arctari; decernentes quaſcunque excommunicationis, & privationis, ac alias pęnas, & ſententias in eoſdem Archimandritam &

Hujus Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Conventum, communiter, aut diviſim, propter ea impoſitas, ſeu latas, aut imponendas, ſeu etiam promulgandas, nullius exiſtere firmitatis; ac irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari, Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XIIII Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Johannes*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVI fol. 289.*

Anno 1425 Die 19 Decembris.

F. Thomas (1) de Abaraner fit Archiepiſcopus Soltanienſis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CLXXXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Thomę de Abaraner Electo Soltanien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

ROmani Pontificis &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Archiepiſcopo Soltanien. regimini Soltanien. Eccleſię prǫſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam prǫſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus reſervandam ea vice ſpecialiter, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prǫfata Eccleſia per ipſius Johannis Archiepiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus prǫter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa ulterioris vacationis prǫgravetur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de prǫficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Unitorum nuncupatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de eorundem Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate apoſtolica, providemus, teque illi prǫficimus in Archiepiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XIV Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Thomas*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXII fol. 245.*

Anno 1426 Die 7 Januarii.

F. Daniel de Paniceriis Pœnitentiarius Avenionenſis creatur.

Ex Archivo (1) Ordinis.

CLXXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Danieli de Paniceriis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

REligionis zelus, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtas, ſpiritualium providentia, aliaque multiplicia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam fide dignis teſtimoniis fore percepimus inſignitam, Nos inducunt, ut te condignis favoribus, & Apoſtolicis gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, plenam in Domino fiduciam obtinentes, ac ſperantes, quod ea, quę tuę devotioni commiſerimus pro ſalute animarum, & peccantium reductione ad viam veritatis, juxta conceſſam tibi a Domino bonitatem fideliter exequeris, te, pro quo etiam dilectus filius nobilis Vir Amadeus (2) Dux Sabaudię Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicavit, uſque ad beneplacitum noſtrum in Civitate noſtra Avinionen. Minorem Pęnitentiarium noſtrum auctoritate Apoſtolica, tenore prǫſentium, conſtituimus, & etiam ordinamus; Tibi nihilominus committentes, ut officium Minoris Pęnitentiarii, hujuſmodi dicto beneplacito durante, in prǫfata Civitate ſic geras, & exequaris fideliter, & prudenter, veluti Minores Pęnitentiarii in Romana Curia, pro tempore exiſtentes, illud gerere tenentur, & exercere, ac in manibus venerabilis Fratris Franciſci Archiepiſcopi Narbonen. Camerarii noſtri, & in eadem Civitate pro Nobis, & Romana Eccleſia in temporalibus Generalis Vicarii de hujuſmodi officio laudabiliter exercendo prǫſtes fidelitatis debitę in forma ſolita juramentum. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VII Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Inſtitutio.

1. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVI fol. 211.*

2. *Amadeus*.) Hujus nominis *VIII.*

De

De F. Nicolao de Rotaria Sacræ Theologiæ Magiſtro creando. — Anno 1426 Die 7 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CLXXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro Barre, Ordinis Fratrum Prędicatorum, Theologię profeſſori, Priori Provinciali Provincię Francię ſecundum morem dicti Ordinis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. REligionis zelus, literarum ſcientia, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus dilectus filius Nicolaus de Rotaria, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, Baccalarius formatus in Theologia, apud Nos fide digno commendatur teſtimonio, nos inducunt, ut ipſum ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Volentes igitur ipſum Nicolaum, qui, ut aſſerit, Bibliam ordinarie, & Quatuor libros Sententiarum Pariſiis legit, ac omnes actus ad gradum licentię in eadem Theologia ſuſcipiendum in Studio Pariſien. fieri conſuetos complevit, quodque idem Nicolaus, quod alibi quam in dicto Studio gradum hujuſmodi non reciperet, juxta morem ipſius Studii pręſtitit ſolitum juramentum, pręmiſſorum meritorum ſuorum intuitu, favore proſequi gratioſo, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſi per diligentem examinationem eundem Nicolaum, ſcientia, vita, & moribus, & alias ad hoc ſufficientem, & idoneum eſſe repereris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, ei juramentum relaxes, necnon ſibi gradum hujuſmodi & Magiſterii inſignia, in eadem Theologia etiam alibi, quam in dicto Studio, adhibitis tamen ſolemnitatibus in talibus fieri ſolitis, auctoritate noſtra ſtudeas impertiri; Juramento prędicto, & Conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Studii, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VII Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono. *Mandatum.*

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXVI fol.* 131.

De ſacris Ædibus Ennetacenſis (1) Monaſterii a quocunque Epiſcopo Catholico dedicandis. — Anno 1426 Die 7 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CLXXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis in Chriſto filiabus Prioriſſę, & Sororibus Domus in Ennetach extra muros oppidi Mengen., Ordinis Sancti Auguſtini, ſub Regula Fratrum Ordinis Prędicatorum viventibus, Conſtantien. Diœceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis obſervantia, ſub qua, mundanis abjectis illecebris, famulatum redditis Altiſſimo, Nos inducunt, ut votis veſtris, illis pręſertim, quę ad divini cultus tendunt augmentum, favorabiliter annuamus. Sane pro parte veſtra Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod vos Eccleſiam, & alias officinas Domus veſtrę, dudum ignis voragine miſerabiliter devaſtata, reformari, & reędificari facere incepiſtis, adeo quod inibi Divina officia deſideratis in brevi facere celebrari. Quare pro parte veſtra fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut vobis, quod Eccleſiam ipſam per aliquem Catholicum Antiſtitem, quem malueritis, poſſetis facere conſecrari, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, veſtris in hac parte ſupplicationibus inclinati, vobis, ut Eccleſiam eandem, dum ad hoc apta fuerit, per hujuſmodi Antiſtitem, gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicę habentem, quem volueritis Diœceſani loci, vel alterius cujuſcunque ſuper hoc licentia minime requiſita, conſecrari facere poſſitis, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, licentiam elargimur. Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Nulli ergo &c. noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VII Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Nono. *Conceſſio.* *Sanctio pœnalis.*

1. *Ennetacenſis.*) In *Suevia*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXI fol.* 124.

F. Gerardum (1) de Reppin. Epiſcopum Laudicenſem renunciat. — Anno 1426 Die 16 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXC.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gerardo de Reppin. Electo Laudicen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Epiſcopo Laudicen., regimini Laudicen. Eccleſię pręſidente, Nos cupientes eidem Eccleſię, cum eam vacare contingeret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & ina-

& inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero prefata Eccleſia per ipſius Johannis Epiſcopi obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Pręd̨icatorum profeſſorem, minorem Pęnitentiarium noſtrum, in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione perſpectis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVII Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Gerardum*.) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXII fol.* 262.

Anno 1426 Die 22 Januarii.

Soncinenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CXCI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Cremonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Prior Provincialis, & Fratres Ordinis Prędicatorum, Provincię Lombardię, ſecundum morem dicti Ordinis, devotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum, promeretur honeſtas; ut petitionibus ſuis, in his pręſertim, quę divini cultus augmentum, & Religionis propagationem conſpiciunt, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis pro parte Prioris, & Fratrum prędictorum, necnon dilectorum filiorum Univerſitatis, & hominum Caſtri de Soncino, tuę Dięceſis, petitio continebat, quod univerſitas, & homines prędicti ob ſingularem devotionem, quam ad Beatum Dominicum, & Ordinem prędictum gerunt, necnon pro pabulo verbi divini, quo inſtrui vehementer affectant, ac pro ſalute animarum ſuarum deſiderant, unam Domum pro aliquibus Fratribus dicti Ordinis in dicto Caſtro conſtrui, & erigi facere in loco ad hoc congruo, & honeſto; quodque in dicto Caſtro Parochialis Eccleſia Sancti Jacobi exiſtit, quę pro hujuſmodi Domo conſtruenda congrua foret, & ad id dilectorum filiorum Parochianorum, & Johannis de Grumellis, ipſius Eccleſię Rectoris, accedit aſſenſus, ipſeque Rector, ſi hujuſmodi conſtructio, & erectio fiat, dictam Eccleſiam ſponte, & libere reſignare proponit. Quare pro parte Prioris, & Fratrum, ac Univerſitatis, & hominum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręfatam Eccleſiam cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis Priori, & Fratribus ipſis concedere, eiſque Priori, & Fratribus quod illam recipere, & apud ipſam Domum cum cęmeterio, domibus, & aliis neceſſariis officinis pro uſu, & habitatione dictorum Fratrum conſtruere, & in ea perpetuo remanere poſſint, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui noſtris temporibus divinum cultum augeri, & Religionem hujuſmodi propagari, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, & ſi ita eſſe repereris, pręfato Rectore cedente, vel decedente, vel ipſam Eccleſiam alias quomodolibet dimittente, Eccleſiam eandem, cujus fructus, redditus, & proventus quindecim ducatorum auri ſecundum communem ęſtimationem valorem annuum, ut aſſeritur, non excedunt, &, ſi Eccleſia ipſa actu per dicti Johannis coram notario publico, & teſtibus, aut in manibus Ordinarii factam reſignationem vacet, vel tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem Apoſtolicam legitime devoluta, ſeu Eccleſia ipſa diſpoſitioni Apoſtolicę ſpecialiter reſervata exiſtat, ſuper ea quoque in Romana Curia, vel extra eam, inter aliquos lis cujus ſtatum pręſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo, a tempore datę pręſentium non ſit in ea alicui ſpeciale jus quęſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſupradictis, Priori, & Fratribus antedictis, auctoritate noſtra concedas; ita quod liceat ipſis auctoritate propria, & alicujus licentia ſuper hoc minime requiſita, Eccleſię, juriumque, & pertinentiarum prędictorum poſſeſſionem apprehendere, ac Parochianorum prędictorum per ſe, vel vicarium, per ipſos eligendum, curam gerere, & exercere, fructuſque, redditus, & proventus prędictos recipere, & ipſos in uſum, & conſtructionem ipſius Domus convertere, & apud eandem Eccleſiam, vel alibi in dicto Caſtro in loco magis congruo, & honeſto, ſi hujuſmodi conceſſio non fiat, cum cęmeterio, campanili, campana, domibus, & aliis neceſſariis officinis conſtruere, & ędificare pro uſu, & habitatione hujuſmodi, ac perpetuo retinere. Non obſtan. felicis recordationis Bonifatii Papę Octavi Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium, loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, ac aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis contrariis quibuſcunque, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de Parochialibus Eccleſiis, aut aliis beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus, ſpeciales, vel generales dictę Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiam ſi ab eis ad inhibitionem, reſervationem & de-

Supplex petitio.

Facultas.

Clauſula derogans.

decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quas quidem literas, & proceſſus earum vigore habitos, vel habendos, ad eandem Eccleſiam volumus non extendi, ſed nullum quoad hoc eis quoad aſſecutionem Parochialium Eccleſiarum, aut beneficiorum aliorum prejudicium generari, & quibuslibet aliis privilegiis, indulgentiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri, & de quibus, quorumque totis tenoribus, habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis. Volumus autem, quod ſi per te hujuſmodi conceſſionem fieri contingat, Prior, & Fratres prędicti, qui in eadem domo pro tempore morabuntur, Epiſcopalia jura ſolvere, & alia ipſi Eccleſię incumbentia onera ſupportare teneantur, tuque eis, quod omnibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, indulgentiis, & gratiis utantur, & gaudeant, quibus alii Fratres dicti Ordinis, in aliis domibus ipſius Ordinis pro tempore commorantes, gaudere ſolent, & gaudent, auctoritate pręfata, concedas. Nos enim ex nunc irritum decernimus, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XI Kal. Februarii, Pontificatus noſtri Anno Nono. *Decretum irritum faciens.*

1. *Soncinenſis.*) Juris eſt Provinciæ *Lombardiæ*, in agro Ducatus *Mediolanenſis*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXVI fol. 172.*

Ne ſine Superiorum permiſſu Fratres Societatis Peregrinantium (1) commorentur apud Epiſcopos.

Anno 1426 Die 13 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam Rei Memoriam. **CXCII.**

AD Romani Pontificis providentiam circunſpectam ſic Sedis Apoſtolicę privilegia, & indulta moderare, pertinere dignoſcitur, quod ex eis nulli detur materia malignandi, ac perſonę, quę ſub Religionis habitu vacare debent ſtudio pię vitę, a bono obedientię, & perſeverantia divini ſervitii nullatenus retrahantur. *Exordium.* Sane nuper ad noſtrum fide digna relatio produxit auditum, quod nonnulli Epiſcopi, & alii Prelati partium Orientalium, aſſerentes ex privilegiis, ſeu indultis Apoſtolicis id fore conceſſum, nonnullos Fratres Ordinis Prędicatorum earundem partium, de Societate, Peregrinantium propter Chriſtum nuncupatos, in ſuos Capellanos recipiunt, ſeu eos ſecum extra Domos ſui Ordinis ſine ſuorum Superiorum licentia, vel conſenſu, tenere conantur in Religionis vituperium, & ſcandalum plurimorum; *Supplex petitio.* Nos igitur pręmiſſis, prout ex debito tenemur paſtoralis officii, ſalubriter providere cupientes, ſtatuimus, volumus, & etiam ordinamus, quod omnes & ſinguli Fratres Domorum ejuſdem Ordinis partium prędictarum, qui de Societate, ut premittitur, Peregrinantium propter Chriſtum nuncupantur, ſuorum Superiorum, juxta dicti Ordinis inſtituta, monitis, & mandatis obedire teneantur, etſi Apoſtolica, vel alia quavis auctoritate ad ſtandum cum aliquo cujuſcunque dignitatis, gradus, vel conditionis exiſtat, recepti ſint, vel in poſterum eos recipi contingat, decernentes ex nunc, Fratres pręfatos ſine licentia Superiorum eorundem cum aliquo extra hujuſmodi Domos nullatenus commorari poſſe. *Inhibitio.* Non obſtantibus exemptionibus, & aliis privilegiis, indultis, gratiis, & literis Apoſtolicis, ſub quorumcunque verborum forma, ab eadem Sede conceſſis, ſeu in poſterum concedendis, etſi de illis plena, & expreſſa mentio de verbo ad verbum pręſentibus ſit habenda, quę quoad hoc alicui nolumus in aliquo ſuffragari. *Clauſula derogans.* Nulli ergo &c. noſtrorum ſtatuti, ordinationis, conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos. Idibus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Nono. *Sanctio pœnalis.*

1. *Peregrinantium.*) De quibus in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIV fol. 26.*

In Epiſcopum Chienſem (1) qui in FF. Prædicatores, alioſque nonnullos, excommunicationis ſententiam tulerat.

Anno 1426 Die 5 Martii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Clero, & Populo Civitatis, & Inſulę Chien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. **CXCIII.**

QUi, diſponente Patre luminum, curam gerimus omnium Eccleſię filiorum, devotioni veſtrę id ſolicite inſinuari cupimus, per quod animarum veſtrarum ſaluti conſulitur, & partibus illis pax debita poterit provenire. *Exordium.* Sane, non abſque maxima animi noſtri admiratione, pariter atque diſplicentia, nuper per Nos accepto, quod venerabilis Frater noſter Leonardus Epiſcopus Chien. minus mature conſiderans, quam periculoſa ſit Chriſti fidelibus in eadem Inſula, circa infideles, & ſchiſmaticos conſtituta, mutua diſcordia, in nonnullos ex vobis, pręſertim Regentes, & gubernantes Civitatem Chien., necnon dilectos filios Fratres Ordinis Prędicatorum ibidem degentes, indultis, privilegiis, & exemptionibus Apoſtolicis multipliciter contra hęc fulcitos, licet etiam in eos nullam juriſdictionem (3) ordinariam, ſeu etiam delegatam haberet, excommunicationis ſententiam promulgavit, illoſque mandavit, & fecit excommunicatos publice nunciari, & loca eccleſiaſtico ſuppoſuit interdicto, unde *Hujus Diplomatis cauſa.*

Regen-

Regentes, necnon Fratres, & alii, quorum intererat, ſentientes exinde indebite ſe gravari ad Sedem Apoſtolicam appellarunt, Noſque cauſam appellationis hujuſmodi, poſtquam venerabilis Frater noſter Antonius (4) Epiſcopus Portuen. excommunicatos ad cautelam abſolverat, & interdictum hujuſmodi, intellectis etiam privilegiis & exemptionibus prędictis de mandato noſtro relaxaverat, venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Saonen. (5) infra tempus a jure ſtatutum audiendam commiſimus, & fine debito terminandam, prout in literis Apoſtolicis deſuper confectis plenius continetur. Nos itaque, ne propter viarum diſcrimina, & locorum diſtantiam, res, matura deliberatione pro bono pacis, per Nos conceſſa, per eundem Leonardum Epiſcopum, ſeu quoſcunque alios temere violetur, vel interim aliquid contra tenorem literarum earundem attentetur, vobis, & cuilibet veſtrum, necnon omnibus & ſingulis, quorum intereſt, quos donec per eundem Epiſcopum Saonen. res ipſa fuerit definita, in tranquillo & primęvo ſtatu perſeverare volumus, ac ſi excommunicatio, & interdictum pręfata nullatenus emanaſſent, intimamus per pręſentes abſolutionem, & relaxationem, necnon appellationum hujuſmodi commiſſionem, ut pręfertur, fuiſſe, & eſſe rite factas, illaſque ſuum volumus etiam ſortiri effectum, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his per eundem Leonardum Epiſcopum, vel quoſcunque alios, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos III Non. Martii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Mandatum.

Decretum irritans.

1. *Chienſem.*) In ejuſdem nominis Inſula.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIV fol.*149.
3. *Juriſdictionem.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.V.*
4. *Antonius.*) *Corarius* nuncupatus, de quo conſulendus *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II in Gregorio XII.* Ex hoc autem Diplomate emendandus *Ughellus Tomo I Italiæ Sacræ in Epiſcop. Portuen.*, ubi, anno duntaxat *MCCCCXXX* Antonium *Portuenſem* Epiſcopum fuiſſe, docet. Hoc titulo ſane donatus fuerat hoc anno *MCCCCXXVI.*
5. *Saonen.*) Epiſcopatus eſt *Liguriæ*. Ibi tunc ſedebat *Vincentius de Vialis*, de quo *Ughellus in Epiſcop. Saonen. pag.*740. *Edit.II.*

Anno 1426 Die 8 Aprilis.

Archiepiſcopi Neapolitani provocatione ſublata donationem Monaſterii S. Sebaſtiani (1) factam Monialibus Ordinis Prædicatorum confirmat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CXCIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

SUſcepti regiminis adminiſtratione compellimur, & pietatis officio provocamur, Religioſis perſonis ſuffragium Apoſtolicę Sedis impendere, illis pręſertim, quę pro fragilitate ſexus non ſufficiunt ſua jura tueri. Dudum ſiquidem pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Petri ad Caſtellum Neapolitan. per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S.Auguſtini, ſub cura Fratrum Ordinis Pręedicatorum viventium, Nobis expoſito, quod olim, guerris, turbationibus, & aliis calamitatibus, in Regno Sicilię, & Civitate Neapolitan. vigentibus, Monaſterium prędictum per viros ſacrilegos, & pacis ęmulos, Dei timore poſtpoſito, Prioriſſa, & Conventu, rebus, & bonis ſuis, etiam libris, & calicibus, ceteriſque ornamentis Eccleſię humaniter ſpoliatis, & ab eodem Monaſterio turpiter ejectis, ignis incendio conſumptum, & deſolatum exiſtit, ac deſtructum, & per eas non poterat refici, ſeu etiam reparari, quodque ſi Monaſterium S. Sebaſtiani Neapolitan., Ordinis Sancti Benedicti, in quo unus duntaxat Monachus tunc degebat, & quod venerabilis Frater noſter Cobellus Epiſcopus Meliten. in Commendam tenebat, pro uſu, & habitatione Prioriſſę, & Conventus prędictarum, quę triginta erant, prout nunc triginta, vel in circa exiſtunt, eis, dicto Ordine S. Benedicti, & Abbatiali dignitate ſuppreſſis, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, deputaretur, & aſſignaretur, Prioriſſa, & Conventus pręfatę ad Monaſterium S. Sebaſtiani prędictum ſe transferre commode poterant, & in eo remanere, & virtutum Domino ſub regulari obſervantia famulari, & pro parte Prioriſſę, & Conventus prędictarum Nobis humiliter ſupplicato, ut Commendam revocare, & S. Benedicti Ordinem ſupprimere, ac Ordini S. Auguſtini prędicto ſub cura Fratrum Prędicatorum eas ſubiicere, & alias eis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos, ipſarum ſupplicationibus inclinati, dilecto filio Abbati Monaſterii Sancti Severini Neapolitan., ejus proprio nomine non expreſſo, noſtris literis dedimus in mandatis, ut, ſi eſſet ita, prędictum Monaſterium S.Sebaſtiani cum omnibus juribus, pertinentiis, obventionibus, bonis mobilibus, & immobilibus, Prioriſſę, & Conventui prędictis, pro ipſarum habitatione, & ſuſtentatione ſub cura dictorum Fratrum Prędicatorum viventibus, privilegiis, indulgentiis, gratiis, libertatibus quacunque auctoritate conceſſis, quibus Prioriſſa, & Conventus pręfatę antea utebantur in ſuo robore duraturis, auctoritate noſtra, deputaret, & etiam vero dilectus filius Stephanus Abbas ejuſdem Monaſterii Sancti Severini, ad executionem dictarum literarum procedens, quia expoſita in eiſdem literis per diligentem informationem per eum habitam, & receptam reperit fore vera, Monaſterium S. Sebaſtiani prędictum, cum omnibus bonis mobilibus, & immobilibus, juribus, & pertinentiis ſuis Prioriſſę, & Conventui pręfatis, pro uſu, & habitatione earum, conceſſit, & aſſignavit, eaſque in corporalem poſſeſſionem Monaſterii S. Sebaſtiani induxit, ipſęque Prioriſſa, & Conventus conceſſionis, aſſignationis, & inductionis hujuſmodi vigore corporalem Monaſterii S. Sebaſtiani, & nonnullorum jurium prędictorum, poſſeſſionem apprehenderunt, illudque ex tunc tenuerunt, & poſſederunt, prout tenent, & poſſident de pręſenti, a quibus poſſeſſione, aſſignatione, & inductione venerabilis Frater Nicolaus Archiepiſcopus Neapolitan. ad Sedem Apoſtolicam appellavit. Nos igitur Prioriſſę, & Conventui pręfatis paterno compatientes affectu, ac cupientes earum quieti, & paci ſalubriter providere, motu proprio, non ad ipſarum Prioriſſę, & Conventus, vel alterius pro eis Nobis ſuper hoc oblatę petitionis inſtantiam, omnem litem,

Hujus Diplomatis cauſa.

Confirmatio.

litem, & controverſiam ex hujuſmodi appellatione introductam, etiamſi ad quoſvis actus forſan proceſſum exiſtat, auctoritate prędicta tenore pręſentium totaliter extinguentes, eidem Archiepiſcopo ſuper dicto Monaſterio S. Sebaſtiani perpetuum ſilentium imponimus, necnon conceſſionem, & aſſignationem prędictas, & alia inde ſecuta, ex certa ſcientia ratificamus, & approbamus, prędictumque S. Benedicti Ordinem, & Abbatialem dignitatem in pręfato Monaſterio S. Sebaſtiani perpetuo ſupprimimus, necnon Monaſterium S. Sebaſtiani pręfatum, cum omnibus bonis, poſſeſſionibus, juriſdictionibus, juribus, & pertinentiis ſuis univerſis, pręfatis Prioriſſę & Conventui, pro ſe, & illis, quę eis ſuccedent, in perpetuum de novo, motu ſimili, concedimus, & aſſignamus, ipſaque S. Sebaſtiani, & S. Petri Monaſteria ſimul unimus, annectimus, & incorporamus, decernentes, & eadem auctoritate ſtatuentes, quod pręfatum Monaſterium S. Sebaſtiani de cetero Monaſterium Sanctorum Petri & Sebaſtiani ab omnibus nuncupetur; Et inſuper motu, & ſcientia ſupradictis prędictum Monaſterium Sanctorum Petri & Sebaſtiani, cum perſonis in eo pro tempore degentibus, ac bonis, poſſeſſionibus, juriſdictionibus, juribus, & pertinentiis ſupradictis, a dominio, ſuperioritate, juriſdictione, & viſitatione, ac correptione ipſius Archiepiſcopi, & Succeſſorum ſuorum Archiepiſcoporum perpetuo eximimus, ac etiam liberamus; Conſtitutionibus, ordinationibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſteriorum & Ordinum prędictorum, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Volumus autem, quod Prioriſſa & Conventus certum cenſum, quem Archiepiſcopus, & Prędeceſſores ſui ab Abbate dicti Monaſterii annuatim habere pretendit, ſi liquido conſtiterit verum fore, per Procuratorem ipſarum ſolvere teneantur. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam noſtrę extinctionis, impoſitionis, ratificationis, approbationis, ſuppreſſionis, conceſſionis, aſſignationis, annectionis, incorporationis, conſtitutionis, exemptionis, libertatis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud S. Petrum VI Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono. Sanctio pœnalis.

1. *S. Sebaſtiani.*) Conſulendum *Diploma datum IV Auguſti MCCCCXXIV.*

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar unum ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVI fol.* 19, aliud ex Authentico aſſervato in Monaſterio *Neapolitan. SS. Petri & Sebaſtiani.*

Ne pro velandis, vel ſepeliendis Monialibus Monaſterium S. Dominici Piſan. Fratres ingrediantur (1).

Anno 1426 Die 9 Aprilis.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii S. Dominici extra muros Piſan., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CXCV.

Pia ſupplicum vota eo libentius exaudire congruit, quo illa majorem bonorum operum ſecuritatem reſpicere dignoſcuntur. Exemptio. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii S. Dominici Piſan., per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura, & ſecundum inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum viventium, petitio continebat, Supplex Monialium petitio. quod olim quondam Bartholomęus, in ejus obedientia, de qua partes illę erant tunc, Urbanus VI nuncupatus, attendens, mulierum ſexus fragilis lubricoſam pudicitiam, & teneram famam eſſe, Prioriſſę dicti Monaſterii, quę tunc erat, & Conventus prędictarum in ea parte ſupplicationibus inclinatus, per quaſdam ſuas literas perpetua, & irrefragabili conſtitutione (3) ſtatuit, & ordinavit, quod de cetero nullus maſculus, ſive laicus, ſive eccleſiaſtica perſona, ſecularis, vel Regularis exiſteret, ſepta & clauſuras dicti Monaſterii ſub excommunicationis pęna, quam incurreret ipſo facto, niſi infra ſcriptis caſibus ingredi quoquomodo pręſumeret, qui quidem caſus ſunt hi, videlicet; Magiſter dicti Ordinis Prędicatorum, aut Prior Provincialis Provincię Romanę ſecundum morem ipſius Ordinis, de qua quidem Provincia dictum Monaſterium exiſtit, cum uno ſocio duntaxat ętatis provectę, & probatę famę, ſemel tantum in anno, & cauſa Viſitationis, & non alias, & etiam quando aliqua ex Monialibus dicti Monaſterii velari contingeret, unus Frater dicti Ordinis Prędicatorum antiquus, & probatus cum uno ſocio tantum ſimilis conditionis, & etiam cum expediat Communionem, & Extremam Unctionem Monialibus ipſius Monaſterii graviter ęgrotantibus miniſtrari, aut Moniales mortuas ſepeliri, pro debitis officiis peragendis; Medici quoque tempore infirmitatis hujuſmodi Monialium, ac Operarii pro victualibus inferendis, aut ędificiis reparandis, cum expediret, qui tamen honeſtę conditionis exiſterent, ſupradictis duntaxat caſibus, ſepta, & clauſuras prędicta introire valerent, adjecitque inter alia premiſſis, quod quicunque hujuſmodi excommunicationis ſententiam incurreret quovis modo, ab ea non niſi per Romanum Pontificem, pręterquam in mortis articulo, poſſet abſolvi, prout in eiſdem literis dicitur plenius contineri. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, pręfatę Moniales abſque eo quod aliqui ex prędictis Fratribus ſepta & clauſuras prędicta ingrediantur, prout jamdiu obſervatum fuit, per quoddam dicti Monaſterii portelium, quo Moniales ipſę, corpore ſanę, communionem pro tempore recipiunt, velari, & ex eis mortuę, cum debita officiorum in Eccleſia ipſius Monaſterii illi contigua peractione divinorum, ſepeliri pro tempore commode poſſint, pro parte Prioriſſę & Conventus prędictarum timentium, ſi hujuſmodi ingreſſus in pręmiſſis duobus, velationis, videlicet, & ſepulturę, caſibus extet, uſuique laxetur licentia aliqua, adverſus virginitatis, & caſtitatis votum, in cujus obſervantię plenitudine perpetuo inconcuſſe perſeverare deſideriis ſupernis affectant, occaſionem obrepere poſſe, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, & ſecuritati ipſarum ſuper hoc opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur Inhibitio. de pręmiſſis certam notitiam non habentes hujuſmodi, quę procedere ex multipliciter commendando propoſito videntur, ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, literas & Conſtitutionem pręfatas in duobus pręnotatis caſibus reſtringens, auctoritate

noſtra, id ſtatuas, & ordines perpetuo, & irrefragabiliter obſervandum perinde, licet deinceps vigore literarum, & Conſtitutionis prędictarum, aut alias Fratri, cum, vel ſine ſuo Socio hujuſmodi, pro quacunque ex Monialibus dicti Monaſterii velanda, ſeu mortua ſepelienda, ex cauſis in ipſis literis, & Conſtitutione expreſſis, aut alias ſepta vel Clauſuras antedicta nullatenus liceat introire, ſi ſecus egerit, eo ipſo excommunicationis ſententiam incurſuro, nec ab ea niſi per Romanum Pontificem, prężterquam in mortis articulo abſolvendo, literis, & Conſtitutione prędictis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis Prędicatorum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate vallatis, ceteriſque contrariis non obſtantibus quibuſcunque; ipſis tamen literis, & Conſtitutione quoad reliqua omnia, in eiſdem contenta, in ſuo pleno robore duraturis. Nos enim, ſi vigore pręſentium, ſtatutum, & ordinationem hujuſmodi feceris, ut prętertur, ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Dat. Romę apud S. Petrum V Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Ingrediantur.*) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. XIII.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXIX fol.* 211.
3. *Conſtitutione.*) Deſideratur hęc Conſtitutio.

Anno 1426 Die 12 Maii.

Ne Fratres Uniti (1) moleſtiis afficiantur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCVI. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus in Ultramarinis partibus, & in Civitate Caffen. commorantibus, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. ZElus domus Domini, quam ipſe Nobis, licet immeritis, regendam pia miſeratione diſpoſuit, continue Nos angit, ut ea, quę ad propagationem fidei Catholicę provenire valeant, procuremus, & fidei pręfatę profeſſorum quieti ſollicite conſulamus. Cum itaque, ſicut accepimus, dilecti filii Gubernator, & Fratres Ordinis Unitorum nuncupati, & nonnulli alii fidei pręfatę cultores in Civitate Caffen., & in Ultramarinis partibus degentes, a nonnullis, qui nomen Domini in vanum recipere non formidant, Mandatum. multiplices patiantur injurias, & jacturas: Nos Gubernatoris, & Fratrum, ac aliorum prędictorum providere quieti, & moleſtatorum eorundem malitiis obviare volentes, univerſitatem veſtram rogamus, monemus, & hortamur attente, quatenus Gubernatorem, & Fratres, ac alios prędictos, cum ad vos declinaverint, ob noſtram, & Apoſtolicę Sedis reverentiam, benigne recipientes, & caritative tractantes, non permittatis eis, aut eorum alicui, ac injuriatoribus, & moleſtatoribus ipſis, cujuſcunque ordinis, vel conditionis exiſtant, aliquam moleſtiam, ſeu injuriam fieri, vel inferri, aut ipſos quomodolibet moleſtari. Datum Romę apud S. Petrum IV Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Uniti.*) De quibus in *Notis ad Conſtitutiones V, & VII Innocentii VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVI fol.* 301.

Anno 1426 Die 15 Junii.

F. Elias Bodandi Pœnitentiarius Lemovicenſis (1) conſtituitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCVII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Elię Bodandi Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, Magiſtro in Sacra Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SEdes Apoſtolica, pia mater de ſalute fidelium ſedulo cogitans, ea libenter fidelibus ipſis pio favore concedit, per quę labe peccaminum ſuorum expiati, conſcientię pacem conſequi, & animarum ſuarum pericula valeant evitare. Cum itaque ad notitiam noſtram deductum exiſtat, quod quamplures, Diplomatis cauſa. utriuſque ſexus homines Civitatis, & Dięceſis Lemovicen., ac nonnullarum aliarum circumvicinarum partium, diverſorum, & adeo gravium, a quibus ſine ſpeciali ſuper hoc interveniente dictę Sedis auctoritate non potuerint, neque poſſint abſolutionem obtinere, fuerint, & ſint peccaminum mole obvoluti, quodque perſonę ipſę propter guerras, quibus partes ipſę a ſexaginta annis citra, & amplius miſerabiliter afflictę fuerunt, ac etiam viarum diſcrimina, longinquam partium earundem a Romana Curia diſtantiam, necnon alias propter perſonarum earundem impotentiam pro earum Confeſſionibus faciendis, & abſolutionibus ſuper hujuſmodi peccaminibus obtinendis, Sedem prędictam viſitare nequeuntes, ut veriſimiliter formidetur quod nonnulli videlicet ex eis deceſſerint, & alii etiam in peccatis ipſis inſordeſcentes decedere poſſint, eis deſuper hujuſmodi abſolutionis beneficio non impenſo, in grave animarum ſuarum Facultas. periculum, & pernicioſum exemplum plurimorum; Nos igitur periculis hujuſmodi obviare volentes, ut perſonę ipſę, pręſertim illę, quas earum impotentia a viſitatione Sedis prędictę retrahit, ſuarum poſſint animarum ſaluti providere, tibi Confeſſiones viginti perſonarum partium prędictarum utriuſque ſexus ex hujuſmodi earum impotentia Sedem ipſam viſitare non valentium, & tibi confiteri volentium, ſemel duntaxat audiendi, & earum Confeſſionibus diligenter auditis debitam abſolutionem, etiam in caſibus in quibus minores Pęnitentiarii noſtri in Romana Curia reſidentes, abſolvere poſſunt, eis impendendi, injunctis eis pro modo culpę pęnitentia ſalutari, & aliis, quę de jure fuerint injungenda, plenam, & liberam auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium concedimus poteſtatem. Volumus autem, quod ſi quaſi alieni earum ex uſuraria pravitate, ſeu alias ſatisfactio, ſeu reſtitutio pecuniaria, quę perſonę, ſeu perſonis, cui, vel quibus, illa fieri debeat, fieri non poſſit, fuerit injungenda, illam injungas, & pecunias

hujuſ-

hujuſmodi Camerę Apoſtolicę facias applicari. Prȩſentibus poſt biennium minime valituris. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVII Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Lemovicenſis.*) In *Gallia Aquitanica.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXX fol.* 241.

F. Bernardus Boxados Vicarius Generalis Aragoniæ Provinciæ confirmatur (1).

Anno 1426 Die 16 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bernardo Boxados Ordinis Fratrum Prędicatorum Profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis tuę favor expoſcit, & ſincerę devotionis merita, quibus adjuvari diceris, promerentur, ut ea, quę tibi provide conceſſa ſunt, Apoſtolica confirmatione favorabiliter roboremus. *Exordium.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod nuper dilectus filius Ludovicus de Valleoleti, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſor, in Theologia Magiſter, per Generale Capitulum dicti Ordinis, juxta illius morem tunc Bononię celebratum, Generalis Vicarius (3) deputatus, dilectum filium Julianum Tallada Fratrem ejuſdem Ordinis ab officio Provincialatus prędicti Ordinis Provincię Aragonię, quod tunc exercebat, & a quo ſecundum morem hujuſmodi quiſque ad nutum amovibilis exiſtit, etiam auctoritate ipſius Capituli, ut aſſeruit, abſolvit, ipſumque Provincialatus officium tibi per te regendum, & exercendum, donec Prior Provincialis ejuſdem Provincię juxta morem prędictum canonice electus, ejuſque electio confirmata foret; per ſuas literas commiſit, teque in illo inſtituit, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, ab aliquibus aſſeratur, *Confirmatio.* eidem Juliano, quod ab hujuſmodi officio amoveri nequeat, auctoritate Apoſtolica fuiſſe indultum; Ne propterea in ipſius officii exercitio per eundum Julianum turbari poſſis, ſeu etiam impediri, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, abſolutionem, necnon commiſſionem, & inſtitutionem prędictas, ac omnia inde ſecuta, ſicut provide proceſſerunt, auctoritate Apoſtolica tenore prȩſentium, confirmamus, & prȩſentis ſcripti patrocinio communimus. Non obſtantibus prȩmiſſis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis, & communitionis infringere &c. Si *Sanctio pœnalis.* quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Confirmatur.*) Conſulendus *Franciſcus Diago Hiſtor. Provinc. Aragon. Lib. I Cap. XXXIV pag.* 62, ubi probat, Fratrem *Julianum Tallada* Provincialis munus obiiſſe ab anno *MCCCCXX* ad *MCCCCXXX*. Legenda *Conſtitutio data XXXI Octobr. MCCCCXXVI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro XX fol.* 249.
3. *Vicarius.*) Ex hoc firmantur ea, quæ habet *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXXVI pag.* 789.

De F. Laurentio Belluga S. Theologiæ Doctore creando (1).

Anno 1426 Die 16 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CXCIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bernardo Boxados Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, in Theologia Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Viri ſacrę lectionis ſtudio dediti, & in lege Domini eruditi, ſub Religionis habitu Domino militantes, favoris Apoſtolici gratiam promerentur, eoque benignius honeſtis eorum deſideriis licet annui, quo ex eorum profectibus major poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. *Exordium.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Laurentii Belluga, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris petitio continebat, quod licet ipſe ad legendum Librum Sententiarum pro curſu, & forma magiſterii in Theologia conſequendo juxta morem dicti Ordinis habilitatus exiſtat, tamen propter illarum partium guerrarum turbines, ac ſui corporis debilitatem pro hujuſmodi lectura inchoanda, & complenda extra Regnum Aragonię Univerſalia ſtudia commode viſitare non poſſit. *Supplex petitio.* Quare pro parte dicti Laurentii Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere ſibi ſuper hoc de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, *Mandatum.* quatenus poſtquam ipſe Laurentius hujuſmodi Librum Sententiarum legerit, & alias curſus ſuos in Studio Ilerden. compleverit, ſi per tuam, & ſaltem trium in dicta facultate etiam Magiſtrorum, in eodem Ilerden. Studio exiſtentium, diligentem examinationem, ipſum ſufficientem, & idoneum eſſe repereris, magiſtrales honores, & docendi licentiam, ſervatis tamen primo Conſtitutionibus Viennen. Concilii, & aliis ſolemnitatibus in talibus fieri conſuetis, & ut ipſe infra dictum Ordinem & extra, quibuſcunque gratiis, privilegiis, libertatibus & indulgentiis tam a Sede Apoſtolica, quam a prędicto Ordine Fratribus ejuſdem Ordinis in dicta Theologia magiſtratis, conceſſis, uti, & gaudere valeat, auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus quibuſcunque privilegiis & ſtatutis, ac conſuetudinibus Studiorum & Ordinis prędictorum, prȩſertim illis, quibus cavetur, quod Fratres dicti Ordinis Provincię Aragonię non poſſint niſi in Romanę Curię, Pariſien., Bononien., Oxonien., vel Salamantin., ſtudiis curſus ipſos perficere, & ibidem pro gradu hujuſmodi adipiſcendo ſufficientes reputari, quibuſcunque contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, etiamſi de illis, & totis *Nota.*

eorum tenoribus ſpecialis, & expreſſa, ac de verbo ad verbum eſſet in præſentibus meotio facienda, quę alias in ſuo volumus robore permanere, plenam & liberam tibi concedimus tenore præſentium facultatem. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Creando.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VI.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXX fol.* 139.

Anno 1426 Die 16 Junii.

Ne alterius Cœnobii Fratres in album Barchinonenſis (1) domus transferantur.

Ex Arch. (2) *Ordinis.*

CC.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Monaſterii Sanctę Annę Barchinonen., per Priorem ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SInceræ devotionis affectus, quem dilecti filii Magiſtri in Theologia, & alii Fratres domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Barchinonen. ad Nos, & Romanam gerunt Eccleſiam merito Nos inducunt, ut votis eorum, illis præſertim, per quę illorum tranquillitati, & commoditati conſulitur, & ipſa domus conſervetur in ſua laudabili obſervantia, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictorum Magiſtrorum, & Fratrum, petitio continebat, quod licet ipſi pia largitione fidelium, qui ſingulari devotione Magiſtros, & Fratres in eadem domo pro tempore exiſtentes, ſuis erogationibus reſpicere conſueverunt, ſimplici victu ſuſtentari poſſent in communi, tamen nonnulli Fratres, qui in aliis domibus dicti Ordinis primo recepti fuere, ad eandem domum Barchinonen. ſe transferri, & inibi ac ſi primo ibidem recepti, & Ordinem ipſum expreſſe profeſſi fuiſſent, etiam per literas Apoſtolicas recipi, & admitti, eiſque de communibus hujuſmodi erogationibus, ſicuti aliis ejuſdem domus Fratribus competentia miniſtrari procurant. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, Fratres, qui primo in ipſa domo Barchinonen. pro tempore recipiuntur, & in illa Ordinem ipſum profitentur, ex translationibus, receptionibus, & admiſſionibus præfatis, diverſis modis, multipliciter prægraventur, & Magiſtri prędicti a ſuis exercitiis ſolitis retrahantur, pro parte Magiſtrorum, & Fratrum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut providere eis ſuper his de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, de præmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, dictaque Domus Barchinonen. occaſione transiſtionum, receptionum, & admiſſionum hujuſmodi, gravata fuerit, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, Magiſtris & Fratribus prędictis, quod aliquos Fratres cujuſcunque gradus, vel conditionis exiſtant, qui in ipſa domo Barchinonen. primo ad eundem Ordinem recepti, & illum inibi non ſint profeſſi, & hucuſque capitulariter recepti non fuere, ad eandem recipere, illiſque, etiam ſi auctoritate Apoſtolica ſic translati ſint, proventus, emolumenta, ſeu erogationes communia miniſtrare minime teneantur, nec ad id inviti valeant, quavis auctoritate, quomodolibet compelli, auctoritate noſtra concedas. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, necnon exemptionibus, privilegiis, indulgentiis, gratiis, & literis Apoſtolicis generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, ſub quacunque forma, vel expreſſione verborum a Sede Apoſtolica conceſſis, ſeu in poſterum concedendis, etiam ſi de illis plena, & expreſſa mentio, ac de verbo ad verbum præſentibus ſit habenda, quę quoad hoc eis in nullo volumus ſuffragari, & inſuper ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, contigerit attentari. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Supplex petitio.

Inhibitio.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

1. *Barchinonen.*) In *Catalonia*.

2. *Archivo.*) In quo duplex Exemplar, unum ex *Archivo Apoſtolico lib. CXX fol.* 137, & aliud *Lib. B. fol.* 574, ex Autographo *Barchinonenſi*.

Anno 1426 Die 19 Junii.

F. Nicolaus de Chio Eccleſiæ Chienſis (1) Vicarius Generalis creatur (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis.*

CCI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Chio, alias de Todi, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

APoſtolicę Sedis circunſpecta providentia ad ſtatum Eccleſiarum Cathedralium, ne, propter ſuorum Prælatorum ſuſpenſiones, in ſpiritualibus, & temporalibus, ſubeant detrimenta ſuę conditionis, aciem dirigens, eis ſuper hoc benignum ſuffragium libenter impendit, prout ex ſui officii debito conſpicit expedire. Cum itaque Venerabilem Fratrem noſtrum Leonardum Epiſcopum Chien., certis de cauſis, tunc expreſſis, ab omnibus cura, regimine, & adminiſtratione in ſpiritualibus, & temporalibus Eccleſię Chien., donec lites, diſcordię & controverſię inter ipſum, necnon dilectos filios Chriſti fideles Rectores Civitatis, & Inſulę Chien., necnon Fratres Prędicatorum, conjunctim, vel diviſim quomodolibet ſuſcitatę penitus ſopitę forent, ſeu amicabiliter concordatę, auctoritate Apoſtolica per alias noſtras literas ſuſpenderimus, Nos, ne propterea dicta Eccleſia in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus, ſuſtineat detrimenta, ſalubriter providere cupientes, ac ſperantes, quod ea, quę tibi committimus, in hac parte exequi ſtudeas fideliter, & prudenter, te Vicarium ipſius Eccleſię, cum actu Capitulo, & Canonicis careat, ac Prælati Catholici in remotis abinde partibus reſidentiam faciant, in eiſdem ſpiritualibus, & tem-

Diplomatis cauſa.

& temporalibus eum plenitudine Epiſcopalis Jurisdictionis, dicta ſuſpenſione durante, eadem auctoritate, tenore præſentium conſtituimus, ac etiam deputamus; volentes, & auctoritate prędicta decernentes, quod tu omnia, & ſingula, quę ad officium Vicariatus ſpectant cum exercitio Juriſdictionis ejuſdem, hujuſmodi ſuſpenſione durante, libere, & licite valeas exercere; ſic tamen, quod de fructibus, redditibus, ac emolumentis Epiſcopalis menſę Chien., reſervata pro eodem Epiſcopo, & ejus ſtatu, juxta Epiſcopalis dignitatis exigentiam, congrua portione, miniſtris, & divina celebrantibus in eadem Eccleſia providere, & circa illa reparatione indigentia reparare, reſiduum vero pro utilitate ipſius Eccleſię, donec aliud a Nobis habueris in mandatis, reſervare, & legaliter cuſtodire procures; mandantes omnibus, & ſingulis, tam Clericis, quam laicis dictarum Civitatis & Diœceſis Chien., quatenus, hujuſmodi ſuſpenſione durante, tibi, & non alteri, in ipſis ſpiritualibus, & temporalibus plene pareant, ac efficaciter, & devote intendant; alioquin ſententias, ſive penas quas rite tuleris in rebelles, ratas habebimus, eaſque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Tu igitur in hujuſmodi Vicariatus officio, per Nos tibi, ut premittitur, commiſſo, in ejuſdem juriſdictionis exercitio te adeo exhibeas diligentem, ac etiam fructuoſum, quod exinde fidelibus ipſis ſperata ſalus animarum perveniat, tuque pręter ęternę retributionis pręmia poſſis provide de fidelitate a Nobis, & diligentia ſolerti, non immerito commendari. Nulli ergo &c. Noſtrorum conſtitutionis, Deputationis, voluntatis, decreti, atque mandati infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XIII Kalendas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Inſtitutio. Sanctio pœnalis.

1. *Chienſis.*) In ejuſdem nominis Inſula.
2. *Creatur.*) Conſulenda *Conſtitutio CLXXXI.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVI fol.* 195.

Ne F. Paulus Johannis, Ordinis Unitorum (1), a Prioratus officio dimittatur.

Anno 1426 Die 4 Julii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Paulo Johannis Priori Prioratus Domus Sancti Spiritus (3), Fratrum Armenorum, extra muros Bononien., Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum viventium, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Religionis zelus, vitę, ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequamur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod olim Prioratu domus Sancti Spiritus Fratrum Armenorum extra muros Bononien. Ordinis Sancti Auguſtini, ſub cura Fratrum Prędicatorum viventium, qui ad nutum Prioris Generalis (4) eorundem Fratrum Armenorum ſecundum ipſorum morem deputari ſolet, tunc certo modo vacante, dilectus filius Antonius Petri de Piſis Prior Generalis eorundem Fratrum Armenorum juxta morem, & conſuetudinem hujuſmodi, Prioratum ipſum prędictę domus auctoritate ordinaria tibi contulit, & providit etiam de illo, tuque collationis, & proviſionis hujuſmodi vigore illum aſſecutus, eum ex tunc tenuiſti, & poſſediſti, prout tenes, & poſſides de pręſenti. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tu tam circa illius ędificiorum, & Eccleſię reparationem, ac fructuum, reddituum, & proventuum, qui quinquaginta florenorum auri ſecundum communem exiſtimationem valorem annuum, ut aſſeris, non excedunt, augmentationem, quam etiam quęcunque alia, ejus utilitatem & meliorationem continentia, juxta poſſe tuum, laborando fideliter regere, & gubernare proponas, pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi ſuper hoc opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, volentes, te, qui Preſbyter, &, ut aſſeris, Ordinem ipſum Sancti Auguſtini expreſſe profeſſus exiſtis, pręmiſſorum meritorum tuorum intuitu, favore proſequi gratioſo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut a dicto Prioratu uſque ad beneplacitum Sedis Apoſtolicę abſque rationabili cauſa per quempiam invitus nequeas amoveri, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, indulgemus. Non obſtantibus Apoſtolicis ſtatutis, ac in Provincialibus & Synodalibus Conciliis editis conſtitutionibus, & conſuetudinibus Prioratus, & Ordinum prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę conceſſionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos IV Nonas Julii, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium. Supplex petitio.

1. *Unitorum.*) De quibus in Annotationibus ad *Conſtitutiones V, & VII Innocentii VI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol.* 535.
3. *Domus S. Spiritus.*) Hinc Fratres *Unitos* alias *Bononiæ* commoratos diſcimus.
4. *Prioris Generalis.*) In aliis Conſtitutionibus *Gubernator* vocatur.

Firmat

Anno 1426 Die 26 Auguſti.

Firmat ea quæ de Cœnobio Langley Regis (1) Generalis Magiſter ſtatuerat.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Hendele, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. REligionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, quibus perſonam tuam fide dignorum teſtimoniis juvari percipimus, Nos inducunt, ut petitionibus tuis, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Diplomatis cauſa. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte tua, petitio continebat, quod olim dilectus filius Bartholomęus Texerii (3) Magiſter Generalis Ordinis Fratrum Prędicatorum, ex certis cauſis, animum ſuum moventibus, dilectum filium Philippum Boydon tunc Priorem Domus Langley Regis, dicti Ordinis, Lincolnen. (4) Diœceſis, a Prioratus officio ejuſdem Domus, ejuſque exercitio auctoritate ſui Generalitatis officii abſolvit, ipſumque ad Conventum Domus Salopię Ordinis prędicti, Lichefeldeo. (5), & Coventien. (6) Diœceſis, de quo ipſe Philippus oriundus extiterat, & in quo habitum ſuſceperat, & profeſſionem dicti Ordinis emiſerat regularem, eadem auctoritate remiſit, ac voluit, quod idem Philippus ad dictam domum Langley Regis nullatenus redire valeret, & nihilominus, ne ipſa Domus Langley Regis propter abſolutionem hujuſmodi in ſpiritualibus, & temporalibus detrimentum ſuſtineret, ſed votivis jucundaretur eventibus, dilectum filium Guillelmum de Edliſtorch dicti Ordinis & ſacrę paginę profeſſorem, Viſitatorem dictę domus Langley Regis pręfata auctoritate inſtituit, ſibique ipſam domum viſitandi, ac, quę in illa corrigenda, & reformanda forent, reformandi, & corrigendi, Fratres quoque ipſius domus Langley Regis ab illa ad alias domos ejuſdem Ordinis, prout ſibi videretur expediens, transferendi, necnon alios Fratres ipſius Ordinis in dicta Domo Langley Regis recipiendi, ac electiones per Fratres dictę Domus Langley Regis, de quocunque illius Priore quovis modo forſitan factas, caſſandi, & annullandi, necnon Priorem per ipſos Fratres Langley Regis eligendum confirmandi, plenariam conceſſit facultatem, & ſucceſſive idem Magiſter te, prout etiam per Generale Capitulum dicti Ordinis in Civitate noſtra Bononien. noviſſime inſtitutus fueras, in Vicarium dictę Domus Langley Regis, auctoritate inſtituit antedicta, volens nihilominus idem Magiſter, quod, ſi te a ſaniore parte Fratrum dictę Domus Langley Regis eligi contingeret in Priorem domus ejuſdem, ipſe Guillelmus electionem de te factam hujuſmodi auctoritate pręfata confirmare valeret, quodque poſtquam in Priorem domus ipſius Langley Regis electus, & per dictum Guillelmum confirmatus exiſteres, ut prefertur, ab eodem Prioratus officio a quovis alio pręterquam per ipſum Magiſtrum Generalem, aut ejus literas ſpeciales, de premiſſis plenam, & expreſſam mentionem facientes, nequires abſolvi, prout in ejuſdem Magiſtri literis deſuper confectis plenius dicitur contineri. Quare pro parte tua, ac etiam cariſſimę in Chriſto filię Johannę Reginę Anglię Illuſtris, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut abſolutioni, inſtitutioni, ac voluntati prędictis, pro illarum ſubſiſtentia firmiori, robur Confirmatio. Apoſtolicę confirmationis adjicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes te prędictorum meritorum tuorum intuitu favoribus proſequi gratioſis, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, abſolutionem, inſtitutionem, & voluntatem prędictas, & quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Per hoc autem naturam Vicariatus officii dictę Domus Langley Regis in aliquo non intendimus immutari. Nulli ergo &c. Noſtrę confirmationis communitionis, & intentionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Genezani Pręneſtin. Diœceſis, VII Kalendas Septembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Langley Regis.*) In *Anglia*. Vide inferius *Conſtitutiones CCXIX, & CCXXXI.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXX fol.* 153.
3. *Bartholomæus Texerii.*) Gallus, electus an. *MCCCCXXVI.*
4. *Lincolnen.*) *Lindenſis* nempe, vulgo *Lincolne*.
5. *Lichefelden.*) *Lichfelden.*, vulgo *Lichfield*, in *Anglia*.
6. *Conventien.*) *Coventrien.*, vulgo *Coventry*.

Anno 1426 Die 8 Octobris.

Portomprienſis (1) Cœnobii fundationem confirmat.

Ex Archivo (2) Ordinis

CCIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Conferten. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. STatum Ordinis Fratrum Prędicatorum, quem ſincera caritate proſequimur, felicibus proſperari ſucceſſibus affectantes, libenter ad ea, quę ipſius ſtatus proſperitatem reſpiciunt, Apoſtolici favoris Supplex petitio. prędidium impertimur. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domus B. Marię, ac Sanctorum Petri, & Pauli, in villa de Portompria dicti Ordinis, Conferten. Diœceſis, petitio continebat, quod olim ipſi, ut unam Domum cum Eccleſia, campanili, campana, cœmeterio, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione eorum, conſtruere poſſent, auctoritate Apoſtolica ſufficienter communiti, Domum ipſam cum hujuſmodi officinis apud Capellam ſine cura eorundem Sanctorum in villa prędicta, quę tunc ad dilectos filios Abbatem & Conventum Monaſterii de Dumbroch, Ciſtercien. Ordinis, Fernen. (4) Diœceſis, in ſpiritualibus & temporalibus, ac ad ipſum Monaſterium legitime pertinebat, quamvis aliqui Domini temporales illarum partium Capellam, & villam prędictas, tanquam per ipſos Abbatem & Conventum derelictas, in uſus eorum deſtinarent, ac eiſdem Fratribus,

pro

pro uſu, & habitatione hujuſmodi, libere donaſſent, de conſenſu etiam, & permiſſione venerabilis Fratris noſtri Thomę Epiſcopi, & dilectorum filiorum Capituli Conſlerten., Abbate etiam, qui tunc erat ejuſdem Monaſterii, & Conventu prędictis ſcientibus, & non contradicentibus, conſtruxerunt, illamque ex tunc pro eiſdem uſu, & habitatione tenuerunt, prout tenent ad preſens; &, ſicut eadem petitio ſubjungebat, iidem Prior, & Fratres timent, ſe ſuper premiſſis per Abbatem, & Conventum prędictos in poſterum, aut alias forſitan propterea moleſtari poſſe. Quare pro parte ipſorum Prioris & Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut donationi, & conſtructioni prędictis pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, necnon ipſis, ut omnibus privilegiis, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, & indulgentiis uti, & gaudere poſſint, quibus alii Fratres dicti Ordinis, in aliis ejuſdem Ordinis domibus pro tempore commorantes, potiuntur, concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vocatis Abbate & Conventu prędictis, & aliis qui fuerint evocandi, de premiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra, te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ita eſſe inveneris, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, donationem & conſtructionem prędictas, auctoritate prefata confirmes, & nihilominus Priori & Fratribus dictę Domus preſentibus, & futuris, ut ipſi omnibus privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & indulgentiis, quibus alii Fratres dicti Ordinis in aliis eorum domibus gaudent, ſeu quomodolibet potiuntur, uti, & gaudere poſſint, ac debeant, eadem auctoritate concedas. Non obſtantibus fel. rec. Bonifatii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium loca de novo recipere, aut recepta mutare preſumant, abſque Apoſtolicę Sedis licentia ſpeciali, faciente plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, & aliis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Dat. Romę apud Sanctos Apoſtolos VIII Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Confirmatio.

Clauſula derogans.

1. *Portompriensis.*) In *Hibernia*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol.* 232.
3. *Conſlerten.*) *Conferten.*, vulgo *Clonefert*, in *Hibernia*.
4. *Fernen.*) In *Hibernia*.

Inſcribit Conſtitutionem, qua Innocentius VII Regulam Tertii Ordinis (1) confirmavit.

Anno 1426 Die 10 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. CCV.

PRoviſionis noſtrę debet provenire ſubſidio, ut jus ſuum cuilibet conſervetur. Hinc eſt, quod Nos, tenorem quarundam Literarum quondam Innocentii in ſua obedientia, de qua partes infraſcriptę tunc erant, VII nuncupati, in ipſius Regeſtro repertum, pro eo quod, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Fratrum, & dilectarum in Chriſto filiarum Sororum Ordinis Fratrum Prędicatorum, de Pęnitentia Sancti Dominici nuncupatorum, in Regno Hibernię degentium, petitio continebat, ipſi hujuſmodi tenore, ex certis cauſis, ſe aſſerunt indigere, de Regeſtro ipſo de verbo ad verbum tranſcribi, & ad Fratrum, & Sororum inſtantiam preſentibus annotari fecimus, qui talis eſt. Innocentius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Sedis Apoſtolicę providentia &c (3). Ceterum, ut earundem literarum tenor prędictus ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti certitudinem faciat, Apoſtolica auctoritate decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, eundemque vigorem dictus tenor per omnia habeat, quę haberent originales literę ſupradictę, & eadem prorſus eidem tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in judicio, ſive alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eidem ſtetur firmiter in omnibus, ſicut eiſdem originalibus literis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę. Per hoc autem nullum jus cuiquam de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantummodo conſervari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę Conſtitutionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare preſumpſerit, indignationem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VI Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

Exordium.

Innocentii Conſtitutio inſeritur.

Clauſula derogans.

1. *Tertii Ordinis.*) De quo in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. XIV.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXIX fol.* 147.
3. *Providentia &c.*) Ut in *Conſtitutione III Innocentii VII* ad finem uſque.

Ut F. Julianus Tallada (1) in Officium Provincialis Aragoniæ Provinciæ reſtituatur.

Anno 1426 Die 31 Octobris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomeo Texerii ſacrę paginę profeſſori, Ordinis Fratrum Prędicatorum Generali Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCVI.

AD ea ex debito paſtoralis officii libenter intendimus, per quę diſſenſiones, & ſcandala Religioſarum perſonarum ſopiantur, ac pax & concordia inter eos debite reformetur. Dudum ſiquidem pro parte dilecti filii Bernardi Boxados, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, in ſacra Theologia Magiſtri, Nobis expoſito, quod olim dilectus filius Ludovicus de Valleoleti dicti Ordinis profeſſor, in Theologia Magiſter,

Exordium.

Diplomatis cauſa.

Magiſter, per Generale Capitulum dicti Ordinis, juxta illius morem tunc Bononię celebratum, Vicarius Generalis deputatus, dilectum filium Julianum Tallada Fratrem dicti Ordinis ab officio Provincialatus ipſius Ordinis Provincię Aragonię, quod tunc exercebat, etiam auctoritate dicti Capituli, ut aſſerebat, abſolverat, dictumque Provincialatus officium eidem Bernardo per eum regendum, & exercendum, donec Prior Provincialis ipſius Provincię juxta morem hujuſmodi canonice electus, ejuſque electio confirmata foret, per ſuas literas commiſerat, ipſumque Bernardum in illo inſtituerat, Nos, prędicti Bernardi in ea parte ſupplicationibus inclinati, abſolutionem, necnon commiſſionem, & inſtitutionem prędictas ac omnia inde ſecuta per noſtras literas auctoritate Apoſtolica confirmavimus, & communivimus, prout in ipſis literis plenius continetur. Cum autem poſtmodum, ſicut relatione fide dignorum percepimus, propter abſolutionem, commiſſionem, & inſtitutionem prędictas gravia, & periculoſa diſturbia, ac ſcandala fuerint inter Fratres ipſius Ordinis in dicta Provincia excitata, Nos, ad ea tollenda, & pe-
Mandatum. nitus extirpanda, paterna ſolicitudine intendentes, ac cupientes, ut Fratres prędicti in dulcedine pacis, & concordię poſſint Altiſſimo deſervire, tibi prędictum Bernardum a dicto Provincialatus officio, ſeu ejus Vicariatu amovendi, & deponendi, ac prędictum Julianum ad ipſum officium conſtituendi, ponendi, & deputandi, ac circa hoc ea gerendi, faciendi, & deputandi, providendi, mandandi, diſponendi, & exequendi, quę pro pace & concordia Fratrum Ordinis dictę Provincię, & bono regimine, & gubernatione Ordinis, & officii prędictorum, & alias prout tuo incumbit officio, videris expedire; contradictores quoque quoslibet, & rebelles per cenſuram eccleſiaſticam & alia juris remedia, appellatione poſtpoſita, compeſcendo, plenam, & liberam, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, facultatem concedimus, & etiam poteſtatem; pręmiſſis ac conſtitutionibus Apoſtolicis, & aliis contrariis non obſtantibus quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos II Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Nono.

1. *Tallada.*) De quo dictum fuit in *Nota I ad Conſtitutionem CXCVIII.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXIX fol.* 180.

Anno 1426 Die 23 Novembris.

Ut Portompriense (1) Cœnobium perficiatur, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCVII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CUm itaque, ſicut accepimus, domus de Portompria Ordinis Fratrum Prędicatorum, Clonferten. (3) Diœceſis, in loco utique a civitatibus, & mundanis converſationibus ſegregato, per nonnullos Fratres dicti Ordinis, ut ibidem Altiſſimo ſub regulari obſervantia quietius deſervire valeant, decenti quidem opere cum Eccleſia, & aliis officinis incepta, pro ejus perfectione expenſa indigeat non modicum ſumptuoſa, ad quam Chriſti fidelium ſuffragia fore noſcuntur plurimum opportuna, Nos, cupientes, ut Domus cum Eccleſia, & aliis ſupradictis congrue perficiatur, univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente, Vobis in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis ad perfectionem dictę Domus pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram hujuſmodi Domus ipſa congrue perfici valeat, & vos per hęc, & alia bona, quę, Domino inſpirante, fe-
Indulgentia. ceritis, poſſitis ad ęterna felicitatis gaudia pervenire, Nos enim, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad perfectionem eandem manus porrexerint adjutrices, tres Annos, & totidem quadragenas, de injunctis eis pęnitentiis in Domino miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, vel ad ejus, necnon dictę Domus perfectionem hujuſmodi, ſeu fabricam manus porrigentibus adjutrices, vel pias inibi eleemoſynas erogantibus, aut alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos IX Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Portomprien.*) In *Hibernia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXVI fol.* 304.
3. *Clonferten.*) In *Hibernia.*

Anno 1426 Die 17 Decembris.

Ædes Sacras Monaſterii Toletani (1) S. Dominici viſitantes Indulgentiis donat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCVIII. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

LIcet is &c. (3). Cupientes igitur, ut Eccleſia Monaſterii Monialium S. Dominici Regalis Toletan., Ordinis Fratrum Prędicatorum, a Chriſti fidelibus congruis honoribus frequentetur, & etiam conſervetur, & ut Fideles ipſi eo libentius cauſa devotionis confluant ad eandem, & ad ejus conſervationem
Indulgentia. manus promptius porrigant adjutrices, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in feſto S. Thomę de Aquino Confeſſoris a primis Veſperis,

uſque

uſque ad ſecundas veſperas ejuſdem Feſti Eccleſiam ipſam devote viſitaverint annuatim, & ad ejus conſervationem manus porrexerint adjutrices duos Annos, & totidem quadragenas de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias Eccleſiam ipſam viſitantibus, vel ad ejus fabricam, ſeu reparationem, vel conſervationem hujuſmodi manus porrigentibus adjutrices, aut alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia, in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Toletan.*) *Toledo*, in *Hiſpania*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXII fol.170.*
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX.*

Marię (1) Reginę, necnon ceteris, qui primis aut ſecundis veſperis, vel Miſſarum ſolemniis, juſſu ejuſdem Reginę decantandis die feſto S. Dominici, interfuerint, Indulgentiam impertitur.

Anno 1426 Die 17 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, cariſſimę in Chriſto filię Marię Reginę Caſtellę, & Legionis Illuſtri, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCIX.

EXimię tuę devotionis ſinceritas, quam ad Nos, & Sedem Apoſtolicam gerere comprobaris, non immerito Nos inducit, ut illas tuas petitiones ſupplices, quas pro animarum ſalute prodire conſpicimus, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Cupientes itaque, ut ſingularis devotionis affectus, quem ad S. Dominicum, Confeſſorem glorioſum, pie habere dignoſceris, ferventius augeatur, & creſcat, tuque, & alii Chriſti fideles, eo libentius atque devotius divinis officiis in feſtivitate ejuſdem Sancti Dominici ſitis intenti, quo uberiori ex hoc dono cęleſtis gratię conſpexeritis vos refectos, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, de omnipotentis Dei miſericordia, ac BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejuſdem auctoritate confiſi, tibi, ac univerſis aliis utriuſque Sexus perſonis Chriſti fidelibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui primis, aut ſecundis veſperis, ſeu Miſſarum ſolemniis, ubicunque illa in pręidicta feſtivitate in honorem ejuſdem Sancti in tui pręſentia ſolemniter decantari, ac celebrari contigerit, ſemel duntaxat, annis ſingulis, quandiu vitam duxeris in humanis, perſonaliter interfuerint, duos Annos, & totidem quadragenas de injunctis tibi, & illis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Indulgentia.

1. *Maria.*) *Aragonenſis*, quæ nupſerat *Johanni II Regi Caſtellæ*, & *Legionis*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.220.*

Ut F. Stephanus (1) de Spernaco in quorundam Beneficiorum poſſeſſionem venire queat.

Anno 1426 Die 31 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano de Spernaco Ordinis Fratrum Pręedicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCX.

REligionis zelus, vitę ac morum honeſtas, aliaque laudabilia probitatis, & virtutum merita, ſuper quibus apud Nos fide digno commendaris teſtimonio, Nos inducunt, ut te Apoſtolicis favoribus & gratiis proſequamur. Hinc eſt, quod Nos, volentes te, qui, ut aſſeritur, Ordinis Fratrum Pręedicatorum expreſſe profeſſus exiſtis, pręmiſſorum meritorum tuorum intuitu, necnon conſideratione cariſſimi in Chriſto filii noſtri Ludovici Jeruſalem & Sicilię Regis Illuſtris, pro te dilecto ſuo Confeſſore Nobis ſuper hoc humiliter ſupplicantis, favore proſequi gratioſo, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, tibi, ut quodcunque beneficium eccleſiaſticum, etiamſi Prioratus, Pręepoſitura, Adminiſtratio vel Officium regulare cujuſcunque Ordinis fuerit, etiamſi ad illam, illum, vel illud conſueverit quis per electionem aſſumi, eique cura immineat animarum, dummodo Prioratus, aut Pręepoſitura hujuſmodi Conventualis non exiſtat, ſi tibi conferatur, vel aſſumaris, aut pręſenteris ad illud, & in eo inſtituaris canonice, in Commendam recipere, & ad beneplacitum Sedis Apoſtolicę retinere valeas, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, de ſpeciali gratia, indulgemus; proviſo quod beneficium hujuſmodi debitis interim non fraudetur obſequiis, & animarum cura in eo, ſi qua illi immineat, nullatenus negligatur. Nulli ergo &c. noſtrę Conceſſionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos II Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Exordium.

Facultas.

1. *Stephanus.*) De quo in *Conſtitutione CI pag.607.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXII fol.76.*

Anno 1427 Die 4 Januarii.

De creando Vicario Generali Cordubenſis (1), aliorumque nonnullorum Conventuum Caſtellæ, & Legionis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Priori Monaſterii S. Mariç de las Cuevas prope Iſpalim (3) per Priorem ſoliti gubernari, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. SUper gregem dominicum, noſtrç divinitus creditum vigilantiç, intenti ſpeculatoris, prout Nobis deſuper conceditur, exercentes officium, Chriſti fideles ſingulos, regulari prçſertim obſervantiç deditos, eo providentiç ſtudio gubernari cupimus, ut eorum Religio, ſtatu ſuſcepto proſpero, continuum, dante Domino, ſuſcipiat incrementum. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte cariſſimç in Chriſto filiç Mariç (4) Caſteliç & Legionis Reginç Illuſtris, petitio continebat; in plerifque Domibus, ſive Conventibus Fratrum Ordinis Prçdicatorum, infra Caſtellç, & Legionis Regna conſiſtentibus, & prçſertim in Domo Corduben. Fratrum Ordinis hujuſmodi, quam dilectus filius Alvarus (5) Zamoren., Ordinis prçdicti, & Theologiç profeſſor, de Apoſtolicç Sedis licentia, de novo conſtrui, & çdificari procuravit, regularis incipiat obſervantia, diſponente Domino, plurimum vigere, foretque pro ſolidando ejoſdem obſervantiç progreſſu, quod aliquis inibi Major, cui, poſt Generalem Magiſtrum dicti Ordinis pro tempore exiſtentem, prçmiſſi, & qui Ordinis, & obſervantiç prçdictorum in eiſdem Regnis in antea fuerint Domus, ac Conventus, illorumque perſonç ſubjacerentur, Prior eſſet pro ſempore, multipliciter profuturum, pro parte dictç Reginç aſſerentis, ſe ad eoſdem Ordinem, & obſervantiam ſingularem gerere devotionis affectum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut quoad hujuſmodi Domus, ſive Conventus, Majoris inibi Prioris officium inſtituere, & illis dictum Alvarum, quoad vixerit, Majorem Priorem (6) prçficere, & creare, quodque procedente tempore, quotieſcunque officium ipſum vacare contigerit, Fratres dicti Ordinis, ex ſingulis Domibus, ſive Conventibus prçdictis, aut eorum Syndici, vel Priores, aliquem idoneum ipſius Ordinis profeſſorem, in Majorem inibi Priorem, & ad hujuſmodi officium eligere valeant, concedere, & alias ſuper his opportune providere, de benignitate Apoſtolica, dignaremur. Nos igitur, qui perſonas, & Ordinem prçdictos ſinceris proſequimur favoribus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuç per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, quoad Domus, ſive Conventus hujuſmodi, officium prçdictum, ratione cujus illud pro tempore obtinenti, ſive exercenti, Domus, Conventus, & perſonç prçfati in his omnibus, quç dictos Ordinem, & obſervantiam contingere poterunt, ſubjecti ſint, auctoritate Apoſtolica creea, & inſtituas, ipſumque Alvarum, dummodo ad hoc utilis, & idoneus exiſtat, in Majorem Domorum, & Conventuum hujuſmodi Priorem, & ad dictum officium recipias, & aſſumas, quodque deinceps, quotieſcunque prçdictum officium vacaverit, Fratres Domorum ſive Conventuum hujuſmodi, qui tunc fuerint, vel eorum Syndici, ſive Priores, alium idoneum ipſius Ordinis profeſſorem, in Majorem Priorem Domorum, & Conventuum eorundem eligere valeant, qui poſt ipſius electionem hujuſmodi, dummodo concorditer illa proceſſerit, abſque alicujus confirmationis adminiculo, officium ipſum gerere, & exercere libere, liciteque poſſit, eadem auctoritate concedas. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Domorum, Conventuum, & Ordinis prçdictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, cçteriſque contrariis quibuſcunque. Volumus autem, quod poſt creationem, inſtitutionem, receptionem, & conceſſionem hujuſmodi, ſi illas feceris, ipſe Prior eidem Magiſtro (7), nec ipſius poteſtati Magiſtri propterea quomodolibet derogetur. Datum Romç apud Sanctos Apoſtolos II Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Hujus Diplomatis cauſa.

Mandatum.

Clauſula derogans.

1. *Cordubenſis.*) Vulgo *Cordova*, in *Hiſpania Bætica*.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.* 220.
3. *Iſpalim.*) *Hiſpalim*, vulgo *Sevilla*, in *Hiſpania Bætica*.
4. *Maria.*) De qua in præcedenti Diplomate.
5. *Alvarus.*) Vir venerabilis, de cujus *Beatificatione* tractatur. Adeas *Antonium Gonzalez de Acuña* ad calcem *ſummarii Privilegiorum Ordinis pag.* 140.
6. *Majorem Priorem.*) Id eſt Vicarium Generalem.
7. *Magiſtro.*) Adderem. *Subjectus ſit*.

Anno 1427 Die 5 Januarii.

Ut Venetiarum Monaſterium (1) Corporis Chriſti reficiatur, Indulgentias impertitur.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus prçſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. LIcet is &c. (3). Cum autem, ſicut accepimus, Monaſterium Monialium Corporis Chriſti, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura Fratrum Prçdicatorum viventium, de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, in ſuis çdificiis, & ſtructuris reparatione indigeat, & reformatione, Nos, cupientes, ipſum Monaſterium, quod propriis caret redditibus, per pia Fidelium ſuffragia debite reparari, ac in hujuſmodi çdificiis congrue reformari, necnon ejus Eccleſiam ad gloriam tanti Myſterii, Corporis videlicet Redemptoris Domini noſtri Jeſu Chriſti, qui carnem ſuam nobis in eſcam prçparavit, mortemque noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo reparavit, crebris viſitationibus venerari, & ut Chriſti fideles pro veneratione, & reformatione prçdictis, eo ardentius manus porrigant adjutrices, ac devotius confluant ad Eccleſiam-

Indulgentia.

antedictam, quo ex hoc ibidem dono cœleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, animarumque commoda ſperaverint, mediantibus pietatis operibus ſuis, adipiſci, de omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis ipſius Domini noſtri, ac Pentecoſtes; necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, Aſſumptionis Beatę Marię Virginis, Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & dictorum Apoſtolorum, ac Dedicationis ejuſdem Eccleſię feſtivitatibus, & celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſarum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Chriſti Domini, necnon Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, Nativitatis B. Johannis, ac Apoſtolorum prędictorum Feſtivitatum Octavas, & per ſex dies dictum feſtum Pentecoſtes immediate ſequentes pręfatam Eccleſiam devote viſitaverint, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, tres Annos, & totidem Quadragenas, Octavarum vero, & ſex Dierum prędictorum, diebus, quibus ipſam Eccleſiam, ut prefertur, viſitaverint, manus porrigentes adjutrices, centum dies de injunctis eis pęnitentiis, miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Eccleſiam, aut pro reparatione hujuſmodi, & fabrica manus porrigentibus adjutrices, ſeu alias inibi pias eleemoſynas erogantibus, aut aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos Non. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Monaſterium.*) De quo in *Conſtitutione XLII Bonifatii IX pag.* 334.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.* 113.
3. *Licet is &c.*) Ut in *Conſtitutione V Bonifatii IX.*

F. Nicolaus (1) de Tuderto præficitur Eccleſiæ Foliarum.

Anno 1427 Die 10 Januarii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Tuderto Electo Foliarum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Johanne Rubeo Epiſcopo Foliarum regimini Eccleſię Foliarum pręſidente Nos cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Johannis Rubei Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ejuſdem Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, revocatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponatur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Fratrum Ordinis Pędicatorum profeſſorem, in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum meritis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos IV Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Nicolaus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIV fol.* 281.

Conventus duos in Hibernia fundandi facultas.

Anno 1427 Die 13 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis.*

CCXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Rapoten., (2), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

SAcrę Religionis, ſub qua dilecti filii Guillelmus Rycdymer, & Ricardus Golber, ac alii Fratres Domus de Athnery (3), Ordinis Prędicatorum, Taunen. (4) Diœceſis, mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum impendunt Altiſſimo famulatum, promeretur honeſtas, ut eorum votis, in his potiſſime, quę divini cultus, & ejuſdem Religionis augmentum, ac animarum ſalutem reſpiciunt, favorabiliter annuamus. *Exordium.* Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dictorum Fratrum, petitio continebat, quod in Inſula Hibernię, de qua ſunt oriundi, non eſt copia Prędicatorum, & aliorum virorum ſcientia peritorum, a quibus inibi degens populus in fide catholica debite valeat erudiri. *Supplex petitio.* Quare pro parte ipſorum Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis in dicta Inſula duo loca recipiendi, & retinendi, ac in quolibet ipſorum locorum Eccleſiam, ſive Oratorium, cum campanili, campana, cœmeterio, Domo, clauſtro, & aliis neceſſariis officinis, pro ipſorum & aliorum Fratrum dicti Ordinis, qui erunt pro

tempore, uſu, & habitatione perpetuis, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui & ędificari faciendi, licentiam concedere, ac alias in pręmiſſis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus,
Conceſſio. quatenus, ſi eſt ita, Guillelmo, & Ricardo, ac aliis Fratribus ſupradictis in Inſula prędicta, duo loca, ad hoc congruentia, & honeſta, ſi ſibi pia largitione fidelium concedantur, aut alias illa juſtis modis poterunt adipiſci, recipiendi, & retinendi, ac in quolibet eorumdem Eccleſiam, ſive Oratorium, cum campanili, campana, cęmeterio, domo, clauſtro, & aliis neceſſariis officinis hujuſmodi, pro ſupplicantium, & aliorum, qui erunt pro tempore Fratrum pręfatorum uſu, & habitatione perpetuis, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, ut prefertur, Diœceſanorum locorum, & aliorum quorumlibet, ſuper hoc licentia minime requiſita, juribus tamen Parochialium Eccleſiarum, & quorumcunque aliorum in omnibus ſemper ſalvis, plenam, & liberam auctoritate noſtra licentiam largiaris. Ipſis inſuper concedendo, quod Domus & Fratres prędicti, & qui etiam in Domibus eiſdem pro tempore reſederint, omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, & gratiis, quibus alię quęcunque Domus dicti Ordinis ubilibet conſtitutę, & Fratres in eis degentes pro
Clauſula derogans. tempore, potiuntur, & gaudent, uti perpetuo valeant pariter & gaudere. Non obſtantibus fel. recordationis Bonifacii PP. VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, vel Caſtro, vel Villa, aut alio quocunque loco, Domos, ſive loca de novo recipere pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, ac aliis Apoſtolicis Conſtitutionibus, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Domus de Athnery, & Ordinis prędictorum etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate vallatis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos Idibus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIX fol. 65.*
2. *Rapoten.*) Vulgo *Rapoe*, ſub *Armachana* Metropoli.
3. *Athnery.*) *Atheritenſis* ſcilicet vulgo *Athenry*, & *Atherith*, in *Hibernia*.
4. *Taunen.*) Legerem *Tuamen.*, vulgo *Toam*. Urbs eſt Archiepiſcopalis *Hiberniæ*, in *Connacia* Provincia, ubi ſitum eſt *Atheritenſe* Cœnobium.

Anno 1427 Die 20 Martii.

Ut F. Alfonſus del Spino Eremiticam (1) vitam degere poſſit.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXV. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Bartholomęo Texerii (3) Fratrum Ordinis Prędicatorum Magiſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Ad ea ex Apoſtolicę Sedis, Nobis iniuncte, ſervitutis officio libenter intendimus, per quę Religioni ſacrę dediti, pium eorum propoſitum valeant ad laudem divini nominis adimplere. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Alfonſi del Spino, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, in Sacra Theologia Lectoris, Conventus Domus Fratrum ejuſdem Ordinis Xericen. (4), Iſpalen. (5) Diœceſis, petitio continebat, quod ipſe pro contemplativa, & laudabiliori vita per eum pro ſalute
Supplex petitio. animę ſuę deinceps quietius peragenda, deſideraret in Eremitorio Beatę Catharinę de Rio dictę Diœceſis, quod nullis redditibus dotatum eſt, & ad nullum in eo habitare volentium modernis temporibus poſſeſſum extitit, quodque de pręſenti Eremita caret, habitare, & Altiſſimo perpetuis futuris temporibus famulari, ſi ad id Apoſtolicę Sedis benignitas preſtaret aſſenſum. Quare pro parte dicti Alfonſi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſibi licentiam pręmiſſa adimplendi, concedere de benignitate Apoſtolica
Facultas. dignaremur. Nos igitur, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & tibi, & aliis quorum intereſt, videatur, quod hujuſmodi licentia dicto Alfonſo ſit concedenda, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, tu eidem Alfonſo pro uſu, & habitatione ſuis, ac divinis obſequiis Altiſſimo ſępius impendendis, dictum Eremitorium recipiendi, & in eo quoad vixerit cum uno idoneo ſocio, quem ad hoc ſibi adjunxeris, habitandi, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate aliis roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XIII Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Eremiticam.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo tit. II.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIX fol. 102.*
3. *Bartholomæo Texerii.*) De quo ſæpius dictum fuit.
4. *Xericen.*) Vulgo *Xerez*, in *Hiſpania Batica*.
5. *Iſpalen.*) *Hiſpalen.*, vulgo *Sevilla*.

Anno 1427 Die 28 Martii.

F. Andreas (1) de Aurea conſtituitur Andrenſis Epiſcopus.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXVI. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Andreę de Aurea Electo Andren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Guillelmo Epiſcopo Andren. regimini Andren. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi, & dif-

diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam, decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum dicti Guillelmi Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturę perſolvit, paſtoris ſolatio deſtituta, Nos ad proviſionem ipſius Eccleſię, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, celerem, & felicem, ne Eccleſia ipſa prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus, noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum meritis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, ipſi Eccleſię, de dictorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos V Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Andreas.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIV fol.* 247.

Vapincenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1427 Die 26 Aprilis.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Regen. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXVII.

Exordium.

COgnita devotionis conſtantia, fidei quoque integritas, quas dilecti filii Syndici, & Univerſitas Civitatis Vapincen. ad Nos, & Romanam gerunt Eccleſiam, non indigne merentur, ut eorum petitiones, illas pręſertim, quę, etiam animarum propagata ſalute, ſacrę Religionis augmentum reſpiciunt, quantum cum Deo poſſumus, ad exauditionis gratiam admittamus. Sane petitio, pro parte eorundem Syndicorum & Univerſitatis nobis nuper exhibita, continebat, quod ipſi pia devotione ſuccenſi, cupientes terrena in cęleſtia, & tranſitoria in ęterna, felici commercio, commutare, de bonis ſibi a Deo collatis unam Domum pro uſu, & habitatione Fratrum Prędicatorum in eadem Civitate, in loco ad hoc congruo, & honeſto, cum Eccleſia, campanili, campanis, domibus, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, de conſenſu, & voluntate venerabilis Fratris noſtri Leodegarii, Epiſcopi Vapincen., fundare, & conſtruere, ſeu fundari, & conſtrui facere, deſiderant, ſi eis Sedis Apoſtolicę ſuper hoc licentia concedatur. Quare ipſi Nobis humiliter ſupplicarunt, ut eis dictam Domum cum Eccleſia, campanili, campanis, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis hujuſmodi, in eadem Civitate, in loco ad hoc, ut pręmittitur, congruo, & honeſto, fundandi, & conſtrui faciendi, ac ipſis Fratribus, poſtquam conſtructa fuerit, illam recipiendi, & pro hujuſmodi eorum uſu, & habitatione perpetuo retinendi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui divinum cultum noſtris temporibus augeri intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus pręfatis Syndicis, & Univerſitati, prędictam Domum cum Eccleſia, campanili, campanis, domibus, hortis, hortalitiis, & officinis hujuſmodi, in loco ad hoc congruo, & honeſto, pro uſu, & habitatione pręfatis, fundandi, & conſtrui faciendi, ac eiſdem Fratribus Domum ipſam, etiam pro hujuſmodi eorum uſu, & habitatione recipiendi, & perpetuo retinendi, auctoritate Apoſtolica licentiam largiaris. Non obſtan. fel. recordationis Bonifatii Papę Octavi, Prędeceſſoris noſtri, inhibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua civitate, caſtro, vel Villa, ſeu alio loco quocunque, ad habitandum Domum, vel locum de novo recipere pręſumant abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam de inhibitione hujuſmodi mentionem, & qualibet alia ejuſdem Sedis conſtitutione contraria. Volumus autem, quod dicti Fratres, qui in eadem Domo pro tempore reſidebunt, aliqua bona immobilia, ſeu cenſus annuos, aut ſervitia ultra unum annum in eadem Civitate, vel ejus diſtrictu nequeant (4) obtinere, quodque ipſi nihilominus omnibus, & ſingulis privilegiis immunitatibus, & libertatibus, quibus ceteri Fratres dicti Ordinis ubilibet gaudent, & potiuntur, etiam uti, & gaudere poſſint, & debeant, jure tamen Parochialis Eccleſię, & alterius cujuſcunque in omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VI Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Supplex petitio.

Facultas.

Clauſula derogans.

1. *Vapincenſis.*) Vulgo *Gap*, in *Delphinatu.* Juris eſt Provincialis *Provinciæ.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXXII fol.* 13.

3. *Regen.*) *Regien.*, vulgo *Ries*, in *Gallo-Provincia.*

4. *Nequeant.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. I.*

Elec-

Anno 1427
Die 7 Maii.

Electionem Provincialis Hiſpaniæ ratam habet, & firmat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium. PRo ſingulorum fidelium, prꝫſertim Religioſarum ſtatu perſonarum ſalubriter dirigendo, prout ex debito Nobis paſtoralis incumbit officii, ſolicite dirigentes conſiderationis intuitum, ad ea, per quę ipſorum quieti, & indemnitatibus conſulitur, libenter adhibemus miniſterii noſtri partes. Nuper ſiquidem cum ad noſtrum perveniſſet auditum, quod variis, & diverſis a quatuor tunc annis citra inter Fratres Prędicatores Provincię Hiſpanię, ſecundum morem dicti Ordinis diviſionibus, & diſcordiis, quorundam ambitione ſubortis, inter alia dilecti filii Ludovicus de Valleoleti in Theologia Magiſter,
Diplomatis cauſa. ac Didacus de Thamara ejuſdem Ordinis profeſſores, a diverſis ipſius Ordinis Fratribus, etiam pluribus, hinc inde appellationibus interpoſitis, Provinciales dictę Provincię ſimul, ac uno & eodem tempore, fuerant nuncupati, ac etiam nuncupabantur, & reputabantur tunc, ac propterea interdum evenerat, quod duo ſe diverſis auctoritatibus inſtitutos prętendentes regimen unius, & ejuſdem Conventus ad ſe pertinere contenderent, in hujuſmodi Conventus in ſpiritualibus, & temporalibus grave diſpendium, & ſcandalum plurimorum, quodque licet alias prędicti Ludovicus, & Didacus, aſſerentes, ſe velle hujuſmodi diſcordiis atque malis finem imponere per publicum Inſtrumentum, utriuſque ipſorum juramento vallatum, in certos Fratres ejuſdem Provincię tunc expreſſos ſuper hujuſmodi Provincialatus officio plene & libere compromiſiſſent, ipſique compromiſſarii inter cetera, quod uterque eorum infra certum terminum tunc expreſſum abſolutionem dicti officii a quondam Leonardo Generali Magiſtro dicti Ordinis petere deberet, ita etiam ut neuter ipſorum ad prędictum officium ea vice deputari, &, ſi forte deputaretur, acceptare poſſet, in eorum laudo pronuntiarant, tamen pręmiſſis non obſtantibus diviſiones inibi continuarant & tunc continuabant antedictę; Nos, compromiſſi, & laudi prędictorum tenores pro expreſſis habentes per alias noſtras literas pręfatos Ludovicum, & Didacum, & quoſcunque alios reputatos Provinciales dictę Provincię, aut pro talibus ſe gerentes auctoritate Apoſtolica ab hujuſmodi Provincialatus officio ea vice duntaxat abſolvimus, & abſolutos eſſe decrevimus, itaut ea vice ad effectum ipſum aſſumi, aut aſſumpti illud acceptare non poſſent, aut deberent quoquomodo, & nihilominus dilecto filio Thomę de Regno dicti Ordinis profeſſori, & illius Generali per Sedem Apoſtolicam deputato Vicario commiſimus, & mandavimus, ut aliquem idoneum dicti Ordinis profeſſorem de quo ſibi videretur, in Vicarium dictę Provincię, qui in loco, & tempore per eum ſtatuendis, cum aliis, ad quos ſpectabat electio, convenire, & ad electionem ipſam juxta ejuſdem Ordinis inſtituta procedere poſſet, & deberet, qualibet alia electione, per quosvis alios, quavis auctoritate, ſeu quarumlibet appellationum, proteſtationum, aut contradictionum prętextu, forſitan facienda, minime valitura, auctoritate prędicta deputaret, & inſtitueret, atque alias omnia & ſingula circa pręmiſſa utilia, & opportuna uſque ad futurum Generale Capitulum dicti Ordinis de proximo celebrandum, exerceret, exequeretur, & ordinaret quę verus Generalis Magiſter dicti Ordinis, ſi quis eſſet, ſecundum inſtituta prędicta quomodolibet exercere, exequi, & ordinare poſſet, ſive deberet de conſuetudine, vel de jure, ſuper quibus omnibus plenam, & liberam ſibi conceſſimus poteſtatem. prout in ipſis literis plenius continetur. Poſtmodum vero, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilecti filii Johannis de Villalon Ordinis & Theologię hujuſmodi profeſſoris, petitio continebat, poſt datam literarum prędictarum, antequam tamen illę in dicta
Confirmatio. Provincia publicarentur, ipſe Johannes in Provincialem Provincię ejuſdem ab illius dicti Ordinis Fratribus juxta Conſtitutiones, & inſtituta Ordinis ejuſdem electus extitit, ipſius, ut alias moris eſt, electionis confirmatione ſecuta. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, occaſione literarum hujuſmodi de ipſarum electionis, ac confirmationis juribus ab aliquibus hęſitetur, Nos, qui de hujuſmodi concordia Fratrum plurimum in Domino reficimur, omnem ſuper his ambiguitatis, ſcrupulique materiam ſemovere volentes, & ipſius Johannis, cui apud Nos de Religionis zelo, literarum ſcientia, vitę ac morum honeſtate, aliiſque multiplicium virtutum donis fide digna teſtimonia perhibentur, in hac parte ſupplicationibus inclinati, electionem, necnon confirmationem prędictas, & quęcunque inde ſecuta, perinde ac ſi dictę Literę nullatenus emanaſſent, valida, efficaciaque cenſeri debere, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium decernimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui etiam alias intervenerint quomodolibet in eiſdem. Non obſtantibus pręmiſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Per hoc tamen poteſtati Generalis Magiſtri pro tempore exiſtentis Ordinis ejuſdem, etiam quo minus dictus Johannes per ipſum ab hujuſmodi Provincialatus officio abſolvi poſſit, non intendimus aliquatenus derogare. Nulli ergo &c. noſtrę Conſtitutionis, ſuppletionis, & intentionis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos Nonis Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Firmat.*) Legenda *Conſtitutio CLXXIX data XVII Septembris MCCCCXXV.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIX fol.* 247.

Ut

Ut Langley Regis (1) Cœnobium juris ſit Fratrum Viſitationis (2) Oxonienſis (3).

Anno 1427 Die 13 Maii.

Ex Archivo (4) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

CCXIX.

EXpoſcit Nobis injunctum deſuper Apoſtolicę ſervitutis officium, ut ea quę pro piorum locorum, ac in eis ſub regulari caſtimonia Domino famulantium, ſtatu, & indemnitatibus rationabiliter proceſſiſſe, comperimus, ut illibata permaneant, potioris Apoſtolici muniminis pręſidio ſolidemus. Sane pro parte dilectorum filiorum Fratrum Domus, ſive Prioratus Langley Regis, Ordinis Prędicatorum, Lincolnen. (5) Diœceſis, Nobis nuper exhibita, petitio, continebat, quod olim quondam Nicolaus (6) de Florentia Magiſter Generalis dicti Ordinis de unanimi quorumlibet in Capitulo Generali Ordinis ejuſdem, tunc Papię (7) celebrato, Definitorum aſſenſu, declaravit, Conventum Domus, ſive Prioratus hujuſmodi, juxta directionem Fundatoris ejuſdem indifferentem, & communem eſſe omnibus quatuor viſitationibus Provincię Anglię, ſecundum morem dicti Ordinis, ac voluit, & ordinavit, quod regimen, & gubernatio ipſius Conventus penes Fratres viſitationis Oxonię (8), qui ſuis laboribus, procurationibus, & expenſis locum dicti Prioratus totaliter ędificari, & ordinari fecerant, principalius remanerent, & ſubſequenter ipſo Leonardo (9) vita functo, dilectus filius Bartholomęus Texerii (10) Generalis dicti Ordinis Magiſter, certis ſuadentibus, auctoritate Generalatus officii Ordinis ejuſdem dilectum filium Heule, olim Priorem ipſius Domus, ſive Prioratus, a Prioris inibi officio, ejuſque exercitio duxit abſolvendum, prout in quibuſdam deſuper confectis literis, ipſorum Magiſtrorum ſigillis munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte ipſorum Fratrum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut declarationi, voluntati, ordinationi, & abſolutioni pręmiſſis, pro earum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, declarationem, voluntatem, ordinationem, & abſolutionem prędictas, ac quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, illa auctoritate Apoſtolica confirmamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus; ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint, in eiſdem. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, ſive conſuetudinibus Domus, ſive Prioratus, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Per hoc tamen poteſtati Generalis Magiſtri pro tempore exiſtentis Ordinis ejuſdem non intendimus aliquatenus derogare. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, & voluntatis infringere &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos III Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Exordium. Supplex petitio. Mandatum. Clauſula derogans. Sanctio pœnalis.

1. *Langley Regis.*) In *Anglia*.
2. *Viſitationis.*) Sic appellabant fines juriſdictionis cujuslibet *Viſitatoris*. Ex hoc autem Diplomate diſcimus *quatuor Viſitationes* fuiſſe in *Anglia* Provincia. *Viſitationes* illæ aliis nominibus vocabantur *Vicariæ*, *Congregationes*, vel *Nationes*.
3. *Oxonienſis.*) Vulgo *Oxford*.
4. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXIX fol.*126.
5. *Lincolnen.*) *Lindenſis* ſcilicet, vulgo *Lincolne*, in *Anglia*.
6. *Nicolaus.*) *Leonardus* inferius nominatur, & vere, *Leonardo* ſiquidem *de Florentia* Generali Magiſtro anno *MCCCCXXIII* celebratum fuit Generale Capitulum *Papienſe*; ſeu *Ticinenſe*. Hinc vel *Leonardus* iſte qui triplici cognomine, *Statii* nempe, *de Datis*, & *de Florentia*, donatus eſt, duplex obtinuit nomen, *Nicolai* videlicet, & *Leonardi*, vel amanuenſis nonnihil humani, ut crediderim, paſſus fuit.
7. *Papiæ.*) Vulgo *Pavia*, in *Inſubria*.
8. *Oxoniæ.*) *Oxonii*.
9. *Leonardo.*) E vivis abierat anno *MCCCCXXV*. Adeas *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXIV pag.*755.
10. *Bartholomæus Texerii.*) Gallus, Generalis Magiſter renunciatus anno *MCCCCXXVI*. Conſulendus *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVI pag.*776.

Innovat, inſcribit, & confirmat Mare Magnum (1) Gregorii XI.

Anno 1427 Die 21 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXX.

EX Apoſtolicę Sedis proviſione, ac perſonarum Deo devotarum, pręſertim ſub regulari obſervantia, & in favorem fidei Catholicę Domino famulantium ſtudio pię vitę, devotione provenire dignoſcitur, ut Romanus Pontifex quandoque Prędeceſſorum ſuorum Romanorum Pontificum geſta innovet, innovatione reſtauret, & auctoritate fulciat innovata. Hinc eſt, quod nos veſtris devotis in hac parte ſupplicationibus inclinati, quaſdam litteras felicis recordationis Gregorii Papę XI Prędeceſſoris noſtri adinſtar nonnullorum aliorum Romanorum Pontificum Prędeceſſorum, vobis, & Ordini veſtro conceſſas, quas, diligenter inſpici, & examinari, quarumque tenorem de verbo ad verbum pręſentibus inſeri fecimus, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ex certa noſtra ſcientia innovamus, & pręſentis ſcripti patrocinio communimus. Tenor vero dictarum litterarum talis eſt. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis Magiſtro, Prioribus, & Fratribus univerſis Ordinis Prędicatorum, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Virtute conſpicuos &c. (3). Ceterum, ut earundem litterarum tenor ſic inſertus omnimodam rei, ſeu facti, certitudinem faciat, auctoritate Apoſtolica, decernimus, ut illud idem robur, eamque vim, & eundem vigorem tenor ipſe per omnia habeat, quę haberent originales litterę ſupradictę, & eadem prorſus hu-

Exordium. Innovat ut ſupra. Tenor Conſtitutionis Gregorii.

hujuſmodi tenori fides adhibeatur, quandocunque, & ubicunque, ſive in Judicio, vel alibi, ubi fuerit exhibitus, vel oſtenſus, & eiſdem ſtetur firmiter in omnibus, quę eiſdem originalibus litteris adhiberetur, ac ſicut eis ſtaretur, ſi forent exhibitę, vel oſtenſę, nec per hoc originales litteras dicti Gregorii, ſeu Bonifatii, aut Benedicti, ad quorum inſtar illę ſunt editę, producere, ſeu oſtendere teneamini. Verum ne dubitationes, ac controverſię quę alias vos plurimis laboribus, & expenſis vexaverunt de cetero vobis fiant, ex certa ſcientia decernimus, ut dictum privilegium Gregorii Papę XI in Judicio, & extra, in qualibet ſui diſpoſitione inviolabiliter obſervetur. Non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, & illa preſertim felicis recordationis Clementis Papę V Predeceſſoris noſtri edita in Concilio Viennen. quę incipit: Dudum; necnon Privilegiis, gratiis, & conceſſionibus Apoſtolicis in genere, vel in ſpecie, quibuſvis perſonis, eccleſiis, ſive locis conceſſis, ſub quavis forma, vel expreſſione verborum, etiam ſi de eis habenda eſſet in preſentibus mentio ſpecialis, ſeu per quę preſentibus non expreſſa, aut totaliter de verbo ad verbum non inſerta, eorum in toto, ſeu in aliqua parte ſui effectus poſſet aliqualiter impediri, & aliis contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper hiis, aut eorum aliquo a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attemptari, declarantes clauſulam illam, videlicet: Salva tamen juſtitia illarum Eccleſiarum, a quibus mortuorum corpora aſſumuntur: in omnibus aliis debere intelligi preterquam in hiis de quibus in ipſo privilegio ſpecialiter cavetur, quod canonica portio minime exigatur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę innovationis, communitionis, voluntatis, conſtitutionis, & declarationis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare preſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XII Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Confirmatio.

Clauſula derogans.

Decretum irritans.

Nota.

Sanctio pœnalis.

Cinclus.

Supra plicum, ſeu partem inflexam legitur.

Duplicata gratis de Mandato Domini noſtri Papę.

Ja. De Arimino.

1. *Mare magnum.*) De Privilegiis, quibus hæc *Conſtitutio* Ordinem noſtrum donat, dicetur in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo*.

2. *Archivo.*) In quo Autographum, & Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXIX fol.294.* Aliud Autographum aſſervatur *Bononiæ*. Authentica habes in Archivo Ordinis, & in Cœnobio *Mutinenſi*. Legitur in Bullariis *Uſuſmaris pag.* 104. & *Bononienſi pag.* 24.

3. *Virtute conſpicuos &c.*) Ut in *Conſtitutione XX Gregorii XI* ad finem uſque.

De Corpore F. Bertrandi de Garriga (1) ſepeliendo in Ædibus ſacris Arauſicani Cœnobii.

Anno 1427 Die 15 Junii.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Decano Eccleſię S. Agricoli, Avinionen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

RElligioſorum vota, in his preſertim, quę ritus eccleſiaſtici decus, & honeſtatem reſpiciunt, favoribus Nos decet proſequi opportunis. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum domus Auraycen.(3), Ordinis Predicatorum, petitio continebat, quod cum olim quondam Bertrandus de Garriga primus Provincialis in Provincia Provincię (4), juxta morem dicti Ordinis in Civitate Auraycen. deceſſiſſet, & Civitas ipſa domo, ſeu Conventuali loco ejuſdem Ordinis tunc careret, corpus ipſius Bertrandi in Monaſterio Monialium de Boſqueto extra muros Auraycen., quod inhabitabile nunc exiſtit, traditum fuit eccleſiaſticę ſepulturę, quodque deinde certo temporis decurſo ſpatio, poſtquam domus predicta conſtructa & ędificata fuerat, nonnulli Fratres illius, qui tunc erant, potentia laicali ſuffulti ad Monaſterium predictum tempore noctis accedentes, Apoſtolicę Sedis, vel alicujus alterius ſuper hoc licentia, ut creditur, minime requiſita, Corpus prefatum inde exhumare, & ad domum ipſam transferre, ibique in quadam camera repoſitum occulte detinere, preſumpſerunt, penas, & ſententias in tales a jure promulgatas damnabiliter incurrendo, quodque tandem ipſi Fratres necnon eorum poſteri prefatę detentionis conſcii ad cor reverſi, ab exceſſu, & penis, ac ſententiis hujuſmodi vigore quarundam literarum quondam Petri de Luna, in ſua obedientia, de qua partes illę erant tunc, Benedicti XIII nuncupati, abſoluti fuiſſe dicuntur, eodem corpore, quod ſepeliendi uſquequaque licentia minime eſt obtenta, in dicta Camera continuo remanente, prout remanet de preſenti. Quare pro parte Prioris & modernorum Fratrum predictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis Corpus ipſum in cemeterio Eccleſię dictę domus, ſeu in eadem Eccleſia ſepeliendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de premiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de premiſſis omnibus & ſingulis auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem hujuſmodi ea inveneris ita eſſe, Priori, & Fratribus antedictis Corpus prefatum in cemeterio in loco ad hoc congruo, & honeſto, ſeu in Eccleſia hujuſmodi ſepeliendi, auctoritate predicta, licentiam largiaris. Non obſtantibus premiſſis, & aliis contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVII Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Diplomatis cauſa.

Facultas.

f. *Bertrandi de Garriga.*) Qui primus Prior *Toloſana* Provinciæ fuerat, *vir exiſtens ſanctitatis magna & rigoris circa ſeipſum inexorabilis, quoniam ſua carnis erat mortificator acerrimus, & Sancti Dominici ſibi formam & exemplar in multis imbiberat: cui etiam aliquando comes itineris ſui fuit.* Verba ſunt venerabilis Jordani in *Vita S. P. Dominici Num. XL.* Ejuſdem *Bertrandi* mentio fit in antiquo *Ms. Pruliano*, ubi *Lectione III infra Octavam S. Patris Dominici* ſic legere eſt: *Viro Dei in itinere conſtituto, adjuncto ſibi ſocio viro vita laudabilis F. Bertrando de Garriga, cujus atteſtatione probatum eſt, facta ſubito gravi aeris intemperie, quam ſtatim ſecuta eſt pluviarum inundatio, cumque denſus imber per circulum terram infunderet, vir Dei Dominicus ſigno crucis ex omni parte circa ſe & ſocium inundantis eluviem propulſavit. Et cum tota terra circumquaque imbrium infuſione madeſceret, nec una gutta ad trium ſpatium cubitorum, vel fimbriam veſtimenti eorum tetigit.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXII fol.* 127.

3. *Auraycen.*) Seu *Arauſien.*, & *Arauſican.*, vulgo *Orange*, in Gallia *Narbonenſi*.

4. *Provincia Provincia.*) Seu *Toloſana*, quæ tunc una & eadem erat cum Provincia *Provincia*.

Onelienſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1427 Die 19 Junii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Pręposito Eccleſię Sanctę Marię de Unelia (3), Albinganen. (4) Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium:

DEſideria juſta petentium congruo favore proſequimur, & votis eorum, per quę divini cultus augmentum, & animarum utilitas procurantur, libenter Nos exhibemus propitios, & benignos. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum de progenię De Auria (5) Dominorum Vallis Unelię, Albinganen. Dięceſis, necnon populi, & incolarum, ac habitatorum Vallis prędictę, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod dilecta in Christo filia Catharina relicta quondam Jacobi Genzę laici vidua dictę Dięceſis, mundanis abjectis illecebris, & pię vitę ſtudio dedita, tam de bonis propriis, quam ex collectis multis eleemoſynis pia largitione Chriſti fidelium ſibi collatis, unam Eccleſiam ſub vocabulo Beatę Catharinę in dicta Valle prope Terram Pontiſaſſy, dictę Dięceſis, conſtrui, & ędificari fecit, & quod in dicta Valle perſonę rudes, & ignarę evangelicę veritatis exiſtunt, & propterea nobiles, populi, incolę, & habitatores ipſi prędictam Eccleſiam dilecto filio Petro de Cluſancleri, Ordinis Fratrum Prędicatorum, profeſſori, & eidem Ordini, per cujus quidem Petri opera, & prędicationes ſalubria multi uberes fructus in fide catholica inter perſonas hujuſmodi provenerunt, auctoritate Apoſtolica donari, deſiderant, ut apud eam unus locus, ſeu Domus pro uſu & habitatione dicti Petri, & nonnullorum aliorum Fratrum dicti Ordinis cum campanili, campana, cęmeterio, clauſtro, dormitorio, refectorio, domibus, & aliis neceſſariis officinis conſtruatur, & ędificetur. Quare pro parte nobilium, necnon populi, incolarum, habitatorum, & Catharinę prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut dictam Eccleſiam cum juribus & pertinentiis ſuis Petro, & Fratribus, ac Ordini prędictis, donare, & illis, ut ipſam Eccleſiam recipere, & locum, ſeu Domum hujuſmodi, inibi erigere, conſtruere, & ędificare, ſeu conſtrui, & ędificari facere valeant, ut prefertur, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui divini cultus augmentum, & prędicti Ordinis propagationem, & animarum ſalutem, intenſis deſideriis affectamus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & locus alias ſit congruus & honeſtus, Petro, & Fratribus prędictis eandem Eccleſiam, cum juribus, & pertinentiis prędictis, recipiendi, & apud eam pręmiſſa faciendi, ac pro uſu, & habitatione pręfatis perpetuo retinendi, auctoritate noſtra licentiam largiaris, necnon eis, ut omnibus gratiis, indulgentiis, privilegiis, exemptionibus, & immunitatibus, quibus ceteri Fratres dicti Ordinis gaudent, & utuntur, uti, & gaudere poſſint, jure tamen Parochialis Eccleſię & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, fel. rec. Bonifatii Papę VIII Prędeceſſoris noſtri, prohibente, ne Fratres Ordinum Mendicantium in aliqua Civitate, Terra, vel Caſtro, loca de novo recipere, aut recepta mutare pręſumant, abſque Sedis Apoſtolicę licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & quibuslibet aliis conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon privilegiis, & indulgentiis contrariis nequaquam obſtantibus, auctoritate prędicta concedas. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XIII Kal. Julii, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

Supplex petitio.

Facultas conceſſa.

Clauſula derogans.

1. *Onelienſis.*) Vulgo *Oneglia*, in ora *Liguria*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXII fol.* 15.

3. *Unelia.*) *Onelia*.

4. *Albinganen.*) *Albingaunen.*, vulgo *Albenga*, in *Liguria*.

5. *De Auria.*) Floret etiam nunc nobiliſſima gens *de Auria*.

F. Antonius (1) renunciatur Graſſenſis Epiſcopus.

Anno 1427 Die 17 Octobris.

Ex Arch. (2) Ordinis.

CCXXIII.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilecto filio Antonio Electo Graſſen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

DUdum ſiquidem bo. me. Bernardo Epiſcopo Graſſen. regimini Graſſen. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę ea vice duximus ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Bernardi Epiſcopi, qui extra Romanam Eccleſiam diem clauſit extremum, paſtoris ſolatio deſti-

deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa longę vacationis exponeretur incommodis, paternis, & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo ipſi Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te Ordinis Fratrum Prędicatorum, & in Theologia profeſſorem, ac in ſacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitę munditis, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circunſpectione, ac aliis virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, & quem dilecti filii Capitulum ejuſdem Eccleſię in Epiſcopum Graſſen. concorditer poſtularunt, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus attenta meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kalendas Novembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Antonius*,) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro CXXXVII fol.* 172.

Anno 1427 Die 14 Novembris.

Conſervatores creat, qui Decretalem (1), quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervandam curent.

Ex Archivo (2) *Ordinis*:

CCXXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Archiepiſcopo Colonien. (3), & dilectis filiis S. Caſtoris, Treviren., ac S. Lamberti Leodien. Dięceſum, Eccleſiarum Decanis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

FRequentes hactenus &c (4). Nuper etiam pro parte dilectorum filiorum Priorum, & Fratrum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini Provincię Colonien. nobis extitit intimatum &c (5). Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVIII Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Decimo.

1. *Decretalem*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullar. Tomo ultimo Tit. VII*, & *IX*.

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Arch. Apoſtolico Libro CXXXII fol.* 62.

3. *Colonien.*) In *Germania*, ubi ceteræ Civitates, de quibus hoc in Diplomate.

4. *Frequentes hactenus &c.*) Ut in *Conſtitutione III Clementis VI* ad hæc uſque verba: *Partibus inferuntur*.

5. *Intimatum &c.*) Ut in eadem ad finem uſque.

Anno 1427 Die 25 Novembris.

Decretalem (1) quæ incipit: *Super Cathedram*: obſervandam decernit, & Diploma ipſi contrarium reſcindit.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Exordium.

Tenor Diplomatis reſciſſi.

SOlet Sedes Apoſtolica, quę multorum votis frequenter annuit, pleriſque nonnunquam concedere, quę poſtea rationabilibus ſuadentibus cauſis moderatur, & immutat, prout id in Domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum ſiquidem noſtrę emanarunt literę tenoris ſubſequentis. Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio officiali Colonien., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Honeſtis ſupplicum votis libenter annuimus, illaque favoribus proſequimur opportunis. Sane dilecti filii Henrici Collatt Rectoris Parochialis Eccleſię S. Stephani Novimagen. (3), Colonien. Dięceſis, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod olim Bonifatio PP., IX in ſua obedientia, de qua illę partes tunc fuerant, nuncupato, pro parte quondam Adolphi Rectoris ejuſdem Eccleſię expoſito, quod nonnulli Minorum, Prędicatorum, B. Marię de Monte Carmeli, & Eremitarum S. Auguſtini, & aliorum Ordinum Fratres, & alii Presbyteri ſeculares falces in meſſem alienam mittere ſatagentes, abſque ipſius Rectoris licentia, & conſenſu in dicta Eccleſia, & ejus Parochia verbum Dei populo prędicare, & Parochianorum ipſius Eccleſię utriuſque ſexus confeſſiones audire, illinſque eorum peccatis abſolvere, ac eis eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, & nonnulla alia, quę ad Rectorem ejus Eccleſię pro tempore exiſtentem, & ſuos Capellanos pertinere noſcuntur, exercere, & facere temere pręſumerent, in non modicum ipſius Rectoris pręjudicium, & gravamen, idem Bonifatius dilecto filio Decano Sanctorum Apoſtolorum Colonien., ejus proprio nomine non expreſſo, & duobus aliis ſuis in ea parte collegis per ſuas literas dedit in mandatis, ut ipſi, vel duo, aut unus eorum, per ſe, vel alium, ſeu alios, ſub excommunicationis pęna, quam in ſcriptis tulit, & quam quemlibet contrafacientem, canonica monitione pręmiſſa, incurrere voluit, auctoritate ſua diſtrictius inhiberent omnibus & ſingulis Presbyteris, ac dictorum, ac quorumcunque aliorum Ordinum Fratribus, quibuſcunque etiam privilegiis uterentur, ne de cetero in Eccleſia & Parochia prędictis Verbum Dei prędicare, & confeſſiones parochianorum hujuſmodi audire, ſeu eccleſiaſtica Sacramenta miniſtrare, vel de aliquo, quod ad dictum Rectorem, & ejus Capellanos pertineret, ſe intromittere, ſeu illud exercere, ac Parochianis prędictis, ne ab ipſis Presbyteris, & Fratribus, ſeu eorum aliquo, Verbum Dei audire, ſeu ipſis, vel eorum alicui, confiteri, aut ab eis hujuſmodi Sacramenta recipere, abſque ſpeciali, & manifeſta licentia, & conſenſu dicti Rectoris, quoquomodo pręſumerent, cum poteſtate aggravandi, quoties expedierit, proceſſus legitimos, ſuper his habendos, & invocandi auxi-

Digitized by Google

auxilium brachii ſecularis. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, quondam Johannes tunc Diaconus dictę Eccleſię Sanctorum Apoſtolorum, ad executionem dictarum literarum ſolus procedens, nonnullos proceſſus, diverſas excommunicationes, ſuſpenſiones, & interdicti ſententias, & cenſuras in ſe continentes, prout ex forma literarum earundem poterat, fecerit, & emiſerit, prout in dictis literis & proceſſibus plenius dicitur contineri, pro parte ejuſdem Henrici Rectoris Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pręmiſſis pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, illaque in perpetuum ſervari facere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi eſt ita, omnia & ſingula pręmiſſa, ac alia, in dictis literis & proceſſibus contenta auctoritate noſtra approbes, & confirmes, illaque in perpetuum auctoritate prędicta facias inviolabiliter obſervari; Contradictores per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus, ſi eiſdem Ordinibus, vel quibuſvis aliis a Sede Apoſtolica indultum exiſtat, quod perſonę ipſorum Ordinum ad iudicium trahi, ſuſpendi, vel excommunicari, ſeu ipſi, aut eorundem Ordinum loca interdici non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam, ac de verbo ad verbum, de indulto hujuſmodi mentionem, ac qualibet alia indulgentia dictę Sedis, generali, vel ſpeciali, cuiuſcunque tenoris exiſtat, per quam pręſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam, tuę juriſdictionis explicatio valeat in hac parte quomodolibet impediri, quę quoad hoc ipſis nolumus aliquatenus ſuffragari. Dat. Romę apud S. Petrum III Idus Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Nono. Cum autem, ſicut Nobis exhibita pro parte nonnullorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratrum petitio continebat, Fratribus ea facere, & exercere non valentibus, quę alias poſſent juxta ſeriem Decretalis, quę incipit: *Super Cathedram*: a fel. rec. Bonifatio PP. VIII, Prędeceſſore noſtro, dudum editę, ac deinde per pię memorię Clementem PP. V, etiam Prędeceſſorem noſtrum, in Viennen. Concilio innovatę (4), & quam ipſe Bonifatius PP. ad Eremitarum S. Auguſtini, ac pię recordationis Johannes PP. XXII, ſimiliter Prędeceſſor noſter, ad Carmelitarum Ordinum Fratres hujuſmodi extendit, diſſenſiones & jurgia inter Fratres, & Henricum prędictos, ac ipſius Henrici ſucceſſores, pro tempore exiſtentes ejuſdem Parochialis Eccleſię Rectores, inibique animarum pericula ſubſequi poſſent tempore procedente: Nos, quorum intereſt opportune providere, ipſorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum Fratrum in hac parte ſupplicationibus inclinati, Decretalem prędictam inter Prędicatorum, Minorum Eremitarum, & Carmelitarum Ordinum eorundem Fratres, necnon Henricum, & ſuos ſucceſſores prędictos, provide in omnibus, & per omnia, ac ſi noſtrę, etiam ſi ad illarum executionem proceſſum ſit, & Bonifatii IX literę, & proceſſus hujuſmodi, nullatenus emanaſſent, obſervandam fore, & obſervari debere, necnon irritum, & inane quicquid ipſarum prętextu literarum, quo minus hujuſmodi Decretalis obſervetur, ut pręfertur, a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter, attentari contigerit, nullius firmitatis exiſtere, auctoritate Apoſtolica, decernimus per pręſentes. Non obſtantibus pręmiſſis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Dat. Romę apud Sanctos Apoſtolos VII Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Confirmatio.

Sanctio pœnalis.

1. *Decretalem.*) De qua ſæpius dictum eſt. Legitur *Libro III Tit. VI Cap. II Extravag. Commun.* Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*
2. *Archivę.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIX fol. 78.*
3. *Novimagen.*) *Noviomagen.*, vulgo *Niumagen.*, & *Nimmegen.*, Italis *Nimega*, in *Germania inferiori*.
4. *Innovatæ.*) Vide *Clementin. Lib. III Tit. VII Cap. II.*

De Monaſterio Ondergheem (1) alio transferendo.

Anno 1427 Die 5 Decembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Abbati Monaſterii Grymbergen., Cameracen. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

CCXXVI

Exordium.

PRo ſingulorum fidelium, pręſertim Religioſarum, & quę virginitatis pudore, accenſis lampadibus, obviam ſe pręparant ire Sponſo, perſonarum ſtatu, ſalubriter dirigendo, prout ex debito Nobis injuncti Paſtoralis tenemur officii, ſolicitę conſiderationis convertentes intuitum, ad ea, per quę illarum occurritur diſpendiis, profectuique conſulitur, adhibemus libenter vigilantię noſtrę partes. Cum itaque, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectarum in Chiſto filiarum Prioriſſę, & Conventus Monaſterii in Ondergheem, per Prioriſſam ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, ſub cura & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prędicatorum, viventium, Cameracen. Dięceſis, petitio continebat, quod alias ipſę, quę ſub perpetua clauſura ſunt, propter gentes armigeras, quę in circumpoſitis ipſi Monaſterio, extra cujuſvis Caſtri, vel Oppidi, munitionem conſiſtenti, locis erant, plurimis, quo minus inibi ſervire & quiete ſua Domino vota exſolvere poterant, impedimentis, ac moleſtiis fuerint affectę, &, ne eas, quę proprium, ad quem alias, prout ipſarum congruerat ſtatui, confugere poſſent, locum non haberent, ſimilibus progreſſu temporum obrui diſpendiorum contingat incommodis, aliquam in oppido Bruxellen., dictę Dięceſis, vel alio decenti murorum tutamine vallato loco manſionem acquirere deſiderent, pro qua earum, niſi ipſis quaſdam ad ipſum Monaſterium pertinentes terras vendendi, licentia concedatur, non ſufficiunt facultates, pro parte ipſarum Prioriſſę, & Conventus Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his eis opportune providere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis, auctoritate noſtra te diligenter informes, &, ſi per informationem ipſorum, ita eſſe inveneris, poſtquam hujuſmodi manſio ad opus earundem Prioriſſę & Conventus, ut illam pro congruenti pretio acquirere, & emere poſſint, reperta fuerit, eis aliquas, de dictis terris,

Supplex petitio.

Facultas.

terris, pro quibus pretium hujuſmodi, vel aliqua illius pars, haberi valeat, vendendi, & in alias transferendi, ipſumque pretium pro hujuſmodi manſione realiter exponendi, auctoritate prędicta licentiam largiaris; non obſtantibus conſtitutionibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus Monaſterii, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque, proviſo, quod pretium ipſum in uſus alios nullatenus convertatur. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos Nonis Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Clauſula derogans.

1. *Ondergheem.*) *Audergbem.* De quo conſulendus *Bernardus* noſter *de Jonghe* in *Belgio Dominicano pag.* 356.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIX fol.* 78.

Anno 1427 Die 23 Decembris.

F. Marinum (1) Teldi de Venetiis adminiſtratorem Scutarenſis Eccleſiæ creat.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Marino Teldi, de Venetiis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Baccalaureo in Theologia, Adminiſtratori Eccleſię Scutaren. in ſpiritualibus & temporalibus auctoritate Apoſtolica deputato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

INter ſolicitudines varias, quibus aſſidue premimur, illa continue pulſat, & excitat mentem noſtram, ut circa ſtatum Eccleſiarum omnium, maxime Cathedralium, ne in ſpiritualibus, & temporalibus, detrimenta ſuſtineant, quantum Nobis ex alto permittitur, ſalubriter providere curemus. Hinc eſt, quod Nos, cupientes, ne Eccleſia Scutaren. propter abſentiam Venerabilis Fratris noſtri Johannis Epiſcopi Scutaren., qui jam tribus annis elapſis in dicta Eccleſia non reſedit, & ex certis cauſis Nobis notis nequit apud dictam Eccleſiam reſidere, detrimenta ſuſtineat, ſed in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus regatur utiliter, & proſpere gubernetur, ac ſperantes, quod tu regimini, & adminiſtrationi dictę Eccleſię eſſe poteris multipliciter proficuus, te Adminiſtratorem pręfatę Eccleſię in ſpiritualibus, & temporalibus generalem uſque ad beneplacitum noſtrum auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, facimus, conſtituimus, & etiam deputamus, curam, regimen, & adminiſtrationem ejuſdem Eccleſię in eiſdem ſpiritualibus, & temporalibus tibi plenarie committentes, tibique omnia, & ſingula, quę ad regimen, & adminiſtrationem pręfatę Eccleſię proficua eſſe cognoveris, per te, vel alium faciendi, mandandi, ordinandi, poteſtatem plenariam concedentes, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium, & aliorum ornamentorum ad cultum divinum deputatorum ipſius Eccleſię tibi penitus interdicta. Ac mandantes dilectis filiis Capitulo dictę Eccleſię, & Clero, & populo Civitatis, & Diœceſis Scutaren. & aliis, ad quos ſpectat, quatenus hujuſmodi beneplacito durante tibi in omnibus, quę ad hujuſmodi adminiſtrationis officium, ejuſque liberum exercitium pertinere noſcuntur, plene pareant, & intendant, alioquin ſententias, ſive pœnas, quas rite tuleris, ſeu ſtatueris in rebelles, ratas, & gratas habebimus, illaſque faciemus, auctore Domino, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Volumus autem, quod propter adminiſtrationem hujuſmodi cultus divinus in dicta Eccleſia nullatenus minuatur, quodque debitis, & conſuetis ejuſdem Eccleſię ſupportatis oneribus, de reſiduis illius redditibus, fructibus, & proventibus libere diſponere, & ordinare valeas, ſicut Epiſcopi Scutaren., qui fuerunt pro tempore, de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus pręfatę Eccleſię, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus curam, regimen, & adminiſtrationem hujuſmodi per te, vel alium, ſeu alios ſic geras ſolicite, fideliter, & prudenter, quod prętata Eccleſia hujuſmodi beneplacito durante utili gubernatori, & fructuoſo adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam: tuque pręter ęternę retributionis prę̨mium noſtram, & Apoſtolicę Sedis benedictionem, & gratiam exinde uberius conſequi merearis. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos X Kalendas Januarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Diplomatis cauſa.

Conſtituit ut ſupra.

1. *Marinum.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIX fol.* 158.

Anno 1427 Die 23 Decembris.

Johanni Scutarenſi Epiſcopo F. Marinum Teldi de Venetiis Adminiſtratorem Scutarenſis Eccleſiæ conſtitutum ſignificat (1).

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Epiſcopo Scutaren., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

PEeſonam tuam Nobis, & Apoſtolicę Sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes, illa tibi libenter concedimus, quę tuis commoditatibus fore conſpicimus opportuna. Nuper ſiquidem per Nos accepto, quod jam tribus annis elapſis in Eccleſia Scutaren., cui prę̨eſſe dignoſceris non reſederas, & ex certis cauſis Nobis expoſitis apud dictam Eccleſiam reſidere non poteras, Nos, ne dicta Eccleſia propter abſentiam tuam detrimenta pateretur, dilectum filium Marinum Teldi de Venetiis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, Baccalaureum in Theologia, adminiſtratorem dictę Eccleſię in ſpiritualibus & temporalibus generalem uſque ad beneplacitum noſtrum conſtituimus, & etiam

F. Marinus Adminiſtrator Scutarenſis Eccleſiæ.

& etiam deputavimus, prout in noſtris literis, inde confectis, plenius continetur: Nos tibi, ne propter deputationem hujuſmodi nimium diſpendium patiaris, & ut ſtatum tuum juxta Epiſcopalis dignitatis decentiam commodius tenere valeas, de alicuius ſubventionis auxilio providere, ſpecialemque gratiam facere volentes, penſionem annuam triginta florenorum auri de camera ſuper fructibus, redditibus, & proventibus dictę Eccleſię per Ipſum Marinum, & alios ipſius Eccleſię adminiſtratores, quos forſan deputari contigerit, tibi, vel procuratori tuo, ad hoc a te ſpeçiale mandatum habenti, quoad vixeris in Romana Curia, in feſto omnium Sanctorum, annis ſingulis, integre perſolvendam, ad id etiam prętati Marini expreſſo accedente conſenſu, auctoritate Apoſtolica tenore pręſentium reſervamus, conſtituimus, & etiam aſſignamus; ſtatuentes, & etiam decernentes, eoſdem Marinum, & adminiſtratores ad ſolutionem, ſeu ad pręſtationem penſionis ejuſdem, juxta reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis hujuſmodi tenorem, exiſtere efficaciter obligatos, quodque ſi Marinus, vel adminiſtratores prędicti, in dicto termino, vel ſaltem infra triginta dies eundem terminum immediate ſequentes, tibi, vel procuratori prędicto, penſionem hujuſmodi non ſolverint in effectu, lapſis eiſdem diebus ſententiam excommunicationis incurrant, a qua donec tibi de penſione prędicta integraliter ſatisfactum, aut alias tecum, vel cum eodem procuratore ſuper hoc amicabiliter concordatum fuerit, ſeu alias tuo, vel dicti procuratoris expreſſo accedente conſenſu, pręterquam in mortis articulo, conſtituti, nequeant abſolutionis beneficium obtinere; Quod ſi forſan iidem Marinus, & adminiſtratores ſententiam hujuſmodi per ſex menſes, a fine dictorum dierum in antea computandos, animo, quod abſit, ſuſtinuerint indurato, dictis menſibus elapſis, hujuſmodi adminiſtratio expiret; Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus dictę Eccleſię, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Noſtrę reſervationis, conſtitutionis, & aſſignationis infringere &c. Si quis autem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos X Kal. Januarii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. *Penſio aſſignatur Epiſcopo.*

1. *Significat.*) Conſulendum præcedens Diploma.
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXLI fol.* 108.

F. Petrus (1) de Sancto Blaſio Bojanenſis Epiſcopus creatur.

Anno 1428 Die 23 Februarii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro de Sancto Blaſio Electo Bojanen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem,

Apoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Nicolao Epiſcopo Bojanen regimini Bojanen. Eccleſię pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret, per Apoſtolicę Sedis providentiam utilem, & idoneam pręſidere perſonam, proviſionem ejuſdem Eccleſię ordinationi, & diſpoſitioni noſtrę duximus ea vice ſpecialiter reſervandam; decernentes ex tunc irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his per quoſcunque, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Nicolai Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, Paſtoris ſolatio deſtituta, Nos, vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem ipſius Eccleſię celerem, & felicem, de qua nullus pręter Nos hac vice ſe intromittere potuit, ſive poteſt, reſervatione, & decreto obſiſtentibus ſupradictis, ne Eccleſia ipſa prolixę vacationis exponeretur incommodis, paternis & ſolicitis ſtudiis intendentes, poſt deliberationem, quam de pręficiendo eidem Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſorem, Baccalaureum formatum in Theologia, & in Sacerdotio conſtitutum, cui de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, & temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicium virtutum donis apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob tuorum exigentiam meritorum, accepta, ipſi Eccleſię de dictorum Fratrum noſtrorum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VII Kalendas Martii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Petrus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLIX fol.* 162.

Indulgentia conceſſa viſitantibus ſacellum, Coruſwayll (1) nuncupatum, ſitum in Ædibus ſacris Londonienſis (2) Cœnobii.

Anno 1428 Die 18 Martii.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCXXX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus, pręſentes literas inſpecturis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Dum pręcelſa Meritorum &c (4). Cupientes igitur, ut Capella Coruſwayll vulgariter nuncupata, choro Eccleſię Fratrum Prędicatorum Londonien. contigua, ſub vocabulo Aſſumptionis ejuſdem B. Marię Virginis conſecrata, ad quam pro divinis audiendis officiis, & alias, devotionis ex cauſa, ob ipſius Virginis merita, continue confluit populi multitudo, congruis honoribus diutius frequentetur, &, ut fide- *Indulgentia.*

fideles ipſi eo devotius confluant ad eandem, quo ex hoc ibidem dono cęleſtis gratię uberius conſpexerint ſe refectos, de omnipotentis Dei miſericordia, & Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui in Nativitatis, Circumciſionis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini noſtri Jeſu Chriſti, ac Pentecoſtes, necnon Nativitatis, Annuntiationis, Purificationis, & Aſſumptionis ejuſdem B. Marię Virginis, ac Nativitatis B. Johannis Baptiſtę, & Apoſtolorum eorundem, ipſiuſque Capellę Dedicationis feſtivitatibus, ac celebritate omnium Sanctorum, necnon per ipſorum Nativitatis, Epiphanię, Reſurrectionis, Aſcenſionis, & Corporis Domini, ac Nativitatis, & Aſſumptionis B. Marię, Nativitatis Beati Johannis Baptiſtę, ac Apoſtolorum prętatorum feſtivitatum octavas, & per ſex dies dictum feſtum Pentecoſtes immediate ſequentes, Capellam ipſam devote viſitaverint annuatim, ſingulis videlicet feſtivitatum, & celebritatis, unum annum & quadraginta dies, octavarum vero, & ſex dierum prętatorum diebus, quibus, ut prętertur, Capellam viſitaverint ante dictam, centum dies de injunctis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias viſitantibus dictam Capellam aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, hujuſmodi pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XV Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Cornſouayll.*) Nunc hæreticorum præda.

2. *Londonien.*) *Londinen.*, *Londinien.*, *Lundinien.*, & *Lindonien.*, vulgo *London.*, in *Anglia*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLI fol.* 185.

4. *Dum præcelſa Meritorum &c.*) Ut in *Conſtitutione CXVI pag.* 617.

Anno 1428 Die 21 Aprilis.

Cœnobium Langley Regis (1) juris ſit Viſitatoris Cantabrigiæ (2).

Ex Archivo (3) *Ordinis*.

CCXXXI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Venerabili Fratri Epiſcopo Electen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium a laude Fratrum.

SUper gregem dominicum, Nobis, licet immeritis, deſuper creditum, vigilis extendentes ſpeculatoris officium in decore ſacrę Religionis, ſuper qua dilecti filii Priores, & Fratres Ordinis Fratrum Prędicatorum in Regno Anglię, mundanis abjectis illecebris, devotum, & ſedulum exhibent Domino famulatum, ingenti mentis exultatione reficimur, proſpicientes potiſſime, quod ipſi ad alia virtutum gradibus per exercitium bonorum operum, & pręclara humilitatis merita procedentes, ceteros ad divinum Majeſtatis obſequium trahunt per exempla, vitam ducendo piiſſimam, diviniſque laudibus, ex quibus gloria attollitur Altiſſimi, accuratius inſiſtendo, & hinc in mundo mortui, Dominoque Jeſu Chriſto, qui vita eſt, viventes in ſpiritu, pro univerſorum ſalute fidelium preces flagitant inceſſanter, propter quę ipſos Priores & Fratres, quos etiam, ac dictum Ordinem erga Nos, & Romanam Eccleſiam ſingularis devotionis claritate relucere conſpicimus, paternis contemplantes affectibus, circa felicem eorum ſtatum fructuoſis vigilamus ſtudiis, &, ut Deo propitio, in pacis & tranquillitatis agro locati jugiter protegantur a noxiis, & ab omni perturbatione ſalubribus incrementis conquieſcant, & illis, quę ad ſolidandam pacem, & integritatem inter eos provide facta comperimus, uberioris adiiciendo firmitatis pręſidium, per amplius ſtabilimus. Sane petitio dilectorum filiorum Prioris, & Fratrum Domorum conſiſtentium ſub diſtinctione Viſitationis Cantabrigię, Elien. (4) Dięceſis, Nobis nuper exhibita, continebat, quod cum olim inter Priores, & Fratres, dicti Ordinis in eodem Regno ſuper Domo Conventuali Langeleye (5) Regis, Lincolinen. (6) Dięceſis, ſub cujus Viſitatione, ex quatuor diſtinctionibus Viſitationum Fratrum dicti Ordinis in eodem Regno, conſiſteret, propter quędam verba obſcura in diſtinctione hujuſmodi contenta diſſenſionis materia ſuborta fuiſſet, & tandem dilecti filii Johannes Rokell, Vicarius generalis ejuſdem Ordinis in Regno prędicto, tunc in Provincialem in Capitulo Provinciali dicti Ordinis electus, Philippus Crofft, Henricus Waryn, Wilhelmus Cryel, & Johannes Crafford, Fratres Ordinis, & definitores Capituli prędictorum, ſacrę Theologię profeſſores, pro hujuſmodi diſſenſione removenda penitus, & extinguenda, declararunt, & definiverunt dictam Domum Langeleye pertinere ad Viſitationem Cantabrigię, verba obſcura hujuſmodi nihilominus declarando, prout in literis deſuper confectis, eorundem Vicarii, & definitorum ſigillis munitis, dicitur plenius contineri. Quare pro parte eorundem Priorum, & Fratrum Domorum ſub diſtinctione dictę Viſitationis Cantabrigię conſiſtentium, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut literis ipſis pro earum ſubſiſtentia firmiori robur Apoſtolicę confirmationis adiicere, & alias ipſis in pręmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos itaque, de pręmiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi quoque ſupplicationibus inclinati,

Diplomatis cauſa.

Mandatum.

fraternitati tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus de pręmiſſis omnibus, & ſingulis, & eorum circumſtantiis univerſis te diligenter informes, &, ſi ita eſſe inveneris, prędictas literas, ac omnia, & ſingula in eis contenta, auctoritate noſtra confirmare, ratificare, & approbare procures; ſupplendo omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XI Kalend. Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Langley Regis.*) Conſulendæ *Conſtitutiones CCIII*, & *CCXIX.*

2. *Cantabrigiæ.*) Vulgo *Cambridge*, in *Anglia*.

3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIX fol.* 33.

4. *Elien.*) Vulgo *Ely*, urbs eſt Epiſcopalis ſub Archiepiſcopo *Cantuarienſi*, in *Anglia*, *Elienſi*, non *Electenſi*, Epiſcopo inſcriptum Diploma crediderim.

5. *Langeleye.*) Sic etiam legebat *Echard* in Codice *Lingenenſi*, cujus meminit in *Notitia Ordinis Tomo I Scriptorum pag.* 11 *col. II.*

6. *Lincolinen.*) *Lincolnen.*, ſeu *Lindonſis*, vulgo *Lincolne*, in *Anglia*.

Le-

Leges (1) de Clauſura, ſeu clauſtris Monaſterii S. Sixti de Urbe, de éjuſdem Priore, Vicario, Confeſſore, ac redditibus a Bonifatio IX ſancitas, quodam adhibito temperamento, confirmat. Anno 1428 Die 1 Maii.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam. CCXXXII.

INgentem, & votivam ſacræ Religionis, cujus ſalutaris obſervantia in Monaſterio S. Sixti de Urbe moniales divinæ benedictionis laudabiliter vigere dignoſcitur, perſeverantiam paternis exoptantes affectibus, & pro ipſius Sancti reverentia, & honore Monaſterium ipſum, & ejus perſonas ſpeciali devotione in Domino proſequentes, libenter ad hoc, prout expedire proſpicimus, operoſi partes miniſterii impendimus, ut Monaſterium, & perſonæ hujuſmodi proſperis jugiter gratulentur eventibus, & ad ſalutaria cuncta dirigantur, adiiciendo, illis, quæ pro ipſarum ſtatu, & perſeverantia in bonis operibus provide facta comperimus, Apoſtolici muniminis firmitatem. Dudum ſiquidem quondam Bonifatius, tunc in ſua obedientia, de qua Urbs ipſa extitit, IX, cupiens honeſtati, & utilitati dilectarum in Chriſto filiarum Priorillæ & Conventus dicti Monaſterii, ſub Regula S. Auguſtini, & ſecundum Inſtituta Fratrum Ordinis Prædicatorum viventium, favorabiliter providere, per ſuas literas ex certa ſcientia ſtatuit, & etiam ordinavit, quod de cetero perpetuis futuris temporibus nullus Frater Clericus dicti Ordinis Prædicatorum inter clauſuram dicti Monaſterii intrare, aut in Priorem, Vicarium, ſeu Confeſſorem, ipſius Monaſterii deputari, nec Prior, Vicarius, ſeu Confeſſor, dicti Monaſterii eſſe poſſet, aut deberet quoquomodo, niſi attigerit quadrageſimum ætatis ſuæ annum, nec etiam Provincialis Provinciæ Romanæ, & Vicarius Generalis, ſeu particularis dicti Ordinis Prædicatorum, cujuſcunque ætatis, pro tempore exiſtentes poſſent intrare prædictam clauſuram Monaſterii prælibati, niſi in conſimilibus caſibus, in quibus pro ſuis officiis exercendis poſſent dicti Provincialis & Vicarius intrare clauſuram Corporis Chriſti de Venetiis, Caſtellan. Diœceſis, & S. Dominici Piſan., Monaſteriorum Ordinis prædicti, quodque nullus Frater dicti Ordinis, vel quicunque alter, cujuſcunque conditionis, vel dignitatis exiſteret, ex quibuſcunque bonis mobilibus præfati Monaſterii, ſive pecuniæ, ſive victualia, ſive quæcunque aliæ res exiſterent, quidquam exponere, alienare, diſpenſare, ſeu diſtribuere poſſet, aut deberet, niſi bona ipſa prius ad manus Monialium dicti Monaſterii, ad hoc pro tempore deputatarum, pervenirent realiter cum effectu; inhibens diſtrictius univerſis, & ſingulis Fratribus dicti Ordinis, & aliis pro tempore exiſtentibus, ne, ſub excommunicationis pœna, quam contra facientes incurrere voluit ipſo facto, contra ſtatuti, & ordinationis hujuſmodi tenorem facere, vel aliquid attentare quoquomodo præſumerent, ac decrevit irritum & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari. Per præmiſſa autem Magiſtro Generali pro tempore exiſtenti, quo minus hujuſmodi clauſuram præfati Monaſterii intrare libere & licite valeret, ac quo minus in conſecrationibus, ſeu Velationibus Monialium ipſius Monaſterii, antiqua conſuetudo intrandi dictam clauſuram, poſſet, prout expediens videretur pro tempore, obſervari, nullum voluit præjudicium generari, prout in dictis literis plenius continetur. Quare pro parte Priorillæ & Conventus prædictarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut pro firmiori ſubſiſtentia præmiſſorum, ut ipſæ Priorilla & Conventus quietius valeant Domino famulari, ſtatuto, & ordinationi prædictis, ſub hac tamen modificatione, quod earum Confeſſor, ſive Capellanus, pro tempore exiſtens, & quem ipſæ pro earum libitu, prout ab antiquo conſueverunt, quoties expediens, & opportunum fuerit, eligere debeant, Monaſterium ipſum, cum inibi aliquid ædificari, ſive reformari continget, cum laboratoribus, & alias ex cauſa utili, & neceſſaria, abſque hujuſmodi incurſu, finem ingredi libere, & licite valeant, robur Apoſtolicæ confirmationis adiicere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, ſtatutum, & ordinationem prædicta, & quæcunque inde ſecuta, ſalva tamen modificatione ſupradicta, rata habentes & grata, illa auctoritate Apoſtolica ex ſimili ſcientia confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem, & inſuper volumus ac prædictis Priorillæ & Conventui, quod hujuſmodi Confeſſor, ſive Capellanus, quem ipſæ pro tempore eligere habeant, ut præfertur, quoties opus fuerit, & neceſſitas, ſive utilitas ſuaſerit, cum prædictis pro tempore laboratoribus, vel etiam ſine illis, Monaſterium ipſum ingredi licite poſſint, quodque eædem Priorilla, & Conventus in Monaſterio prædicto ſecundum ejus ordinationes, & inſtituta, quibus hactenus vixerunt, moram trahentes, ibidem vivere, & immorari, nec ad aliquam aliam regularem obſervantiam per quoſvis compelli quomodolibet poſſint, vel etiam arctari, quodque etiam ipſæ quæcunque ipſius Monaſterii bona mobilia, & immobilia, fructus quoque, redditus, & proventus, in quibuſcunque conſiſtant per proprios procuratores, factores, & œconomos, quos ad id pro tempore, prout etiam ab antiquo conſueverunt, providerint deputandos, abſque alicujus alterius licentia, pro tempore gubernare, defenſare, requirere, & manutenere, ac in ipſarum dicti Monaſterii utilitatem convertere, & de illis, prout ipſarum utilitas, & neceſſitas ſuadebit pro tempore, diſponere libere valeant, auctoritate præfata, tenore præſentium, indulgemus. Non obſtantibus ſtatutis, & ſtabilimentis Monaſterii, & Ordinis prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis, communitionis, voluntatis, & conceſſionis infringere &c. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Exordium. Hujus Diplomatis cauſa. Confirmatio. Clauſula derogans. Sanctio pœnalis.

1. *Leges*.) Conſulenda *Conſtitutio CXIII Bonifatii IX data XXII Octobris MCCCXCVIII.*

2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIX fol.* 255.

F. Nico-

Anno 1428 Die 17 Maii.

F. Nicolaus de Camiſio (1) Siciliæ Regni Inquiſitor creatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXIII

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Nicolao de Camiſio, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Licet ubilibet Apoſtolicę Sedis providentia circunſpecta hereticę pravitatis labe reſperſos, quorum nequitia ſerpit ut cancer, ne in aliorum perniciem ſua venena diffundat, remedium libenter adhibeat opportunum, in Regno tamen Sicilię, ac partibus ei vicinis, ad quę, eorumque regnicolas, & perſonas, affectum gerimus ſpecialem, pręcipue cupimus, ut negotia fidei jugi profectu, eliſis omnino, & eradicatis erroribus, proſperetur, fideſque catholica fortius invaleſcat; affectanteſque ad hujuſmodi negotium fidei ibidem efficaciter promovendum, talem deputare perſonam, cujus honeſta converſatio exempla tribuat puritatis, eujuſque labia erudita doctrinam fundant ſapientię ſalutaris, ut ejus miniſterio omne fermentum exinde labis hujuſmodi expurgetur. Cum itaque nuper dilectus filius Antonius de Boconto, Inquiſitor conſtitutus. Ordinis Fratrum Prędicatorum, & ſacrę paginę profeſſor, ac in Provincia dicti Regni ſecundum morem ejuſdem Ordinis illius Prior Provincialis, ad hoc ſufficienti, ut aſſerebat, ab Apoſtolica Sede facultate ſuffultus, te in dicto Regno, & Civitate noſtra Beneventan., ac ſpecialiter in partibus Terrę Bari, necnon in tota Provincia Apulię, & Capitanatę, Inquiſitorem pravitatis ejuſdem cum privilegiis, exemptionibus, & auctoritatibus, Inquiſitoribus hereticę pravitatis, tam Apoſtolica, quam Imperiali, auctoritatibus, conceſſis, de quorundam diſcretorum dicti Ordinis profeſſorum conſilio, vigore facultatis hujuſmodi, eligendum duxerit, ac etiam deputandum, prout in ejuſdem Prioris literis, ejus ſigillo munitis plenius continetur, Nos ad perſonam tuam, quam Religionis, & fidei ſinceritate, ac maturitate morum, & literarum ſcientia, multarumque aliarum virtutum donis earum largitor Dominus inſignivit, dirigentes intuitum noſtrę mentis, teque ad hujuſmodi officium exercendum ſufficientem, & idoneum reputamus, Inquiſitorem pravitatis ejuſdem in Regno, Civitate, & Provincia Apulię, & Capitanatę prędictis, cum exemptionibus, privilegiis, & auctoritatibus prętatis uſque ad noſtrum beneplacitum, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, facimus, conſtituimus, & etiam deputamus; tibi nihilominus omnia, & ſingula quę ad Inquiſitionis hujuſmodi officium, ejuſque liberum exercitium de conſuetudine, vel de jure pertinere noſcuntur, per te, vel alios, quibus id duxeris committendum, agendi, ordinandi, mandandi, & exequendi poteſtatem plenariam concedentes. Quocirca diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, in remiſſionem tibi peccaminum injungentes, quatenus in caritate Dei, hominum timore poſtpoſito, & virtutem Sancti Spiritus induens prędictum Inquiſitionis officium in Regno, Civitate, & Provincia Apulię & Capitanatę, prędictis, prout tanti negotii utilitas ſuadebit, ſub ſpe mercedis ęternę, ſic efficaciter proſequi, & exequi ſtudeas diligenter, quod per ſolicitudinis tuę providentiam radix pravitatis ejuſdem penitus evellatur, & vinea Domini ſabaoth, exterminatis inde vulpeculis, fructus uberes afferat catholicę puritatis, in hujuſmodi negotio proceſſurus tam ſecundum indulgentias & privilegia, Inquiſitoribus pravitatis ejuſdem, prętata auctoritate, deputatis, ſeu officio Inquiſitionis hujuſmodi, ab eadem Sede, conceſſa, quam ſecundum canonicas ſanctiones, per hujuſmodi autem deputationem de tua perſona in hujuſmodi Inquiſitionis officio per Nos factam, locorum ordinariis, quo minus ipſi Inquiſitionis officium ſuper labe prędicta, prout volunt dictę canonicę ſanctiones, exercere valeant, & prędictis, vel quibuſcunque aliis privilegiis tuo Ordini, vel Inquiſitoribus, ſeu officio memoratis, ſi qua ſint eis a dicta Sede conceſſa, libere uti, nullum volumus pręjudicium generari. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kalendas Junii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Nicolaus de Camiſio.*) Unus eſt ex Inquiſitoribus *Siciliæ*, quos miſſos fecit *Fontana in Theatro Dominicano Parte II.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXLVIII fol. 98.*

Anno 1428 Die 18 Maii.

Ut F. Johannes Cheureſon, aliique duo ſolitariam (1) vitam ducere poſſint.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXIV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Johanni Cheureſon, de Metis, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſori, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium. Pia Nos excitat & inducit affectio, ut te, qui mundanis abjectis illecebris, in habitu paupertatis voluntarię virtutum Domino famularis, paternę caritatis ſtudio proſequentes, ea tibi favorabiliter concedamus, quę divini cultus augmentum, ac tuę & aliorum animarum ſalutem reſpiciunt, & quietem. Supplex petitio. Sane pro parte tua, Nobis exhibita petitio continebat, quod tu zelo devotionis accenſus, & ut divinę contemplationi liberius intendere poſſis, una cum duobus aliis tui Ordinis profeſſoribus, id etiam affectantibus, de cetero vitam ſolitariam in aliquo loco ad hoc congruo, & honeſto, ducere deſideras, atque proponis. Quare pro parte tua Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut tibi pro hujuſmodi executione propoſiti, & mentis tuę tranquillitate in Capella, ſive Cura B. Marię de Coronata, Chien. (3) Dięceſis, quę Nota. nullius annui valoris exiſtit, & quę, ut aſſeris, pro uſu, & habitatione Fratrum Peregrinantium propter Chriſtum dicti Ordinis dudum donata & conceſſa extitit, una cum duobus Fratribus, hujuſmodi morandi, & inibi virtutum Domino, alias juxta ipſius Ordinis Inſtituta regularia famulandi, Miſſas quoque, & alia

& alia divina officia celebrandi, licentiam concedere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, volentes te in hujuſmodi laudabili propoſito confovere, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, tibi, Superioris tui petita, & etiam obtenta licentia, Capellam, prefatam pro tua, & duorum aliorum Fratrum, ſolitariam vitam ducere cupientium, qui ſimilem licentiam ab eorundem Superioribus obtinuerint, uſu, & habitatione perpetuis recipiendi, & inibi una cum illis ſub regularibus Inſtitutis Ordinis, ac obedientia, & correctione Superiorum predictorum, Altiſſimo famulandi, necnon Miſſas & alia officia celebrandi, plenam ac liberam auctoritate Apoſtolica tenore preſentium licentiam elargimur, jure tamen Parochialis, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo. Non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus dicti Ordinis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nulli ergo &c. Datum Rome apud Sanctos Apoſtolos XV Kal. Junii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Facultas conceſſa.

1. *Solitariam.*) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. II.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CXXXIX fol.* 136.

3. *Chienſis.*) In ejuſdem nominis Inſula: Italis *Scio*.

Auximani (1) Cœnobii fundandi facultas.

Anno 1428 Die 20 Maii.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXV.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo (3) Auximano, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Humilibus, & honeſtis ſupplicum votis, his preſertim, que Sacre Religionis propagationem, divini cultus augmentum, & animarum ſalutem reſpiciunt, libenter annuimus, eaque favoribus proſequimur opportunis. Exordium. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Civium, & incolarum Civitatis Auximan., petitio continebat, quod cum de preſenti in Civitate predicta domus Ordinis Fratrum Predicatorum aliqua non habeatur, ipſique Cives, & incole ad Ordinem predictum gerant ſingularem devotionis affectum, ut ex eo amplius ſpiritualis alimonie, predicationum, & aliorum divinorum pro animabus ipſorum fructum ſalutis percipere valeant, unam domum cum Eccleſia, campanili, campanis, dormitorio, clauſtro, cemeterio, horto, & aliis neceſſariis officinis, pro uſu, & habitatione perpetuis Fratrum dicti Ordinis in eadem Civitate, videlicet ſuper loco hoſpitalis pauperum S. Marci Auximan., quod menſe tue Epiſcopali Auximan. canonice eſt annexum, & in quo nulla etiam de preſenti hoſpitalitas obſervatur, ad hoc apto, & idoneo, de bonis eis a Deo collatis, piiſque aliorum Chriſti fidelium, ad hoc ſibi erogandis, ſubſidiis, fundare, erigere, conſtruere, & edificare, ſeu fundari, erigi, conſtrui, & edificari facere, deſiderant, & proponunt, ſi ad id Apoſtolice Sedis auctoritas ſuffragetur. Supplex petitio. Quare pro parte dictorum civium, & incolarum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis premiſſa faciendi, & exequendi, licentiam concedere, & alias opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Facultas. Nos igitur, qui Sacram Religionem propagari, & cultum divinum noſtris potiſſime temporibus ubique vigere, & augeri intenſis deſideriis affectamus, de premiſſis certam notitiam non habentes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, Fraternitati tue per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus, ſi eſt ita, & tibi conſtiterit, Cives, & incolas hujuſmodi premiſſa velle effectualiter adimplere, ſuper quo tuam conſcientiam oneramus, nomine dicti hoſpitalis per te previe eadem auctoritate ſuppreſſo penitus, & extincto, ac ipſius hoſpitalis poſſeſſionibus, & bonis, necnon fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis pro eadem tua menſa Epiſcopali in perpetuum reſervatis, eiſdem civibus, & incolis in dicto loco Domum cum Eccleſia, campanili, campanis, dormitorio, clauſtro, cemeterio, horto, & officinis hujuſmodi pro uſu, & habitatione predictis. fundandi, & erigendi, conſtruendi, & edificandi, ſeu fundari, erigi, conſtrui, & edificari faciendi, dictiſque Fratribus domum ipſam, poſtquam fundata, erecta, conſtructa, & edificata fuerit, ut prefertur, pro eiſdem uſu, & habitatione libere recipiendi, jure tamen Parochialis Eccleſie, & cujuslibet alterius in omnibus ſemper ſalvo, plenam, & liberam, auctoritate prefata, licentiam largiaris. Clauſula derogans. Non obſtantibus Apoſtolicis, necnon provincialibus, & ſynodalibus conſtitutionibus, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim, ſi per te, vigore preſentium licentiam hujuſmodi concedi contingat, ut prefertur, auctoritate Apoſtolica harum ſerie, decernimus, domum, poſtquam fundata, erecta, conſtructa, & edificata, ut premittitur, extiterit, ac Fratres, qui in ea pro tempore deguerint hujuſmodi, omnibus, & ſingulis privilegiis, indulgentiis, libertatibus, immunitatibus, & gratiis uti, & gaudere poſſe, atque debere, quibus, & prout alie Domus, & loca, ejuſdem Ordinis, ac Fratres in eis degentes, pro tempore gaudent quomodolibet, & utuntur, necnon irritum, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Rome apud Sanctos Apoſtolos XIII Kal. Junii, Pontificatus noſtri anno Undecimo.

1. *Auximani.*) Vulgo *Oſimo*, in *Piceno*.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex Autographo aſſervato in Cœnobio *Auximano*.

3. *Epiſcopo.*) Is erat *Nicolaus e Caſtello*, Ordinis *S. Benedicti*. Adeas *Ughellum in Epiſcop. Auximatibus Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 505.

Anno 1428 Die 23 Maii.

Confirmat Compoſitionem initam inter Moniales S. Sixti de Urbe, & Monaſterium S. Oſwaldi de Noſtle (1).

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium. EX ſupernę Majeſtatis providentia in eminenti Sedis Apoſtolicę ſpecula conſtitui, Monaſteriorum, & Religioſorum omnium locorum, curę noſtrę divinitus commiſſorum, profectui, prout ex debito paſtoralis tenemur officii, libenter intendimus, ſed pręcipue ad hoc ut ope noſtra eccleſiaſticę perſonę, illę pręſertim, quę mundanis ſpretis illecebris ſub ſacra Religione devotum Domino reddunt famulatum, in pacis tranquillitate vivere valeant, ſemper favorem benevolum impartimur, adiiciendo illis, quę propterea provide facta ſunt, Apoſtolici muniminis firmitatem. Diplomatis cauſa. Sane petitio pro parte dilectorum filiorum Roberti Prioris, & Conventus S. Oſwaldi de Noſtle, per Priorem ſoliti gubernari, Ordinis S. Auguſtini, Eboracen. Dięceſis, necnon dilectarum in Chriſto filiarum Prioriſſę, & Conventus S. Sixti de Urbe ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, per Prioriſſam gubernari conſueti, ſub cura, & ſecundum Inſtituta Fratrum Prędicatorum viventium, Monaſteriorum, Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod cum olim inter Priorem, & Conventum S. Oſwaldi ex una parte, ac Prioriſſam & S. Sixti Monaſteriorum Conventum hujuſmodi, ſuper eo, quod eędem Prioriſſa & Conventus S. Sixti dictos Priorem, & Conventum S. Oſwaldi Monaſteriorum ipſis in penſione annua quinquaginta marcarum Sterlingorum ratione fructuum, & Proventuum Parochialis Eccleſię de Bamburgo, Duvolinen. (3) Dięceſis, quam dicti Prior & Conventus Monaſterii S. Oſwaldi in uſus proprios tenent eorundem teneri, & obligatos fore, ipſamque penſionem eiſdem Prioriſſę, & Conventui S. Sixti per dictos Priorem & Conventum S. Oſwaldi, ſalva ceſſatione per ipſos poſtmodum diutius facta, pluribus annis retroactis ſolutam fuiſſe, Prior vero & Conventus Monaſterii S. Oſwaldi prędicti ad ſolutionem alicujus hujuſmodi annui redditus ſe minime teneri, cum idem Monaſterium Sancti Oſwaldi ipſi Monaſterio S. Sixti in nullo ſubeſſet, aut cenſuale exiſteret, aſſerebant, diverſę controverſię, & diſſenſiones, ex altera ortę fuiſſent, tandem dilectus filius Magiſter Hermannus Dwerg Prępoſitus Eccleſię S. Libvini Daventrien., Trajecten. Dięceſis, decretorum doctor, Notarius, & Referendarius noſter, Prior, & proprio nomine dictorum Prioris, & Conventus Monaſterii S. Oſwaldi, necnon prefatę Prioriſſa & Conventus Monaſterii S. Sixti, habita primitus cum nonnullis perſonis mediis viris probis & honeſtis, inter ſe deliberatione matura, pro bono pacis ad hanc concordiam pervenerunt, videlicet, quod ipſe Hermannus Prior, de cujus procurationis mandato, & poteſtate infraſcripta facienda plene conſtitit, & facta fides fuit nomine Prioris, & Conventus Monaſterii S. Oſwaldi, pręfatis Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Sixti pro omni jure ipſarum, quod ſe in annua dictarum quinquaginta marcarum, quę ſe ad valorem ducentorum florenorum extendunt, penſione hujuſmodi ad ipſum Monaſterium S. Oſwaldi ratione fructuum, & proventuum dictę Eccleſię de Bamburgo quomodolibet habere prętendebant, ſeu prętendere poterant in futurum, Caſale nominatum communiter de Salice, quod in Regione trans Tiberim extra portam Portuę (4) ſitum eſt, & quondam ad Paulum Scati Civem Romanum ſpectabat, ac eidem Monaſterio S. Oſwaldi juſto emptionis titulo acquiſierat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, in hereditatem propriam libere donavit, & aſſignavit, & pro neglectis in prętéritarum penſionum ſolutionibus quibuſlibet ſummam trium millium octuaginta ſex florenorum auri de camera eiſdem Prioriſſę, & Conventui Monaſterii S. Sixti in ipſarum, & hujuſmodi Monaſterii S. Sixti utilitatem convertendam realiter perſolvit, ipſę Prioriſſa, & Conventus Monaſterii S. Sixti ex adverſo omni juri quod ipſi in penſione prędicta pro futuris temporibus competere cenſeri poſſet, actioni quoque, & intereſſe ipſorum penitus, & omnino cedentes, necnon de prędicta ſumma pro prędictis neglectis ſolutionibus hujuſmodi ſe contentas reddentes, tam de ſumma prędicta pro dicto neglectu, ut pręfertur, quitarunt, quam aliis deinceps perpetuis futuris temporibus quomodolibet perſolvendis penſionibus Priorem & Conventum Monaſterii S. Oſwaldi prędictos totaliter liberarunt, & perpetuo etiam abſolverunt, Tenor compoſitionis. prout in quodam inſtrumento publico, exinde confecto plenius continetur, cujus tenor ſequitur, & eſt talis. In nomine Domini Amen. Anno a Nativitate Domini ejuſdem milleſimo quadringenteſimo vigeſimo octavo, Indictione ſexta, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Martini divina providentia PP. V Anno Undecimo, die vero Martis, undecima Menſis Maii, in mei Notarii publici, ac teſtium infraſcriptorum, ad hoc ſpecialiter vocatorum, & rogatorum, conſtituti Reverendus in Chriſto Pater, & Dominus, Dominus Hermannus Dwerg Decretorum Doctor, Sedis Apoſtolicę Protonotarius, ac Prior proprio nomine Reverendi Patris & Domini Domini Roberti Wyxaicus Prioris Prioratus S. Oſwaldi de Noſtle, Ordinis S. Auguſtini, Eboracen. Dięceſis, prout de ſuo procurationis mandato ibidem plenam fidem fecit quodam publico inſtrumento ſubſcripto, & ſignato manu, & ſubſcriptione Magiſtri Johannis de Toruton Presbyteri, dictę Eboracen. Dięceſis, publici auctoritate apoſtolica Notarii, necnon ſigillo ipſius Prioratus appenſo, ſigillato & munito ex una parte, ac venerabiles ac religioſę dominę Paulutia Bunacella Prioriſſa, Venotia de Amatheſſchis Supprioriſſa, Venotia de Inſula, Rita Buccabella, Angilella Leptii, Renza Belionio, Agnes de Lomonte, Lucarella Johannis Naccioli, Renzola Johannis Piſani, Pauloſella Joannis Piſani, Sanſia Cecchi, Franciſca Lupi, Venotia Franciſci Nicolai, Maria Semecto, Jacobella Theobaldi, Catharina Morraliza, Penſia Mootanara, Agnes Johannis Vari, Riola Philippi, Nardola Fr. Nardi, Nicolia Pini, Jacobella Renti, Vannette Caradonna Aniballi, Petrucia de Piperno, Catharina dela Roſa, Antonia S. Pauli, Catharina, & Magdalena de Bononia, Monachę Profeſſę Monaſterii S. Sixti de Urbe, ad Romanam Eccleſiam nullo medio pertinentis, ibidem Capitulariter ad ſo-

ſonum campanę congregatę, necnon nobiles Viri Jacobus de Buccabeiis, Laurentius Renzolini, & Petrucius Domini Jacobi, Cives Romani, etiam pro infraſcriptis tractandis & concordandis per pręſentes ipſas vocati, & rogati, & ibidem aliquali facto ſilentio, idem Reverendus Pater Dominus Hermannus Protonotarius clara & aperta voce expoſuit, atque dixit, quomodo ipſe in perſona propria jam multis annis elapſis, & diverſi alii notabiles viri, ante eum etiam laboraſſent & inſtetiſſent, ut diſſenſio, & diſcordia, quę eſt, & multis annis jam duravit inter ipſas venerabiles, & Nobiles Dominas & Religioſas Moniales ipſius Monaſterii S. Sixti ex una parte, ac Priorem, & Conventum Monaſterii S. Oſwaldi, occaſione penſionis annuę ducentorum florenorum auri de Camera, ipſis Monialibus ab ipſis Priore, & Conventu, occaſione & prętextu fructuum, & proventuum Parochialis Eccleſię de Bamburgo Duvolinen. Diœceſis, ex quibus fructibus ipſos ducentos florenos ſibi deberi aſſerebant, quam quidem Eccleſiam ipſi Prior & Conventus S. Oſwaldi in uſus eorum proprios tenent, & poſſident, & fructus percipiunt, necnon retentionis, & non ſolutionis a multis annis extra dictorum Ducentorum florenorum pro commodo ambarum partium ad finem, concordiam, & pacem perveniret, & quod ſuper hoc multos, & diverſos tractatus, diverſis temporibus, cum ipſis venerabilibus Dominabus Monialibus, & cum aliis ipſius Sanctiſſimi Domini noſtri, ad hoc diverſis temporibus deputatis commiſſariis, habuiſſet ita, & taliter, quod ipſum Monaſterium S. Sixti aliquam ex hoc conſolationem, & utilitatem, reciperet, & ipſi Prior & Conventus S. Oſwaldi ad pacem, & quietem cum ipſis quoad pręmiſſa pervenirent, licet ponderatis ponderandis, ſe ad ipſorum ducentorum florenorum penſionem teneri non putabant, tandem partes hinc inde poſt multas inter eas collocutiones, & deliberationes habitas, mediantibus, & cooperantibus ipſis Nobilibus Viris Jacobo, Laurentio, & Petrucio Civibus Romanis, & etiam prius ſingulis diſcuſſis, pure, ſponte, & ſimpliciter, non coacte, neque vi, aut fraude inductę, pręviis maturis deliberationibus, ac maturo cum prędictis & aliis, ut aſſerebant, communicato conſilio, ad concordiam, & pacem pervenerunt, videlicet, quod loco juris, & totius intereſſe, quod ipſi Monaſterio S. Sixti, ac ipſius Monaſterii Monialibus, & aliis ejus membris, occaſione, & prętextu dictę penſionis ipſorum ducentorum florenorum ab ipſis Priore, & Conventu Monaſterii Sancti Oſwaldi ratione fructuum ipſius Eccleſię de Bamburgo, aut alias qualitercunque, ac etiam occaſione ipſius penſionis retroactis temporibus non ſolutę, deberi, pretendi poſſet, & deberetur, ipſis Monialibus, & Monaſterio S. Sixti, in proprietatem daretur Caſale de Salice communiter nominatum, in regione tranſtiberina extra Portam Portuſę ſituatum, quod quondam ad nobilem virum Paulum Scati, civem Romanum, pertinebat, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis, necnon pro retentis fructibus, & ipſa penſione non ſoluta, darentur, & deponerentur realiter, & prompte ſolverentur Monaſterio S. Sixti, & dictis Monialibus, ac ejus membris tria millia, & octoginta ſex florenorum auri de Camera pro emendis poſſeſſionibus, ipſi Monaſterio pro ejus melioratione applicandis, & pro extenuandis aliquibus eorum incumbentibus debitorum oneribus, &, ſi hoc fieret, in hoc contentę remanere vellent, & libere omne jus ad ipſam penſionem ipſorum ducentorum florenorum competens, una cum penſione retenta libere reſignare, adjungentes ſe cum aliis eorum conſanguineis, & ipſius Monaſterii fautoribus, ſuper hoc variis temporibus deliberationes diverſas habuiſſe, & ſubſequenter interrogatę, an in hoc plene deliberatę forent, reſponderunt, quod ſic, etiam ipſi Nobiles Romani Jacobus, Laurentius, & Petrucius, aſſerebant bona fide iſta eſſe ſatis ęquam viam, temporum qualitate penſata, ad hujuſmodi concordiam perficiendam: ſic idem Dominus Hermannus pręvio deliberationis intervallo dixit, ne tantum bonum omitteretur, eis in omnibus pręmiſſis, velle conſentire, & ſtatim pro ipſorum effectuali complemento idem Reverendus Pater Dominus Hermannus Protonotarius, ac Prior prędictus, nomine proprio ipſius Domini Roberti, Prioris, & ipſius Monaſterii, ac Conventus S. Oſwaldi, volens hujuſmodi concordiam adimplere, & ad finem, ut petitum, deducere, ibidem exhibuit quoddam publicum inſtrumentum emptionis, ſubſcriptum manu venerabilis Viri Johannis Pauli Antonii, civis Romani, publici auctoritate Apoſtolica & Imperiali Notarii, per quod apparuit, ipſum dictum Caſale de Salice pecuniis ipſius Monaſterii S. Oſwaldi emiſſe, & ſe in pacifica poſſeſſione ejus fore, quod Caſale cum omnibus attinentiis ſuis ipſi Monaſterio S. Sixti, ac ipſis Monialibus cauſa hujuſmodi completionis concordię pure, & ſimpliciter dedit, donavit, & aſſignavit, & nihilominus ibidem eis in numerata pecunia dicta tria millia & octoginta ſex florenorum auri de camera per manus nobilis Viri Thomaſii de Albertis, mercatoris in Romana Curia numeravit, tradidit, & aſſignavit, quę quidem Inſtrumentum, & pecunias, venerabilis Domina Paulucia Prioriſſa nomine ipſius Monaſterii, & omnium aliorum ibidem conſtitutarum Monialium, & in hoc ſponte conſentientium, ad ſe recepit. Quo facto ipſę Moniales ſibi tam de Caſali, quam ipſis tribus millibus & octoginta ſex florenorum plene, & integre ſatisfactum fore publice recognoſcebant, & fatebantur, ſe de omnibus contentas fore, & ſic bona fide agnoſcendo omne jus, & intereſſe, ac omnem actionem, quę eis competere poſſet, ac ipſam penſionem ipſorum ducentorum florenorum, tam prętéritam, quam futuram, libere reſignarunt, & ipſos dominos Priorem, & Conventum ipſius Monaſterii S. Oſwaldi ſponte ipſa ſolutione ipſius penſionis ducentorum florenorum, ac retenta & non ſoluta ipſa penſione retroactis temporibus funditus, & totaliter abſolvebant, & pro perpetuo quitabant, & liberabant, & nihilominus bona fide loco Inſtrumenti promiſerunt, ipſos Dominos Priorem & Conventum ipſius Monaſterii S. Oſwaldi, & eorum ſucceſſores occaſione pręmiſſorum per ſe, aut alium, vel alios nunquam velle impetere, aut quomodolibet moleſtare, ſed ſibi de omnibus, quę eis pręmiſſorum occaſione deberi poſſent, recognoſcebant integre & totaliter eſſe ſatisfactum, pactum ſolemne de ulterius non petendo facientes, conſentientes expreſſe, quod omnes proceſſus, ſententię, & cenſurę, ſi quę pręmiſſorum occaſione emanaſſent, caſſarentur, & collocentur de, & ſuper omnibus & ſingulis, & tam Dominus Hermannus antedictus nomine proprio, quo ſupra, quam ipſę Moniales petierunt ſibi per me Notarium infraſcriptum unum, aut plura publica fieri inſtrumenta, & volebant etiam ipſę Moniales hujuſmodi Inſtrumenta pro maiori, & clariori evidentia ſigillo ipſius Conventus imponendo roborari. Acta fuerunt hęc prout ſupra ſcribuntur & recitantur ſub Anno, Indictione, Pontificatu, & Die, quibus ſupra, Romę in dicto Monaſterio S. Sixti, pręſentibus ibidem

itidem Nobilibus viris prędictis Jacobo de Buccabellia, Petrucio Domini Jacobi, Laurentio Renzolini, Paulucio Comparatii, Civibus Romanis, & Thomſsio de Albertis Mercatore Florentino teſtibus ad pręmiſſa vocatis, & rogatis. Et ego Leonardus Nicolai de Bucchamatiis, Civis Romanus Dei gratia publicus Imperiali auctoritate Notarius, & de preſenti Notarius magnificorum virorum Dominorum Camerę almę Urbis Conſervatorum, ac prælibati Monaſterii S. Sixti, & dictarum Dominarum Procurator & Syndicus, quia pręmiſſis omnibus, & ſingulis dum, ut pręmittitur, agerentur, fierent, & expedireotur, una cum pręnominatis Reverendo Patre Domino Hermanno, Dominabus, ac prælibatis teſtibus interſui, & prę ſens fui rogatus a prefatis Domino Hermanno, & Monialibus, ea ſcribere, & quia aliis negotiis circa meum officium occupatus, propter quę dictum Inſtrumentum manu propria ſcribere non valui, per alium ſcribi feci, ideo ad fidem, & validitatem Inſtrumenti, & contentorum in eo, manu propria me ſubſcripſi, & ſignum mei tabellionatus appoſui conſuetum. Quare pro parte Prioris, Priorillę, & Conventuum prędictorum Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut concordię, donationi, aſſignationi, ceſſioni, quitationi, liberationi, & abſolutioni, prędictis, omnibuſque aliis in dicto Inſtrumeo-
Confirmatio. to contentis, pro eorum ſubſiſtentia firmiori, robur Apoſtolicę confirmationis adiicere de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos igitur hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, concordiam, donationem, aſſignationem, ceſſionem, quitationem, liberationem, & abſolutionem prędictas, aliaque in dicto Inſtrumento contenta, ſicut per utramque partium prędictarum provide facta fuerunt, & quęcunque inde ſecuta, rata habentes, & grata, ea auctoritate Apoſtolica, ex certa ſcientia, confirmamus, & prę ſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem; ac nihilominus omnes, & ſingulos proceſſus deſuper forſan habitos, quaſvis etiam cenſuras, & pęnas continentes, ex nunc extinguimus, tollimus, & caſſamus, & pro extinctis, ſublatis, & caſſatis haberi volumus per prę ſentes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrę confirmationis, communitionis, ſuppletionis, extinctionis, ſublationis, & caſſationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu teme-
Sanctio pœnalis. rario contraire; Si quis autem hoc attentare prę ſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus ſe noverit incurſurum. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos X Kal Junii, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

1. *Noſtre.*) Conſulenda *Conſtitutio II Innocentii IV pag.* 234 *Tomo I hujuſce Bullarii*. Adeas etiam *Franciſcum Mariam Torriggium* in libro, cui titulus: *Hiſtoria della veneranda Immagine di Maria Vergine poſta nella Chieſa del Monaſtero delle RR. Monache di Santi Sisto, e Domenico di Roma, Cap. XIX pag. 48 &c.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CXXXIX fol.* 269.

3. *Duvelinen.*) Legerem: *Dunelmen.*, vulgo *Durham*, urbs eſt Epiſcopalis *Angliæ*, ſub Archiepiſcopo *Eboracenſi*.

4. *Portuſa.*) Seu *Portuenſis*, vel *Navalis*, vulgo *Porta Porteſe*, & *Porta di Ripa*, quia nempe prope Ripam eſt ad Tiberim.

Anno 1428 Die 8 Octobris.

Belunenſis (1) Cœnobii fundandi facultas.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXXXVII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Epiſcopo Feltren. (3), Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Apoſtolicę ſervitutis officium Nobis, licet immeritis, ex alto commiſſum, Nos excitat, & inducit, ut circa ea, per quę ad Dei laudem, & Religionis incrementum uberius feliciter propagatur, &
Exordium. cum animarum ſalute divinus cultus adaugeri ſperatur, quantum cum Deo poſſumus, operoſis ſtudiis intendamus. Sane pro parte dilectorum filiorum Communitatis, & hominum Civitatis Belunen. Nobis nuper exhibita, petitio continebat, quod ipſi zelo devotionis accenſi, ac cupientes terrena in cęleſtia, &
Supplex petitio. tranſitoria in ęterna felici commercio commutare, pro Religionis propagatione, & divini cultus incremento Capellam ſine cura Sanctę Marię de Civitate prędicta, cujus juspatronatus ad eos pleno jure ſpectare dinoſcitur, de bonis eis a Deo collatis, aliorumque Chriſti fidelium ope, atque ſuffragio, in Domum Ordinis Fratrum Prędicatorum erigere, eamque pro aliquorum Fratrum Ordinis ejuſdem, qui inibi virtutum Domino juxta regularia Ordinis prędicti inſtituta conventualiter perpetuo ſerviant, ap-
Facultas. plicari, & deputari deſiderent, ſi Sedis Apoſtolicę auctoritas ſuper hoc ſuffragetur eiſdem. Quare pro parte Communitatis, & hominum prędictorum fuit Nobis humiliter ſupplicatum, ut Capellam prędictam in Domum Fratrum prędictorum erigi mandare, ipſiſque Fratribus illam pro eorum uſu, & habitatione perpetuis recipiendi, ac apud eam, prout expedierit, Eccleſiam cum campanili, campana, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis, conſtruendi, & ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, licentiam concedere, de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, qui Religionem, & cultum hujuſmodi noſtris potiſſime temporibus vigere, & adaugeri intenſis exoptamus affectibus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, fraternitati tuę, de qua in his, & aliis ſpecialem in Domino fiduciam obtinemus, per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus, ſi vocatis dilecto filio Rectore dictę Capellę, & aliis qui fuerint evocandi, ita eſſe repereris, & quorum intereſt, ad hoc accedat aſſenſus, ſuper quibus tuam conſcientiam oneramus, communitati, & hominibus prędictis Capellam pręfatam in Domum Fratrum eorundem auctoritate noſtra erigas, & ſi erectionem hujuſmodi per te vigore prę ſentium fieri contingat, ipſis Fratribus illam pro uſu, & habitatione prę fatis recipiendi, & perpetuo retinendi, necnon ibidem Eccleſiam cum campana, campanili, hortis, hortalitiis, & aliis neceſſariis officinis conſtruendi, ędificandi, ſeu conſtrui, & ędificari faciendi, plenam, & liberam auctoritate noſtra licentiam largiaris. Nos enim, ſi conceſſionem hujuſmodi feceris, ut prę fertur, Fratribus prędictis in eadem Domo pro tempore moraturis, ut omnibus, & ſingulis privilegiis, conceſſionibus, exemptionibus, indulgentiis, gratiis, & libertatibus dicto Ordini, & illius Fratribus per Sedem prędictam quomodolibet conceſſis,

uti,

ni. & gaudere libere & licite valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium indulgemus. Non obſtantibus tam fel. rec. Bonifatii Papę VIII, Prędeceſſoris noſtri, qua prohibetur, ne quivis Ordinum Mendicantium Fratres in aliqua civitate, Caſtro, vel villa, ſeu alio loco quocunque ad habitandum Domos, vel loca de novo recipere, ſeu hactenus recepta mutare, pręſumant, abſque Sedis ejuſdem licentia ſpeciali, faciente plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de prohibitione hujuſmodi mentionem, quam aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, ceteriſque contrariis quibuſcunque; jure tamen Parochialis Eccleſię, & cujuslibet alterius alias in pręmiſſis omnibus ſemper ſalvo. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VIII Idus Octobris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo. Clauſula derogans.

1. *Belunenſis*.) Vulgo *Belluno*, in *Marchia Tarviſina*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* *CXLV fol.* 10.
3. *Feltren*.) Vulgo *Feltre*, in *Marchia Tarviſina*.

Inſcribit, & innovat Conſtitutionem qua Gregorius XI, decernit Religioſos, S. Sedis Capellanos, juris eſſe, ac poteſtatis Priorum (1), aliorumque Superiorum Ordinis.

Anno 1428 Die 16 Novembris.

Ex Archivo (2) *Ordinis*.

CCXXXVIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

TEnor quarundam literarum fel. rec. Gregorii Papę XI, Prędeceſſoris noſtri, quas in Cancellaria noſtra diligenter inſpici, & quem ad inſtantiam dilecti filii Johannis Prioris Provincialis Ordinis Fratrum Prędicatorum Provincię Anglię ſecundum ipſius Ordinis morem, qui hujuſmodi literis, ſe aſſerit indigere, pręſentibus annotari facimus, talis eſt. Gregorius Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam. Per Romani Pontificis providentiam circumſpectam &c. (3). Ceterum, ut earundem literarum tenor ſic inſertus omnem rei certitudinem faciat, volumus, & Apoſtolica auctoritate decernimus quod pręſentes literę ad probandum tenorem literarum prędictarum in judicio, vel extra, ubicunque exhibitus fuerit, vel oſtenſus, plene ſufficiant, & ad id probationis alterius adminiculum minime requiratur; per hoc autem nullum jus alicui de novo acquiri volumus, ſed antiquum tantum conſervari. Nulli ergo &c. noſtrę conſtitutionis, & voluntatis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos XVI Kal. Decembris, Pontificatus noſtri Anno Undecimo.

Exordium. Tenor Conſtitutionis Gregorii.

1. *Priorum*.) Conſulendus *Tractatus de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. IV*.
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib.* *CXLVI fol.* 33.
3. *Circumſpectam &c.*) Ut in *Conſtitutione XIX Gregorii XI* ad finem uſque.

Ut Andreas Coralles ſacræ Theologiæ Magiſter conſtituatur.

Anno 1429 Die 8 Januarii.

Ex Archivo (1) *Ordinis*.

CCXXXIX.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Juliano Tallada, Priori Provinciali Fratrum Prędicatorum Provincię Aragonię, ſecundum ipſius Ordinis morem, Magiſtro in Theologia, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

VIri ſacrę lectionis ſtudio dediti, & in lege Domini eruditi, pręſertim ſub Religionis habitu virtutum Domino famulantes, favoris Apoſtolici gratiam promerentur, eoque benignius decet honeſtis eorum deſideriis annui, quo ex eorum profectibus major poteſt in Dei Eccleſia utilitas provenire. Exhibita ſiquidem Nobis nuper pro parte dilecti filii Andreę Coralles, Ordinis Fratrum Prędicatorum profeſſoris, Licentiati in Artibus, petitio continebat, quod ipſe, qui domus Ordinis Fratrum Prędicatorum Barchinonen. Provincię Aragonię, ſecundum ipſius Ordinis morem, filius nativus exiſtit, literarum, ſtudio diutius laudabiliter inſiſtendo, actus Scholaſticos in diverſis ſtudiis, ac domibus ejuſdem Ordinis exercendo, pro uberiori fructu ſcientię acquirendo in domo Fratrum prędicti Ordinis Ilerden., ubi Generale viget ſtudium literarum, Magiſterium Logicorum per biennium, ac in eodem ſtudio Artium cathedram per aliqua tempora rexit, ac inibi in eadem Artium facultate Licentiatus, ac demum naturalis Philoſophię Magiſter effectus fuit, & in Univerſitate dicti ſtudii actus ſuos perfecit, ac poſtmodum in domu dicti Ordinis Barchinonen., ubi, juxta morem prędictum, in eodem Ordine ſtudium Generale viget, actus ſtudentis in ſacra Theologia, juxta morem, & conſuetudinem hujuſmodi, fecit, & tandem in prędicta domo Barchinonen., Lectoris impoſito ſibi onere, ad legendum Libros Sententiarum, necnon Magiſter ſtudentium deputatus extitit. Cum itaque, ſicut accepimus, idem Andreas adeo ſit perfectus in ſcientia literarum, quod favorem Apoſtolicum promeretur, Nos, ipſius Andreę in hac parte ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus, quatenus eidem Andreę pro curſu Magiſterii in eadem Theologia faciendo, legendi libros Sententiarum hujuſmodi, per biennium in dicta domo Barchinonen. onus imponas, & aſſignes, & ſubſequenter poſtquam idem Andreas biennalem lecturam Sententiarum hujuſmodi compleverit, ſi per tuam, & aliorum quatuor, aut ſaltem trium, in eadem Theologia Magiſtrorum, ibidem exiſtentium, diligentem examinationem eundem Andream ad hoc ſufficientem, & idoneum eſſe repereris, eidem Andreę Magiſterii gradum, & honorem, ac docendi licentiam in eadem Theologia, ſervatis conſtitutionibus Concilii Viennen., & aliis ſolemnitatibus, in talibus conſuetis, auctoritate noſtra impendas, & nihilominus eidem Andreę, ut ipſe poſtquam Ma-

Exordium. Supplex petitio. Nota. Mandatum.

Magiſterii gradum, & honorem hujuſmodi, & docendi licentiam impenderis, ut prefertur, quibuſcunque gratiis, privilegiis, libertatibus, & Indulgentiis in eadem Theologia Pariſius Magiſtratis quomodolibet conceſſis, perinde uti valeat, & gaudere, ac ſi in Pariſien. ſtudio hujuſmodi gradum Magiſterii recepiſſet, auctoritate prędicta concedas. Non obſtantibus privilegiis, ac ſtatutis, & conſuetudinibus ſtudiorum, & Ordinis prędictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VI Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXI fol.159.*

Anno 1429 Die 15 Martii.

Ut Longofordienſis (1) Cœnobii Ædes ſacra, igne conſumpta, conſtruatur, Indulgentiam elargitur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXL.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, univerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis; Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Indulgentia.

CUm itaque (3), ſicut accepimus, Eccleſia Domus S. Brigidę de Lonfordia (4), Ordinis Fratrum Prędicatorum, Ardakaden. Dięceſis, loco utique a civitatibus ſegregato, ignis incendio conſumpta per Priorem, & Fratres dictę Domus, ut in ea ſub regulari obſervantia Altiſſimo deſervire valeant laudabiliter in divinis, incepta extiterit reſtaurari, ac ad ejus perfectionem Chriſti fidelium ſuffragia ſint plurimum opportuna, Nos, cupientes, ut hujuſmodi reſtauratio dictę Eccleſię congrue perficiatur, univerſitatem veſtram monemus, & hortamur attente, vobis nihilominus in remiſſionem peccaminum injungentes, quatenus de bonis vobis a Deo collatis, ad hujuſmodi reſtaurationem, & perfectionem dictę Eccleſię pias eleemoſynas, & grata caritatis ſubſidia erogetis, ut per ſubventionem veſtram hujuſmodi, ipſa Eccleſia reſtaurari, & perfici, voſque per hoc, & alia bona, quę, Domino inſpirante, feceretis, ad ęternę felicitatis gaudia pervenire valeatis. Nos enim de Omnipotentis Dei miſericordia, & BB. Petri, & Pauli Apoſtolorum ejus auctoritate confiſi, omnibus vere pęnitentibus, & confeſſis, qui ad reſtaurationem, & perfectionem prędictas manus adjutrices porrexerint, tres Annos, & totidem quadragenas de injunctis, & injungendis eis pęnitentiis miſericorditer relaxamus. Volumus autem, quod ſi alias dictam Eccleſiam viſitantibus, vel ad ejus reſtaurationem, & perfectionem, hujuſmodi, ſive ejus fabricam manus adjutrices porrigentibus, aut pias inibi eleemoſynas erogantibus, ſeu alias aliqua alia Indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapſum duratura, per Nos conceſſa fuerit, ęędem pręſentes literę nullius exiſtant roboris, vel momenti. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

1. *Longofordienſis.*) In *Hibernia.*
2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLVIII fol. 276.*
3. *Cum itaque.*) Exordium deeſt.
4. *Lonfordia.*) *Longofordio*, vulgo *Longford.*

Anno 1429 Die 15 Martii.

Petro (1) Cardinali, S. S. A. Legato, de quibuſdam literis (2) conceſſis Societati S. Catharinæ Barchinonen. revocandis.

Ex Archivo (3) Ordinis.

CCXLI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Petro, tit. S. Stephani in Cęlio monte Presbytero Cardinali, in Regno Aragonię, ac nonnullis aliis terris, & locis Apoſtolicę Sedis Legato, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

SUper gregem dominicum, Nobis, licet immeritis, divinitus creditum, vigilis exercentes ſpeculatoris officium, ad ea, per quę Eccleſiarum, piorum locorum, & fidelium quorumlibet ſtatus ſalubriter, & proſpere dirigi conſpicitur, libenter intendimus, & quę in illorum vergunt diſpendium, eccleſiaſtici quoque diſſolvunt nervi funiculum, ne noxę graviores, exituſque pejores inde pendeant, de medio, quantum in nobis fuerit, ſemovere ſtudemus. Dudum ſiquidem per Nos accepto, quod in Civitate Barchinonen. quędam Societas, ſive fraternitas, eſſet, utriuſque fidelium ſexus, S. Catharinę nuncupatorum, qui apud Eccleſiam Domus Fratrum Prędicatorum Barchinonen. qualibet Die in aurora Miſſam ſolemnem, cum magnis cereis luminaribus celebrari facere conſueverant, Nos eiſdem fidelibus auctoritate noſtrarum, poſt decennium minime valiturarum, literarum indulſimus, ut, ſi quando deinceps Civitatem prędictam eccleſiaſtico forſan ſupponi contingeret Interdicto, liceret ipſis fidelibus in Eccleſia pręfata, clauſis januis, interdictis, & excommunicatis excluſis, ſubmiſſa voce, & non pulſatis campanis, Miſſam hujuſmodi in eorum, qui de Societate ipſa forent, pręſentia facere celebrare, dummodo ipſi, aut eorum aliqui, cauſam non dederint Interdicto, nec id ipſis contingeret ſpecialiter interdici; prout in eiſdem literis plenius continetur. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte Venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcopi Tarraconen., ejuſque Suffraganeorum, petitio continebat, a ducentis, vel circa Annis citra pro reprimendis, quas perſonę laicales eccleſiaſticis, aliiſque piis locis, & illorum perſonis civitatis, & dięceſis, ac Provincię Tarraconen. frequentius irrogare pręſumpſerant, jacturis, & injuriis per nonnullos Archiepiſcopos Tarraconen., & ſuos Suffraganeos in Provincialibus,

Huius Diplomatis cauſa.

quę

quę celebrarunt, Conciliis diverſę Conſtitutiones, excommunicationis & interdicti, aliaſque eccleſiaſticas ſententias, cenſuras, & pęnas continentes, editę, ac per felicis recordationis Clementem PP. VI, & etiam quibuſdam declarationibus adjectis alios Romanos Pontifices, Prędeceſſores noſtros, confirmatę, necnon laicales hujuſmodi perſonę prędictarum metu conſtitutionum, per quas inter alia propter illarum tranſgreſſores plerumque, in aliquibus ejuſdem Provincię civitatibus, villis, & locis hujuſmodi interdictum generaliter profertur, in pluribus, quibus alias adverſus Eccleſias, pia loca, & eorum perſonas hujuſmodi veriſimiliter exceſſiſſent inſolentiis, & perverſitatibus cohibitę ac repreſſę fuerint, propter pręmiſſa tamen, & alia, ſuper eo quod in aliquibus ex ipſis civitatibus, villis, & locis hujuſmodi Interdicto ſuppoſitis Miſſę celebrari, & a Congregationibus, perſoniſque laicalibus audiri poſſint per a Sede Apoſtolica, ejuſque Legatis, conceſſa literas, & Indulta, dictarum Conſtitutionum, necnon ſententiarum & cenſurarum vigor multipliciter eluditur, ipſiſque Eccleſiis, piis locis, ac eorum perſonis incommoda magna, detrimentaque proveniunt, & inconvenientia plurima ſubſequuntur, pro parte Archiepiſcopi, & ejus Suffraganeorum, nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut eis, ac dictis Eccleſiis, piis locis, & ipſorum perſonis ſuper his opportune providere, de benignitate apoſtolica dignaremur. Nos itaque, qui de pręmiſſis certam notitiam non habemus, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, diſcretioni tuę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus ſuper pręmiſſis omnibus, & ſingulis te diligenter informes, & ſi per informationem ipſam ita eſſe inveneris, omnia & ſingula, literaſque, ac indulta hujuſmodi quorumcunque tenorum exiſtant, in quantum per ea dictę Conſtitutiones infringi videntur, niſi ſingularibus pro ſe & forſan ſuę familię, vel aliis loco hujuſmodi familię perſonis duntaxat conceſſa ſint, auctoritate Apoſtolica revoces, caſſeſque, & irrites, ac nullius decernas exiſtere firmitatis. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos Idibus Martii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Mandatum.

1. *Petro.*) De quo *Ciaconius Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II pag. 742.*
2. *Literis.*) Datis die *XVII Februarii MCCCCXXV.*
3. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLVIII fol. 291.*

Anno 1429 Die 11 Maii.

De ſpatio quo diſtare (1) debent Cœnobia Fratrum Mendicantium.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXLII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

Exordium.

AD hoc Nos prętulit familię domus ſuę benigniſſima clementia Salvatoris, ut circa perſonas eccleſiaſticas, illas pręſertim, quę ſub regulari habitu deditę ſunt ſtudio pię vitę ſic diligenter providere curemus, quod ſemotis quibuslibet ſcandalorum fomentis, inter eos pax, & tranquillitas vigeat, ac divinus cultus in ſuis domibus conſervetur, & creſcat. Dudum ſiquidem felicis recordationis Urbanus PP. V (3), Prędeceſſor noſter, ut inter Religioſos potiſſime ęmulationis, & diſſenſionis tolleretur occaſio, per ſuas literas ordinavit, ac diſtrictius inhibuit, quod nulli liceret ex tunc de Fratrum Prędicatorum, Minorum, Pęnitentię Jeſu Chriſti, B. Marię de Monte Carmeli, Eremitarum S. Auguſtini, & Sanctę Clarę, aliiſque Ordinibus in paupertate fundatis, nullique mulierum de prędictis, ſeu quibuslibet aliis Ordinibus aliquod Monaſterium, Eccleſiam, vel Oratorium ędificare, ſeu conſtruere, nulli quoque ſeculari, ſeu Religioſo, cujuſcunque profeſſionis, Eccleſiam, vel Monaſterium, ſive Oratorium jam ędificatum, in aliquem transferre de Ordinibus memoratis, infra ſpatium trecentarum cannarum ab ipſis Eccleſiis menſurandum, necnon ſtatuit, ut quicquid contra ordinationis, & inhibitionis earundem tenorem ex tunc ędificatum exiſteret, dirueretur omnino, & deinde, ex certis cauſis hujuſmodi ſpatium, etiam de Fratrum ſuorum conſilio, reſtringens illud, ad centum & quadraginta cannas reduxit. Cum autem, ſicut exhibita Nobis nuper pro parte dilectorum filiorum Magiſtri Prędicatorum, & Eremitarum S. Auguſtini, & Carmelitarum, Generalium, & Provincialium Priorum, & Minorum Ordinum Fratrum Generalis, & Provincialium Miniſtrorum, petitio continebat, licet Fratres eorundem Ordinum in Domibus, & locis eorum jam conſtructis, tepeſcente caritate multorum in contribuendis eleemoſynis, mendicando, vix vivere, & ſe ipſos in ſervitio Altiſſimi conſervare valeant, tamen nonnulli pręſertim Ordinis Fratrum Minorum profeſſores de Obſervantia nuncupati, ſine licentia Magiſtri, Generalium, & Provincialium Miniſtrorum prędictorum in diverſis locis, in quibus Conventus, & domus ejuſdem Ordinis, cujus ſunt profeſſores, ſolemniter fundati, & conſtructi exiſtunt, & in quibus deſervitur laudabiliter in divinis, ſub fictione melioris vitę, novas Domos acquirere, & novos Conventus fundare pręſumunt, unde gravia diſſenſiones, & ſcandala hactenus ſuſcitata ſunt, & quotidie ſuſcitantur, in animarum ſuarum periculum, Religionis opprobrium, & exemplum deteſtabile plurimorum, pro parte Magiſtri, Priorum, Generalium, & Provincialium Miniſtrorum prędictorum, Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut ſuper his opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur, attendentes, quod propter ordinationem pręfati Urbani ſingulis eorundem Ordinum pax & tranquillitas reſultavit, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica, tenore pręſentium, ſtatuimus, & etiam ordinamus, quod ſingula tam de Obſervantia, quam etiam alia Fratrum eorundem Domus, & loca, ex tunc in antea fundanda per quinque leucas ſive quindecim milliaria diſtare debeant, ita videlicet, quod ſi in aliqua civitate, terra, caſtro, villa, vel loco quocunque, ſit aliqua Domus, Conventus, ſive locus Fratrum Minorum, vel alicujus ex dictis Ordinibus, in hujuſmodi civitate, terra, Caſtro, villa, vel loco, in quo, ſeu qua domus hujuſmodi Ordinis jam fundata fuerit, & deſervitur inibi laudabiliter in divinis, nec prope per quinque leucas, ſeu quindecim milliaria alius Conventus, aut Domus, ſive locus pro Fratribus ejuſdem Ordinis, etiam de Obſervantia, etſi Apoſtolica, vel alia quacunque auctoritate, ſub quacunque verborum forma, eis concedatur, de novo fundari, conſtrui, aut jam

Hujus Diplomatis cauſa.

Mandatum.

jam fundata recipi poſſit; diſtrictius inhibentes ſub excommunicationis ſententia univerſis Fratribus Ordinum prędictorum, etiam de Obſervantia, necnon aliis Eccleſiaſticis, ſeu ſecularibus perſonis, ne contra ſtatutum, & ordinationem noſtram hujuſmodi aliquid attentare audeant vel prǽſumant. Non obſtantibus Conſtitutionibus, & ordinationibus, ac privilegiis, & literis Apoſtolicis, generalibus, vel ſpecialibus, & ſi de eis, & eorum totis tenoribus, ac de verbo ad verbum in prǽſentibus habenda eſſet mentio ſpecialis, ſtatutis quoque, & conſuetudinibus dictorum Ordinum, etiam juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, ceteriſque contrariis quibuſcunque. Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam noſtrorum ſtatuti, ordinationis, & inhibitionis infringere &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos V Idus Maii, Pontificatus noſtri Anno Duodecimo.

Clauſula derogans.

Decretum irritum faciens.

1. *Diſtare*.) Ut in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit.I.*
2. *Archivo*.) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXVI fol.120.*
3. *Urbanus PP.V.*) Idem ſanxit *Urbanus VI Conſtitut.IX pag.301.*

Anno 1429 Die 29 Novembris.

Conſervatores delegat, qui Decretalem (1), quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervandam curent.

Ex Archivo (2) *Ordinis.*

CCXLIII.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Salernitan. (3) Archiepiſcopo, & Averſan., ac Cayacien. (4) Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Diplomatis cauſa.

FRequentes hactenus, immo innumeroſę quodammodo de diverſis mundi partibus venerabilium Fratrum noſtrorum Epiſcoporum, aliorumque Superiorum Prǽlatorum; necnon dilectorum filiorum Rectorum, Curatorum, ac Parochialium Sacerdotum, quęrelę, contra dilectos filios Prędicatorum, & Minorum Ordinum Fratres Apoſtolicę Sedis jamdudum excitaverunt, noſtrumque clamoroſis inſinuationibus excitare, & fatigare non ceſſant auditum, quod iidem Fratres Decretalem dudum editam a felicis recordationis Bonifacio Papa VIII, Prędeceſſore noſtro, quę incipit: Super Cathedram: ac deinde per pię memorię Clementem Papam V, Prędeceſſorem noſtrum, in Viennen. Concilio innovatam, temere obſervare non curant, in ejuſdem Sedis contemptum, & Eccleſiarum Parochialium prǽjudicium, & gravamen. Intelleximus quoque, quod plerumque prǽfatis dictorum Prędicatorum, & Minorum, necnon Eremitarum Sancti Auguſtini, & Carmelitarum, ac Servorum Beatę Marię, dicti Sancti Auguſtini Ordinum Fratribus in cujus Ordinis dictorum Eremitarum perſonis idem Prędeceſſor Bonifatius Decretalem prędictam in qua tantum de ipſis Prędicatorum, & Minorum cavetur Ordinationibus, per omnia voluit poſtmodum integraliter, & inconcuſſe ſervari, quamque ſubſequentur felicis recordationis Johannes XXII primo ad dictorum Carmelitarum, deinde Urbanus Quintus, Romani Pontifices, Prędeceſſores noſtri, ad Servorum Beatę Marię, Fratrum prędictorum Ordines antedictos, quoad omnia in ea contenta extenderunt, a prędictis Epiſcopis Prǽlatis, Rectoribus, Curatis, & Sacerdotibus contra tenorem Decretalis prędictę graves injurię atque moleſtię in diverſis partibus inferuntur. Nuper etiam pro parte venerabilis Fratris noſtri Nicolai Archiepiſcopi Neapolitan., & dilectorum filiorum Capitulorum Majoris Neapolitan., & aliarum Eccleſiarum Civitatis, & Diœceſis Neapolitan., necnon Prǽlatorum, Conventuum, Priorum, Rectorum, Curatorum, Sacerdotum, & Vicariorum Parochialium, ac Cleri tam Regularium, quam Secularium Civitatis, & Diœceſis prędictarum, Nobis extitit intimatum, quod prędicti eorundem Prędicatorum Minorum, Eremitarum, & Carmelitarum, ac Servorum Ordinum, Fratres, contra tenorem Decretalis ejuſdem multa eiſdem, & eorum ſingulis gravamina, & injurias inferunt, & jacturas. Quia igitur parum eſſet jura condere, niſi qui eadem tueatur exiſtat. Nos dicti Johannis Prędeceſſoris, qui Decretalem prędictam de Fratrum ſuorum conſilio voluit, & mandavit integraliter obſervari, veſtigiis inhęrentes, fraternati veſtrę per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum, per vos, vel alium, ſeu alios, etiam ſi ſint extra loca, in quibus deputati eſtis conſervatores, ſeu judices, tam eiſdem Archiepiſcopo, Capitulis, Prǽlatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero Civitatis, & Diœceſis prędictarum, & eorum cuilibet adverſus Fratres prędictos, quam e converſo eiſdem Fratribus adverſus Archiepiſcopum, Capitula, Prǽlatos, Priores, Conventus, Rectores, Curatos, Sacerdotes, Vicarios, ac Clerum prǽfatos, & ſingulos eorundem, efficacis defenſionis prǽſidio aſſiſtentes, ac facientes, Decretalem prędictam quoad omnia ejus Capita firmiter obſervari, non permittatis contra tenorem ipſius per memoratos Fratres dictorum Ordinum eiſdem Archiepiſcopo, Capitulis, Prǽlatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, vel alicui, ſeu aliquibus eorundem; nec etiam prędictos Archiepiſcopum, Capitula, Prǽlatos, Priores, Conventus, Rectores, Curatos, Sacerdotes, Vicarios, ac Clerum, ſeu aliquem, vel aliquos ipſorum, eiſdem Fratribus gravamina, aut injurias irrogari: facturi ipſis hinc inde de quibuſcunque injuriis, moleſtationibus, gravaminibus & damnis illatis hactenus, & etiam in poſterum inferendis eiſdem contra tenorem Decretalis ejuſdem, in illis videlicet, quę judicialem requirunt indaginem, ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ſine ſtrepitu, & figura judicii, in aliis, vero prout qualitas ipſorum exegerit, juſtitię complementum. Moleſtatores, & injuriatores hujuſmodi, necnon contradictores quoſlibet, & rebelles quandocunque, & quotieſcunque expedierit, per cenſuram eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſita, compeſcendo; non obſtantibus quibuſcunque exemptionibus, ſpecialibus, vel generalibus, tam Fratribus, & Ordinibus prędictis, vel alicui, ſeu aliquibus Fratrum, & Ordinum eorundem, quam prǽfatis Archiepiſcopo, Capitulis, Prǽlatis, Prio-

Conſervatores conſtituti.

Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, ſeu ipſorum alicui, ſeu aliquibus, communiter, vel diviſim, ſub quacunque forma, ſeu expreſſione verborum ab eadem Sede conceſſis, ac ejuſdem Bonifacii, qua cavetur, ne aliquis extra ſuam civitatem, vel Diœceſim, niſi in certis caſibus exceptis, & in illis ultra unam dietam a fine ſuę Diœceſis ad judicium evocetur, ſeu ne judices, & conſervatores a Sede deputati prędicta, extra Civitatem, & Diœceſim, in quibus deputati fuerint, contra quoſcunque procedere, ſive alii, vel aliis vices ſuas committere, aut aliquos ultra unam dietam a fine Diœceſis eorundem trahere pręſumant, dummodo ultra duas dietas aliquis extra ſuam Civitatem, vel Diœceſim auctoritate pręſentium non trahatur; ſeu quod de aliis quam de manifeſtis injuriis,& moleſtiis, ac aliis, quę judicialem indaginem exigunt, pęnis in eos, ſi ſecus egerint, & in id procurantes adjectis,Conſervatores ſe nullatenus intromittant,quam aliis quibuſcunque Conſtitutionibus, a Prędeceſſoribus noſtris, Romanis Pontificibus, tam de Judicibus delegatis, & Conſervatoribus, quam perſonis ultra certum numerum per literas Apoſtolicas ad judicium non vocandis, & aliis editis, quę veſtrę poſſent in hac parte juriſdictioni, aut poteſtati, ejuſque libero exercitio quomodolibet obviare: ſeu ſi tam eiſdem Fratribus, vel eorum Ordinibus, aut alicui, ſeu aliquibus Fratrum, & Ordinum prędictorum, quam Archiepiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Rectoribus, Conventibus, Prioribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero prędictis, vel aliquibus ipſorum, ſeu quibuſvis aliis, communiter, vel diviſim a pręfata ſit Sede indultum, quod excommunicari, ſuſpendi, vel interdici, ſeu extra, vel ultra certa loca, vel alio quocunque modo ad judicium evocari non poſſint per literas Apoſtolicas, non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi, & eorum perſonis, locis, Ordinibus, & nominibus propriis mentionem, & quibuſvis aliis indulgentiis, ſeu privilegiis dictę Sedis, generalibus, vel ſpecialibus, quorumcunque tenorum exiſtant, per quę pręſentibus non expreſſa, vel totaliter non inſerta, veſtrę juriſdictionis explicatio in hac parte valeat quomodolibet impediri, & de quibus, quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum ſpecialem oporteat in noſtris literis fieri mentionem. Ceterum Judicibus, ſeu Conſervatoribus quibuſcunque, per literas Apoſtolicas ſub quacunque alia, quam pręſenti verborum forma, vel expreſſione, confectas, aut tam eiſdem dictorum Prędicatorum, Minorum, Eremitarum, Carmelitarum, ac Servorum Ordinum Fratribus, ſeu ipſis Ordinibus, quam Archiepiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, vel aliquibus, ſeu alicui eorum communiter, vel diviſim ſuper damnis, injuriis, & aliis quibuſcunque rebus ſeu negotiis aliis deputatis, & ſubdelegatis eorum, pręſentibus, & futuris auctoritate pręſentium diſtrictius inhibemus, ne aliquem, ſeu aliquos auctoritate literarum ipſarum, prętextu, ſeu occaſione quorumcunque damnorum,vel injuriarum,ſive gravaminum contra tenorem prędictę Decretalis: Super Cathedram: tam ipſis Fratribus, ſeu eorum Ordinibus, quam Archiepiſcopo, Capitulis, Pręlatis, Prioribus, Conventibus, Rectoribus, Curatis, Sacerdotibus, Vicariis, ac Clero, vel aliquibus, ſeu alicui eorum, communiter, vel diviſim, a quibuſcunque perſonis illatorum hactenus, & etiam inferendorum in poſterum, coram ſe alicubi deinceps ad judicium, vel alias quoquo modo vocare, ſeu in cauſam aliquatenus trahere pręſumant; Inhibitione hujuſmodi non ſolum ad futura, ſed etiam ad quovis modo adhuc pendentia, & jam cępta negotia, volentes extendi; ac decernentes, pręfatas literas, & proceſſus earum auctoritate quomodocunque habitos, & habendos, ad damna, gravamina, & injurias hujuſmodi, contra tenorem dictę Decretalis illata, & inferenda, ut dictum eſt, deinceps aliquatenus non extendi: ac etiam irritum, & inane, ſi ſecus ſuper pręmiſſis per quoſcunque, ſcienter, vel ignoranter contingeret attentari; Vobis nihilominus injungentes, ut inhibitionem noſtram hujuſmodi ad dictorum judicum, ſeu conſervatorum, & ſubdelegatorum notitiam, de quibus vobis expedire videbitur, deducere procuretis. Inſuper volumus,& Apoſtolica auctoritate decernimus, quod quilibet veſtrum proſequi valeat articulum etiam per alium inchoatum, quamvis idem inchoans nullo fuerit impedimento canonico prępeditus, quodque a data pręſentium ſit vobis, & unicuique veſtrum in pręmiſſis omnibus, & eorum ſingulis cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris pręcipua poteſtas, & juriſdictio attributa; ut eo vigore, eaque firmitate poſſitis in pręmiſſis omnibus, & ſingulis, cęptis, & non cęptis, pręſentibus, & futuris, & pro prędictis procedere, ac ſi prędicta omnia, & ſingula coram vobis cępta fuiſſent, & juriſdictio veſtra, & cujuslibet veſtrum in prędictis omnibus, & ſingulis, per citationem, vel modum alium perpetuata legitimum extitiſſet: Conſtitutione prędicta ſuper Conſervatoribus, & alia qualibet in contrarium edita non obſtante. Pręſentibus poſt quinquennium minime valituris. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos III Kalendas Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Decretum irritum faciens.

1. *Decretalem.*) De qua in *Tractatu de Conſenſu Bullarum Tomo ultimo Tit. VII, & IX.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Lib. CLXXVII fol.* 152.

3. *Salernitan.*) In Regno *Neapolitano*, ubi *Averſanus* Epiſcopatus.

4. *Cavacien.*) *Cajatten.*, ſeu *Cajetan.*, vulgo *Gaeta*. Urbs eſt Epiſcopalis in *Neapolitano* Regno, quam *Strabo Cajattam* vocat.

F. Stephanus (1) de Spernacho Eccleſiæ Aptenſi præficitur.

Anno 1429 Die 9 Decembris.

Ex Archivo (2) Ordinis.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Stephano de Spernacho, Electo Apten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. CCXLIV.

DUdum ſiquidem Eccleſia Apten. per ceſſionem vacante venerabilis Fratris noſtri Conſtantini Epiſcopi, tunc Apten. &c. Nos vacatione ceſſionis hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta ad proviſionem dictę Eccleſię, de qua nullus pręter nos &c. ne longę vacationis ſuſtineat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de pręficiendo ipſi Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris

noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinis Fratrum Prędicatorum expreſſe profeſſum, & in ſacerdotio conſtitutum, ac Theologię Profeſſorem, cui de religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione penſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum, accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos V Idus Decembris, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Stephanus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXII fol. 275.*

Anno 1430 Die 7 Januarii.

Electionem Prioriſſæ Monaſterii de le Treuloye (1), ratam habet, & firmat.

Ex Arch. (2) Ordinis.

CCXLV.

Martinus Epiſcopus Servus Servorum Dei, dilectę in Chriſto filię Jacobę Sacqueſpce, Prioriſſę Monaſterii Conventus Ordinis Fratrum Prędicatorum de le Treuloye, Atrebaten. Dięceſis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

Exordium.

Diplomatis cauſa.

AD ea ex Apoſtolicę ſervitutis officio libenter intendimus, quę Eccleſiarum, & Monaſteriorum omnium, ac perſonarum eis pręſidentium favores, & commoda reſpicere dignoſcuntur. Sane petitio, pro parte tua Nobis nuper exhibita, continebat, quod olim Prioratu Monaſterii Conventus Ordinis Fratrum Prędicatorum de le Treuloye Atrebaten. per Prioriſſam gubernari ſolito, ex eo vacante, quod dilecta in Chriſto filia Johanna de Heez Soror, tunc Prioriſſa, regimini, & adminiſtrationi dicti Monaſterii in manibus dilectarum in Chriſto filiarum Conventus hujuſmodi ſponte, & libere ceſſit, dictaque ceſſione per hujuſmodi Conventum, cum ad illas ipſius ceſſionis receptio, & admiſſio, de antiqua, & approbata, ac hactenus pacifice obſervata, conſuetudine pertineat, extra Romanam Curiam recepta, & admiſſa, Conventus hujuſmodi vocatis omnibus, quę electioni hujuſmodi voluerunt, debuerunt, & potuerunt, commode intereſſe, die ad eligendum pręfixa, ut moris eſt, convenientes in unum, te, tunc Supprioriſſam dicti Monaſterii, ac Ordinem ipſum expreſſe profeſſam, in earum, & dicti Monaſterii Prioriſſam, via Sancti Spiritus, concorditer, & unanimiter elegerunt, tuque electioni hujuſmodi illius tibi pręſentato decreto conſentiens, electionem ipſam agente bonę memorię Martino (3) Epiſcopo Atrebaten. tunc a Magiſtro Generali dicti Ordinis, cum ad illius Magiſtrum Generalem pro tempore confirmatio Prioriſſę dicti Monaſterii de ſimili conſuetudine pertineat, obtinuiſti confirmari, in his omnibus ſtatutis a jure temporibus obſervatis, quodque tu vigore electionis, & confirmationis hujuſmodi, poſſeſſionem adminiſtrationis bonorum ipſius Monaſterii aſſecuta, adminiſtrationem eandem ex tunc exercuiſti, prout exerces pacifice, & quiete. Cum autem, ſicut eadem petitio ſubjungebat, tu dubites electiones, & confirmationes prędictas certis de cauſis viribus non ſubſiſtere; Nos, intendentes perſonam tuam de Religionis zelo conſpicuam, in ſpiritualibus providam, & in temporalibus circumſpectam, ac aliis virtutum meritis, prout fide dignis teſtimoniis accepimus, inſignitam, favore proſequi gratioſo, ac tuo, & dicti Monaſterii ſtatui providere volentes, tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, volumus, & Apoſtolica tibi auctoritate concedimus, quod electio, & confirmatio prędictę valeant, plenamque roboris obtineant firmitatem, illaſque, & omnia circa adminiſtrationem prędictam per te alias rite geſta ratificamus, & etiam approbamus. Nulli ergo &c. Noſtrę voluntatis, conceſſionis, ratificationis, & approbationis infringere &c. Si quis &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos VII Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

Confirmatio.

1. *De le Treuloye.*) In Gallia Belgica.

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXVI fol. 245.*

3. *Martino.*) De quo in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII.*

Anno 1430 Die 10 Februarii.

F. Sanctus (1) de Ferraria Plouacenſis Epiſcopus renunciatur.

Ex Archivo (2) Ordinis.

CCXLVI.

Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Sancto de Ferraria Electo Plouacen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem.

APoſtolatus officium &c. Dudum ſiquidem bonę memorię Petro Epiſcopo Plouacen. Regimini Eccleſię Plouacen. pręſidente, Nos, cupientes eidem Eccleſię, cum vacaret &c. proviſionem ipſius Eccleſię ordinationi & diſpoſitioni &c. decernentes ex tunc irritum & inane &c. Poſtmodum vero pręfata Eccleſia per obitum ejuſdem Petri Epiſcopi, qui extra Romanam Curiam &c. Nos vacatione hujuſmodi fide dignis relatibus intellecta, ad proviſionem dictę Eccleſię &c., de qua nullus pręter Nos &c. ne longę vacationis ſubjaceat incommoda &c. poſt deliberationem, quam de pręficiendo ipſi Eccleſię perſonam utilem, & etiam fructuoſam, cum Fratribus noſtris habuimus diligentem, demum ad te, Ordinem Fratrum Prędicatorum expreſſe profeſſum, & in Sacerdotio conſtitutum, ac Theologię Profeſſorem, cui de Religionis zelo, vitę munditia, honeſtate morum, ſpiritualium providentia, ac temporalium circumſpectione, aliiſque multiplicibus virtutum donis, apud Nos fide digna teſtimonia perhibentur, direximus oculos noſtrę

noſtrę mentis. Quibus omnibus debita meditatione perſatis, de perſona tua, Nobis, & eiſdem Fratribus noſtris, ob dictorum tuorum exigentiam meritorum accepta, eidem Eccleſię, de ipſorum Fratrum conſilio, auctoritate Apoſtolica, providemus, teque illi pręficimus in Epiſcopum, & Paſtorem &c. Datum Romę apud Sanctos Apoſtolos IV Idus Februarii, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo.

1. *Sanctus.*) De quo in *Appendice ad præſentem Pontificatum.*

2. *Archivo.*) In quo Exemplar ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXVIII fol.* 214.

APPENDIX,

FRATRES ORDINIS PRÆDICATORUM

Ad Cardinalis, Patriarchæ, Archiepiſcopi, Epiſcopi, & Legati Dignitates, Martino V Summo Pontifice, promotos exhibens.

CARDINALES.

F. Leonardus Statii, de Datis, ex Magiſtro Generali Ordinis, S. R. Eccleſiæ Cardinalis. *Ughellus apud Ciaconium Vit. Pontif. & Cardinal. Tomo II ad an. MCCCCXVII pag.* 865. Additionis *Ciaconii* auctor *Oldoinus* laudat ibidem *Mſs. Morandianæ Bibliothecæ*, & *Paulum Alinium de Florentina nobilitate*. Cardinalem fuiſſe *Leonardum* docent etiam eruditus *Sarnellius*, in *Epiſt. Eccleſiaſt.*, & *Cavalerius Tomo II pag.* 207 *num. I*. Quamplures Scriptores laudantur a *Cavalerio*, quem conſulas velim, non enim aſſentiendum videtur illis, a quibus *Leonardus* expungitur ex albo Cardinalium. Obiit quidem antea quam ſuæ creationis nuncius ad eum perveniret. Hinc nonnullorum ſilentium, quod nobis obiicitur. Verum Cardinalem renunciatum fuiſſe *Leonardum*, teſtes ſunt Auctores mox citati. Circa Annum 1425.

F. Johannes Caſanova, Alumnus Barchinonenſis Cœnobii, Epiſcopus Elenenſis, ut in hac *Appendice* dicetur, S. R. E. Cardinalis tituli S. Sixti. *Oldoinus apud Ciaconium Vit. Pont. & Cardinal. Tomo II ad annum MCCCCXVII pag.* 864, *ex Caſtillo*, *Antonio Senenſi*, *Panvinio*, *Aubery*, *Ughello*, *Contelorio*, aliiſque, quos laudat *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. III Tit. XXVI pag.* 28, *ex S. Antonino*, *Fernandez*, *Plodio*, *& Ciaconio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 231 *num. LVI*, *& Tomo II pag.* 209 *num. II*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXXXVI pag.* 791. Conſulendus *Diago Hiſtor. Provinciæ Aragon. Libro II Cap. XXXI pag.* 139, *& Hiſtor. Comitum Barchinonen. Lib. III Cap. XXII pag.* 308. Hujuſce Cardinalis laudes etiam celebrat *Leander Albertus de viris illuſtribus Ord. Prædicatorum*. A *Martino V* Cardinalis renunciatus *Johannes*, ab *Eugenio IV* Martini Succeſſore Pileo rubro donatus eſt. Anno 1430 Die 8 Novembris.

PATRIARCHA.

F. Johannes Raguſinus, Patriarcha . . . . *Plodius*, & *Sampaio* apud *Cavalerium Tomo I pag.* 225 *num. XLI.* Anno 1428.

ARCHIEPISCOPI.

F. Petrus Raynaldi de Ripa Tranſon., Archiepiſcopus Corinthius, in Peloponneſo. *Conſtitutio LXXXIII Martini V*. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. XXXIII pag.* 70, *ex Plodio*, *& Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 219 *num. XXV*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXII pag.* 773, ex *Johanne Garzo*, *Rovetta*, & ex Diplomate aſſervato in Cœnobio noſtro *Firmano*, quo liquet, *Petrum* XXIV Maii *MCCCCXXII* aram præcipuam Ædis ſacræ ejuſdem Cœnobii conſecraſſe. Ceterum ex *Conſtitutione* laudata Scriptores emendandi ſunt, qui *Petrum* Anno *MCCCCXV* Archiepiſcopum *Corinthium* fuiſſe, docent. *Petrus* ſucceſſit *Antonio*. Anno 1421 Die 14 Februarii.

F. Andreas de Pera, Conſtantinopolitanus, Archiepiſcopus . . . . . *Plodius*, & *Sampajo*, apud *Cavalerium Tomo I pag.* 220 *num. XXVI.* Circa Annum 1422.

F. Johannes, Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſide. *Conſtitutio CXXXIX Martini V*. *Cavalerius Tomo I pag.* 221 *num. XXXIII*, ex *Fontana* remittit iſtum Archiepiſcopum ad annum *MCCCCXXIV*. Anno 1423 Die 12 Decembris.

F. Job de Macho, Archiepiſcopus S. Thadæi Machoenſis, in Armenia Majori. *Conſtitutio CLVII Martini V*. Anno 1424 Die 13 Martii.

Anno 1425 Die 19 Decembris. F. Thomas de Abaraner, Archiepiſcopus Soltanienſis, in Perſide. Succeſſit Johanni. *Conſtitutio CLXXXVI Martini V.*

Anno 1426. F. Aimo Nicolai, Gallus, ex Epiſcopo *S. Pontii Tomeriarum*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Archiepiſcopus Aquenſis, *Aix*, in Gallo-Provincia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. V pag. 53, ex Gallia Chriſtiana. Cavalerius Tomo I pag. 238 num. LXXX.*

Anno 1427. F. Johannes Baterley, vel Barlei, ut a nonnullis nuncupatur, Archiepiſcopus Tuamenſis, *Toam*, in Hibernia. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CVIII pag. 108, ex Mſs. Ughellianis. Cavalerius Tomo I pag. 225 num. XLII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad Annum MCCCCXXVII pag. 779, ex Philippo Wolffio, Johanne Baleo, Pitſeo, & Waræo.*

EPISCOPI.

Anno 1417 Die 20 Decembris. F. Nicolaus de Tenda, Epiſcopus Fama-Auguſtanus, *Famagoſta*, in Cypro, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXL pag. 190, ex Actis Conſiſtorialib. Martini V, ex Monumentis Saonenſis Cœnobii, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 223 num. XXXVII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXVII pag. 779.*

Anno 1417 Die 29 Decembris. F. Jacobus Arigonius de Balardis, ex Epiſcopo *Laudenſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII* dictum fuit, Epiſcopus Tergeſtinus, *Trieſte*, in Iſtria, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Ughellus in Epiſcopis Tergeſtinis Tomo V Italiæ Sacræ pag. 581. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXXII pag. 306. Cavalerius Tomo I pag. 229 num. LV. Echard Tomo I Scriptor. Ord. pag. 757, & 783.* Epiſcopus *Urbinas* fuit *Jacobus*, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno 1418 Die 3 Februarii. F. Cornelius O Ferall, Epiſcopus Ardachadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Armachano. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. I, ex Waræo.*

Anno 1418 Die 9 Aprilis. F. Theodorus Chriſonergi de Conſtantinopoli, Epiſcopus Olonenſis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXXXIV pag. 251, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 215 num. IX.* Quis ille ſit Epiſcopatus, incertum. *Fontana* cenſet ex *Bzovio* in *Hibernia* ſediſſe *Theodorum*: ſic enim ſcribit: *In Hibernia ſub Metropolitano Caſſellen.* (Caſſelien., & Caſſilien) *Olonen. Eccleſia Epiſcopum habuit, promovente Martino V 3* (Legendum V) *Idus Aprilis anno MCCCCXVIII, F. Theodorum Chriſonergi Conſtantinopolitanum, de quo Manuſcripta Bzoviana: Theodorus Chriſonergi de Conſtantinopoli Ord. Præd. Epiſcopus Olonen. in Hiberniæ Provincia Caſſellen. a Martino V 5 Idus Aprilis Anno I.* Epiſcopatum *Olonenſem* in *Hibernia* non inveniens *Cavalerius*, legendum cenſet *Clonen*, non autem *Olonen.* Eccleſiam *Clonenſem* nemo non novit. Seculo *VI* a S. *Colmano* fundata fuit, ut legitur in *Vita S. Brendani Abbatis Clonfertenſis*. Sita eſt in Agro *Corcagienſi*, non longe a mari *Vergivio*, ut docet *Waræus* in *antiquitatibus Hibernicis Cap. XXIX pag. 329*. Nec diffiteor, quod hæc Sedes *Clonenſis* anno *MCCCCXVIII* nondum unita erat *Corcagienſi*. Enim vero *Martinus V* anno *MCCCCXXX* Cancellarium Limericenſem, *Jordanum* nomine, Epiſcopum *Clonenſem* renunciavit, nec ipſe *Jordanus* Sedem *Corcagiam* tranſtulit ante obitum *Milonis* Epiſcopi *Corcagienſis*. Adde, ſi placet, ex Waræo, *Veteribus Hibernicis uſitatiſſimum, ut C literam in fine dictionis in aſpirationem verterent, & aliquando etiam in initio dictionis*. Hinc nihil mirum, ſi *Clonen.* pronunciaſſent *Olonen.* Et ſane *Johannes Carolus A Stadel*, antiquos *Hibernos* æmulatus, *Elonen.* ſcribit non vero *Clonen. Caſſilienſis*, inquit, *Archiepiſcopus* octo præeſt Suffraganeis: *Limericenſi, Liſmorenſi, Roſſenſi, Watefordenſi, Enilienſi, Corcagienſi, Lumbricenſi, ELONENSI.* Johannes Carolus A Stadel in *Compendio Geographiæ Eccleſiaſticæ Cap. XX pag. 226*. Hæc notata ſint pro ſententia *Cavalerii*. Verum crediderim *Theodorum*, natione Græcum, *Oleni* in *Achaja* ſediſſe, non autem in Hibernia (*Olenus* Urbs eſt Epiſcopalis ad oram maris *Ionii* ſub Metropoli *Patracenſi*). Sciendum ſiquidem primo, *Adamum Pay*, ſeu *Py*, ut fert *Hibernorum* lingua, *Clonæ* per id tempus ſediſſe. *Adamo* ſucceſſit *Jordanus*, de quo mox dictum eſt. Notandum ſecundo, maximi quidem hac de re ponderis eſſe auctoritatem *Bzovii*, ſed diſtinguendum illud inter quod ex Regeſtis Pontificiis exſcripſit *Bzovius*, & illud quod e penu ſuo profert idem Auctor. *Bzovius* in Regeſtis illis legebat quidem, *Theodorum* Ordinis Prædicatorum Epiſcopum *Olonen.*, vel *Olenen.* fuiſſe. Id igitur tam certum ſit quam quod maxime. Sed quod hæc *Olonenſis* Eccleſia ſit in *Hibernia* ſub *Caſſelienſi* Metropoli, id non reperiit *Bzovius* in Conſtitutionibus Apoſtolicis. Ea fuit ipſe ſententia. Nec placet.

Anno 1418 Die 10 Aprilis. F. Johannes Benedictus, Epiſcopus Tarviſinus, *Trevigi*, in ejuſdem nominis Marchia, ſub Patriarcha Aquilejenſi. *Annotator Ughellianus in Epiſcopis Tarviſinis Tomo V Italiæ Sacræ pag. 562 Edit. II. Bartholomæa Riccabona in Chronicis Monaſterii Corporis Domini apud Johannem Dominicum Armanum in Monumen. Selectis Convent. S. Dominici Venetiar. Cap. XI pag. 88.* Idem videtur ac *Johannes Benedictus*, de quo in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII*, ut obſervant *Cavalerius* ibidem laudatus, & Auctores mox citati.

citati. Si ſit idem; expungendus eſt ex eadem *Johannis XXII.* Appendice. Nec enim *Neſtoreos* habuit annos. Is ipſe certo eſt, quem *Gradenſi* Patriarchatui nuncium remiſiſſe, diximus in *Appendice ad Pontificatum Bonifatii IX.* Addit Annotator *Ughellianus* Eccleſiæ *Ravennatenſi* præfuiſſe *Johannem Benedictum*: en ipſius verba: *F. Johannes de Benedictis nobilis Venetus Ordinis Prædicatorum ad hanc Sedem* (Tarviſinam) *a Martino V fuit aſſumptus an. MCCCCXVIII die X Aprilis, facta reſignatione Ravennatenſis Eccleſiæ, ad quam fuerat evectus, ut puto, a Gregorio XII.* Ille fortaſſis eſt *Ravennatenſis* Antiſtes anonymus, quem *Conſtantienſi* Concilio aſſuiſſe, vidimus in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII.*

F. Johannes Morales, Epiſcopus Pacenſis, ſeu Pax-Auguſtenſis, & Badajocenſis, vulgo *Badajox*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCXLV pag. 256, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 225 num. XLIII.* Ad Epiſcopatum *Giennenſem* translatus eſt. — Anno 1418 Die 13 Aprilis.

F. Ludovicus Gomes, Epiſcopus Boſſanenſis, & Boſanen., vulgo *Boſſa*, *Boſa*, & *Boſi*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. C pag. 145, ex Lib. Proviſion. Prælator. Martini V, & Ughello in Mſs. Cavalerius Tomo I pag. 221 num. XXIX.* — Anno 1418 Die 14 Maii.

F. Jaroslaus, Cœnobii Cracovienſis alumnus, Epiſcopus Laodicienſis, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. *Dominicus Frydrychowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag. 217, ex Protocollo Antiquitatum Conventus Cracovienſis SS. Trinitatis manuſcripto.* Suffraganeus, ſeu Vicarius, Epiſcopi *Cracovienſis* fuit *Jaroslaus*. Hac in Diœceſi rebus ſacris operam dedit ad annum uſque *MCCCCXXXVII*, quo mortuus eſt. *Pradnicenſis* prædii parte *Cracovienſes* Fratres donavit. Succeſſerat *F. Zaroslao de Lublino*, de quo in *Appendice* præcedenti. — Circa Annum 1418.

F. Marinus Canti, Epiſcopus Stephanenſis, *Stephano*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXII pag. 299, ex Bzovianis Mſs. Cavalerius Tomo I pag. 215 num. X.* — Anno 1418 Die 23 Novembris.

F. Johannes Muſarec, Epiſcopus Mercanenſis, & Tribunenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXXX pag. 234, ex Libro Proviſion. Prælator. Martini V, & Tit. DXCVIII pag. 312, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 215 num. XI.* Ipſius mentio in Monumentis Cœnobii *Raguſini*. — Anno 1418 Die 17 Decembris.

F. Johannes de Podio Nucis, Epiſcopus Catanenſis, *Catania*, in Sicilia, ſub Archiepiſcopo Montis Regalis. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLI pag. 161, ex Regeſtis Martini V, ex Olmeda, & Pirro. Cavalerius Tomo I pag. 223 num. XL. Echard Tomo I Scriptorum Ord. ad an. MCCCXCIX pag. 708*, ex variis auctoribus, quos laudat. Nota quod ex *Conſtitutione VI Martini V*, liquet *Johannem* die *II* Martii *MCCCCXVIII* Epiſcopum jamjam renunciatum fuiſſe. Hinc emendandi Scriptores mox laudati, qui *Johannem* remittunt ad annum *MCCCCXIX*. — Anno 1418.

F. Matthæus Serra, Epiſcopus Teralbenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DLXXVIII pag. 305, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 216 numero XV.* — Anno 1419 Die 21 Junii.

F. Johannes de Monte, Epiſcopus Azotenſis, in Palæſtina, ſub Archiepiſcopo Cæſarienſi. *Fontana Theatro Dominicano in Appendice pag. 621, ex Mſs. Bzovianis. Cavalerius Tomo I pag. 221 num. XXXIV. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. II.* Suffraganeum, ſeu Vicarium, *Trevirenſis* Epiſcopi fuiſſe *Johannem* docet *Echard* ex Monumentis Conventus *Trevirenſis*, & ex Actis Capituli Generalis *Metenſis*. Vivebat anno *MCCCCXXVI* quo teſtamenti factionem dedit ipſi *Martinus V* hocce Diplomate. *Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabili Fratri Johanni Epiſcopo Azoten., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Quia præſentis vitæ conditio ſtatum habet inſtabilem, & ea, quæ viſibilem habent eſſentiam, tendunt viſibiliter ad non eſſe, tu hoc ſalubri meditatione præmeditans diem tuæ peregrinationis extremum diſpoſitione ſuprema deſideras prævenire. Nos itaque tuis in hac parte ſupplicationibus inclinati, ut de bonis mobilibus a te per Eccleſiam Azoten., cui præeſſe dignoſceris, licite acquiſitis, quæ Altaris, vel Altarium ipſius Eccleſiæ miniſterio, ſeu alicui ſpeciali eorundem Divino cultui vel uſui non fuerint deputata, pro decentibus, & honeſtis expenſis funeris tui, & pro remuneratione illorum qui tibi viventi ſerviverint, ſive ſint conſanguinei, ſive alii juxta ſervitii meritum, moderate tamen, diſponere, & erogare poſſis, & alias, prius tamen de omnibus prædictis bonis ære alieno, & his quæ pro reparandis Domibus & ædificiis conſiſtentibus in locis ipſius Eccleſiæ, culpa, vel negligentia tua, ſeu tuorum Procuratorum deſtructis, ſeu deterioratis, necnon reſtaurandis aliis Juribus, & Eccleſiæ ejuſdem deperditis ex culpa vel negligentia prædictis, fuerint opportuna, deductis, in pios uſus, & licitos convertere valeas, non obſtantibus quod Ordinis Prædicatorum profeſſor exiſtis, fraternitati tuæ plenam & liberam auctoritate* — Anno 1419 Die 4 Septembris.

præ-

præſentium concedimus facultatem. Volumus autem in eorundem diſpoſitione bonorum juxta quantitatem reſidui erga dictam Eccleſiam te liberalem exhibeas, prout conſcientia tibi dictaverit, & ſaluti animæ tuæ videris expedire. Datum Romæ apud Sanctum Petrum XVII Kal. Maii, Pontificatus noſtri Anno Nono. Chriſti MCCCCXXVI Die XV Aprilis. Ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXVIII fol.* 298.

Anno 1419 Die 9 Octobris.

F. Martinus de Chiari, Epiſcopus Nachuanenſis, in Armenia, ſub Archiepiſcopo Soltanienſi. *Conſtitutiones XXXV*, & *XXXVII Martini V*. Hanc ultimam *conſtitutionem* datam *XXI* Octobris *MCCCCXIX* tranſcribens *Fontana Monumen. Dominican. Parte II Cap. XII pag.* 308 Eccleſiam, cui *Martinus de Chiari* præerat, *Naxivanenſem* vocat non *Nachuanenſem*. *Fontanam* excipiens *Cavalerius Tomo I pag.* 216 *num. XVI* addit *Martinum de Chiari* Archiepiſcopum *Naxivanenſem* fuiſſe. Et ſane *Naxivanenſem*, rectius *Naſcivanenſem*, Eccleſiam nunc *Armeniæ* Metropolim, per id tempus Archiepiſcopalem fuiſſe, docet *Galanus de Conciliatione Eccleſiæ Armenæ cum Romana Cap. XXX num. LXIII pag.* 528. Eidem Sedi Archipræſules præfuiſſe *B. Bartholomæum Parvum*, & *F. Thomam Ciabucheſem*, dictum fuit in præcedentibus *Appendicibus*, *Johannis* ſcilicet vulgo *XXII*, & *Innocentii VI*. Verum in duabus laudatis *Conſtitutionibus* Epiſcopus, non autem Archiepiſcopus vocatur *Martinus de Chiari*, & Sedes, cui præficitur, *Nachuanenſis*, non vero *Naxivanenſis*, nominatur. Ejuſdem *Nachuanenſis* Epiſcopatus mentio variis in aliis Diplomatibus hoc in opere tranſcriptis.

Anno 1419 Die 13 Novembris.

F. Dionyſius de Monte Leone, Epiſcopus Venuſinus, *Venoſa*, in Regno Neapolitano, ſub Acheruntino & Materano Archiepiſcopo. *Ughellus in Epiſcop. Venuſinis Tomo VII Italiæ Sacræ pag.* 173, *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DCXXV pag.* 319. *Cavalerius Tomo I pag.* 227 *num. XLVIII*. Ille ipſe eſt quem *Bzovii* librarius *Dominicum de Monte Leone* nominat.

Anno 1419 Die 27 Novembris.

F. Johannes Boreſach, Epiſcopus Millenenſis, ſeu Melenſis, vulgo *Milo*, in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Rhodienſi. *Conſtitutio XLIII Martini V*.

Anno 1419 Die 14 Decembris.

F. Antonius Guidius, Florentinus, Epiſcopus Arienſis, in Græcia, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. LI pag.* 130, *ex Actis Conſiſtorial. Martini V*. *Cavalerius Tomo I pag.* 226 *num. XLIV*. Annis pluribus cum creditarum ſibi ovium inſigni profectu *Arienſem* Eccleſiam rexiſſe *Guidium*, auctores ſunt *Cavalerius* & *Fontana*. Verum ex *Conſtitutione LXXXIV Martini V* data *XXI* Aprilis *MCCCCXXI* liquet, *Antonium Guidium* Epiſcopatus oneri nuncium remiſiſſe *infra tempus de conſecrandis Epiſcopis a Canonibus definitum*. Abdicationem *Guidii* ratam habuit *Antonius* Cardinalis Epiſcopus *Portuenſis*, ad hoc delegatus; ipſique *Guidio* ſucceſſit *F. Johannes de Chorono*. Nota quod *infra tempus* apud Auctores mediæ latinitatis ſignificat *intra tempus*, ut ſexcentis exemplis evinci poteſt. Licet enim nonnihil diſcriminis ſit eas inter Præpoſitiones *Infra*, & *Intra* (*intra* ſiquidem refertur ad locum, dignitatem, vel perſonam, *infra* vero ad ſpatium & ad numerum, uti notat emunctæ naris grammaticus *Valla*) id tamen plerumque neglexiſſe Scriptores, tam certum eſt, quam quod maxime.

Anno 1420 Die 15 Januarii.

F. Proculus de Lepays, Epiſcopus Coronamenſis, vulgo *Coronea*, in Bœotia, ſub Archiepiſcopo Athenienſi. *Conſtitutio L Martini V*.

Circa Annum 1420.

F. Simon, Epiſcopus Parmenſis, *Parma*, in Italia, ſub Archiepiſcopo Bononienſi. *Cavalerius Tomo I pag.* 218 *num. XX*, ex *Taegio*, & *Plodio*. Notat *Plodius*, quod ex *Taegii* verbis liquet *Simonem* iſtum diſtinguendum a *F. Simone Saltarelli*, de quo dictum fuit in *Appendice ad Pontificatum Johannis XXII*.

Circa Annum 1420.

F. Andreas, Epiſcopus Kiovienſis, *Kiow*, in Volhinia, ſub Archiepiſcopo Leopolienſi. *Simon Okolski in Ruſſia Florida pag.* 58, *ex Hiſtoria Lublinenſi. Dominicus Frydryehowicz in S. Hyacintho Poloniæ Patrono &c. pag.* 226, *ex Monumentis Cœnobii Lublinenſis*, *& ex Magiſtro Paulo Ruſzel Lib. III fol.* 6 *de S. Cruce. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCIX pag.* 209. *Cavalerius Tomo I pag.* 328 *num. CCCLXXVII*. Anno *MCCCCXX* partem Ligni Sanctæ Crucis Cœnobio *Lublinenſi* dono dedit *Andreas*.

Circa Annum 1420.

F. Aimo Nicolai, ex Provinciali Provinciæ Provinciæ, cui ſemel & iterum præfuit, Epiſcopus Saltienſis, vulgo *Senez*, in Gallo-Provincia, ſub Archiepiſcopo Ebredunenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXLIII pag.* 294. *Cavalerius Tomo I pag.* 238 *num. LXXX*.

IDem Epiſcopus Pontiopolitanus, ſeu S. Pontii Tomeriarum, in Occitania, ſub Archiepiſcopo Narbonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXII pag.* 288. *Cavalerius Tomo I pag.* 238 *numero LXXX*. Ad *Aquenſem* Archiepiſcopatum translatus fuit, ut in hac *Appendice* dictum eſt.

F. Sinlaus,

F. Sinlaus, vel Finlaus, de Albania, Epiſcopus Liſmorenſis, in Scotia, tunc immediate ſub S. Sede, deinde ſub Archiepiſcopo Glaſquenſi. *Conſtitutiones LII, LIII, LIV, & LV Martini V*. Ex quibus emendandus *Cavalerius Tomo I pag.* 218 *num. XXI*, ubi *Finlaum* præficit *Liſmorenſi* Sedi, quæ eſt in *Hibernia*, ſub Archiepiſcopo *Caſſilienſi*.

Anno 1420 Die 31 Januarii.

F. Thomas Tomaſinus, ex Epiſcopo *Æmonienſi*, ut in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII* dictum fuit, Epiſcopus Polenſis, *Pola*, in Iſtria, ſub Aquileienſi Patriarcha. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXXIV pag.* 267, *ex Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 245 *num. CII*. Variis aliis Eccleſiis præfuiſſe *Thomam* mox dicetur.

Anno 1420 Die 17 Februarii.

F. Alfonſus de Cuſancha, Epiſcopus Aurienſis, *Orenſe*, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Martinus V in variis Diplomatibus datis V Martii MCCCCXX*. Aſſervantur in Archivo Ordinis. Autographa leguntur in *Archivo Apoſtolico Lib. XLVI fol.* 89. Primum inſcribitur *F. Alfonſo de Cuſancha Electo Aurien.* Secundum *Capitulo Aurienſi*. Tertium *Clero Civitatis, & Diœceſis Aurienſis*. Quartum *Archiepiſcopo Compoſtellano*. Quintum *Johanni Regi Caſtellæ, & Legionis*. Data ſunt *Florentiæ* II Nonas Martii, Pontificatus Anno Tertio. Ejuſdem *Alfonſi* meminerunt *Fernandez in Epiſcopis Hiſpaniæ*, *Ægidius in Theatro Salmanticenſis Eccleſiæ*, *Lopez in Hiſtoria Ordinis*. *Cavalerius Tomo I pag.* 234 *num. LXX*. Ab Auctoribus iſtis *Alfonſus* cognominatur *Cuſanza*. Præfuit Eccleſiæ *Salmanticenſi*, ut mox dicetur.

Anno 1420 Die 6 Martii.

F. Johannes Ryſſerſcheyt, Epiſcopus Cerinenſis, ſeu Cyrinenſis, vel Ceraunenſis, vulgo *Cerines*, in Inſula Cypri, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Conſtitutio LXXIII Martini V*. Ejuſdem mentio apud *Cavalerium Tomo I pag.* 218 *num. XXII*, ex *Fontana*. Sed notandum quod Scriptores iſti *Johannem* creant Epiſcopum *Chermenſem*. Legendum *Cerinenſem*.

Anno 1420 Die 4 Septembris.

F. Rogerus, Epiſcopus Solubrien., vel Selymbrien., Selybrien., Selombrien., vulgo *Selivree*, *Selivrea*, *Selombria*, & *Selibria*, in Thracia, ſub Heracleenſi Archiepiſcopo. Nunc Metropolis eſt *Solubrienſis* Eccleſia. *Conſtitutio LXXIX Martini V*.

Anno 1420 Die 16 Decembris.

F. Salomon Cardon, Epiſcopus Anteradenſis, ſeu Antaradenſis, vulgo *Tortoſa*, in Phœnicia maritima, ſub Archiepiſcopo Tyrio, in Antiocheno Patriarchatu. *Conſtitutio LXXX Martini V*.

Anno 1420 Die 16 Decembris.

F. Andreas Raguſeus, Epiſcopus Satrianenſis, *Satriano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Compſano. *Ughellus in Epiſcopis Satrianen. Tomo VI Italiæ Sacræ pag.* 853. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXXXI pag.* 290, *ex Taegio*. *Cavalerius Tomo I pag.* 234 *num. LXVI*. Emendandi tamen Scriptores iſti qui *Andream VENETUM* eſſe, & Epiſcopum anno *MCCCCXXI* conſtitutum fuiſſe, docent. *Raguſeus*, & Epiſcopus dicitur in *Conſtitutione LXXXI Martini V* data *XXIII* Decembris *MCCCCXX*. In Civitate *Campanienſi* ſedet Epiſcopus *Satrianenſis*.

Anno 1420 Die 23 Decembris.

F. Jacobus de La, Gandavenſis, Epiſcopus Gybeldenſis, ſeu Gybeletenſis, vel Byblienſis, vulgo *Gibel*, *Gibeleto*, *Giblet*, *Zibellet*, in Phœnicia, ſub Antiocheno Patriarcha. *Sanderus De Rebus Gandaven. Libro V Cap. VII*. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 25 *col. II*, *ex Monumentis Conventus Gandavenſis*. Suffraganeum, ſeu Vicarium, *Morienſis* Epiſcopi fuiſſe *Jacobum*, conjicit *Ghilbertus* noſter *de la Haie*.

Circa Annum 1421.

F. Laurentius Giacomini, Jacomini, vel Jacopini, patria Ferentinus, Alumnus Florentini Cœnobii S. Mariæ Novellæ, Epiſcopus Achajæ. Civitas fertur inter Patras & Corinthum ſita. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLV pag.* 813, *ex variis Monumentis & Auctoribus*. Anno *MCCCCXXII* die *IX* Julii Altare præcipuum Baſilicæ *S. Laurentii* Florentiæ conſecravit. Hinc emendandus *Cavalerius* qui *Tomo I pag.* 260 *num. CLXXI*, ſectatus *Fontanam*, remittit *Laurentium* ad annum *MCCCCLVIII*.

Circa Annum 1421.

F. Johannes de Chorono, Epiſcopus Arienſis, in Græcia, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Conſtitutio LXXXIV Martini V*.

Anno 1421 Die 21 Aprilis.

F. Angelus Corporis Sancti, Epiſcopus Galipolitanus, ſeu Gallipolitanus, vulgo *Galipoli*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hidruntino. *Conſtitutio LXXXVIII Martini V*. *Ughellus in Epiſcop. Gallipolitan. Tomo IX Italiæ Sacræ pag.* 102. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLVII pag.* 196. *Cavalerius Tomo I pag.* 221 *num. XXX*.

Anno 1421 Die 13 Auguſti.

F. Ber-

Circa Annum 1422. F. Bernardus Maja, Panormitanus, Epiſcopus Dolienſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Calaritano. *Pirrus in Sicilia Sacra*. *Antonius Mongitorius Biblioth. Sicula Tomo II, in Appendice ad Tomum I pag.* 10. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 24, *& ad annum MCCCCXXXVIII pag.* 791, ex Auctore Orationis, cui titulus: *Hercules Athlanticus*: & *Franciſco Ambroſio Maja* in *Defenſione S. Catharinæ Senenſis*. Nota quod *Pirrus*, & *Mongitorius* Bernardum recenſent inter Epiſcopos *Dolenſes*, in *Britannia Minori*, ſub Archiepiſcopo *Turonenſi*; ſed, ut obſervat *Echard*, eos inter Epiſcopos nullus ipſi locus videtur ex Epiſcoporum ſerie; quæ legitur in *Gallia Chriſtiana*. Hinc crediderim *Bernardum* in *Sardinia* ſediſſe. Ex eo firmari poteſt hæc conjectatio noſtra, quod *Sardinia* tunc juris erat *Alfonſi V* Regis *Aragonum*, cui a confeſſionibus, & a concionibus fuerat *Bernardus*.

Anno 1422 Die 12 Januarii. F. Henricus Holleyben, Epiſcopus Cathoſienſis. Legerem Cathneſien., vulgo *Cathnes*, in Scotia, ſub Archiepiſcopo Andreapolitano. *Conſtitutio XCV Martini V*.

Anno 1422 Die 19 Januarii. F. Andinus Sarneril, Epiſcopus Aconenſis, in Phœnicia, ſub Archiepiſcopo Tyrio. *Conſtitutio XCVI Martini V*.

Anno 1422 Die 23 Januarii. F. Jacobus de Weſp, Epiſcopus Gasbelden., ſeu potius Gybeldeo., Gybeleten., & Byblien., vulgo *Gibel*, in Phœnicia, ſub Antiocheno Patriarcha. *Fontana Monumen. Dominican. Parte III Cap. XII ad annum MCCCCXXII pag.* 313, *ex Pontificio Diplomate*. *Cavalerius Tomo I pag.* 220 *num. XXVII*. Succeſſit iſte *Jacobo de La*, quem Monumenta *Gandavenſis* Cœnobii anno *MCCCCXXII* obiiſſe produnt.

Anno 1422 Die 3 Julii. F. Antonius de Levanto, Epiſcopus Tanenſis, in Ægypto, apud oſtium Taniticum, immediate ſub S. Sede. *Conſtitutio CII Martini V*.

Anno 1423 Die 5 Martii. F. Laurentius Pignoo, Epiſcopus Bethleemitanus, in Judæa, ſub Patriarcha Jeroſolymitano. *Conſtitutio CXVIII Martini V*. Is ipſe eſt eruditus *Pignon*, pluries hoc in opere laudatus. *Antiſſiodorenſem* Epiſcopum fuiſſe, dicetur in *Appendice ad Pontificatum Eugenii IV*, ex *Cavalerio*, & *Fontana*, qui *Bethleemitanos* inter Epiſcopos non recenſent *Laurentium*. Meminit *Echard Tomo I Scriptorum Ordinis ad an. MCCCCXLVI pag.* 804, ſed in hoc emendandus, quod *Laurentium* anno duntaxat MCCCCXXIV *Bethleemitanæ* Sedi præficiat.

Anno 1423 Die 13 Octobris. F. Petrus de Carna Ep. Nantuanenſis, in Armenia, ſub Archiepiſcopo Soltanienſi. *Conſtitutiones CXXX, CXXXI, CXXXII, & CXXXIII Martini V*. Succeſſit iſte *Martino*, de quo in hac *Appendice* dictum eſt. Hinc Eccleſia *Nantuanenſis* eadem eſt ac *Nachuanenſis*, & timeo, ne utraque denominatio corrupta ſit ab amanuenſi, & legendum ſit *Naſcivanenſis*, vel *Naxivanenſis*, ut cenſet *Fontana* ſupra laudatus. Alii ſcribunt *Naxuanenſis*; & ex hoc firmari poteſt ſententia *Fontanæ*. Armeni ſiquidem literam *X* ita dure fundunt ex gutture, ut ipſos literas *Ch* pronunciaſſe diceres. Hinc fieri potuit, quod librarius *Nachuanen.* ſcripſerit, non *Nauuanen.* Sed hæc mera conjectatio eſt. Nec ex hoc ſolvitur alia difficultas, de qua dictum fuit ſuperius.

Anno 1423 Die 27 Octobris. F. Johannes de Nardo, Epiſcopus Sanctarienſis, ſeu Theraſien., vulgo *Santhrini*, & *Santerini*, Gallis *Saint Erin*, Nautis *S. Helena*, in ejuſdem nominis Inſula maris *Ægæi*, ſub Archiepiſcopo Nicoſienſi. *Conſtitutiones CXXXV, CXXXVI, CXXXVII, & CXXXVIII Martini V*.

Anno 1423 Die 18 Octobris. F. Thomas Tomaſinus, ex Epiſcopo *Polenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Urbinas, in ejuſdem nominis Ducatu Italiæ. *Ughellus in Epiſcopis Urbinaten. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 790. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXV pag.* 111. *Cavalerius Tomo I pag.* 245 *num. CII*. Nunc Archiepiſcopalis eſt Sedes *Urbinaten.* Ad *Tragurienſem* translatum fuiſſe *Thomam* mox dicetur.

Anno 1424. IDem Epiſcopus Tragurienſis, *Trau*, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXCIV pag.* 310. *Ughellus*, *&* *Cavalerius* mox laudati. *Leſinenſi* Sedi præfuit idem *Thomas*, ut in hac *Appendice* dicetur.

Anno 1424. F. Jacobus Arigonius, de Baiardis, ex Epiſcopo *Tergeſtino*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Urbinas, in ejuſdem nominis Ducatu Italiæ. *Ughellus in Epiſcopis Urbinaten. Tomo II Italiæ Sacræ pag.* 790. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. IV Tit. CXV pag.* 111. *Cavalerius*, & *Echard* ſupra laudati.

F. Alfon-

F. Alfonſus de Cuſancha, ex Epiſcopo *Aurienſi*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Salmanticenſis, in Hiſpania, ſub Archiepiſcopo Compoſtellano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Titulo DV pag. 282, ex Fernandez, & Ægidio in Theatro Salmanticenſis Eccleſiæ. Cavalerius Tomo I pag. 234 num. LXX.*
Anno 1424.

IDem Epiſcopus Legionenſis, *Leon*, in ejuſdem nominis Regno Hiſpaniæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXIII pag. 213, ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag. 234 num. LXX.* Notat *Cavalerius* erraſſe *Fontanam* qui *Alfonſum* Epiſcopum *Legionenſem* conſtituit in *Indiis*. Et ſane *Legionenſis* Urbs *Indiarum*, ſeu *Americæ*, tunc nondum erat, nec ibi ſedes habuerunt *Hiſpani* ante annum *MCCCCXCII*, quo, *Chriſtophoro Colon* duce, regiones *Americanæ* inventæ fuerunt.

F. Ricardus Belmer, Epiſcopus Akadenſis, ſeu Achadenſis, in Hibernia, ſub Archiepiſcopo Tuamenſi. *Conſtitutio CLIX Martini V.*
Anno 1424 Die 12 Aprilis.

F. Dominicus Mariconde, Epiſcopus Alexanenſis, *Aleſſano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Hidruntino. *Conſtitutio CLXVI Martini V.*
Anno 1424 Die 11 Octobris.

F. Petrus Neapolitanus, Epiſcopus Termulanus, *Termoli*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Fontana Monument. Dominican. Parte III Cap. XII ad an. MCCCCXXIV pag. 316, ex Literis Apoſtolicis. Cavalerius Tomo I pag. 221 num. XXXII.* Sed notandum *Literas Apoſtolicas* a *Fontana* laudatas, non a *Martino V*, ſed a *Bonifatio IX* conſcriptas eſſe, ut videre eſt *pag. 355 hujus Bullarii*. Hinc *Petrus* iſte non eſt diſtinguendus a *Petro* Epiſcopo *Termulano*, de quo diximus in *Appendice ad Pontificatum* ejuſdem *Bonifatii*. Idem judicium ferendum de *Conrado Argionenſi* Epiſcopo, quem *Cavalerius* & *Fontana* mox laudati a *Martino V* creatum docent. Iſte *Conradus* idem eſt ac ejuſdem nominis Epiſcopus quem *Bonifatius IX* Argionenſi præfecit Eccleſiæ, ut liquet ex ejuſdem *Bonifatii Conſtitutione LXXIII.*
Anno 1424 Die 1 Decembris.

F. Petrus de Ceno, Epiſcopus Archadienſis, ſeu Arcadienſis, in Inſula Cretenſi, ſub Archiepiſcopo Cretenſi. *Conſtitutio CLXVII Martini V.* Succeſſit *Michaeli*.
Anno 1424 Die 18 Decembris.

F. Johannes de Caſanova, Barchinonenſis, Epiſcopus Boſanenſis, vulgo *Boſa*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Turritano. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. C pag. 145, ex Fernandez, & Plodio. Cavalerius Tomo I pag. 231 num. LVI. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXXXVI pag. 791*, ex variis Auctoribus, quos laudat.
Anno 1424.

IDem Epiſcopus Elenenſis, in Comitatu Ruſcinonenſi, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCXXXIII pag. 168, ex Fernandez, & Gallia Chriſtiana. Cavalerius*, & *Echard* mox laudati. Anno duntaxat *MCCCCXXIX* ad *Elenenſem* Epiſcopatum translatum fuiſſe *Johannem*, docent *Fontana*, *Fernandez*, *Echard*, *Plodius*, *Cavalerius &c.* Sed emendandi ſunt ex *Conſtitutione CLXXXV Martini V* data *XIX* Decembris *MCCCCXXV*. In hac ſiquidem *Conſtitutione DILECTUS filius Electus Elenenſis* vocatur *Johannes* noſter. Anno igitur *MCCCCXXV* jamjam renunciatus erat *Elenenſis* Epiſcopus; *Elenenſis*, inquam, non *Eluenſis*, ut excidit *Oldoino* apud *Ciaconium in Martino V*, nec *Elvenſis*, ut ſcripſit *Plodius*. S. R. E. Cardinalis, & Adminiſtrator *Gerundenſis* Eccleſiæ fuit *Johannes*, ut in hac *Appendice* videre eſt.
Anno 1425.

F. Dominicus Johannis, Epiſcopus Terralbenſis, vel Teralbenſis, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arboreoſi. *Conſtitutio CLXXII Martini V.*
Anno 1425 Die 28 Februarii.

F. Johannes Accreſta de Ponte Corvo, Epiſcopus Caſertanus, *Caſerta*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Capuano. *Ughellus in Epiſcop. Caſertan. Tomo VI Italiæ Sacræ pag. 507, Edit. II, ex Regeſtis Pontificiis. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CXLIII pag. 157. Cavalerius Tomo I pag. 235 num. LXXI.*
Anno 1425 Die 28 Aprilis.

F. Johannes Grignart, Valencenas, Epiſcopus Gebeldenſis, ſeu Gybelden., Gybeletco., vel Biblien., vulgo *Gibel* &c., in Phœnicia, ſub Antiocheno Patriarcha. *Conſtitutio CLXXIV Martini V.* Hujus Epiſcopi meminerunt *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag. 25 col. II*, & *G. Seguierius*, in hoc uno emendandi, quod *Johannem* Epiſcopum conſtituant anno *MCCCCXXIII*. Fuit *Johannes* Suffraganeus, ſeu Vicarius *Cameracenſis*.
Anno 1425 Die 14 Maii.

Anno 1425 Die 4 Julii. F. Dominicus Grancorve de Raguſio, Epiſcopus Tribunienſis, ſeu Tribunenſis, in Dalmatia, ſub Archiepiſcopo Raguſino. *Conſtitutio CLXXVI Martini V.*

Anno 1425 Die 29 Novembris. F. Dionyſius de Knyn, Epiſcopus Drivaſtenſis, *Drivaſto*, in Albania, ſub Archiepiſcopo Antibarenſi. *Conſtitutio CLXXXII Martini V.*

Anno 1426 Die 16 Januarii. F. Gerardus de Reppin., Epiſcopus Laudicenſis, ſeu Laodicienſis, vulgo *Laudicha*, in Syria, ſub Archiepiſcopo Damaſceno. *Conſtitutio CXC Martini V.* Nunc Metropolis eſt *Laodicenſis* Eccleſia. Succeſſit *Johanni*, ſeu *Jaroſlao de Cracovia*, de quo diximus in hac *Appendice*. Suffraganeus, ſeu Vicarius Epiſcopi *Caminenſis* fuit *Gerardus*, ut ex hoc Diplomate liquet. *Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Gerardo de Reppin Ordinis Fratrum Prædicatorum Profeſſori, Minori Pœnitentiario noſtro, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Sinceræ devotionis affectus, quem ad Nos, & Romanam geris Eccleſiam promeretur ut votis tuis illis præſertim per quæ tuis ſtatui, & commoditati conſulitur, quantum cum Deo poſſumus, favorabiliter annuamus. Cum itaque, ſicut nuper accepimus, venerabilis Frater noſter Sifridus Epiſcopus Caminen. conſiderans, quod ipſe propter certa Caſtra, & terras, quæ ab aliquibus ejus æmulis in Diœceſi Caminen. detinentur, ac alias oppreſſiones Eccleſiæ Caminen. per præfatam Diœceſim tute ire, & Pontificale officium, prout tenetur, exercere nequiret, tibi de conſilio & aſſenſu dilectorum filiorum Capituli dictæ Eccleſiæ penſionem annuam ducentorum florenorum auri de Camera ſuper bonis & redditibus advocatiæ Caſtri Carlin. dictæ Diœceſis ad ipſum, & dictam Eccleſiam pertinentis, per ſuas literas ſuo ſigillo ſignatas conſtituit, & ordinavit, promittens, quod, poſtquam tu per Nos ſeu auctoritate noſtra in Epiſcopum promotus, & conſecratus exiſteres, & ut ejuſdem Eccleſiæ Suffraganeus per Civitatem Caminen., & dictam Diœceſim Pontificalia officia rite & rationabiliter exerceres, de hujuſmodi penſione tibi ut ejuſdem Eccleſiæ Suffraganeo ſufficienter reſponderet, & illam ſolveret cum effectu, prout in ipſis literis plenius continetur. Cumque Nos hodie Eccleſiæ Laudicen. certo modo vacanti de perſona tua providere intendamus, dictaque Eccleſia Laudicen. per Infideles, & Chriſtiani nominis inimicos ad præſens occupetur, & occupata detineatur, nulloſque fructus ſeu redditus ex ea haberi ſeu percipi poſſe ſperentur, Nos, ne in Pontificalis dignitatis opprobrium mendicare cogaris, ſalubriter providere volentes præfatam penſionis conſtitutionem, & ordinationem, & omnia alia ſuper hoc per præfatum Epiſcopum facta, & in eiſdem literis contenta rata, habentes & grata, illa etiam de Fratrum noſtrorum conſilio auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus, ſupplentes omnes defectus, ſi qui forſan intervenerint in eiſdem. Nulli ergo &c. Noſtræ ratihabitionis, confirmationis communitionis & ſuppletionis infringere &c. Si quis &c. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos XVII Kalendas Decembris* (Februarii), *Pontificatus noſtri Anno Nono* (Chriſti MCCCCXXVI). Ex *Archivo Apoſtolico Libro CXVI fol.* 212.

Anno 1426 Die 8 Junii. F. Humbertus, ſeu Hubertinus, de Albizis, Florentinus, Epiſcopus Piſtorienſis, *Piſtoja*, in Hetruria, ſub Archiepiſcopo Florentino. *Ughellus in Epiſcopis Piſtorien. Tomo III Italiæ Sacræ pag.* 306, *Eit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCCLXVII pag.*264, *ex Plodio. Cavalerius Tomo I pag.*229 *num. LIV. Echard Tomo I Scriptor.* Ord. ad an. *MCCCCXXXIV pag.* 783.

Anno 1426. F. Petrus Lucanus, Epiſcopus Nucerinus, in Regno Neapolitano. Sic docet *Cavalerius Tomo I pag.*223 *num. XXXVI, ex Lopez.*

Anno 1427 Die 10 Januarii. F. Nicolaus de Tuderto, Epiſcopus Foliarum, Phoceæ ſcilicet, vulgo *Foja vecchia*, *Foglia*, & *Fochia vecchia* (urbs eſt Æolidis in ora maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Smirnenſi) & Cumæ, vulgo *Foja nova*, in Æolide. *Conſtitutio CCXIII Martini V.* Succeſſit *Johanni Rubei*.

Anno 1427 Die 12 Januarii. F. Jacobus, Epiſcopus Gambalienſis. *Conſtitutio Martini V*, cujus hæc verba: *Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerab. Fratribus Archiep. Soltanien., & Chien., ac Electen. Epiſcopis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Perſonam dilecti filii Jacobi Electi Gambalien. Nobis & Apoſtolicæ Sedi devotam, ſuis exigentibus meritis, paterna benevolentia proſequentes illa ſibi libenter concedimus quæ ſuis neceſſitatibus fore conſpicimus opportuna, cum itaque, ſicut accepimus, Eccleſia Parochialis Sancti Laurentii Caſſen. quam quondam Marcus Hermeni ejuſdem Eccleſiæ Rector dum viveret obtinebat, per ejuſdem Marci obitum, qui extra Romanam Curiam diem clauſit extremum, vacet ad præſens, & tanto tempore vacaverit, quod ejus collatio juxta Lateranen. ſtatuta Concilii ad Sedem prædictam legitime devoluta exiſtit, Nos volentes præfato Electo, qui Ordinis Prædicatorum Profeſſor exiſtit, ut juxta ſtatus ſui exigentiam decentius ſuſtentari valeat, de alicujus ſubventionis auxilio providere, ſpecialemque gratiam facere, fraternitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus veſtrum per vos, vel alium, ſeu alios, ſi eſt ita, Eccleſiam prædictam, cujus fructus, redditus, & proventus decem florenorum auri ſecundum communem æſtimationem valorem, annuumut ipſe Electus aſſerit, non excedunt, ſive præmiſſo, ſive alio quovis modo, aut ex alterius cujuſcunque perſona vacet, etiamſi Eccleſia ipſa diſpoſitioni Apoſtolicæ ſpecialiter reſervata exiſtat, & ſuper ea inter aliquos lis, cujus ſtatum præſentibus haberi volumus pro expreſſo, pendeat indeciſa, dummodo tempore datæ præſentium non ſit in ea alicui jus quæſitum, cum omnibus juribus, & pertinentiis ſuis eidem Electo per ipſum, una cum Eccleſia ſua Gambalien., quæ inter Infideles, & Tartaros conſiſtit, uſque ad noſtrum beneplacitum tenendam, regendam, & etiam gubernandam, auctoritate noſtra commendare curetis, ita quod liceat eidem Electo*

hujuſ-

hujuſmodi beneplacito durante, de fructibus, redditibus, & proventibus ſupradictis libere diſponere, & ordinare ſicut veri ipſius Eccleſiæ Sancti Laurentii Rectores, qui fuerunt pro ſempore de illis diſponere, & ordinare potuerunt, ſeu etiam debuerunt, alienatione tamen bonorum immobilium, & pretioſorum mobilium ipſius Eccleſiæ interdicta. Inducentes eundem Electum, vel Procuratorem ſuum ejus nomine in corporalem poſſeſſionem Eccleſiæ Sancti Laurentii, juriumque, & pertinentiarum prædictorum, & defendentes inductum, amoto exinde quolibet illicito detentore, ac facientes ſibi de ipſius Eccleſiæ fructibus, redditibus, proventibus, juribus, & obventionibus univerſis integre reſponderi. Contradictores auctoritate &c. Non obſtantibus fel. rec. Bonifatii Papæ VIII Prædeceſſoris noſtri ac aliis Conſtitutionibus Apoſtolicis, necnon ſtatutis, & conſuetudinibus Eccleſiæ Gambalien., & Ordinis prædictorum quibuſcunque contrariis, juramento, confirmatione Apoſtolica, vel quacunque firmitate alia roboratis, aut ſi aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis eccleſiaſticis in illis partibus ſpeciales, vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem, & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus præfatum Electum in aſſecutione dictæ Eccleſiæ Sancti Laurentii volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum præjudicium generari, ſeu ſi venerabili Fratri noſtro Epiſcopo Caffen., vel quibuſvis aliis communiter vel diviſim a præfata ſit Sede indultum, quod ad receptionem, vel proviſionem alicujus minime teneantur, vel ad id compelli, aut quod interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint, quodque de hujuſmodi, vel aliis Beneficiis eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem conjunctim vel ſeparatim ſpectantibus nulli valeat provideri per literas Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto hujuſmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel ſpeciali cujuſcunque tenoris exiſtat per quam præſentibus non expreſſam, vel totaliter non inſertam effectus hujuſmodi gratiæ impediri valeat, quomodolibet, vel differri, de qua, cujuſque toto tenore habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, proviſo quod dicta Eccleſia Sancti Laurentii propterea debitis non fraudetur obſequiis, & animarum cura in ea nullatenus negligatur, Nos enim ex nunc irritum decernimus, & inane, ſi ſecus ſuper his a quoquam, quavis auctoritate, ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos II Idus Januarii, Pontificatus noſtri Anno Decimo (Chriſti MCCCCXXVII Die XII Januarii). Ex *Archivo Apoſtolico Libro CLXXXII fol.* 133. Hanc Eccleſiam *infideles* inter & *Tartaros* ſitam eſſe docet ipſamet *Conſtitutio*. Hinc legendum crediderim *Cambalien.*, & ex hoc firmantur quæ dicta ſunt in *Appendice ad Pontificatum Innocentii VII.* Ut enim docet hiſtoria, ſeptentrionalem partem *Sinenſis* Imperii, ubi *Cambalienſis* urbs, vulgo *Cambalu*, & *Peking* ſita eſt, per id tempus *Tartari* depopulabantur.

F. Andreas de Aurea, vulgo *Doria*, nobiliſſima gens eſt apud Genuenſes, Epiſcopus Andrenſis, *Andro*, in ejuſdem nominis Inſula maris Ægæi, ſub Archiepiſcopo Naxenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XXXII pag.* 123. *Cavalerius Tomo I pag.* 232 *num. LVII. Echard Tomo I Scriptor. Ordinis ad annum MCCCCXXXVI pag.* 790. *Conſtitutio CCXVI Martini V.* Data fuit hæc *Conſtitutio XXVIII* Martii *MCCCCXXVII.* Hinc emendandi Scriptores qui docent *Andream* ab an. *MCCCCXIX* Epiſcopum *Andrenſem* fuiſſe. *Athenienſis* Archiepiſcopi Suffraganeum fuiſſe *Andream*, ſcribit *Fontana*. Sed nota quod in *Andrenſi* Eccleſia duo ſedebant Epiſcopi, *Græcus* unus ſub *Athenienſi* Metropoli, *Latinus* alter ſub *Nancenſi*, ſeu *Nanienſi*. Anno 1427 Die 28 Martii.

F. Arnolfus, Epiſcopus Lauſannenſis, in Helvetiis, ſub Archiepiſcopo Biſuntino. *Cavalerius Tomo I pag.* 223 *num. XXXVIII, ex Altamura*. Circa Annum 1427.

F. Antonius, Epiſcopus Graſſenſis, *Graſſe*, in Gallo-Provincia, ſub Ebredunenſi Archiepiſcopo. *Conſtitutio CCXXIII Martini V.* Succeſſit *Bernardo*. Anno 1427 Die 17 Octobris.

F. Marinus Teldi, de Venetiis, Adminiſtrator in Spiritualibus & temporalibus Scutarenſis Eccleſiæ. *Conſtitutio CCXXVII Martini V.* Hæc *Scutarenſis* Sedes, Latine *Scodrenſis*, vulgo *Scutari*, ſita eſt in *Albania*, ſub *Antibarenſi* Metropoli. Ipſi tunc præerat *Johannes*, ſed abſens erat. Hinc *Marinum* adminiſtratorem conſtituit *Martinus V*, Adminiſtratorem, inquam, non Epiſcopum. Anno 1427 Die 23 Decembris.

F. Petrus de S. Blaſio, Epiſcopus Bovianus, *Bojano*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo Beneventano. *Conſtitutio CCXXIX Martini V.* Illum crediderim qui *Bovianæ* Sedi hoc eodem anno *MCCCCXXVIII* præficitur, & *Petrus Urſus* vocatur ab *Ughello in Epiſcopis Bovianis Tomo VIII Italiæ Sacræ pag.* 244, *Edit. II, Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CIII pag.* 146, & *Cavalerio Toma I pag.* 232 *num. LX.* Notandum tamen, quod *Cavalerius* unum ab alio diſtinguit, & cenſet *Petrum de S. Blaſio* adminiſtratorem fuiſſe, *Petrum* vero *Urſum* Epiſcopum conſtitutum eſſe. Sed hæc diſtinctio ex eo diſpiicet, quod *Conſtitutione* laudata *Petrus* ipſe *de S. Blaſio Bovianus* Epiſcopus creatur. Anno 1428 Die 23 Februarii.

F. Franciſcus Servandi, Epiſcopus Arbenſis, in ejuſdem nominis Inſula Dalmatiæ, ſub Archiepiſcopo Jaderenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. XLVII pag.* 129, *ex Ughello, & Olmeda. Cavalerius Tomo I pag.* 246 *num. CV.* Ad *Juſtinopolitanam* Sedem translatus eſt *Franciſcus*.

Anno 1428 Die 23 Februarii. IDem, Epiſcopus Juſtinopolitanus, *Capo d'Iſtria*, in Iſtria, ſub Aquilejenſi Patriarcha. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCVII pag.* 208, *ex Ughello, & Olmeda. Cavalerius Tomo I pag.* 246 *num. CV.*

Anno 1428 Die 26 Maii. F. Matthæus Bonimpertus, Bompertus, vel de Bonipartis, Epiſcopus Mantuanus, in Gallia Tranſpadana, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Mantuanis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 869, *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCLXIV pag.* 224. *Cavalerius Tomo I pag.* 238 *num. LXXXIII. Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCXLIV pag.* 796.

Anno 1428 Die 14 Aprilis. F. Hector Antonii de Mancha, Epiſcopus S. Juſtæ, *Sancta Giuſta*, in Sardinia, ſub Archiepiſcopo Arborenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. DXVI pag.* 286, *ex Actis Conſiſtorialibus. Cavalerius Tomo I pag.* 80, & *pag.* 698, ubi ex *Fontana* in *Monumen.* laudat Diploma Pontificium inſcriptum *Dilecto filio Hectori Antonii de Mancha Electo S. Juſtæ.*

Anno 1429. F. Guillelmus de Podio, Epiſcopus Geruntinenſis, ſeu Cerentinenſis, vulgo *Cerenza*, in Regno Neapolitano, ſub Archiepiſcopo S. Severinæ. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXIII pag.* 197, *ex Ughello, & Taegio. Cavalerius Tomo I pag.* 232 *num. LXI.*

Circa Annum 1429. F. Pontius Lauterii, Alumnus Montis-Peſſulani Cœnobii, Epiſcopus Trojanus, in Regno Neapolitano, immediate ſub S. Sede. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. in Indice Epiſcopor. pag.* 24 *col. II.* Anno *MCCCCXX* die *XXVIII* Julii Sodalibus *Maſſilienſis* Conventus dono dedit *Legendam Sanctorum*, ſeu librum, cui titulus: *Flores Sanctorum*: editum a *Jacobo* noſtro *de Voragine.* Aſſervatur in Bibliotheca *Maſſilienſis* Cœnobii.

Anno 1429 Die 28 Februarii. F. Andreas, Epiſcopus Sutrinus, *Sutri*, in Provincia Patrimonii Sancti Petri, immediate ſub S. Sede. *Ughellus in Epiſcopis Sutrinis Tomo I Italiæ Sacræ pag.* 1276 *Edit. II. Fontana Theatro Dominicano Parte I Capite V Tit. DLVIII pag.* 302. *Cavalerius Tomo I pag.* 227 *num. L.* Nota quod in Monumentis *Vaticanis* Andreas iſte *Conſtantinopolitanus* vocatur. Auctor eſt *Ughellus*. Ab aliis *Piſanus* fertur.

Anno 1429 Die 9 Decembris. F. Stephanus de Spernacho, Epiſcopus Aptenſis, *Apt*, in Gallo-Provincia, ſub Aquenſi Archiepiſcopo. *Conſtitutio CCXLIV Martini V.*

Anno 1430 Die 10 Februarii. F. Sanctus de Ferraria, Epiſcopus Plouacenſis, ſeu Plocenſis, vulgo *Ploczko*, in Polonia inferiori, ſub Archiepiſcopo Gneſnenſi. *Conſtitutio CCXLVI Martini V.*

Anno 1430. F. Johannes de Caſanova, de quo ſæpius in hac *Appendice*, Adminiſtrator Gerundenſis Eccleſiæ, *Girona*, in Catalonia, ſub Archiepiſcopo Tarraconenſi. *Cavalerius*, ceterique ſupra laudati. Notandum, quod de anno inter ipſos non convenit.

Anno 1430. F. Johannes Morales, ex Epiſcopo *Pacenſi*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Gennenſis, *Jaen*, in Hiſpania Bætica. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCLXIV pag.* 197, *ex Fernandez. Cavalerius Tomo I pag.* 225 *num. XLIII.*

Anno 1430 Die 23 Martii. F. Dominicus de Pupio, Epiſcopus Cephalonenſis, ſeu Ceſalonenſis, *Ceſalonia*, in ejuſdem nominis Inſula, tunc ſub Patracenſi, nunc autem ſub Archiepiſcopo Corcyrenſi. Audiendus hac de re *Martinus* ipſe, cujus Diploma hujus tenoris eſt: *Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, dilecto filio Dominico de Pupio Electo Ceſalonen., Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Cum Nos nuper Eccleſiæ Ceſalonenſi tunc paſtore carenti de perſona tua Nobis, & Fratribus noſtris ob tuorum exigentiam meritorum accepta de Fratrum eorundem conſilio duxerimus auctoritate Apoſtolica providendum, præficiendo te illi in Epiſcopum, & Paſtorem, prout in noſtris inde confectis literis plenius continetur, Nos ad ea quæ ad tuæ commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tuis ſupplicationibus inclinati tibi. ut a quocunque malueris catholico Antiſtite gratiam, & communionem Apoſtolicæ Sedis habente, aſcitis, & in hoc ſibi aſſiſtentibus duobus, vel tribus aliis Catholicis Epiſcopis ſimilem gratiam, & communionem habentibus, munus conſecrationis recipere valeas, ac eidem Antiſtiti, ut munus prædictum auctoritate noſtra impendere libere tibi poſſit, plenam, & liberam concedimus tenore præſentium facultatem. Volumus autem quod idem Antiſtes qui tibi præfatum munus impendet, poſtquam tibi illud impenderit a te noſtro, & Romanæ Eccleſiæ nomine fidelitatis debitæ ſolitum recipiat juramentum juxta formam quam ſub Bulla noſtra mittimus interclusam, ac formam juramenti quod te præſtare contigerit Nobis de verbo ad verbum per tuas patentes literas tuo ſigillo ſignatas per proprium Nuncium quantocius deſtinare procuret, per hoc autem venerabili Fratri noſtro Archiepiſcopo Patracenſi, cui dicta Eccleſia Metropolitico jure ſubeſſe dignoſcitur, nullum in poſte-*

in poſterum præjudicium generetur. Datum Romæ apud Sanctos Apoſtolos X Kalendas Aprilis, Pontificatus noſtri Anno Tertio Decimo (Chriſti MCCCCXXX Die XXIII Martii). Ex *Archivo Apoſtalico*. Hinc Emendandi *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CLIX pag.* 163, & *Cavalerius Tomo I pag.* 226 *num. XLV*, ubi *Dominicum* Sedi *Cephaleditanæ* præficiunt in *Sicilia*.

F. Thomas Tomaſſinus, ex Epiſcopo *Tragurienſi*, ut in hac *Appendice* videre eſt, Epiſcopus Leſinenſis, ſeu Pharienſis, Italis *Leſina*, Slavis *Huar*, in ejuſdem nominis Inſula Illyriei, ſub Archiepiſcopo Spalatenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXVIII pag.* 214, *ex Libro Proviſion. Martini V. Cavalerius Tomo I pag.* 228 *num. LI*. Ad *Maceratenſem* Epiſcopatum tranſlatus eſt *Thomas*, ut in *Appendice* ſequenti dicetur. Vide *Notas* ad *Conſtitutionem Eugenii IV* datam *XXIX* Octobris *MCCCCXXXV*. Anno 1420 Die 20 Maii.

F. Petrus Urſus, ex Epiſcopo *Bojanen.*, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Epiſcopus Monopolitanus, *Monopoli*, in Regno Neapolitano, immediate ſub S. Sede. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXCVII pag.* 239, *ex Ughello*. *Cavalerius Tomo I pag.* 232 *num. LX.* Anno 1431 Die 15 Januarii.

F. Antonius de Carlenis, Epiſcopus in *Partibus*, ut ajunt, & Coadjutor Amalphitenſis Archiepiſcopi. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad an. MCCCCLX pag.* 820. *Ughellus*, *Fontana*, *Cavalerius*, ceterique inferius laudandi, *Amalphitanus* ſiquidem Archiepiſcopus fuit *Antonius*, ut in *Appendice ad Pontificatum Nicolai V* dicetur. Circa Annum 1431.

F. Johannes Validire, a S. Leone nuncupatus, Alumnus Morlacenſis Cœnobii, Doctor Pariſienſis, Epiſcopus Leonenſis, vulgo *S. Paul de Leon*, in Britannia Minori, ſub Archiepiſcopo Turonenſi. *Fontana Theatro Dominicano Parte I Cap. V Tit. CCCXXVI pag.* 214, *ex Gallia Chriſtiana*. *Cavalerius Tomo I pag.* 239 *num. LXXXIV*. Ad *Venetenſem* Eccleſiam tranſlatus fuit, ut in *Appendice* ſequenti videre eſt. Circa Annum 1431.

LEGATI.

F. Johannes de Benedictis, ſeu Benedictus, Epiſcopus Tarviſinus, ut in hac *Appendice* dictum fuit, Nuncius Apoſtolicus. *Annotator Ughellianus in Epiſcopis Tarviſinis Tomo V Italiæ Sacræ pag.* 562. Anno 1418.

B. Johannes Dominici, S. R. E. Cardinalis, ut in *Appendice ad Pontificatum Gregorii XII* videre eſt, Legatus a Latere in Hungariam miſſus. *Conſtitutio XV Martini V*. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. I num. XII pag.* 345, ex *S. Antonino*, *Ciaconio*, & *Ferrario*. Anno 1418 Die 10 Julii.

IDem Legatus ad Græcos renunciatus. *Andreas Rhadius* in *Oratione ad Baſileenſes*, cujus hæc verba in Actis *Baſileenſis* Concilii. *Dominus Johannes Epiſcopus Cardinalis tituli S. Sixti, vir omnium ſuæ ætatis religione & ſapientia ſpectatiſſimus, Legatus in Græciam declaratus eſt, quem illuc properantem, ſi mors non ſuſtuliſſet, plurimi nunc populi, ac nationes ritu & religione eſſent vobis ſimillimi &c.* Circa Annum 1419.

F. Johannes a Podio Nucis, Epiſcopus Catanenſis, ut in hac *Appendice* videre eſt, Nuncius Apoſtolicus in Sicilia. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. II Tit. II num. XXVIII pag.* 357, *ex Pirro in Sicilia Sacra*, *& Olmeda*. Anno 1419.

F. Leonardus Statii de Datis, Generalis Magiſter Ordinis, S. Sedis Legatus, & Præſes Papienſis Concilii. *Fontana Theatro Dominicano Parte II Cap. III Tit. I pag.* 366, *ex Olmeda, Ciaconio, Spondano, Bzovio &c.* Conſulendus *Bzovius Annal. Eccleſiaſt. ad an. MCCCCXXIII*. Id etiam liquet ex Diplomate quod refert idem *Bzovius ad an. MCCCCXXI num. XXIX*. Hujus tenoris eſt. *Martinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus Petro Archiepiſcopo Cretenſi, & Jacobo Epiſcopo Spoletano, ac dilectis filiis Petro Abbati de Roſatio Sancti Petri, Aquilejenſis Diœceſis, necnon Leonardo de Florentia, Ordinis Fratrum Prædicatorum, & ſacræ paginæ profeſſori, ac ejuſdem Ordinis Generali Magiſtro, noſtris & Apoſtolicæ Sedis Nunciis, Salutem, & Apoſtolicam Benedictionem. Nuper ſiquidem cupientes generale Concilium juxta deliberationem & ordinationem Sanctæ Synodi Conſtantienſis, ad deputationem loci olim, eadem approbante Synodo per Nos factam in Civitate Papienſi, auctore Domino, celebrari, ut illa in eo ſtatuerentur & fierent quæ cederent ad laudem Dei & bonum publicum Eccleſiæ ſuæ Sanctæ, vos ad civitatem prædictam pro futuro ibidem tenendo & celebrando Concilio generali, noſtros & Apoſtolicæ Sedis Nuncios, de Fratrum noſtrorum Conſilio providimus deſtinandos, vobis inter cetera, nomine & auctoritate noſtris, ipſi Concilio præſidendi, & inibi pro veſtra ſapientia illa providendi, deliberandi, ſtatuendi, decernendi, & concludendi quæ ad conſervationem, & augmentum religionis & fidei Chriſtianæ, & reformationem Cleri, & ſtatus eccleſiaſtici pertinent, poteſtatem plenariam concedentes, prout in aliis noſtris literis plenius continetur. Nos igitur attendentes, ut in bene gerendis rebus dicti Concilii eo utilius, & perfectius proficere valeatis, quo ampliori fueritis per Nos auctoritate muniti, & ne propter aliquem caſum,* Anno 1423. CXIII-2.

qui

qui ſolet quandoque contingere, celebratio & continuatio ejuſdem Coucilii retardetur, opportune providere volentes, diſcretioni veſtræ, ubi legitima cauſa ſubſiſtat, ipſum Concilium de eivitate prædicta ad quamcuuque civitatem aliam ejuſdem nationis, ad hoc liberam, habilem, & ſufficientem, de qua vobis videbitur, auctoritate uoſtra trausfereudi, illudque prorogaudi, mutaudi, & diſſolveudi, ipſumque Concilium in hujuſmodi alia eivitate, ad quam id forſan transferri & mutari coutigerit, eontiuuandi, teueudi, & celebrandi, & illue Prælatos & alios evocaudi, eique uomine & auctoritate prædictis præſideudi, & quæcuuque in eo decreta, eodem approbante Coneilio, ordinandi, ſtatuendi, & deeerneudi, illaque iu publicis Seſſionibus juxta morem ſolemuiter publicandi, & approbaudi, ut nihilominus ante diſſolutionem præſentis Coucilii, locum pro alio futuro Concilio inde ad ſepteuuium celebrando juxta deliberatiouem, declaratiouem, & ordinatiouem prædictas, etiam ante menſem, ubi rationabilis cauſa eſſet, ne aliquo modo hujuſmodi loci deputatio differatur, nominandi, deputandi, & aſſignandi, & alia iu præmiſſis omnibus ageudi, diſponendi, ſtatuendi, & exequeudi, ac concludeudi, quæ pro ſtatu, honoreque noſtris & Romanæ Eccleſiæ, ac tranquillitate & pace Reipublicæ Chriſtianæ noveritis profutura, plenam & liberam de dictorum Fratrum Couſilio, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium eoneedimus facultatem, ratum & gratum habituri quicquid per vos ſuper præmiſſis in eodem Concilio propoſitum, deliberatum, ſtatutum, & decretum fuerit, ac eoncluſum. Idque faciemus auctore Domiuo, uſque ad ſatisfactionem condignam inviolabiliter obſervari. Datum Romæ apud S. Petrum VIII Kaleudas Martii, Pontificatus noſtri Anno Sexto.

Anno 1430. F. Andreas Rhodius, Archiepiſcopus Coloſſenſis, ut in hac *Appendice* dictum eſt, Legatus Conſtantinopolim miſſus. *Echard Tomo I Scriptor. Ord. ad annum MCCCCXLV pag.* 801, ex *Sguropulo Hiſtor. Concilii Florentini Sect. II Cap.* 5, & ex ipſomet *Andrea* in Oratione ad *Baſileenſes* Patres.

INDEX,

Hujus Secundi Voluminis Diplomata recenſens.

MARTINUS	dictus	IV	Habet	5.
HONORIUS		IV		20.
NICOLAUS		IV		29.
S. CÆLESTINUS		V		0.
BONIFATIUS		VIII		39.
B. BENEDICTUS	dictus	XI		37.
CLEMENS		V		16.
JOHANNES	dictus	XXII		103.
BENEDICTUS	dictus	XII		3.
CLEMENS		VI		24.
INNOCENTIUS		VI		14.
URBANUS		V		8.
GREGORIUS		XI		44.
URBANUS		VI		11.
BONIFATIUS		IX		237.
INNOCENTIUS		VII		7.
GREGORIUS		XII		6.
ALEXANDER		V		24.
JOHANNES	dictus	XXIII		41.
MARTINUS	dictus	V		247.
				915.

IN-

INDEX CHRONOLOGICUS

Diplomatum Secundi Voluminis.

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
MARTINUS dictus IV.	I.	1281	Octobris	21	Fidei deſertores ubique, etiam in ædibus ſacris, comprehendendi.	1
	II.	1282	Januarii	10	Magiſter Generalis, & Provinciales Concionibus habendis, & excipiendis ſecularium Confeſſionibus Fratres præficiant.	1
	III.		Februarii	9	Idem.	2
	IV.				In Parochos moleſtias Fratribus exhibentes.	3
	V.		Septemb.	11	Prior Prædicatorum, & Guardianus Minorum, Bononienſium lites componant.	3
HONORIUS IV.	I.	1285	Julii	19	De Cœnobio Tiburtino conſtituendo.	6
	II.		Septemb.	13	Interdicti tempore ſacra celebrare, & Sacramenta ſuſcipere poſſumus.	6
	III.			17	In Epiſcopum Zamorenſem moleſtiis Fratres afficientem.	7
	IV.		Octobris	1	Ordo diurnarum precum, ab Humberto inſtitutus, poteſt ex trium Capitulorum Generalium præſcripto mutari.	8
	V.				Inſulenſis Monaſterii privilegia firmat.	8
	VI.		Novemb.	20	Mare magnum.	9
	VII.			25	De conſtruendis & dedicandis Ædibus Sacris Ordinis.	9
	VIII.	1286	Januarii	19	Compoſitiones & pacta, damno jurium & privilegiorum Ordinis conficta, reſcindit.	9
	IX.			28	Interdicti generalis tempore Fratres & Sorores de Pœnitentia Sacris intereſſe, & Sacramenta ſuſcipere poſſunt.	10
	X.		Februarii	13	Epiſcopus Auximanus Fratres in Cœnobii S. Florentii poſſeſſionem mittat.	10
	XI.		Martii	18	De ſolvendis ab Interdicto Venetis ſervantibus ea quæ FF. Baxianus & Daniel, ceterique Nuncii ſpoponderunt.	11
	XII.		Maii	3	De ſacris Ædibus Florentini Cœnobii perficiendis.	12
	XIII.			7	In Parmenſes Fratribus moleſtias exhibentes.	12
	XIV.			28	F. Jacobus de Peruſio Eccleſiæ Florentinæ curam ſuſcipiat.	13
	XV.		Junii	13	F. Raymundus Vapincenſis Epiſcopus Archiepiſcopum Viennenſem ſolvat ab indebito juramento.	14
	XVI.		Auguſti	23	Petrus Patriarcha Conſtantinopolitanus conſecratur a F. Latino S. R. E. Cardinali Ordinis Prædicatorum.	14
	XVII.			25	Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ Valentin. juris ſit Provincialis Hiſpaniæ.	15
	XVIII.		Decemb.	5	Priori Prædicatorum, ne Leodienſes parvuli Baptiſmate; & pœnitentia morientes interdicantur.	15
	XIX.			18	Provincialis Franciæ duos ad S. Inquiſitionis officium Tabelliones creare poſſit.	16
	XX.	1287	Martii	4	Pacis Carolum inter & Jacobum ineundæ conditiones a F. Raymundo Ord. Prædicatorum, Epiſcopo Vapincenſi, eiuſdem Caroli Principis Salernitani Nuncio, oblatas explodit.	16

NICOLAUS IV.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	I.	1288	Aprilis	11	Piis Fratrum precibus ſe commendat.	19
	II.		Maii	18	FF. Jacobus de Voragine Ord. Præd. & Ruffinus de Alexandria Ord. Min., Genuenſes cenſuris ſolvant.	19
	III.		Julii	28	Solius Romani Pontificis juris & poteſtatis eſt Ordo Prædicatorum.	20
	IV.				Votis ſolemnibus nuncupatis diſcedentes ab Ordine ad honores aſcendere non poſſint.	20
	V.		Auguſti	5	Firmat donationes factas Monaſterio S. Annæ de Nuceria.	21
	VI.		Septemb.	3	Fidei Præcones, ſeu Miſſionarios, Privilegiis ornat.	22
	VII.			5	In Chriſtianos qui judaicos ritus ſectantur.	22
	VIII.			24	Ne quis ex noſtris ſine conſenſu Generalis Magiſtri, vel Provincialis fiat Epiſcopus.	23
	IX.		Decemb.	23	Leges in hæreticos latæ.	23
	X.	1289	Julii	5	Urbevetani Monaſterii Moniales Ord. S. Benedicti peccata ſua noſtris Fratribus confiteri poſſint.	23
	XI.		Auguſti	26	Inquiſitoribus agenda præſcribit.	24
	XII.		Septemb.	13	F. Nicolao de Hanapis, Patriarchæ Jeroſolymitano, viginti triremes ſubſidio Terræ Sanctæ profectas eſſe ſignificat.	24
	XIII.		Octobris	6	In Cenomanenſes moleſtias exhibentes Fratribus.	25
	XIV.		Novemb.	10	F. Guillelmus de Heudon, Eduardi Regis Angliæ Nuncius, ad ipſum remittitur.	25
	XV.		Decemb.	8	Fratres Monialibus Ordinis præficiuntur.	26
	XVI.			12	F. Salvius Recanatenſis fit Epiſcopus.	26
	XVII.			13	Moniales Decimis ſolvendis immunes.	27
	XVIII.	1290	Maii	6	In Fratres qui excommunicatos admiſerint ad Divina.	28
	XIX.			20	De F. Guillelmo de Heudon, Eduardi Regis Angliæ Nuncio.	28
	XX.		Junii	22	Provincialis Franciæ ſex Fidei cenſores conſtituat.	29
	XXI.			27	Idem Tres alios Inquiſitores creer.	29
	XXII.		Novemb.	9	Fratres Prædicatores hæreditates adire poſſe, declarat.	30
	XXIII.	1291	Aprilis	2	F. Muñio a Magiſterio Generali depellitur.	31
	XXIV.		Junii	1	Moniales tributis ſolvendis immunes.	31
	XXV.			9	Idem.	32
	XXVI.			11	Raguſinus Archiepiſcopus electionem Savenſis Epiſcopi confirmet de conſilio Prioris Prædicatorum, & Guardiani Minorum.	32
	XXVII.		Julii.	18	Indulgentiæ conceſſæ viſitantibus ædes Sacras Viterbienſis Cœnobii.	32
	XXVIII.		Auguſti.	1	Provincialem Lombardiæ, & quadraginta Fratres delegat, qui bellum pro ſubſidio Terræ Sanctæ ſuſcipiendum populis ſuadeant.	33
	XXIX.			5	De perficiendis Sacris ædibus Neapolitani Cœnobii.	34
BONIFATIUS VIII.	I.	1295	Januarii.	21	Summam duarum millium librarum deſtinat conſummandis ſacris ædibus S. Mariæ ſupra Minervam.	39
	II.		Martii.	8	Ne Fratres Provinciæ Lombardiæ moleſtiis afficiantur.	39
	III.		Aprilis.	6	De conſtituendo Cœnobio San-Maximinenſi.	39
	IV.			7	Idem Cœnobium privilegiis ornat.	41
	V.				De eodem Cœnobio.	42
	VI.			8	Fratres in ipſius poſſeſſionem mittit.	44
	VII.		Auguſti.	5	Provincia Siciliæ a Romana dividitur.	44
	VIII.		Septemb.	20	Fratres Apoſtolorum, Evangeliſtarum, & quatuor Doctorum Feſta duplici ritu celebrent.	44
	IX.		Novemb.	11	Eccleſiam S. Mariæ Saodomirien. Indulgentiis ornat.	45
	X.			25	Fratres Ordinis Beatæ Mariæ de Monte Carmeli	

BONIFATIUS VIII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					Cappis albis utantur ex præſcripto F. Latini Ord. Præd., & Gervaſii Cardinalium.	46
	XI.	1296	Maii.	10	Rimulis & apicibus juris, ac Appellatione ſublatis, ſecundum Ordinis ſtatuta tantummodo nocentes plectantur.	47
	XII.				Ordo Prædicatorum ſolius Romani Pontificis juriſdictionis eſt.	47
	XIII.		Junii.	19	Mare Magnum.	48
	XIV.		Novemb.	22	Mille libras deſtinat valetudinario Viterbien. Cœnobii conſtruendo, & debitis ejuſdem Conventus perſolvendis.	51
	XV.			27	Moniales Tributis pro Sicilia ſolvendis immunes.	52
	XVI.	1297	Januarii.	18	Fratres curam gerant Ferrarien. Monaſterii S. Catharinæ.	52
	XVII.		Junii.	22	Sorores Reginenſes FF. Minoritis quaſdam poſſeſſiones cedere poſſint.	53
	XVIII.		Julii.	23	Moniales Decimis & tributis ſolvendis eximit.	53
	XIX.		Octobris.	13	Inquiſitor Carcaſſonenſis in Biterrenſes inquirat.	54
	XX.	1298	Aprilis.	22	Extruenda Cœnobia centum & quadraginta cannis diſtent ab ædibus Sacris Ordinis Prædicatorum.	54
	XXI.		Maii.	5	Declarat Ordines Prædicatorum & Minorum non eſſe ex eorum numero quos Lugdunenſe Concilium extinctos voluit.	55
	XXII.		Decemb.	5	F. Nicolaus de Tarviſio S.R.E. Cardinalis creatur.	55
	XXIII.	1299	Februar.	10	F. Johannes Archiepiſcopus Piſanus conſtitutus.	56
	XXIV.		Martii.	23	Hoſpitalis domus Viterbien juris eſt Ordinis.	56
	XXV.				De eodem Hoſpitio pauperum.	57
	XXVI.				Ne Fratres Barchinonenſes moleſtiis afficiantur.	58
	XXVII.		Aprilis.	10	Fidei Præcones privilegiis donat.	58
	XXVIII.	1300	Aprilis.	11	Electores Generalis Capituli hortatur, & Ordinem laudibus celebrat.	60
	XXIX			12	De multiplicandis Ordinis Provinciis.	60
	XXX.		Maii.	26	Quarta Funeraria proprie dicta, non vero Tertia, vel alia pars Parochiæ ſolvenda.	61
	XXXI.	1301		13	F. Nicolai S. R. E. Cardinalis Legatio in Pannoniam.	61
	XXXII.		Octobris.	17	Wenceslaus Bohemiæ Rex ejuſdem Nicolai monitis acquieſcat.	62
	XXXIII.				Idem Legatus Archiepiſcopo Colocenſi diem dicat, quo ſe ſiſtat apud Summum Pontificem.	63
	XXXIV.	1302	Januarii.	22	Generalis Magiſter & Provincialis Lombardiæ Fidei Cenſores conſtituant in Civitatibus ac Diœceſibus Paravin., & Vicentin.	64
	XXXV.		Junii.	10	De F. Nicolao S. R. E. Cardinali, Legato in Hungariam miſſo.	65
	XXXVI.	1303	Januarii.	16	Declarat, nihil ex Conſtitutione, quæ incipit: *Super Cathedram*: ſancitum fuiſſe de legatis teſtamento Fratribus relictis ab iis, qui ſepulturam non eligunt apud eoſdem Fratres.	67
	XXXVII.		Martii.	16	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes ſacras Viterbien. Cœnobii S. Mariæ ad Gradus.	67
	XXXVIII.		Maii.	31	Narrat ea quæ F. Nicolaus S. R. E. Cardinalis, & S. Sedis Legatus in Hungaria geſſit.	67
	XXXIX.		Auguſti.	9	De mortuis Romæ ſepeliendis, & Confeſſionibus excipiendis a Fratribus.	70
B. BENEDICTUS dictus XI.	I.		Novemb.	1	Alumnum Ordinis ſeſe profitetur, & Præſulum preces implorat.	77
	II.			6	De lite Fratres inter & Parochos Metenſes.	78
	III.		Decemb.	5	Urbeveranum Monaſterium S. Pauli cooptat in Ordinem noſtrum.	79
	IV.				Provincialis Romanæ Provinciæ ſuſcipiat curam ejuſdem Monaſterii.	79
	V.			18	Hoſpitalis Viterbienſis privilegia confirmantur.	80
	VI.			13	Ne quis Hoſpitali Viterbienſi moleſtias exhibeat.	81

Foro-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
B. BENEDICTUS dictus XI.	VII.	1303	Decemb.	21	Forolivienſis Monaſterii S. Dominici curam delegat Fratribus.	81
	VIII.			23	Mille florenos deſtinat Cœnobio S. Severini.	82
	IX.	1304	Januarii	5	De diſtantia Cœnobiorum Prædicatorum & Minorum Fratrum.	82
	X.			20	Firmat privilegia Cœnobii San-Maximinenſis.	84
	XI.			31	F. Nicolaus S. R. E. Cardinalis Legatus in Hetruriam miſſus.	85
	XII.		Februarii	5	Mille florenos donat Fratribus Patavinis.	86
	XIII.			13	Ordinem laudibus celebrat, & ejuſdem ſacras ædes viſitantibus Indulgentias impertitur.	86
	XIV.			14	Quas ipſemet conſecrarat, ædes Sacras Patavini Cœnobii viſitantibus Indulgentias elargitur.	86
	XV.			16	Utrumque Lombardiæ Provincialem eadem auctoritate donat circa Fidei Quæſitores.	86
	XVI.			17	Abrogans Conſtitutionem quæ incipit: *Super Cathedram*: FF. Prædicatores, & Minores Privilegiis ornat.	88
	XVII.			23	Nucerinum Monaſterium S. Annæ in Provinciam Siciliæ cooptatum declarat.	90
	XVIII.				De horto Fratribus Urbevetan. vendendo.	91
	XIX.			27	Epiſcoporum juriſdictione, Decimis, & Tributis Moniales Ordinis immunes declarat.	91
	XX.		Martii	7	Mille florenos dat Cœnobio Savillianenſi.	92
	XXI.			10	Conſervatores conſtituti pro Provincia Lombardiæ Superioris.	92
	XXII.				Alii creantur pro Provincia Lombardiæ Inferioris.	93
	XXIII.				Fratres laudat, & ipſorum precibus ſe commendat.	93
	XXIV.				Conſervatores pro Romana Provincia.	94
	XXV.			11	Hoſpitali Viterbienſi illata damna ſarcienda curat.	94
	XXVI.				Idem.	95
	XXVII.			12	Omni prorſus Epiſcoporum juriſdictione Ordinem FF. Prædicatorum declarat immunem.	95
	XXVIII.			15	Mille florenos deſtinat Fratribus Toloſanis.	96
	XXIX.			19	Ne Moniales Ordinis noſtri Monaſteriis alterius Ordinis præficiantur.	96
	XXX.			31	De perficiendis Sacris ædibus Raguſini Cœnobii.	96
	XXXI.				Centum libras eiſdem confert.	97
	XXXII.		Aprilis	4	Ut Cremonenſes Fratres locum S. Guilelmi diſtrahere poſſint.	97
	XXXIII.			13	Fratres cenſuris eccleſiaſticis ſolvuntur.	97
	XXXIV.			14	Epiſcopum inter & Fratres Barchinonenſes de Sepultura initam compoſitionem confirmat.	98
	XXXV.		Maii	13	Firmat quæ Gofredus, S.S.A. Legatus, in gratiam Cœnobii Bergomenſis ſanxerat.	98
	XXXVI.			22	Queritur de injuria illata F. Nicolao Ord. Præd. S.R.E. Cardinali, & S. Sedis Legato.	99
	XXXVII.			31	Cœnobium Peruſinum Parochia, certiſque poſſeſſionibus donat.	101
CLEMENS V.	I.	1307	Auguſti	10	Refert quæ B. Benedictus, tunc Legatus, in Hungaria geſſit.	104
	II.		Novemb.	8	Ne Parochi privilegiis noſtris intercedant.	107
	III.	1308	Aprilis	1	FF. Ægidium Gradenſem, Lapum, & alios ad Regem Raſciæ Legatos mittit.	107
	IV.				De eadem Legatione.	112
	V.		Auguſti	12	Ea reſcindit quæ Cardinales ſanxerant in Inquiſitores.	112
	VI.	1309	Novemb.	13	Buxenſis Cœnobii fundandi facultas.	113
	VII.	1310	Aprilis	14	F. Thomam Ord. Præd., alioſque Cardinales, qui de gravi controverſia circa gradum ſervandæ paupertatis inter Franciſcanos exorta judicent, delegat.	113
	VIII.	1311	Februarii	17	De Cœnobiis fundandis in Rigenſi Diœceſi.	115

F. Ni-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CLEMENS V.	IX.	1311	Junii	19	F. Nicolaus Oſtienſis Epiſcopus, aliique Cardinales legantur ad Henricum Imperatorem inaugurandum.	116
	X.			22	Eadem de re.	120
	XI.		Septemb.	8	Cœnobii Viennenſis conſtituendi facultas.	120
	XII.	1312	Aprilis		Monaſterium Piſciacenſe Privilegiis ornat.	121
	XIII.				De numero Monialium ejuſdem Monaſterii.	122
	XIV.				Indulgentiæ pro eodem.	122
	XV.				De ſacris ejuſdem Monaſterii ædibus dedicandis.	122
	XVI.		Junii	12	Ne quis Sororibus eiſdem moleſtias exhibeat.	123
JOHANNES dictus XXII.	I.	1316	Decemb.	3	Cœnobii San-Maximinenſis privilegia firmat.	130
	II.	1317	Februarii	14	Ne quis ex noſtris ſine Magiſtri Generalis, vel Provincialis conſenſu fiat Epiſcopus.	131
	III.				De eiiciendis ex Ordine, vel ad alios Ordines transferendis.	131
	IV.				Magiſter Generalis viginti Cœnobia conſtituere poſſit.	132
	V.			15	Ordini conceſſa privilegia confirmantur.	132
	VI.		Martii	1	FF. Bernardum Guidonis Ord. Præd., & Bertrandum de Turre Ord. Minorum, in Italiam legat.	133
	VII.				Primores Italiæ iiſdem pacis Oratoribus manus dent.	134
	VIII.				Iiſdem Legatis agenda præſcribit.	134
	IX.	1318	Februarii	14	De transferendis e noſtro ad alios Ordines.	135
	X.		Martii	15	Ptholomæus, Lucenſis, Epiſcopus Torcellanus creatur.	136
	XI.		Maii	1	Fidei Præcones privilegiis ornat.	136
	XII.				F. Francum Peruſinum primum Soltanienſem Archiepiſcopum creat, ipſiuſque Suffraganeos ſex Ordinis Fratres conſtituit.	137
	XIII.				FF. Peregrinus Ord. Præd., & Nicolaus Ord. Min., Inquiſitores in Cracovien., & Wratiſlavien. Diœceſibus conſtituti.	138
	XIV.				FF. Coldam Ord. Præd., & Hermannus Ord. Minorum, Pragen., & Olomucen. Inquiſitores.	139
	XV.				Epiſcopus Cracovien. Fidei cenſores habeat commendatos.	140
	XVI.			30	Quædam a Capitulo Generali, Lugduni congregando, decernenda præſcribit.	141
	XVII.		Junii	8	F. Raymundus Stephani, aliique FF. Prædicatores in Armeniam miſſi.	142
	XVIII.		Julii	10	Indulgentia plenaria Fidei Præconibus conceſſa.	143
	XIX.			25	FF. Prædicatores, Cenſores Fidei, Dux Venetiarum habeat commendatos.	143
	XX.		Auguſti	1	Cœnobii in Caſtro Rupis fidelis conſtituendi facultas.	144
	XXI.				Dies deſignat, quibus F. Francus, Peruſinus, Soltanienſis Archiepiſcopus, ipſiuſque Succeſſores Pallio uti poſſunt.	144
	XXII.		Septemb.	12	Inquiſitionem in vitam & miracula S. Thomæ Aquinatis decernit.	145
	XXIII.	1319	Februarii	24	Aquenſis Archiepiſcopus, & Epiſcopus Siſtaricenſis Conſervatores noſtri conſtituti.	146
	XXIV.		Aprilis	26	Idem de Wratiſlavien., Cujavien., & Caminen. Epiſcopis.	147
	XXV.		Auguſti	20	FF. Prædicatorum, aliorumque rogatu tractat de conſtituendo Rege Poloniæ.	147
	XXVI.		Decemb.	13	Prædicatores & Minores Fratres Portugallenſes habeant liberam Sepulturam.	148
	XXVII.				Idem.	149
	XXVIII.	1320	Septemb.	4	Judæorum libros FF. Prædicatores, & Minores penitus recognoſcant.	149
	XXIX.	1321	Maii	2	Inquiſitores familiæ ſuæ duntaxat arma geſtandi dent facultatem.	151
	XXX.		Junii	1	De Sancti Thomæ Miraculis inquirendis.	151

Erro-

JOHANNES dictus XXII.

Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
XXXI.	1321	Julii	24	Errores Johannis de Poliaco damnantur.	152
XXXII.		Octobris	15	Vicario Prædicatorum de his qui in Imperio Tartarorum ad Dignitates, vel ad Ordines præter canones ſunt promoti.	153
XXXIII.			23	Privilegia Fidei Præconibus conceſſa.	154
XXXIV.		Novemb.	22	Fauſte precatur Tartaris a Prædicatoribus & Minoribus Fratribus converſis.	155
XXXV.	1322	Julii	3	Fidei deſertores ubique comprehendendi.	155
XXXVI.	1323	Junii	1	F. Guillelmum Soltanien. Archiepiſcopum commendat.	156
XXXVII.				F. Francus e Peruſio Pontificalibus inſigniis utatur, licet Soltanien. Archiepiſcopatus oneri ceſſerit.	156
XXXVIII.			12	F. Johannem Dominicum, alioſque, ad Oroſium Serviæ Regem legat.	157
XXXIX.				Iiſdem Legatis agenda præſcribit.	158
XL.		Julii	18	B. Thomam Aquinatem in SS. numerum aſcribit.	159
XLI.			30	Reginæ Franciæ de *Canonizatione* S. Thomæ.	164
XLII.		Septemb.	1	De Cœnobio FF. Minorum Albingaunen. juxta ſacras ædes Prædicatorum transferendo.	164
XLIII.		Decemb.	14	Carnotenſis & Aurelianenſis Epiſcopi, ac Prior Prædicatorum quæſtionem habeant de Miraculis & vita B. Philippi Bituricenſis Archiepiſcopi.	165
XLIV.	1324	.....	..	FF. Prædicatores & Minores Fidem Catholicam in Lithuania propagare, teſtatur.	165
XLV.	1325	Aprilis	16	Declarat, ſe nihil derogaſſe de Conſtitutione quæ incipit: *Super Cathedram*.	167
XLVI.			26	Quædam a Capitulo Generali decernenda præſtituit.	167
XLVII.			29	Prior Prædicatorum litem componat Clariſſas inter & Capitulum Cordubenſe.	168
XLVIII.		Octobris	12	Indulgentia concedenda moribundis Sororibus Monaſterii de Piſciaco.	169
XLIX.	1326	Junii	1	Ne Sorores de Pœnitentia nuncupatæ in damnationem Beghinarum vocentur.	169
L.		Auguſti	13	Frater Johannes de Serone, & Bernardus de Ortolis, Apoſtolicæ Sedis Nuncii, Norwegiæ Regem medietate Decimæ Sexennalis donent.	170
LI.			16	F. Benedictum, Galliarum Regis Legatum, de Andronico cum Rege Siciliæ collocuturum mittit.	171
LII.			21	F. Lamberto in hæreticos.	172
LIII.		Octobris	1	F. Raymundo Patriarchæ Jeroſolymitano in Neſtorianos, Jacobitas, alioſque Errones Græcos.	172
LIV.	1327	Januarii	23	Sententias, in Prædicatores & Minores Fratres ab officiali Burdigalenſi latas, irritas eſſe jubet.	173
LV.		Aprilis	1	Fratres Inquiſitores Poloniæ commendat.	174
LVI.				Iidem Wladiſlao Regi Poloniæ commendantur.	174
LVII.			29	Provincialis Poloniæ Fidei Cenſores creare poteſt.	175
LVIII.		Septemb.	5	Omnes, qui Miſſæ Sacrificio, in ædibus Sacris FF. Prædicatorum & Minorum Toloſæ celebrando, ſtatutis diebus interfuerint, Indulgentia donat.	176
LIX.		Novemb.	10	Carolus Rex Franciæ Monaſterium de Piſciaco ingredi poſſit.	177
LX.				Idem Monaſterium, cum aliquis ibidem ſepelitur, laici poſſunt ingredi.	177
LXI.				Idem licet Fratribus ad excipiendas confeſſiones ægrotantium, & Medicis ad ægrotantes inviſendas.	178
LXII.	1328	Maii	9	Fidei Præcones, quos Indulgentia plenaria donat, ad infidelium regiones mittendos jubet.	178
LXIII.		Junii	28	FF. Prædicatores & Minores Burdigalenſibus commendantur.	179

JOHANNES dictus XXII.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	LXIV.	1329	Januarii	14	Prior Urbevetanus ſibi, Summo Pontifici, mittat perſcriptam quæſtionem de vita & miraculis Venerabilis Philippi Bituricenſis Archiepiſcopi.	179
	LXV.		Februarii	22	De fundandis Cœnobiis Sancti Geminiani, Sancti Miniatis, & Montis Politiani.	180
	LXVI.		Junii	11	Fratribus noſtris Eccleſiæ paci conſulentibus plaudit, ipſorumque precibus ſe commendat.	181
	LXVII.			30	Sardiniæ, ac Corſicæ Fratres juris ſint Aragoniæ Provinciæ.	181
	LXVIII.		Julii	21	F. Guillelmo Archiepiſcopo, ac Univerſitati Toloſanis agenda præſcribit.	182
	LXIX.		Septemb.	11	Fratres commendat Archiepiſcopo S. Thadæi de Coratefia, in Perſide.	182
	LXX.				Iidem ceteris Perſis commendantur.	183
	LXXI.			29	F. Thomam, Epiſcopum, alioſque Fratres ad Hungaros, Malchaitas, & Alanos mittit.	184
	LXXII.		Octobris	1	Privilegia Fidei Præconibus conceſſa.	184
	LXXIII.			19	F. Johannes de Florentia Tephelicenſis Epiſcopus creatur.	186
	LXXIV.		Novemb.	2	Imperatori Tartarorum, quod Prædicatoribus & Minoribus operam dederit egregiam, grates agit.	187
	LXXV.		Decemb.	1	Eoſdem Fratres Imperatori Trapeſundarum commendat.	188
	LXXVI.			10	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes ſacras Florentini Cœnobii S. Luciæ.	188
	LXXVII.	1330	Januarii	22	Fratres commendat Chriſtianis Imperii Usbech, & Elchigaday.	189
	LXXVIII.			23	F. Guillelmum Tauriſienſem Epiſcopum, alioſque Fratres mittit ad Chriſtianos degentes in montibus de Albors.	189
	LXXIX.				Marforianus Jacobitarum F. Guillelmum Tauriſienſem Epiſcopum, & Prædicatores, ac Minores Fratres habeat commendatos.	190
	LXXX.		Februarii	13	F. Johannem de Core Soltanienſem Archiepiſcopum Pallio donat.	190
	LXXXI.		Aprilis	8	Naſcarinis F. Jordanum Catalani Epiſcopum Columbenſem, & Prædicatores, ac Minores Fratres commendat.	191
	LXXXII.				Fratres Prædicatores Molephatanis commendantur.	191
	LXXXIII.			27	Inquiſitor Carcaſſonenſis, non evocato Magalonenſi Epiſcopo, muneris ſui partes expleat in Civitate Monſ Peſſulanenſi.	192
	LXXXIV.		Octobris	22	F. Guillelmo Archiepiſcopo Toloſano, & Inquiſitoribus in Magos, & ceteros id genus viros.	192
	LXXXV.	1331	Februarii	11	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes ſacras Monaſterii de Piſciaco.	193
	LXXXVI.				De eodem Templo dedicando.	193
	LXXXVII.		Decemb.	1	Prædicatores, ceterique Fratres Mendicantes, ſedes ponant in Inſula Corſicæ.	194
	LXXXVIII.			5	F. Petro Patriarchæ Jeroſolymitano de Bello pro Terra Sancta in Saracenos ſuſcipiendo.	194
	LXXXIX.	1332	Aprilis	22	Fidei Præcones privilegiis donat.	196
	XC.		Julii	8	Inquiſitor Maſſilienſis quendam hæreticum tradat F. Alberto Pedemontis Inquiſitori.	196
	XCI.	1333	Maii	22	Capitulo Generali Divionenſi de Fidei Præconibus ad infidelium regiones mittendis.	197
	XCII.		Julii	2	Fratres Prædicatores commendat Verſacht Regi Ziccorum.	197
	XCIII.		Auguſti	1	F. Franciſcus de Camerino Eccleſiæ Voſprenſi præficitur.	198
	XCIV.			4	Johannes Piſanus Græcos inducat ad unitatem Fidei ſecundum ſpem, quam de ipſo ingeſſerunt Fratres Prædicatores.	199

Andro-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
JOHANNES dictus XXII.						
	XCV.	1333	Auguſti	4	Andronicum Græcorum Imperatorem ex his, quæ de ipſo retulerunt Fratres Prædicatores, ad unitatem Fidei cohortatur.	199
	XCVI.				Eadem de re.	200
	XCVII.				Fratres Franciſcus Voſprenſis Archiepiſcopus, & Ricardus Cerſonenſis Epiſcopus Græcos evellant e Schiſmate.	201
	XCVIII.		Septemb.	5	Generalis Miniſter Fratrum Minorum, & F. Arnaldus de S. Michaele Ord. Præd., legantur ad Reges Angliæ & Scotiæ.	202
	XCIX.				Angliæ Regi, ut pacis Oratorum precibus cedat.	202
	C.			15	Eoſdem commendat Iſabellæ Angliæ Reginæ.	203
	CI.		Octobris	3.	Fidei Præconibus agenda præſcribit.	203
	CII.			31	Legatos mox nominatos ad ſe revocat.	204
	CIII.		Novemb.	22	F. Hugo Generalis Magiſter quatuor Cœnobia conſtituere poſſit.	204
BENEDICTUS dictus XII.	I.	1335	Januarii	9	Piis precibus Fratrum ſe commendat.	218
	II.		Julii	4	Ne Mendicantes ad Benedictinum & Ciſtercienſem Ordines tranſeant.	219
	III.	1339	Januarii	23	De moleſtiis Fratribus Prædicatoribus illatis.	219
CLEMENS VI.	I.	1342	Decemb.	18	Eccleſia Caſtri de Brachala B. Mariæ de Conſolatione Eccleſia nuncupetur.	223
	II.	1343	Julii	1	Conſervatores Monaſterii Pruliani creantur.	223
	III.			11	Conſtitutionem quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervandam decernit.	224
	IV.	1344	Februarii	6	S. Thomæ doctrinam laudibus effert.	226
	V.		Maii	3	Gimontenſis Cœnobii fundandi facultas.	226
	VI.	1345		15	Fratri Oliverio de pecunia pro debellandis Turcis.	227
	VII.			24	Moniales Ordinis immunes tributis ſolvendis.	227
	VIII.			30	Vicario Generali Prædicatorum de Bello contra Turcas.	228
	IX.		Decemb.	17	De Cœnobiis in Dalmatia conſtituendis.	229
	X.	1346	Julii	27	De Barchinonenſi Monaſterio Montis Sion fundando.	230
	XI.			31	F. Antonius Soltanienſis Archiepiſcopus Antiſtitem Seleucien. ad errorem ejurandum compellat.	230
	XII.		Septemb.	24	Mare magnum.	231
	XIII.	1348	Maii	24	Fratres Deum, ſceleribus Chriſtianorum læſum, precibus ſolicitis placent.	232
	XIV.	1350	Februarii	13	Fratres Guillelmum Chiſſimen., & Gaſpertum Ceneten. Epiſcopos in Romaniam legat.	232
	XV.				De eadem Legatione.	233
	XVI.				Idem.	233
	XVII.				Legatos commendat.	233
	XVIII.				Idem.	234
	XIX.				Idem.	234
	XX.	1351	Aprilis	10	De Monaſterio prope Barchinonem conſtituendo.	234
	XXI.				Provincialis Aragoniæ Inquiſitores creare, & deſtituere poſſit.	235
	XXII.		Julii	20	F. Nicolaus Roſelli inquirat in eos, qui Sanguinem Chriſti in Paſſione effuſum a Deitate fuiſſe ſeparatum, dixerint.	235
	XXIII.		Septemb.	26	Comitatus Andegaviæ, & Cenomanenſis, juris ſint Fidei cenſorum, quos Provincialis Provinciæ Franciæ conſtituerit.	236
	XXIV.	...	....	..	Conventus de Sangoſſa alio transferendus.	236
INNOCENTIUS VI.	I.	1353	Martii	5	De fundando Monaſterio Villæ Novæ Portugallen.	243
	II.		Julii	15	F. Johannem Schandelant Inquiſitorem Germaniæ commendat.	243
	III.		Octobris	27	F. Johannem, Græcorum Imperatoris Nuncium, beni-	

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
INNOCENTIUS VI.					benigne exceptum ſignificat.	244
	IV.	1353	Novemb.	28	F. Nicolaus Roſelli, provocatione ſublata, quæſtionem in nonnullos inſtituat.	245
	V.	1356	Januarii	31	Ordinem Unitorum probat, ipſumque ſubjicit poteſtati Magiſtri Generalis FF. Prædicatorum.	246
	VI.		Aprilis	4	Cœnobii in Villa S. Matthæi, Dertuſenſis Diœceſeos, fundandi facultas.	247
	VII.		Junii	30	Fratres Uniti juris ſint Generalis Prædicatorum.	248
	VIII.		Decemb.	23	F. Nicolaus Roſelli Cardinalis creatur.	249
	IX.	1357	Auguſti	25	Decretalis, quæ incipit: *Super Cathedram*: in Anglia ſervetur.	249
	X.	1358	Januarii	24	F. Petrus Simon Epiſcopus Auximanus renunciatur.	250
	XI.		Octobris	1	Ne Fratres Mendicantes moleſtiis afficiantur in Anglia.	250
	XII.	1359	Auguſti	10	Moniales Ordinis quibuſcunque Tributis immunes.	251
	XIII.		Octobris	31	Idem concedit Salmanticenſibus Fratribus.	251
	XIV.	1360		15	In eos qui Fratribus Calatayuben. moleſtias exhibuerant.	252
URBANUS V.	I.	1366	Novemb.	11	Fratres Mendicantes Pragam Magiſtros Sacræ Theologiæ mittant, ibidem Theologiam profeſſuros.	257
	II.	1367		6	FF. Prædicatoribus & Minoribus de reconcilianda Eccleſia Græca cum Romana.	257
	III.	1368	Junii	16	Caput & Corpus S. Thomæ Aquinatis Toloſam transferenda decernit.	258
	IV.		Julii	1	Eadem de re.	259
	V.		Auguſti	31	Toloſates in Corpus S. Thomæ Toloſam transferendum effundant honores, ejuſdemque benedictam, & catholicam doctrinam ſectentur.	259
	VI.				Ne Caput, & Corpus S. Thomæ Toloſam delata alio transferantur.	260
	VII.				Declarat, a correctione appellari non poſſe.	260
	VIII.	1369	Decemb.	19	F. Laurentius de Brixia Ord. Præd., & F. Petrus de Tranſiberim Ord. Min., Urbis hoſpitalia & Monaſteria viſitent ac reforment.	261
GREGORIUS XI.	I.	1371	Februarii	15	In Raymundum de Tarraga.	268
	II.		Aprilis	1	Ne Fratres moleſtiis afficiantur.	268
	III.			10	Ilerdenſis Epiſcopus Aſtruchum de Piera Judæum reſtituat juriſdictioni F. Eymerici.	269
	IV.		Auguſti	8	De tribus Articulis circa Euchariſtiam.	270
	V.			23	In Raymundum de Tarraga.	270
	VI.		Septemb.	22	Uni ex noſtris, aliiſque nonnullis Pœnitentiarii Urbis officium prorogat.	271
	VII.	1372	Januarii	29	Ne moleſtiæ FF. Prædicatoribus exhibeantur.	271
	VIII.		Martii	15	F. Walcherus Karlinger, aliique duo, quæſtionem inſtituant in Alberſtadenſem Epiſcopum, Fatum inducentem, liberumque arbitrium, ac merita, & demerita tollentem.	272
	IX.		Aprilis	22	De diſſolvendis & compenſandis damnis factis Fratribus Tudertin., aliiſque nonnullis.	273
	X.		Junii	5	Archiepiſcopo Tarraconen. in Raymundum Lull.	273
	XI.			22	F. Guillelmo Magiſtro Sacri Palatii, aliiſque nonnullis difficultates aliquas enodandas committit.	274
	XII.		Julii	27	Inquiſitores Germaniæ commendat.	274
	XIII.		Auguſti	3	In Chriſtianos impietatem Saracenorum ſequentes.	275
	XIV.		Novemb.	18	Archiepiſcopus Toloſanus, & F. Hugo de Verduno Fidei cenſor, quæſtionem inſtituant in nonnullos eccleſiaſticos & Religioſos.	275
	XV.	1373	Januarii	1	De comburendis libris Raymundi de Tarraga.	276
	XVI.		Februarii	6	Inquiſitores Romanam Curiam cum ſocio petere poſſunt, quamvis per Superiores ipſis non liceat.	276

Gene-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina
GREGORIUS XI.	XVII.	1373	Auguſti	27	Generalis Magiſter Generale Capitulum de uno ad alium locum transferre, & in biennium differre poteſt.	277
	XVIII.		Octobris		Staynacenſis Monaſterii privilegia firmat.	277
	XIX.		Novemb.	9	Religioſos, etiam Mendicantes, S.S. Capellanos, Priorum, aliorumque Superiorum juris ac poteſtatis eſſe, declarat.	278
	XX.	1374	Martii	6	Mare Magnum.	278
	XXI.				De quibuſdam, adjuncta conditione, denuo Sacro Baptiſmatis fonte abluendis, & Ordinibus initiandis.	278
	XXII.				Ne Fratres Uniti in Prædicatorum Ordinem aſcribantur.	279
	XXIII.				Fidei Præconum, ſeu Miſſionariorum, famuli ſemel in vita, ad illum quem elegerint Sacerdotem poſſunt peccatorum deferre confeſſionem, & abſolvi cunctis peccatis.	280
	XXIV.				Sumptus peregrinationum ſubminiſtrat Præconibus fidei.	280
	XXV.				In eos qui impedimento fuerint Fidei Præconibus.	281
	XXVI.				In eoſdem.	281
	XXVII.				Quinam, adjuncta conditione denuo baptizandi, & Sacris Ordinibus initiandi ſint.	282
	XXVIII.				Fidei Præcones, ſeu Miſſionarii, gentes exteras impedimentis matrimonii ſolvere poſſint.	283
	XXIX.		Aprilis	9	Armeni Fratres mortuo Vicario Generali alium poſſunt eligere.	283
	XXX.		Julii	25	Legatio F. Thomæ de Bozolaſco Ord. Præd., & F. Bartholomæi Cherracii Ordinis Minorum.	284
	XXXI.				De eadem Legatione.	285
	XXXII.		Auguſti	5	Legatos variis privilegiis ornat.	285
	XXXIII.		Septemb.	24	De iiſdem Conſtantinopolim tranſvehendis.	286
	XXXIV.				Iiſdem fides adhibenda.	286
	XXXV.			29	De quodam Manuſcripto Raymundi Lulli ad ſe mittendo.	287
	XXXVI.	1375	Januarii	28	Chienſe, Caphenſe, Trapezundenſe, & Peyræ Cœnobia Fratribus Peregrinantibus reſtituenda jubet.	287
	XXXVII.				Narrat eo quæ F. Johannes Epiſcopus Tauriſienſis de Cantacuzeno, ceteriſque Græcis retulerat.	288
	XXXVIII.		Maii	7	In hæreticos Arelaten., Aquen, Ebredunen., Viennen, ac Tarantaſien. Provinciarum.	289
	XXXIX.	1376	Januarii	25	Nonnullos Raymundi Lulli libros damnat, ceteros interdicit.	289
	XL.		Martii	12	Fundendas preces, & Miſſas pro ſe, ac Clemente VI, celebrandas in ædibus Sacris Cœnobii San-Maximinenſis conſtituit.	290
	XLI.		Julii	1	S. Catharinam Senenſem quibuſdam privilegiis ornat.	291
	XLII.	1378	Januarii	28	De Cœnobiis Fratribus Peregrinantibus deſtinatis.	292
	XLIII.	...	......	..	S. Catharina Senenſis Fratres, qui peccatorum ad ſe confugientium confeſſiones excipiant, delegare poſſit.	292
	XLIV.	...	......	..	Senenſes Sorores, de Pœnitentia nuncupatæ, delectum habeant Sacerdotis ipſis Sacramenta adminiſtrantis.	293
URBANUS VI.	I.		Novemb.	21	F. Raymundus de Capua ad Carolum Franciæ Regem Legatus.	296
	II.	1379	Januarii	7	F. Dominico de Afragola, ut ab Antipapa Clemente Siculos abducat.	296
	III.		Maii	9	Petrus Rex Aragonum F. Raymundum de Capua S. Sedis Legatum habeat commendatum.	297
	IV.	1380	Martii	3	Provinciam Dalmatiæ dividit ab Hungaria.	297

URBANUS VI.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	V.	1380	Martii	29	Privilegium Senenſibus Sororibus de Pœnitentia nuncupatis conceſſum.	298
	VI.	1381	Aprilis	1	Generalis Magiſter, vel ipſius Vicarius, Inquiſitores inſtituat, in Armenia, Georgia, Græcia, Tartaria, Ruſſia, & Valachia.	299
	VII.			3	Ordo Fratrum Unitorum juris ac poteſtatis ſit Magiſtri Generalis FF. Prædicatorum.	300
	VIII.				Fratres Peregrinantes, ſeu Miſſionarii, Ordinis Prædicatorum antelucano tempore Divina celebrare poſſint.	300
	IX.		Junii	28	Cujuslibet Ordinis Cœnobia centum, & quadraginta cannis diſtent ab ædibus Sacris FF. Prædicatorum.	301
	X.	1384	Novemb.	12	Decernit excommunicandos ſupprimentes bona FF. Prædicatorum.	301
	XI.	1387		27	De reficiendis Sacris ædibus S. Ægidii Pragen.	302
BONIFATIUS IX.	I.	1389		15	Cœnobii Mutilianenſis fundandi facultas.	308
	II.			20	F. Philippum de Franchenſteyn, alioſque plures Ordinis alumnos S. Sedis Capellanos creat.	308
	III.		Decemb.	8	F. Andreas de Capha, Græciæ & Tartariæ Inquiſitor ſocium ſibi deligere poſſit.	310
	IV.				F. Antonius Traverſus de Averſa Fidei Cenſor in Regno Siciliæ conſtituitur.	311
	V.				De renovandis ædibus Sacris S. Mariæ de Corona ter a Saracenis deſtructis.	312
	VI.			13	De reficiendis Sacris ædibus Caphen.	312
	VII.	1390	Junii		F. Sanctus de Reate Summi Pontificis Pœnitentiarius creatur.	313
	VIII.		Octobris	28	Fratres Prædicatores mittantur in poſſeſſionem Cœnobii S. Johannis Lycienſis.	313
	IX.		Novemb.	14	F. Jacobus de Ockenbrocke fit Epiſcopus Sareptenſis.	314
	X.	1391	Januarii	9	In unaquaque Provincia unum ſaltem Cœnobium ſit, in quo ne latum quidem unguem ab inſtitutis & Regula diſcedere liceat.	315
	XI.		Februarii	20	Indulgentia, de Portiuncula nuncupata, conceditur viſitantibus ædes ſacras Peruſini Cœnobii.	316
	XII.		Martii	5	Johannes Rodericus de Saa majorum ſuorum cineres ex quocunque loco transferre poſſit ad ſepulcrum extruendum in ædibus Sacris Prædicatorum, vel Minorum Fratrum.	316
	XIII.			6	Fratres Cœnobii S. Mariæ de Victoria venire poſſint in poſſeſſionem bonorum mobilium, & non mobilium.	317
	XIV.			14	Ædes ſacras Cœnobii Catanien. diebus dominicis & feriis ſextis viſitantibus Indulgentiam elargitur.	317
	XV.		Aprilis	10	De quibuſdam controverſiis Provinciæ Trinacriæ.	318
	XVI.		Junii	6	Decretalis; *Super Cathedram*; ſervetur in Albania.	319
	XVII.			17	Moniales Lemagen. donat redditibus Eccleſiæ Parochialis Lemagen.	319
	XVIII.			19	De reficiendis Sacris ædibus Camerinenſis Cœnobii.	320
	XIX.		Julii	7	Eccleſiam Parochialem, Paſtoriam nuncupatam, confert Monaſterio S. Barbaræ extra muros Treviren.	320
	XX.			28	Confirmat Privilegia Bononien. Vicariatus S. Mariæ Montis Guardiæ.	321
	XXI.		Auguſti	7	F. Nicolaus Piſtoris Epiſcopus Cathneſienſis creatur.	322
	XXII.			12	F. Hugolinus de Camerino decernat, cujus provinciæ ſint Cœnobia Utinen., Civitaten., & Juſtinopolitan.	322
	XXIII.		Septemb.	4	F. Petrus de Faya fit Epiſcopus Agenenſis.	323

F. Simon

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
BONIFATIUS IX.	XXIV.	1391	Novemb.	17	F. Simon de Amatore Inquiſitor Trinacriæ conſtitutus.	324
	XXV.	1392	Januarii		Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Lycienſis Cœnobii.	324
	XXVI.				Hoſpitium pauperum in civitate Lycienſi fundandum Fratribus Prædicatoribus ſubiicit.	325
	XXVII.		Februarii	19	F. Willelmus Henrici Scalholtenſis Epiſcopus renunciatur.	225
	XXVIII.			23	Cœnobii Wiborch fundandi facultas.	326
	XXIX.		Martii	10	F. Jacobus Buthem Eccleſiæ Conſtantianenſi præficitur.	326
	XXX.			23	De renovandis Sacris ædibus Ripenſis Cœnobii.	327
	XXXI.		Aprilis	29	F. Henricus Nonii Epiſcopus Ardakadenſis creatur.	327
	XXXII.		Maii	21	Angliæ Provincia Prædicatorum, ſicut ceteræ, Generali Magiſtro morem gerat.	328
	XXXIII.			30	Ut Ara præcipua Ripenſis Cœnobii reficiatur.	329
	XXXIV.		Julii	22	Idem pro Lanzhutenſi Cœnobio.	329
	XXXV.		Septemb.	15	Ut Moniales Peruſini Monaſterii S. Spiritus, Ord. S. Benedicti, ad Monaſterium S. Mariæ de Virginibus & Ordinem Prædicatorum ſe transferant.	330
	XXXVI.			27	F. Johannes Sproton Epiſcopus Sodorenſis creatur.	331
	XXXVII.		Novemb.	10	Indulgentiis donat viſitantes ædes Sacras Scolpenſis Cœnobii.	332
	XXXVIII.	1393	Januarii	2	Idem pro Cœnobio SS. Trinitatis juxta Sariſberiam.	332
	XXXIX.			5	De Conventu Montis Regalis alio transferendo.	332
	XL.				De eodem Cœnobio denuo conſtruendo.	333
	XLI.				Indulgentia conceſſa Januenſis Monaſterii SS. Philippi & Jacobi ædes Sacras viſitantibus die feſto S. Demetrii, cujus Sacræ Reliquiæ ibidem conſervantur.	333
	XLII.			20	Monaſterii Corporis Chriſti Venetiis fundandi facultas.	334
	XLIII.				In ejuſdem Monaſterii poſſeſſionem Moniales Ordinis veniant.	335
	XLIV.			24	F. Nicolaus Staynecker Epiſcopus Varnenſis renunciatur.	336
	XLV.		Februarii	4	Thetfordienſis Cœnobii Sacras ædes viſitantibus, Indulgentias impertitur.	336
	XLVI.		Octobris	15	De F. Waltero S. Sedis Capellano.	337
	XLVII.		Novemb.	17	F. Raymundus S. Sedis Legatus Cenſuris abſolvere poſſit.	337
	XLVIII.		Decemb.	1	De Conſtitutionibus Ordinis ad amuſſim ſervandis.	338
	XLIX.			3	F. Nicolaus Wenceslai Eccleſiæ Nazarotenſi præficitur.	339
	L.	1394	Januarii	16	Declarat, Moniales Ordinis in poſſeſſionem Parochialis Eccleſiæ S. Salvatoris Ulyſſipponen. venire poſſe.	340
	LI.				Eaſdem Moniales Privilegiis Ordinis donat.	341
	LII.		Februarii	14	De reficiendis ſacris ædibus Recilianenſis Cœnobii.	342
	LIII.				De Sacello a Confratribus Corporis Chriſti & Annuntiatæ fundando in ædibus Sacris Prædicatorum S. Miniatis.	342
	LIV.		Martii	30	F. Johannes de Gronow fit Epiſcopus Miſthomenſis.	343
	LV.		Aprilis	5	Indulgentia conceſſa viſitantibus Sacellum S. Catharinæ ſitum in ædibus Sacris S. Mariæ ſupra Minervam.	343
	LVI.		Junii	8	F. Stephanus Martini fit Epiſcopus Ceretenſis.	344
	LVII.			26	Conſervatores creat qui Decretalem, quæ incipit: *Super Cathedram*: ſervandam curent.	344

BONIFATIUS IX.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	LVIII.	1394	Auguſti	15	Indulgentia B. Mariæ de Portiuncula conceſſa viſitantibus ædes Sacras Tiburtini Cœnobii.	345
	LIX.		Septemb.	9	F. Robertum præficit Eccleſiis Liſmorenſi, & Waterforden.	345
	LX.		Octobris	14	Moniales Monaſterii S. Sixti de Urbe ſint numero ſexaginta.	346
	LXI.			15	F. Johanni Dominico de Eugubio, ut fideles bellum pro Religione contra Turcas ſuſcipiant.	347
	LXII.			30	Eadem de re.	347
	LXIII.		Novemb.	9	F. Raymundus Generalis Magiſter Provincialem Dalmatiæ conſtituat.	348
	LXIV.	1395	Martii	29	Ædes Sacras Lubicenſis Cœnobii viſitantes, qui interfuerint oſtenſioni Reliquiarum SS. Innocentium, Indulgentiis donat.	348
	LXV.		Junii	1	De Vulterano Cœnobio conſtruendo.	348
	LXVI.			22	Fratres Prædicatores veniant in poſſeſſionem Monaſterii S. Salvatoris Alitan.	349
	LXVII.			28	Inquiſitoris officium F. Beltramo continuat.	350
	LXVIII.		Julii	5	Gredligenſis Cœnobii fundandi facultas.	351
	LXIX.		Septemb.	8	Ricardo Angliæ Regi, de Clericis diurnas preces, Fratrum Prædicatorum more, ſecum perſolventibus.	352
	LXX.		Novemb.	1	Dertefordenſe Monaſterium quibuſdam Beneficiis Eccleſiaſticis donat.	352
	LXXI.				Idem Monaſterium privilegiis ornat.	353
	LXXII.			8	F. Johannes Zelich Glandacenſis Epiſcopus creatur.	354
	LXXIII.			29	F. Conradus Fader Argionenſis Epiſcopus renunciatur.	354
	LXXIV.		Decemb.	1	F. Petrus fit Epiſcopus Termulanus.	355
	LXXV.				F. Petruccius de Pennis Epiſcopus Scalenſis inſtituitur.	356
	LXXVI.	1396	Januarii	5	Fratres Prædicatores bonis ſibi legatis pro arbitrio uti poſſint.	356
	LXXVII.			19	F. Jacobus de Weſep Epiſcopus Gybeldenſis deſignatur.	357
	LXXVIII.		Februarii	25	Archiepiſcopus Capuanus Mariam Siciliæ Reginam mittat in poſſeſſionem Monaſterii S. Petri ad Caſtellum de Neapoli.	357
	LXXIX.		Aprilis	12	F. Johannes Bruchilla fit Epiſcopus Landavenſis.	359
	LXXX.		Maii	15	Specialis Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes ſacras Cœnobii S. Severini.	359
	LXXXI.				Prior tres Fratres conſtituat qui ultima die Sabbati Menſis Auguſti peccata viſitantium ædes ſacras ejuſdem Cœnobii poſſint excipere.	359
	LXXXII.		Novemb.	29	F. Conradus Lindin de Weſtaria Chriſtinopolitanus Epiſcopus conſtituitur.	360
	LXXXIII.	1397	Januarii		De Fratribus Prædicatoribus, ceteriſque Tuneti captivis, e ſervitute redimendis.	361
	LXXXIV.		Aprilis	9	Moniales Ordinis In Monaſterii Schonenſteynbath poſſeſſionem veniant.	361
	LXXXV.				De Conſtitutionibus Ordinis ad amuſſim ſervandis.	362
	LXXXVI.		Junii	6	F. Rodericus Alvari Epiſcopus Acconenſis creatur.	363
	LXXXVII.		Julii	10	F. Simon de Amatore S. Sedis Legatus commendatur.	364
	LXXXVIII.			11	F. Johannes de Puyg Waterfordenſis & Liſmorenſis Epiſcopus creatur.	364
	LXXXIX.		Septemb.	28	F. Johannes Celli præficitur Eccleſiæ Lidinenſi.	365
	XC.		Octobris	1	Ut vinculo ſervitutis Fratrem Johannem de Francofordia fideles levent, Indulgentiam elargitur.	366
	XCI.			17	F. Nicolaus Tzymerman Epiſcopus Miſſinenſis renunciatur.	366
	XCII.		Novemb.	11	F. Raymundus, Generalis Magiſter, Angliæ Provincialem conſtituat.	367
	XCIII.			28	F. Nicolaus de Bonifatio fit Epiſcopus Dolienſis.	367

Quæ-

BONIFATIUS IX. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
XCIV.	1397	Decemb.	13	Quædam Beneficia confert Monaſterio in Ruth prope Wilperg.	368
XCV.			20	Alia conferuntur Monaſterio ſito extra muros oppidi Hircham.	369
XCVI.	1398	Februarii	25	F. Maximus de Conſtantinopoli unum Cœnobium fundare poſſit in Græcia.	369
XCVII.				Idem Frater, ſervato ritu FF. Prædicatorum, Sacra Græce celebrare poſſit.	370
XCVIII.		Martii	16	Indulgentiam *de Portiuncula* dictam concedit viſitantibus ædes Sacras Viterbienſis Cœnobii.	370
XCIX.			25	Andrenſis Cœnobii fundandi facultas.	371
C.		Aprilis	10	Decretalis quæ incipit: *Vas electionis*: in Poloniæ Regno ſervetur.	371
CI.		Maii	3	Archiepiſcopo Piſano, & F. Simoni de Caſſina Ord. Præd., Ordinem Armenorum viſitandum & reformandum permittit.	372
CII.			7	Monaſterium Wedderſtedenſe F. Sanderi curæ committit.	372
CIII.			19	Quæ de Monaſteriorum clauſtris, ſeu clauſura, ſanxit F. Raymundus, a Monialibus Monaſterii Corporis Chriſti de Venetiis ſervanda decernit.	373
CIV.			27	Monaſterium S. Mariæ extra muros Mediolanen. ſitum juris ſit Provincialis Provinciæ Lombardiæ.	374
CV.				Eadem de re.	375
CVI.		Junii	1	Fratres Armenos ornat privilegiis Fratrum Prædicatorum.	376
CVII.			10	Moniales B. Catharinæ Naemburgen. ſervent quicquid de Monaſteriorum clauſtris, ſeu clauſura, a F. Raymundo ſancitum eſt.	376
CVIII.				Idem Monialibus Monaſterii B. Mariæ Rotenburgen.	377
CIX.				Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Cremonenſis Cœnobii.	377
CX.			29	Privilegium conceſſum Procuratoribus fabricæ Templi Domus SS. Johannis, & Pauli de Venetiis.	377
CXI.		Julii	1	De reficiendis ſacris ædibus Amantricenſis Cœnobii.	378
CXII.			7	F. Johannes Serfort de Mevania Pœnitentiarius conſtitutus.	378
CXIII.		Octobris	22	Leges ſancit de clauſtris, ſeu clauſura, de Priore, Vicario, Confeſſore, ac bonis mobilibus Monaſterii S. Sixti de Urbe.	378
CXIV.			23	Sacellum S. Eliſabeth in ædibus Sacris Colonien. Cœnobii ſitum viſitantes Indulgentiis donat.	379
CXV.	1399	Aprilis	7	Monaſterium S. Annæ de Noceria juris ſit Provincialis Siciliæ.	379
CXVI.			8	Cœnobii extra muros Caſtri Pedemontis conſtituendi, & ibidem hoſpitalis fundandi facultas.	380
CXVII.			28	Fratrum Unitorum Cœnobia ſemel duntaxat quolibet anno viſitentur.	381
CXVIII.				Privilegia iiſdem Fratribus conceſſa.	383
CXIX.				Aliud privilegium datum Lucæ Gubernatori FF. Unitorum.	383
CXX.				De Caphenſi Cœnobio S. Jacobi reficiendo.	384
CXXI.				Idem de Caphenſi Cœnobio S. Nicolai.	384
CXXII.				Idem de Caphenſi Cœnobio SS. Petri & Pauli.	384
CXXIII.		Maii	7	De Mauſoleo conſtruendo in ædibus Sacris Cœnobii SS. Johannis & Pauli.	385
CXXIV.			14	F. Petrus Epiſcopus Wittecenſis renunciatur.	385
CXXV.		Junii	2	De Cœnobio Viennenſi reficiendo.	386
CXXVI.			18	F. Jacobum de Gallucio præficit Eccleſiæ Stabienſi.	386
CXXVII.			22	De Cœnobio Leowardienſi, igne conſumpto, denuo conſtruendo.	387

BONIFATIUS IX. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CXXVIII.	1399	Novemb.	26	F. Johannes Dominici Vicarius Generalis Ordinis creatur.	388
CXXIX.		Decemb.	2	F. Vincentius Ulyſſipponen. Regnorum Portugalliæ & Algarbiæ Inquiſitor conſtitutus.	389
CXXX.			4	De reficiendis Sacris ædibus Droghedenſis Cœnobii.	389
CXXXI.			8	F. Nicolaus de Aedia Montis Corbinenſis fit Epiſcopus.	390
CXXXII.	1400	Januarii		Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Cœnobii SS. Dominici & Jacobi de Mevania.	390
CXXXIII.		Februarii	1	Alia pro viſitantibus ædes Sacras Cœnobii Gottingenſis.	391
CXXXIV.				Facultas abſolvendi viſitantes ædes Sacras Cœnobii Wiſmarienſis.	392
CXXXV.			15	F. Adam Leyns Ardakadenſis Epiſcopus conſtitutus.	392
CXXXVI.			17	F. Gregorius de Butzkow fit Epiſcopus Wladimirienſis.	393
CXXXVII.		Martii	4	Reſcindit Diploma, quo F. Johannem Dominici Vicarium Generalem Ordinis inſtituerat.	393
CXXXVIII.			31	F. Jacobus Gudrigetti de Lavazola præficitur Eccleſiis Tynnarum & Michimarum.	394
CXXXIX.		Aprilis	1	Weytenſis Monaſterii fundandi facultas.	395
CXL.			6	Prior Lubicenſis Fratres deleget qui Sacras ædes Lubicenſis Cœnobii viſitantes quibuslibet abſolvere poſſint.	395
CXLI.			8	De reficiendis Sacris ædibus Viennenſis Monaſterii S. Laurentii.	396
CXLII.		Maii	19	Fratres Prædicatores, ceterique Mendicantes, Procurationibus, aliiſque tributis immunes.	396
CXLIII.		Junii	17	Monaſterium S. Mariæ extra muros Mediolanen. Archiepiſcopi juriſdictionis ſit in iis in quibus jus acquiſitum non fuerit Ordini FF. Prædicatorum.	398
CXLIV.		Auguſti	11	F. Johannes Benedictus fit Patriarcha Gradenſis.	399
CXLV.		Octobris	30	Prior Stralefunden. Sacerdotes deleget qui peccatis omnibus ſolvant viſitantes ædes Sacras ejuſdem Cœnobii.	400
CXLVI.				Alia Indulgentia iiſdem conceſſa.	400
CXLVII.				Prior Rhodopolitanus Sacerdotes præficiat qui ſacras ædes ejuſdem Cœnobii viſitantes abſolvant.	401
CXLVIII.		Novemb.	1	Indulgentias omnes Stralefundenſibus Fratribus conceſſas ratas habet & firmat.	401
CXLIX.			8	F. Ulricus Galrati fit Epiſcopus Gybeletenſis.	402
CL.			12	De reficiendo Monaſterii Olomucenſis Sacello B. Mariæ Virginis.	402
CLI.			25	Fideles hortatur ad ſtipem pro redimendis Fratribus Prædicatoribus, aliiſque captivis rependendam.	403
CLII.			30	F. Nicolaus Epiſcopus Elethenſis creatur.	403
CLIII.		Decemb.	1	De renovandis Sacris ædibus Claudiopolitani Cœnobii.	404
CLIV.			10	F. Nicolaus Epiſcopus Megarenſis renunciatur.	404
CLV.			17	Ferrarienſe templum S. Benedicti, e quo Camaldulenſes diſceſſerant, Fratribus Prædicatoribus aſſignat.	405
CLVI.			21	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Achadenſis Cœnobii.	406
CLVII.			23	Idem pro Cœnobio Neeſt-Wethenſi.	406
CLVIII.				Idem pro Roſkildenſi.	406
CLIX.				Eccleſiam S. Geroni confert Monialibus Vallis S. Mariæ.	407
CLX.				Ut ædes ſacræ Calmarienſes denuo conſtruantur.	408
CLXI.			27	Ottonienſis Prior Sacerdotes deleget qui ſacras ædes ejuſdem Cœnobii viſitantes abſolvant.	408

Idem

BONIFATIUS IX.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	CLXII.	1400	Decemb.	28	Idem privilegium pro Cœnobio in quo celebrabitur Capitulum Provinciæ Daciæ.	409
	CLXIII.			31	Idem pro Cœnobio Roskildenſi.	409
	CLXIV.	1401	Januarii	7	F. Germannus præficitur Eccleſiæ Lambergenſi.	410
	CLXV.			18	Fratres Sacramenta miniſtrent Sororibus de Pœnitentia.	410
	CLXVI.			29	Prior Inſulenſis Fratres præficiat qui ſacras ædes ejuſdem Cænobii viſitantes abſolvant.	411
	CLXVII.		Februarii	4	Cæſenatenſes Sorores transfert e Monaſterio S. Marthæ ad Monaſterium SS. Jacobi & Philippi.	411
	CLXVIII.			12	Prioriſſa Columbarienſis Sacerdotes deleget qui ſacras ædes ejuſdem Monaſterii viſitantes abſolvant.	412
	CLXIX.			15	Reſcindit Diploma Electores Generalis Magiſtri ſubrogans illis qui Clementis VII partes tutati erant.	413
	CLXX.			18	Indulgentiam *de Portiuncula* nuncupatam concedit viſitantibus ædes Sacras cujuſcunque Cœnobii, in quo Fratres Prædicatores Capitulum Provinciæ habent.	413
	CLXXI.			21	Conſtitutionem quæ incipit *Vas electionis* in Hibernia ſervandam decernit.	414
	CLXXII.			22	Ariminenſis Cœnobii fundandi facultas.	414
	CLXXIII.		Martii	28	Retinenda jubet quæ F. Raymundus ad Inſtituta FF. Prædicatorum ad amuſſim ſervanda præſcripſerat.	415
	CLXXIV.		Aprilis	13	Tielenſis Cœnobii fundandi facultas.	416
	CLXXV.		Maii	1	Ne Magiſtri Generalis Electores ſubrogentur iis qui Clementis VII partes tutati erant.	416
	CLXXVI.				F. Johannes Waley, quoad vixerit, curam gerat Wedderſtedenſis Monaſterii.	416
	CLXXVII.			17	Firmat delegatam juriſdictionem F. Huberto Hippuſenſi Epiſcopo in Monaſterium de Wiſck datam a Provinciali Saxoniæ.	417
	CLXXVIII.		Junii	8	Indulgentia conceſſa viſitantibus ædes Sacras Monaſterii Wratiſlavienſis.	418
	CLXXIX.			29	Prior Budovicenſis Sacerdotes conſtituat qui ejuſdem Cœnobii Sacras ædes viſitantes abſolvant.	418
	CLXXX.		Julii	1	Idem pro Cœnobio Hamburgenſi.	419
	CLXXXI.				Idem pro Ripenſi.	420
	CLXXXII.			11	F. Nicolaus Epiſcopus Accienſis creatur.	420
	CLXXXIII.			14	F. Vincentio Ulyſſipponenſi in hæreticos.	421
	CLXXXIV.			17	Indulgentia pro Cœnobio S. Miniatis.	421
	CLXXXV.			18	F. Blaſius de Zagabria Danenſis Epiſcopus conſtituitur.	422
	CLXXXVI.		Auguſti	16	Inquiſitoris officium prorogat F. Dominico de Stelleopardis de Afragola.	422
	CLXXXVII.			23	Caraminicenſis Cœnobii fundandi facultas.	423
	CLXXXVIII.				De eodem conſtruendo Cœnobio.	423
	CLXXXIX.			30	Indulgentia pro Cœnobio Droghedenſi.	424
	CXC.		Septemb.	9	Prior & Lector Wimpinenſis Cœnobii Sacerdotes delegent qui ſacras ipſius ædes viſitantes abſolvant.	425
	CXCI.		Octobris	28	Catacenſis Cœnobii fundandi facultas.	425
	CXCII.			31	Indulgentia pro Sehuſenſi Cœnobio in quo Confraternitas Domini noſtri Jeſu Chriſti conſtituta eſt.	426
	CXCIII.		Decemb.	23	F. Nicolaus Poſſeck fit Epiſcopus Senaſcopulenſis.	426
	CXCIV.				F. Otto Roder Epiſcopus Buduanenſis renunciatur.	427
	CXCV.				Holmienſis Prior Sacerdotes præficiat qui viſitantes ejuſdem Cœnobii ſacras ædes abſolvant.	428
	CXCVI.				De eodem Cœnobio.	428
	CXCVII.			27	Prioriſſa & Moniales Koningenſis Monaſterii Sacerdotes delegent qui ſacras ipſius ædes viſitantes abſolvant.	429

Prior

BONIFATIUS IX.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	CXCVIII.	1401	Decemb.	30	Prior Uſtenſis Secerdotes præficiat qui ſacras ejuſdem Cœnobii ædes viſitantes abſolvant.	429
	CXCIX.	1402	Januarii	1	Idem Privilegium concedit Priori Warburgenſi.	430
	CC.			4	Epiſcopus Lineopenſis Moniales Slengiæ mitrat io poſſeſſionem Parochialis Eccleſiæ Slengienſis.	430
	CCI.			13	De Uſtenſi Cœnobio.	431
	CCII.			17	Donationem factam Veſprimienſi Monaſterio firmat.	432
	CCIII.		Februarii	1	Provincialis Hiſpaniæ quæſtionem in hæreticos exercere, & Inquiſitorem conſtituere poſſit.	433
	CCIV.		Martii	12	Elborenſis Monaſterii fundandi facultas.	433
	CCV.			15	Prior Lipſienſis Sacerdotes deleget qui ſacras ædes ejuſdem Cœnobii viſitantes abſolvant.	434
	CCVI.				Idem pro Seleſtadienſi Cœnobio.	434
	CCVII.		Aprilis	12	Monialibus Olomucen. poteſtatem facit foras progrediendi.	435
	CCVIII.			27	Magiſtrum Generalem privilegiis ampliſſimis ornat.	436
	CCIX.				Ex Alexandri IV Diplomate reſcindit quæ Parochorum gratia in Religioſos Innocentius IV ſanxit.	437
	CCX.				De Cœnobiis ex una ad aliam Provinciam transferendis.	438
	CCXI.				Indulgentias omnes, omnia Privilegia &c. Fratribus Mendicantibus, eorumque ſacras ædes viſitantibus conceſſa, & concedenda, Fratribus & Sororibus Ordinis, ipſorumque templa viſitantibus impertitur.	438
	CCXII.				Fratres Prædicatores variis Privilegiis donat.	439
	CCXIII.				Religioſi S. Sedis Capellani Præpoſitorum ſuorum juris ac poteſtatis ſint.	440
	CCXIV.				De fautoribus Antipapæ Cenſuris ſolvendis.	441
	CCXV.				Fratres Armenos S. Baſilii ſubiicit Magiſtro Generali Prædicatorum.	442
	CCXVI.				Fratres Prædicatores a Capitulo Generali ad Doctoris gradum promoveantur.	442
	CCXVII.				Fratres, Sorores, Cœnobia. Monaſteria, Domos Ordinis Prædicatorum, & Hoſpitia pauperum eidem ſubjecta cujuſcunque juriſdictione, & quocunque tributo reddit immunes.	443
	CCXVIII.				Magiſter Generalis Procuratorem Ordinis conſtituat.	444
	CCXIX.				Ne quis Capituli Generalis imperium detrectet.	445
	CCXX.				Ordinem variis privilegiis ornat.	446
	CCXXI.				Mare magnum Gregorii XI confirmat.	448
	CCXXII.			28	Mare magnum Boniſatii IX.	448
	CCXXIII.		Maii	5	F. Baptiſta de Inſula fit Archiepiſcopus S. Thadæi.	449
	CCXXIV.			27	Prior Tremonienſis Sacerdotes deleget qui ſacras ædes ejuſdem Cœnobii viſitaores peccatis ſolvant.	449
	CCXXV.		Julii	26	F. Johannes Lyceos Epiſcopus Nachuaoenſis creatur.	450
	CCXXVI.		Auguſti	1	F. Nicolaum Nocluri quibuſdam beneficiis donat.	450
	CCXXVII.			20	De reficiendis ſacris ædibus Cœnobii Villalon.	451
	CCXXVIII.		Novemb.	12	Wratiſlavienſis Prior Sacerdotes præficiat qui ſacras ædes ejuſdem Cœnobii viſitantes abſolvant.	451
	CCXXIX.			14	Lemgovienſi Monaſterio quædam Beneficia confert.	452
	CCXXX.			16	F. Fredericus de Fulgineo Epiſcopus Fulginatenſis conſtituitur.	453
	CCXXXI.	1403	Februarii	5	F. Willelmus Belets Archiepiſcopus Soltanienſis creatur.	454
	CCXXXII.		Aprilis	21	Monaſterii Gabennenſis fundandi facultas.	454
	CCXXXIII.		Julii	27	Monaſterium S. Annæ de Noceria Provinciali Siciliæ ſubiiciatur.	456

Ne

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
BONIFATIUS IX.	CCXXXIV.	1403	Decemb.	22	Ne quis Monaſterium Wyckenſe ingrediatur, & ne Moniales videantur ab extraneis quos alloquuntur.	456
	CCXXXV.	1404	Martii	1	Prioratum Domus S. Mariæ de Urbe prorogat F. Petro Stephani.	457
	CCXXXVI.		Maii	12	F. Gregorius Paudulius Epiſcopus Priſcenſis, & Bodenſis renunciatur.	457
	CCXXXVII.		Auguſti	16	Eccleſiam S. Mariæ *La Grande* confert Fratribus Cathanien.	458
INNOCENTIUS VII.	I.		Decemb.	29	F. Henricus Epiſcopus Sydonien. in quorundam Beneficiorum poſſeſſionem venire poſſit.	471
	II.	1405	Aprilis	23	F. Jacobo Epiſcopo Feſulano in Oratores Petri de Luna.	471
	III.		Junii	26	Confirmat Regulam Fratrum & Sororum de Pœnitentia.	473
	IV.		Octobris	17	Fratres iter habentes cuilibet Sacerdoti, etiam ſeculari, peccata confiteri poſſint.	477
	V.				Moniales Ordinis imperium detrectantes ab Epiſcopis plectendas decernit.	478
	VI.	1406	Maii	7	De dedicandis ſacris ædibus Cœnobii de Boniſacio.	478
	VII.		Julii	6	Firmat inſtrumentum quo F. Hugolinus Magiſter Sacri Palatii declarat F. Melchiorem Ord. S. Auguſtini a ſe Magiſterii gradu donatum fuiſſe.	478
GREGORIUS XII.	I.	1407	Martii	31	De Sacello S. Bartholomæi in ædibus ſacris Cœnobii Ferrarienſis ſito.	482
	II.		Auguſti	20	F. Elias Petit deficientes a Fide per Cenſuras eccleſiaſticas a propoſito deterreat.	482
	III.			29	De reficiendis ſacris ædibus Cœnobii Peiræ.	483
	IV.	1408	Junii	14	Quæ pro Cœnobio Feſulano fundando geſta ſunt, firmat.	483
	V.	1409	Januarii	8	F. Johannes Dominici Legatus in Pannoniam mittitur.	484
	VI.	1410	Novemb.	9	Innovat quædam Diplomata quibus Ordinis Prædicatorum privilegia confirmantur.	484
ALEXANDER V.	I.	1409	Julii	20	Univerſo Prædicatorum Ordini præficit Fratrem Thomam de Firmo jam antea a nonnullis Provinciis electum.	487
	II.			25	F. Johannes Provincialis Provinciæ Provinciæ creatur.	488
	III.			28	De Provinciali Provinciæ Toloſanæ.	488
	IV.				Firmat electionem F. Johannis Rachelis Provincialis Provinciæ Franciæ.	489
	V.				F. Ardizonus de Pizegottis Provinciæ S. Dominici præficitur.	490
	VI.				F. Ludovicus de Salbis fit Provincialis Lombardiæ.	491
	VII.				F. Leonardus de Florentia Provincialis Romanæ Provinciæ conſtituitur.	491
	VIII.				F. Andreas de Vaccarinis Provincialis Trinacriæ renunciatur.	491
	IX.		Auguſti	5	F. Andream Thomæ de Florentia Urbis Pœnitentiarium conſtituit.	491
	X.			6	F. Martinus Epiſcopus Atrebatenſis tres Ordinis Fratres ſacræ Theologiæ Magiſtros creare poſſit.	492
	XI.			10	FF. Unitorum Ordo ſubiicitur Generali Magiſtro Prædicatorum.	492
	XII.				De Fratribus cenſura ſolvendis.	493
	XIII.				Ordinem Prædicatorum tributis, & Epiſcoporum juriſdictione immunem declarat.	494
	XIV.				Generalis Magiſter Fratrem unum qui Sententiarum libros in ſecundis ſcholis Pariſiis legat, quotannis mittere poſſit.	495

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
ALEXANDER V.	XV.	1410	Auguſti	10	Eundem Generalem privilegiis ampliſſimis ornat.	496
	XVI.				F. Thomas de Firmo Schiſmatis fautores cenſuris ſolvat.	497
	XVII.				De his quæ ſchiſmatis tempore a Capitulis Generalibus ſancita ſunt.	498
	XVIII.				Fratres qui Generali Capitulo interfuerint privilegiis donat.	498
	XIX.				Ne Fratres Magiſtri in Theologia creentur niſi per Capitulum Generale ipſis liceat.	499
	XX.				Magiſtro, & Provincialibus, ut per Superiores liceat Fratribus iter agentibus cuilibet Sacerdoti peccata confiteri.	499
	XXI.				De Fratribus ad Doctoratus gradum promovendis.	500
	XXII.				Indulgentia conceſſa viſitantibus ſacras ædes Cœnobii in quo Generalia Capitula celebrantur.	500
	XXIII.				Capitulo Generali neceſſarios ſumptus ſuppeditantibus Indulgentias elargitur.	501
	XXIV.		Octobris	12	Damnat Articulos quibus errores Johannis de Poliaco renovantur.	501
JOHANNES dictus XXIII.	I.		Maii	25	F. Johannes Babynghe Tuamenſis Archiepiſcopus renunciatur.	504
	II.				F. Johannes Epiſcopus Citrenſis ſecularia Beneficia recipere poſſit.	504
	III.		Auguſti	7	F. Guillelmus Deymerii, Jubilarii, ſeu ſenis emeriti, privilegiis donatur.	505
	IV.				De eodem F. Guillelmo.	505
	V.		Octobris	13	F. Marcus de Caſcite, aliique plures, S. Sedis Capellani creantur.	506
	VI.		Novemb.	19	F. Michael Treſlka Kiovienſis Epiſcopus conſtituitur.	506
	VII.	1411	Februarii	2	Guerandienſis Cœnobii fundandi facultas.	507
	VIII.			11	F. Henricus Grube Conſtantianenſis Epiſcopus renunciatur.	508
	IX.			27	F. Petrus Perrigandi fit Epiſcopus Aptenſis.	508
	X.		Martii	26	Quædam privilegia F. Johanni Sergini conceſſa firmantur.	509
	XI.		Maii	10	F. Arnaudus Ebronenſis Epiſcopus inſtituitur.	509
	XII.		Junii	8	F. Dominicus Archiepiſcopus Toloſanus Fidei Cenſorem in judicium vocet, & ſententias in FF. Prædicatores & Minores latas recognoſcat.	510
	XIII.		Octobris	2	Rogatu Archiepiſcopi, Decani, & Capituli Lugdunen. F. Johannem Eynardi Lugduni publice Theologiam docentem Gradu Magiſterii donandum decernit.	510
	XIV.		Decemb.	23	F. Johannes Epiſcopus Hollenſis creatur.	511
	XV.	1412	Martii	28	F. Johannes Muten. Eccleſiæ Majoricenſi præficitur.	512
	XVI.		Maii	12	Hoſpitii pauperum Spoleti, curæ Fratrum Prædicatorum commiſſi, fundandi facultas.	512
	XVII.				Fratres Prædicatores in Cœnobii Plocenſis poſſeſſionem mittantur.	513
	XVIII.				De eodem Cœnobio.	514
	XIX.		Auguſti	31	F. Ivo Nerocii de Senis Epiſcopus Nicopolenſis conſtituitur.	514
	XX.		Octobris	1	F. Johannes de Duracio fit Archiepiſcopus Duracenſis.	515
	XXI.	1413	Februarii	6	De Fratribus ad Magiſterii gradum promovendis.	515
	XXII.		Auguſti	23	De Cœnobio Guingampenſi reficiendo.	516
	XXIII.	1414	Februarii	6	De quadam ſententia lata a Vicario Inquiſitoris Lombardiæ.	516
	XXIV.			11	Provincialis Franciæ Cœnobium unum ponat in Comitatu Sabaudiæ.	517
	XXV.				De eodem Cœnobio.	518
	XXVI.		Martii	27	F. Leonardum de Datis Ordinis Vicarium Generalem conſtituit.	518

Con-

	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
JOHANNES dictus XXIII.						
	XXVII.	1414	Aprilis	4	Controverſias Fratres Prædicatores inter & Rectorem Eccleſiæ S. Severii Viennæ motas componit.	520
	XXVIII.		Maii	11	Conſtantinopolitanam Eccleſiam SS. Petri & Pauli confert F. Jacobo de Imola.	521
	XXIX.		Auguſti	25	Indulgentia pro Cœnobio Roſchildenſi.	521
	XXX.			28	De ſervanda Conſtitutione quæ incipit: *Super Cathedram*.	522
	XXXI.		Septemb.	19	F. Johannes de Podio fit Inquiſitor Toloſanus.	522
	XXXII.			22	Piſanum Monaſterium S. Silveſtri quocunque tributo immune.	523
	XXXIII.		Novemb.	15	Cœnobii de Arolo Sacras ædes viſitantibus Indulgentias impertitur.	524
	XXXIV.		Decemb.	1	Monaſterium Staynacenſe Privilegiis ornat.	524
	XXXV.			15	Compoſitionem inter Rectores eccleſiarum & Prædicatores ac Minores Fratres initam firmat.	525
	XXXVI.	1415	Januarii	8	Fratres, quos *Exules Chriſti Fideles* vocant, interdicti tempore ſepeliri poſſint in Cœmeteriis Prædicatorum.	525
	XXXVII.			17	De reædificando Slegienſi Cœnobio.	525
	XXXVIII.		Februarii	23	F. Ivo Lector in ſecundis Scholis Pariſien. conſtituatur.	526
	XXXIX.		Aprilis	20	F. Petrus de Geugenbach fit Pœnitentiarius Summi Pontificis.	526
	XL.				De Friburgenſi Cœnobio.	527
	XLI.			29	Indulgentia conceſſa iis, qui ſingulis diebus interfuerint Sacrificio Miſſæ, ad honorem B. Mariæ Virginis fundatæ in ædibus Sacris Cœnobii de Poligniaco.	528
MARTINUS dictus V.	I.	1417	Novemb.	21	Cœnobii Camberiacenſis fundandi facultas.	532
	II.		Decemb.	18	Monaſterii Staynacenſis privilegia firmat.	532
	III.	1418	Januarii	27	Inſtigante F. Johanne de Podio in nonnullos hæreſeos ſuſpectos quæſtionem decernit.	533
	IV.		Februarii	5	Ex una tres Provincias, Hiſpaniæ ſcilicet, Sancti Jacobi, & Portugalliæ conſtituit.	533
	V.				Ut ſex Cœnobia, & quatuor Monaſteria in Hiſpania fundentur.	534
	VI.		Martii	2	F. Leonardum de Florentia Generalem Magiſtrum declarat.	535
	VII.			14	De *Quarta* canonica portione.	536
	VIII.		Aprilis	21	De quibuſdam legatis Fratribus Ulyſſipponen.	536
	IX.		Maii	5	Firmat privilegia Pruliano Monaſterio conceſſa.	537
	X.			7	Ut inſtituatur quæſtio de vita & Miraculis Nicolai Lincopenſis, Brynulphi Scarenſis Epiſcoporum, ac Ingridis Monialis Ordinis Prædicatorum.	542
	XI.			29	F. Johannes Boulaye S. Theologiæ Magiſter creatur.	545
	XII.		Junii	25	De reficiendo Lauſannenſi Cœnobio.	545
	XIII.		Julii	6	F. Ludovici de Valleoleti præclare geſta laudibus celebrat.	546
	XIV.			7	Moniales Staviacenſes in bonorum alienatorum poſſeſſionem mittantur.	547
	XV.			10	F. Johannem Dominici S. R. E. Cardinalem ad Reges Hungariæ & Bohemiæ legat.	547
	XVI.			16	Monaſterium de Dertford juris ſit Ordinis.	548
	XVII.			22	F. Johannes Archiepiſcopus Tuamenſis delectum habeat unius Fratris, qui Capellanus ipſius ſit.	549
	XVIII.			28	Bona Fratribus Ord. Præd. jure hæreditario obvenire poſſunt.	550
	XIX.			29	Ne Mendicantium Ordinum Fratres ad alios Ordines tranſeant.	550
	XX.		Auguſti	17	De Melcombenſe, aliiſque Cœnobiis fundandis in Anglia.	551
	XXI.			23	Fidei Præcones privilegiis ornat.	552
	XXII.		Novemb.	28	De Lingonienſi Cœnobio.	553

Quæ-

MARTINUS dictus V.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	XXIII.	1418	Decemb.	18	Quædam Monialibus Auderghem ſolvenda decernit.	553
	XXIV.				Monaſterii Florentiæ fundandi facultas.	554
	XXV.	1419	Januarii	28	Monaſterium de Luen ſuo & S. Sedis præſidio tutatur.	555
	XXVI.			29	De Monialibus Urſpringen. in poſſeſſionem cujuſdam Beneficii mittendis.	555
	XXVII.		Martii	9	Idem pro Monialibus Schonenſteynbacen.	556
	XXVIII.		Aprilis	11	F. Leonardo Generali Magiſtro de Theologiæ Doctoribus conſtituendis.	557
	XXIX		Maii	19	Monaſterium S. Marthæ Piſan. tributis immune.	558
	XXX.			26	Idem pro Monaſterio S. Silveſtri Piſan.	558
	XXXI.		Junii	21	De jure Fratrum Prædicatorum præcedendi ante Fratres Minores.	559
	XXXII.			28	Cœnobii in Terra Voraginis fundandi facultas.	560
	XXXIII.		Auguſti	16	Executioni mandentur ſententiæ ſecundum Fratres Prædicatores latæ in Eremitas S. P. Auguſtini.	561
	XXXIV.			31	F. Johannes de Caſanova, aliique plures Pœnitentiarii Summi Pontificis creantur.	561
	XXXV.		Octobris	9	F. Martinus de Chiari fit Nachuanenſis Epiſcopus.	562
	XXXVI.			20	F. Bartholomæus Scala S. Theologiæ Magiſter renunciatur.	563
	XXXVII.			21	Fratribus Armenis facultatem facit eligendi Nachuanenſem Epiſcopum.	563
	XXXVIII.			26	Firmat Privilegia Fratrum Unitorum.	564
	XXXIX.			30	F. Franciſcum Sala de Tarraconenſi ad Barchinonenſem domum transfert.	565
	XL.		Novemb.	4	De ſacris, ceteriſque Monaſterii Pratenſis ædibus reficiendis.	565
	XLI.			6	Inquiſitio Gebennenſis Ordini Prædicatorum reſtituta.	566
	XLII.			20	Quædam de Licentiatis & Doctoribus a Capitulo Generali Friburgenſi ſancita firmat.	569
	XLIII.			27	F. Johannes Boteſach fit Epiſcopus Milienenſis.	570
	XLIV.			29	Ne F. Franciſcus Sala ab Inquiſitoris officio poſſit amoveri.	570
	XLV.				Idem in priſtinam dignitatem reſtituatur.	571
	XLVI.		Decemb.	13	Idem pro F. Arnaldo de Curtibus.	572
	XLVII.				Lecturas, ſeu Lectiones, a F. Johanne de Caſanova in ſtudiis Generalibus, alibique factas approbat.	573
	XLVIII.			22	De uniendis Peruſinis Monaſteriis SS. Georgii & Thomæ.	573
	XLIX.	1420	Januarii	12	De perficiendis ædibus ſacris Panormitani Cœnobii S. Dominici.	574
	L.			15	F. Proculus Coronamenſis Epiſcopus creatur.	575
	LI.			26	Piſanum Monaſterium S. Silveſtri tributis immune.	575
	LII.			31	F. Sinlaus de Albania Epiſcopus Liſmorenſis renunciatur.	576
	LIII.				Idem.	577
	LIV.				Idem.	577
	LV.				Idem:	577
	LVI.		Februarii	7	De uniendis Peruſinis Cœnobiis SS. Georgii & Thomæ.	577
	LVII.			19	Florentinum Monaſterium S. Petri Martyris curæ Provincialis Romanæ Provinciæ committitur.	578
	LVIII.		Martii	25	Reſcindit literas in gratiam Prioris Pruliani a ſe & a Patriarcha Conſtantinopolitano datas.	579
	LIX.			27	Inquiſitor in Valentiæ Regno conſtituatur.	579
	LX.		Aprilis	24	Eccleſia Villæ Mencienſis fit Parochialis.	580
	LXI.		Maii	4	Ad Moniales Monaſterii S. Petri Martyris vita religioſa inſtituendas duæ Moniales ex Monaſterio Piſano Florentiam petant.	581
	LXII.			28	Generalis Magiſter variis privilegiis ornatur.	582
	LXIII.		Junii	13	Romæorum Deſpoti duodecim Prædicatorum, vel	

MARTINUS dictus V.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
					vel aliorum Mendicantium Fratres ſecum habere poſſint.	583
	LXIV.	1420	Junii	23	Ne Cœnobia & Monaſteria Ord. Prædicatorum, aliorumque Mendicantium juris ſint Generalium viſitatorum Apoſtolicorum.	584
	LXV.		Julii	5	Decretalis *Super Cathedram* ſervetur in Ruſſia.	585
	LXVI.			15	Ordo Prædicatorum Epiſcoporum juriſdictione, ac tributis immunis.	585
	LXVII.			17	F. Blaſius, Danenſis Epiſcopus, beneficium conſequi poſſit.	588
	LXVIII.		Auguſti	1	Sublata provocatione ad S. Sedem Generalis Magiſter quandam litem dirimat, uti legibus Ordinis præſcribitur.	589
	LXIX.			23	De reficiendis ſacris ædibus Florentini Monaſterii S. Catharinæ.	589
	LXX.			28	Procurator Ordinis ad Magiſterii gradum promoveat F. Johannem de la Magdalena.	590
	LXXI.		Septemb.	2	De quibuſdam ædibus conductitiis in caſtro S. Geminiani FF. Prædicatoribus legatis.	591
	LXXII.				De decem beneficiis fundandis a Prioriſſa & Conventu Monaſterii in Clingental, & ab eiſdem Monialibus conferendis.	591
	LXXIII.			4	F. Johannes de Ryffesſcheyt Epiſcopus Cerinenſis creatur.	592
	LXXIV.			5	De Florentino Cœnobio S. Mariæ Novellæ.	592
	LXXV.		Octobris	22	Quilibet Sacerdos Sacramenta miniſtrare poſſit F. Johanni de Caſanova.	593
	LXXVI.				F. Johannes de Caſanova Pœnitentiarii munus obire poſſit in Hiſpania.	593
	LXXVII.		Novemb.	6	F. Berengarius Rubei Sacræ Theologiæ Magiſter conſtituitur.	593
	LXXVIII.			18	F. Antonius Murta Fidei Quæſitor creatur.	594
	LXXIX.		Decemb.	16	F. Rogerus fit Epiſcopus Solubrienſis.	595
	LXXX.				F. Salomon præficitur Eccleſiæ Aoteradenſi.	595
	LXXXI.			23	F. Andreas Raguſeus Satrianenſis Epiſcopus renunciatur.	596
	LXXXII.	1421	Januarii	10	F. Johannes de Currali nonnullos excommunicationis ſententia ſolvat.	596
	LXXXIII.		Februarii	14	F. Petrus Raynaldi Corinthienſis Archiepiſcopus creatur.	597
	LXXXIV.		Aprilis	21	F. Johannem de Chorono præficit Eccleſiæ Arienſi.	597
	LXXXV.		Maii	14	Indulgentia pro Cœnobio Veneto.	598
	LXXXVI.		Junii	7	De quibuſdam poſſeſſionibus unieodis hoſpitio pauperum Spoletan.	598
	LXXXVII.			15	Ordo Prædicatorum Decimis, tributis, & Epiſcoporum juriſdictione immunis.	599
	LXXXVIII.		Auguſti	13	F. Angelus Corporis Sancti fit Epiſcopus Galipolitan.	599
	LXXXIX.			27	Moniales Barchinonen. Monaſterii S. Petri Martyris transferuntur ad Monaſterium S. Eulaliæ.	600
	XC.		Octobris	20	De ampliando Alcaracenſi Cœnobio.	601
	XCI.			24	Cœnobii Mariæ Heidani fundandi facultas.	601
	XCII.				Murani Cœnobii fundatio confirmatur.	602
	XCIII.				Moniales Monaſterii Leovallenſis hæreditates adire poſſint.	603
	XCIV.		Novemb.	3	Firmat donationem factam Fratribus de Rupe Fidei.	603
	XCV.	1422	Januarii	12	F. Henricus Holleyben Epiſcopus Cathoſienſis conſtituitur.	604
	XCVI.			19	F. Andinus Sarnerii fit Epiſcopus Aconenſis.	604
	XCVII.		Martii	4	De perficiendis Sacris ædibus Veronenſis Cœnobii.	605
	XCVIII.			20	Quaſdam Decimas aſſignat Fratribus Kalinarven.	605
	XCIX.		Aprilis	22	Quingentos florenos auri de Camera deſtinat Monaſterio S. Mariæ de Nazareth.	606

MARTINUS dictus V.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	C.	1422	Maii	4	Liberam in Aquenſi Monaſterio Sepulturam decernit.	607
	CI.			15	F. Stephanus de Spernaco beneficia eccleſiaſtica conſequi poſſit.	607
	CII.		Julii	3	F. Antonium de Levanto præficit Eccleſiæ Tanenſi.	608
	CIII.		Septemb.	1	F. Johannem de Caſanova quibuſdam redditibus donat, ut Apoſtolici Palatii Magiſtri munus decenter obeat.	608
	CIV.				Idem Sacri Palatii Magiſter teſtamenti habeat factionem.	609
	CV.		Decemb.		De F. Raymundo de Tilio Inquiſitore Carcaſſoneuſi conſtituendo.	610
	CVI.	1423	Januarii		Cœnobii in Inſula Majoricenſi fundandi facultas.	611
	CVII.			18	Indulgentia pro Cœnobio Anneciacenſi a Johanne Epiſcopo Oſtienſi fundato.	611
	CVIII.				Fratres Anneciacenſes de rebus divinis ad populum dicere poſſint.	612
	CIX.				Eadem de re.	612
	CX.				Eoſdem Fratres omnibus privilegiis Ordinis ornat.	612
	CXI.				Iidem Fratres prædicantes Auditorum cœtui Indulgentias elargiri poſſint.	613
	CXII.			30	In Petrum Freſerii hæreſeos ſuſpectum.	613
	CXIII.		Februarii	18	Prioratum Monaſterii S. Georgii Ord. S. Auguſtini fidei & curæ F. Johannis Verba committit.	614
	CXIII-2.			22	F. Leonardus Statii Præſes Papienſis Concilii renunciatur.	709
	CXIV.			26	De Viennenſi Cœnobio conſtruendo.	615
	CXV.				Confirmatio diviſionis Proviuciæ Hiſpaniæ.	616
	CXVI.				De Cœnobio Taurenſi.	617
	CXVII.		Martii	3	De Fratrum Prædicatorum jure præcedendi ante alios Mendicantes Fratres.	617
	CXVIII.			5	F. Laurentium Pignon Epiſcopum Bethleemitanum renunciat.	618
	CXIX.			22	De Quarta Funerali pro Cœnobio Valentino.	618
	CXX.			23	F. Jacobus Guiſthardi fit Pœnitentiarius Avenionen.	619
	CXXI.			25	Annona Fratribus S. Sabinæ de Urbe erogata omni tributo libera declaratur.	620
	CXXII.			27	Rogatu Fratris Johannis Crucelli ſacellum Parochiale conſtituit in loco de Braſſiliaco.	620
	CXXIII.		Maii	5	F. Johannes de Caſanova ſubſtituto uti valeat ad obeundum munus Magiſtri Scholarum Sacri Palatii.	621
	CXXIV.			17	Ne qui ſtudiorum curriculum non confecerint, & per quadriennium non docuerint Magiſterii lauream conſequantur.	622
	CXXV.				Ortenſis Cœnobii fundandi facultas.	622
	CXXVI.			27	In Viterbienſes Fratribus moleſtias exhibentes.	623
	CXXVII.		Junii	2	De Ortenſi Cœnobio fundando.	623
	CXXVIII.		Julii	15	Indulgentia pro Fanenſi Cœnobio.	624
	CXXIX.		Septemb.	21	De reædificando Achadenſi Cœnobio.	625
	CXXX.		Octobris	13	F. Petrus de Carna fit Epiſcopus Nantuanenſis.	625
	CXXXI.				De eodem ad Nantuanenſe Capitulum.	626
	CXXXII.				De eodem ad Populum Nantuanenſem.	626
	CXXXIII.				De eodem ad Archiepiſcopum Soltanien.	626
	CXXXIV.			22	De reficiendis ſacris ædibus Bodrogenſis Cœnobii.	626
	CXXXV.			27	F. Johannes de Nardo Sanctarienſis Epiſcopus creatur.	627
	CXXXVI.				De eodem ad Sanctarienſe Capitulum.	627
	CXXXVII.				De eodem ad Populum Sanctarienſem.	627
	CXXXVIII.				De eodem ad Archiepiſcopum Niehiſſen.	628
	CXXXIX.		Decemb.	12	F. Johannes Archiepiſcopus Soltanienſis renunciatur.	628
	CXL.				Unitorum Cœnobia ſemel tantum in anno a Fratribus Prædicatoribus viſitanda.	628

Privi-

MARTINUS dictus V.	Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
	CXLI.	1423	Decemb.	12	Privilegium conceſſum Fratrum Uniterum Generali Magiſtro.	629
	CXLII.	1424	Januarii	2	Reſcindit literas quibus Hiſpaniæ Provinciam diviſerat.	629
	CXLIII.			4	De Caphenſi Cœnobio S. Nicolai.	631
	CXLIV.			11	F. Leonardus de Florentia Carcaſſonenſem Inquiſitorem creat.	631
	CXLV.			17	F. Ludovicus Valleoleti a Provincialatus officio dimittatur.	632
	CXLVI.			20	Firmat Collationem Beneficii annexi Monaſterio S. Mariæ Magdalenæ ad Lapides extra muros Baſileen.	634
	CXLVII.			29	Litem componit Fratres Biterrenſes inter & Vicecomitem Narbonenſem.	635
	CXLVIII.		Februarii	4	De reficiendis Sacris ædibus Herefordenſis Cœnobii.	636
	CXLIX.			9	Declarat literas *Ad Summi* non derogaſſe Decretali *Dudum*.	637
	CL.			13	Inquiſitorem Carcaſſonenſem a F. Leonardo Generali Magiſtro conſtitutum confirmat.	637
	CLI.			16	In quendam qui FF. Unitorum Caphen. bona invaſerat.	639
	CLII.				In eundem.	639
	CLIII.		Martii	2	Donationem loci de Rochabruna San-Maximinenſi Cœnobio factam confirmat.	640
	CLIV.				Mille florenos aſſignat pro Sacris ædibus San-Maximinenſis Cœnobii perficiendis.	640
	CLV.				Prior ejuſdem Cœnobii San-Maximinenſem gentem excommunicatione devincire poteſt eo modo quo ſuos ſubditos Epiſcopi devinciunt.	641
	CLVI.			6	De reficiendo Patakinenſe Monaſterio a Turcis devaſtato.	642
	CLVII.			13	F. Job de Macho fit Archiepiſcopus Machoenſis.	643
	CLVIII.			18	F. Odricus de Torrente Biſuntinus Inquiſitor creatur.	644
	CLIX.		Aprilis	12	F. Ricardus de Belmer Epiſcopus Achadenſis renunciatur.	644
	CLX.			24	F. Leonardo de Florentia in quoſdam Fraticellos.	645
	CLXI.		Maii	18	Decretalis *Super Cathedram* in Regno Neapolitano ſervetur.	645
	CLXII.			21	Innovat Conſtitutiones quibus Nicolaus IV & Clemens IV Fratres Prædicatores hæreditates adire poſſe declarant.	646
	CLXIII.		Julii	20	Ædes Sacras Lubicenſis Cœnobii, in quo FF. Prædicatores Generale Capitulum celebraturi erant, viſitantibus elargitur Indulgentias conceſſas inviſentibus Apoſtolorum limina.	646
	CLXIV.			26	Firmat electionem Prioriſſæ Valentini Monaſterii S. Mariæ Magdalenæ.	647
	CLXV.		Auguſti	4	Neapolitanum Monaſterium S. Sebaſtiani confert Monialibus Ord. Prædicatorum.	647
	CLXVI.		Octobris	11	F. Dominicum Mariconde præficit Alexanenſi Eccleſiæ.	648
	CLXVII.		Decemb.	18	F. Petrus de Ceno fit Archadienſis Epiſcopus.	648
	CLXVIII.	1425	Januarii	9	Atellenſis Monaſterii fundandi facultas.	649
	CLXIX.		Februarii	17	Privilegium conceſſum Societati S. Catharinæ Barchinonen.	650
	CLXX.		"		Aliud Privilegium pro eadem Societate.	650
	CLXXI.			19	Lavarenſis Cœnobii fundandi facultas.	651
	CLXXII.			28	F. Dominicum Johannis Epiſcopum Teralbenſem conſtituit.	651
	CLXXIII.		Maii	6	De reficiendo Cœnobio S. Mariæ regalis *de Nieva*.	652
	CLXXIV.			14	F. Johannes Grignardi Gebeldenſis Epiſcopus creatur.	652
	CLXXV.		Junii	28	Cœnobii Urceorum novorum fundandi facultas.	653

F. Do-

MARTINUS ciclus V. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CLXXVI.	1425	Julii	4	F. Dominicum Grancorve de Raguſio Tribunienſem Epiſcopum conſtituit.	653
CLXXVII.		Septemb.	6	Conventus S. Mariæ Regalis *de Nieva* veniat in poſſeſſionem bonorum quæ F. Alfonſus Salmanticenſis utenda habuit.	654
CLXXVIII.			9	Innovat Bonifatii IX Conſtitutionem in qua inſcribitur Mare Magnum Gregorii XI.	654
CLXXIX.			17	De Provinciali Provinciæ Hiſpaniæ præficiendo.	655
CLXXX.		Octobris	24	De reædificando Ennetacenſe Monaſterio.	656
CLXXXI.		Novemb.	21	Chienſis Conventus ſit in poſſeſſione eorum quæ ſibi legantur.	656
CLXXXII.			29	F. Dionyſius de Knin ſit Epiſcopus Drivaſtenſis.	657
CLXXXIII.		Decemb.	10	F. Andreas de Conſtantinopoli præficitur Sacello S. Antonii in civitate Caphen.	657
CLXXXIV.			19	Firmat donationem loci de Rochabruna factam Cœnobio San-Maximinenſi.	658
CLXXXV.				Ne F. Johannes de Caſanova renunciatus Elenenſis Epiſcopus penſione ſibi Magiſtro Sacri Palatii conceſſa utatur.	659
CLXXXVI.				F. Thomas de Abaraner ſit Soltanienſis Archiepiſcopus.	660
CLXXXVII.	1426	Januarii	7	F. Daniel de Paniceriis Pœnitentiarius Avenionenſis creatur.	660
CLXXXVIII.				De F. Nicolao de Rotaria S. Theologiæ Magiſtro creando.	661
CLXXXIX.				De Sacris ædibus Ennetacenſis Monaſterii dedicandis.	661
CXC.			16	F. Gerardus de Reppin ſit Epiſcopus Laudicenſis.	661
CXCI.			22	Soncinenſis Cœnobii fundandi facultas.	662
CXCII.		Februarii	13	Ne ſine Superiorum permiſſu Fratres Societatis Peregrinantium commorentur apud Epiſcopos.	663
CXCIII.		Martii	5	In Epiſcopum Chienſem qui in Fratres Prædicatores excommunicationis ſententiam tulerat.	663
CXCIV.		Aprilis	8	Firmat donationem Neapolitani Monaſterii S. Sebaſtiani factam Monialibus Ordinis Prædicatorum.	664
CXCV.			9	Ne pro velandis, vel ſepeliendis Monialibus Piſanum Monaſterium Fratres ingrediantur.	665
CXCVI.		Maii	12	Ne Fratres Uniti moleſtiis afficiantur.	666
CXCVII.		Junii	15	F. Elias Bodandi Pœnitentiarius Lemovicenſis conſtituitur.	666
CXCVIII.			16	F. Bernardus Boxados Vicarius Generalis Aragoniæ Provinciæ confirmatur.	667
CXCIX.				De F. Laurentio Belluga S. Theologiæ Doctore creando.	667
CC.				Ne alterius Cœnobii Fratres in album Barchinonenſis Domus transferantur.	668
CCI.			19	F. Nicolaus de Chio Vicarius Generalis Eccleſiæ Chienſis creatur.	668
CCII.		Julii	4	Ne F. Paulus Johannis Ordinis Unitorum a Prioratus officio dimittatur.	669
CCIII.		Auguſti	26	Firmat ea quæ de Cœnobio Langley Regis Magiſter Generalis ſtatuerat.	670
CCIV.		Octobris	8	Portomprienſis Cœnobii fundandi facultas.	670
CCV.			10	Inſcribit Conſtitutionem qua Innocentius VII Regulam Tertii Ordinis confirmavit.	671
CCVI.			31	F. Julianus Tallada in officium Provincialis Aragoniæ reſtituatur.	671
CCVII.		Novemb.	23	De perficiendo Portomprienſi Cœnobio.	672
CCVIII.		Decemb.	17	Indulgentia pro Toletano Monaſterio.	672
CCIX.				Mariæ Reginæ, necnon ceteris, qui primis, aut ſecundis veſperis, vel Miſſarum ſolemniis, juſſu ejuſdem Reginæ decantandis die feſto S. P. Dominici, interfuerint, indulgentias impertitur.	673
CCX.			31	Ut F. Stephanus de Spernaco in quorundam Beneficiorum poſſeſſionem venire queat.	673

De

MARTINUS dictus V. Conſtitutio.	Annus.	Menſis.	Dies.	ARGUMENTUM.	Pagina.
CCXI.	1427	Januarii	4	De creando Vicario Generali Cordubenſis, aliorumque nonnullorum Conventuum Caſtellæ & Legionis.	674
CCXII.			5	De reficiendo Veneto Monaſterio Corporis Chriſti.	674
CCXIII.			10	F. Nicolaus de Tuderto præficitur Eccleſiæ Foliarum.	675
CCXIV.			13	Conventus duos in Hibernia fundandi facultas.	675
CCXV.		Martii	20	F. Alfonſus del Spino eremiticam vitam degere poſſit.	676
CCXVI.			28	F. Andreas de Aurea fit Andrenſis Epiſcopus.	676
CCXVII.		Aprilis	26	Vapincenſis Cœnobii fundandi facultas.	677
CCXVIII.		Maii	7	Electionem Provincialis Hiſpaniæ ratam habet, & firmat.	678
CCXIX.			13	Langley Regis Cœnobium juris fit Fratrum Viſitationis Oxonienſis.	679
CCXX.			21	Innovat Mare magnum Gregorii XI.	679
CCXXI.		Junii	15	De Corpore F. Bernardi de Garriga ſepeliendo in ædibus ſacris Arauſicani Cœnobii.	680
CCXXII.			19	Onelienſis Cœnobii fundandi facultas.	681
CCXXIII.		Octobris	17	F. Antonius Epiſcopus Graſſenſis renunciatur.	681
CCXXIV.		Novemb.	14	Decretalis *Super Cathedram* ſervetur in Germania.	682
CCXXV.			25	Diploma illi Decretali contrarium reſcindit.	682
CCXXVI.		Decemb.	5	De Monaſterio Onderghem alio transferendo.	683
CCXXVII.			23	F. Marinus Teldi de Venetiis fit Adminiſtrator Scutarenſis Eccleſiæ.	684
CCXXVIII.				Eadem de re.	684
CCXXIX.	1428	Februarii		F. Petrus de Sancto Blaſio Bojanenſis Epiſcopus creatur.	685
CCXXX.		Martii.	18	Indulgentia conceſſa viſitantibus ſacellum Cornwayll nuncupatum, ſitum in ædibus Sacris Londonienſis Cœnobii.	685
CCXXXI.		Aprilis	21	Cœnobium Langley Regis juriſdictionis fit viſitatoris Cantabrigiæ.	686
CCXXXII.		Maii	1	Leges ſancitas pro Monaſterio S. Sixti de Urbe quodam adhibito temperamento confirmat.	687
CCXXXIII.			17	F. Nicolaus de Camiſio fit Inquiſitor Regni Siciliæ.	688
CCXXXIV.			18	F. Johannes Cheureſon, aliique duo, ſolitariam vitam ducere poſſint.	688
CCXXXV.			20	Auximani Cœnobii fundandi facultas.	689
CCXXXVI.			23	Firmat compoſitionem initam inter Moniales S. Sixti de Urbe & Monaſterium S. Oſwaldi de Noſtle.	690
CCXXXVII.		Octobris	8	Belunenſis Cœnobii fundandi facultas.	692
CCXXXVIII.		Novemb.	16	Fratres S. Sedis Capellani juriſdictionis ſint Priorum aliorumque Superiorum Ordinis.	693
CCXXXIX.	1429	Januarii	8	F. Andreas Coralles S. Theologiæ Magiſter conſtituatur.	693
CCXL.		Martii	15	De reædificando Longofordienſi Cœnobio.	694
CCXLI.				De revocandis quibuſdam privilegiis conceſſis Societati S. Catharinæ Barchinonen.	694
CCXLII.		Maii	11	De ſpatio quo diſtare debent Cœnobia Fratrum Mendicantium.	695
CCXLIII.		Novemb.	29	Ut Decretalis *Super Cathedram* in Regno Neapolitano ſervetur.	696
CCXLIV.		Decemb.	9	F. Stephanus de Spernaco Eccleſiæ Aptenſi præficitur.	697
CCXLV.	1430	Januarii	7	Firmat electionem Prioriſſæ Monaſterii de le Treuloye.	698
CCXLVI.		Februarii	10	F. Sanctus de Ferraria Plouacenſis Epiſcopus conſtituitur.	698

INDEX ALPHABETICUS
Diplomatum hujus Secundi Voluminis.

INDEX RERUM REPERIETUR TOMO ULTIMO.

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
	A		
AB exordio.	XXXIV.	Bonifat. VIII.	64
	XXXI.	Johan:XXIII.	522
Ad Sanctorum.	CLIII.	Bonifat.IX.	404
Ad apoſtolatus.	LXI.	Bonifat. IX.	347
Ad audientiam.	XIX.	Bonifat. VIII.	54
	IV.	Innocent.VI.	245
	VII.	Urbanus V.	250
	XXXV.	Gregorius XI.	287
	CI.	Bonifat. IX.	372
	II.	Gregor. XII.	482
Ad augmentum.	XI.	Bonifat.VIII.	47
Ad cumulum.	CXXXIII.	Martin. V.	626
	CXXXVIII.	Martin. V.	628
Ad ea.	VI.	Urbanus VI.	299
	VII.	Urbanus VI.	300
	III.	Bonifat. IX.	310
	XCVI.	Bonifat. IX.	369
	CLXXXVI.	Bonifat. IX.	422
	XLVIII.	Martin. V.	573
	LVI.	Martin. V.	577
	CXXVII.	Martin. V.	623
	CLV.	Martin. V.	641
	CCVI.	Martin. V.	671
	CCXV.	Martin. V.	676
	CCXLV.	Martin.V.	698
Ad exequendum.	CV.	Martin. V.	610
Ad fructus.	II.	Martin. IV.	1
Ad gaudium.	XLI.	Johan.XXII.	164
Ad hoc nobis.	VI.	Martin. V.	535
Ad hoc nos.	CXLIX.	Martin. V.	637
	CCXLII.	Martin. V.	695
Ad illa.	LXVII.	Johan. XXII.	181
Ad literas.	XV.	Clemens VI.	233
	XVI.	Clemens VI.	233
Admodum.	XIII.	Gregor. XI.	275
Ad notitiam.	VII.	Clemens VI.	227
Ad præſervandam.	CLXXIX.	Martin V.	655
Ad procurandum.	XI.	Gregor. XI.	274
Ad propagationem.	XXXII.	Gregor XI.	285
Ad providam.	LVIII.	Martin V.	579
Ad Romani.	CXCII.	Martin V.	663
Ad Sacrum.	X.	Honorius IV.	10
Ad ſtatum.	CXV.	Martin. V.	616
	CXLV.	Martin. V.	632
Ad Summi.	LXVI.	Martin. V.	585
	LXXXVII.	Martin. V.	599
Ad tranquillum.	VII.	Bonifat. VIII.	44
Ad unitatem.	XCVI.	Johan. XXII.	200
Æternæ.	XXVII.	Martin. V.	556
Aſſuentis.	LXXVIII.	Bonifat. IX.	357
Agimus.	XXXVI.	Johann. XXII.	156
Alma mater.	VI.	Urbanus V.	260
Altitudo.	I.	Benedict. XI.	218
Apoſtolatus.	XXIII.	Bonifat. IX.	323
	XXVII.	Bonifat. IX.	325
	XXXVI.	Bonifat. IX.	331
	XLIX.	Bonifat.IX.	339
	LXXIII.	Bonifat.IX.	354
	LXXXVI.	Bonifat. IX.	363
	LXXXVIII.	Bonifat.IX.	364
	XCI.	Bonifat. IX.	366
	XCIII.	Bonifat.IX.	367
	CXXIV.	Bonifat IX.	385
	CXXVI.	Bonifat.IX.	386
	CXXXVI.	Bonifat.IX.	393
	CXLIX.	Bonifat.IX.	402
	CLII.	Bonifat.IX.	403
	CLIV.	Bonifat IX.	404
	CLXXXV.	Bonifat.IX.	422
	CCXXIII.	Bonifat.IX.	449
	CCXXV.	Bonifat.IX.	450
	CCXXXI.	Bonifat.IX.	454
	XI.	Johan.XXIII.	509
	XLIII.	Martin. V.	570
	L.	Martin. V.	575
	LII.	Martin. V.	576
	LIII.	Martin. V.	577
	LIV.	Martin. V.	577
	LXXXIV.	Martin. V.	597
	XCVI.	Martin. V.	604
	CXVIII.	Martin. V.	618
	CXXX.	Martin. V.	625
	CXXXI.	Martin. V.	626
	CXXXII.	Martin. V.	626
	CXXXV.	Martin. V.	627
	CXXXVI.	Martin. V.	627
	CXXXVII.	Martin. V.	627
	CLIX.	Martin.V.	644
	CLXVI.	Martin. V.	648
	CLXVII.	Martin. V.	648
	CLXXII.	Martin. V.	651
	CLXXVI.	Martin. V.	653
	CLXXXII.	Martin. V.	657
	CXC.	Martin. V.	661
	CCXIII.	Martin. V.	675
	CCXVI.	Martin. V.	676
	CCXXIX.	Martin. V.	685
	CCXLVI.	Martin. V.	698
Apoſtolica.	XVII.	Honorius IV.	15
	XVI.	Bonifat. VIII.	52
	III.	Benedict.XI.	79
	IV.	Benedict. XI.	79
	VII.	Benedict. XI.	81

Apoſto-

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Apoſtolica.	XVII.	Benedict. XI.	90
	V.	Innocen. VI.	246
	XLIII.	Bonifat. IX.	335
	XLVIII.	Bonifat. IX.	338
	L.	Bonifat. IX.	340
	CVI.	Bonifat. IX.	376
	XVI.	Johan. XXIII.	512
	XVI.	Martin. V.	548
	LXXXIX.	Martin. V.	600
	CXIX.	Martin. V.	618
	CLXII.	Martin. V.	646
	CCI.	Martin V.	668
	CCXXXVII.	Martin. V.	692
Arduis.	XCVII.	Johan. XXII.	201
Auctoritate.	X.	Nicolaus IV.	23

B

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Benedictus.	III.	Clemens V.	107
	IV.	Clemens V.	112
Benigno.	XLIV.	Gregor. XI.	293

C

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Cæleſtis.	XXVIII.	Bonifat. VIII.	60
Caritatis.	XV.	Bonifat. VIII.	52
	IV.	Gregor. XII.	483
Certis nuper.	XXIII.	Nicolaus IV.	31
Circa ſalutem.	XXXI.	Gregor. XI.	285
Circa ſtatum.	CXIII.	Bonifat. IX.	378
Circa tuam.	XXX.	Gregor. XI.	284
Circumſpecta.	XXXVII.	Martin. V.	563
Circumſpectionem.	LXXIX.	Johan. XXII.	190
Cognita.	CCXVII.	Martin. V.	677
Congruum.	IX.	Honor. IV.	10
Conqueſti ſunt.	CXXVI.	Martin. V.	623
Conſervationi.	XXII.	Gregor. XI.	279
	XXXIX.	Gregor. XI.	289
Conſiderantes.	I.	Honorius IV.	6
Copioſus.	III.	Urbanus V.	258
Creditum.	CXVII.	Bonifat. IX.	381
Cum adverſus.	IX.	Nicolaus IV.	23
Cum a nobis.	V.	Honorius IV.	8
	XXXIV.	Johan. XXIII.	524
	II.	Martin. V.	532
	XVIII.	Gregorius XI.	277
Cum de.	XLIX.	Johan. XXII.	169
Cum dilectos.	XXXIII.	Gregor. XI.	286
Cum dilectum.	III.	Urbanus VI.	297
Cum dudum.	IX.	Gregor. XI.	273
Cum Eccleſiam.	VI.	Bonifat. VIII.	44
Cum ex certis.	IV.	Urbanus V.	259
Cum hora.	VI.	Nicolaus IV.	22
	XXXIII.	Johan. XXII.	154
Cum illius.	XV.	Johan. XXII.	140
Cum incumbat.	XXXIII.	Benedict. XI.	97
Cum itaque.	XI.	Urbanus VI.	302
	XVIII.	Bonifat. IX.	320
	LXIV.	Bonifat. IX.	348
	XXII.	Johan. XXIII.	516
	XXXVII.	Johan. XXIII.	525
	CXXVIII.	Martin. V.	624
	CXXIX.	Martin. V.	625
	CXXXIV.	Martin. V.	626

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Cum itaque.	CXLVIII.	Martin. V.	636
	CLXXX.	Martin. V.	656
	CCVII.	Martin. V.	672
	CCXL.	Martin. V.	694
Cum nonnulli.	LII.	Johan. XXII.	172
Cum olim.	XXII.	Nicolaus IV.	30
Cum præcelſa.	CXVI.	Martinus V.	617
Cum pro.	I.	Urbanus VI.	296
Cum ſicut.	XIX.	Honorius IV.	16
	I.	Bonifat. VIII.	39
	VIII.	Clemens V.	115
	XII.	Clemens V.	121
	XXXII.	Johan. XXII.	153
	LXXXIII.	Johan. XXII.	192
	XCVIII.	Johan. XXII.	202
	XXXVIII.	Gregor. XI.	289
Cum ſit hora.	LXXXIX.	Johan. XXII.	196
Cum ſuper.	XXX.	Johan. XXII.	151
Cum tam.	XCIV.	Johan. XXII.	199
Cum te.	II.	Urbanus VI.	296
	XLVII.	Bonifat. IX.	337
	LXXXVII.	Bonifat. IX.	364
Cum vos.	XIV.	Clemens VI.	232
	I.	Gregor. XI.	268
	XXIV.	Gregor. XI.	280
	XXV.	Gregor. XI.	281
	XXVI.	Gregor. XI.	281
	XXIX.	Gregor. XI.	283
Cupientes.	XXXVII.	Bonifat. VIII.	67
	XV.	Clemens V.	122
	XXI.	Johan. XXII.	144
	LXXXVI.	Johan. XXII.	193
	LII.	Bonifat. IX.	342
	CXIV.	Bonifat. IX.	379
	CXX.	Bonifat. IX.	384
	CXXI.	Bonifat. IX.	384
	CXXII.	Bonifat. IX.	384
	CXXV.	Bonifat. IX.	386
	CXXVII.	Bonifat. IX.	387
	CXL.	Bonifat. IX.	395
	CXLI.	Bonifat. IX.	396
	CXLV.	Bonifat. IX.	400
	CXLVI.	Bonifat. IX.	400
	CXLVII.	Bonifat. IX.	401
	CL.	Bonifat. IX.	402
	CLVI.	Bonifat. IX.	406
	CLVII.	Bonifat. IX.	406
	CLVIII.	Bonifat. IX.	406
	CLX.	Bonifat. IX.	408
	CLXI.	Bonifat. IX.	408
	CLXII.	Bonifat. IX.	409
	CLXIII.	Bonifat. IX.	409
	CLXVI.	Bonifat. IX.	411
	CLXVIII.	Bonifat. IX.	412
	CLXXVIII.	Bonifat. IX.	418
	CLXXX.	Bonifat. IX.	419
	CLXXXI.	Bonifat. IX.	420
	CLXXXIV.	Bonifat. IX.	421
	CLXXXIX.	Bonifat. IX.	424
	CXC.	Bonifat. IX.	425
	CXCV.	Bonifat. IX.	428
	CXCVI.	Bonifat. IX.	428
	CXCVII.	Bonifat. IX.	429
	CXCVIII.	Bonifat. IX.	429
	CXCIX.	Bonifat. IX.	430
	CCI.	Bonifat. IX.	431

Cu-

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Cupientes.	CCV.	Bonifat.IX.	434
	CCVI.	Bonifat.IX.	434
	CCXXIV.	Bonifat.IX.	449
	CCXXVIII.	Bonifat.IX.	451
	CCXXXIV.	Bonifat.IX.	456
	XXIX.	Johan.XXIII.	521
	XXXIII.	Johan.XXIII.	524
	XL.	Johan.XXIII.	527
	XLI.	Johan.XXIII.	528
	LXIX.	Martin.V.	589
	CVII.	Martin.V.	611
Cupientibus.	VII.	Innocen.VI.	248
	D		
Debitum officii.	XIV.	Honor.IV.	13
Debitum paſtoralis.	CLXVII.	Bonifat.IX.	411
Decens.	CXVIII.	Bonifat.IX.	383
	VII.	Innocen.VII.	478
	I.	Johan.XXIII.	504
Decet Romanum.	XXXVI.	Johan.XXIII.	525
Decet venerabilem.	XVIII.	Honor.IV.	15
De Fratrum.	XL.	Gregor.XI.	290
De mandato.	III.	Gregor.XI.	269
De occultis.	XXII.	Johan.XXII.	145
Deſideria.	XCIX.	Bonifat.IX.	371
	CCXXII.	Martin.V.	681
Deſideriis tuis.	IV.	Bonifat.VIII.	41
Deſideriis veſtris.	LVIII.	Johan.XXII.	176
Devotionis.	XVII.	Nicolaus IV.	27
	VI.	Clemens V.	113
	XXXIX.	Martin.V.	565
Devotorum.	XXIV.	Bonifat.VIII.	56
	V.	Benedict.XI.	80
Digna exauditionis.	CLXX.	Martin.V.	650
Digna reddimur.	XXIII.	Martin.V.	553
	CLXV.	Martin.V.	647
Dignum eſt.	XIII.	Clemens V.	122
Dilectarum.	XIV.	Martin.V.	547
Dilectorum.	CXX.	Martin.V.	619
Dilectos.	XXIII.	Johan.XXII.	146
	XXIV.	Johan.XXII.	147
	CCXVI.	Bonifat.IX.	442
	XIX.	Alexan.V.	499
Dilectum.	XXXV.	Bonifat.VIII.	65
Diſcretioni.	XXXIX.	Johan.XXII.	158
Diſponente.	I.	Nicolaus IV.	19
Divina.	LXIX.	Johan.XXII.	182
	IX.	Bonifat.IX.	314
	XXI.	Bonifat.IX.	322
	XXXI.	Bonifat.IX.	327
	LIV.	Bonifat.IX.	343
	LVI.	Bonifat.IX.	344
	LXXII.	Bonifat.IX.	354
	LXXIV.	Bonifat.IX.	355
	LXXV.	Bonifat.IX.	356
	LXXXIX.	Bonifat.IX.	365
	CLXIV.	Bonifat.IX.	410
	CXCIII.	Bonifat.IX.	426
	CXCIV.	Bonifat.IX.	427
	CCXXX.	Bonifat.IX.	453
	CCXXXVI.	Bonifat.IX.	457
	VI.	Johan.XXIII.	506
	VIII.	Johan.XXIII.	508
	IX.	Johan.XXIII.	508

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Divina.	XIX.	Johan.XXIII.	514
	XX.	Johan.XXIII.	515
	LXXIII.	Martin.V.	592
	LXXX.	Martin.V.	595
	LXXXIII.	Martin.V.	597
	XCV.	Martin.V.	604
Dominum.	XXXIV.	Johan.XXII.	155
Dudum ad.	VII.	Clemens V.	113
	XV.	Gregor.XI.	276
Dudum claræ.	I.	Clemens V.	104
Dudum ex.	L.	Johan.XXII.	170
Dudum felicis.	II.	Benedict.XI.	78
	XXVIII.	Johan.XXII.	149
	XVIII.	Martin.V.	550
Dudum Pontificatus.	XLV.	Johan.XXII.	167
Dudum ſiquidem.	CXXXVIII.	Bonifat.IX.	394
	CLX.	Martin.V.	645
	CCXXIII.	Martin.V.	681
	CCXLIV.	Martin V.	697
Dudum venerabili.	V.	Clemens V.	112
Dudum venerabilis.	XXV.	Johan.XXII.	147
	LXXXIV.	Johan.XXII.	192
Dudum videlicet.	XLVI.	Bonifat.IX.	337
Dum ad Ordinis.	CLXXIII.	Bonifat.IX.	415
Dum conſideramus.	VII.	Johan.XXII.	134
Dum præcelſa.	XCVIII.	Bonifat.IX.	370
	CXI.	Bonifat.IX.	378
	CLXXIX.	Bonifat.IX.	418
	LXXIV.	Martin.V.	592
	CCXXX.	Martin.V.	685
Dum profundis.	XVII.	Gregor.XI.	277
Dum religionis.	XIV.	Alexander V.	495
Dum ſolicitæ.	III.	Nicolaus IV.	20
Dum tuæ.	LXVIII.	Bonifat.IX.	351
	E		
Ea libenter.	XLVIII.	Johan.XXII.	169
Eam gerimus.	LXVIII.	Johan.XXII.	182
Ea quæ.	III.	Johan.XXIII.	505
	XXXV.	Johan.XXIII.	525
Eccleſiarum.	XXX.	Benedict XI.	96
	XXX.	Bonifat.IX.	327
	XL.	Bonifat.IX.	333
	CLVI.	Martin.V.	642
	CLXXXI.	Martin.V.	656
Etſi ex.	XVII.	Bonifat.IX.	319
	CXLVI.	Martin.V.	634
Etſi locorum.	VI.	Benedict.XI.	81
Etſi nonnullæ.	LXXXII.	Martin.V.	596
Etſi pacis.	VI.	Johan.XXII.	133
Etſi pro.	CCXVII.	Bonifat.IX.	443
	XIII.	Alexander V.	494
Etſi Reges.	XXXII.	Bonifat.VIII.	62
Etſi ſacræ.	I.	Urbanus V.	257
Ex Apoſtolicæ.	CCXXI.	Bonifat.IX.	448
	CCXX.	Martin.V.	679
Exhibita Nobis.	III.	Martin.IV.	2
	IV.	Martin.IV.	3
	XIII.	Innocen.VI.	251
	VII.	Gregor.XI.	271
	XIII.	Bonifat.IX.	317
	XII.	Johan.XXIII.	510
	XXIII.	Johan.XXIII.	516
	III.	Martin.V.	533

Exhi-

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Exhibita Nobis.	XXXIII.	Martin. V.	561
	LXVIII.	Martin. V.	589
	CXII.	Martin. V.	613
	CLII.	Martin. V.	639
Ex horto.	XXIII.	Benedict. XI.	93
Exigit honeſtas.	CIV.	Bonifat. IX.	374
	CV.	Bonifat. IX.	375
Exigit Ordinis.	XXIX.	Johan. XXII.	151
Exigit tuæ.	XII.	Bonifat. IX.	316
	I.	Innoc. VII.	471
Exigunt.	XIII.	Martin. V.	546
Eximiæ.	LX.	Johann. XXII.	177
	CX.	Bonifat. IX.	377
	XVIII.	Alexan. V.	498
	XXIII.	Alexan. V.	501
	LXXV.	Martin. V.	593
	CVI.	Martin. V.	611
	CCIX.	Martin. V.	673
Ex munere.	IX.	Clemens VI.	229
Ex parte.	I.	Martin. IV.	1
	VII.	Honorius IV.	9
	XVIII.	Benedict. XI.	91
	XXV.	Benedict. XI.	94
	XXVI.	Benedict. XI.	95
	XXXV.	Johan. XXII.	155
Ex paſtoralis.	XXXV.	Martin. V.	562
	CXLVII.	Martin. V.	635
Expoſcit.	CCXIX.	Martin. V.	679
Expoſuerunt.	XVII.	Bonifat. VIII.	53
Ex ſupernæ.	CCXXXVI.	Martin. V.	590
Ex ſuſcepti.	CII.	Martin. V.	608
	CLVII.	Martin. V.	643

F

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Facta ſuper.	XVI.	Honorius IV.	14
Felix.	XXXI.	Benedict. XI.	97
Fidei Catholicæ.	XXI.	Clemens VI.	235
Fidei orthodoxæ.	XLII.	Gregorius XI.	292
Fidei tuæ.	XLIV.	Martin. V.	570
Fidelium.	XXVII.	Gregor. XI.	282
	LXXXIII.	Bonifat. IX.	361
	CLI.	Bonifat. IX.	403
Frequentes.	III.	Clemens VI.	224
	IX.	Innocen. VI.	249
	XVI.	Bonifat. IX.	319
	LVII.	Bonifat. IX.	344
	XXX.	Johan. XXIII.	522
	LXV.	Martin. V.	585
	CLXI.	Martin. V.	645
	CCXXIV.	Martin. V.	682
	CCXLIII.	Martin. V.	696

G

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Gaudemus.	LXXXVIII.	Johan. XXII.	194
Glorioſus.	VIII.	Bonifat. VIII.	44
	LVIII.	Bonifat. IX.	345
Grata devotionis.	CXXIII.	Martin. V.	621
Grata tuæ.	CCXXVI.	Bonifat. IX.	450
Grata veſtræ.	VI.	Gregor. XI.	271
Gratiæ.	LV.	Martin. V.	577
Gratias.	XI.	Johan. XXII.	136
	LXXII.	Johan. XXII.	184
Gratias.	LXXVII.	Johan. XXII.	189
Gravem.	LXIII.	Johan. XXII.	179
	XI.	Innocen. VI.	250

H

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Habet ex parte.	XXI.	Gregor. XI.	278
Habet in nobis.	LIX.	Johan. XXII.	177
His quæ.	XXXV.	Bonifat. IX.	330
	LXXXV.	Bonifat. IX.	362
	CIII.	Bonifat. IX.	373
	CVII.	Bonifat. IX.	376
	CVIII.	Bonifat. IX.	377
	CXLVIII.	Bonifat. IX.	401
	CLXXVII.	Bonifat. IX.	417
	IX.	Martin. V.	537
Hodie dilecto.	IV.	Johan. XXIII.	505
Hodie ſiquidem.	CXCII.	Bonifat. IX.	426
	XXV.	Johan. XXIII.	518
	CXIII.	Martin. V.	614
Honeſtis.	XV.	Bonifat. IX.	318
Humilibus.	CLXV.	Bonifat. IX.	410
	XXIX.	Martin. V.	558
	XLV.	Martin. V.	571
	LXI.	Martin. V.	581
	LXXI.	Martin. V.	591
	XC.	Martin. V.	601
	XCIV.	Martin. V.	603
	CXIV.	Martin. V.	615
	CXVII.	Martin. V.	617
	CXXII.	Martin. V.	620
	CXXV.	Martin. V.	622
	CLIII.	Martin. V.	640
	CCXXXV.	Martin. V.	689

I

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Iis quæ.	X.	Bonifat. IX.	315
Illa quæ.	VII.	Johan. XXIII.	507
	CLXXXIV.	Martin. V.	658
Illa ſine.	LIV.	Johan. XXII.	173
Illius qui.	VI.	Clemens VI.	227
	XXI.	Martin. V.	552
Illos libenter.	IX.	Alexander. V.	491
Illos Sedes.	LX.	Martin. V.	580
Immaculata.	XXVII.	Bonifat. VIII.	58
Immenſa.	XXV.	Bonifat. VIII.	57
In Apoſtolatus.	LXXXVI.	Martin. V.	598
In Apoſtolicæ.	XLII.	Martin. V.	569
In Eccleſiæ.	XLVI.	Johan. XXII.	167
In eminenti.	CCXV.	Bonifat. IX.	442
In eminentis.	II.	Alexander V.	488
	V.	Alexander V.	490
	VI.	Alexander V.	491
	VII.	Alexander V.	491
	VIII.	Alexander V.	491
	XI.	Alexander V.	492
Inexplicabili.	XVIII.	Johan. XXII.	143
	LXII.	Johan. XXII.	178
Ingentem.	LXXI.	Johan. XXII.	184
Ingenuam.	CCXXXII.	Martin. V.	685
In humilitatis.	X.	Clemens V.	120
Injuncto.	II.	Innocen. VI.	243
Injunctum.	CXI.	Martin. V.	613

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Injunctum.	CLXIX.	Martin.V.	650
In multitudine.	CXXXVII.	Bonifat.IX.	393
In Ordine.	XIII.	Benedict.XI.	86
	IV.	Clemens VI.	226
In ſuaſionibus.	XIX.	Nicolaus IV.	28
Inter alia.	LVII.	Johan.XXII.	175
	XX.	Clemens VI.	234
	VIII.	Martin.V.	536
Inter cetera.	IV.	Nicolaus IV.	20
	X.	Innocent.VI.	250
	XXVII.	Johan.XXIII.	520
	XLI.	Martin.V.	566
Inter ceteros.	XII.	Bonifat.VIII.	47
	XXII.	Bonifat.VIII.	55
	XXVII.	Benedict.XI.	95
	XLII.	Johan.XXII.	164
	CIII.	Johan.XXII.	204
	CXXIV.	Martin. V.	622
Inter cunctas.	XVI.	Benedict.XI.	88
Inter deſideria.	XXXVII.	Gregor.XI.	288
Inter dilectos.	XXXIX.	Bonifat. VIII.	70
Inter Eccleſiaſticos.	V.	Clemens VI.	226
Inter Religiones.	XXIX.	Bonifat. VIII.	60
	XXXII.	Bonifat.IX.	328
Inter ſolicitudines.	X.	Johan.XXII.	136
	IV.	Bonifat.IX.	311
	XXIX.	Bonifat.IX.	326
	LXVII.	Bonifat.IX.	350
	CXXXV.	Bonifat.IX.	392
	CLXXXIII.	Bonifat IX.	421
	I.	Alexander V.	487
	CCXXVII.	Martin.V.	684
Inter varias.	XXIV.	Bonifat.IX.	324
Juſtis.	X.	Bonifat.VIII.	46
	LXXI.	Bonifat IX.	353
	CC.	Bonifat.IX.	430
	V.	Innocen.VII.	478
	XIII.	Johan. XXIII.	510
	XXXI.	Martin. V.	559
	XCVIII.	Martin. V.	605
	CLI.	Martin.V.	639
In Vinea.	XIX.	Johan.XXII.	143
L			
Laudabilis Deus.	V.	Urbanus V.	259
Laudabilis ſacra.	XVIII.	Bonifat.VIII.	53
Levantes.	XV.	Martin. V	547
Licet ea.	IX.	Benedict. XI.	82
Licet ex.	XI.	Nicolaus IV.	24
Licet is.	V.	Bonifat.IX.	312
	VI.	Bonifat.IX.	312
	XXV.	Bonifat.IX.	324
	XXXIII.	Bonifat.IX.	329
	XXXIV.	Bonifat. IX.	329
	XXXVIII.	Bonifat.IX.	332
	XLI.	Bonifat IX.	333
	XLV.	Bonifat.IX.	336
	LXXX.	Bonifat.IX.	359
	CIX.	Bonifat.IX.	377
	CXXX.	Bonifat.IX.	389
	CXXXII.	Bonifat.IX.	390
	CXXXIII.	Bonifat.IX.	391
	CXXXIV.	Bonifat.IX.	392
	CLXX.	Bonifat.IX.	413

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Licet is.	I.	Gregor. XII.	482
	XVIII.	Johan.XXIII.	514
	XII.	Martin. V.	545
	XXII.	Martin.V.	553
	XL.	Martin.V.	565
	XLIX.	Martin.V.	574
	LXXXV.	Martin V.	598
	XCVII.	Martin.V.	605
	CXLIII.	Martin.V.	631
	CL.	Martin.V.	637
	CLXIII.	Martin.V.	646
	CCVIII.	Martin.V.	672
	CCXII.	Martin.V.	674
Licet olim.	XV.	Benedict.XI.	87
Licet ſperemus.	XIII.	Clemens VI.	232
Licet ubilibet.	CXXIX.	Bonifat.IX.	389
	CCXXXIII.	Martinus V.	688
Licet votis.	LXXV.	Johan. XXII.	188
Literas.	III.	Benedict. XII.	219
Loca.	XXII.	Alexan.V.	500
Lucis.	XVI.	Johan. XXII.	141
M			
Magna.	VIII.	Clemens VI.	228
Magnæ.	LXX.	Bonifat.IX.	352
Magnitudinis.	III.	Innocen.VI.	244
Meretur.	CXIX.	Bonifat.IX.	383
Meritis.	II.	Honorius IV.	6
	IV.	Honorius IV.	8
	VIII.	Benedict. XI.	82
	XXXII.	Benedict. XI.	97
	CCXIV.	Bonifat.IX.	441
	LXXII.	Martin.V.	591
Miſſa.	XLIV.	Johan.XXII.	165
Moleſta.	XI.	Clemens VI.	230
Moleſte.	III.	Honorius IV.	7
N			
Negotia.	XVI.	Gregor.XI.	276
Non abſque.	VIII.	Gregor.XI.	272
Non ſine.	XCIX.	Johan.XXII.	203
	C.	Johan.XXII	203
Noveritis.	XXII.	Clemens VI.	235
Nunciorum.	XII.	Nicolaus IV.	24
Nuper ad.	V.	Martin. IV.	3
	XV.	Honor. IV.	14
	LXXIII.	Johan.XXII.	186
	XCI.	Johan XXII.	197
	LXII.	Bonifat.IX.	347
	II.	Innocen. VII.	471
Nuper dilecto.	X.	Gregor. XI.	273
Nuper dilectus.	XXXVIII.	Johan.XXII.	157
Nuper diſplicenter.	XIV.	Gregor.XI.	275
Nuper ex.	XXVI.	Johan.XXII.	148
	XXVII.	Johan.XXII.	149
	XC.	Johan.XXII.	196
	XCIII.	Johan.XXII.	198
Nuper pro.	XXIII.	Clemens VI.	236
	XXXIV.	Gregor. XI.	286
Nuper ſiquidem.	CXIII-2.	Martin. V.	709
Nuper ut.	XXX.	Bonifat.VIII.	6

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
O			
Ob excellentiam.	V.	Bonifat. VIII.	42
Ob tuorum.	III.	Bonifat.VIII.	40
Olim ſicut.	XIII.	Honor.IV.	12
Olim tibi.	XI.	Honor. IV.	11
Opera divina.	I.	Benedict. XI	77
Ordinis Fratrum.	CCX.	Bonifat.IX.	438
	XCII.	Martin. V.	602
Ordinis veſtri.	XXXV.	Benedict. XI.	98
	II.	Johan. XXII.	131
	CCVII.	Bonifat.IX.	435
P			
Paci.	III.	Johan.XXII.	131
	IX.	Johan. XXII.	135
Paſtoralis.	LXXIV.	Johan. XXII.	187
	CXLIV.	Martin V.	631
Patri luminum.	LXXVIII.	Johan. XXII.	189
Perduxit.	XII.	Gregor. XI.	274
Per Romani.	XIX.	Gregor. XI.	278
Perſonam.	LXIII.	Bonifat.IX.	348
	XCII.	Bonifat.IX.	367
	CCVIII.	Bonifat.IX.	436
	CCXVIII.	Bonifat.IX.	444
	X.	Alexander V.	492
	XV.	Alexander V.	496
	XVI.	Alexander V.	497
	XVII.	Martin. V.	549
	XXIV.	Martin. V.	554
	LXVII.	Martin. V.	588
	CIII.	Martin. V.	608
	CCXXVIII.	Martin. V.	684
Perſonas.	XXXII.	Johan.XXIII.	523
Per tuas.	XXVI.	Nicolaus IV.	32
Petitionibus.	XIV.	Bonifat. VIII.	51
Petitio pro.	XII.	Innocen. VI.	251
Petitio tua.	VIII.	Nicolaus IV.	23
Petitio veſtra.	V.	Nicolaus IV.	21
Pia deſideria.	CXLI.	Martin. V.	629
Pia devotorum.	XI.	Clemens V.	120
Pia nos.	CCXXXIV.	Martin.V.	688
Piæ ſupplicum.	CXCV.	Martin. V.	665
Piæ poſtulatio.	CCXXXII.	Bonifat.IX.	454
Piis & honeſtis.	CLV.	Bonifat. IX.	405
	CLXIX.	Bonifat.IX.	413
	CLXXV.	Bonifat.IX.	416
	XVII.	Johan.XXIII.	513
Piis fidelium.	CXXIII.	Bonifat. IX.	385
	CLXXV.	Martin. V.	653
Piis Supplicum.	XCI.	Martin. V.	601
	XCIX.	Martin. V.	606
Piis votis.	LXXXIV.	Bonifat.IX.	361
	CLXVIII.	Martin. V.	649
Piſana.	XXIII.	Bonifat. VIII.	56
Pium apud.	LIII.	Bonifat.IX.	342
Pium eſſe.	X.	Clemens VI.	230
Pium eſt.	XLIII.	Johan. XXII.	165
Præ cunctis.	XIII.	Johan. XXII.	138
	XX.	Nicolaus IV.	29
	XXI.	Nicolaus IV.	29
	XIV.	Johan. XXII.	139
	LV.	Johan. XXII.	174

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Præ cunctis.	V.	Gregor. XI.	270
Pridem gratis.	XII.	Johan. XXII.	137
Pridem venerabilis.	XCV.	Johan. XXII.	199
Proceſſit.	XVIII.	Nicolaus IV.	28
Propter.	V.	Gregor. XII.	484
Pro ſingulorum.	CCXVIII.	Martin. V.	678
	CCXXVI.	Martin.V.	683
Provenit.	V.	Urbanus VI.	298
	IV.	Innocen. VII.	477
	XX.	Alexander V.	499
Proviſionis.	II.	Clemens VI.	223
	VI.	Gregor. XII.	484
	XXXVIII.	Martin. V.	564
	CXL.	Martin. V.	628
	CLXXVIII.	Martin. V.	654
	CCV.	Martin. V.	671
Q			
Quæ pro.	X.	Benedict. XI.	84
	I.	Johan. XXII.	130
Quam procelloſis.	LXVI.	Johan. XXII.	181
Quamvis.	XXXI.	Bonifat. VIII.	61
Quanto Fratrum.	XX.	Johan. XXII.	144
Quanto frequentius.	CLXXXVIII.	Bonifat.IX.	424
Quanto ſtudioſius.	XXIV.	Nicolaus IV.	31
	XXV.	Nicolaus IV.	32
Quantum.	LVI.	Johan. XXII.	174
Quia per.	CII.	Johan. XXII.	204
Quia plerumque.	IX.	Urbanus VI.	301
Quia præſentis.	CIV.	Martin. V.	609
Quia tua.	IV.	Johan. XXII.	132
Qui diſponente.	CXCIII.	Martin. V.	663
Qui libenter.	VII.	Martin. V.	536
Qui relictis.	XXIII.	Gregor.XI.	280
Quoniam humana.	XVI.	Nicolaus IV.	26
Quoniam ineffabilis.	X.	Martin. V.	542
Quoniam interdum.	XVII.	Alexander V.	498
Quoniam Majeſtati.	XVII.	Johan. XXII.	142
Quoniam ut ait.	XII.	Honorius IV.	14
	XXIX.	Nicolaus IV.	34
	XC.	Bonifat.IX.	366
	CCXXVII.	Bonifat.IX.	451
R			
Rationi.	VIII.	Bonifat.IX.	313
	II.	Johan.XXIII.	504
Redemptionem.	XL.	Johan. XXII.	159
Regimini.	XXX.	Martin. V.	558
	LI.	Martin. V.	575
	LXII.	Martin. V.	582
Regnans.	XXIV.	Alexander V.	501
Regularem.	II.	Benedict. XII.	219
Relatione.	IV.	Gregorius XI.	270
Religionis favor.	VIII.	Honor. IV.	9
Religionis tuæ.	CXCVIII.	Martin. V.	667
Religionis veſtræ.	XXXIV.	Benedict. XI.	98
Religionis zelus.	VII.	Bonifat.IX.	313
	LXXVI.	Bonifat.IX.	356
	CXII.	Bonifat.IX.	378
	CXXVIII.	Bonifat.IX.	388
	CCXXXV.	Bonifat.IX.	457
	III.	Alexander V.	488

Reli-

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
Religionis zelus.	IV.	Alexander V.	489
	XXXIX.	Johan.XXIII.	529
	XXXIV.	Martin. V.	561
	LXXVIII.	Martin. V.	594
	CI.	Martin. V.	607
	CLVIII.	Martin. V.	644
	CLXIV.	Martin.V.	647
	CLXXXIII.	Martin. V.	657
	CLXXXVII.	Martin. V.	660
	CLXXXVIII.	Martin. V.	661
	CCII.	Martin. V.	669
	CCIII.	Martin. V.	670
	CCX.	Martin. V.	673
Religioſorum.	CCXXI.	Martin. V.	680
Rex pacificus.	XXXVI.	Benedict. XI.	94
Rex Regum.	IX.	Clemens V.	116
Romani.	LIX.	Bonifat.IX.	345
	LXXVII.	Bonifat.IX.	357
	LXXIX.	Bonifat.IX.	358
	CXXXI.	Bonifat.IX.	390
	CLXXVI.	Bonifat.IX.	416
	LXIV.	Martin. V.	584
	LXXXI.	Martin. V.	596
	LXXXVIII.	Martin. V.	599
	CXXXIX.	Martin.V.	628
	CXLII.	Martin.V.	629
	CLXXXVI.	Martin.V.	660
Romanus.	XXXIII.	Bonifat.IX.	63
	CXLIII.	Bonifat.IX.	398
	CXLIV.	Bonifat.IX.	399
	CCXIX.	Bonifat.IX.	445
	LIX.	Martin.V.	579

S

Conſtitutio.	Numerus.	SS.Pontifex.	Pag.
S*acer Ordo.*	LXV.	Johan. XXII.	180
	XXVI.	Johan.XXIII.	518
	V.	Martin V.	534
	XX.	Martin.V.	551
Sacræ Religionis.	XXIV.	Clemens VI.	236
	VI.	Innocent.VI.	247
	LX.	Bonifat IX.	346
	LXV.	Bonifat.IX.	348
	LXVI.	Bonifat.IX.	349
	XCIV.	Bonifat.IX.	468
	CXVI.	Bonifat. IX.	380
	CXLII.	Bonifat.IX.	396
	CLIX.	Bonifat.IX.	407
	CLXXIV.	Bonifat.IX.	416
	CLXXXVII.	Bonifat.IX.	423
	CXCI.	Bonifat.IX.	425
	CCII.	Bonifat.IX.	432
	CCIV.	Bonifat.IX.	433
	CCXI.	Bonifat.IX.	438
	CCXII.	Bonifat.IX.	439
	CCXX.	Bonifat.IX.	446
	CCXXIX.	Bonifat.IX.	452
	CCXXXIII.	Bonifat.IX.	456
	CCXXXVII.	Bonifat.IX.	458
	XII.	Alexander V.	493
	IV.	Martin.V.	533
	XXVI.	Martin.V.	555
	XXXII.	Martin.V.	560
	XCIII.	Martin.V.	603
	C.	Martin.V.	607
Sacræ Religionis.	CX.	Martin. V.	612
	CXXI.	Martin. V.	620
	CLXXXIX.	Martin. V.	661
	CXCI.	Martin. V.	662
	CCXIV.	Martin V.	675
Sacræ veſtræ.	XXXVII.	Benedict. XI.	101
	I.	Bonifat.IX.	308
	XIX.	Bonifat.IX.	320
	XXVIII.	Bonifat.IX.	326
	XXXIX.	Bonifat.IX.	332
	LI.	Bonifat IX.	341
	XXIV.	Johan. XXIII.	517
	CVIII.	Martin.V.	612
	CIX.	Martin. V.	612
Sacra veſtra.	XIX.	Benedict. XI.	91
	LXXXI.	Bonifat.IX.	359
Sacroſanctis.	CCXIII.	Bonifat IX.	440
	XXV.	Martin.V.	555
Sedes.	CXCVII.	Martin.V.	666
Sedis.	IV.	Urbanus VI.	297
	XXII.	Bonifat IX.	322
	CII.	Bonifat.IX.	372
	CXXXIX.	Bonifat. IX.	395
	CCIII.	Bonifat.IX.	433
	III.	Innocen. VII.	473
	XLVI.	Martin. V.	572
	XLVII.	Martin. V.	573
	CLXXXV.	Martin. V.	659
Si ad illum.	XIII.	Nicolaus IV.	25
Si conſideres.	XVII.	Clemens VI.	233
	XVIII.	Clemens VI.	234
	XIX.	Clemens VI.	234
Sicut.	XXI.	Alexander V.	500
Significarunt.	XLVII.	Johan. XXII.	168
	LXIV.	Johan. XXII.	179
	XIV.	Innocen. VI.	252
	X.	Urbanus VI.	301
Significavit.	LI.	Johan. XXII.	171
Sinceræ.	XIV.	Nicolaus IV.	25
	XLI.	Gregor.XI.	291
	XLIII.	Gregor.XI.	292
	VIII.	Urbanus VI.	300
	XXVI.	Bonifat.IX.	325
	XLII.	Bonifat.IX.	334
	XCV.	Bonifat IX.	269
	CXV.	Bonifat.IX.	379
	CLXXII.	Bonifat.IX.	414
	VI.	Innocen. VII.	478
	X.	Johan. XXIII.	509
	XXVIII.	Johan.XXIII.	521
	I.	Martin. V.	532
	LXIII.	Martin. V.	583
	LXXVI.	Martin. V.	593
	CLIV.	Martin. V.	640
	CLXXI.	Martin. V.	651
	CLXXIII.	Martin. V.	652
	CLXXVII.	Martin. V.	654
	CC.	Martin. V.	668
Sincerus.	XXXVI.	Gregor.XI.	287
Solet.	CCXXV.	Martin. V.	682
Specialis.	LXIX.	Bonifat.IX.	352
Spectator.	XXXVIII.	Bonifat.VIII.	67
Sperantes.	LXXXVII.	Johan. XXII.	194
Splendor.	XXVII.	Nicolaus IV.	32
	XI.	Bonifat.IX.	316
	XIV.	Bonifat.IX.	317

Splen-

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Splendor.	XXXVII.	Bonifat. IX.	332
	LV.	Bonifat. IX.	343
	III.	Gregor. XII.	483
Statum.	CCIV.	Martin. V.	670
Sua nobis.	II.	Nicolaus IV.	19
	XX.	Bonifat. VIII.	54
	II.	Clemens V.	107
Sub Religionis.	II.	Bonifat. VIII.	39
	XXVI.	Bonifat. VIII.	58
	XVI.	Clemens V.	123
Summa.	I.	Clemens VI.	223
Summi.	VIII.	Urbanus V.	261
Summus.	VIII.	Innocen. VI.	249
Super egenum.	XXI.	Benedict. XI.	92
	XXII.	Benedict. XI.	93
	XXIV.	Benedict. XI.	94
	XXVIII.	Gregor. XI.	283
	C.	Bonifat. IX.	371
	CLXXI.	Bonifat. IX.	414
	CCIX.	Bonifat. IX.	437
	CCXI.	Martin. V.	674
	CCXXXI.	Martin. V.	626
	CCXLI.	Martin. V.	694
Suſcepti.	XLIV.	Bonifat. IX.	336
	LXXXII.	Bonifat. IX.	360
	CLXXXII.	Bonifat. IX	420
	XIV.	Johan. XXIII.	511
	XV.	Johan. XXIII.	512
	LXXIX.	Martin V.	595
	CLXXIV.	Martin. V.	652
	CXCIV.	Martin. V.	666

T

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
TAm per:	XCII.	Johan. XXII.	197
Te de.	LXXX.	Johan. XXII.	190
Tenorem.	XV.	Nicolaus IV.	26
	XXI.	Bonifat. VIII.	55
Tenore vobis.	XXXVI.	Bonifat. VIII.	67
Tenor quarundam.	CCXXXVIII.	Martin. V.	693
Terræ.	XXVIII.	Nicolaus IV.	33
Tibi.	XXXVII.	Johan. XXII.	156
Tractatum.	II.	Urbanus V.	257
Trahimur.	LIII.	Johan. XXII.	172
Tranſiturus.	XI.	Benedict. XI.	85
Tua.	I.	Innocen. VI.	243
	XCVII.	Bonifat. IX.	370

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
Turbato.	VII.	Nicolaus IV.	22

V

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
VAs electionis.	XXXI.	Johan. XXII.	152
Venerabilis.	XX.	Honorius IV.	16
Venientes.	IX.	Bonifat. VIII.	45
Veſtræ merita.	XX.	Bonifat IX.	321
Veſtræ Religionis.	LXI.	Johan. XXII.	178
Viam.	XIX.	Martin. V.	550
Viri ſacræ.	XXI.	Johan. XXIII.	515
	XXXVIII.	Johan. XXIII.	526
	XI.	Martin. V.	545
	XXVIII.	Martin. V.	557
	XXXVI.	Martin. V.	563
	LXX.	Martin. V.	590
	LXXVII.	Martin. V.	593
	CXCIX.	Martin. V.	667
	CCXXXIX.	Martin. V.	693
Viri ſub.	II.	Gregorius XI.	268
Virtute conſpicuos.	VI.	Honorius IV.	9
	XIII.	Bonifat. VIII.	48
	V.	Johan. XXII.	132
	XII.	Clemens VI.	231
	XX.	Gregor. XI.	278
	CCXXII.	Bonifat. IX.	448
Virtutibus.	II.	Bonifat. IX.	308
	V.	Johan. XXIII.	506
Vita perennis.	XIV.	Benedict. XI.	66
	XIV.	Clemens V.	122
	LXXVI.	Johan. XXII.	188
	LXXXV.	Johan. XXII.	193
Vocatis.	VIII.	Johan. XXII.	134
Votis zelamus.	LXX.	Johan. XXII.	183
	LXXXI.	Johan. XXII.	191
	LXXXII.	Johan. XXII.	191
Ut circa.	XII.	Benedict. XI.	66
	XX.	Benedict. XI.	92
	XXVIII.	Benedict. XI.	96
Ut inter.	LVII.	Martin. V.	578
Ut Moniales.	XXIX.	Benedict. XI.	96
Ut veſtrum.	CI.	Johan. XXII.	203

Z

Conſtitutio.	Numerus.	SS. Pontifex.	Pag.
ZElus.	CXCVI.	Martin. V.	583

MENDA

Quæ hoc in Secundum Volumen irrepſerunt.

Pagina.	Linea.	Errata.	Corrige.
223	2 Notæ 2	aſſervati	aſſervato
265	32	Archepiſcopo	Archiepiſcopo
403	41	Petrum	Nicolaum
674	13	Zamoren.	Corduben.

630 numerus 1410 reiiciendus ad Conſtitutionem I Johannis XXIII.

VA1 1531381

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google